BIBLIOTECA NAZ.
X
G
29
NAPOLI
29

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
X
G
29
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google





DEMONSTRATIONES SYMBOLORVM VERÆ, ET FALSÆ [illegible]ONIS ADVERSVS

præcipuos, ac vigentes Catholicæ Religionis hoſtes, Atheiſtas, Iudæos, Hæreticos, præſertim Lutheranos, & Caluiniſtas.

In duos Tomos diſtributæ.

AVCTORE

R. P. ZACHARIA BOVERIO

Salutienſi, Ordinis minorum Sancti Franciſci Congregationis Capuccinorum, Theologo.

[illegible]

ADHÆC VOCVM HEBRAICARVM ſeries accurata inſeritur.

Tomus Primus.

CVM PRIVILEGIO REGIS.





LVGDVNI,
SVMPTIBVS HORATII CARDON.
M.DC.XVII

Piza

Digitized by Google

AD VIRGINEM DEIPARAM,
INCLYTAM COELORVM REGINAM, AC PERPETVAM SIBI PATRONAM.

F. ZACHARIAS BOVERIVS HVMILLIMVS, ac indigniſſimus ſeruus.

EA ſemper fuit rerum humanarum conditio (Fælix Deipara) vt ſuis principiis, ex quibus orta ſunt, natura duce vniuerſa coaleſcant, & eò ſumma vi pertingere curent, vbi præſtantiſſimo fine, atque eo rerum ſtatu frui ſperant, quo perfectior nullus ab iis expeti poſſit. Propterea namque inanimatis rebus vis ea à natura inſita eſt, vt certo quodam naturæ motu, & appetitu ad proprium centrum pergant. Illis verò, quæ ſenſu, ac ratione prædita ſunt, id animis inditum eſt, vt irrequieto motu ad Deum Opt. Max. velut rerum omnium opificem, & auctorem, à quo ſemel effluxerunt, contendant. Hinc planè ſumma, ac irrefragabilis à natura ipſa deprompta me ratio impellit, vt illuc me, meáque omnia quàm iuſtiſſimè referre debeam, vnde ea me accepiſſe fateor. Fateor equidem (Excellens Deipara) omnia me, cùm naturæ, tum gratiæ dona Chriſto tuo ita debere, vt in iis nihil omnino meum eſſe agnoſcam. Illud quoque lubentiſſimè amplector, quidquid beneficiorum à Deo Opt. Max. in me (immeritum tamen) collatum fuit, ita beneuolentiſſimæ tuæ erga me pietati, ac miſerationi debere, vt non niſi ſuffragiorum tuorum munere id me à Deo tuliſſe ingenuè profitear.

Quamobrem cùm inter alia ſingulare hoc quoque munus tuis ſuffragiis acceperim, vt nouum Cerberum trina impiarum ſectarum fauce veram Dei Religionem inuadentem te duce mihi aggrediendum proponam, ac te pugnante proſternendum non dubitem: vnde tandem parta victoriæ trophæum ad te ſummo iure referendum ſit, quæ ſola pullulantium hæreſum, ac ſuperſtitionum monſtra diuino planè munere confodis: atque hac ſpe fretus, opus hoc de Demonſtrationibus ſymbolorum veræ, & falſæ Religionis, in ſacris Thononij ædibus tuo nomini dicatis te annuente conceperim; conceptum per aliquot annos formauerim, formatum nunc tandem pepererim. Hæc quidem Chriſto tuo operum primigenia debentur, qui omnium auctor eſt, & opifex, nec non omnia in omnibus operatur. Ea tamen tibi denegari nefas exiſtimo, quæ te excitante, impellente, adiuuante, ac tandem obſtetricante prodierunt.

Iam verò in his cùm præter laborem nihil meum eſſe agnoſcam, ſi tamen & ipſe labor meus eſſe poteſt, quem & Dei benignitas dono contulit, ac tua ſibi ſuf-

Digitized by Google

fragia vendicant. Attamen ſi quæ mea eſſe videntur, in his naturæ ordinem vltrò quàm lubenter amplector, & donati laboris beneficium grato (quoad fieri poteſt) animo complectens, omni qua poſſum humillima animi ſubiectione meipſum beatiſsimis pedibus tuis prouoluens, primigenium opus ſummæ Filij tui maieſtati offerendum, tibi dicandum cenſui. Ego quidem quod munificè ex immenſa illius liberalitate, ac tuo patrocinio percepi, munificè, ac humiliter exhibeo, & quodammodo mutuum reddo. Sed cùm in eo tam multa ſint, quæ humanam imbecillitatem, ac infirmitatem patiuntur; ſupplex oro ac rogo, vt quæ ignorantiæ vitio malè parta ſunt, regeneres; quæ minùs ritè elaborata ſunt, perficias: ſi quæ verò Deo auctore, ac te duce bene parta ſunt, amplifices, vires augeas, cœleſti numine proſequaris, & Diuina illis exorata virtute ad perfectam errantium animarum ſalutem transferas: vt Deum vniuerſi in his glorificare diſcant.

Id verò quàm magnopere efflagito, vt ſi tenue hoc munuſculum, quo maximam meam in te reuerentiam declarari cupio, pro ſumma animi tui benignitate tibi inuiſum non fuerit; illud ſancta, ac materna dextera tua benedictione confirmes, ac corrobores, vt ea velut cœleſti murice contectus liber inter inimicorum manus intrepidus curſites; Chriſti Dei noſtri Opt. Max. veram Religionem impauidus prædicet; errantes populos ad veræ fidei, ac Religionis iter reuocet, ac demum cœleſti quadam tuæ benedictionis virtute perfuſus, ac grauidus, plurimos Ieſu Chriſto, ac tibi filios pariat. Fœlix vale (ſacra Deipara) perpetuò regna, & pro omnibus apud Deum intercede.

PRÆFATIO.

PRAEFATIO.

MAGNVM opus aggredior, cùm vniuerſos penè, atque acerbiores Catholicæ Religionis hoſtes mihi in hoc opere inuadendos propono, hoc præſertim tempore, cùm peſtifera per maximas Chriſtiani orbis plagas ingraueſcente impiarum ſuperſtitionum tabe, & longo hæreſum morbo computreſcente, vera Dei Religio paſſim proſtrata, fides iugulata, veritas ferè extincta cernitur: atque ad eum rerum ſtatum ventum eſt, vt vix vllus legitimo verbo Dei locus, ac inſtaurandæ Religioni, vbi ea hæreſum furore collapſa eſt, ſpes relicta eſſe videatur. Quandoquidem ad ea D. Pauli tempora omni calamitatum genere referta deuentum eſſe, vbi præſertim Hæreſes vigent, res ipſa clamitat. *Cùm ſanam doctrinam homines non ſuſtinebunt: ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent.* Quòd ſi quis ſibi perſuadeat, illos veniſſe nunc tempeſtatis eiſdem miſeris mortalibus dies, quos olim in perditiſſimo hominum ſtatu venturos D. Petrus deplorat, cùm ait. *In vobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant, ſuperinducentes ſibi celerem perditionem, & multi ſequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur,* planè non vſque adeò malè ſentiet. Quis enim miſerandam ſæculi noſtri faciem ſecum tacitus conſiderat, & florentiſſimum Chriſti Regnum, quod olim per omnes penè mundi oras, longè, latéque diffuſum Chriſtianum vbique orbem effecerat, adeò ſectis, ac ſuperſtitionibus conciſum, ac dilaceratum intuetur; vt fermè minima quædam, ac tantilla pars Chriſtiano nomini relicta ſit: quis Atheiſticam impietatem Deum, Diuináque omnia deridentem tam latè in orbe diſſeminatam videt: quis Iudaicam perfidiam inter Chriſtianos diſperſam contemplatur, adeò Chriſtiano nomini infenſam, vt nulli in illud, vel odio, vel crudelitati parcat: quis Mahometicas luxurias, quibus innumeri à fide abducuntur, per tot terrarũ ſpatia graſſari; quis Hæreticas blaſphemias incredibilibus ſe artibus circumuoluentes cernit, quæ dum piam Religionis faciem præ ſe ferunt, ſimplicium animos fallunt, viam veritatis euertunt, ac innumera tandem animarum cæde redundant, qui deplorandum veræ Religionis ſtatum, ne dicam occaſum, ſanguineis, ſi fieri poſſet, lacrymis non proſequatur; atque infecta hæc magni illius Draconis ſibila, ac venena eſſe non agnoſcat; que cùm hactenus ab Angelo in abyſſi ima detruſus, ac relegatus fuerit; iam ſolutis vinculis truculentiſſima rabie percitus incredibili animarum clade in orbe graſſatur?

2. Tim. 4.

2. Pet. 2.

Hæc igitur prima me ad ſcribendum ratio compulit. Ipſa nimirum Chriſti cauſa, à qua nec operis difficultas, nec propria mei ingenij imbecillitas, nec calamitoſiſſimus rerum ſtatus, nec ipſa aduerſariorum rabies deterrere vnquam potuit; Chriſti enim cauſa eſt, quænã operi difficultas ineſſe poteſt? omnia enim poſſum in eo qui me confortat. Chriſti cauſa eſt. Cedat profectò oportet omnis proprij ingenij infirmitas; ſiquidem ipſe eſt, qui ſuis dat os, & ſapientiam, cui non poſſunt Philip. 4.

Luc. 21. contradicere omnes veritatis aduerſarij. Chriſti cauſa eſt. Cur, etſi tanta, ac tam
Luc. 1. grauis ſit rerum calamitas, nobis deſperandum erit; cùm is ſit, qui conuertit corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum, qui etiam potens eſt, ex lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ? Chriſti demum cauſa eſt. Quid furentium aduerſariorum rabiem extimeſcam? illa enim ſola Chriſti vox aduerſus cunctos Religionis hoſtes, tutos, ac intrepidos reddit, qua nos hortatur.
Luc. 12. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Atque vtinam id mihi muneris à Deo profuſcepto hoc ſcribendi labore contingat, vt inter cruces, ignes, gladios, ſuſpendia pro Chriſto vitam merear profundere.

ALTERA quoque ſcribendi cauſa fuit, tot indies pereuntium animarum clades, quas aut ſæua infidelitatis lues, aut truculentior Hæreſum gladius abſumit. Atque id quidem cùm ſtudij mei, atque officij neceſſitas poſtulet, qua animarum ſaluti incumbere, ac Euangelicæ prędicationis miniſterio fungi commiſſum eſt, eò tamen propenſior cura ad ſcribendum fuit, quòd ex plurimorum ſalute (longiùs enim ſcripta, quàm voces pertingunt) cumulatiùs mihi ſatisfacturum, & vberiora animarum lucra me Chriſto relaturum ſperaui.

AT quamuis ea me fraternæ charitatis vis ad ſcribendum compulerit; commouit etiam plurimùm diuina illa, atque aſpera ad Eccleſiaſticos Doctores comminatio, quæ habetur apud Ezechielem c.33.
Ezechiel. 33. *Si ſpeculator viderit gladium venientem, & non inſonuerit buccina, & populus ſe non cuſtodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam, ſanguinem eius de manu ſpeculatoris requiram.* Nos enim quos velut Eccleſiæ ſpeculatores Dominus conſtituit, quibuſque populi inſtruendi, ac fidei tuendæ cura demandata eſt, ſanè ſub æternæ mortis exitio, haud ſegniter, quæ fidei ſunt curare debemus: ne ſi quas fortè noſtra vel iniuria, vel ſocordia antiquus humani generis hoſtis animas prædatus fuerit, ac Hæreſum gladio interemerit, à nobis quàm ſeuerè Deus exigat.

CAETERVM ipſe tuendæ, ac propagandæ fidei æſtus tertia cauſa fuit. Cùm enim decimo abhinc anno, fœlicis memoriæ Clemens VIII. Pontifex max. propagandæ fidei ſtudio accenſus, nonnullos huiuſce noſtræ Religionis inſignis eruditionis viros ad expugnandam Hæreſim ad Geneuanas plagas Thononium deſtinaſſet; inter hos & ego (tametſi nullius meriti, ac nominis) eodem iubente eò me contuli, vbi cùm frequentiſſimè tam priuatis, quàm publicis diſputationibus cum Geneuenſibus, Lauſanenſibus, Bernenſibus, non ſine aliquo animarum lucro fidei certamen initetur: is me fidei ardor, & animarum fames impulit aliquando, vt quam vix inter oppiduli anguſtias fidem tuebamur, longiùs, latiúſque per orbem diſſeminare ſummopere expeterem, quò faciliùs illos qui voce, ac diſputatione ad fidem pertrahi non poterant, abſentes ſcripto lucrifacerem.

POSTREMA tandem, quæ, vt operi manum admouerem, ratio impulit, ea fuit, quòd ſacræ Religioni irrogatam ab aduerſariis iniuriam moleſtiſſimè ferrem. Nam cùm eos, quos manifeſtiſſimos veræ Religionis hoſtes quotidie experiebar, Religionis ſibi titulum vſurpare, ac Religionem inflato ore concrepare audirem (id ingenuè fateor) nihil magis indignè ferebam: atque in dies hæc me magis moleſtia angebat, ſolicitabátque, vt aliquo tenui opuſculo veræ Religionis naturam, quo illata ipſi iniuria propulſaretur, aperirem. Verùm enimuerò cùm poſt elapſum annum iam operi manum admouiſſem, id mihi profectò contigit, quod nautis interdum accidere ſolet, qui cùm breue iter nauigio expedire cupiant, ventis vndique flantibus, ac pelago intumeſcente, eò plerumque inſperatò feruntur, vt longa maris itinera carpere cogantur. Imperfecta enim prorſus res agi mihi viſa eſt, ſi rem tantam exiguo opuſculo crederem; quod legentium animos nimia breuitate, ac multarum rerum deſiderio detineret. Mox aliæ præter Hæreſim falſæ Religiones ſeſe menti offerebant, quæ veram Religionem æquè diuexarent, ad

quas

quas expugnandas ipſa me operis ratio propellebat. Vigebat Atheiſmus, Iudaiſmus, Mahometiſmus, idololatria, quæ cùm antiquum cum vera Religione bellum gererent, eo titulo ſolicitabar; vniuerſis bellum indicere, quò veræ Religionis nomen ab iniuſta illarum vſurpatione vindicarem, ac Chriſtianæ, & Catholicæ Religioni redderem. Cùm verò idololatriam iampridem extinctam, Mahometiſmum Religionis ius tantùm armis, non ratione ſibi comparare cernerem; neque vllum illi ſcribendi laborem prodeſſe, ab his quidem abſtinendum duxi: cæterùm aduersùs alias integram rem, tametſi breuiori ſtylo, aggredi in animum induxi.

Id verò iam currentem magis impulit, quòd non exiguam ex hoc meo labore Eccleſiæ Dei vtilitatem acceſſuram ſperarem: illud enim ſæpe mihi in mentem venit, nihil aut iucundius, aut Chriſtianæ Reipub. vtilius vnquam pertractari ſolere, quàm cùm de Religione agitur, aut ſcribitur: & quamquam plurimi ſint, qui de fidei, ac Catholicæ Religionis controuerſiis doctè ac diffusè diſſeruerint, haud tamen inutile eſſe, diuerſa præſertim ratione, ac methodo de iiſdem tractatus inſtituere: id enim mihi perſuadebant illa Auguſtini verba lib. 1. de Trin. c. 3. *Neque enim omnia quæ ab omnibus conſcribuntur, in omnium manus veniunt. Et fieri poteſt, vt nonnulli qui etiam hæc noſtra intelligere valent, illos planiores non inueniant libros, & in iſtos ſaltem incidant. Ideóque vtile eſt, plures à pluribus fieri diuerſo ſtylo, non diuerſa fide, etiam de quæſtionibus eiſdem, vt ad plurimos res ipſa perueniat, ad alios ſic, ad alios autem ſic.* *Auguſt.*

Nam quamuis ea humanæ naturæ vis inſit, vt quemlibet ad Deum tum agnoſcendum, tum colendum propellat: idque nobis à ratione inditum ſit, vt Religionem, qua ad Dei cultum allicimur, ſponte amplectamur: *Clamat enim innata ratio* (ait Laurentius Iuſtin.) *vt quiſque illi ſe ſubiiciat, à quo habet vt ſit*: hoc quippe ſemper hominis proprium fuit, quo vel ſolo, vel certè maximè à cæteris animantibus differt. Attamen quando ſub veræ Religionis ſpecie callidus ſerpens falſam interdum Religionem nobis amplectendam offert: tum id nobis maximè neceſſarium eſt, vt quæ vera, quæ falſa Religio ſit, omni ſtudio inquiramus. Cùm enim ſola hæc à Deo Opt. Max. ad cœleſte Regnum nobis via relicta ſit: quid eſt, in quo magis elaborare mortales omnes oporteat, quàm vt ad veræ Religionis agnitionem, qua ad Deum properant, perueniant? Planè ſicut nihil pernicioſius eſſe poteſt, quàm veram Religionem ignorare, à qua totius ſalutis noſtræ fundamentum pendet: ita nulla res hominibus adeò vtilis, ac neceſſaria eſt, quàm vt veram Religionem addiſcant, qua ſublata omnis Chriſtiani orbis dignitas funditùs euertitur.

Si enim ea quæ in Chriſtiana Religione præcipuam quandam excellentiam, ac gradum ſibi vendicare ſolent, intuemur; fidem cum primis, quæ nos in Dei cognitione ſtabiles conſtituit, neceſſariam agnoſcimus; per quam acceſſum habemus ad Deum, ac velut illi noti efficimur. Ac quid fides homini confert, ſi ea Religione careat, ſine qua & ipſa fides mortua, & exanimis iacet? Quid ſpes commodi, ac vtilitatis afferre poteſt; cùm iis duntaxat cæleſtium bonorum poſſeſſio expectanda ſit, qui vera Religione Deum colunt? Quid tandem charitas ipſa iuuat, quãdoquidem nulla iis charitas ineſſe poteſt, qui vera Religione contempta peregrinum cultum, ac velut Hebræorum more alienum ignem Deo offerunt? Omnis enim ſine vera Religione cultus, quoquo modo Deo exhibeatur, ſuperſtitio eſt, & idololatria: neque enim ſi vera Religio deſit, verus Deus aut agnoſcitur, aut colitur; ſed illum tantummodò impia ſuperſtitione homines proſequuntur, quem ſibi ipſis Gentilium more fingunt.

Veræ igitur Religionis agnitio cùm adeò neceſſaria ſit, vt nullum abſque ea homini bonum relictum ſit: idcirco hac ratione commotus Demonſtrationes veræ Religionis inſtituendas duxi; vt cùm nihil iis vtilius, hoc præſertim tempore, in quo potiſſima de ea diſceptatio ſit, excogitari poſſit, his via aperiatur, quibus omnes ad perfectam veræ Religionis notitiam perueniant. In quo ſanè maiorum

viam ſequuti ſumus, qui fidei ardore compulſi, & rei vtilitate cōmoti de vera Religione ſcripſerunt. Fuerunt enim inter Græcos Ireneus, Iuſtinus, Euſebius Cæſar. Athanaſius, Epiphanius, Damaſcenus. Apud Latinos Tertullianus, Lactantius, Cyprianus, Hilarius, Hieronymus, Auguſtinus, ac plerique alij, qui tum aduersùs Ethnicos, tum aduersùs Iudæos, ac Hæreticos libros de vera Religione conſcripſerunt. Quod igitur illi ſua ætate, vel contra nuper extinctos idolorum cultus, vel pullulantia Hæreſum monſtra præſtiterunt; id nos quoque hac noſtra tempeſtate nouis vndique, ac propè innumeris exurgentibus Hæreticorum ſectis poſt tot clariſſimos viros efficere non inutile iudicauimus.

Caeterum quamquam & hac noſtra tempeſtate viri doctiſſimi non defuerint, qui aduersùs Hæreticos copioſè, ac preclarè ſcripſerunt, inter quos ſunt Nicolaus Sanderus, Thomas Stapletonus, illuſtriſſimus Bellarminus, Gregorius à Valentia, Claudius Sanctius, & alij quamplurimi, hos tamen ſequi præſertim alia via, diuerſaque ſcribendi methodo mihi graue non fuit, neque aliis inutile futurum iudicaui.

Qvamobrem has veræ Religionis Demonſtrationes non quoquo modo, ſed per illius ſymbola tradere volui. Nam cùm nulla alia ad veram Religionem declarandam (ſecluſa Dei reuelatione) expedita nobis via relicta ſit, quàm quæ ex veris illius notis præſcibitur. Scripturas enim à quibus facilè illius cognitio hauriri poſſet, aduerſarij vel non agnoſcunt, vel integras non recipiunt, vel tandem à proprio ſenſu ereptas ad proprios errores detorquent. Hinc neceſſaria ad eam demonſtrandam nobis illius ſymbola viſa ſunt: vt iis perſpectis tanquam obiecto ſpeculo cuiuſque Religionis facies agnoſceretur. Et cui illa velut cognata, ac conſanguinea ritè accommodari exploratum eſſet, ea ſola vera, ac Diuina Religio cenſeretur: ſi quæ ex aduerſo eſſet, cui hæc ſymbola minimè conuenirent; illa Religionis quidem tantùm ſpeciem haberet: falſæ autem ac ementitæ nomen effugere non valeret.

At verò quàm graue hoc demonſtrationis genus cenſendum ſit, id potiſſimùm declarat; quòd eo primùm Apoſtoli in fidei Symbolo, tum Conſtantinopolitanum Concilium, ac ferè omnes antiqui Patres vſi ſunt ad veram Eccleſiam demonſtrandam. Neque hac noſtra tempeſtate deſunt grauiſſimi Doctores, qui hanc demonſtrationis formam, velut grauiſſimam vſurparunt: in his ſunt Thomas Stapletonus, qui præclarè agit de notis Eccleſiæ. Nicolaus Sanderus, Michaël Medina, Robertus Bellarminus, Thomas Bozius, qui ingens volumen de ſignis Eccleſiæ confecit, ac alij quamplurimi.

Svperest igitur, vt quæ ſit operis ratio, explicemus. Magnum (fateor) certamen aggredior, dum non cum Herculea hydra, aut Cerbero tricipiti, quæ Poëtarum figmenta ſunt, ſed aduersùs inferorum monſtra horrenda, ingentia, immania, quæ noui Cerberi inſtar trina fauce in veram Religionem deſæuiunt, decertare propono, quæ etſi diuinis ac humanis ſæpiùs iaculis confoſſa omnino interdum expiraſſe videantur, adhuc tamen rediuiua Dei Eccleſiam oppugnare non deſinunt. Atque ea planè eſſe videntur, quæ Diuinus ille vates Daniel in maxima illa fluctuum agitatione, ac ventorum lucta è mari aſcendere prioribus retrò

Daniel.7. ſæculis proſpexit, cùm ait. *Videbam in viſione mea nocte, & ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno: & quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari, diuerſæ inter ſe.*

Etenim hoc beſtiarum genere ſectarum genus ſignificari, quod in Dei Eccleſiam inſurgit, ac veram Religionem ferino more dilaniare contendit, nonnullis ſacrarum literarum expoſitoribus haud diſſentaneum viſum fuit; qui in hac beſtiarum multitudine impiorum colluuiem contineri ſenſerunt: quò fit, vt paulò acuratiùs harum quatuor beſtiarum natura exponenda ſit, vt ex ea omnibus perſpectum ſit, quod beſtiarum genus Deo opitulante aggredi auſpicamur.

Mare

Mare igitur, quod primo loco nobis conſpiciendum ſe offert, in quo quatuor venti contrariis flatibus inter ſe pugnant, ipſa eſt Dei Religio, quæ non fruſtra mari comparatur, cùm in ea duntaxat veræ fidei profunditas, ſpei ſublimitas, charitatis tandem amplitudo cernatur: in ea quippe Dei veſtigia intuemur, quibus ſeipſum hominibus declarat, Propheta teſte; qui ait. *In mari viæ tuæ, & ſemitæ tuæ in aquis multis.* Hanc ipſe Dei Spiritus cœleſti ſemper lumine perfundit, ac virtute fouet, dicente Moyſe: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, vel vt Septuaginta vertunt, *fouebat aquas.* Hoc tandem illud eſt mare, quod à ventis vndique commoueri aſpicimus: quandoquidem nulla ætas, nullum tempus fuit, in quo ſæua malignorum ſpirituum rabies tranquilliſſimas has veræ Religionis aquas concitatis perſecutionum procellis perturbare deſtiterit. Siue enim naſcentis Eccleſiæ in primo homine Orientem contemplamur, ſiue in Iudaico populo frigidæ admodùm fidei Aquilonem, ſiue feruentem in Chriſto Meridiem, ſiue tandem extremis orbis temporibus illius Occaſum intuemur: velut tempeſtate vndique à quatuor ventis concitata, ſacrum hoc Religionis pelagus agitari nunquam deſiiſſe conſpicimus. *Pſal. 76.* *Geneſ. 1.*

At quid tandem hæc tam grauis Religionis commotio monſtri deſpumauerit, proſequitur Daniel, cùm tria Religionis monſtra inde emerſiſſe affirmat. *Et quatuor beſtiæ grandes* (inquit) *aſcendebant de mari, diuerſæ inter ſe.* Nec tamen cùm nos tres duntaxat, vates quatuor beſtias commemorat, à vate diſcrepamus: cùm enim hæc monſtra tres præcipuas orbis ſuperſtitiones, quæ veram Religionem diuexât, complectantur; nimirum Atheiſmum, Iudaiſmum, & Hæreſim, hoc poſtremum in duo potiſſimùm ſectarum monſtra diuiditur, quæ maximè hac noſtra tempeſtate Eccleſiam deuaſtant, Lutheraniſmum videlicet, & Caluiniſmum. Atque hæc idcirco beſtiæ à vate nuncupantur, quòd à vera Religione diſſita, feralem prorſus, ac beſtialem naturam induerint. Cùm enim hæc quandiu in veræ Religionis gremio alebantur, cœleſtem Religionis ſpeciem geſtarent, vix ab ea diuulſa in matris vitam conſpirare, ac ſe illi hoſtes exhibere cœperunt, mox omni Religionis iure ſpoliata in horrida monſtra degenerarunt. At horribiles illorum formas, quibus varia ipſorum impietas ſignificatur lubet expendere.

Prima *beſtia* (ait) *quaſi leæna alas habet Aquilæ.* En Atheiſmum imprimis, quem vates hoc monſtri genere deſcribit, velut primum in orbe genitum, cuius horrendam metamorphoſim declarat, cùm illum cum leæna comparat, quod inter alia animal ſæuum, ac ferociſſimum eſt: at quod Atheiſmo ſæuius ac ferocius monſtrum? Cùm enim hoc Deo, ac Religione contempta, intimè ſe Leoni illi Tartareo copulauerit, qui & contra Deum inſurgere, & omnem Dei maieſtatem euertere olim omni ſtudio conatus eſt: hinc ſanè non immeritò leænæ nomen ſortitũ fuit, cuius naturam adeò imitatum eſt, vt cùm illa inter omnia animalium genera ferociſſima ſit, hoc in omnem prorſus diuinitatem, ac Religionem immaniſſimum, contra Excelſum pugnet, diuina omnia diſcerpat, ac Dei maieſtatem fera omni peiùs dilaniare contendat: ex quo longè omnia ſectarum genera impietate antecellit. Iam verò quòd immane hoc monſtrum Aquilæ alas gerat, hoc illius leuitatis ſignum eſt: nam quoniam nullo non modò cœleſtis, ſed nec terrenæ ſapientiæ fundamento innititur; nuſquam illi Aquilæ inſtar aut tuta quies, aut certa ſedes eſſe poteſt, ſed ita orbem volitando perluſtrat, vt illius penitus veſtigium ignoretur.

Alterum verò monſtrum ſimile vrſo erat, cui tres dentium ordines in ore ad deuorandum inſeruiebant, atque ei vndique clamabatur, vt ſurgeret, & comederet carnes plurimas. *Et ecce*, ait vates, *beſtia alia ſimilis vrſo in parte ſtetit, & tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius, & ſic dicebant ei: ſurge, comede carnes plurimas.* En horribilem Iudaiſmi faciem, huius monſtri ſimulachro nobis obiectam. Vrſus enim, teſte Plinio, in ſuo ortu deformis eſt, oculis orbatus, ſine pilis, ac ſine cruribus;

bus; at mater ſenſim lambendo, illius deformitatem tollit, ac tandem perfectum reddit. Nulli (vt arbitror) ignotum eſt, quàm ſordida & abiecta fuerint Iudaici populi initia; quàm miſer is in Ægypto fuerit; quot ibi calamitatibus ſub Pharaone affectus; quantis itineris, ac belli incommodis afflictatus, dum peregrinus in Palæſtinam ſibi à Deo in poſſeſſionem promiſſam proficiſceretur, quàm denique in ipſo ſui exordio abiectus, & contemptus fuerit; ita vt inter omnes orbis populos nullus eo deformior videretur. Quod ipſe vates Ezechiel declarat cap. 16. his verbis. *Hæc dicit Dominus Deus Ieruſalem. Radix tua, & generatio tua de terra Chanaam: Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Et quando nata es, in die ortus tui non eſt præciſus vmbilicus tuus, & aqua non es lota in ſalutem, nec ſale ſalita, nec inuoluta pannis. Non pepercit ſuper te oculus, vt faceret tibi vnum de his, miſertus tui: ſed proiecta es ſuper faciem terræ in abiectione animæ tuæ in die, qua nata es.* Hæc enim omnia indicant, quàm deformia ac ſordida fuerint Hebræi populi exordia, antequam ad Regnum aſſurgeret.

Ezechiel. 16.

At verò Deus benigniſſimus blandæ matris officio functus ipſum præclariſſimis donis, ac beneficiis lambendo, fœditatem, ac deformitatem illius abſterſit: vt teſtatur Iſaias c. 66. *Ad vbera* (inquit) *portabimini, & ſuper genua blandientur vobis. Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita ego conſolabor vos.* Quàm verò ingentia hæc beneficia ſint, quæ Deus in Hebræum populum contulit, quibus eum à natalitiis ſordibus vindicauit, ac tandem perfectum, ac præclarum in orbe reddidit, explicat Ezechiel poſt ſuperiora verba, ita ſcribens. *Tranſiens autem per te, vidi te conculcatam in ſanguine tuo, & dixi tibi cùm eſſes in ſanguine tuo, viue. Multiplicatam quaſi germen agri dedi te, & multiplicata es, & grandis effecta, & ingreſſa es, & perueniſti ad mundum muliebrem*: tum poſt pauca. *Laui te aqua, & emundaui ſanguinem tuum ex te, & vnxi te oleo, & veſtiui te diſcoloribus, & calceaui hyacintho, & vnxi te byſſo, & indui te ſubtilibus, & ornaui te ornamento. Et dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum, & dedi inaurem ſuper os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo. Et ornata es auro, & argento, & veſtita es byſſo, & polymito, & multis coloribus. Similam, & mel, & oleum comediſti, & decora facta es vehementer nimis. Et profecisti in Regnum, & egreſſum eſt nomen tuum in gentes propter ſpeciem tuam, quia perfecta eras in decore meo, quem poſueram ſuper te, dicit Dominus.*

Eſai. 66.

Cùm enim Synagoga inter cæteros orbis populos ſimulachrorum cultui deditos, velut ſanguine conſpurcata iaceret, eam Deus pietatis ſuæ oculis aſpexit, & ab iis ſegregatam ad cœleſtem gratiæ vitam vocauit, ipſius ſanguinem Lauit, cùm ſacrificia inſtituit, quibus ea à peccatorum ſanguine mundaretur. Oleo vnxit, cùm legem, ac Prophetas dedit, quibus in bonis ac piis operibus inſtitueretur. Veſtiuit eam diſcoloribus, cùm varias ei ceremonias tradidit, quibus Dei cultum perageret, calceauit hyacintho, cùm illam vero Sacerdotio exornauit. Induit ſubtilibus, cùm in ea Pontificatum ſimul cum legis iudicio coniunxit. Dedit armillam in manibus, & torquem circa collum, quandoquidem illi & bonorum operum meritum, & legis iuſtitiam tribuit. Dedit inaures ſuper os ſuum, & circulos in auribus, In ea ſiquidem Diuini verbi prædicationem, ac legis interpretationem, nec non veram fidem ac Religionem compoſuit. Coronam decoris in capite illius poſuit, cùm ei Regium titulum ac Regni ſtemmata contulit. Ornata eſt auro, & argento, cùm opibus ac dignitatibus à Deo aucta fuit. Veſtita eſt byſſo & polymito, cùm tabernaculum fœderis, ac templum accepit. Similam, & mel, & oleum comedit, cùm Agno Paſchali, ac cæteris illius legis Sacramentis potita fuit: denique tot diuinis, ac præclaris donis Hebræorum Synagoga à Deo aucta ac illuſtrata fuit, vt non immeritò de ea concludat vates, eam decoram factam eſſe vehementer nimis.

At quid illa? Deo relicto, à quo tot præclara beneficia acceperat, vrſi inſtar à Deo

Digitized by Google

adeò omni humanitate ſpoliata fuit, ac feralem propè ferocitatem induit, vt nullum hoc ferocius monſtrum, & magis ad Prophetarum, ac iuſtorum ſanguinem fundendum pręceps viſum fuerit: cuius rei teſtis eſt ipſe Chriſtus apud Matthęum *Mat.23.* c.23. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis veſtris, & perſequemini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum, & altare*, quod etiam illis exprobrat Stephanus Act.7. *Quem Prophetarũ non ſunt perſequuti patres veſtri? & occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu iuſti?* *Act. 7.* Planè negari non poteſt, quin eò vſque hæc ſanguinaria huius monſtri ſitis progreſſa fuerit, vt non vnus tantummodò dentium ordo illi ſatis fuerit, quo Prophetas deuoraret, vel alter, quo Apoſtolos abſumeret; ſed tertium quoque in proprium Meſſiam, ac Dei filium armauerit, cuius nec dum ſanguine expleri potuit. Hinc enim ad declarandam huius monſtri crudelitatem vndique ad illud clamabatur. Surge, comede carnes plurimas. Tanta enim in eo animi atrocitas ac immanitas viget, vt nec vlla calamitate tactum, nec vlla inſontium cæde ſatiatum, ſed omnem prorſus humanitatem repellens, ex intimo pectore aduersùs Chriſtum ſæua odia eructet, atque in Chriſtianam Religionem vndique ſæuitiam deſpumet.

TERTIVM deinde monſtrum ſimile Pardo, cui & quatuor alæ, & bis gemina capita deſeruiebant, de quo Daniel ita ſcribit. *Poſt hæc aſpiciebam, & ecce alia quaſi Pardus, & alas habebat quaſi auis quatuor ſuper ſe, & quatuor capita erant in beſtia, & poteſtas data eſt ei.* Monſtruoſam Lutheraniſmi ſectã aperto ſymbolo demõſtrat. Pardus enim maculoſum animal eſt, ferox, & ad ſanguinem præceps. Iam verò ſi Lutheraniſmi naturam vel leuiter inſpicias, quodnam eo maculoſius animal vnquam fuit, vniuerſis penè vitiorum maculis reſperſum? quod inter ſectarios non infimus Iacobus Andreæ vel inuitus teſtatur, cùm de Lutheranorum motibus ita ſcribit. *Iacobus And. Conc. 4. ad c. 21. Luc.* *Altera pars* (inquit) *& turba Germanorum ſuum quidem locũ verbo Dei, vt prædicetur, tribuit; nulla verò ſentitur in illis morum emendatio: ſed horrenda, Epicuræa, beſtialis illorum vita cernitur in conuerſationibus, compotationibus, cupiditatibus, pompis, & diuini honoris profanationibus, ſiue blaſphemiis. Atque vt totus mundus agnoſcat eos non eſſe Papiſtas, nec bonis operibus quicquam fidere, illorũ etiam operum nullum penitus exercent. Ieiunij loco commeſſationibus, & perpotationibus, nocte diéque vacant; vbi pauperibus benignè facere oportebat, eos deglubunt, & excoriant. Precationes vertunt in iuramenta, blaſphemias, & diuini nominis execrationes: idque tam perditè, vt Chriſtus ne ab ipſis quidem Turcis hodie tantopere blaſphemetur. Demum pro humilitate paſſim regnat apud illos ſuperbia, faſtus, elatio, luxuria veſtium*, &c. En varias monſtri huius Lutherani maculas, quibus non tantùm Pardi naturam imitatur, verùm etiam nomen ipſum ſibi apud Prophetas vendicat: quò fit, vt Lutheranæ factionis ſectariis ritè illa Ieremiæ verba aptari queant, cùm ait. *Ierem.13.* *Si mutare poteſt Aethiops pellem ſuam, aut Pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.*

QVAM verò in veram Religionem ferox, quàm ſæuum, quàm ad ſanguinem præceps hoc monſtrum ſit, teſtis eſt Germania, quam non vno tantùm capite aggredi illi ſatis fuit; ſed ad eam deuorandam, ac (ſi datum fuiſſet) penitùs abſorbendam, quadruplicia capita exeruit, ac totidem ora ſoluit, quibus velut è quatuor angulis antiquam Chriſti Religionem in ea tutò quieſcentem inuaſit, ac penè abſumpſit: nam à dextro quidem angulo aſſurgunt Lutherani Rigidi ſub Matthia Flacco Illyrico duce, à ſiniſtro Lutherani Molles ſub capite Philippo Melãchtone, ab oppoſito Anabaptiſtæ capite Thoma Mũtzero. A poſtremo tandẽ Zuuingliani capite ac duce ipſo Zuuinglio. Ab his quot ciuiũ ſtrages, quot ſanguinariæ cædes, quot cruenta bella aduerſùs Chriſti Eccleſiã excitata fuerint, vt ſanguinaria huius monſtri ſitis cunctis explorata eſſet, nullo præterquã oculorũ teſtimonio opus fuit.

At verò cùm multa capita multiplicem, ac efferatam Lutheraniſmi ſuperbiam, ac crudelitatem demonſtrent, his geminæ auis alæ, quibus monſtrum illud ferebatur, illius leuitatem, ac pluſquam volucris inconſtantiam declarat. Quis enim ignorare poteſt inconſtantiſſimam Lutheraniſmi in ſuis dogmatibus aſſerendis inſtabilitatem? Cùm ea adeò omnibus nota ſit, vt teſtibus Staphilo, Hoſio, Lyndano, Prateolo, ex Lutheraniſmo, velut ex equo Troiano, ducentæ & amplius ſectæ, inter ſe, & à Luthero diuerſæ hactenus prodierint, quæ ab ipſis enumerantur, quæ ſummam huius Pardi Lutherani leuitatem indicant.

Ad quartum tandem, ac poſtremum monſtrum venio, cæteris omnibus prioribus horribilius: quo monſtruoſa Caluiniſmi facies depingitur. Atque hoc quidem monſtri genus, tametſi omnium poſtremum ſit; cætera tamen priora monſtra crudelitate antecellit: quò fit, vt in eo deſcribendo vates diligentiùs ſe habeat, vt accurata ipſius deſcriptione variam, ac multiplicem illius nobis naturam panderet. *Poſt hæc* (ait) *aſpiciebam in viſione noctis, & ecce beſtia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis: dentes ferreos habebat magnos, comedens, atque comminuens, & reliqua pedibus ſuis conculcans: diſſimilis autem erat cæteris beſtiis, quas videram ante eam, & habebat cornua decem.*

Primum igitur monſtrum hoc non modò terribile, ſed & admirabile, atque aliis prioribus fortius, ac robuſtius à vate deſcribitur: quæ ad triplicem Caluiniſmi naturam declarandam pertinent; nam quòd terribilem appellat, hoc ad intrinſecam ipſius naturam referri debet. Neque enim ſi internum huius monſtri genium inſpicias, vllum vnquam poſt aliquot Eccleſiæ tempora hoc aut terribilius, aut immanius monſtrum reperias: atque adeò veræ Religioni infenſum, vt nullum ſeruet modum, nulli furori parcat, nullum non lapidem moueat, quò veram Chriſti Religionem deuaſtet, ac truculentiſſimo ore depaſcat. Denique eò vſque impietatis terribile hoc monſtrum euaſit, vt ait Hilarius lib. 7. de Trinit. *Vt cùm iam Dominum in cœlis ſedentem exemplo Iudæorum, in crucem agere non poſſit; pari tamen infidelitate, hoc eum, quod eſt, deneget; & cùm negare non poſſit, quæ dicta ſunt, tamen dictis non obediens odium impietatis exerceat, verborum lapides iniiciat, & ſi poſſet, de throno ſuo in crucem traheret.* Nemo enim ignorat, quàm feraliter Caluiniana hæc beſtia Chriſtum hominem perſequatur, quot contumeliis afficiat, ac illius Diuinitatem quot modis dilaceret; ita vt ipſum quodammodo de cœlo deturbare velle videatur: quod fusè nos in ſecundo tomo explicabimus.

Hilarius lib. 7. de Trin.

Cæterum ſi quibus greſſibus in orbem aſcenderit, intuemur; eo ſanè cunctis admirabile videri debet. Nam cùm horribile Religionis ſit monſtrum, Religionis tamen faciem, ac ſimplicitatem ſimulat, ſanctitatem præ ſe fert, errorum venena ſub Scripturarum melle haurienda propinat. *Neque enim* (vt monet Hieronymus in comm. in Epiſt. ad Titum 1.) *ſine Scripturarum veritate garrulitas Hæreticorum haberet fidem, niſi videretur peruerſam doctrinam etiam Diuinis teſtimoniis roborare.* Quid hoc monſtro admirabilius? Puriſſimum Dei verbum polliceri ſolet; veram fidei doctrinam iam multis retrò ſæculis deliteſcentem ſibi diuinitùs reuelatam iactat: ad puriſſimos Euangelij fontes Chriſtianam Religionem iampridem extinctam reformandam prædicat: cùm tamen Euangelij corruptor, veræ fidei ac Religionis hoſtis, ac tandem fraudulentus Diuini verbi ſit caupo: de quo ita ſcribit Ignatius. *Sunt enim quidam vaniloqui; & mentis ſeductores; non Chriſtiani, ſed Chriſtum mercantes, in fraudem circunferentes nomen Chriſti, & cauponantes verbum Euangelij, & erroris venenum blando alloquio implicantes, tanquam mulſo cicutam temperantes, vt qui biberit, dulciſſimi ſaporis guſtu deceptus incauta morte transfigatur. Monet quiſpiam antiquorum, vt nemo bonus dicatur, qui bono malum permiſcuerit. Nominant enim Chriſtum, non vt Chriſtum prædicent, ſed vt Chriſtum improbent, nec legem conſtituant, ſed vt legi contrarium annuncient.* Hoc illud verſipelle monſtrum eſt, quod lupum ſub ouina pelle contegit,

Hieronymus in Epiſt. ad Tit. 1.

Ignatius.

vt

vt cùm ſeſe diuinæ legis ſententiis, velut quibuſdam velleribus obuolueril, qui lanarum mollitiem præſentiunt, nequaquam dentium aculeos perrimeſcant: quapropter Clemens Rom. Conſtir. Apoſtol. lib. 6. c. 18. illius naturam deſcribens,air. *At hi ſunt, de quibus Dominus acerbè, & rigidè pronunciauit, eſſe Pſeudochriſtos, & falſos magiſtros, qui in Spiritum gratiæ blaſphemi fuerunt, & donum eius poſt gratiam contumelioſè aſpernati ſunt: quibus neque in hoc ſæculo, neque in futuro remittetur: qui magis impij ſunt, quàm Iudæi, & magis ſine Deo, quàm Gentiles, qui ſummum Deum vniuerſi Præſidem blaſphemiis inſectantur, & filium eius conculcāt, ac in doctrinam Spiritus ſancti deſpuunt, qui ſermones Dei negant, aut approbare ſe ſimulant in contumeliam Dei, & ad decipiendum eos, qui ipſos adeunt, quique Scripturis ſanctis contumeliam inferunt, & quidnam ſit iuſtitia, ignorant; qui Eccleſiam deuaſtant, vt praua vulpes vineam.*

Clem Rom.

DEMVM tot artibus terribile hoc Caluinianum monſtrum orbi admirabile ſe præbet, vt planè mirum non ſit, ſi pleroſque ſub veræ Religionis, ac noui luminis ſpecie incautos fallat, quò fit, vt de illo præclarè dixiſſe videatur Cyprianus. *Diabolus, quos detinere non poteſt in via veteris cæcitate, circunſcribit, & decipit noui itineris errore, rapit de ipſa Eccleſia homines, dum ſibi appropinquaſſe iam lumini, atque euaſiſſe ſæculi noctem videntur, alias neſcientibus tenebras rurſus infundit, vt cum Euangelio Chriſti, & obſeruatione eius, & lege non ſtantes, Chriſtianos ſe vocent: & ambulantes in tenebris habere ſe lumen exiſtiment, blandiente aduerſario, atque fallente, qui ſecundùm Apoſtoli vocem transfigurat ſe in Angelum lucis, & miniſtros iuſtitiæ, aſſerentes noctem pro die, interitum pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpei, perfidiam ſub prætextu fidei, Antichriſtum ſub vocabulo Chriſti; vt dum veriſimilia mentiuntur, veritatem ſubtilitate fruſtrentur.* Hinc eſt, quòd ſibi apud Chriſtianos Principes robur, ac fortitudinem parat, dum eorum ſe armis tuetur, potentia roborat, & Religionis ſpecie deceptos aduersùs fidem, ac Religionem ad prælia armat. Nam quod olim in Arriana Hæreſi factum eſſe deplorat Hieronymus, id in Caluiniſmo quotidie euenire, non abſque ingenri mœrore cernimus. *Horret animus* (inquit Hieronymus) *temporum noſtrorum ruinas proſequi, viginti eò ampliùs anni ſunt, quòd inter Conſtantinopolim, & Alpes Iulias, quotidie Romanus ſanguis effunditur, Schytiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Theſſalonicam, Achaiam, Epiros, Dalmatiam, cunctáſque Pannonias Gotthus, Sarmata, Alanus, Hunni, Vandali, ~~Marcomanni vaſtant~~, trahunt, rapiunt. Quot matronæ, quot virgines Dei, & ingenua, nobiliáque his belluis fuère ludibrio? capti Epiſcopi, interfecti Presbyteri, & diuerſorum officia clericorum. Subuerſæ Eccleſiæ, ad altaria Chriſti ſtabulati equi, Martyrum effoſſæ reliquiæ, & plurima mortis imago,* &c.

Hieronym.

AT Arrianiſmo nihilo mitiorem, ſed multis titulis longè trueulentiorem eſſe Caluiniſmum res ipſa clamitat; cuius ſi crudelitates, Phalariſmos, atque immaniſſimas rabies tam aduersùs Catholicam Religionem, quàm res Diuinas & ſacras proſequi vellem, ingens volumen edendum eſſet. Attamen ex iis, quæ Franciſcus Romulus in reſponſione ad quandam Apologiam pro ſucceſſione Henrici Nauarræi in Francorum Regnum de hac re ſcribit, facilè perſpicere valemus, quàm longè immaniſſimum hoc Caluiniſmi monſtrum alia omnia immanitate antecellat. *Quis neſcit* (ait) *quot ſacra Templa, quot Monaſteria, quot Pagos, quot oppida ſpoliauerint, ac diripuerint Caluiniſtæ? Quot in locis altaria euerterint, ſacra vaſa profanauerint, imagines Chriſti, & Sanctorum confregerint, Reliquias effoderint, exuſſerint, in flumina, & in cloacas abiecerint: quàm ſæpe corpus ipſum, & ſanguinem Dominicum ad terram ſparſerint, pedibus conculcauerint, canibus abiecerint, globulis tormentariis petierint? Quid verò de cædibus horrendis, & immaniſſimis dicam? nónne infantes (vt olim Arriani) medios diuiſerunt? nónne Sacerdotum vultus excoriauerunt? nónne eorum capita vno ictu in duas partes ſecuerunt? nónne auriculas Eccleſiaſticorum pro torquibus, & monilibus geſtauerunt? nónne quibuſdam viuentibus, & videntibus viſcera lento tractu explicauerunt?* &c. Plura alia, & longè atrociora commemorant liber inſcriptus de furoribus Gallicis, alter in-

Franciſcus Romulus.

De furor. Gallicis

¶¶ ſcriptus

Theatrum crudel. noſtri temp. *Tom. Bur-chior.* *Anton. Poſ-ſeuin.*

ſcriptus Theatrum crudelitatum noſtri temporis, Thomas Burchior Anglus in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica. Libellus Pariſienſis de iuſta abdicatione, &c. Antonius Poſſeuinus in Epiſtola ad Stephanum Batoreum Poloniæ Regem, quæ huius Caluiniſtici monſtri crudelitatem, ac immanitatem declarant.

IAM verò quòd monſtrum hoc dentes ferreos in ore geſtet, quibus vniuerſa comedat, & comminuat; hoc illi ſingulare eſt, gemina vi ad veram Religionem oppugnandam armari: neque enim beſtiarum more ferinis tantùm dentibus ad Dei cultum dilacerandum fertur, quod propriam, atque innatam ſibi ex ſua impietate aduerſùs Dei Religionem vim adeſſe indicat: verùm, vt eò magis rabiem ſuam in eam conceptá exerceat, illos ferro armat, vt cui vires propriæ ad illá debellandá nõ ſufficiunt, bellorum tumultus opitulentur, & quam tranquillis rebus oppugnare non poteſt, ſaltem excitato Marte perturbet. Hoc enim cùm cunctis Hæreſibus, tum maximè Caluinianæ proprium, ac legitimum eſt, vt quæ in pace languet, ac dilabitur, inter arma reuiuiſcat, & vim ad ſeipſam propugnandam accipiat. Atque ita tandem fit, vt ferreo, ac Martiali hoc dente cuncta Religionis eximia opera deuoret, pietatem, Religionem, fidem, legum obſeruantiam pedibus conculcet, ac tandem quicquid in Religione ſanctum, quicquid impollutum eſt, impia ſuperſtitione labefactatum relinquat. Denique ſi quis Diabolicam huius monſtri ſuperbiá, qua gignitur, alitur, proficit, excreſcit, innumeráſque illius fraudes, verſutias, dolos, & mille nocendi artes, quibus veram Religionem appetit, animo reuoluat: his planè decem illa cornua ſignificari non improbè ſentiet, quibus veram Chriſti Eccleſiam ventilat.

EN igitur qualia monſtra appetimus, ad quæ ordine ſuo profliganda, non tam humana, quàm diuina tela paramus, eáque duntaxat, quæ ad notum vnũquodque confodiendum apta ſunt. Neque enim vno duntaxat armorũ genere certandum eſt, vbi diuerſa propemodùm monſtra varium certaminis genus efflagitant. Quapropter primum Atheiſmi monſtrum, quod omnẽ tum Scripturarum, tum Patrum auctoritatem reiicit, naturæ telis, ac Philoſophorũ duntaxat adhibitis teſtimoniis confodiemus: Hebraiſmum verò, quandoquidem ex Diuinis antiqua tantùm legis volumina recipit, iis duntaxat eundem expugnabimus. Poſtrema tandem Hæreſeos monſtra, quæ nullas (paucis exceptis) Scripturas repellunt, ac ſeipſa Patrum interdum auctoritatibus muniunt, Scripturis, nec non Patrum teſtimoniis, Deo fauente, ac nobiſcum pugnante debellabimus.

OPVS verò Demõſtrationes Symbolorũ veræ, & falſæ Religionis idcirco inſcripſimus, vt ex ipſo titulo omnibus perſpectum ſit, quo Demonſtrationum genere in eo potiſſimùm vſi ſumus ad veram Religionem declarandam. Neque enim parum me Chriſtianæ Reip. profuturum exiſtimaui, ſi poſt tot clariſſimos, ac erudiriſſimos viros, qui eam in Catholica Religione tuenda egregiam operam nauarunt, quam agrorum cultores in effodiendis zizaniis, ac ſerendis agris adhibere ſolent: quibus ea potiſſimùm cura fuit, vt ab Eccleſiæ agro peſtifera Hæreſum zizania euellerent, & veræ fidei dogmata quàm diligentiſſimè excolerent, id ego laboris confertem, vt & quæ bene ſata ſunt, integra cuſtodirem, & impiorum dogmatum ſatores à vera Religione procul arcerem: id meliùs, ac faciliùs fieri non poſſe iudicaui, quàm ſi veræ, ac Catholicæ Religionis agrum ſuis legitimis notis ac ſymbolis, quibus ſeipſum à ſectarum incurſione tueri ſolet, velut propugnaculis ſeptum munirem: eá ſiquidem eſt verorum ſymbolorum natura, vt & ſectarum monſtra à vera Eccleſia expellant, & veram Religionem ab illorum vaſtatione liberam, ac ſartam tectam ſeruent: quod Deo imprimis auxiliante, ac Beatiſſima Virgine auxilium exorante, ad ipſius Dei gloriam præſtare pro viribus conabimur.

APPRO

Approbationes Theologorum, qui hoc Opus examinarunt.

EGo Don MICHAEL à Neapoli Ordinis S. Benedicti Caſinenſis legi primum hunc librum, cui titulus eſt, *Demonſtrationes Symbolorum veræ, & falſæ Religionis aduerſus Atheos, auctore R. P. F. Zacharia Bouerio Salutienſi Ordinis Cappucinorum*; & nihil inueni, quod ſit contra Catholicam fidem: & denique contra ea, quæ à Regulis de impreſſione librorum præſcribuntur in Indice librorum prohibitorum, immò dignum cenſeo ob eius eruditionem, vt poſſit publicè typis dari. In cuius rei fidem me ſubſcripſi. Datum Romæ in domo noſtra S. Caliſti tranſtiberina, die 6. Octobris 1615.

DON MICHAEL A NEAPOLI.

APPROBATIO.

EGo F. ALBERTVS Diolaitus Mantuanæ Congregationis ordinis Carmelitarum, Procurator generalis & ſacræ Theologiæ Doctor Bononienſis Collegiatus, legi, & diligenter inſpexi *hunc ſecundũ librum contra Iudæos R. P. Zacharia Bouery Salutienſis ordinis Cappucinorum D. Franciſci*, & in eo nihil reperi, quod ſit contra fidem Catholicam, aut Eccleſiæ ſanctæ ſacra dogmata, aut contra bonos mores, aut contra Regulas Indicis: immò dignum cenſui, vt poſſit typis mandari. In cuius fidem hoc propria manu ſcripſi, & ſubſcripſi. Die 14. Octobris Romæ in Carmelo D. Chryſogoni 1615.

F. ALBERTVS.

APPROBATIO.

QVA potui diligentia, & obſeruatione perlegi hunc primum librum contra Hæreticos, cum eis affixis præfationibus ad totum Opus *Demonſtrationum Symbolorum aduerſus Chriſtianæ Religionis hoſtes, Atheiſtas, Iudæos, & Hæreticos R. P. F. Zachariæ Bouery S. Theologiæ Profeſſoris, Ordinis S. Franciſci Cappucinorum*: nihilque (quoad conſequi poſſum) in eo reperitur vel repugnans, vel inconſonum fidei, doctrinæue Catholicæ, aut bonis moribus. In fidem præſentem dedi, & ſubſcripſi. Romæ in Conuentu Tranſpontinæ Ordinis Carmelitarum. Die 8. Octobris 1615.

F. ANGELVS PALATIVS S. Theologiæ D. Tranſpontinæ Regens.

APPROBATIO.

LVSTRAVI, & examinaui librum, cuius titulus eſt, *Demonſtrationes Symbolorum veræ, & falſæ Religionis aduerſus noſtræ tempeſtatis Hæreticos, auctore R. P. F. Zacharia Salutienſi Ordinis Cappucinorum S. Franciſci*: in quo nihil ſanæ doctrinæ, vel bonis moribus repugnans, immò multa vtilia in confutationem modernarum hæreſum, & fidei Catholicæ propugnationem inueni. Romæ datum in Hoſpitio S. Mariæ ſuper Mineruam. Die 12. menſis Octobris 1615.

F. COSMAS MORELLES S. Theologiæ magiſter ſtudij Prædicatorum Coloniæ Regens.

APPROBATIO.

EGo F. HIERONYMVS de Caſali maiori Ordinis Min. Conuent. Conſultor ſancti Officij Romæ, legi, & diligentia, qua potui, conſideraui contenta in præſenti *libro tertio Demonſtrationum Symbolorum aduerſus Hæreticos*: neque in iis aliquid reperi Catholicæ doctrinæ, aut moribus repugnans. Datum Romæ in Cœnobio noſtro SS. Apoſtolorum, die 5. Octobris 1615.

F. HIERONYMVS Conſultor.

Approbationes Theologorum, qui de mandato admodùm Reuerendi Patris Generalis totius Ordinis Cappucinorum opus examinarunt.

OPVS hoc cui titulus, *De Demonſtrationibus Symbolorum contra Hebræos R. admodùm P. Zachariæ Salutienſis Ordinis Cappucinorum*, iubente Reuerendiſſimo Patre noſtro eiuſdem Ordinis Generali; Ego F. THEODORVS BERGOMENSIS eiuſdem inſtituti profeſſus, & ſacræ Theologiæ lector, vidi diligenter, & perattentè legi, & totum Catholicum reperi, & mira eruditione, & rerum pulcherrimarum varietate contextum deprehendi, vt periucundum, ac mirum in modum vtile omnibus fore exiſtimem, ſi in lucem prodeat, & in omnium manibus verſetur. Datum Mediolani in noſtro Monaſterio Conceptionis B. Virginis, die 2. Octobris 1614.

F. THEODORVS BERGOMENSIS.

¶¶ 2 APPRO

APPROBATIO.

EGO F. POLICARPVS à Parma Ordinis Min. Cappucinorum nuncupatorum. De mandato Reuerendiſſimi P. Patris Pauli à Ceſena totius Ordinis noſtri Generalis, legi, & attentè percurri *librum primum Demonſtrationum Symbolorum aduersùs Atheos, & tres libros aduersùs noſtra tempeſtatis Hæreticos, auctore R. P. Zacharia Bouerio Saluzienſi eiuſdem Ordinis noſtri Theologie profeſſore*: vniuerſáque in eis comperi non ſolùm veræ fidei, & orthodoxæ Religioni, nec non optimis moribus conſona: ſed etiam mira pietate, ac eruditione referta. Quapropter illos prælo digniſſimos iudico. Datum in Conuentu noſtro Argentæ Cal. Iunij Anno, 1615.

F. POLICARPVS A PARMA.

Facultas admodùm R. P. Generalis pro Impreſſione operis.

OPVS *Demonſtrationum Symbolorum veræ, & falſæ Religionis aduersùs Atheiſtas, Iudæos, & Hæreticos à Patre F. Zacharia Bouerio Saluzienſi noſtri Ordinis Concionatore in quinque libros diſtributum*, & à F. THEODORO BERGOMANSI ſacræ Theologiæ Lectore, nec non à P. F. Policarpo Parmenſi Concionatore de mandato noſtro reuiſum, & approbatum, & dignum quod in lucem prodeat, ad communem vtilitatem iudicatum, tenore præſentium typis mandari concedimus, obtenta in primis eorum, ad quos ſpectat, licentia iuxta ſacroſancti Tridentini Conc. decreta, & ſeruatis omnibus ſeruandis. In quorum fidem, &c. Datum in loco noſtro Sancti Bonauenturæ. Romæ die 28. Iunij, 1615.

F. PAVLVS A CESENA.

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE in ſacra Theologia Magiſter; in ſancti Pauli huiuſce Ciuitatis Canonicus, atque in hac Lugdunenſi Diœceſi à Domino D. Dionyſio Simone de Marquemont Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Archiepiſcopo librorum Cenſor deſignatus: fidem facimus, nos has *Demonſtrationes Symbolorum veræ, & falſæ Religionis aduersùs præcipuos ac vigentes Catholicæ Religionis hoſtes, Atheiſtas*, &c. *Auctore F. Zacharia Bouerio Saluzienſi*, &c. euoluiſſe; nihilque in iis à fide Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ Eccleſiæ alienum, ſed omnia ſanctis Patribus, & Doctoribus ſacris conſona, atque ſingulari ingenij dexteritate, & eruditione elaborata inueniſſe. Lugduni apud ſanctum Paulum Cal. Octob. 1616.

DEVILLE.

R. D. D. Thomæ de Meſchatin la Faye, huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus, & Camerarius Eccleſiæ Lugdunenſis, & Vicarius Generalis in Archiepiſcopatu Lugdunenſi: Opus inſcriptum, *Demonſtrationes Symbolorum veræ, & falſæ Religionis aduersùs præcipuos ac vigentes Catholicæ Religionis hoſtes, Atheiſtas*, &c. *Auctore F. Zacharia Bouerio Saluzienſi*, &c. vt in lucem edatur facultatem concedo. Lugduni 3. Octobris 1616.

MESCHATIN LA FAYE.

Summa Priuilegij à Chriſtianiſsimo Galliarum Rege conceſsi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate ſancitum eſt, atque patentibus Literis cautum, ne quis in Regno ſuo, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decem, à die impreſſionis primæ inchoandos, ac numerandos excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo, & ratione conetur librum, qui inſcribitur, *Demonſtrationes Symbolorum veræ, & falſæ Religionis aduersùs præcipuos, ac vigentes Catholicæ Religionis hoſtes, Atheiſtas*, &c. *Auctore F. Zacharia Bouerio Saluzienſi*, &c. præter HORATIVM CARDON Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos, quibus ipſemet conceſſerit. Prohibitum inſuper eâdem auctoritate Regiâ omnibus ſuis ſubditis, eundem librum extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac inſtigare ſine conſenſu dicti HORATII CARDON. Idque omne ſub confiſcatione librorum, aliiſque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Turonibus die 19. Aprilis 1616.

De mandato Regis.

Signatum.

BERRVYER.

AVCTORVM IN HOC PRIMO TOMO CITATORVM DVPLEX INDEX.

Primus tam profanos, quàm ſacros Scriptores complectitur: alter verò Hebræos, & Hæreticos, vel ſuſpectæ fidei auctores comprehendit.

A

Adrianus Finus.
Æneas Syluius.
Æneas Gazeus.
Ægidius.
Algazelus.
Alexander Aphrodiſæus.
Aloiſius Lippomanus.
Alcinous Platonicus.
Alphonſus à Caſtro.
Alcuinus.
S. Ambroſius.
Ambroſius Ansbertus.
Amelius.
S. Anſelmus.
Andreas Philopater.
Anaxagoras.
Anaximenes.
Antipater.
Angelomus.
Andreas Vega.
Apuleius Mediamenſis.
Aratus.
Arnobius Rhetor.
Archita.
Archelaus.
Ariſtoxenus.
Arias Montanus.
Ariſtoteles.
Aſclepiades.
Aſclepius.
S. Athanaſius.
S. Auguſtinus.
Auicenna.
Aulus Gellius.
Auerroës.
Auenazra.
Auguſtinus Steuchus.

B

S. Baſilius.
Baba Moziba.
Bachiarius.
S. Bernardus.
Bernardus Lutzemburgus.
Benedictus Pererius.
Beda.
Bias Prieneus.
S. Bonauentura.
Bredembachius.
Brixianus.

C

Caietanus.
Calcidius.
Caſſiodorus.
Cæſar Baronius.
Cæſarius Heiſterbachius.
Cæſarius Arelatenſis.
Chitreas.
Chryſippus.
Clemens Alexandrinus.
S. Clemens Romanus.
Claudianus.
Clenates.
Cornelius Tacitus.
Colophonius.
Critolaus.
Critias.
Crates Thebanus.
S. Cyprianus.
S. Cyrillus Alexandrinus.
S. Cyrillus Hieroſolymitanus.

D

S. Democritus
Dionyſius Areopagita.
Diogenes Apolloniates.
Diogenes Laërtius.
Dionyſius Carthuſianus.
Dominicus Bannes.
Durandus.

E

Elias Creteoſis.
Empedocles.
S. Epiphanius.
Epictetus.
Eucherius Lugdunenſis.
Euripides.
Euſebius Cæſarienſis.
Euthymius.
Eymerius.

F

Fauſtus Regienſis.
Ferrarienſis.
Flauianus.
Fulgentius.

G

Gabriel Biel.
Galatinus.
Gagneius.
Genebrardus.
Gennadius.
Gloſſa Ordinaria.
S. Gregorius Nazianzenus.
S. Gregorius Nyſſenus.
S. Gregorius Thaumaturgus.
S. Gregorius Magnus.
Gregorius Turonenſis.
Gregorius de Valentia.
Guillelmus Roſeus.
Guillelmus Aluernus.
Guillelmus Ocham.
Guido.

H

Hector Pintus.
Heraclitus.
Heſiodus.
Heraclides Ponticus.
Herodotus.
S. Hieronymus.
S. Hilarius.
Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus.
Hilarius Arelatenſis.
Hippocrates.
Homerus.
Horatius.
Honorius Auguſtodunenſis.
Hugo de ſancto Victore.
Hugo Prattenſis.

I

Iacobus de Valentia.
Iamblicus.

¶¶ 3 S. Igna

INDEX AVCTORVM.

S. Ignatius.
Innocentius III.
Innocentius Gentilletus.
S. Ioannes Damaſcenus.
Ioannes Scotus.
Ioannes Baptiſta Gellus.
Ioannes Duns Scotus.
Ioannes Philoponus.
Ioannes Caſſianus.
Ioannes Carachnzenus.
Ioannes Theſſalonicenſis Epiſcopus.
Ioannes Antonius Menauious.
Ioannes Gerſon.
Ioannes Villanus.
Ioannes Cochlæus.
S. Irenæus.
Iſidorus Hiſpalenſis.
Iſidorus Peluſiota.
S. Ioſtinus Martyr.
Iulianus Pomerius.
Iulianus Toletanus.
Iolius Syrenius.
Iuuenalis.

L

Laurentius Surius.
Lactantius.
Leo III.
Leo Magnus.
Leo à Caſtro.
Leucippus.
Linus.
Lucanus.

M

S. Maximus.
Marcus Tullius Cicero.
Martialis.
Marcus Varro.
Macharius Ægyptius.
Marſilius Ficinus.
Maximus Taurinenſis.
Mercurius Trimegiſtus.
Meliſſus.
Methodius.
Michaël Medina.
Michaël Glycas.
Milo Crotoniates.

N

Nemeſios.
Nicolaus de Lyra.
Nicolaus Eymericus.
Nilos Abbas.
Numenius.

O

Oecumenius.
Optatus.
Origenes.
Orpheus.
Ouidius.

P

Pagninus.
S. Paulinos Nolanus.
Parmenides.
Pacianus.
Paulus Diaconus.
Panætius Stoicus.
Paulinus Aquileienſis.
S. Petrus Chryſologus.
Petrus Galatinus.
Petrus Gregorius Tholoſanus.
Petrus Trigoſius.
Petrus Alphonſus.
Petrus Cluniacenſis.
Philo Carpathius.
Philo Iudæus.
Phocyllides.
Phænices.
Phauorinus.
Pherecides.
Philolaus Pythagoreus.
Picus Mirandulanus.
Pindarus.
Plato.
Plutarchus.
Plotinus.
Pletho.
Plinius.
S. Polycarpus.
Poſſidonius.
Pomponatius.
Proclus Platonicus.
Proponides.
Proſper.
Primaſius.
Procopius Gazeus.
Protocollus Francorallenſis.
Prothagoras Abderites.
Prudentius.
Pſellus.
Ptolemæus.
Pythagoras.

R

Rabanus Maurus.
Remigius Antiſiodorenſis.
Regino Prumienſis.
Richardus.
Robertus Bellarminus.
Ruffinus.
Rupertus Abbas.

S

Scaliger.
Seneca.
Septuaginta Interpretes.
Septimius.
Seuerinus Boëtius.
Sigebertus.
Simonides.
Sinesicus.
Sixtus Senenſis.
Simplicius.
Sophocles.
Solon.
Socrates.
Speuſippus.
Staniſlaus Reſcius.
Strabo.
Stobæus.
Suetonius.
Suidas.
Sulpitius Seuerus.

T

Tertullianus.
S. Thomas.
Thomas Argentinas.
Theodoretus.
Theophilus Alexandrinus.
Theophilus Antiochenus.
Thales Mileſius.
Theoditus.
Theodorus Philoſophus.
Titus Buſtrenſis.
Toletus.
Toſtatus.

V

Virgilius.
Volaterranus.

X

Xantes Pagninus.
Xenocrates.
Xenophanes.

Z

Zeno Philoſophus.
Zeno Veronenſis.
Zonaras.
Zuroaſter.

INDEX

Digitized by Google

INDEX SECVNDVS, QVI TAM HEBRÆOS, QVAM HÆRETICOS VEL SVSPECTÆ fidei auctores complectitur.

A

R. ABba.
R. Aben.
R. Abhu.
R. Abraham Auenazra.
R. Alpheſi.

B

R. Barrachias.
Bereſcit Ketanni.
Bereſcit Rabba.
H. Beza.

C

Chaldæus Paraphraſtes.
R. Chahadias.
R. Chaninin.

D

H. Dauid Georgius.
R. Dauid Kimhi.

E

Echa Rabethi.
R. Eleazar.

G

Gloſſa Pſalterij.
Gloſſa Hebraica.

H

R. Haccados.
R. Hauehu.
H. Henricus Stephanus.
H. Henricus Bullingerus.

I

R. Iacob.
R. Ioſeph Albo.
R. Iordan.
R. Ionathas Benahoziel.
R. Ioſes Galilæus.
R. Ioſeph Cæcus.
R. Iohanam.
H. Ioannes Caluinus.
R. Iſaac Arama.
R. Iſaac Abuhad.

K

R. Kibba.

L

Liber Taanit.
Liber Tanhuma.
Liber porta lucis.

M

H. Martinus Lutherus.
R. Manahem Sioni.
R. Mardochai.
R. Meir Bengabhoi.
Midras Thellim.
Midras Haſchirim.
Midras Coheleth.
H. Montanus.
R. Moyſes Hadarſan.
R. Moyſes Galilæus.
R. Moyſes Ægyptius.

N

Natan.
Nadarim.

O

Onkelos.

P

Paraphraſis Chaldaica.
H. Petrus Martyr.
H. Porphyrius.

S

R. Salomon.
R. Samuël.
R. Simeon Beniohai.
H. Stephanus Brulet.

T

Thalmud.

V

H. Vigandus.
H. Vigiſtus Anglus.
H. Viretus.

Digitized by Google

INDEX TOTIVS OPERIS.

Opus duobus Tomis comprehenditur.

PRIORIS TOMI LIBRI DVO.

Primus contra Atheiſtas.
Secundus aduersùs Iudæos.

POSTERIORIS TOMI LIBRI TRES aduersùs Hæreticos.

Primus de Demonſtrationibus Symbolorum veræ Religionis in genere.
Secundus de examine ſectæ Lutheranæ, & Caluinianæ ad propoſita Symbola.
Tertius de Demonſtrationibus Symbolorum Romanæ Religionis in ſpecie.

INDEX

Digitized by Google

INDEX DEMONSTRATIONVM, ET ARTICVLORVM HVIVS PRIMI TOMI.

Liber primus contra Atheiſtas.

Quæſtio Prolegomena.

An vera Religio poſſit demonſtrari per ſymbola.

Demonſtratio prima generalis primi ſymboli.

De neceſſaria Dei exiſtentia.

Art. I. QVin ſit Atheiſmus, quæ illius origo, & cauſæ.
II. Quàm latè Atheiſmus per orbem pateat.
III. An Atheiſtæ ignorare poſſint Deum eſſe.
IV. Deum eſſe demonſtratur primùm ex lumine naturæ.
V. Demonſtratur ſecundò ex rerum creatione per teſtimonia Philoſophorum.
VI. Demonſtratur idem tertiò rationibus.
VII. Soluuntur argumenta Ariſtotelis, & aliorum de æternitate Mundi.
VIII. Refelluntur aliorum argumenta pro æternitate Mundi.
IX. Idem demonſtratur tertiò ex rerum ordine.
X. Demonſtratur idem quartò ex rerum pronidentia
XI. Proponitur, ac refellitur prima Atheiſtarum opinio de caſu & fortuna.
XII. Soluuntur Atheiſtarum obiecta.
XIII. Refellitur ſecunda Atheiſtarum opinio de fato.
XIV. Refellitur fatum Aſtronomicum.
XV. Refelluntur quidam Aſtronomorum influxus, & explicatur Catholica ſententia.
XVI. Refelluntur quędam Prædictiones Aſtronomicæ, & Catholica ſententia declaratur.
XVII. Diluitur obiectio de præſcientia, & voluntate Dei.
XVIII. Deum eſſe demonſtratur quintò ex vniuerſali omnium conſenſu.
XIX. Soluuntur obiectiones Atheiſtarum, ac prima de inuiſibilitate Dei.
XX. Soluitur ſecunda obiectio, & demonſtratur Deum eſſe incorporeum.
XXI. Demonſtratur contra Hæreticos Deum non eſſe corporeum.
XXII. Soluitur 3. Atheiſtarum obiectio, & demonſtratur Deum eſſe ſubſtantiam ſeparatam.

Demonſtratio ſecunda generalis ſecundi ſymboli.

De animarum immortalitate.

Art. I. An neceſſariò ponenda ſit in homine anima intellectiua.
II. An detur anima intellectiua contra Anabaptiſtas.
III. De animarum origine aduersùs Philoſophos.
IV. Demonſtratur rationibus ampliſſimis tam contra Atheiſtas, quàm Anabaptiſtas, rationalem animam eſſe incorpoream.
V. De animarum origine aduersùs Hæreticos.
VI. Explicatur Catholica ſententia de origine animæ.
VII. Demonſtratur animarum immortalitas primò ex Philoſophorum conſenſu.
VIII. Eadem demonſtratur ſecundò contra Hæreticos, primò ex teſtimoniis Scripturæ.
IX. Eadem demonſtratur tertiò ex teſtimoniis Patrum.
X. Demonſtratur quartò animæ immortalitas ampliſſimis rationibus tam contra Atheiſtas, quàm Hæreticos.
XI. Soluuntur obiectiones.

Demonſtratio tertia generalis tertij ſymboli.

De futuro proborum & improborum ſtatu poſt mortem.

Art. I. Certum piarum animarum ſtatum poſt mortem dari, in quo illæ ſummis bonis fruantur, demonſtratur ex Philoſophis contra Atheiſtas.
II. Proponuntur, ac refelluntur variæ Philoſophorum opiniones de animarum beatitudine.
III. Explicatur vera ſententia de animarum beatitudine.
IV. Demonſtratur in quo vera beatitudo formaliter conſiſtat.
V. Proborum aliquorum animas poſt mortem aliquandiu pœnis purgatoriis detineri demonſtratur ex Philoſophis contra Atheiſtas.
VI. Peccata quædam venialia eſſe, alia mortalia demonſtratur contra hæreticos,
VII. Aſſeritur Purgatorium ex teſtimoniis Scripturæ aduersùs Hæreticos.
IX. Idem aſſeritur teſtimoniis Hebræorum, ac rationibus.
X. Sanctorum animas ante extremum Iudiciũ cœlum conſcendere, ac beata Dei viſione frui, demonſtratur contra Hæreticos.
XI. Idem aſſeritur teſtimoniis Patrum, & rationibus.
XII. Corporum reſurrectio demonſtratur primò ex Philoſophis contra Atheiſtas.

XIII. Eadem

XIII. Eadem demonſtratur ex Scripturis contra Hæreticos.
XIV. Eadem demonſtratur tertiò ex conſenſu Eccleſiæ contra Hæreticos.
XV. Eadem demonſtratur quartò rationibus.
XVI. Demonſtratur gloria corporum.
XVII. Dari improborum ſtatum poſt mortem, in quo ij ſupremia malis afficiantur, demonſtratur contra Atheiſtas.
XVIII. Idem demonſtratur aduersùs Hæreticos.
XIX. De loco,& ſitu inferni contra Hæreticos.
XX. De numero & veritate pœnarum contra Hæreticos.

Liber ſecundus aduersùs Iudæos.

Demonſtratio prima generalis.

De Meſſiæ Diuinitate.

Art. I. De primi hominis lapſu.
II. De culpæ originalis in omnes homines trãſfuſione.
III. An neceſſe fuerit hominem poſt lapſum reparare.
IV. An ad hominis lapſi reparationem neceſſaria, aut conuenïens fuerit incarnatio verbi Dei.
V. An verbi diuini incarnatio fuerit poſſibilis.
VI. Soluuntur argumenta Iudæorum contra poſſibilitatem incarnationis.
VII. Demonſtratur Diuinitas Meſſiæ primùm ex Scripturis.
VIII. Eadem demonſtratur ex nominibus, quibus Meſſias in Scripturis appellatur.
IX. Eadem demonſtratur ex traditione veterum Hebræorum.
X. Eadem demonſtratur rationibus.
XI. Demonſtratur duplex natura Meſſiæ, diuina ſcilicet,& humana, in vnico ſuppoſito copulata.
XII. Meſſiæ munus propriè ad filium Dei ſpectare demonſtratur rationibus ex Scriptura depromptis.
XIII. Trinitatis diuiniſſimæ myſterium demonſtratur primùm ex Philoſophis.
XIV. Idem demonſtratur ex Scripturis.
XV. Idem demonſtratur ex traditionibus Hebræorum.
XVI. Demonſtratur concordia vnitatis Eſſentiæ cum Trinitate diuinarum Perſonarum.

Demonſtratio ſecunda generalis.

De Meſſiæ aduentu iam præterito.

Art. I. Quòd promiſſiones de futuro Meſſia in lege expreſſæ, non carnaliter, ſed ſpiritualiter ſunt intelligendæ.
II. Meſſiam iampridem veniſſe demonſtratur primò ex ſcripturis, quæ Meſſiæ aduentui tempus præſcribunt.
III. Idem demonſtratur ex ſubiectione Romani Imperij iuxta Danielis vaticinium, & vniuerſali Regno Chriſti.
IV. Idem oſtenditur ex ſeptuaginta Hebdomadarum (iuxta Danielis oraculum) tempore iam elapſo.
V. Idem demonſtratur ex Aggæi vaticinio, & deuaſtatione ſecundi templi.
VI. Idem aſſeritur ex Oraculorum defectu, & ſimulachrorum ruina.
VII. Demonſtratur idem ex abrogatione legis,& circumciſionis.
VIII. Idem poſtremò demonſtratur ex veterũ Hebræorum teſtimoniis.
IX. Soluuntur argumenta recentiorum Iudæorum Meſſiæ aduentum iam præteritum impugnantia.

Demonſtratio tertia generalis.

De Ieſu Chriſto Meſſia.

Art. I. Ieſum Chriſtum verum eſſe Meſſiam demõſtratur primùm ex Iacob Patriarchæ, Danielis,& Aggæi vaticiniis.
II. Demonſtratur ſecundò ex duodecim ſignis Meſſiæ, ex veteri Scriptura depromptis.
III. Demonſtratur tertiò ex aliis duodecim ſignis hauſtis ex Paſſione Meſſiæ à Prophetis prænunciata.
IV. Demonſtratur quartò rationibus.
V. Demonſtratur quintò teſtimonio ſignorum, quæ Iudæis acciderunt.
VI. Diluuntur obiectiones Iudæorum aſſerentiũ Ieſum noſtrum non eſſe verum Meſſiam.
VII. Deteguntur impietates, & ineptiæ ſectæ Iudaicæ.

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVI LIBRO PRIMO TOMI PRIMI

Demonſtrationum Symbolorum veræ, & falſæ Religionis contra Atheiſtas citantur, explicantur, & illuſtrandis aliis operis locis adducuntur.

In quo numerus ad paginam remittit, litera c. columnam denotat.

EX GENESI.

Cap. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* 20. c. 1
Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. 82. col. 2
Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. 2
Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem 97. c. 2
Plantauerat autem Deus paradiſum voluptatis. 234. col. 2
Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. 64. col. 1
Fiant luminaria in firmamento cæli. 58. col. 2
2. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es.* 230. col. 2
Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. 230. col. 2
Et inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ. Explicatur, & declaratur. 213. col. 2
3. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* 97. col. 1. & 170. col. 2. & 253. col. 2
4. *Sanguis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* 237. c. 1
Nónne ſi bene egeris, recipies: ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit? 101. col. 1
Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. 72. col. 1
6. *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt, eritíque anni illius centum viginti.* Explicatur. 121. col. 2. & 122. col. 2
13. *Erit fœdus meum in carne veſtra, in fœdus æternum.* 276. col. 2
15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* 202. col. 2
18. *Loquar ad Dominum meum cùm ſim puluis, & cinis.* 97. col. 1.

EX LIBRO EXODI.

Cap. 3. *Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, hoc nomen mihi eſt in æternum, & hoc memoriale meum in generatione, & generationem.* Locus iſte explicatur. 99. col. 2. 14. col. 2
23. *Veni, oſtendam tibi omne bonum.* 187. col. 1
Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & viuet. 80. col. 2
Videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris. 80. col. 2

EX DEVTERONOMIO.

Cap. 18. *Gentes iſtæ diuinos audiunt, tu autem à Domino Deo tuo aliter es inſtitutus.* 66. col. 2
32. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima.* 283. col. 1

EX I. REGVM.

Cap. 1. *Ducã eum vt appareat ante conſpectum Domini, vt maneat ibi iugiter.* 276. col. 2

EX II. REGVM.

Cap. 2. *Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit.* Explicatur. 213
12. *Peccaui Domino. Dixitq; Nathan ad Dauid: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris.* 230. col. 2
Veruntamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus eſt tibi morte morietur. ibid. col. 2.
24. *Percuſſit autem cor Dauid eum, poſtquam numeratus eſt populus, & dixit Dauid ad Dominum. Peccaui valdè in hoc facto, ſed precor, Domine, vt transferas iniquitatem ſerui tui: quia ſtultè egi nimis.* 230. col. 2

EX III. REGVM.

Cap. 10. *Non habebat vltrà ſpiritum.* Explicatur. 122. col. 2.
27. *Domine Deus meus reuertatur obſecro anima pueri huius in viſcera eius. Et exaudiuit Dominus vocem Eliæ; & reuerſa eſt anima pueri intra eum, & reuixit.* 101. col. 1

EX TOBIA.

Cap. 4. *Quoniam eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras.* Explicatur. 98. col. 2
12. *Qui autem faciunt peccatum, hoſtes ſunt animæ ſuæ.* 100. colum. 2
Quia acceptus eras Deo, ideo neceſſe fuit, vt tentatio probaret te. 222. col. 2

EX LIBRO IVDITH.

Cap. 13. *Poſtea verò quàm reſumpto ſpiritu recreatus eſt.* 122. col. 2.
16. *Dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & ſentiant vſque in ſempiternum.* 300. col. 1
Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die iudicij viſitabit illos. 288. col. 2

EX LIBRO ESTHER.

Cap. 13. *Nemo eſt qui voluntati tuæ poſſit reſiſtere.* 71. col. 1

EX IOB.

Cap. 1. *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* 103. col. 1
4. *Cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum ſepeli.* Explicatur. 98. col. 2
Flante Deo periiſſe, & ſpiritu iræ eius eſſe conſumptos. 121. c. 2

6. Qui

6. *Qui timet pruinam, cadet ſuper eum nix.* 56.col.1

7. *Ecce nunc in puluere dormiam, & ſi manè me quæſieris, non ſubſiſtam.* 97.col.1

9. *Qui etiam ſi habuero quippiam iuſtum, non reſpondebo; ſed meum iudicem deprecabor.* 232.col.2

10. *Viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum.* 121.col.2

Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine, terram miſeriæ, & tenebrarum, &c. 284.col.2

Memento quæſo, quòd ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. 97.col.1

11. *Excelſior cœlo eſt, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognoſces?* 214.col.1

14. *Tu quidem greſſus meos dinumeraſti, ſed parce peccatis meis.* 232.col.1

19. *Et in carne mea videbo Deum Saluatorem meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt.* 263.col.1

Scio enim quòd Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, &c. 245.col.2

21. *Et tamen ſimul in puluere dormient, & vermes operient eos.* 97.col.1

Ducunt in bonis dies, & in puncto ad inferna deſcendunt. 101.col.1.

24. *A calore illo nimis tranſibunt ad aquas niuium.* 299.col.2

27. *Donec ſupereſt halitus in me, & ſpiritus Dei in naribus meis.* Explicatur. 12.col.2

31. *Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus, timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* 47.col.1

33. *Spiritus Dei fecit me.* 122.col.1

36. *Morietur in tempeſtate anima eorum.* 100.col.2

Omnes homines vident eum, vnuſquiſque intuetur procul. 16.col.2. 18.col.1

38. *Circumdedi illud terminis meis, & ſolui vectem, & oſtia, & dixi, vſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* 24.col.2

Vbi eras cùm me laudarent aſtra matutina? 88 col.1

Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ? quis concluſit oſtiis mare, quando erumpebat quaſi de vulua procedens? 20.col.1

EX LIBRO PSALMORVM.

Pſal. 4. *Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* 199.col 1

Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. 18 col.2

5. *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* 232.col.1

6. *In inferno autem quis confitebitur tibi?* 283.col.1

8. *Quid eſt homo, quòd memor es eius?* Locus iſte explicatur. 103.col.1

Minuiſti eum paulo minùs ab Angelis. 87.col.2

10. *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.* 100.col.2

Pluet ſuper peccatores laqueos ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum. Explicatur. 273.col.1

13. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* 9.col.1. 74.col.2

14. *Conuertere anima mea in requiem tuam.* Locus iſte explicatur. 119.col.1

16. *Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.* 212.col.2

Satiabor cùm apparuerit gloria tua. 187 col.2

17. *Dolores inferni circumdederunt me.* 214.col.1

24. *Anima eius in bonis demorabitur, & ſemen eius hæreditabit terram.* 101.col.2

30. *Erubeſcant impij, & deducantur in infernum.* 283.col.1

Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum. 239.col.1

32. *Et ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Explicatur. 122.col.2

33. *Guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus.* Explicatur. 198.col.1

34. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* 174.col.2

35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* 189.col.2

Apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Locus iſte explicatur. 198.col.1

36. *Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum, ſicut cedros Libani.* 280.col.1

41. *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* 202.col.1

Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia dij eſtis vos. 66.col.2. 67.col.2

Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? 201.col.2

44. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* 268.col.1

Ego ſum Dominus irrita faciens ſigna diuinorum. 66.col.2

45. *Venite, & videte omnes, qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.* 141.col.1

Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis. 84.col.2

In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis. 121.col.2

Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos. Explicatur. 278.col.2. & 284.col.2

Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. 9.col.1

49. *Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi cùm acceperit me.* Explicatur. 215.col.1

50. *Et peccatum meum contra me eſt ſemper.* 284.col.1

54. *Deſcendant in infernum viuentes.* 283.col.1

65. *Tranſiuimus per ignem, & aquam; & eduxiſti nos in refrigerium.* 231.col.2

69. *Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua.* 18.col.2

72. *Æſtimabam vt cognoſcerem hoc, labor eſt ante me: donec intrem in ſanctuarium Dei, & intelligam in nouiſſimis eorum.* 273.col.2

Quia zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum videns. 273.col.2

74. *Quia calix in manu Domini, vini meri, plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc: veruntamen fæx eius non eſt exinanita: bibent omnes peccatores terræ.* Explicatur. 273.colum.1

83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* 171.col.1

85. *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori.* 273.col.1. & 284.col.2

88. *Si iuſtitias meas prophanauerint, & mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo.* 231.col.2

89. *Lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti; annis quibus vidimus mala.* 231.col.2

98. *Domine Deus noſter tu exaudiebas eos, Deus tu propitius fuiſti eis, & vlciſcens in omnes adinuentiones eorum.* 232.col.1

99. *Niſi quia Dominus adiuuit me, paulò minùs habitaſſet in inferno anima mea.* 101.col.1

101. *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient*: &, *Tu autem Domine in æternum permanes.* 84.col.2

102. *Recordatus eſt quoniam puluis ſumus, homo ſicut fœnum*, &c. 97.col.2

103. *Omnia in ſapientia feciſti.* 76.col.2

Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in nihilum ſuum reuertentur. 81.col.1

Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur. Explicatur. 122.col.1

106. *Qui deſcendunt mare in nauibus facientes operationem in aquis multis, ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ.* 47.col.1

110. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo.* 224.col.1

Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius. Explicatur.

plicatur. 71.col.2
111. *Iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* 261.col.1
113. *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit.* 71. col.1
Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui deſcendunt in infernum. 223.col.2
118. *Priuſquam humiliarer ego deliqui.* Explicatur. 119. col.1
Os meum aperui, & attraxi ſpiritum. Explicatur. 122.col.2
136. *Si deſcendero in infernum.* 283.col.1
137. *In conſpectu Angelorum pſallam tibi.* 87.col.2
138. *Intellexiſti cogitationes meas de longè, ſemitam meam, & funiculum meum inueſtigaſti, & omnes vias meas prænidiſti.* 74.col.2
Quò ibo à ſpiritu tuo, aut quò à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cœlum tu illîc es, ſi deſcendero in infernum, ades. 84.col.2
141. *Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo.* Locus iſte explicatur. 119.col.2
144. *Confiteantur tibi omnia opera tua.* 224.col.1
148. *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.* 47.col.1

EX PROVERBIIS.

Cap. 2. *Lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis.* 284.col.2
6. *Qui autem adulter eſt, propter cordis inopiam perdet animam ſuam.* 100.col.2
8. *Qui autem in me peccauerit, lædet animam ſuam.* 100. col.2.
9. *In profundis inferni conuiuæ eius.* 286.col.1
19. *Parata ſunt deriſoribus ſupplicia, & mallei percutientes ſtultorum corporibus.* 299.col.2.& 300.col.1
23. *Tu virga percuties eum, & animam eius ab inferno liberabis.* 101.col.1
24. *Septies enim in die cadet iuſtus, & reſurget.* 208.col. 2.& 209.col.1
25. *Scrutator maieſtatis opprimetur à gloria.* 9.col.2

EX LIBRO ECCLESIASTÆ.

Cap. 3. *Hominum, & iumentorum ſimilis eſt interitus, & æqua vtriuſque conditio.* Locus iſte explicatur. 266.col.2
7. *Non eſt enim homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* 209.col.1
Gratia doni in conſpectu omnis euentus, & mortuo non prohibeas gratiam 216.col.2
8. *Qui multis vtitur verbis, lædet animam ſuam.* 100.col.2.
Homo ignorat præterita, & futura nullo ſcire poteſt nuntio. 66.col.2
10. *Homo ignorat præterita, & quid poſt ſe futurum ſit, quis poterit indicare?* 66.col.2
12. *Reuertatur puluis in terram ſuam, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Explicatur. 99.col.2.& 115.c.2. & 121.col.2.

EX CANTICO CANTICORVM.

Cap. 4. *Veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* 51.c.1

EX SAPIENTIA.

Cap. 1. *Talia dixerunt in infernò ij, qui peccauerunt.* 101. col.1
Os quod mentitur, occidit animam. 100.c.2
2. *Inuidia autem diaboli mors introiuit in Orbem terrarum; imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius.* 141.c.2.
Hæc cogitauerunt, & errauerunt: excæcauit enim illos malitia eorum, & neſcierunt Sacramenta Dei, neque mercedem ſperauerunt iuſtitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarum. 140.c.2.& 181.c.2
3. *Qui confidunt in illum, intelligent veritatem, & fideles in dilectione acquieſcent illi.* Locus iſte explicatur. 198.c.1
Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis, viſi ſunt oculis inſipientium mori, & æſtimata eſt afflictio exitus illorum, & quod à nobis eſt iter, exterminium: illi autem ſunt in pace. Locus iſte explicatur. 100.c.1.& 142.c.1.
4. *Videbunt finem ſapientis, & non intelligent, quid cogitauerit de illo Deus.* 142.c.1
5. *Iuſti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio eorum apud altiſſimum.* Explicatur. 198.c.1.
Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum. 101.c.2
Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes. Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum, &c. 279.c.2
Armabit creaturam ad vltionem inimicorum ſuorum. 295.c.2
7. *Omnium artifex docuit me ſapientia.* 76.c.2
8. *Præterita nouit, & de futuris æſtimat: ſigna, & monſtra cognoſcit, antequàm fiant, & euentus temporum, & ſæculorum.* 74.c.2
Attingit à fine vſque ad finem fortiter, ac diſponit omnia ſuauiter. 72.c.1
9. *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam.* 295.c.2
Qui feciſti omnia in verbo tuo, & ſapientia tua conſtituiſti hominem. 76.c.2
13. *A magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ poterit creator horum cognoſcibiliter videri.* 15.c.1
Iterum autem nec iis debet ignoſci: ſi enim tantùm potuerunt ſcire, vt poſſent æſtimare ſæculum, quomodo huius Dominum non faciliùs inuenerunt? 15.c.1
15. *Cinis eſt enim cor eius, & terra ſuperuacua ſpes illius, & luto ignobilior vita eius; quoniam ignorauit, qui ſe finxit, & qui inſpirauit illi animam, quæ operatur, & qui inſufflauit ei ſpiritum vitalem.* 100.c.2
16. *Homo autem occidit quidem per malitiam animam ſuam, & cùm exierit ſpiritus, non reuertetur, nec reuocabit animam, quæ recepta eſt.* Locus iſte explicatur. 100.c.2. 142.c.2.
17. *Semper præſumit ſæua perturbata conſcientia.* 284.c.2

EX LIBRO ECCLESIASTICI.

Cap. 7. *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* 172.c.2
Humilia valdè ſpiritum tuum, quoniam vindicta carnis impij ignis, & vermis. 300.c.2
11. *Ante mortem ne laudes hominem quenquam.* 182.c.1
15. *Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei dabitur illi.* 49.c.2
Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui. 72.c.1
21. *Via peccatorum complanata lapidibus, & in finem illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ.* Explicatur. 273.c.2. & 280.c.1.
Quaſi à facie colubri fuge peccata, & ſi acceſſeris ad illa, ſuſcipient te dentes leonis, dentes eius interficientes animos hominum. 100.c.2
31. *Qui potuit facere malum, & non fecit, tranſgredi, & nõ eſt tranſgreſſus, hic mirabilia fecit in vita ſua, ideo ſtabilita ſunt bona illius.* 51.c.1
39. *Oculi Domini lucidiores ſunt Sole, neque eſt quid mutabile, neque nouum in oculis eius.* 74.c.2

EX ISAIA.

Cap. 1. *Et conuertam manum meam ad te, excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum.* 231.c. 2.& 232. c. 2.
Vinum tuum mixtum eſt aqua. 273.c.2
4. *Quia abluet Dominus ſordes filiorum, & filiarum Sion, ſanguinem Hieruſalem expurgabit de medio eius in ſpiritu iudicij, & ſpiritu ardoris.* 216.c.1
5. *Dilatauit infernus os ſuum abſque vllo termino, & deſcendent preces eius, & populus eius, & ſublimes glorioſiq; eius*

ad eum. 283.c.2

6. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum. 171. col.1

13. Requieſcent ibi beſtiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi ſtruthiones, & piloſi ſaltabunt ibi, & reſpondebūt ibi vlulæ in ædibus eius, & ſyrenes in delubris voluptatis 292.c.2

14. Infernus ſubter te conturbatus eſt. 283.c.2

In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini iuxta terminum eius erit in ſignum, & in teſtimonium Domini exercituum in terra Ægypti, &c. & cognoſcetur Dominus ab Ægypto, & cognoſcent Ægyptij Dominum in die illa, & colent in hoſtiis, & muneribus, & vota vouebunt Domino, & ſoluent. 3.c.2

19. Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum. 242.c.1

26. In terra Sanctorum iniqua geſſit, non videbit gloriam Domini. 241.c.2.

Viuent mortui tui; interfecti mei reſurgent; expergiſcimini, & laudate, qui habitatis in puluere: quia ros lucis, ros tuus. Explicatur. 246.c.1

30. Propterea expectat Dominus, vt miſereatur veſtri, & ideò exaltabitur parcens vobis. 232.c.1

33. Audite, qui longè eſtis, quæ fecerim, & cognoſcite vicini fortitudinem meam, conterriti ſunt in Sion peccatores, poſſedit tremor hypocritas: quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante, id eſt, quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis? Explicatur. 275.c.2

40. Leuate in excelſum oculos veſtros, & videte, quis creauit hæc: qui eduxit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat præ multitudine fortitudinis, & roboris, virtutiſque eius. 19.c.2

Cui ergo ſimilem feciſtis, Deum? aut quam imaginem ponetis ei? nunquid ſculptile conflauit faber? aut aurifex auro figurauit illud, & laminis argenteis argentarius? Forte lignum, & imputribile elegit: artifex ſapiens quærit quomodo ſtatuat ſimulachrum, quod non moueatur. Nunquid non ſcitis? nunquid non audiſtis? nunquid non annunciatum eſt vobis ab initio? 83.c.2

47. Stent, & ſaluent te augures cæli, qui contemplabantur ſydera, & ſupputabant menſes, vt ex eis annunciarēt ventura tibi. 66.c.2

60. Erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & complebuntur dies luctus tui. Explicatur. 198.c.1

Et nunc Domine tu Pater noſter es, & nos lutum, & fictor noſter, & opera manuum tuarum omnes nos. Explicatur. 103.c.2

Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te. 101.c.2. 172.c.1

66. Ecce Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadrigæ eius, reddere in indignatione furorem ſuum, & increpationem ſuam in flamma ignis, quia in igne Dominus diiudicabit. 220.c.2

Egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati ſunt in me; vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Et erunt vſque ad ſatietatem viſionis omni carni. Explicatur. 276.c.2

Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita ego conſolabor vos. 265. col.2

EX IEREMIA.

Cap.10. Iuxta vias gentium nolite diſcere, & à ſignis cœli nolite metuere, quæ timent gentes; quia leges populorum vanæ ſunt. 66.c.2

12. Quare via impiorum proſperatur, & bene eſt omnibus, qui iniquè agunt? 273.c.2

30. In arbitrio vixerit, ſiue faciat, ſiue non faciat. 72.c.1

EX EZECHIELE.

Cap. 9. Iniquitas Iſraël, & Iuda magna eſt nimis valdè. Explicatur. 210.c.2

13. Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmentum panis; vt interficerent animas, quæ non moriuntur. Locus iſte explicatur. 142.c.2

15. Fili hominis, quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ ſunt inter ligna ſyluarum? &c. Ecce igni datum eſt ad eſcam: vtramque partem eius conſumpſit ignis, & medietas eius redacta eſt in fauillam. 280.c.2

18. Ecce omnes animæ meæ ſunt: ſicut anima patris, ita anima filij. 122.c.1

Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. 100.c.2. 142.c.2

36. Hæc dicit Dominus Deus. Adhuc in hoc inuenient in me domus Iſraël, vt faciam eis. Multiplicabo eos ſicut gregem hominum, & gregem ſanctum, &c. 247.c.2

37. Fili hominis, putáſne viuent oſſa iſta? & dixi: Domine Deus tu noſti. Et dixit ad me: vaticinare de oſſibus iſtis, & dices eis. Oſſa arida, &c. Explicatur 247.c.1

43. Eleuauit me ſpiritus, & introduxit in atrium ſuum. Explicatur. 122.c.1

EX DANIELE.

Cap.4. Peccata tua eleemoſynis redime. 233.c.1

Videbam, & ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia, & proceritas eius pertingens vſque ad cœlum. Explicatur. 280.c.1

7. Fluuius igneus, rapidúſque egrediebatur à facie eius. 215. col.2

12. Et multi de his, qui dormiunt in puluere terræ, euigilabunt, alij in vitam æternam, & alij in opprobrium, vt videant ſemper. 248.c.1. & 263.c.2

Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. 101.c.2

EX IOEL.

Cap. 2. Venit dies Domini, &c. Ante faciem eius ignis vorans. 220.c.2

EX MICHEA.

Cap.6. Quid dignum offeram Domino, id eſt, curuabo genu Deo excelſo? 223.c.1

EX ZACHARIA.

Cap.12. Dicit Dominus extendens cœlum, & fundans terram, & fingens ſpiritum hominis in eo. Locus iſte explicatur. 115.c.1

13. Et ducam tertiam partem per ignem, & vram eos, ſicut vritur argentum, & probabo eos, ſicut probatur aurum. Explicatur. 215.c.1

EX MALACHIA.

Cap.4. Ecce enim dies veniet ſuccenſa quaſi caminus. 220.c.2

EX II. MACHAB.

Cap. 7. Tu quidem ſceleſtiſſime in præſenti vita nos perdis, ſed Rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus in æterna vitæ reſurrectione ſuſcitabit. 248.c.2

Potius eſt ab hominibus morti datos ſpem expectare à Deo, iterum ab ipſo reſuſcitandos: tibi enim reſurrectio ad vitam non erit. ibid.

Fratres mei modico nunc dolore ſuſtentato ſub teſtamento æternæ vitæ effecti ſunt. 101.c.2

Neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis, neque enim ego ſpiritum, & animam donaui vobis, & vitam. Locus iſte explicatur. 99.c.1. & 116.c.1

12. Vir fortiſſimus Iudas collatione facta duodecim millia drachmas argenti miſit Ieroſolymam, offerri eas ibi pro peccatis mortuorum. 216.c.2

INDEX

INDEX LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ
EX NOVO TESTAMENTO.

EX MATTHÆO.

Cap.3. CVius ventilabrum in manu eius, & permundabit aream ſuam: & congregabit triticum in horreum. 276.c.1

Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. 273.col.2.& 280.col.1.& 288.c.2

4. Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum. 242.col.1

5. Eſto conſentiens aduerſario tuo citò dum es in via cum eo, ne fortè tradat te aduerſarius iudici, & iudex tortori, & mittaris in carcerem, &c. 216.c.2

Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. 234.col.1

Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri ſuo; Racha, reus erit conſilio; qui autem dixerit, Fatue: reus erit gehennæ ignis. Explicatur. 208.col.1.& 219.col.1

6. Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. 209.col.2

Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur. 177.c.1

7. Quid tu vides feſtucam in oculo fratris tui: trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras? Explicatur. 208.col.2

8. Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſraël, dico autem vobis, quòd multi ab Oriente venient, & recumbẽt cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cælorum. 234. colum.2

10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. 99.col.1.242.col.2

Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum, aut Baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari? Explicatur. 250. col.2

Nónne duo paſſeres aſſe veneunt, & vnus ex eis abſque Dei voluntate non cadit? 45.col.2

11. Confiteor tibi Domine Rex cæli, & terræ. 224.c.1

Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. 234. col.1.& 242.col.1.

12. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. 208.col.2.218.col.2

Quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur illi; qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro 217.col.2

13. Sicut colliguntur zizania, & igni comburuntur: ſic erit in conſummatione ſæculi. Mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem, &c. 274.col.1

Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem. 5.col.2

Tunc iuſti fulgebunt ſicut Sol in Regno Patris eorum. 101.c.2

16. Centuplum accipient, & vitam æternam poſſidebunt. 143. col.2.

Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Alij Ioannem Baptiſtam, alij autem Eliam, alij verò Hieremiam, aut vnum ex Prophetis. 130.col.1

19. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. 242.col.1

20. Voca operarios, & redde illis mercedem ſuam. 202.c.1

22. Non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium. 140.c.2

De Reſurrectione autem mortuorum non legiſtis quod dictum eſt à Deo dicente vobis? Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob 241.col.1

24. Mittet Angelos ſuos cum tuba, ac voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis. 254.col.2

25. Tunc dicet his, qui à ſiniſtris erunt, diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius, &c. Et ibunt hi in ſupplicium æternum: iuſti autem in vitam æternam. 276.c.1.290.c.2

Tunc dicet Rex his qui à dextris eius erunt. Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. 263.c.2

Euge ſerue bone, & fidelis intra in gaudium domini tui. 189. col.2

Metis vbi non ſeminas, & colligis, vbi non ſpargis. 50.col.2

26. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. 122. col.1

EX MARCO.

Cap. 8. Quid enim proderit homini, ſi lucretur totum mundum, & detrimentum animæ ſuæ faciat, aut quid dabit homo commutationis pro anima ſua? 116.col.1.& 131.col.2

9. Bonum eſt tibi debilem in vitam introire, quàm duas manus habentem ire in gehennam. 143.col.1.300.col.1

Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. 274. col.1. & 288.col.2.& 299.col.2

EX LVCA.

Cap.8. Et rogabant eum ne imperaret illis, ne in abyſſum irẽt. 286.col.1

10. Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo, &c. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. dixit illi. Rectè reſpondiſti: hoc fac, & viues. 192.col.2

12. Dico tibi, non exies inde, donec nouiſſimum minutum reddas. 210.col.1

Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor vſque dum perficiatur. Explicatur. 250.col.1

Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te. Explicatur. 146. colum.2

13. Succide eam, vt quid etiam terram occupat? 280.col.1

16. Mortuus eſt diues, & ſepultus eſt in inferno. 274.col.2. & 299.col.2

Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris. 101.col.2

Eleuans autẽ oculos ſuos cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius, & ipſe clamans dixit. Pater Abraham, &c. 280.col.2

In his omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum eſt, vt qui volunt hinc tranſire ad vos non poſſint. 281.col.1

Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. 274.col.2

17. Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. 235. col.2

18. Amen dico vobis, nemo eſt, qui relinquat domum, &c & in ſæculo venturo vitam æternam. 143.col.2

22. Ego diſpono vobis regnum, vt edatis, vt bibatis ſuper menſam meam in regno meo. 234.col.2

23. Hodie mecum eris in paradiſo. 101.col.2.143.col.2.234. col.2

Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Explicatur. 99.col.2

EX IOANNE.

Cap.1. Ecce verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt. 209.col.2

2. Vt omnis qui credit in ipſo non pereat, ſed habeat vitam æternam. 143.col.2
4. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare. 84.col.1
5. Ioan 4. Spiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. 84.col.1
Pater omne iudicium dedit filio, quia filius hominis eſt. 120, col.2
Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala, &c. 248.col.2.& 264.col.1
Eſt verus qui me miſit. 74.col.2
10. Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Explicatur. 99.col.2
Oues meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum. 143.col.1. 146.col.2
11. Dicit ei Martha; ſcio quia reſurget in reſurrectione in nouiſſimo die. 249.col.1
12. Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. 143.col.1
Vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit. 101.col.2.172.col.2
Niſi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi verò mortuum fuerit, multum fructum affert. 265.col.1
14. Et nunc dixi vobis priùs quàm fiat, vt cùm factum fuerit credatis. 74.col.2
Si quis diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum. 191.col.2.& 195.col.2
Et ſi abiero, & preparauero vobis locum, iterum venio, & accipio vos ad me ipſum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis, 235. col.2
Oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis. Quomodo tu dicis, oſtẽde nobis patrem, non credis quia ego in patre, & pater in me eſt? 197.col.1
15. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum, & omnem qui fert fructum purgabit eum. 132.col.2
16. Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. 189.col.2
17. Vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te; & ipſi in nobis vnum ſint. 173.col.1
Pater quos dediſti mihi; volo vt vbi ego ſum, ibi & illi ſint mecum. 231.c.1.& 236.col.3
Vt omne quod dediſti ei, det ei vitam æternam. 143.col.2
20. Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis. 217.col.2
Hæc cùm dixiſſet inſufflauit; & dixit eis, accipite ſpiritum ſanctum. Explicatur. 98.col.1
21. Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? 221.col.2

EX ACTIS APOSTOLORVM.

Cap. 2. Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni, iuxta quod impoſſibile erat teneri eum ab illis. 224.col.1
4. Conuenerunt verè in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes, & Pontius Pilatus, cũ gentibus, & populis Iſraël facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri. 73.col.1
7. Hic eſt, qui fuit in Eccleſia in ſolitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus noſtris. 85.c.1
Poſitis genibus clamabat, Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. 223.col.1
Et expletis annis quadraginta apparuit illi in deſerto montis Sina Angelus in igne flammæ Rubi. 85.col.1
10. In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. 232.col.1
13. Et vos mundi eſtis, ſed non omnes. 209.col.2
14. Nos mortales ſumus, annunciantes vobis conuerti ad Deũ, qui fecit cælum, & terram, &c. & quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit benefaciens de cælo, dans pluuias, & tempora fructifera. 19.col.2
17. Sicut & quidam veſtrorum poëtarum dixerunt: ipſius & genus ſumus. 117.col.2
In quo viuimus, mouemur, & ſumus. 122.col.2. Explicatur.
Quærere Deum, ſi forte attrectent eum, aut inueniant, quamuis non longè ſit ab vno quoque noſtrûm. 19.col.2
Genus ergo cùm ſimus Dei, non debemus æſtimare auro, & argento, aut lapidi ſculpturæ artis, & cogitationis hominum diuinum eſſe ſimile. 84.col.1
Eò quod ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in æquitate, in viro, in quo ſtatuit, fidem præbens omnibus ſuſcitans eum à mortuis. 220.col.2

EX EPIST. AD ROMANOS.

Cap. 1. Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur ſempiterna, quoque virtus eius, & diuinitas. 15.col.2
Sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea, quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate. 18.col.2
Quod notum eſt Dei, manifeſtum factum eſt illis. 12.col.2
2. Tribulatio, & anguſtia in omnem animam operãtis malum, Iudæi primùm, & Græci: non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum. 232.col.1
4. Traditus eſt propter delicta noſtra, reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. 251.col.2
5. Lex autem ſubintrauit, vt abundaret delictum. 212.col.2
Propterea ſicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit: in quo omnes peccauerunt. 211.c.2
Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ accipientes in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum. 241.col.1
Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. 253.col.1
Propter vnius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi. 248.col.1
Sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam. 143.col.2
Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam patris, ita vt nos in nouitate vitæ ambulemus: ſi enim, &c. 251.c.2
Si autem mortui ſumus cum Chriſto, credimus, quòd ſimul etiam viuemus cum Chriſto. 224 col.2
Nunc verò liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam. Stipendia enim peccati mors. Explicatur. 211. col.2
7. Nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur: ita vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ. 212.col.1
Cùm enim eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti. 212.col.1
Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Explicatur. 119.col.1
Nam peccatum occaſione accepta per mandatum ſeduxit me, & per illud occidit. 212.col.2
Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, captiuantem me in lege peccati. 295.col.2
8. Quòd ſi ſpiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in nobis, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis viuificabit & mortalia corpora veſtra. 246.col.2
Si autem reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit. 249.col.2
Nihil ergo damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundùm carnem ambulant. Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati, & mortis. Explicatur. 212.col.2
Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini. 212.col.2
9. Cùm nondum nati eſſent, nec quicquam boni, aut mali egiſſent, vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, &c. 110.col.2
Voluntati eius quis reſiſtet? 71.col.1
12. Scimus quoniam diligentibus Deũ omnia cooperantur in bonum. 50.col.1
14. Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti: ſcriptum eſt

enim

Digitized by Google

enim. viuo ego, dicit Dominus: quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. 223.col.1

EX I. AD CORINTH.

Cap. 1. Qui confirmabit vos ſine crimine vſque in finem, in die aduentus Domini noſtri Ieſu Chriſti. 221.col.1

2. Neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. 172.c.1

Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant. 5.col.2

3. Si quis ſuperædificat ſupra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit, &c. Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Explicatur. 210.col 1. & 2 19.col.2

Vniuſcuiuſque opus quale ſit ignis probabit. 219.c.2. & 221.c.1

4. Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum, qui enim iudicat me, Dominus eſt. 231.col.2

5. Vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti. 221.c.2

9. Sic currite, vt comprehendatis. 202.col.1

11. Horum autem maior eſt charitas. 189.col.2.

13. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum. 192.col.1

14. Qui loquitur lingua ſemetipſum ædificat. 229.col.2

15. Si Chriſtus prædicatur, quod reſurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt? 249.col.2

Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. 264.col.2

Stella enim à ſtella differt in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum. Explicatur. 264.col.2.

Seminatur in corruptione, reſurget in incorruptione, ſeminatur in ignobilitate, reſurget in gloria, ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute, ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale. Explicatur. 267.col.1

In momento, in ictu oculi, in nouiſſima tuba (canet enim tuba) & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur, &c. 253.col.1

Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt; vt quid baptizantur pro illis? 224.col.1

Si mortuorum reſurrectio non eſt, nec Chriſtus reſurrexit. 251.col.2

Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. 147.col.2

EX II. AD CORINTH.

Cap. 3. Nos gloriam Domini ſpeculantes in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu. 200.col.2

Litera occidit, ſpiritus autem viuificat. 85.col.2

Dominus autem ſpiritus eſt, vbi autem ſpiritus Domini, ibi libertas. 84.col.1

4. Scientes quoniam qui ſuſcitauit Ieſum, & nos cum Ieſu ſuſcitabit. 249.col.2

Licèt is qui foris eſt noſter homo corrumpatur; tamen foris eſt, renouatur de die in diem. 248.col.1

5. Studemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominũ. 236.col.1

11. Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. 268.col.2

EPIST. AD GALAT.

Cap. 2. Viuo autem, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. 200.col 2

Et nos in Chriſto Ieſu credamus, vt iuſtificemur ex fide Chriſti. 202.col.2

5. Caro concupiſcit aduersùs ſpiritum, ſpiritus autem aduersùs carnem. 122.col.2

6. Qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternã. 143.col.2

EX EPIST. AD EPHES.

Cap. 2. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluens, inimicitias in carne ſua legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in ſemeipſo, &c. 242.col.2

Deus autem qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto, &c. 242.col.2

3. Huius rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. 223.col.1

4. Quòd autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ? 287.col.1

EX EPIST. AD PHILIPP.

Cap. 1. Coarctor autem è duobus deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto. 234.col.1

2. In nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. 286.col.1

3. Quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum. 181.col.2

EX I. AD THSSAL.

Cap. 4. Et mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Deinde nos, qui viuimus, qui reſidui ſumus, ſimul rapiemur cum ipſis in nubibus obuiam Chriſto in aera. 255.col.1

Et ſic ſemper cum Domino erimus. 234.col.1

Quoniam ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo. 249.col.1

EX II. AD THESSAL.

Cap. 1. In flammam ignis dantis vindictam iis qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti, quia pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius. 101.col.1

EX I. AD TIMOTH.

Cap. 6. Qui ſolus habet immortalitatem. Locus iſte explicatur. 141.col.1

Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, ad quam vocatus es. 143.col.2

Regi ſęculorum immortali, & inuiſibili, ſoli Deo honor, & gloria. 84.col.1

EX II. AD TIMOTH.

Cap. 4. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. 202.col.1

In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iuſtus iudex. 232.col.2

EX EPIST. AD TITVM.

Cap. 1. In ſpem vitæ æternæ, quam promiſit, qui non mentitur Deus. 143.col.2

Vt nos redimeret ab omni iniquitate & mundaret ſibi, &c. Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio; nemo te contemnat. 171.col.2

EX EPIST. AD HEBR.

Cap. 4. Omnia nuda, & aperta ſunt oculis eius, ad quem nobis ſermo. 74.col.2

6. Fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam. 205.col.1

9. Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, & poſt hoc iudicium. 253.col.2

10. Impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. 212.col.2

Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. 218.col.1

Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia. Terribilis autem, &c. 218.col.2

Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtiis quas offerunt indeſinenter, nunquam poteſt accedentes perfectos facere. 212.col.2

11. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones.* 101.col.2

EX EPIST. IACOBI.

Cap. 1. *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* 187.col.1
3. *In multis offendimus omnes.* 209.col.1

EX I. PETRI.

Cap. 3. *Degluriens mortem, vt vita æternæ hæredes efficeremur.* 143.col.2
5. *Aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* 89.col.2

EX II. PETRI.

Cap. 1. *Per cogitationem eius, qui vocauit nos propria gloria, & virtute: per quem maxima, & pretioſa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ.* 158.col.2
2. *Nouit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem iudicij reſeruare cruciandos.* 274.col.2
Adueniet autem dies Domini vt fur, in qua cœli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſoluentur, terra autem, & quæ in ipſa ſunt, opera exurentur. 253.col.2

EX I. IOANN.

Cap. 1. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra.* 217.col.2
Si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & verbum eius non eſt in nobis. 209.col.1
2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* 231.col.1
3. *Cùm apparuerit, ſimiles illi erimus.* 189.col.2
4. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* 192.c.2. & 202.c.2
5. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem.*

EX EPIST. IVDÆ.

Sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ ciuitates ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram, factæ ſunt in exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes. 101.col.1

EX APOCALYPSI.

Cap. 2. *Qui vicerit, & cuſtodierit vſque in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget eas in virga ferrea, &c.* 171.col.1
Vincenti dabo manna abſconditum. 190.col.1
3. *Nomẽ habes, quod viuas, ſed mortuus es.* 100.col.2. 279.col.1
5. *Nec in cœlo, nec in terra, nec ſub terra.* 286.col.1
Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem & honorem, & gloriam, & benedictionem, &c. 223.col.2
7. *Non eſurient, neque ſitient amplius, nec cadet ſuper illos Sol, neque vllus æſtus; quoniam agnus qui in medio throni eſt, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Explicatur locus iſte. 256.c.1
Iſti ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni, ideo ſunt ante thronum Dei, & ſeruiunt ei die, ac nocte. 101.col.2
Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, &c. 237.c.2
8. *Et data ſunt ei incenſa multa, vt daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper aureum altare, quod eſt ante thronum Dei.* 237.col.1
14. *Beati mortui qui in Domino moriuntur, amodo iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis.* 121.col.2
Et cruciabitur igne, & ſulphure in cõſpectu Angelorum ſanctorum, & ante conſpectum agni, & fumus tormentorum eorum aſcendet in ſecula ſeculorum. Explicatur. 276.col.2
18. *Quantùm glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum, & luctum.* 292.col.1
19. *Viui miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis ſulphure.* 274.col.2. & 297.col.2
21. *Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà.* 172.col.1

INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ IN LIBRO SECVNDO TOMI PRIMI

Demonſtrationum Symbolorum veræ, & falſæ Religionis aduersùs Iudæos citantur, & explicantur.

Numerus paginam indicat, litera c. columnam denotat.

EX GENESI.

Cap. 1. *IN principio creauit Deus cælum, & terram.* Explicatur. 50.col.1

Vocauit Deus firmamentum, cælum, & vocauit aridam, terram. 47.col.1

Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Explicatur. 74.col.1.& 75.col.2

Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem, ac noctem. Et factum eſt veſpere, & mane dies quartus. 175.c.2

Ad imaginem Dei fecit illum. Explicatur. 86.col.1

Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Explicatur. 88.c.1

2. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adã, vt videret quid vocaret ea: omne enim, quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius.* 5.col.2

Et inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ. 47.col.2

In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris. Explicatur. 6.col.1

Erat vterque nudus, & non erubeſcebant. Explicatur. 4.col.2

Ex omni ligno paradiſi comede. de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas. 7.col.2

3. *Quia audiſti vocem vxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes: maledicta terra in opere tuo.* 8.col.1.& 2

Nunc ergo ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum. Explicatur. 6.c.2

Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. 91.col.1

Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. Explicatur. 8.c.2.& 10.c.1

Et dixit Dominus Deus. Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt. Explicatur. 90.c.2

Mulier, quam dediſti mihi ſociam, ipſa dedit mihi de ligno, & comedi. 55.col.1

De fructu lignorum, quæ ſunt in paradiſo veſcimur: de fructu verò ligni, quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus. 8.col.1

Inimicitias ponam inter te, & mulierem, ſemen tuum, & ſemen illius: & ipſum conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius. 54.col.2

Eritis ſicut dij ſcientes bonum, & malum. 77.col.2

Et emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis. 50.col.2

Quis enim indicauit tibi quòd nudus eſſes, niſi quòd ex ligno de quo præceperam tibi, ne comederes, comediſti? 7.col.2

Vbi es? Explicatur. 7.c.2

Fecit quoque Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas. Explicatur. 55.c.2.& 56.c.1

Vocem tuam Domine audiui in paradiſo, & timui eò quod nudus eſſem, & abſcondi me. 7.col.1

4. *Et vocauit nomen eius Enos.* 41.col.2

Statuam pactum meum vobiſcum, & non vltrà interficietur omnis caro. 121.c.1

Euigilans Noë ex vino cùm didiciſſet, quæ fecerat ei filius ſuus iunior. 199.c.1

Cùm vidiſſet Cham pater Chanaam, verenda ſcilicet patris ſui, nunciauit duobus fratribus ſuis. 199.c.1

11. *Erat autem terra labij vnius, & ſermonum eorumdem.* 126.col.2

Venite, deſcendamus, & confundamus linguam eorum. Explicatur. 91.c.1.& 126.c.2

15. *Ego protector tuus ſum.* 89.c.2

17. *Eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum. Maſculus cuius præputij caro circunciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo; quia pactum meum irritum fecit.* 129.col.1

In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. 105.col.2

Hoc eſt pactum, quod obſeruabitis inter me, & vos, & ſemen tuum poſt me. Circuncidetur ex vobis omne maſculinum, & circuncidetis carnes præputij veſtri, vt ſit in ſignum fœderis inter me &, vos. 129.col.1

In te benedicentur vniuerſæ cognationes terræ. 129.col.1.& 148.col.2.& 153.c.2

Apparuit Dominus ad Abraham, dixitque ei. Ego Dominus omnipotens. 25.col.2

18. *Poſtquam Dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo?* 200.c.1

Nunquid Deo eſt quicquam difficile? 25.c.2

Apparuit Dominus Abrahæ in conualle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui, in ipſo feruore diei. Cùmque eleuaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum, quos cùm vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum, & adorauit in terram, & dixit, Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis. Explicatur. 92 col.1

Et dixit Dominus ad Abraham, Quid eſt hoc? 92.c.1

Et dixit Dominus, clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum venit ad me. 92.col.1

Dixit Dominus, nunquid celare potero Abraham? 92.c.1

19. *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem à Domino de cælo.* Explicatur. 92.col.2

21. *In Iſaac vocabitur tibi ſemen.* 41.col.2

Ecce ancillam, & filium eius: non enim erit heres filius ancillæ cum filio meo Iſaac. 132.col.1

22. *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* 125.col.2

¶¶¶ 4 In

In die tertia leuauit Abraham oculos ſuos. 30.col.2

Per memetipſum iuraui, dicit Dominus, quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris: poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum. 130.col.2

24. *Puella decora nimis, virgóque pulcherrima.* Explicatur. 38.col.2

Pone manum tuam ſuper femur meum, & iura mihi per Deum cœli, & terræ. 177.col.1

Et virgo quæ egredietur ad hauriendam aquam. Explicatur. 38.col.2

Puella cui ego dixero, inclina hydriam tuam, & bibam Explicatur. 38 col.2

35. *Dixitque ei: ego Deus omnipotens, creſce, & multiplicare.* 25 col.2

37. *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum.* Explicatur. 12.col.1

41. *Quia tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini.* 51.col.1

48. *Deus omnipotens apparuit mihi Luza.* 25 col.2

49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius.* 39.col.2. & 59.c.2

Et ipſe erit expectatio gentium. 138.col.1 & 155.c.2

Salutare tuum expectabo Domine. 154.col.2

Congregamini, vt annunciem quæ ventura ſunt in nouiſſimis diebus. 139.col.1.

Iuda te laudabunt fratres tui, manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi aſcendiſti, requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum? 148.col.2

EX EXODO.

Cap. 3. *Ego ſum qui ſum, & qui eſt, miſit me ad vos.* 47.col.1

4. *Hæc dicit Dominus Deus; primogenitus meus Iſrael.* 177.col.2

6. *Et magnum nomen meum Iehouah non indicaui eis.* 48.c.1

7. *Conſtitui te Deum Pharaonis.* Explicatur. 41.c.1

12. *Habebitis autem hanc diem in monumentum, & celebrabitis eam ſolemnem Domino in generationibus veſtris cultu ſempiterno.* 133.col.2

13. *Lex Domini ſemper ſit in ore tuo.* 133.c.2

20. *Memento vt diem Sabbathi ſanctifices, &c. ſex enim diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt, & requieuit in die ſeptimo, & idcirco benedixit Dominus diei Sabbathi, & ſanctificauit illum.* 192.c.1

Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, ſeptimo autem die Sabbathum Domini tui eſt. Explicatur locus. 192.c.2

22. *Ad Deos vtriuſque cauſa perueniat.* Explicatur locus. 41.c.1

25. *Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* 76.col.2

32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me.* Explicatur. 43.col.1

33. *Ego oſtendam tibi omne bonum.* 98.col.1

Ecce eſt locus apud me, & ſtabis ſuper petram, cúmque tranſibit gloria mea ponam te in foramine petræ. 66.col.1

Dedítque mihi Dominus completis huiuſcemodi ſermonibus in monte Sinai duas tabulas teſtimonij. 128.col.1

EX LEVITICO.

Cap. 7. *Pectuſculum enim eleuationis, & armum ſeparationis tuli à filiis Iſrael de hoſtiis eorum pacificis, dedi Aaron Sacerdoti, & filiis eius lege perpetua.* 133.c.2

19. *Decimo die menſis huius ſeptimi, dies expiationum erit celeberrima, & legitimum ſempiternum vobis in cunctis generationibus, & habitationibus veſtris.* 134.c.1

Eritque pactum meum in carne veſtra, in fœdus æternum. 134.col.1

20. *Qui dormierit cum maſculo coitu fœmineo, vterque operatus eſt nefas, morte moriatur.* 198.col.1

23. *Numerabitis ergo ab altero die ſabbathi, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum ſeptem hebdomadas plenas vſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, id eſt, quinquaginta dies, & ſic offeretis ſacrificium nouum Domino ex omnibus habitaculis veſtris.* 120.col.1

25. *Numerabis tibi quoque ſeptem hebdomadas annorum, id eſt, ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt annos quadraginta nouem.* 120.col.1

26. *Et ambulabo in medio veſtri, & ero vobis in Deum, & vos eritis mihi in populum.* Explicatur. 33.c.2

EX NVMERIS.

Cap. 7. *Iudas aſcendet, ecce tradidi terram in manu eius.* 149.col.1

11. *Nunquid manus Domini inualida eſt, dicit Dominus?* 25.col.1

12. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, per ſomnium loquar ad eum.* 106.col.1

24. *Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga ex Iſraël.* 105.col.2

EX DEVTERONOMIO.

Cap. 5. *Obſerua diem Sabbathi, vt ſanctifices eum, ſicut præcepit tibi Dominus.* 192.c.2

6. *Audi Iſrael, Deus, Deus tuus, Deus vnus eſt.* 88.col.2 & 93.col.1

9. *Cúmque de monte ardente deſcenderem, & duas tabulas fœderis vtraque tenerem manu.* 128.col.1

15. *Aſſumes ſubulam, & perforabis aurem eius in ianua domus tuæ, & ſeruiet tibi vſque in æternum.* Explicatur. 134.col.2

18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus tuus, ipſum audies.* 141.col.1. & 159.col.2

Qui autem verba eius quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtam. 140.c.1

26. *Maledictus qui non permanſerit in omnibus his, quæ ſcripta ſunt.* 131.col.1

28. *Adducet Dominus ſuper te gentem de longinquo, & de externis terræ finibus in ſimilitudinem aquilæ volantis cum impetu, cuius linguam intelligere non poſſis: gentem procaciſſimam, quæ non deferat ſeni, nec miſereatur paruuli, & deuoret fructum iumentorum tuorum, ac fruges terræ tuæ, donec intereas, & non relinquat tibi triticum, vinum, & oleum, armenta boum, & greges ouium, donec te diſperdat, & conterat in cunctis vrbibus tuis, & deſtruantur muri tui firmi, atque ſublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua.* 137.col.2

Niſi cuſtodieris, & feceris omnia verba legis huius, quæ ſcripta ſunt in hoc volumine, & timueris nomen eius glorioſum, & terribile, hoc eſt, Dominum Deum tuum, augebit Dominus plagas tuas, & plagas ſeminis tui; plagas magnas, & perſeuerantes infirmitates peſſimas, & perpetuas; & conuertet in te omnes afflictiones Ægypti, quas timuiſti, & adhærebunt tibi, &c. Diſperget te Dominus in omnes populos à ſummitate terræ vſque ad terminos eius. Explicatur. 141.col.2

Obſideberis intra portas tuas in omni terra tua, quam dabit tibi Dominus Deus tuus, & comedes fructum ventris tui, & carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus Deus tuus in anguſtia & vaſtitate, qua opprimet te hoſtis tuus. 138.col.1

29. *Hæc ſunt verba fœderis, quod præcepit Dominus.* Explicatur. 118.col.1

Vos vidiſtis vniuerſa quæ fecit Dominus coram vobis in terra Ægypti Pharaoni, & omnibus ſeruis eius, vniuerſæq; terræ illius.

illius: tentationes magnas, quas viderunt oculi tui, ſigna illa, portentáque ingentia: & non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes. 188.col.1
31. Circunduxit eum, & docuit, & cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui, ſicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum, atque portauit in humeris ſuis. 201.col.2
Ipſi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus ſuis: & ego prouocabo eos in eo, qui non eſt populus, & in gente ſtulta irritabo eos. 100.col.2
Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui. Explicatur. 49.col.2
34. Et non ſurrexit vltrà Propheta in Iſraël, ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem. 160.col.1

EX I. REGVM.

Cap.1. Ducam eum, vt appareat ante conſpectum Domini, & maneat ibi iugiter. 134.col.2
2. Loquens loquutus ſum vt domus tua, & domus patris tui miniſtraret in conſpectu meo vſque in ſempiternum. Nunc autem dicit Dominus abſit hoc à me: ſed quicunque glorificauerit me, glorificabo eum, &c. 196.col.1
Quid vidiſti? & ait mulier ad Saül. Deos vidi aſcendentes de terra. Dixitque ei, qualis eſt forma eius? quæ ait: vir ſenex aſcendit, & ipſe amictus eſt pallio; & intellexit Saül quòd Samuel eſſet. 14.col.1

EX II. REGVM.

Cap. 7. Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium. Explicatur. 49 col.2

EX III REGVM.

Cap. 3. Dedi tibi cor ſapiens, & intelligens. 65.col.2
18. Nubecula parua quaſi veſtigium hominis aſcendebat. 177.col.1
38. Cùm interficeret Iezabel Prophetas Domini. 121.col.1

EX IOB.

Cap. 11. Si ſubuerterit omnia, quis contradicet ei? 17.col.1
13. Ego ad omnipotentem loquar. 46.col.2
14. Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? non tu qui ſolus es? 58.col.2
Quis det mihi vt in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus, & conſtituas mihi tempus, in quo recorderis mei? 13.col.1
Homo natus de muliere, breui viuens tempore repletur multis miſeriis, qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra. Explicatur. 14.col.2
19. Et in carne mea videbo Deum meum. 53.col.1
22. Eritque omnipotens munitio tua. 46.col.2
24. Et traxit robuſtos in fortitudine ſua. Explicatur. 11.col.2
33. Spiritus Dei fecit me, & anima vel ſpiraculum omnipotentis viuificabit me. 47.col.1
35. Si peccaueris, quid ei nocebis? ſi multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? 20.col.1
41. Ipſe eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ. 55.col.2
42. Scio Domine quia omnia potes. 25.col.2

EX LIBRO PSALMORVM.

Pſal.2. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. 62.col.2
Aſtiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. 37.col.2
Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te. 97.col.1
Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius. 72.col.2
4. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. 75.col.2
8. Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius. 19.col.1
9. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. 141.col.1
Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos, vt ſciant gentes quoniam homines ſunt. 161.col.2
10. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. 9.col.2
15. Non derelinques animam meam in inferno. 13.col.2
Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Explicatur. 11.col.2
17. Deus meus impolluta via eius, eloquia Domini igne examinata. 127.col.2
18. Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam. 105.col.1
A ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius. 31.col.2
In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. 158.col.2
21. Foderunt manus meas, & pedes meos, & dinumerauerunt omnia oſſa mea. 169.col.2
In Deo ſperauerunt, & non ſunt confuſi. 178.col.1
Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. 170.col.2
Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. 70.col.2
22. Annunciabitur Domino generatio ventura, & annunciabunt cæli iuſtitiam eius populo, qui naſcetur, quem fecit Dominus. 111 col.1.
23. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio. 71.col.1
24. Vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas. 20.col.1
28. Circundederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me, aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens. 167.col.2
31. Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. 31.col.1
33. Veruntamen in imagine pertranſit homo. 98.col.2
34. Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me. 168.col.1
Et aduerſùm me lætati ſunt, & conuenerunt, congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui. 168.col.2
40. Etenim homo pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem. 166.col.2
44. Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi, virga directionis, virga regni tui, dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem. 50.col.2
Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime, &c. Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent in corda inimicorum Regis. 107.col.1. & 110 col.1
Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi. 50.col.2
Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate, &c. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: conſtitues eos principes ſuper omnem terram. 107.col.1. & 111. col.2. & 159.col.1
45. Virga æquitatis virga regni tui. 112.col.1
47. Secundum nomen tuum Deus, ita & laus tua. 51.col.2
48. Et homo cùm in honore eſſet non intellexit comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Explicatur. 7.col.1
49. Deus Deorum Dominus locutus eſt. Explicatur. 94.col.1
54. Si is qui oderat me ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo. Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum conſenſu. 166.col.2
63. Benedicat nos Deus, noſter, benedicat nos Deus. 88. col.2
66. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum ſuum. Explicatur. 67.2
67. Præuenerunt Principes coniuncti pſallentibus in medio iuuencularum tympaniſtriarum. Explicatur. 38.2.49.c.1
Deus noſter, Deus ſaluos faciendi. 60.col.1

Impra

68. *Improperium expectauit cor meum, & miſeriam, & ſuſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur, & non inueni. Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto.* 170.col.1
71. *Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum.* 107.col.1.& 109.col.2
Ante Solem permanet nomen eius. Explicatur. 37.col.2
Parcet pauperi, & inopi, & animas pauperum ſaluos faciet. 60.col.1
Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis. 72.col.2.& 115.col.2
Deſcendet ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. 67.col.2
Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum. 61.col.1
Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent. 110.col.1.& 153.col.2
Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient ei. Explicatur. 31.col.1
Ex vſuris, & iniquitate redimet animas eorum. 18.col.2
Et erit in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna. 110.col.1.& 141.col.1.& 189.col.2
72. *Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis.* 168.col.2
Quàm bonus Iſraël Deus. 98.col.1
81. *Ego dixi; dij eſtis, & filij excelſi omnes.* Explicatur. 41.col.1
84. *Benedixiſti Domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob.* Explicatur. 67.col.2
Miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt. 10.col.1
86. *Fundamenta eius in montibus ſanctis.* 139.col.2
88. *Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius, & thronum eius ſicut dies cœli.* 116.col.1
89. *Quis eſt homo, qui viuet, & non videbit mortem? eruet animam ſuam de manu inferi.* 13.col.1
93. *Ante Solem permanet nomen eius.* Explicatur. 51.col.2
95. *Cantate Domino, & benedicite nomini eius, annunciate inter gentes gloriam eius.* 48.col.2
96. *Lux orta eſt iuſto.* Explicatur. 50.col.1
101. *Tu autem Domine in æternum permanes.* 134.col.2
103. *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ terræ, &c. Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur.* 116.col.1
Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis. Explicatur. 50.col.1.& 105.col.2
Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. 175.col.1
104. *Omnia in ſapientia feciſti.* Explicatur. 50.col.1
105. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius.* 98.col.1
106. *Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.* 75.col.2
108. *Locuti ſunt aduerſùm me lingua doloſa, & ſermonibus odij circumdederunt me, & expugnauerunt me gratis, pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi.* 168.col.1
109. *In ſplendoribus Sanctorum, ex vtero ante Luciferum genui te.* 32.col.1.& 31.col.2
110. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* 72.col.2
Dominus à dextris tuis confregit in die iræ ſuæ Reges. Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquaſſabit capita in terra multorum. 107.col.1
113. *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis.* 125.col.2
A facie Domini mota eſt terra, à facie Dei Iacob. Qui conuertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum. 125.col.1
114. *Miſericors Dominus, & iuſtus, & Deus noſter miſeretur.* 17.col.1
117. *Bonum eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine, bonum eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in principibus.* 122.col.1
Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea. 177.col.1
Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. 140.col.1
118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.* 127.col.2
In æternum Domine verbum tuum permanet in cœlo. 134.col.2
129. *Et ipſe redimet Iſraël ex omnibus iniquitatibus eius.* 60.col.1.& 2
Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa ad eum redemptio. 60.col.2
134. *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis.* 25.col.2
142. *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* 18.col.2
144. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis.* 98.col.1
145. *Ædificans Ieruſalem Dominus diſperſiones Iſraëlis congregabit.* 193.col.2
148. *Ipſe dixit, & facta ſunt.* Explicatur, & declaratur locus iſte. 50.col.1.74.col.2

EX PROVERBIIS.

Cap. 5. *Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, viam Aquilæ in cœlo; viam colubri ſuper petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia.* Explicatur. 65.col.2
Talis eſt & via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os ſuum, dicit, non ſum operata malum. Explicatur. 66.col.1.
8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum.* Explicatur. 50.col.1
11. *Qui abſcondit frumentum, id eſt, doctrinam, vel expoſitionem legis, maledicetur in populis.* 66.col.1
21. *Erit mihi Dauid ſeruus ſempiternus.* 134.col.2
27. *Infernus, & perditio non ſatiantur.* 13.col.2

EX ECCLESIASTE.

Cap. 4. *Peccans vnum, vel perpetrans peccatum vnum, perdit bonitatem multam. Hoc eſt, propter peccatum vnius, qui peccauit, perdita eſt ab eo, & ab vniuerſo mundo multa bonitas.* 11.col.2
Funiculus triplex difficilè rumpitur. Explicatur. 94.col.1
7. *Solummodò hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus.* Explicatur. 5.col.2

EX CANTICO CANT.

Cap.1. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* 155.col.2
4. *Veni de Libano, veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Explicatur. 109.col.1
7. *Venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus liliis.* Explicatur. 65.col.1

EX SAPIENTIA.

Cap. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis.* 97.col.1
Circumueniamus ergo iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ, promittit ſe ſcientiam Dei habere, & Filium Dei ſe nominat, &c. 169.col.1
Si enim eſt verus Filius Dei, ſuſcipiet illum, & liberabit illum de ma-

Digitized by Google

à manibus contrariorum. Contumelia, & tormento interrogemus eum, vt ſciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius, morte turpiſſima condemnemus eum. 169. col.1

10. Hæc illum qui primus formatus eſt à Deo pater orbis terrarum, cum ſolus eſſet cuſtodiuit, & eduxit illum à delicto ſuo. 8.col.1

11. Non enim impoſſibilis erat omnipotens tua manus, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuiſa. 25.col.2

12. Tu dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia diſponis nos; ſubeſt enim tibi cùm volueris poſſe. 25.col.2

16. Neque herba, neque malagma ſanauit eos; ſed ſermo tuus Domine. 75.col.2

17. Deus creauit de terra hominem, & ſecundùm imaginem ſuam fecit illum, & iterum conuertit illum in ipſam, & ſecundùm ſe veſtiuit illum virtute. Explicatur. 5.col.2

24. Ego ex ore altiſſimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam. 37.col.1

45. Et teſtamentum Dauid Regi filio Ieſſe de tribu Iuda. 149.col.2

46. Et poſt hoc dormiuit, & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltauit vocem de terra in prophetia delere impietatem gentis. 14.col.1

EX ISAIA.

Cap.1. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. 131.col.1

Et reſtituam iudices tuos, vt fuerunt priùs, & conſiliarios tuos, ſicut antiquitùs. 135.col.1

Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis? 66.col.2

Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis: dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſraël, abalienati ſunt retrorſum. Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus? plenus ſum, holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Cùm veniretis ante conſpectum meum, &c. 144.col.1

Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes: & ibunt populi multi, & dicent. Venite, & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem. Et iudicabit gentes, & arguet populos multos, & conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium: nec exercebuntur vltrà ad prælium. Explicatur. 139. col. 1. & 160.c.2. & 189. col.2

Eleuabitur Dominus ſolus in die illa, & idola penitus conterentur. 174.col.2

. In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ ſublimis, & exultatio iis, qui fuerint ſaluati de Iſraël. Explicatur. 49.col.1

Veniat conſilium ſancti Iſraël. 70.col.1

nea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei. 168.col.2

expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas. 168.col.2

dixi, vſquequò Domine? & dixit: donec deſolentur ciuitates abſque habitatore, & domus ſine homine, & terra relinquatur deſerta. Et longè faciet Dominus homines, & multiplicabitur, quæ derelicta fuerat in medio terræ: & adhuc in ea decimatio, & conuertetur, & erit in oſtenſionem ſicut terebinthus, & ſicut quercus, quæ expandit ramos ſuos. Semen ſanctum erit id, quod ſteterit in terra. 88.col.2

us, Sanctus, Sanctus Deus exercituum, &c. Commota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantis, & domus repleta eſt fumo. Explicatur. 79.col. 1. & 87.c.1. & col.2

& dices populo huic. Audite audientes, & nolite intelligere, & videte viſionem, & nolite cognoſcere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videant oculis, & auribus ſuis audiant, & corde ſuo intelligant, & conuertantur, & ſanem eos. 188. col.2

Eleuabitur Dominus ſolus in die illa, & idola penitus conterentur. 125.col.2

In die illa proiiciet homo idola argenti ſui, & ſimulacra auri ſui, quæ fecerat ſibi, vt adoraret. 125.col.2

7. Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. 30.col.2. & 37.col.2. & 39.col.1. & 64.col.2. & 105.col.2. & 150.col.2

Et commotum eſt cor eius, ſicut mouentur ligna ſyluarum à facie venti. 39.col.1

8. Expectabo Dominum, qui abſcondit faciem ſuam à Iacob, & præſtolabor eum. 51.col.1

9. Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis: & factus eſt principatus ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis, multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. 31.col.1. & 39. col. 2. & 51. c.1. & 52. 2.

Sedentibus in tenebris, in vmbra mortis lux orta eſt eis. Explicatur. 50.col.1

11. In die illa erit radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorũ, ipſũ gentes deprecabuntur. 161.col.2

Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium. 111. col.1

Et erit ſepulchrum eius glorioſum. 54.col.1

Non ſecundùm viſionem oculorum iudicabit, neque ſecundùm auditum aurium arguet, ſed iudicabit in iuſtitia pauperes. 115.col.2

12. Ecce Deus Saluator meus. 60.col.1

14. Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris, corruiſti in terram, qui vulnerabas gẽtes, qui dicebas in corde tuo. In cœlum conſcendam, &c. veruntamen ad infernum detraheris, in profundum laci. 172.col.1

Iurauit Dominus exercituum dicens: ſi non vt putaui, ita erit, & quomodo mente tractaui, ita eueniet. 18.col.1

16. Emitte agnum Domine Dominatorem terræ, de petra deſerti ad montem filiæ Sion. Explicatur. 67.col.2

18. In tempore illo deferetur munus Domino exercituum à populo diuulſo, & dilacerato. 51.col.1

25. Et præcipitabit Dominus in monte iſto faciem vinculi colligati ſuper omnes populos: & telam quam orditus eſt ſuper omnes nationes, præcipitabit mortem in ſempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium auferet de vniuerſa terra. 190.col.1.

26. Quia incuruabit habitantes in excelſo, ciuitatem ſublimem humiliabit. Humiliabit eam vſque ad terram, detrahet eã vſque ad puluerem. Conculcabit eam pes, pedes pauperis greſſus egenorum. Explicatur. 118.col.1

28. In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & ſertum exultationis reſiduo populi ſui. 51.col.1

29. Et erit vobis viſio omnium, ſicut verba libri ſignati, quem cùm dederint ſcienti literas, dicent, lege iſtum: & reſpondebit, non poſſum; ſignatus eſt enim. 105.col.2

Ecce ego addam vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & ſtupendo, peribit enim ſapientia à ſapientibus eius, & intellectus prudentium eius abſcondetur. 106. col.1.

30. Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis. Hæc eſt via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Explicatur. 71.col.1

Ecce nomen Domini venit de longinquo. 48.col.2

31. In die illa abiiciet vir idola argenti ſui, & idola auri ſui. 126.col.1

32. Et erit opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium, & ſecuritas vſque in ſempiternum, & ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. 190.col.2

35. Deus

Digitized by Google

35. Deus ipſe veniet, & ſaluabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt: tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum. 146.col.2. & 156.col.2

Quæ erat arida, erit in ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum. 125.col.2

38. Ego dixi, in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi. 13.col.1

40. Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt; omnes gentes quaſi non ſint, ſunt coram eo; & quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt ei. 17.col.1

Quis menſus eſt pugillo aquas? 199.col.2

41. Ego Dominus, hoc eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo. 172.col.2

Ego Dominus vocaui te in iuſtitia, & comprehendi manum tuam, & ſeruaui te, & dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, vt aperires oculos cæcorum, & educeres de concluſione vinctum, & de domo carceris ſedentes in tenebris. 62.col.1

Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum, electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea: dedi ſpiritum meum ſuper eum, iudicium gentibus proferet. 161.col.1

In veritate educet iudicium, non erit triſtis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium. 114.col.1

43. Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. ecce ego facio noua, & nunc orientur: vtique cognoſcetis ea: ponam in deſerto viam, & in inuio flumina. Explicatur. 127.col.1

Pater tuus primus peccauit, & interpretes tui præuaricati ſunt, & contaminaui Principes ſanctos, & dedi in internecionem Iacob, & Iſrael in blaſphemiam. Explicatur. 11.col.2

Ego ſum, ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me. 58.col.2. & 60.col.1

45. Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem. 32.col.1. & 42.col.2. & 59.col.2. & 67.col.1

Tantùm in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus: verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël ſaluator. 22.col.1

46. Audite me domus Iacob, qui portamini à meo vtero, qui geſtamini à mea vulua. 37.col.1

Cui aſſimilaſtis me, aut adæquaſtis? cui comparaſtis me, & feciſtis ſimilem? 108.col.2

48. Audi me Iacob, & Iſraël, quem ego voco, ego ipſe, ego primus, & ego nouiſſimus. Explicatur. 31.col.1

Gloriam meam alteri non dabo. 51.col.2

49. Dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. 59.col.2

Parum eſt vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces Iſraël conuertendas. 61.col.1

50. Quis eſt hic liber repudij matris veſtræ, quo dimiſi eam? Ecce in iniquitatibus veſtris venditi eſtis, & in ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram. 111.col.2

Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me. 168.col.2

51. Poſui verba mea in ore tuo, & vmbra manus meæ protexi te, vt plantes cælos, & fundes terram. Explicatur. 58.col.2

Et nunc qui redempti ſunt à Domino reuertentur, & venient in Sion laudantes, & lætitia ſempiterna ſuper capita eorum; gaudium & lætitiam tenebunt, fugiet dolor & gemitus; ego, ego ipſe conſolabor vos. 202.col.2

Conſurge, conſurge brachium Domini, induere fortitudine, conſurge ſicut in diebus antiquis. 75.col.1

52. Ecce intelliget ſeruus meus, & exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valdè. 57.col.1.

Cùm conuerterit Dominus Sion, gaudete, & laudate ſimul deſerta Ieruſalem, quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, redemit Ieruſalem. 202.col.2

Gratis venundati eſtis, & ſine argento redimemini. Explicatur. 18.col.2

Ecce teſtem populis dedi eum, Ducem, & præceptorem gentibus. 76.col.1

53. Quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt, & aſcendit ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti? Explicatur. 31.col.2. & 116.col.2

Et ipſe peccatum multorum dimiſit. Explicatur. 43.col.1

Omnes nos quaſi oues errauimus vnuſquiſque in viam ſuam declinauit, & poſuit Dominus in eo iniquitates omnium noſtrûm. 62.col.1. & 164.col.2

Tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt. 56.col.1. & 169.col.2

Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia, pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt, 110.col.2. & 117.col.1

Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras: attritus eſt propter ſcelera noſtra. 46.col.1. & 54.col.2. & 110.col.2

Non eſt ſpecies ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, &c. 21.col.1

Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemẽ longæuum. 47.col.2

Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit, & ſaturabitur: in ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit. Explicatur. 62.c.1

Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. 68.col.1. & 110.col.1

54. De anguſtia, & de iudicio ſublatus eſt. Generationem eius quis enarrabit? quia abſciſſus eſt de terra viuentium, propter ſcelus populi mei percuſſi eum. 170.col.2

55. Ecce, teſtem populis dedi eum, ducem & præceptorem gentibus. 61.col.1

59. Et timebunt ab occidente nomen Dei Iehouah, ab ortu Solis honorem. 54.col.1

Cùm venerit Sion Redemptor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus. Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui, dicit Dominus, à modo, & vſque in ſempiternum. 61.col.2

60. Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, Dromedarij Madiam, & Epha. Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes. 154.col.1

Qui ſunt iſti qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? 159.col.1

Surge, illuminare, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos. Super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur, & ambulabunt gentes ad lumen tuum, & Reges ad ſplendorem ortus tui. 154.col.2. & 177.col.1. & 194.col.2

Filij peregrinorum ædificabunt muros tuos. Gens & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit. 194.col.2

Non erit tibi amplius Sol ad lucendum, nec ſplendor Lunæ illuminabit te. Non occidet vltrà Sol tuus, & Luna tua non vltrà minuetur. Explicatur. 195.col.1

Minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortiſſimam. Ego Dominus in tempore eius, ſubitò faciam iſtud. ibid. col.1

61. Spiritus Domini ſuper me, & quòd vnxerit Dominus me, ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, vt prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem, vt prædicarem annum placabilem Domino. 61.col.2. & 75.col.2. & 158.c.1

62. Propter Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam, donec egrediatur, vt ſplendor iuſtus eius, & ſaluator eius, vt lampas accendatur. Explicatur. 31.col.2

63. Quia

Digitized by Google

63. *Quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicus calcantium in torculari? Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum; calcaui eos in furore meo.* 207.col.1

64. *Vtinam diſrumperes cœlos, & deſcenderes, vt notum fieret nomen tuum.* 48.col.2

Et facti ſumus vt immundus omnes nos, & quaſi pannus menſtruata vniuerſa iuſtitia noſtra, & cecidimus quaſi folium vniuerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos: & non eſt qui inuocet nomen tuum, qui conſurgat, & teneat te. Explicatur. 12.col.1. & 18.col.1

66. *Ecce Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadrigæ eius, reddere in indignatione furorem ſuum, & increpationem ſuam in flamma ignis: quia in igne Dominus diiudicabit, & in gladio ſuo ad omnem carnem, & multiplicabuntur interfecti à Domino.* 171.col.2

Nunquid ego qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus, & ego, qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero, ait Dominus Deus tuus? 99.col.2

Antequam parturiret, peperit, antequam veniret partus eius, peperit maſculum, 138.col.1

EX IEREMIA.

Cap. 1. *A. A. A. Domine Deus, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum.* 87.col.2

2. *Sub omni ligno frondoſo, & ſuper omni colle ſublimi tu proſternaberis meretrix.* Explicatur. 115.col.1

Scito, & vide, quia malum, & amarum eſt dereliquiſſe te Dominum Deum tuum, dicit Dominus. Explicatur. 92. col.2

3. *Veruntamen ſcito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum præuaricata es, ait Dominus.* Explicatur. 92. col.2

Tu autem fornicata es cum amatoribus multis. 66.col.2

5. *Præuaricatione enim præuaricata eſt in me domus Iſraël, & domus Iuda, ait Dominus: negauerũt Dominũ, & dixerũt, non eſt ipſe, neque veniet ſuper nos malum: gladium, & famẽ non videbimus: Prophetæ fuerunt in ventum loquuti, & reſponſum non fuit in eis. Hæc ergo euenient illis, hæc dicit Dominus Deus exercituum. Quia loquuti eſtis verbum iſtud, ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem, & populum iſtum in ligna, & vorabit eos. Ecce ego adducam ſuper vos gentem de longinquo, domus Iſraël, ait Dominus, gentem robuſtam, gentem antiquam, gentem cuius ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur. Pharetra eius quaſi ſepulchrum patens, vniuerſi fortes.* 137.col.1

Et comedet ſegetes tuas, & panem tuum, deuorabit filios tuos, & filias: comedet gregem tuum, & armenta tua: comedet vineam tuam, & ficum tuam: & conteret vrbes munitas tuas, in quibus tu habes fiduciam gladio. ibid. col.2

Circuite vias Ieruſalem, & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis eius an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem? 201.col.1

6. *State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus veſtris.* 127.col.2

Ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam, & non cognoui, quia cogitauerunt ſuper me conſilia dicentes. Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. 169.col.2

Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocauit Dominus nomen tuum: ad vocem loquelæ grandis exarſit ignis in ea, & combuſta ſunt fruteta eius. 1

Audite verba fœderis huius, & facite illa. 128.col.1

14. *Expectatio Iſraël ſaluator eius in tempore tribulationis, quare quaſi colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum? quare futurus es velut vir vagus, vt fortis, qui non poteſt ſaluare? Tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos.* 32.col.1

16. *Ecce ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus, & piſcabuntur eos: & poſt hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum.* 159.col.1

8. *Ecce ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea, domus Iſraël. Repentè loquar aduerſum gentem, & aduerſus Regnum, vt eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod loquutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo quod cogitaui vt facerem ei,* &c. 196.col.1

Deſcendi in domum figuli, & ecce ipſe faciebat opus ſuper rotam, & diſſipatum eſt vas, quod ipſe faciebat è luto manibus ſuis. Explicatur. 77.col.1

Conuerſuſque fecit illud vas alterum ſicut placuerat in oculis eius. 77.col.1

19. *Ecce ego inducam ſuper ciuitatem iſtam, & ſuper vrbes eius vniuerſa mala quæ locutus ſum aduerſus eam, quoniam indurauerunt ceruicem ſuam, vt non audirent ſermones meos.* 201.col.2

Sic conteram populum iſtum, & ciuitatem iſtam, ſicut conteritur vas figuli, quod non poteſt vltrà inſtaurari. 201.col.2

23. *Ecce dies veniunt, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra: in diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſraël habitabit confidenter, & hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter.* 44.col.1. & 105.col.2. & 141. col. 2. & 149.col.2

Regnabit Rex, & ſapiens erit. 107.col.1

29. *Cùm cœperint impleri in Babylone ſeptuaginta anni, viſitabo vos, & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum, vt reducam vos ad locum iſtum.* 120.col.2

30. *Hæc dicit Dominus; inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua. Non eſt qui iudicet iudicium tuum ad alligandum, curationum vtilitas non eſt tibi. Omnes amatores tui obliti ſunt tui, téque non quærent; plaga enim inimici percuſſi te caſtigatione crudeli,* &c. 202.col.1

Hæc dicit Dominus: ecce ego conuertam conuerſionem tabernaculorum Iacob, & tectis eius miſerebor, & ædificabitur ciuitas in excelſo ſuo, & templum iuxta ordinem ſuum fundabitur. 120.col.2

Quare vidi omnis viri manus ſuper lumbos ſuos. Explicatur. 66.col.1

Et erit in die illa, ait Dominus exercituum, conteram iugum eius de collo tuo, & vincula eius diſrumpam, & non dominabuntur ei amplius alieni, ſed ſeruient Domino Deo ſuo, & Dauid Regi ſuo, quem ſuſcitabo eis. 190.col.1

31. *Creauit Dominus nouum ſuper terram. Fœmina circumdabit virum.* 151.col.1

Redimet enim Dominus Iacob, & liberabit eum de manu potentioris. 18.col.2

Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Iſraël, & domui Iuda fœdus nouum, non ſecundùm pactum, quod pepigi cum patribus veſtris in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti, pactum, quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſraël poſt dies illos, dicit Dominus. Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & ero ipſis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Locus iſte explicatur, & declaratur. 128. col.1. & 147. col.1

32. *Ecce tu Domine Deus feciſti cælum, & terram in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extenſo: non erit tibi difficile omne verbum.* 25.col.2

Ecce ego congregabo eos de vniuerſis terris ad quas eieci eos in furore meo. 193.col.1

EX THRENIS.

Cap. 3. *Vetuſtam fecit pellem meam, contriuit oſſa mea.* 168. col. 2.

Sedebit ſolitarius, & tacebit, quia leuauit ſe ſuper ſe, po-

net in puluere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes. Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis. 168.col.1
Recordare paupertatis, & tranſgreſſionis meæ, abſynthij, & fellis. Explicatur. 170.col.1
Ædificauit in gyro meo, & circundedit me felle, & labore. 170 col.1
4. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris.* 167.col.2
Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides Sanctuarij in capite omnium platearũ? filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea opus manuum figuli? 201.col.1

EX EZECHIELE.

Cap. 1. *In quinta menſis, & in anno quinto tranſmigrationis Regis Ioachim verbum Domini factum eſt.* 115.col.2
6. *Et iuraui tibi, & ingreſſus ſum pactum tecum, ait Dominus Deus, & facta es mihi.* 111.col.1
7. *Conturbatio ſuper conturbationem veniet, & auditus ſuper auditum, & quærent viſionem de Propheta, & lex peribit à Sacerdote, & conſilium à ſenioribus.* 201.col.1
9. *Iniquitas domus Iſraël, & Iuda magna eſt nimis valdè, & repleta eſt terra ſanguine, & ciuitas repleta eſt auerſione. Igitur & meus non parcet oculus, neque miſerebor; & viam eorum ſuper caput eorum reddam.* 202.col.1
16. *Hæc dicit Dominus Deus Ieruſalem. Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan, pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* 193.col.2
Nec facta es quaſi meretrix faſtidio augens pretium, ſed quaſi mulier adultera, quæ ſuper virum ſuum inducit alienos. 66.col.2
17. *Cor dedit illis excogitandi, & diſciplina intellectus repleuit illos: creauit illis ſcientiam ſpiritus: ſenſu impleuit cor illorum: & mala, & bona oſtendit.* 5.col.2
18. *Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas: proiicite à vobis omnes iniquitates veſtras, quibus præuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum: quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: reuertimini, & viuite.* 138.col.2
Anima quæ peccauerit, ipſa morietur: filius non portabit iniquitatem patris. 9.col.2
19. *Non fuit in ea virga fortis, ſceptrum dominantium.* 112.col.1
20. *Et ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia, in quibus non viuent, & pollui eos in denariis ſuis.* 131.col.2
21. *Tu autem prophane, impie dux Iſraël, cuius venit dies, in tẽpore iniquitatis præfinita. Hæc dicit Dominus Deus. Aufer cidarim, tolle coronã, nónne hæc eſt, quæ humilem ſubleuauit? Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem, ponam eam, & non factum eſt, donec veniret cuius eſt iudicium, & tradam ei.* 115.c.1
36. *Et ſaluabo vos ex omnibus iniquitatibus veſtris.* 22.col.2
42. *Diſſoluiſtis pactum meum in omnibus ſceleribus veſtris.* 128.col.1
44. *Et conuertit me ad viam portæ Sanctuarij exterioris, quæ reſpicit ad Orientem, & erat clauſa. Et dixit Dominus ad me. Porta hæc clauſa erit, non aperietur, & vir non tranſibit per eam; quoniam Dominus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam, eritque clauſa.* Explicatur. 64.col.2
48. *Et nomen ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem.* 48.col.2

EX DANIELE.

Cap. 2. *In diebus Regnorum illorum ſuſcitabit Deus cæli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur & Regnum eius alteri populo non tradetur. Comminuet autem, & conſumet vniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum: ſecundum quod vidiſti, quòd de monte abſciſſus eſt lapis ſine manibus, & comminuit teſtam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum.* Explicatur. 116.col.1.& 145.c.1
4. *Eadem hora ſermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſor, & ex hominibus abiectus eſt, & fœnum vt bos comedit.* 172.col.1
Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cœlum. 162.col.2
9. *Donec conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum.* 60.col.1
Tu ergo animaduerte ſermonem & intellige viſionem. Septuaginta Hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuũ, & ſuper vrbem ſanctam tuam, vt conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna: & impleatur viſio, & prophetia, & vngatur ſanctus ſanctorum. Scito ergo, & animaduerte ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Hieruſalem, vſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt, & rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum, & poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit eius populus qui eum negaturus eſt: & ciuitatem, & ſanctuarium diſſipabit cum duce venturo, & finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadæ deficiet hoſtia, & ſacrificium: & erit in templo abominatio deſolationis, & vſque ad conſummationem, & finem perſeuerabit deſolatio. Locus iſte explicatur, & declaratur. 119.col.1
12. *Tu autem Daniel claude ſermones, & ſigna librum vſque ad ſtatutum tempus, plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſcientia.* Explicatur. 105.col.1
Vade Daniel, quia clauſi ſunt, ſignatique ſermones vſque ad præfinitum tempus. Eligentur, & dealbabuntur, & quaſi ignis probabuntur multi, & impiè agent impij. Porrò docti intelligent. 105.col.1

EX OSEA.

Cap. 1. *Et erit in loco vbi dicetur eis, non populus meus vos, dicetur eis, filij Dei viuentis.* 106.col.2.& 111.col.1
Congregabuntur filij Iuda, & filij Iſraël pariter, & ponent ſibimet caput vnum, & aſcendent de terra. 188 col.1
Saluabo eos in Domino Deo ſuo, dicit Dominus. 95.col.1
Viuificabit nos poſt duos dies, & die tertio ſuſcitabit nos. 171.col.1
Ipſi autem ſicut Adam præuaricati ſunt pactum. 8.col.1
13. *Ero mors tua, ô mors, morſus tuus ero, inferne.* 13.col.1
De morte redimam eos. 18.col.2
Saluator non eſt præter me. 60.c.1
14. *Ego ero ros Iſraëli, & germinabit ſicut lilium.* Explicatur, 67.col.1

EX AMOS.

Cap. 1. *Et diſperdam habitatorem de domo idoli, & tenentem ſceptrum de domo voluptatis.* 112.col.1.& 114.col.2
2. *Super tribus ſceleribus Iſraël, & ſuper quatuor non conuertam eum, pro eo quòd vendiderit pro argento iuſtum.* 167.col.1
9. *Qui ædificat in cœlo aſcenſionem ſuam.* Explicatur. 66.col.1

EX IONA.

Cap. 1. *Tollite me, & mittite in mare, & ceſſabit mare à vobis: ſcio enim ego quoniam propter me tempeſtas hæc grãdis venit ſuper vos.* 77.col.2

EX MICHÆA.

Cap. 4. *Et fluent ad eam populi, & properabunt gentes multæ, & dicent. Venite, aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos de viis ſuis, & ibimus in ſemitis eius.* 140.col.2
5. *Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël.* 44.col.2
Virga percutient ſuper maxillam iudicis Iſraël. 168.col.2
Et egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis. 31.col.2

Digitized by Google

EX ABACVCH.

Cap.1. *Et ipſe de Regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt, ipſe ſuper omnem munitionem ridebit.* 117. col.1

Quia opus fiet in diebus veſtris, quod non credetis cùm narrabitur. 34.col.1

3. *Deus ab Auſtro veniet, & ſanctus de monte Pharan.* 150. col.1

Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud. Explicatur. 77.col.1

EX SOPHONIA.

Cap.2. *Attenuabit omnes Deos terræ, & adorabunt eum viri de loco ſuo, omnes inſulæ gentium.* 60.col.1

3. *Tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & ſeruiant ei humero vno.* 126.c.2

EX AGGÆO.

Cap.2. *Veniet deſideratus cunctis gentibus.* 61.col.1

Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ pluſquam primæ, dicit Dominus exercituum. 147.col.1

Meum eſt argentum, meum eſt aurum, dicit Dominus. 123.c.2

Adhuc vnum modicum, dicit Dominus, & ego mouebo cælũ, & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes. Explicatur. 61.col. 1. & 121.col.2. & 123. col. 2. & 124. col.1. & 146.col.1

EX ZACHARIA.

Cap.2. *Lauda, & lætare filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus. & applicabuntur gẽtes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui, & ſcies quia Dominus exercituum miſit me ad te.* 45.col.2

3. *Dixit Dominus ad Satan. Increpet Dominus in te Satan, & increpet Dominus in te.* Explicatur. 95.col.1.

9. *Et ſaluabit eos Dominus Deus ipſorum.* 22.col.2

Ecce Rex tuus venit tibi, iuſtus, & ſaluator, & ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinum, & ſuper pullum filium aſinæ. 107. col.1. & 109. col. 2. & 163.col.2

Tu autem in ſanguine tuo eduxiſti vinctos de lacu. 105.col.2

10. *Humiliabitur ſuperbia Aſſur, & ſceptrum Ægypti recedet.* 112.col.1

11. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteis. Et dixit Dominus ad me: proiice illum ad ſtatuarium, decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & proieci illos in domum Domini ad ſtatuarium.* 167.col.1

12. *Et effundam ſuper domum Dauid, & ſuper habitatores Hieruſalem ſpiritum gratiæ, & precum, & aſpicient ad me quem confixerunt.* 46.col.1. & 105. col. 2. & 166.col.1

13. *Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, diſperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà, & pſeudoprophetam, & ſpiritum immundum auferam de terra.* 126.col.1

Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi: percute paſtorem, & diſpergentur oues. 21.col.1

Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? & dicet. His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me. 169. col.2

EX MALACHIA.

Cap.1. *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim Solis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Explicatur. 128. col. 2

3. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam, & ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis explicatur.* 68. col. 2. & 123. col.2

Ego enim Dominus, & non mutor. 25.col.2

INDEX LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ
EX NOVO TESTAMENTO.

EX MATTHÆO.

Cap. 1. *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* 69.c.2
8. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet.* 164.col.1
12. *Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël.* 177.col.2. & 196.col.1
16. *Tum abiit vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iſcariotes ad principes ſacerdotum: & ait illis. Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi conſtituerũt ei triginta argenteos.* 167.col.1
20. *An non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequã eſt, quia ego bonus ſum?* 19.col.2
21. *Oſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini.* 164.col.1
Cùm appropinquaſſet Ieſus Ieroſolymis, & veniſſet Bethphage ad montem Oliueti, tunc miſit duos diſcipulos dicens eis. Ite in caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea; ſoluite, & adducite mihi. 264.col.1
23. *Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce relinquetur domus veſtra deſerta.* 160.col.2
24. *De die autem illo, & hora nemo ſcit.* 176.col.1
26. *Qui extendit mecum manum in paropſide, hic me tradet.* 166.col.2
Amen dico vobis, quia vnus ex vobis me traditurus eſt. ibid.col.2
Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt: alij autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes; propheti͡za nobis Chriſte. 168.col.2
27. *Si filius Dei eſt, deſcendat nunc de cruce, & credemus ei, confidit in Deo, liberet nunc ſi vult eum: dixit enim quia filius Dei ſum.* 179.col.1
Et dederunt ei bibere vinum cum felle mixtum. 170.c.2

EX MARCO.

Cap. 13. *Magiſter aſpice quales lapides, & quales ſtructura. Vides has omnes magnas ædificationes, nõ relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.* 160.col.2
14. *Principes autem ſacerdotum, & omne concilium quærebant falſum teſtimonium aduerſus Ieſum, vt eum morti traderent, nec inueniebant: multi autem falſum teſtimonium dicebant aduerſus eum, & conuenientia teſtimonia non erãt.* 168.col.2

EX LVCA.

Cap. 1. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* 85.col.2
2. *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundùm verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* 188.col.1
5. *Non egent qui ſani ſunt medico, ſed qui malè habent.* 75.col.2
11. *Si autem fortis eo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet.* 62.col.2
12. *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec illud perficiatur.* 169.col.2
Cùm autem videritis circumdari ab exercitu Hieruſalem, tunc ſcitote, quia appropinquauit deſolatio eius: tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes, & qui in medio eius, diſcedant, & qui in regionibus, non intrent in eam, quia dies vltionis hi ſunt. 160.col.1
22. *Simon ecce Satanas expetiuit vos vt cribraret ſicut triticum.* 166.col.1
Dixit autem Ieſus ad eos qui venerant ad ſe principes ſacerdotum, & magiſtratus templi, & ſeniores. Quaſi ad latronem exiſtis cum gladiis, & fuſtibus, cùm quotidie vobiſcum fuerim in templo, non extendiſtis manus in me: ſed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. 168.col.1
23. *Et poſtquam venerunt in locum qui vocatur Caluaria, ibi crucifixerunt eum.* 170.col.1

EX IOANNE.

Cap. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* 17.col.2. & 20.col.1. & 24.col.2. & 40.col.2. & 70.col.2
5. *Scrutamini Scripturas, quia illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.* 72.col.1
6. *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi.* 65.col.1
7. *Nunquid aliquis Phariſæorum, aut principum crediderunt in eum? ſed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti ſunt.* 188.c.1
8. *Exultauit Abraham, vt videret diem meum, vidit, & gauiſus eſt.* 177.col.1
10. *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* 166.col.1
Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant. 196.col.1
17. *Clarifica me Pater, claritate quam habui, priuſquàm mũdus fieret. Et clarificaui, & iterum clarificabo.* Explicatur. 72.col.1

EX ACTIS APOSTOLORVM.

Cap. 1. *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* 176.col.1
6. *Multa etiam turba Sacerdotum obediebant fidei.* 188.col.1.

EX EPIST. AD ROMANOS.

Cap. 1. *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt illis: Deus enim illis manifeſtauit.* 79.col.1
4. *Et ſignum accepit circumciſionis, ſignaculum iuſtitiæ fidei.* 119.col.2. & 130.col.1
Dicimus enim quia reputata eſt Abrahæ fides ad iuſtitiam. Quomodo ergo reputata eſt? in circumciſione, an in præputio? non in Circumciſione, ſed in præputio. 130.col.1

5. Charitas

5. *Charitas diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* 84.col.2

Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. 17.col.2.& 18.col.1.& 20.col.2

7. *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret mihi, non concupiſces: per legem enim cognitio peccati.* 131.col.1

Non enim quod volo bonum, hoc facio; ſed quod nolo malum, hoc ago, ſi autem quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. 56.col.2

8. *Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne; vt iuſtificatio legis impleretur in nobis.* 78.col.1

9. *Non omnes qui ex Iſraël ſunt, ij ſunt Iſraëlitæ, neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen.* 194.col.1

EX I. AD CORINTH.

Cap.1. *Prædicamus Ieſum Chriſtum Dei virtutem.* 74.col.2

2. *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda.* 84.col.2

3. *Scribo vobis tanquam paruulis.* 87.col.2

8. *Scitis enim gratiam Dei noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet diues, vt illius inopia vos diuites eſſetis.* 24.col.1

Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem ſpiritum, &c. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult. 83.col.1

15. *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.* 63.col.2

EX EPIST. AD GALATAS.

Cap. 4. *At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.* 76.col.1.175.col.2

EX EPIST. AD PHILIP.

Cap.2. *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemet ipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus.* 24.col.1. 78.col.1

EX EPIST. AD TITVM.

Cap.3. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri Dei non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos; ſed ſecundùm miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum.* 18.col.1.& 24.col.1

2. *Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus erudiens nos.* 76.col.2

EX EPIST. AD HEBRÆOS.

Cap.1. *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius.* 32.col.1

Portans omnia verbo virtutis ſuæ. 74.col.2

2. *Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare.* 76.col.1

9. *Talis decebat, vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus.* 67.col.1

EX I. PETRI.

Cap.3. *Chriſtus pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis; vt nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, viuificatus autem ſpiritu.* 67.col.2

EX II. PETRI.

Cap. 7. *Habemus enim firmiorem propheticum ſermonem, cui bene facitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies illuceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris.* 143.

3. *Vnum hoc non lateat vos chariſſimi; quia vnus dies apud Dominum ſicut mille anni, &c.* 176.col.1

EX I. EPIST. IOANNIS.

Cap. 1. *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ.* 79.col.2

4. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum, vt viuamus per eum.* 20.col.1.& 24.col.2

EX APOCALYPSI.

Cap. 5. *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem.* Explicatur. 72.col.1

Finis indicum Scripturæ ſacræ Tomi primi.

INDEX

INDEX
HEBRAICARVM VOCVM
QVÆ IN LIBRO SECVNDO
DEMONSTRATIONVM PRIMI TOMI
aduersùs Iudæos exponuntur, & examinantur.

In quo prior numerus paginam, litera locum deſignat, vbi cum litera numerus additur, ſecundam columnam indicat.

א

אבי גד *auij gad.* 71.c
אור *or.* 50.c
אין *ain.* 96.b.2
אל *el.* 40.c.46.c.2.47.b
אלילים *helilim.* 197.c.2
אלהים *Elohim.* 88.b.2
אלהים לא חקלל *Elohim lo tekalel.* 41.d
אל נערץ *el nangharets.* 46.d.2
אל אמונה *el emunah.* ibid.d.2
אני *ani.* 50.a
אנוש *enos.* 41.b.2
אסרי לגפן עירה *oſri laggephengharoh.* 163.d.2
ארץ *berets.* 67.b.2
אשרה *iſcia.* 14.c.2

ב

באשים *beaſſim.* 168.c.2
בהדרי קדש *behadre kodeſc.* 32.b
ברא אלהים *bara elohim.* 88.c
בורה *bara.* 49.d.2
ביתק *baionek,* 163.e
אך בך אל *ach bach el,* 43.c
בראשית *bereſcith.* 96.a.2
בתולה *bethula.* 38.c

ג

גבר *gheuer.* 66.b
גוים ערלי *goim gharle.* 197.c.2
גזע *geζaang.* 149.d

ד

דבר *deuar.* 93.d.2
דמות *demuth.* 98.a.2
דמה *dumah.* ibid.b.2

ה

(ה) *he.* 95.b
הוא *hu.* 70.d
הוא ישי *hu ieſcim.* 54.d.2.55.c
היום *haiom.* 50.a
היה *hie.* 47.a
המשרה *hamiſrah.* 151.e.2
העלמה *haghalma.* 38.b

ו

(ו) *vau.* 95.b
ובאו *vbau.* 146.d
ויאמר אלהים *vaiomer Elohim.* 89.d.e 90.d.2
וירא יהוה *vaira Iehouah.* 92.a
ויקרא *vahycra.* 41.c.2
ויקרא *vehicare.* ibid.e
ומרודי *vmerudi.* 170.d
ומי ישיבנו *vmi ieſcimannu.* 17.b
וקראת *vekarath.* 68.d.2
ורוח *veruahh.* 89.b
ותהלות *vteillet.* 154.d.2

ז

זרע *ζerangh.* 41.b.2.107.e

ח

חשר *hhoter.* 149.d
חנם *hhinnam.* 18.b.2

י

(י) *iod.* 95.b.2
יד *iad.* 25.c.2
יהוה שמה *Iehouah ſcammahi.* 49.a
יהוה *Iehouah.* 46.c.2
יונק *ionec.* 31.b.2
יכרת *ycaret.* 121.c
ילד *ialad.* 49.d.2
ינון *inon.* 37.b.2.51.c.2
יצר הרע *iotſer harangh.* 10.a.b.c
יקים *iakuim.* 159.b.2
ינק *ianak.* 163.e
יקהת *iakah.* 153.d.2
יקראו *ieren.* 44.d
יקראו *ireo.* ibid.
ישע *ieſchangh.* 67.b.2
ישי *Iſai.* 145.e

כ

כארי *caari.* 169.d.2
כשל *chaſal.* 67.d
כקול שדי *Chekol ſadai.* 46.c.2
כרו *caru.* 169.d.2

ל

ליבשה *Laibaſſa.* 41.a.2
לך טל ילדותך *leca tal ialduteccha.* 37.a
לכן *lachen.* 37.c.2
למרבה *lemarbe.* 42.b.64.b.2
לפני שמש *liphnei ſchemeſch.* 37.a.2
לפנינ *lephanan.* 163.e
לרקע *larakyangh.* 41.a.2

מ

מעין *meain.* 96.a.2
מבשרי *mibeſciari.* 33.b
מושל *moſcel.* 68.c
מכה אלהים *muche elohim.* 169.b
מרים *miriam.* 151.e.2
מרד *marad.* 170.e
מרי *meri.* ibid.
משיח יהוה *Meſſiach Iehouah.* 167.b
משחר *miſchar.* 37.a
משיח *Meſſiahh.* 71.d.2
משיחא *Meſſihha.* ibid.2

נ

נגש *nagas.* 169.c
נגע *naguangh.* ibid.a
נגש יהוא נענה *nagas iehu naghaneh.* 169.c
נהירא *nehira.* 53.c
נין *nin.* 37.b.2
נענה *naghaneh.* 169.d
נער *naara.* 38.b
נעשה *naghaſe.*

נעשה *naghaſe.* 74.a.2
נפץ *nephets.* 74.a.2
משמת *miſchmath.* ibid.e
נשן *naſchan.* ibid.e
נשא *naſſah.* 45.e
משפט *miſpat.* 22.c.2

ע

עד *gad.* 114.d
עון *ghauon.* 9.c.2
עלם *ghalam.* 38.d.2
עלמות *ghalamoth.* ibid.e.2
עמנואל *Himmanuel.* 68.c.2
ענה *ghana.* 169.e
ענים *ghanim.* 158.a.2

פ

פלא *pele.* 40.c.1.70.e.2
פני המים *phene hammaim.* 89.b
פתח *petach.* 150.e.1

ק

קדש *Kadeſc.* 70.a 79.a

ר

רגלין *raglau.* 114.d
רחם *rechem.* 37.a

ש

שאל *ſceol.* 11.d.2
שבט *ſceuet.* 39.a.2.111.d
שדי *ſadai.* 46.c.2.47.d
שדד *ſadad.* 46.d.1
שופט *ſophet.* 22.c.2
שושנת *ſcioſcianath.* 22.b.2
שילה *Siloh.* 112.a.2.144.d
שליה *ſiliya.* 144.d.e
שלח *ſalach.* ibid.d
שניהם *ſcenehem.* 4.a.2
ששנים *ſcioſciannim.* 67.d
שרים *ſcuarim.* 38.e.2
שרה *ſara.* 151.a

צ

צלם *tſelem.* 98.a.2
צל *tſel.* ibid.

ת

תוך *thoc.* 18.a.2
תשא *tiſſah.* 43.a.2
תפוח ארץ *tippetach beerets.* 150.2.d
תחיני *thechaieni.* 47.b.2

PROLO

DEMONSTRATIONVM

SYMBOLORVM

VERÆ, ET FALSÆ

RELIGIONIS CONTRA

ATHEISTAS.

LIBER PRIMVS.

Digitized by Google

PROLOGVS.

VERAM & Catholicam Religionem ſuis ſymbolis, velut congenitæ ſibi lucis radiis illuſtratam demonſtrare aggredior. Primò, aduersùs Atheos, ſecundò, aduersùs Iudæos, tertiò, contra Hæreticos. Cuius in primis tria ſymbola aduersùs Atheos ſtatuimus, quibus præcipua ipſorum dogmata velut iaculis confodiuntur. Nam cùm hi omni fidei lumine orbati, ac totius Religionis perduelles in primis Deum Opt. Max. quem rerum omnium natura prædicat, ac maximis vocibus proſequitur, ſumma impietate è medio tollant: deinde Animarum immortalitatem, qua rationalis natura ſingulari Dei munere prædita fuit, quamq; mens, ac innata ratio ipſis non obſcurè teſtatur, immaniter in ſeipſis trucident: demum decreta poſt mortem bonis præmia, ac malis ſupplicia, quæ ſupremum ipſum Diuinæ æquitatis ius animo perſuadet, obnixè conuellant: primum iis veræ Religionis ſymbolum animo hauriendum proponimus; nimirum, neceſſariam ipſam Dei exiſtentiam. Tum, quod ſecundum ſymbolum eſt, ſuam ipſorum Animorum immortalitatem. Tertium denique, certa videlicet bonis ac malis poſt obitum conſtituta præmia, aut ſupplicia; quæ ipſis in primo libro demonſtrabimus; vt ex his veram tandem Religionem addiſcant. Totidem porrò ſymbola Iudæis ad eorum perfidiam declarandam, ac ipſos ad ſaniorem mentem, ac Religionem reuocandos, in ſecundo libro obiicimus. Quorũ Secta quandoquidem circa tria potiſsimùm errorum capita verſatur: nam primo loco Meſsiæ in lege promiſsi Diuinitatem, cui omnium ſacrarum Scripturarum auctoritas ſuos calculos defert, nimia infidelitate proſternunt. Secundo loco, eiuſdem aduẽtum adhuc ſuſpenſi præſtolantes, velut cæca quadam animi caligine contecti, ipſum nec dum veniſſe agnoſcunt, cuius aſpectu totum

ferè Orbem longè latéque illuſtratum eſſe non ignorant. Poſtremò tandem Ieſum Chriſtum Virginis Mariæ filium; quem vnicum humani generis Saluatorem, Meſsiam, Deumq; Opt. Max. non modò Chriſtiana Eccleſia colit,ac profitetur; verùm & clariſsima Prophetarum Oracula,atque ingentia ſigna teſtatum relinquunt; verum Meſsiam eſſe hoſtiliter oppugnant. Iis idcirco Meſsiæ Diuinitatem,tanquam primum veræ Religionis ſymbolum explicamus. Secundum quoque obiicimus, ac oſtendimus: cuncta tempora Meſsiæ aduentui in Scripturis præfixa iam dudum expiraſſe; ac proinde Meſsiam iam veniſſe. Tertium denique ſymbolum ipſis contemplandum ob oculos ponimus: nempe Ieſum Chriſtum Mariæ Virginis filium, ac diuinam ſummi Patris prolem,verum Meſsiam, ac ſolum hominum Redemptorem eſſe in lege expectatum. Octo tandem ſymbola aduersùs Hæreticos Lutheranos potiſsimùm, & Caluinianos in tribus poſtremis libris erigimus, quibus malè prætenſa, ac peiùs reformata ipſorum Religio falſa demonſtratur: tum vera ac Romana Religio propriis ſplendoribus aucta mirificè illuſtratur.

Primum eſt, veram Religionem vnam tantùm eſſe.

Secundum, vna tantùm fide ſubſiſtere.

Tertium, vno capite viſibili à Chriſto inſtituto gubernari.

Quartum, vnam tantummodò fidei doctrinam cuſtodire,ac tradere.

Quintum, vnitatem ſacrarum Scripturarum retinere.

Sextum, vna, ac legitima ſucceſsione contineri.

Septimum, vnam vitæ ſanctimonia, ac miraculorum gloria coruſcare.

Octauum, ac poſtremum, vnam perpetua temporum diuturnitate,ac fidei conſtantia muniri.

Quæ omnia,ac ſingula ſuo quæque ordine,quo diſpoſita ſunt, Deo imprimis annuente, auſpicante, opitulante, ac nobiſcum agente demonſtrabuntur.

DEMONSTRATIO PROLEGOMENA.

An vera Religio poſſit demonſtrari per ſymbola.

DEMONSTRATVRIS quæ ſint veræ Religionis ſymbola, quęſtio nobis in ipſo veſtibulo primùm exagitanda ſe offert; *An vera Religio per ſymbola demonſtrari valeat.* Hanc quæſtionem quædam nobis dubitationes pariunt. Prima eſt, quòd cùm pleræque Hæreſes, ac ementiti nominis Religiones paſſim emergant, ac per Orbem cum vera Religione excreſcant; profectò iamdiu extinctæ iacerent, ſi vera Religio ex ſuis ſymbolis ita demonſtrari valeret, vt de ea certa ab hominibus ſcientia haberi poſſet: & ſi quę fortè clàm erumperet, aut ſub veræ Religionis veſte lateret, mox veræ Religionis demõſtratione obiecta ab Eccleſia exulare cogeretur. Altera quoq; dubitationis ratio eſt, quòd cùm veræ Religionis certitudo ex ipſa potiſſimùm Diuina inſtitutione pendeat. (Eò enim vera Religio à falſa dignoſcitur, quòd illa à Dei inſtitutione, quæ veræ Religionis eſt parens, hæc ab hominum, vel à Dæmonum ſuperſtitione initium habet.) Eo fit, vt priùs ipſa Diuina inſtitutio demonſtranda eſſe videatur, quàm veræ Religionis certitudo haberi poſſit. Cùm verò Diuina inſtitutio per ſymbola demonſtrari non poſſit, vtpote quæ de genere earum rerum eſt, quæ fidei ſubſunt, ac ſola fide demonſtrabiles ſunt; inde ſequitur, vt neque ipſa Religio per ſymbola demonſtrari valeat.

Accedat tandem tertia ratio dubitandi: nam Demonſtratio, quæ fit per ſigna, plerunque eſt fallax, neque certam rei ſcientiam, ſed tãtùm opinionem parit; cùm ſigna interdum fallere poſſint: quò fit, vt quamquam vera Religio per ſymbola demonſtrari poſſet, ea tamen demonſtratio ſemper in formidine verſaretur, neque ita certa eſſe poſſet, vt ex ea efficax argumentum ad veram Religionem demonſtrandam ſumi valeret.

In hac quæſtione quædam priùs explicanda ſunt, antequam illius ſolutionem aggrediar. Primùm igitur omnibus exploratum eſſe debet, veræ Religioni ſua ſymbola, ac ſigna, quibus ab Hæreticorũ Sectis internoſci queat, negari non debere: quod nobis, & aduerſariis commune ſtatuimus. Nemo enim aut Hæreticorum, aut Hebræorum huius tẽporis, dum veram ſibi Religionem arripere contendit, veræ Religioni ſua ſymbola debere vnquam negauit. Hæretici quidem diuerſa ſibi ſymbola cõfingunt, vt latè explicabimus in libr. 1. aduersùs Hæreticos: Hebræi verò Moyſem, Legem, Prophetas, ſacrificia, cæremonias à Deo inſtitutas pro ſymbolis ſibi vendicant, quę velut vana, ac futilia in ſecundo libro contra Iudæos confutabimus.

Porrò, ſi vnaquæque res præter intrinſecã ſui ipſius naturam certa quædam ſigna habet, quibus ab aliis dignoſcitur: lapis enim à planta, planta à bruto, brutum ab homine nõ tam ipſa rerum natura, quæ in ipſis diuerſa eſt, ac diſparata, quàm externis quibuſdam ſymbolis diſtinguitur. Eo enim fit, vt ab iis longè remoti homines, præſertim rudes, cùm naturam ipſam minimè indagare valeant, vnum tamen ab altero ſecernant. Quinetiam inter ea, quæ eiuſdem ſpeciei eſſe ſolent, diſcrimen agnoſci non poſſet, niſi ipſa quædam ſigna præ ſe ferrent, quibus ſe conſpicienda atque aliis diſcernenda præberent. Homo enim ab homine, non natura, ſed facie, ſtatura, colore dignoſcitur; Leo quoque à Leone, lapis à lapide, vel corporis mole, vel colore, vel aliis certis ſignis diſtinguitur. Ita quoque in vera Religione fieri æquum eſt. Cùm enim plurimæ vndique Sectæ erumpant, quæ veræ Religionis naturã præ ſe ferũt; neq; in iis facilè, præſertim à rudibus, veræ Religionis natura agnoſci valeat, certa ſigna dari neceſſe eſt, quibus ea ab omnibus vera agnoſci poſſit, & à Sectis ſecerni. Quod fortè annuere voluit Iſai. c. 19. cũ ait: *In die illa erit Altare Domini in medio terræ Aegypti, & titulus Domini iuxta terminũ eius erit in ſignũ, & in teſtimoniũ Domino exercituũ in* *Iſai. 19.*

 terra

Digitized by Google

terra Aegypti,&c. *& cognoſcetur Dominus ab Aegypto,& cognoſcent Aegypty Dominum in die illa, & colent eum in hoſtiis,& in muneribus, & vota vouebunt Domino,& ſoluent.* D. Auguſt.de vnit. Eccleſ.lib.1.c.14.hæc interpretatur de Eccleſia Christi, quæ per Ægyptum diffundenda erat. Euſeb. Cæſar.de Demōſtratione Euangelica lib.1.cap.4. Altare Domini Chriſti Sacerdotium eſſe declarat. Titulum verò iuxta Altaris terminum Cyrillus ſignum ſanctiſſimæ Crucis intelligit:nam pro titulo Hebraicè eſt, [illegible] id eſt, ſtatua, vel columna,qua appoſitè Crux ſanctiſſima ſignificatur, quæ Chriſti crucifixi ſtatua, imago,ac columna eſt, in qua ipſe exaltatus fuit. Quemadmodū igitur Altare Domini in Ægypto erigendū veræ Religionis,qua Deus colendus erat, ſignum, ac teſtimoniū Ægyptiis præferebat; atq; eo vera Dei Religio agnoſcebatur, cùm in eo Domino hoſtiæ immolarentur: ita nūc vera Religio ſua ſibi ſymbola,ac teſtimonia vendicat, quibus Diuina, atque à Deo inſtituta eſſe agnoſcitur. Et quidem piæ horum Patrum ſententiæ ſubſcribimus, qui Chriſti Sacerdotium, ac Crucis titulū in eo erectum veræ Eccleſiæ ſymbolum, ac teſtimonium, præſertim contra Idololatras, ac Mahometiſtas eſſe ſentiūt: neq; tamen aſpernandi ſunt, qui locum hunc Iſaiæ aduersùs nouos Sectarios ad illuſtriſſimum Altaris Sacramentum referunt;quod ſanè haud alienum à Prophetico ſenſu videri debet, cùm illud haud leue veræ Religioni teſtimonium præbeat. Nam idcirco Altare iſtud in terra Ægypti collocatum traditur,vt auguſtiſſimū hoc Altaris Sacramentum non Synagogæ;ſed Eccleſiæ,quę ex Gentilibus priùs ſimulacrorum cultui addictis colligenda fuit,datum agnoſcatur: neque fruſtra titulum Domini iuxta illud appoſitum eſſe ait: cùm illud nunc apertè Dominico titulo exornatum Domini Sacramentum nuncupetur. Hoc autem inter cætera præclariſſimum eſſe veræ Religionis ſignū,ac teſtimonium à Domino inſtitutum, vt eo verus, ac diuinus Religionis cultus à Sectarum ſuperſtitione diſtinguatur, omnes antiqui Patres teſtantur, qui illud Eccleſiæ Sacramētum appellāt. Aug.lib.ſent. Proſperi,Chryſoſt.Hom.de Prod. Iudæ, Philo Carpathius in 7.cap. Cant. Cant. Cyrillus Alex. epiſt.ad Neſtorium,& alij. Ex quo apertè colligitur certa quædam ſymbola veræ Religioni tribuenda eſſe; quibus illa à falſis dignoſci valeat.

Auguſt. de vnit. Eccleſ. lib.1.c.14.

Euſeb. Cæſa.

Id verò ſecundo loco perſpicuum eſſe debet; legitima veræ Religionis ſymbola nihil aliud eſſe, quàm proprietates quaſdā ab ipſa inſeparabiles,ſine quibus ea nullo modo cōſiſtere poteſt;ac proinde ita certa eſſe debere, vt veram Religionem velut digito demonſtrent: ita vt nulla de ea dubitatio præſertim apud Orthodoxos ſuboriri queat. Quamobrē hic ſtatuēdum eſt, duo eſſe ſymbolorum genera. Quædam extrinſeca,quæ rem extrinſecè ac forinſecus tantummodò indicant: cuiuſmodi ſunt accidentia communia. Alia verò intrinſeca ſunt, quæ cùm à Dei eſſentia fluant,ac illius principia conſequantur, rem ipſam intrinſecè declarant: huiuſmodi ſunt accidentia propria, ac propriæ rei paſſiones, qualis eſt in homine riſibilitas, aut in equo hinnibilitas,quæ propriam hominis, aut equi naturam inſeparabiliter comitantur. Priora quidem ſigna, cùm pluribus communia eſſe poſſint, neque ad vnum duntaxat determinentur, nonnunquam æquiuocationem gignunt:quò fit,vt haud certò rem demonſtrare valeant. At poſteriora cùm ſint intrinſeca ſint, ac propria, neque ab ea auelli vnquam poſſint,nullo modo fallere queunt, tēmque ita neceſſariò demonſtrant, vt agnito riſibili, hominem agnoſci opus ſit: inde fit, vt rectè,ac neceſſariò homo per riſibile demonſtretur.

His igitur ita explicatis, ſit prima concluſio: *Vera Religio per ſymbola, veluti per proprietates quaſdam ab ea inſeparabiles, quæ nulli prætenquàm rectæ Religioni conuenire poſſunt, eſt demonſtrabilis.* Concluſio certa eſt, primùm ex parabola tritici, & zizaniorum, quam de vera, ac falſa Religione explicant Tertullianus de præſcript. Hæret. cap. 31. & Chryſoſtomus Hom.47. in Matth.nam cùm in ea triticum à zizaniis à ſeruis illius patrisfamilias diſcernatur,quo pacto id fieri poſſet, niſi certum aliquod ſignum in tritico agnoſcerent,quo illud à zizaniis diſtinguerent, ex quo illud triticum,hęc zizania eſſe certò colligerent? Ita ſanè in vera Religione fieri opus eſt;vt ea cæteris quibuſdam ſignis ac ſymbolis prædita ſit, quibus à falſa indubitatò dignoſci valeat,vt in illa excolenda;in hac verò extirpanda quicunque ſummi Patrisfamilias ſeruos ſe profitentur,aſſiduè laborent: nam ſi nullo certo ſymbolo vera Religio ab Hæreſi, aut infidelitate diſcerni poſſet, an non inter perpetuas tenebras vera Eccleſia obſcura lateret, ita vt in ea veræ Religionis triticum à Sectarum zizaniis dignoſci nunquam poſſet?

Tertul. de præſc. Chryſoſt. Hom. 47. in Matt.

Secundò, certa eſt ex Paulo ad Tit. 3. vbi Hęreticum hominem poſt vnam,aut alteram correptionem euitandum iubet: at quis Hæreticum euitare poteſt,niſi priùs eum in Hæreſi verſari agnoſcat? Ac certè nullus Hæreſim prætetquàm ex oppoſita ſibi vera Religione vnquam didicit; quare hinc perſpicuū eſt, Paulum cùm ab Hæretico cauendum monet,tam Hæreſi,quàm veræ Religioni ſua ſymbola, quibus certò demonſtrari poſſint, ſtatuere. *Ad Tit. c. 3.*

Tertiò, certa eſt ex Ioanne Epiſt. 2. vbi ad *Epiſt. 2.*

veræ

veræ Religionis probationem, ac certam Hæreſis manifeſtationẽ Doctrinæ Apoſtolicæ ſymbolū affert. *Qui permanet* (inquit) *in doctrina, hic & Patrem, & Filium habet: ſi quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis.* Idem 1. cap. 4. aduerſùs Hebræos ac Gentiles Ieſu Chriſti fidem tanquam veræ Religionis ſymbolum ſtatuit. *Omnis ſpiritus* (ait) *qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt.*

Ioan. Epiſt. 2.

1. Ioan. Epiſt. 4.

Poſtremò hoc Demonſtrationis genere velut optimo vſi ſunt omnes ferè Patres, qui aduerſùs Gentiles, aut Hebræos, aut Hæreticos ſcripſerunt. Cyprianus libro de Idolorum vanitate ad veram Religionem contra Idololatras ſtatuendam, Dei vnitatem velut illius ſymbolum vſurpat, quo etiam vtuntur Tertullianus in Apologetico aduerſùs Gentes cap. 17. Athenagoras Apologia pro Chriſtianis, Athanaſius Oratione contra idola, Arnobius Rhetor contra Gentes lib. 2.

Cyprianus lib. de Idolorum van.

Tertullianus. Athenag. Athanaſius. Arn. Rhet.

Hanc ipſam ſymbolicam Demonſtrationem aduerſùs Hebræos ſibi vendicat Tertullianus aduerſùs Iudæos cap. 13. vbi Chriſtianæ Religionis veritatem ex Meſſiæ Diuinitate, & Chriſti fide tanquam propriis ſymbolis venatur; quem poſtea ſequuti ſunt Origenes lib. 1. de Principiis, Lactantius lib. 4. Iuſtin. cap. 13. Ambroſ. libr. 1. de fide cap. 6. Euſebius de Demonſtratione Euangelica libr. 4. cap. 29. Damaſcenus Orthodoxæ fid. lib. 4. cap. 12. & alij.

Tertul.

Origenes. Lactantius. Iuſtin. Ambroſ. Euſeb. Damaſ.

Denique ad veram Eccleſiam aduerſùs Hæreticorum Sectas demonſtrandã hac ſymbolica Demonſtratione vſos eſſe nouimus antiquiſſimos quoſque Patres, qui Apoſtolicam doctrinam edocti, tũ ex Apoſtolica ſucceſſione, tum ex vnitate, tum ex vniuerſalitate, tum ex ſanctitate, velut certis, ac genuinis ſymbolis veram Eccleſiam perſpicuam reliquêre. Inter quos ſunt Irenæus lib. 3. c. 3. Tertullianus de Præſcript. aduerſùs Hæreticos c. 32. Cyprianus de vnitate Eccleſiæ. Lactantius lib. 4. c. 30. Pacianus epiſt. 1. Hieronymus Dialogo contra Luciferianos c. 9. Auguſtinus de vnitate Eccleſiæ, & contra epiſt. Fundam. c. 4. Concilium Conſtantinop. in Symbolo: ex quibus liquidò conſtat, hoc ſymbolicæ Demonſtrationis genere veram Religionem optimè demonſtrari.

Irenæus. Tertul. Cyprian. Pacianus. Hieron. Auguſt.

Concil. Conſtantinop.

Altera concluſio: *Demonſtratio huiuſmodi ſymbolica ſupernaturalem veræ Religionis certitudinem parit.* Primùm quòd ea certitudinem pariat, id ex natura ſymbolorum ſibi vendicat, quæ veræ Religioni ita propria ſunt, vt ab ea diuelli nullo modo queant: quò fit, vt cùm ab intrinſeca ipſius natura ita fluant, quòd ſine iis vera Religio conſiſtere nequeat, nulli dubitandum ſit, quin ab iis vera Religio certò demonſtrari valeat: nam ſimul ac vera Religio animo nobis conſpiciendam ſe offert, mox eam his proprietatibus ſtipatam, ac velut menti inſinuatam concipimus: ex quo ſanè apertum eſt hoc Demonſtrationis genus certum eſſe, ac indubitatum, cui nullum falſum ſubeſſe poteſt.

Cùm verò hæc Demonſtratio à fide potiſſimùm pendeat, ac ſupernaturalibus principiis innitatur, planè exploratum eſt, eam non naturalem, ſed ſupernaturalem duntaxat certitudinem gignere: ſymbola enim, ac proprietates, quæ veram Religionem demonſtrant, tametſi ab ipſius principiis erumpant; verùm quandoquidẽ ipſa Religio Diuinam inſtitutionẽ in ſua ipſius natura complectitur, minimè naturalia eſſe poſſunt, neq; naturalẽ veræ Religionis demonſtrandæ vim, atque efficaciam aſſequuntur: ſed eam à ſupernaturali Diuini verbi auctoritate naniſcuntur; quò fit, vt non naturalem, ſed tantùm ſupernaturalem Demonſtrationem patiantur: quod ſanè potiſſimum, ac neceſſarium præſertim in rebus fidei Demonſtrationis genus eſſe cenſetur. Atque inde fit, vt Demonſtratio ex huiuſmodi ſupernaturalibus ſymbolis compacta, cùm ex ſumma Dei veritate, quæ fidei naturam comitatur, falſum ſibi ſubeſſe nullo modo patiatur, certiſſima, ac neceſſaria iudicanda ſit.

Hinc facilè, quæ in principio obiecta fuerant, diluimus. Quòd enim primò obiiciebatur; ſi vera Religio ſymbolis demonſtrari poſſet, nulla in Orbe Hæreſis graſſaretur: dicimus non ſine Dei conſilio fieri, vt Hæreſes cum vera Religione excreſcant: ita enim habetur Matth. 13. in parabola de bono ſemine ac zizania: *Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem.* Et Paul. 1. ad Cor. 11. de Hæreſibus agens: *Oportet* (inquit) *Hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant.* Et Aug. de vera Religione c. 8. tom. 1. *Quoniam* (inquit) *veriſſimè dictum eſt, Oportet Hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant inter vos, vtamur etiam iſto Diuinæ prouidentiæ beneficio. Ex his enim hominibus Hæretici fiunt, qui etiamſi eſſent in Eccleſia, nihilominus errarent; cùm autem foris ſunt, plurimùm proſunt, non verum docendo, quod neſciunt; ſed ad verum quærendum carnales, & ad verum aperiendum ſpiritales Catholicos excitando.* Plures huiuſce Diuini conſilij grauiſſimæ rationes videri poſſunt apud Tertull. de Præſcript. adu. Hæreticos, Euſebium Cæſar. Eccleſ. Hiſt. lib. 4. cap. 6. Cyprianum de vnitate Eccleſ. & alios Patres, ac ſcriptores. Hæc tametſi ita ſint, haud tamen orthodoxa Religio ſua Demonſtrationum luce vnquam deſtituta fuit, qua ſeipſam ab Hæreſum caligine vendicare, ac omnium oculis conſpicuam reddere poſſet: ea verò Hæreticorum oculos minùs interdum illuſtrare valet, cùm ij nõ tam denſis cæcitatis tenebris, quàm duriſſimis pertinaciæ ſquamis animos obtectos ferant: neque

Matth. 13.

1. ad Corint. 11.

Auguſt. de vera Religione c. 8.

Tertul. Euſeb. Cæſar. Cyprianus.

ſemel ſuperno lumini tebelles, cum ipſa agnita veritate ſola contradieendi libidine bellum gerant. Hinc & Hæreſes naſcuntur, & diutiùs in Eeeleſia permanent, eùm fidei veritas non tantùm ignoratur, ſed & agnita proteruo animo impugnatur. Quòd ſi mentis oculo ſemper (vt par eſt) vera Religio conſpieeretur; neque eam, quam (vera, ae legitima prætermiſſa) quiſque Hæreticorum ſibi propriam ſtatuit, mordicùs, ac pertinacitet defenderet; planè illius tanta lux eſt, vt dēſæ quælibet, atque atræ Hæreſum nubes ſolo illius aſpectu effugarentur, & vix nata errorum monſtra veritatis gladio oecumberent. Sed cùm vera Religio iis demonſtranda eſt, qui illius lucem inuiſam habent, & apertam cum veritate pugnam ineunt; inde fit, vt nulla iis Demonſtratio quantumuis euidens, ac eonſpicua ſatis ſit, vt veram Religionem vnquam aſſequi poſſint.

Quòd verò ſecundò obiiciebatur, Diuinam inſtitutionem demonſtrari non poſſe: fateor quidem Diuinam inſtitutionem, vnde vera Religio orta eſt, non poſſe naturaliter demonſtrari: cùm Deum auctorem habeat, & naturalem eognitionem excedat: attamen nihil impedit, quominus tam Diuina inſtitutio, quàm Religio ſupernaturaliter demonſtrari valeat (vt dictum fuit) vtraque enim Diuini verbi auctoritate, ac teſtimonio innititur: quapropter cùm ex verbo Dei vel tacito, vel expreſſo Diuina inſtiturio traditur, eo quoque vera Religio demonſtratur. Neque excipere valent, quòd Scripturæ ſint ipſa Religione poſteriores; quandoquidem Dei verbum, quod Seripturis exprimitur, ipſa Religione antiquius eſt; tametſi poſterius exararum fuerit: eò fit, vt Scripturæ, quæ veram Religionem ante illas fuiſſe teſtantur, Diuinam inſtitutionem anteceſſiſſe non obſcurè indicent. Ex quo tādem euincimus, Demonſtrationes, quæ per ſymbola fiunt, cùm à Scripturis ortum habeāt, veram Religionem à priori ſupernaturaliter demonſtrare.

His verò non obſtat, quòd Hæretici ferè omnes ſuas Hæreſes Diuinis auctoritatibus munire ſoleant, ac etiam Diuinam iis inſtitutionem prætexere; neque ex hoc ſequitur nō tam veram Religionem, quàm ipſam Diuinam inſtitutionem ignorari: quandoquidem id non ex Diuina inſtitutione aecidit, quæ ex Scripturis notiſſima eſt: ſed ex praua Seripturarum intelligentia, qua Hæretiei vniuerſas ferè Scripturas eorrumpunt, & ad ſuos ſenſus minùs legitimè trahunt.

Quòd tandem vltimò obiectum fuit, ſigna quandoque eſſe fallacia; ae proinde Demonſtrationem, quæ per ea fit, minùs certam haberi, ae falſi ſuſpieione non carere. Diximus id locum habere in Demonſtrationibus, quæ fiunt per ſigna aeeidentium communium, quæ pluribus conuenire poſſunt; non autem iis, quæ ex ſymbolis propriis, ae intrinſeeis rei proprietatibus eonſtant. Id verò in ſymbolicis hiſee veræ Religionis Demonſtrationibus ſingulare eſt, quòd hæ ſupernaturalibus ſymbolis fulciuntur, quæ ex irrefragabili Diuini verbi teſtimonio, cui nullum omnino falſum ſubeſſe poteſt, vim atque auctoritatem obtinent. Quo ſanè ab iis omnis erroris, aut ineertitudinis ſuſpicio abſtergitur.

DEMON

Digitized by Google

DEMONSTRATIO
PRIMA GENERALIS
PRIMI SYMBOLI
contra Atheiſtas.

De neceſſaria Dei exiſtentia.

Præfatiuncula.

HORRIBILIS, *ac miſerāda Moyſi olim viſa eſt antiqua illa abyſſi facies, quæ cùm denſa vndiq; tenebrarũ caligine obtegeretur, omnem à ſe penitus lucem abiiciebat:* Et tenebræ (*inquit*) erant ſuper faciem abyſſi; *cuius tandem miſeratus Deus Opt. Max. lucem è veſtigio creauit, quo factum eſt, vt profligatis vndique tenebris vniuerſa illius ſplendore illuſtrarentur. Huic ſanè haud diſſimilis nobis videri debet Atheiſmi, velut alterius abyſſi, vultus, qui cùm nec ipſo fretus naturæ lumine, quo illa vndique Diuino munere perfunditur, nec vllo fidei, quæ totum Orbem illuſtrat, ſplendore perfuſus: ita omnem penitus Diuinitatis lucem à ſe quàm longiſſimè repellit, vt inter craſſiſſimas prodigioſæ cuiuſdam infidelitatis tenebras ſine Deo verſetur. Vtinam benigniſſimus Deus, vt illius quondam, ita nunc huius abyſſi miſeratione commotus, Diuinam illi è cœlo lucem effundat, quò expulſa tanta erroris caligine, Diuinæ tandem agnitionis Atheiſtis dies illuceſcat, ac fidei lucifer in eorum cordibus oriatur. Hac ſpe fretus, illis in hoc libro veræ Religionis lucem animo hauriendam propono: vt ea perſpecta cæcam illam Atheiſmi abyſſum, in qua hactenus verſati ſunt, perhorreſcant, & ad veræ Religionis lucem quamprimùm accedant. His igitur primò affulgentem vndique Dei exiſtentiam, deinde propriam animarum immortalitatem, denique conſtitutos bonorum, ac malorum fines poſt hanc vitam, tanquam legitimas vnius veræ Religionis notas, Deo fauente, demonſtrabimus.* Geneſ. 1.

De Atheiſmo, illius origine, & cauſis.

ARTICVLVS PRIMVS.

AGGREDIOR explicare veræ Religionis ſymbola aduersùs Atheos, vbi tria ante illorum explicationem nobis exponenda ſunt. Primum, quid Atheiſmus, quæ origo, quæve illius cauſæ inter homines ſint. Secundum, vbinam Atheiſmus ſedem ſibi vendicet. Tertium, an Athei Deum ignorare poſſint. Quibus ſingulos quoſque articulos ſuo ordine aſſignabimus.

Atque vt ab ipſo Atheiſmi nomine in hoc primo articulo exordiar. Atheiſmus Orbis monſtrum, atque eò acerbior totius Religionis hoſtis, quò acriùs in omnem Religionem pugnat; ſuo ſe nomine adeò impium, ac horrendum prodit, vt nullum inter tot Orbis mala ipſum, aut impietate antecellere, aut ſaltẽ æquare valeat. Nam cùm cætera vitiorũ monſtra, Dei, aut hominum leges ſpernant; hoc in Deum inſoleſcens ipſum aggreditur,

ac quodammodo enecat, & ab Orbe expellit. Graue hoc quidem ſcelus, quo Diuinæ ac humanæ leges paruipenduntur, aut fides præſcinditur: at longè omnium grauiſſimum illud, ac planè inexpiabile, quo Dei maieſtas rerum omnium opifex toto Orbe fugatur. Id enim ipſum nominis etymon declarat, quod Atheiſmus à Græcis accepit. Cùm enim id Latinis ſit Deus quod Græcis θεὸς, hine primùm ἄθεος vox profecta eſt, quam Latini *ſine Deo* explicant. Atque inde Atheiſtarum appellationem ij ſortiti ſunt, qui impia Atheorum dogmata ſequentes, cæteris omnibus animantibus peiores in mundo ſine Deo viuunt. Tandem ex his Atheiſmus Orbis monſtrum emerſit, quo is hominum ſtatus inſinuatur, qui omni Dei cognitione à ſe excuſſa, pecudum more inter homines degit.

Plut. de Plac. Philoſ. Tull. de nat. Deo. lib. 1. Suidas in Lex.

Illius originem Plutarchus de Placitis Philoſophorum, Tullius lib. 1. de Nat. Deorum, & Suidas in Lexico, ad Diagoram Melium referunt, quem primò Atheon idcirco appellatum fuiſſe affirmant, quòd nullos Deos eſſe exiſtimaret. De eo refert Cicero, quòd cùm Samothraciam aliquando veniſſet, eiq; pictas tabellas, quas Neptuno pleríque à naufragio erepti pro voto obtulerant, familiaris quidam oſtendiſſet, dixiſſétque: En, ô Diagora, qui nullum Deum eſſe cenſes, quot Deorũ benignitate à naufragio liberati ſunt, & ſalui in portum recepti; protinus eidem reſpondiſſe: At qui naufragium fecerunt, vbinam picti ſunt? Eò quippe nefarius homo impietatis euaſerat, vt omnem Diuinitatem irrideret. Huius patria Melos vna ex Cycladibus Inſulis propter Atheiſmum deleta ab Athenienſibus fuit. Quo ſanè omnibus perſpicuum eſſe poteſt, quàm immaniſſimum, ac exitiale ſit hoc Atheiſmi monſtrum, quod cùm primùm erumpere cœpit, mox ſecum parentis patriæ excidium tulit: quámque olim Orbi inuiſum fuerit, vt nec ipſi Idololatræ, qui Deum ac veram Religionẽ ignorabant, illud in Orbe ferendum ſenſerint; ſed mox cum patrio loco delendum curauerint.

Cicero.

Diagoras.

Protagoras. Laërt in Protagora. Tull. de Nat. Deor lib. 1. Theodoret lib. 2. de Princip. Boëtius de Conſol. lib. 1.

Hunc nihilo melior Protagoras Abderites ſequutus eſt, qui teſte Laërtio in Protag. Tull. 1. de Nat. Deo. & Theodoret. lib. 2. de Principiis, circa Deum omnino incertum ſe habuit. Atque hæc illi dubitandi cauſa fuit, vt ait Boëtius de Conſol. Philoſophica lib. 1. quòd Deorum tantam & bonitatem, & virtutem eſſe crederet, vt mala cuncta, ſi Dij eſſent, ab vniuerſo Orbe profliganda omnino fore exiſtimaret. Contrà rebus ipſis tantam impuritatem, imbecillitatem, ac malitiam eſſe ſenſit, vt ſi Dij non eſſent, nihil in rebus boni, ſinceri ac perpetui eſſet relictum. Quamobrem ita arguebat: Si Dij ſunt, vnde mala? ſi non ſunt, vbi bona originem trahunt?

Hinc (vt arbitror) Manichæorum apud nos Hæreſis orta eſt, qui cùm humanis hiſce rebus innumera mala bonis promiſceri cernerent, neque ad Deum, quem bonorum duntaxat auctorem exiſtimabant, mala vllo modo referenda eſſe crederent; duo rerum principia in Orbem inuexerunt, alterum bonorum, alterum malorum: quo ſanè parum à Protagorica impietate diſtarunt. Quibus id facilè reſpõderi potuiſſet, Deum eſſe, nec tamen à Deo, ſed à nobis mala proficiſci: à Deo verò bona tantummodò manare.

Callimachus.

De Callimacho illud proditum eſt, Deos idcirco à viris prudentibus effictos exiſtimaſſe, vt homines Deorum timore compeſcerentur, & Religione quadam à vitiis deterrerentur, cùm tamen ipſe nullos eſſe cenſeret. Eo quippe argumentationis genere omnem Diuinitatem impugnabat. Si Deus eſt, is adeò potens ſit, neceſſe eſt, vt nihil impoſſibile obuium habeat. Sed Deum nõ omnia poſſe facere exploratum eſt: neque enim efficere poteſt niuem atram, aut ignem gelidum, aut quòd idem ſtet, & non ſtet: quòd ſi hæc nullius potentiæ ſubſunt; neque cuiquam vllos eſſe Deos fas erit exiſtimare: quod impius homo aſſerebat, Deum immutabilem ignorans, qui ſi ea, quæ ita fieri vult, deſtrueret, aut mutaret; ſeipſum inconſtantem proderet, atque ea efficeret, quæ ſi efficeret, Deũs non eſſet.

Laërtius in Ariſt. Tull. l. 1. de Nat. De.

Hos ſequuti ſunt Hippon cognomento Atheus, Theodorus Cyrenæus, Euemerus, Thegeates, Diogenes Phrygius, qui, vt teſtis eſt Laërtius in Ariſtippo, & Tull. lib. 1. de Nat. Deo. omnes de Diis opiniones ſuſtulêre.

Virg 1. Æneid.

Homer. Odyſſ. lib. 1.

Mart. Epig. lib. 4.

Inter Deorum contemptores Virgil. 1. Æneid. Mezentium Tyrrhenum enumerat, qui impius ſine vllo Deorum reſpectu in homines fuit; Cyclopes etiam, vt refert Homerus Odyſſ. lib. 1. ſub perſona Polyphemi, vitam adeò efferam, ac barbaram ducebant, vt neque legibus, neque diſciplina ciuili conſtarent, neque Religione Deorum gubernarentur. Selium quendam Martialis Epigramm. lib. 4. commemorat, quòd nullos Deos eſſe affirmaret, hoc carmine:

Nullos eſſe Deos, inane cælum
Affirmat Selius, probátque, quòd ſe
Factum dum negat hoc, videt beatum.

Suid. in Lex.

Vniuerſos hos tantæ impietatis vel auctores, vel ſectatores infœliciſſimo exitu conſumptos eſſe tradunt Hiſtorici: nam Suidas in Lexico de Luciano Sophiſta, qui ſummus Chriſtianorum hoſtis fuit, ſcribit ita impium in

Deum

Digitized by Google

Deum fuiſſe, vt eum quotidie vt vanũ irridetet: quapropter à canibus miſerè diſcerptus, ac laceratus fuit. De Anaſtaſio Imperatore refert Zonaras, quòd cùm in Atheiſmũ incidiſſet, cum ſomniis immiſſis correptũ fuiſſe; qui cùm ea negligeret; neque alia pleraque terribilia præſagia, quibus ad pœnitentiam inuitabatur, curaret; aſtantem virum, librum manu tenentem, ac hiſce verbis compellantem audiuit: Ecce Imperatot ob *κακοπιςίαν*, & peruerſitatem fidei tuæ quatuordecim annos vitæ tuæ deleo. Ita etiam refert Paul. Diaconus lib. 15.

Zonaras.

Paul Diac. lib. 15.

Enumerantur & hac noſtra tempeſtate à Sabell. ſupplem. lib. 22. ex Iouio, & Ioanne Baptiſta Gello Dial. 2. nõnulli homines alioqui faceti, qui pet totam vitam Atheiſmum ſunt profeſſi. Horum alter moribundus potentiori ſe commendauit, ſiue Deus ille, ſiue dæmon eſſet, cum hoc horrendo Epiphonemate Italico, *Chi piu può, piu tiri*, Qui valentiot eſt, ad ſe trahat.

Porrò, huius ſummæ impietatis cauſas ſi inquirimus, prima eſt hominum ſtoliditas, qui cùm Deum oculis non videant, nec manibus attrectent, eò dementię prolabuntur, vt eum non eſſe omnino ſentiant. Quid verò ſtolidius, quàm Deum ob id quòd nec aſpectabilis, nec attrectabilis ſit, prorſus è medio tollere? Planè hoc hominum genus ſtultiſſimum eſſe affirmat Regius Vates Pſ. 13. cùm ait: *Dixit inſipiens in corde ſuo; Non eſt Deus.*

Pſal. 13.

Cæterum quod ait Dauid impios in corde ſuo ſentire nõ eſſe Deum, alterã etiam huius impietatis cauſam aperit: hominum ſcilicet peruerſitatem, quæ ſanè tanta eſt, vt non paucos videre liceat, qui poſtquam audacia peccandi, & malorum conſuetudine obduruerint, furiosè etiam omnem Dei memoriam repellant, quæ tamẽ ſpontè illis à natura ſuggeritur: quò fit, vt omni Dei memoria ſublata, tandiu ſine Deo viuant, quouſque omnem Diuinitatis ſenſum ſepeliant, ac Deum à ſui notitia exulare cogant. Hinc Damaſc. *In tantum* (ait) *praualuit pernicioſa hominum malitia, vt dicant Deum non eſſe, ſecundùm illud Pſ. 13. Dixit inſipiens.*

Damaſ.

Pſal. 13.

Tertia etiam cauſa eſt hominum brutalitas. Nam cùm eò plerunque prauæ cupiditates homines adigãt, vt fermè in belluas conuertant; qui iis dediti ſunt, adeò excæcantur, vt à vera Religione haud rarò decidẽtes paulatim in Atheiſmum defluant. Ita enim de iis pronunciat Dauid: *Homo cùm in honore eſſet, nõ intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Nam reuera ſi ſapientes eſſent, aut ſaltem ea, qua tanquam homines pręditi ſunt, ratione vterentur, nunquam profectò in tam abſurdam ſententiam inciderent, vt Deum nullum eſſe exiſtimarent. At verò cùm belluinis cupiditatibus animum planè immutatum habeant; haud mirum eſt, illos omni rationis lumine orbatos, ita ad pecudum, ac iumentorum ſtoliditatem transmeare, vt nullum de Deo ſenſum ſibi fingant.

Pſal. 48.

Huic & quarta cognata cauſa ſuffragatur; effrænata ſcilicet quorundam viuendi licentia, qui cùm eo vitæ genere liberrimè frui expectant, quod nullis pœnarum terroribus cõcutiatur, nullúmque ſuorum vitiorum, quibus intimè copulantur, Deum vindicem ſibi imminere velint, quò liberiùs in omne flagitium ſe tradant, eò licèt reluctãtem animum cogunt, vt Deum à ſe excutiat.

Superba etiam quorũdam curioſitas quinta cauſa eſt, qui cæca Diuinarum rerum indagandarum libidine ducti, cùm vix hærentibus ſibi pennis, ad altiora quàm par eſt, conſcendere geſtiant, ac Deum ritè inueſtigare neſciant; inſtar Icari Dedalæis curioſæ cuiuſdam temeritatis pennis elati, tandem à Deo decidunt, & præcipites in Atheiſmum feruntur. Hi ſunt qui ſuperba quadam animi præſumptione elati, Dei naturam, Trinitatem perſonarum, Animarum immortalitatẽ plus æquo inueſtigare volunt, quos haud mirum eſt rerum magnitudine oppreſſos, eò plerumque cæcitatis (Deo illorum temeritatem vlciſcente) deuenire, vt à Deo ipſo excidant. *Scrutator quippe maieſtatis* (vt ait Salomon Prouerb. 25.) *opprimetur à gloria.*

Prouerb. 25.

Porrò, ſexta cauſa eſt nimia Politicorum huius temporis licentia, qui vt ſeſe optimos Regũ ſeruos, ac viros frugi eſſe demonſtrent; nec Deum, nec cœleſtia curanda eſſe ſentiũt, dummodò Principum placita fiant. Hi Machiauelli libros aſſiduè præ manibus vertentes, omni pietate excuſſa, nulla Religione impediuntur, quominus quiduis audeant. Iubeat Rex, vel Princeps, vt honeſtos ac pios ciues ſub aliquo prætextu expolient; id adeò cupidè agunt, vt ne ab Eccleſiaſticis quidem manus contineant: imperet veneno aliquem aggredi, aut trucidare; ſtatim venena propinare, ac ſicas ſtringere didicerunt. Denique hi nihil libidinis, nihil fraudis, ſceleris nihil non moliuntur. Huius rei cauſam ſi efflagites, ea eſt, quòd nullum eſſe ſibi Deum perſuaſerũt, qui de tot ſceleribus, ac flagitiis pœnas aliquãdo expetat: quò fit, vt Athei potiùs, quàm Politici appellari debeant.

Ipſa quoque quæ, omnibus Sectis familiaris eſt, doctrinarum diſcordia ſeptimam cauſam Atheiſmo miniſtrat. Cùm enim quiſq; ſuam fidem ſtruere velit, & ſe quiſque veræ Religionis arcem Patribus, Conciliis, Antiquitate, Vniuerſitate, Conſenſione, ac Scripturarũ veritate reiectis occupaſſe præſumat, & propriam fidiculam pertinaciter defendat; hinc omnis fides apud illos exulare incipit, vt diſſerit Hilarius ad Conſtantium; dum multæ fides apud illos eſſe cœperũt: nam cùm aliud

Hilar. ad Conſtant.

hodie,

hodie, aliud cras credant, ac fides per ſingulas ferè horas mutent; ſanè conſequens eſt, vt nihil credant: quò fit, vt multos inter Sectarios Athei, atque Epicurei omnem Religionem deridentes, ſtolidos illos eſſe putent, qui pro Religione tam acres pugnas ineunt; cùm illi quicquid de Deo aſſeritur, pro fabula habeant, ad rudes ac imperitos in metu continendos à verſutioribus conficta, vt teſtantur Miniſtri Caluiniani in Præfatione admonitionis ſuæ de libro Concordiæ.

Miniſtri Caluin. in lib. Concil.

Poſtrema tandem cauſa eſt, ſumma Hæreticorum peruerſitas. Nam vſque adeò creuit Hæreticorum quorundam impudentia; vt dum nihil ſolidum, ac ſtabile in ſuis erroribus inueniunt, cæca Hæreſum caligine ducti, ac craſſioribus errorum tenebris tecti, quò magis ſeipſos à Deo ſeparant, eò minùs dignè de Dei maieſtate ſentiant. At poſtquam plurima Deo indigna affixerunt, illud tandem indignum affigunt, quòd eũ prorſus non eſſe ſentiunt; *Abyſſus* quippe *abyſſum inuocat*: atque Hæreſis Hæreſim parit, donec ad extremam Hæreſim ventum ſit, qua Deus ipſe ab Orbe expellatur. Atque his tandem gradibus in Atheiſmum, qui omnium Hæreſum profundum eſt, prolabuntur. Hi ergo non tam Ethnicis, ac Idololatris, quàm ipſis brutis animantibus deteriores ſunt, qui omnem Religionem è mundo tollunt; vt ille apud Plutarchum Erillus egregiè diſſerit lib. *Quòd bruta ratione vtantur*: cùm homines affirmat, ſi ab iis ſemel Religio abſit, non modò brutis pecudibus nihil excellere, ſed multis partibus longè eſſe miſeriores.

Plutarc lib. Quòd bruta ratione vtantur.

Quàm latè Atheiſmus per Orbem pateat.

ARTICVLVS II.

ATHEISMVM fortè quiſpiã, vel nunquam in Orbe extitiſſe, vel ſi olim fuit, modò Chriſti fide, ac Religione pulſum, atque extinctum eſſe, ea potiſſimum ratione facilè ſibi perſuadeat: quòd cùm multi vbique Sectarij vigeãt, variis Sectarum nominibus nuncupati, Caluiniani in Gallia, Lutheriſtæ, Zuuingliani, Huſſitæ, Anabaptiſtæ, Oſiandrini, Suenckfeldiani, Energiſtæ, Flacciani, & alij propè innumeri apud Germanos. In Polonia Blandratiſtæ, in Lituania Budneiſtæ, in Tranſyluania Trideiſtæ, in Anglia Puritani; atque alibi innumera Sectarum colluuies ſui autoris, aut Religionis nomine munita aſſurgat. Nullibi tamen Atheos, aut Sectam inſtituiſſe, aut Atheiſticam impietatem ſub alicuius autoris nomine palàm profeſſos fuiſſe legimus.

Id quidem ſummopere expetendum eſſet, vt tam ingens Atheorum impietas, tam profundè ſepulta eſſet, vt nullibi vnquam erumperet. At certè toto cœlo aberrant, qui Atheos poſt Chriſtum toto Orbe extinctos credunt: viuunt enim, vigent vbique, atque vtinam minùs vigerent, ne tam atra, ac dira lues Orbem ſua tabe inficeret; Sectas non inſtituunt, vt per omnes Sectas vagari poſſint; nomen ſibi non imponunt, vt difficiliùs à cæteris agnoſci valeant. Nemo enim tam perditus, támque flagitioſus exiſtit, qui ſtatim in eam impietatem iutare vellet, ſi horrendam illius faciem agnitam haberet. Hi tandem, ſub alieno nomine vbique graſſantur. Hi inter Caluinianos Caluiniani, inter Lutheranos Lutherano, inter cæteros Sectarios illius Sectæ nomine ſe contegunt; neque ab iis ipſa Catholica Religio libera eſt: cùm & plerique inter Catholicos degant, qui ſub Catholico nomine Atheiſmum celant.

Hos denique, & Caluiniana Secta, & Lutherana, & Zuuingliana, & quotquot Hæreticorum Sectæ in Orbe graſſantur, vbique pariunt: atque hi tanquam fæces, & excrementa, in quæ tandem Sectæ vniuerſæ reſoluuntur, Orbem ſuo fœtore inficiunt. Eſt enim hic Hæreſeon ſeneſcentium, & pereuntium finis, vt tandem in Atheiſmum deſinant.

Porrò, mirabile eſt, quàm latè hac noſtra tempeſtate Atheiſmus in Orbe diſſeminatus ſit. In Gallia enim tam frequens eſſe Atheiſtarum genus teſtatur libellus Pariſienſis lib. 2. c. 10. vt publicè libri Atheiſmi impietatem nefariam profitentes curſitare viſi fuerint: quod etiam cõfirmat Petrus Gregorius Tholoſanus in Commentariis ſyntaxis art. mir. tom. 3. c. 1. vbi refert anno 1582. Metis potiſſimùm librum quẽdam Vulcano dicatũ fuiſſe, qui nihil aliud Deum quàm naturam eſſe doceret. Præterea idem liber Pariſienſis, eorum, qui magicæ impietatis ſtudioſi omnem Diuinitatem ſolo dæmone adorato abnegarunt, ita copioſum numerum hoc tempore fuiſſe refert, vt vix credibile videatur. Hanc enim Diaboliſtarum ſocietatem ad ſexaginta millia, eóque amplius in ſola Gallia excreuiſſe narrat. Plurimóſque non longè ante hæc tempora, in Gallia repertos fuiſſe Ludimagiſtros Viretus affirmat, qui in ſcholis occinere ſoliti eſſent: *Mens perit, & corpus*: veréque beatum illum prædicari, qui, vt extat apud Virgilium,

Libel. Pariſ. l. 2. c. 10.

Petr. Greg. Tholoſ. in Com. ſynt. art. mir. to. 3. cap. 1.

Viretus.

—— Metus omnes, & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, ſtrepitúmque Acherontis auari.

Virgilius.

Geneuæ Miniſtrum fuiſſe, qui in Eccleſia, quam Italicam vocant, populos docendos eſſe ſuaderet, animam ſimul cum corpore extingui, ſi ſimul omnem Papatum extinctum vellent, teſtatur Ioannes Vetus.

Ioan. Vetus.

Denique

Innoc. Gentil. in Com. de Regno, & quouis Principatu rectè adminiſt.

Denique Innocentius Gentilletus I. C. in Cōmentatiis de Regno,& quouis Principatu rectè adminiſtrando aduersùs Nicolaum Machiauellum conqueritur, Galliam Atheiſtis plenam eſſe,his verbis: *Infælicisſima vel hoc vno nomine noſtra eſt ætas,quæ talibus Atheorum mōſtris infecta,atque infamis vſque adeò impietate, & Dei contemptu infecta eſt.* Et pluribus interiectis: *Poſſem enumerare multos effrænatos Dei,& Religionis contemptores,quos Deus acerrimè eſt vltus:& exemplorum veterum,recentiorum etiam copia eſt. Ligneroliuis Aulicus, qui, vt induſtriam & dexteritatem ſuam probaret in Aula, palàm Atheiſmum profitebatur,quomod periit? auctum iri ſperabat,vbi perniciem inuenit. Landius Baſſius Vaſco, & alij (quorum nominibus parco,propter propinquos,quorum honori, & famæ id à me datur) nónne poſtquam Religionis cultum abiecerunt,infælicem vitæ exitum nacti ſunt?* Hæc Gentilletus.

Ioan. Sturm. in 3. par. Antip. 4.

Germaniam quoq; his Atheiſtarum monſtris fertilem eſſe ferunt Ioannes Sturmius in tertia parte Antipap. 4. quam inſcripſit Antiprocemium, & Miniſti Caluiniani ſub Duce Caſimiro in Præfatione admonitionis ſuæ de libro Concordiæ, vbi id concordiæ Bergenſi tribuunt,quòd ex ea velut ex Pandoræ Pixide omnium malorum genera, præſertim Atheiſtarum impietatem prouocauerint, qui palàm omnem fidem, ac Religionem ludibrio habent.

And. Philop. in reſpon. ad Eliſab. Angl. Reg. Edictum.

Angliam etiam horum monſtrorum ita feracem eſſe ſcribit Andreas Philopater in reſponſione ad Eliſabethę Angliæ Reginæ Edictum, vt publicos Atheiſmi extare in Anglia profeſſores teſtetur. Ita enim ſcribit in prima ſectione Edicti: *Si Gualteri quoque Raulæi ſchola frequens de Atheiſmo paulò longiùs proceſſerit,quam modò ita notam, & publicam ſuis ædibus habere dicitur, Aſtronomo quodam Negromanteo præceptore iuuentutis nobilioris, ex quo non exigua turmæ, tam Moyſis legem veterem, quàm nouam Chriſti Domini inſulſis quibuſdam facetiis, ac dicteriis eludere, ac in circulis ſuis irridere didicerunt: ſi hæc inquam ſchola radices, ac robur ceperit, & ipſe Raulæus in Senatum delectus fuerit, quò Reipubl. quoque negotiis præſideat: quod omnes non ſine ſumma ratione expectant, cùm primas apud Reginam poſt Rudlæum, & Hattonum teneat, & ex gregario propè Hybernia milite mirum Principem, ac potentem ſola Reginæ gratia, nullis præcedentibus meritis videant euaſiſſe: quid, inquam, erit expectandum aliud, niſi vt aliquando Edictum aliquod à Mago illo, atque Epicuro Raulæi præceptore conſcriptum, Reginæ nomine euulgatum cernamus? quò planè omnis Diuinitas, omnis Animæ immortalitas, & alterius vitæ expectatio, dilucidè, clarè, & breuiter, & citra ambages tollatur; & læſæ maieſtatis accuſentur tanquam Reipublicæ perturbatores, qui contra iſtiuſmodi doctrinam tam placidam, & ſeſe in carnis vitiis volutantibus hominibus ſuauem, ſcrupulos cuiquam, aut moleſtias moueant.* Idem etiam fatetur Vigiſtus Anglus Caluiniſta ſcribens aduersùs Puritanos, vbi grauiter conqueritur Angliam ſuam Atheiſtis refertam eſſe.

Vigiſt. Angl. Caluin.

Denique Guillelmus Roſeus libro de iuſta Reip. Chriſtianæ in Reges Hæreticos auctoritate, Atheiſticam hanc infidelitatem aſcribit familiæ Amoris, quæ primùm Londini exorta, deinde per totam Angliam profecta eſt. Verba illius hæc ſunt: *Quod enim in Gallia, in Germania, in Flandria, totóque Belgio, tanquam ipſa Euangelij huius medulla & nucleus, tam operosè ſatum eſt, idipſum in vicina quoque Anglia ita ſuccreuit, & maturuit; vt illic in plurimis locis eorum ſtudiosè terantur libri, perſonent conciones, multiplicentur Diaconi, & Seniores; celebrentur Cœnæ,& congregationes, prædicetur ſymbolum, quorum ſymboli hic vnus, iſque primarius eſt Articulus. Chriſtianum hominem à beſtia nihil penitus differre, neque ab eo reddēdam eſſe vnquam operum ſuorum rationem: ſed inſtar bruti animalis moriturum,nec vnquam vel corpore, vel Anima reſurrecturum.*

Guillelm. Roſeus lib. de iuſt. Reip. Chriſtianæ in Reges Hæret. auctoritate.

Ioan. Duræ. Scot. ſociet. Ieſu.

Scotiam quoque hac peſte contaminatam refert Ioannes Duræus Scotus Societatis Ieſu in confutatione reſpōſionis Guillelmi Vuitakeri: vbi ex teſtimonio Miniſtrorum Scotiæ tradit, ex quo nouum Caluiniſtarum Euangelium in Scotia audiri cœpit, innumeros in Regno Atheos eſſe cœpiſſe: ſiquidem hic peſſimus Caluiniani Euangelij fructus agnoſcitur, vt ex Caluiano tandem Atheum efficiat. Quod non obſcurè nuper Natalis quidam Atheiſta faſſus eſt; qui Metis in Lotharingia à Magiſtratu comprehenſus, cùm interrogaretur qua via ad Atheiſmum perueniſſet, reſpondit, ſe id Caluini Inſtitutionibus acceptum ferre.

In Polonia verò Atheiſmum profundas hac tēpeſtate radices egiſſe declarat libellus Cracouiæ editus anno 1588. cū hac inſcriptione, *Simonis Religio incerto auctore*, in quo ita habetur: *Simon in libro diuulgato Vilnæ apertè (vt docent ſuæ Religionis fundamenta) non vult Deum eſſe animum, aut mentem, ſiue intelligentiam, non motorem, vt Peripatetici tradunt: ſed quendam calorem. Quamobrem ait, Cælum veneramur, ac terram: illud, quia ſit genitor: iſtam, quia omnium mater.* Et concludit Author: *Hoc eſt ergo ſymbolum Simonis Theodorianum, Credo in tria, cælum, atque terram. In cælum patrem, atque creatorem omnium. In terram rerum omnium matrem, atque nutricem. Et in cæli formam omnia ſentientem, & intelligentem: Ede itaque, ait, bibe, lude, iam Deus figmentum eſt.*

Vigand in libel. de Deo contra Arian.

Impiam hanc Atheiſticam ſobolem vbique in hoc Poloniæ Regno diffuſam teſtatur Vigandus in libello, quem de Deo contra Arrianos nouos in Polonia edidit; in quo ſibi probandum eſſe conqueritur contra Atheiſtas, quòd Deus ſit; quod nouem rationibus perficit. In Lituania quoque quidam Leuan primùm Iudęus, deinde ex Iudęo Chriſtianus,

ex Chri

Digitized by Google

ex Chriſtiano Zuuinglianus, ex Zuuingliano tandem Atheos factus legitur apud Reſcium cap. 10.

Neque tandē à peſſima hac Atheiſmi tabe noſtra hæc Italia libera eſt; neque enim hoc infœliciſſimo ſeculo deſunt quāplurimi apud Principes Machiauelistæ, qui omni Religione contempta, nullum in Orbe Deum dominari putant, animarum immortalitatem inter ſomnia referunt, & quæ de cœleſtibus præmiis, ac infernorum ſuppliciis diſſeruntur, puerorum ludibria exiſtimant: ad hunc quippe Colophonem Machiauelistæ perueniunt, vt omnem fidem ludibrium eſſe putent. Ex his quidam cùm hyberno tempore maximo deſæuiēte frigore duos ex noſtri Ordinis Fratribus nudis pedibus incedentes cerneret, quodam Atheologico paradoxo riſiſſe, ac dixiſſe fertur: *Heu quàm miſerè hi deciperentur, ſi neque Deus, neque Paradiſus eſſet, quem poſt tot labores expectare deberent.*

Alij verò eò dementiæ hac noſtra tempeſtate deuenerunt, vt nouam Religionem fingendam eſſe haud diſſentaneum duxerint, quæ ex Chriſtiana, Iudaica, Mahometica, Lutherana, Caluiniana conſtaret: quam hy-
Vuillelmus Poſtell. potheſim Venetiis quendā Vuillelmum Poſtellum multis audientibus ventilaſſe tradit Henricus Stephani. Quot verò reperias, qui Magicis artibus imbuti, omni Diuinitate neglecta nomina diabolo dederunt? Iis adeò Italia fœcunda eſt, vt ſtriges ac maleficas vbique pariat. Cùm igitur ſummam hanc Atheiſmi abominationem tam longè, latéque per Orbem propagatam intueamur, quæ velut Antichriſti acies ſupra omne quod dicitur Deus extollitur; hinc nobis maximè elaborandum eſt, vt pro Deo glorioſo, ac vera Religione aduerſùs tantæ abominationis præcurſores decertemus: vt tādem proſtrato hoc Dei ac veræ Religionis hoſte grauiſſimo, ſæuiſſimo, ac teterrimo, ſolus Deus benedictus, ac vera ipſius Religio in Orbe perpetuò regnet.

An ignorare poſſint Atheiſtæ Deum eſſe.

ARTICVLVS III.

EXPLICATIS Atheiſmi principiis, quæſtionem hanc idcirco primo loco exagitandam proponimus, quòd plerique Patres ac Catholici Doctores ſentiant Dei notitiam adeò eſſe hominum mentibus inditam, vt eam humanus animus nullo modo effugere poſſe
Gregor. Nazianz. orat. 4. videatur. Ita videtur ſentire Gregorius Nazianz. orat. 24. vbi ait, de Deo, vt eſt principium non productum ab alio, inſitam eſſe ho-
Damaſc. Orthod. fid. lib. 1. minibus naturalem cognitionem. Idem tradit Damaſcenus Orthod. fid. lib. 1. vbi ita ſcribit: *Nemo eſt mortalium, cui non hoc à Deo naturaliter inſitum ſit, vt Deum eſſe perſpectum habeat.* Hoc ipſum docent Iuſtin. ad quæſt. 6. à Gentilibus *Iuſtin.*
propoſitam, Athanaſius contra Idola, Cypria- *Athanaſ.*
nus de Idolorum van. Hugo de ſancto Vict. *Cyprian. Hug. de S.*
in hæc verba: *Deus ab initio ſic cognitionem ſuam* *Vict.*
in homine temperauit, vt ſicut nunquam poterat comprehendi quid eſſet, ita nunquam, quia eſſet, poterat ignorari. Tandem Auguſt. tract. 106. in *Aug. tract.*
Ioan. *Hæc eſt,* inquit, *virtus vera Diuinitatis, vt* *106. in Ioan.*
creaturæ rationali iam ratione vtenti non omnino, ac penitus poſſit abſcondi.

Præterea id videtur poſſe confirmari ex Scripturis, Iob 36. de inſita Dei cognitione *Iob 36.*
agēs ait: *Omnes homines vident eum, vnuſquiſque intuetur procul.* Paul. ad Rom. 1. de Philoſophis *Rom. 1.*
diſſerēs, qui Deum ſolo naturæ lumine agnouerunt. *Quod notum eſt Dei,* inquit, *manifeſtum factum eſt illis.* Quòd ſi aliquid Dei per ſe Philoſophis notum fuit, tum id maximè quod eſt Deum eſſe, quæ eſt prima de Deo cognitio.

Accedat & meliorum Philoſophorum conſenſus, qui in hanc videntur conſpiraſſe ſententiam, vt Deum ignorari non poſſe exiſtimarent. Nam Plato lib. 10. de Legibus: *Quo-* *Plato Lib. de leg.*
modo, inquit, *ſi Deus ſit, aliquis diſſerat: cùm à pueritia id didicerimus: dum enim lacte nutriremur à nutricibus, ad Deos affirmandos animum induximus: quippe qui à matribus multa de illis ioco, ſerióque dicta, decantatáque in orationibus audiuimus.* Addit præterea rationem, quæ eſt: *Naturalis cuiuſque ſpeciei inſtinctus inanis eſſe non poteſt; ſed hominis ſpecies immutabiliter ad Deorum Religionem fertur: Deos igitur eſſe omnibus omnibus notum eſt.*

Iamblichus quoque in myſteriis Ægyptio- *Iamblich. in*
rum id confirmare videtur: ait enim ante om- *myſt. Ægypt.*
nem rationis vſum ineſſe naturaliter inſitam Deorum notionem: immò tactum quendam Diuinitatis meliorem quàm notitiam, ex quo incitatur naturalis appetitus boni, & ratiocinatio, & iudicium. Denique Tullius, qui omnium antiquorum Philoſophorum placita illuſtriora ſibi vendicauit; hanc velut communem omnium antiquorum ſententiā conſtantiſſimè tuetur lib. 1. de Nat. Deo. *Nulla,* ait, *Tull. l. 1. de*
eſt tam barbara natio, nulla gens tam efferata, cui *Nat. Deo.*
non inſideat hæc perſuaſio, Deum eſſe; atque adeò id à natura notum, ac perſpectum eſſe docet: vt Dei notitiam anticipationem naturæ appellet, idcirco quòd ad eam hominum mentibus inſinuandam nullo Doctore, nullis moribus, nulla præterquàm naturæ lege opus ſit: quam ſententiam tuetur etiam lib. 1. de legi- *Lib. 1. de leg.*
bus, & paſſim.

Ratio quoque id videtur euincere; nam quod per ſe notum eſt, nulla ratione videtur poſſe ignorari; ſed Deum eſſe, per ſe eſſe notum id in primis perſuadet, quòd omnes in *Aug. lib. 1. de*
rerum natura aliquid exiſtere intelligunt, *doct. Chri-*
quo nihil maius: at illud teſte Auguſt. lib. 1. *ſtiana c. 7.*
de

de doct. Chriſtiana cap. 7. omnium opinione eſt Deus, ergo Deum eſſe per ſe eſt notum.

Præterea omnes appetunt ſummum bonum ſuapte natura; At ſummum bonum eſt Deus, ergo omnes Deum appetunt. At quis vnquam appetere poſſit quod ignorat? *Inuiſa enim*, vt ait Aug. *diligere poſſumus, incognita nequaquam*; cùm omne volitum ſit præcognitum, cùm igitur Deus ab omnibus appetitur, à nullo ignoratur. *August.*

Rurſus id non poteſt ignorari, quod non poteſt cogitari non eſſe; at rationalis mens non poteſt cogitare Deum non eſſe, non enim poteſt rem cum oppoſito eius intelligere, quod eſt de illius quidditate, quod ſanè efficeret, ſi Deum non eſſe intelligeret: cùm eſſe ſit de quidditate Dei, ergo non poteſt ignorari Deum eſſe.

Denique, nulla eſt tam extera ac remota natio, quæ Deum aliquo nomine non concipiat, vt olim Platonici obſeruarunt: Hebræis Dei nomen eſt quadriliterum יהוה, Græcis Θεὸς, *Deum* Latini appellant, Perſæ, Syri, Magi, *Orſi*, pro Deo vtuntur Ægyptij, *Teut*, Arabes, *Alba*, Mahometiſtæ, *Abdi*, Itali, *Idio*, Hiſpani, *Dios*, Galli, *Dieu*: neque fruſtra, vniuerſa Dei nomina quadrilitera reperiuntur: nam, vt Platonicis placet, his Dei perfectio continetur. Quadruplicem enim Dei excellentiam his ſignificari volunt, primã naturæ, ſecũdam eſſe, tertiam virtutis, quartam operationis, quibus cũcta diſponit. At qui Deum nomine expreſſerunt, etiam mente non ignorauerunt.

Poſtremò cùm Athenienſes Pythagoræ illius Sophiſtæ librum, in cuius principio *an Deus ſit* dubitare videbatur, publicè combuſſerunt, ipſo ab vrbe, atque agro expulſo; eo ſanè præclaro facinore id inſinuare voluerunt; eum è rerum natura expellendum eſſe, qui Deum, quem natura agnoſcit, ignoraret. Ex his tandem concludi poſſet, neminem verè Atheiſtam reperiri poſſe, qui Deũ, quem naturæ lumine agnitum gerit, vere negare poſſet.

In hac quæſtiõne diuerſæ videntur ſententiæ D. Thomæ & Scoti: nam D. Thomas prima primæ quæſt. 1. art. 1. docet hanc propoſitionem, *Deus eſt*, eſſe per ſe notam. Contrà verò Scotus diſt. 2. q. 2. non eſſe per ſe notam defendit. At certè diſſenſio non eſt in re, ſed tantùm in modo explicandi, quæ ſit propoſitio per ſe nota: quapropter primùm explicandum eſt, quid ſit eſſe per ſe notum, tam D. Thomæ, quàm Scoto: tum nonnullis concluſionibus quæſtionem abſoluemus. *D Thom p. 1. q 1. art. 1.* *Scotus diſt. 2. quæſt. 2.*

D. Thomas cùm hanc propoſitionẽ, *Deus eſt*, docet eſſe propoſitionem per ſe notam, duplicem huiuſmodi propoſitionẽ diſtinguit. Quędam enim propoſitio à D. Thoma per ſe nota dicitur, quæ non ſolùm ſecũdùm ſe, ſed etiã nobis nota eſt; atque ea eſt, quæ non tantùm prædicatum intrinſecè in ſubiecto complectitur, ſed ipſam quoque complexionem ex terminorum euidentia claram indicat. Hac ratione principia communiſſima dicuntur per ſe nota; nam perceptis terminis ſtatim apparet incluſio prædicati in ſubiecto: vt omne totum eſt maius ſua parte, de quolibet eſt affirmatio, vel negatio: Triangulus non eſt quadrangulus, &c. Huiuſmodi enim propoſitionum veritas adeò naturæ lumini colligata eſt, vt ipſum nullo modo effugere valeat; quò fit, vt cognito quid per illam propoſitionem ſignificatur, ſtatim intellectus illius veritatem percipiat: cùm verò nullo alio præterquàm naturæ luminis adminiculo eidem aſſentiatur, hinc ea propoſitio per ſe nota dicitur; quandoquidẽ nulla alia Demõſtratione præterquàm terminorum cognitione indiget.

Altera verò D. Thom. propoſitio per ſe nota dicitur, in qua licèt prædicatũ ſit de intrinſeca ratione ſubiecti, tamen id à noſtro intellectu propter illius ignorantiam non percipitur; quò fit, vt priori aliquo aſſenſu indigeat, quo ad illius aſſenſum diſponatur: quod alij aliis terminis declarant, cùm dicunt, aliam eſſe propoſitionem per ſe notam, quæ per ſe euidens eſt ſine medio, atque ei ſine priori aſſenſu, quem vel complexio propoſitionis, vel noſtri intellectus diſpoſitio requirat, intellectus aſſentitur. Alteram, quæ per ſe quidem euidens eſt, atque ei neceſſariò aſſentimur ſine aliquo priori aſſenſu, quem ipſa propoſitionis complexio exigat; non autem ſine priori aſſenſu, quem noſtra ignorantia, ac intellectus imbecillitas requirat, vt in hac propoſitione, *Deus eſt*, ex quo conſtat D. Thomam diſtinguere inter propoſitionem per ſe notam, & eam quæ eſt nota ſecundùm nos. Prior enim eſt nota per ſe ſecundùm nos, poſterior verò eſt tantùm nota per ſe, non ſecundùm nos.

Quòd ſi quis D. Thomæ obiiciat, omnem propoſitionem per ſe notam, idcirco per ſe notam denominari, quòd ſingularem reſpectum ad nos habeat; ergo omnem propoſitionem per ſe notam, etiam ſecundùm nos notam eſſe: is planè reſponderet, propoſitionem per ſe notam duplicem ad nos reſpectum habere, vnum quidem communem, quo ea intelligitur poſſe à nobis cognoſci, niſi aliquid ex parte noſtri (intellectus nimirum imbecillitas) illius cognitionem impediret: alterum ſingularem, quo efficitur, vt nullo impedimento propoſitio ſecundùm ſe nota, nobis etiam cognita ſit. Cùm igitur obiicitur, omnem propoſitionem per ſe notam ſecundùm ſe, etiam eſſe notam ſecundùm nos. Reſpondet, ſolam propoſitionem per ſe notam cum ſingulari reſpectu ad nos, efficere propoſitionem per ſe notam etiam ſecundùm nos, non autem eam, quæ communem duntaxat reſpectum ad nos habet: nam vt aliqua propoſitio dicatur per ſe nota; ſufficit, quòd nõ per aliam

Digitized by Google

propoſitionem, ſed per ſuos terminos proprios in intellectu huiuſmodi terminos concipiente, euidentem cauſet veritatem; quòd ſi ab aliquo intellectu ob illius imbecillitatem non percipiatur, non minùs tamen eſt propoſitio per ſe nota. Atque hoc pacto Deum eſſe, eſt per ſe notum: quandoquidem hæc extrema, ſcilicet, *Deus, & eſt*, apta ſunt euidentem reddere illam propoſitionem, *Deus eſt* cuilibet intellectui perfectè illam apprehendenti, Diuino ſcilicet, & mentibus Beatorum: neque id obſtat, quominus eadem propoſitio alicui intellectui propter illius imbecillitatem, aut prauam diſpoſitionem ignota eſſe poſſit: cùm perfectè illius diſpoſitionis terminos non apprehendat: atque hoc pacto Atheiſtarum intellectus ignorare poteſt, quòd Deus ſit.

Habemus igitur ex doctrina D. Thomæ eſſe notum per ſe, & eſſe notum nobis inter ſe differre. Per ſe enim ea tantùm nota ſunt, quæ tametſi intellectus ignorat, ex ipſa tamen rei natura, & quidditate, quæ totã enunciationem complectitur, ea ſine aliquo priori aſſenſu cognoſcere poſſet, niſi illius imbecillitas impediret: ita fit, vt tota cognitio per ſe, habeat ſe ex parte rei, quæ apta eſt notitiam parere. Per ſe autem & nobis ea nota ſunt, quæ ex ſola termini euidentia, rei totius naturam, quæ per ſe explorata eſt, ſine vllo priori aſſenſu apertè intellectui indicant.

Modò cùm D. Thomas ſentit hanc propoſitionem, *Deus eſt*, eſſe per ſe notam; ad eam ſe propoſitionem confert, quæ per ſe tantùm nota eſt, non nobis, cuius prædicatum eſt de intrinſeca natura ſubiecti (nam apertè cõſtat, *eſſe*, de intrinſeca ipſius Dei natura eſſe, quandoquidem Deus eſt ſuum eſſe) non autem ad eam quæ nobis nota eſt. Intellectus enim ſine aliqua priori perſuaſione ignorat, quid Deus ſit, neq; eam connexionẽ prædicati cum ſubiecto, quòd ſcilicet Deus ſit ſuũ eſſe, perſpicit.

Ab his non diſſentit Scotus, tametſi doceat, *Deum eſſe*, non eſſe propoſitionem per ſe notam: nam quo ſenſu hanc propoſitionem non eſſe per ſe notam accipiat, declarat, cùm ait; ob id non eſſe per ſe notam, quòd Deum nos neque intuitiuè cognoſcere, neque ſcire quid ſit, valemus. Ex quo elicimus Scoti ſententiam duo complecti: primum, eam propoſitionem Scoto eſſe per ſe notam, quæ ex propriis terminis habet euidentem veritatem; eò quòd prædicatum includitur in ratione ſubiecti, vt homo eſt animal. Alterum, ea quæ ſunt per ſe nota nobis, ſtatim effici nota per ſenſum: nam viſis toto & parte ſtatim ſine vlla inquiſitione cognoſcimus, quòd totum eſt maius ſua parte. Hinc patet, Scotum omnem propoſitionem per ſe notam ad eam, quæ nobis nota eſt, referre. At quamuis in hoc videatur differre Scotus à D. Thoma, hæc tam leuis controuerſia eſt, quòd facilè diluitur. Nam D. Thomas non diſcrepat à Scoto, quin ea propoſitio ſit per ſe nota, quæ etiam nobis nota eſt: ſed præter eam aliam propoſitionem per ſe notam præcisè agnoſcit, quæ per ſe tantùm, non nobis nota eſt: quò fit, vt alio ſenſu Scotus per ſe notum accipiat, alio D. Thomas. Scotus enim cùm propoſitionẽ per ſe notam definit, alterã tantùm D. Thomæ propoſitionẽ amplectitur, qua per ſe notũ, etiam notũ nobis eſſe intelligit: ita vt Scotus omne per ſe notũ ad intellectus notitiã transferat: at D. Thomas aliud præter id per ſe notũ agnoſcit, quod non nobis cognitum eſt, ſed ſeipſo tantùm aptum eſt cognoſci, ob connexionem prædicati cum ſubiecto. Hinc patet, ex diuerſa duntaxat terminorum intelligentia, totam controuerſiam oriri, tametſi reuera nulla controuerſia ſit. Quod manifeſtum fit, ſi ad huius propoſitionis *Deus eſt*, de qua nunc agimus, veritatem reuertimur, nam illam Scotus non eſſe per ſe nobis notã apertè ſentit, quod etiam probat D. Thomas: ſiue igitur eam propoſitionem per ſe notam dicamus iuxta eum ſenſum quem D. Thomas declarat, ſiue non per ſe notam iuxta ſenſum Scoti: id apud illos commune, ac certum eſt, illam non ita per ſe notã eſſe, vt ea à nobis ignorari non poſſit.

Ex his primam concluſionem elicimus tam à D. Thoma quàm à Scoto deſumptam, quæ eſt, *Deum eſſe, non ita eſt per ſe notum, vt nobis etiam ignotum eſſe non poſſit.*

Probatur primò. Nemo enim poteſt dubitare, aut oppoſitum opinari de iis, quæ per ſe nobis nota ſunt, cùm ea naturæ lumine perſpecta ſint. At plerique de Deo dubitarunt, an eſſet, immò oppoſitum ſenſerunt, quòd ſcilicet non eſſet, veluti Protagoras, Abderites, qui circa Deum incertum ſe habuit, & Diagoras Melius, qui Deum omnino eſſe non ſenſit, & alij de quibus ſuprà diſſeruimus. Igitur Deum eſſe non eſt per ſe notum.

Pręterea in propoſitionibus per ſe nobis notis connexio intrinſeca prædicati cum ſubiecto nullo modo ignorari poteſt: ſed in hac propoſitione, *Deus eſt*, connexio abſque priori Demonſtratione ignoratur: neq; enim ſatis per ſe noſtro intellectui perſpicuum eſt, quod eſſe intrinſecè conueniat Deo, niſi hoc ipſum demonſtretur.

Confirmatur hæc ratio, nam hæc propoſitio, *Deus eſt*, non eſt per ſe magis nota intellectui, quàm hæc, *Angelus eſt*, quam conſtat non eſſe per ſe nobis notam. Nam ſicut cognitis omnino terminis, & quid per Angelum ſignificetur, adhuc ignorare poteſt intellectus, quid Angelus ſit, & an res, quæ per Angelum ſignificatur, ſit ficta, an vera; quò fit, vt vlteriùs perſuadendus ſit intellectus, rem illam non eſſe fictam, ſed veram: & tunc demum illa perſuaſione ductus credit Angelum eſſe. Ita planè de Deo opinari contingit: nam poſi-

ta

Digitized by Google

ta hac ptopoſitione, *Deus eſt*, licèt termini declarati fuerint, & quid Dei nomine ſignificetur, exploratum ſit; adhuc hæſitat intellectus: num termino illo commentitium, aut chimericum aliquid ſubſtet natut; quapropter perſuaſione, ac diſcurſu illi opus eſt, quo duce in eam cognitionem deueniat, vt veram tantummodò rem illo termino includi ſibi perſuadeat. Inde ſequitut, propoſitionem illam non eſſe per ſe nobis notam.

Probatur tertiò: Propoſitio pet ſe nobis nota eſt indemonſtrabilis, quod exploratum eſt, tam in his quæ ſenſui, quàm quæ intellectui pet ſe nota ſunt. Nam quæ per ſe ſenſui nota ſunt, nulla Demõſtratione, præterquàm ſenſu indigent: quis enim demonſtrare valeat niuem eſſe albam, ignem calefacere, Solẽ lucere? ita etiam quę per ſe nota ſunt intellectui, demonſttari non poſſunt: nam quo pacto demonſtrabitut totum eſſe maius ſua parte, aut quòd habet exiſtentiam exiſtere, cùm hæc per ſe intellectui perſpicua ſint, neq; clariùs quàm ipſo naturæ lumine demõſtrari queant? Quod verò Deum eſſe multifariam demonſtrari poſſit, iam exploratum fuit, & latiùs ſequenti concluſione explicabitur. Deum ergo eſſe nõ ita eſt pet ſe notũ, quin à nobis ignorari poſſit.

Secunda concluſio: *Deum eſſe non ita eſt per ſe notum, quin Demonſtratione indigeat.* Quæ concluſio partim pendet ex præcedenti, in qua probatum fuit, hanc ptopoſitionem non eſſe per ſe nobis notam: ex quo ſequitur ad illius notitiam aſſequendam opus eſſe Demõſtratione. Sed præterea probatut primò ex Salom. cap. 13. *Salom. ca. 13.* *A magnitudine enim ſpecies* (inquit) *& creaturæ poterit Creator locum cognoſcibiliter videri.* Quibus vetbis Sapiens docet, ex tetum creatione hautiendam eſſe Dei Opt. Max. cognitionem. Neque nos mouere debet, quòd ibi Sapiens de potẽtia, non de neceſſitate huius Demonſtrationis loqui videatut: nam in propoſito idẽ eſt poſſe, ac indigere. Qui enim ex rerum ordine, ac diſpoſitione Deum agnoſcere poterant, profectò ea Demonſtratione indigebant, ſine qua Dei cognitionem adipiſci naturaliter non poterant. Poterat quidem homo ad Dei cognitionem ferri, ſed non ſeipſo, adminiculo indigebat, retum nempe cõditarum contemplatione. *A magnitudine* (inquit) *ſpeciei & creaturæ;* Hac Demonſtratione, hoc diſcurſu poterat creator horum cognoſcibiliter videri. Hæc enim via omnibus tettò ſæculis hominibus propoſita fuit, qua ad Dei cognitionem incederent: ac ptopterea ij inexcuſabiles extiterunt, vt ait Paul. qui ea contempta Deum haud agnouerunt. Hinc addit Sapiens. *Iterum autem nec iis debet ignoſci: ſi enim tantùm potuerunt ſcire, vt poſſent æſtimare ſæculum, quomodo huius Dominum non faciliùs inuenerunt?* Quod ſi ea Demonſtratio neceſſaria non fuiſſet, ſanè illis ignoſcendum fuiſſet, ſi ea Deum minimè agnouiſſent. His ſuffragatur Pauli teſtimonium ad Rom. 1. *Rom. 1.* *Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque virtus eius, & Diuinitas.* Vbi Paulus mundi opificium velut immenſum codicem cunctis apertum eſſe docet, in quo vniuerſi Deum addiſcant. Quamobrem Actorum 14. *Actorum 14.* Paulus & Barnabas Gentibus pędicãtes, Deum illis ex rerum gubernatione ſuadebãt. *Nos* (inquiunt) *mortales ſumus, annunciamus vobis conuerti ad Deum, qui fecit cælum, & terram*, &c. *Et quidem nõ ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit benefaciens de cælo, dans pluuias, & tempora fructifera*, &c. Quem locum exponẽs Ambroſ. lib. 2. de vocat. Gent. c. 1. ita ſcribit: *Ambroſ. lib. 2. de vocat. Gent. cap. 1.* *Etiam ante ſacras literas in teſtimonium Domino deſeruiuit Orbis, & inenarrabilis cælorum pulchritudo; per quam hominibus quadam tabulæ præbebantur, vt veluti in paginis elementorum, & cælorum Diuinæ inſtitutionis doctrina legeretur.*

Probatur ſecundo teſtimonio omnium Patrum ac Theologotum. Iuſtin. q. 6. Theophilus Alexand. lib. 1. ad Autolicum, Euſeb. Cæſar. lib. 8. c. 2. de præparar. Euang. Athan. oratione cõtta Idola, Greg. Nazianz. lib. 2. Theod. Lactantius Firm. libr. 1. diu. inſtit. D. Baſilius hom. 1. & 2. Hilar. in Pſ. 12. Ioan. Damaſc. Orthod. fid. lib. 1. c. 1. Cyprianus de Idolotum vanit. Aug. lib. 10. Confeſſ. c. 6. de ſpiritu & liteta, c. 12. Ambroſ. in Epiſt. ad Rom. 1. Hiet. lib. 11. in Iſa. Chryſoſt. hom. 9. & 10. ad Pop. Atioch. Greg. Mag. lib. 27. Mor. c. 2. & alij, quibus per omnia ſubſcribunt vniuerſi Scholaſtici in 1. diſt. 2. & 3. qui hanc concluſionẽ defendunt. *Iuſtin. Theophil. Alex. Euſeb Caſ. Athanaſ. Greg. Nazianz. Lactantius. Baſil. Hilar. Io. Damaſ. Cyprian. Auguſt. Ambroſ. Hieronim. Chryſoſt. Greg. Mag.*

Probatur tandem argumentis, quibus prior cõcluſio probata fuit, ac pręter ea hoc vno ex Paulo deſumpto teſtimonio Rom. 1. quod ſuprà allegauimus; *Inuiſibilia Dei*, &c. quo Paulus apertè Diuinę cognitionis modum in naturali rerum factarũ Demonſtratione ſitũ eſſe docet. Ex quo ita arguo: Si Dei cognitio nobis à natura inſita eſſet, neque ad eam comparandã vlla nobis Demonſtratione opus eſſet, mirum eſſet, cur illius vnquam Paulus meminiſſet, & difficiliorem Deum cognoſcendi viam ex rerum contemplatione hominibus propoſuiſſet. Immò (ni fallor) fruſtra hanc nobis perſuaderet, cùm alia excellentior ac præſtantior, quæ nunquam fallere poteſt, nobis inſideret. Cùm igitur Paulus faciliorem ad Deum agnoſcendum viam in rerum factarum cõtemplatione tãtummodò ſitam eſſe doceat; hinc facilè colligimus ad Dei cognitionem naturæ lumen non ſufficere: ſed aliquam etiam Demonſtrationem, atque argumentationem circa viſibilia naturæ opera neceſſariam eſſe.

Tertia concluſio: *Deum eſſe perfectè ſola fide agnoſci poteſt.* Nam cùm omnis noſtra cognitio ortum habeat à ſenſu; certum eſt, vt aiebat Heraclius, nihil in tebus ſenſibilibus earúmq; accidentibus inueniri poſſe, ex quo æternam

Digitized by Google

aliquam eſſe ſubſtantiam perfectè ſtatuere valeamus : quamobrem Deum eſſe fide potiùs, quàm Demonſtratione cognoſcimus.

Præterea nihil ad perfectam alicuius rei notitiam ducere poteſt, niſi perfectã illius imaginem, ac phantaſma priùs animo inſculpſerit. At Dei nulla poteſt eſſe imago, aut phantaſma;cùm omnis ſpecies atque creata ſimilitudo, creaturæ potiùs ſit, quàm creatori cognata,& affinis : Fide igitur duntaxat,non intellectu Deus perfectè agnoſcitur.

Rurſus omnis Demonſtratio,ex qua ſcientia gignitur,vel per cauſam, vel per effectum, vel per cauſam remotam efficitur : At *Deum eſſe*, nullo iſtorũ modorum demõſtrari poteſt: non enim demonſtratur per cauſam,cùm Diuini eſſe nulla poſſit eſſe cauſa ; non per effectum,nam ſupponeretur Deum eſſe,quod demonſtrandum eſt : non denique per cauſam remotam,cùm ea ad concluſiones tantùm negatiuas pertineat. Nullo igitur humano argumẽto,ſed ſola fide perfectè demõſtrari poteſt.

Denique ſi Deum eſſe naturaliter, ac perfectè eſſet cognoſcibile, conſtaret profectò omnibus illum eſſe quoddam ens independens, primum atque æternum. Tunc ſic arguo, hoc ens quod eſt independens ab alio; non eſt independens à ſe,id enim intelligi non poteſt, vt quippiam in rerum natura ſimul ſit independens ab alio, & indepẽdens à ſe:quod enim eſt independens à ſe, eſt nihil. Vel igitur eſt à ſe dependens in ratione cauſæ efficientis, vel in ratione cauſæ formalis, vel cauſæ finalis ; non in ratione cauſæ efficientis, quia nihil ſeipſum generat : non in ratione cauſæ formalis,quia forma generatur,ac producitur. Non tandem in ratione finis, quia ſicut nihil ſeipſum generat;ita nihil ſui ipſius finis eſſe poteſt. Cùm igitur naturaliter agnoſci non poſſit Deum eſſe ens independens ; inde clariſſimè patet, *Deum eſſe*,nõ naturali Demõſtratione,ſed fide duntaxat perfectè haberi poſſe.

Quarta concluſio : *Deum eſſe ignorare poteſt Atheiſta.* Concluſio ex præcedentibus manat : cùm enim ad probandum quòd Deus ſit, Demonſtratione ſaltem naturali opus ſit; inde ſequitur facilè ab iis ignorari poſſe, qui nulla huiuſmodi Demonſtratione vti velint. Et quamquam difficile eſſe videatur, hominẽ ratiocinatione aliqua, vel tenui pollentem reperiri,qui non ſimulac ſui cõpos fuerit, Deũ eſſe,ſi non perfectè, ſaltẽ cõfusè,ac per coniecturas mente concipiat:attamen ſi ad Atheiſmi cauſas, quas nuper retulimus,animum reuocent ; facilè agnoſcent, eò plerunque vitia hominem detrudere, vt obruta prauis cupiditatibus ratione corruptiſſimum,ac belluinum propemodum animũ efficiant:quò fit, vt nec difficile videri debeat pleroſq; in Atheiſmũ ita præcipites ſe agere,vt Deũ ipſum ignorẽt.

Præterea hoc ipſum teſtatur Dauid Pſ. 13. *Dixit inſipiẽs* (ait) *in corde ſuo; Non eſt Deus*: Cùm *Pſal. 13.* ergo inſipiens mente conceperit Deum nõ eſſe, planè eum ab ipſo ignorari neceſſe eſt,cùm oppoſita ſimul eſſe nequeant, nempe mentis conceptus,quo ſibi perſuadet Deum non eſſe, & Dei ſcientia.

Accedat quòd ſi quiſpiam poteſt dubitare de Deo an ſit, vt olim Pythagoram ferunt libellum quendam Athenienſibus obtuliſſe, in quo primo loco affixa erat quæſtio, *An Deus ſit.* Ergo etiam poteſt ignorari,an ſit, cùm eadem ratione quis ignorare poſſit,qua & dubitare; quãdoquidem ex eodem fonte, & ignorantia & dubitatio manant. Immò cùm Atheiſtæ Deum nullum eſſe ſenſerint, vt Diagoras Melius,& alij complures quos ſuprà recenſuimus : inde etiam exploratum eſt, illos Deum ignoraſſe. Cùm igitur Atheiſta vel nulla ratiocinatione duce, vel ea ſaltem obruta, nullum eſſe Deum ſibi perſuadet,id planè efficit, vt Deum eſſe ignoret.

Nunc ad obiecta Patrum teſtimonia reſpondendum eſt;quæ omnia vnica reſponſione diluuntur. Vniuerſa namque nihil aliud probant,quàm Deum naturali diſcurſu,ac ratiocinatione cognoſci poſſe. Nam quòd ad Nazianzenum ſpectat, ille inſitam eſſe hominibus naturalem de Deo à perſonis abſtracto cognitionem idcirco affirmat, quòd ea naturali diſcurſu comparari poſſit : vt ipſemet explicat orat. 34. quæ eſt 2. de Theolog. *Nimis* *Nazianz. orat. 34.*
(inquit) *abſurdus & præpoſterus eſt,qui argumentis naturalibus non cedit, & inficiatur Deum eſſe.* Damaſcenus eadem via procedit : nam mortalium neminem eſſe ait,cui naturalis ratio,quæ illi à Deo inſita eſt, Dei cognitionem abundè non ſubminiſtret;atq; hunc eſſe ipſius ſenſum ſtatim declarat, cùm res conditas,earum conſeruationem,& gubernationem Diuinę naturæ maieſtatem prædicare docet. Iuſtinus ſententiam ſuam hoc ſenſu pronunciat : nam in ea quæſt. 6. quærit. *Vnde liquet quòd ſit Deus?* *Iuſt. q. 6.*
Reſp. ex rerum quæ extant conſtitutione, & perſeuerante diuturnitate. Athanaſius,& Cyprianus perſpicuè in hac ſententia conueniunt,qui idcirco Deum ignorari non poſſe contendunt, quòd eum eſſe naturali ratiocinatione notum ſit. Auguſt. & Hugo eadem via incedunt, qui Deum ab hominibus nec abſcondi,nec ignorari poſſe affirmant, dummodò velut homines naturali ratiocinatione vtantur.

Ad Scripturarũ teſtimonia eodẽ planè modo reſpondemus.Nam Iob. 36. duplicem Dei cognitionem eo teſtimonio explicat : vnam eſſentiæ, alteram attributorum. De prima ait: *Omnes homines vident eum*,qui homines ſunt,& oculos vel ad ſuperna erigunt, vel ad rerum conſiderationem conuertunt, iis Diuina eſſentia ex creatis rebus panditur. De ſecunda verò, inquit : *Vnuſquiſque intuetur eum procul*, quandoquidem ex iis imperfecta diuinorum

Digitized by Google

attributorum notitia hauritur. Nam quemadmodum quæ procul intuemur, imperfectam, ac confuſam nobis cognitionem pariunt: ita Diuinorum attributorum infinitas, excellentia, magnitudo, cùm nonniſi à longè à nobis in humanis rebus aſpici queant, ex iis confuſa tantummodò, ac imperfecta cognitio ad nos manat.

Ad Paulum dicimus: notum Dei illud eſſe quod naturali ratiocinatione haberi de Deo poteſt. Ita hunc locum explicat Anſelmus: *Notum Dei* (inquit) *eſt, quod naturali ingenio de Deo ſciri poteſt.* Hoc autem de Deo ſciri poteſt, quòd ipſe ſit Deus. *Anſelmus.*

Dicta Tullij, & aliorum Philoſophorum eandem viam ſequuntur. Nam quòd is Dei notitiam naturæ anticipationem appellat, ad naturalem diſcurſum refert, quod manifeſtum eſt ex pleriſque locis. Nam eodem lib. de Nat. Deor. ex rerum diſpoſitione, varietate, ſucceſſione immutabili Deum agnoſcendum eſſe docet. *Tull. de Nat. Deor.*

Ad argumenta. Ad primum dicimus, illud nō poſſe ignorari, quod per ſe eſt notū nobis; non autem illud quod per ſe tantùm eſt notum: Deum autem eſſe, non eſt per ſe notum nobis, & ad primam perſuaſionem. Eſſe aliquid ſupremum in rerum natura, non ſtatim habetur niſi per diſcurſum naturalem, quapropter non eſt per ſe nobis notum.

Ad ſecundum reſpondetur: omnia quidem appetere ſummum bonum naturale, ſed non omnia appetere ſummum bonum ſupernaturale: illud quidem ab omnibus ſaltem in communi agnoſcitur, atque confuſè concipitur; qui enim ſummum, quod ſibi bonum eſt expetit, illud etiam ſaltem implicitè agnoſcit. At ſummum bonum ſupernaturale, quod Deus eſt, cùm non ab omnibus expetatur, inde neque ab omnibus agnoſcitur: quò fit, vt illud ignorari poſſit.

Ad tertium reſpond. quòd hominis mens tunc poteſt cognoſcere Deum non eſſe, cùm nec dum Deum eſſe agnouit: Deum verò eſſe nec dum agnouit, quandiu ignorat prædicatum eſſe de intrinſeca ratione ſubiecti, atque eſſe, eſſe de intrinſeca ratione Dei, ad quod aſſequendum eget Demonſtratione: neque ſequitur rem cum oppoſito eius intelligi; cùm nec dum res, neque oppoſitum eius intelligatur.

Ad quartum reſpond. Diuini nominis expreſſionem vbique gentium diffuſam id ſolùm euincere, vt Deum vbique gentium agnitum fuiſſe credamus; at quomodo eam cognitionem aſſequuti fuerint, non diſcernit. Nos autem dicimus eam nō niſi naturali diſcurſu ab iis comparatam fuiſſe.

Poſtremò, quòd ad Athenienſium facinus ſpectat, dicimus eos ipſos declarare voluiſſe, quàm grauiter Atheiſtica impietas punienda eſſet: neque eam minori ſupplicio dignam fore, quàm vt ea naturæ ſuffragiis deſtituatur, atque è rerum natura eiiciatur, quæ naturam ſuo conditore ſpoliat, & Deum omnium opificem è rerum natura expellit. Cùm igitur Atheiſtæ ignorare poſſint Deum eſſe, id illis modò multiplici via demonſtrandum eſt.

Deum eſſe demonſtratur primùm ex lumine naturæ.

ARTICVLVS IV.

HVMANARVM mentium opifex, ac illuſtrator Deus Optimus Maximus, ita ſe vniuerſis mortalibus agnoſcendum præbet, vt quemadmodum ij qui oculorum lumine præditi ſunt, innata ſibi oculorum acie Solis vbique affulgentis radios intueri, in iiſque Solem ipſum quoad libet contemplari poſſunt, modò oculos aperiant, ac ingenita ſibi videndi facultate vti velint: ita homines ratione præditi, cùm à natura intelligendi vim, ac facultatem acceperint, adeò innata hac illis naturæ vi; in Dei cognitionem ferantur, vt ſi ea abuti nolint, Deum ipſum longè lateque per rerum naturas, ac creaturarum radios illuceſcentem apertè conſpicere valeant. Atque Diuinam hanc ſupremi Numinis cognitionem, ita humanis mentibus à ſui exordio velut inſculptam eſſe dixerim, vt (teſte Tullio) *nulla vnquam gens neque tam immanſueta, neque tam fera extiterit, quæ non etiamſi ignoret qualē Deum ſe habere deceat, tamen habendum ſciat.* Id enim & natura rationis expers, & propria hominū ratiocinatio fateri cogit. Quapropter non modò impij, ac immanes, ſed neq; homines ij exiſtimari debent, qui natura ipſa reluctante Deum aut ignorant, aut ſūma impietate à ſe expellūt. Et quidem cum ſummis laudibus Athenienſes efferantur, qui Sophiſtam illum in dubium Deum ipſum vocantem, vrbe agróque exterminatunt, oblatúmque libellum tanta impietate reſperſum, velut luce ipſa indignum publicè comburi iuſſerunt, tanquam in Deos, atque homines iniuriū. Eo planè, atque atrociori ſupplicij genere eos affici æquum eſt, qui non modò Dei maieſtatem toto Orbi conſpicuam, ac venerandam in diſcrimen vocant: verùm etiam eam ſummo ſcelere terris, cœlóque expellunt. *Tullius 1 de legibus.*

Porrò, cùm aduersùs hæc naturæ monſtra dimicare, ac veram Religionem ab illorum faucibus eripere mihi ſtatutum ſit; illa primùm proprio hoc naturæ lumine aggredior, vt ſi externa teſtimonia reſpuunt, naturæ ſaltem argumentis cedant, intúſque docentem naturam audiant, vt ipſa vel ſola duce, ac magiſtra Deum addiſcant.

Principiò igitur omnium hominum men-

tibus occultam quandam à Deo inditam eſſe naturæ vim, qua in Dei cognitionem naturaliter feruntur: teſtis eſt Iob. *Iob.c.36.* *Omnes homines* (ait) *vident eum, vnuſquiſque intuetur procul.* Quis enim eſt, ſi modò homo ſit, cui Dei cognitio in ipſa ſui natura non obuia fiat: præſertim cùm in ipſo naturalis luminis apice Deus ipſe deliteſcat, ac homini ſponte occurrat? Ita enim interpres Catenæ Græcæ locum hunc explicat; *Catena Græca.* *Omnis*, inquit, *Deum videt in ſeipſo, id eſt, cunctis hominibus eſt inſita Dei cognitio.* Ita fit, vt quaſi naturali quodam rationis motu ex ſeipſo homo Deum cognoſcat: quis enim ignorare poteſt, quod à natura cognitum eſt? Hinc eleganter Cyprianus tract. 4. de vanitat. Idol. *Cyp. de van. Idol. tract. 4* *Quæ eſt iſta* (inquit) *ſumma delicti, nolle agnoſcere, quem ignorare non poſſis? Vnus eſt, & vbique diffuſus eſt: nam & vulgus in multis Deum naturaliter confitetur, cùm mens, & anima ſui Auctoris, & Principis admonetur.* Quod etiam confirmat Irenæus: *Irenæus lib. 2. cap. 5.* *Ratio* (inquit) *mentibus infixa monet, & reuelat, quoniam vnus eſt Deus omnium Dominus.* Neq; id immeritò; cùm enim homo ratione præditus ſit, Deum aliquem intelligere debet ſibi prçeſſe, à quo conditus ſit; vt teſtatur Greg. in hunc locum Iob. his verbis; *Greg. in Iob. cap. 36.* *Omnis homo* (inquit) *eo ipſo quo rationalis eſt conditus, debet ex ratione colligere eum, qui ſe condidit, Deum eſſe, quem videlicet iam videre, eſt dominationem illius ratiocinando conſpicere.*

Quod domeſtico, ac quotidiano exemplo confirmari poteſt. Nam qui graui anguſtia premitur, aut in ſummo vitæ diſcrimine verſatur, cùm humano prorſus auxilio ſe deſtitutum videt, protinus natura ipſa impellente, in cœlum aſpicit, ac Dei opem implorat: quod ſanè non aliũde, quàm ex ipſa naturæ vi vnius Diuinitatis igniculum interiùs adminiſtrante emanare poteſt. Hoc ipſe Tertullianus in Apolog. & cap. 17. *Tertull. in Apolog. c. 17.* alio exemplo confirmat; *Licèt* (inquit) *anima carcere corporis preſſa, licèt inſtitutionibus prauis circumſepta, licèt libidinibus, & concupiſcentiis enigorata, licèt falſis Diis exancillata, cùm tamen reſipiſcit, & ſanitatem ſuam patitur, & Deum nominat ſolum, quia propriè verus hic vnus Deus, & bonus, & magnus, & quòd Deus dederit, omnium vox eſt. Iudicem quoque conteſtatur illum, Deus videt, & Deo commendo, & Deus mihi reddit. O teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ! Denique pronuncians hæc, non ad Capitolium, ſed ad cœlum reſpicit.* Ideo Cicero de Aruſpicum reſponſis, *Cic. de Aruſpicū reſponſ.* à natura Dei cognitionem ſe hauſiſſe profitetur, cùm ait; *Nulla maior res, atque Deus, cuius ingenuit ſine doctrina notitias ingentes natura nobis: vt minimè mirum fieri debeat, eos de Deo ſenſiſſe loquutosq́; eſſe talia, quos Philoſophia nunc magnum ſparſa per Orbem non erudiſſet. Praſtò enim erat alia minor quidem Philoſophia, quam non didicimus, accepimus, legimus; verùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, & expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti, non inſtructi, ſed imbuti ſumus. Hæc aperit os nobis ad confeſſionem magni Dei.* En quàm apertè, quàm grauiter, quàm diſertè Tullius naturam ipſam Dei nobis magiſtram fatetur. Ea ergo natura, quæ Tullio dux fuit, vt vnum Deum eſſe agnoſceret, eandem omnium hominum animis Dei notitiam aperit, vt quicunque ea natura præditus eſt, eam aſſequi quàm facillimè poſſit.

Quamobrem Regius Vates haud fruſtrà hoc Dei teſtimonium nobis à natura inſitum Diuini luminis ſigillum appellat, cùm ait: *Pſal. 4.* *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine:* eo enim ſignificare voluit, eos qui hoc Diuinæ cognitionis ſigillo muniti ſunt, Deum velut in ſeipſis occluſum geſtare, atque eo ſigno à cæteris animantibus non obſcurè diſcerni. Quis enim dubitare poteſt, cùm Deus hominem intelligentia, ac ratione præditum condiderit, atque excellentiorem illi, ac nobiliorem, quàm cæteris animantibus animam inſufflauerit, illum etiam ad maiora, ac præſtantiora naturæ munera obeunda extẽdiſſe? Planè hoc ipſum quod in animo verſari debet ipſa humani corporis conſtitutio indicat: nam cùm cæteris animantibus deflexum ad terras caput, oculóſque ▪atura tribuerit, quæ velut terreſtribus animis imbuta terrena duntaxat aſpicere, híſque infimis oblectari voluit; homini contrà erectam ceruicem, oculóſque in ſublime elatos contulit, quibus cœlum, ac cœleſtia contemplari, Deúmque animo intueri poſſet, iuxta illud Ouidianum: *Ouidius 1. Metam.*

Pronáque cùm ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlúmque tueri
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Quapropter eos tãtummodò humanum corpus circumferre; belluinum verò animum in eo geſtare exiſtimandum eſt, qui mentis oculo ad terras demerſo, nihil præterquàm terrena aſpectantes, Deum nec venerantur, nec agnoſcunt. Quæ ſanè non naturæ culpa cenſenda eſt, quæ hominem etiam reluctantem ad Dei cognitionem impellit: ſed animi vitiũ inſanis vitæ huius voluptatibus corrupti, quæ plerunque hominis animum ita perturbãt, ac velut ſuffuſa caligine adeò obtenebrãt, vt prçſentem Deum non cernant. De iis aiebat Dauid: *Pſal. 68.* *Obſcurentur oculi eorum ne videant & dorſum eorum ſemper incurua.* Planè hæc iuſta Dei animaduerſio eſt, quam inſinuat Paulus, vt qui inditum ſibi lumen, quo Dei notitiam aſſequi poterant, ñefandis ſceleribus macularunt, ac penè vitiis obrutam in animo ſepelierunt, illius ita vſu priuentur, vt nec ipſum Deum, in quo ſunt, mouentur, ac viuunt, eſſe penitus agnoſcant. *Sicut* (inquit) *Ad Rom. 1.* *non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea, quæ non conueniunt: repletos omni iniquitate, &c.*

Iam verò ſi oculos ſemel humo attollerent Atheiſtæ,

Atheiſtæ, ac intus docentem naturam audirent, quonam pacto fieri poſſet, vt Deum non addiſcerent, quem, teſte Trimegiſto, quotidie manibus attrectant? *Nam quamuis* (ait Trimegiſtus) *oculi noſtri eò vſque pertingere non poſſint, vt Deum videant: ipſe tamen ſe manibus noſtris attrectare ſinit.* Cuius ſententiam ſequutus Iamblichus de Myſt. Ægypt. cap. 1. fatetur, ante omnis rationis vſum Deum homini innoteſcere, nec quemquam efficere poſſe, quin ante omnia Diuinitatem quandam eſſe animo concipiat, non tam propria ac diſtincta animi conceptione, quàm contactu quodam animi cognitionem præcellente. Quo verò ſenſu tam Trimegiſtus, quàm Iamblichus Deum manibus attrectari intelligant, is eſt; quòd vniuerſa, quæ ſe manibus attrectanda præbent, Deum auctorem ac opificem clamant: atque eo fit, vt cùm in iis Deum velut præſentem aſpicimus, etiam velut palpabilem attrectemus. Hoc ipſe videtur Paulus ſenſiſſe cùm ait: *Quærere Deum, ſi fortè attrectent eum, aut inueniant, quamuis non longè ſit ab vnoquoque noſtrûm.* Nam cùm illud certiſſimum ſit, Deum rebus omnibus ineſſe, in iis viuere, mouere, atque operari (vt ait Paulus) *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus*: neque enim fieri poteſt, vt quippiam Dei eſſentiam, præſentiam aut potentiam effugiat; inde facilè euincimus, Deum quodammodo attrectari, cùm ea tractamus, quæ ſine Deo eſſe non poſſunt. Quapropter Auicenna eos non modò ratione, ac intelligentia; ſed etiam ſenſu indigere ait, qui Diuinitatem aliquam, quæ vndique ſe conſpicuam, ac tractabilem offert, non agnoſcit.

Trimeg. in Pimand. — *Iamblich. de Myſt. Ægypt. c. 1.* — *Act. 17.* — *Act. 17.*

Cùm igitur non tam inſita animo de Deo cognitio, quàm ſenſus ipſe Deum eſſe apertè teſtetur: eáque eſſe conſtantiſſimè credamus, quæ manibus ipſis attrectamus; Deum verò ex Paulo, ac illuſtriſſimis Philoſophis ita in Orbe clarũ eſſe exploratũ ſit, vt vel digitis attrectari queat; quis apertiſſimam veritatem iam in diſcrimen reuocet? Planè Deo hominibúſque agentibus id cautum eſto, vt ſi vllus deinceps Atheiſta eã inficiari audeat, mox ea pœna mulctetur, vt omni humano iure ſpoliandus, atque ab hominum albo abradendus, & ab eorum ſocietate, natura, ac conſortio ſeparandus, ad pecudum numerum propellatur.

Demonſtratur ſecundò ex rerum creatione.

ARTICVLVS V.

AT quamuis nihil in hominum natura clarius, ac manifeſtius eſſe poſſit, quàm Deum eſſe: ipſa tamen rerum conditarum ſeries, ac apparatus id apertiùs demonſtrat; quod Iſaias his verbis declarat: *Leuate in excelſum oculos veſtros, & videte, quis creauit hæc? qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat præ multitudine fortitudinis, ac roboris, virtutíſque eius.* Vos quippe, Atheiſtæ, Spiritus ſanctus alloquitur, atque ad hanc rerum vniuerſitatem contemplandam prouocat. Agite, quid oculos, mentémque ſemper ad ima deflectitis? quid ſolum tantummodò ſpectatis, ac tanquam pecudes, ac ſtolidi ſues in voluptatum cœno volutamini? atque inter cæcas ac palpabiles Atheiſmi tenebras demerſi, Deum, quem vniuerſa condita demonſtrant, non intuemini? Expergiſcimini ebrij, & non à vino, ſed à blandis huius vitæ voluptatibus velut alto ſopore adeò depreſſi, vt ea propemodum naturæ lux vobis occiderit, quæ vos à pecudum numero ſemotos in hominum cœtu collocarat. Leuate, inquam, in excelſum oculos veſtros, cœlum ſuſpicite, Solem, Lunam, ſydera, temporum mutationes, rerum viciſſitudines animo reuoluite: in his enim Deus vobis perſpicuus occurret. *Quid enim* (teſte Tullio) *poteſt eſſe tam apertum, támque perſpicuum, cùm cœlum aſpeximus, cœleſtiáque contemplati ſumus, quàm eſſe aliquod lumen præſtantiſſima mentis, quo hæc regantur?* Siquidem rerum hæc vniuerſitas eſt velut liber mortalium oculis obiectus, in quo Deum conditorem addiſcant ex ipſa tum rerum magnitudine, tum motu, tum diſpoſitione, conſtantia, vtilitate, pulchritudine: neque enim vllus eſt tam rudis, támque imbecillis ingenij, qui tametſi neſciat cuius Dei prouidentia hæc omnia regantur, Deum tamen non eſſe intelligat. *Interroga* (inquit Auguſtinus) *mundi ornatum, cœli fulgorem, diſpoſitionémque ſyderum, & vide, ſi non ſenſu ſuo tibi reſpondeant, Deus nos fecit.* Hæc quippe eſt creaturæ vox, quæ nos Dei potentiam, ac maieſtatem docet, quáque in inuiſibilis Dei cognitione inſtruimur. *Inuiſibilia ſiquidem Dei* (ait Paulus) *à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur, ſempiterna quoque,* &c. Hęc enim nobis innata eſt intelligendi ratio, vt à notioribus ad ignota, à viſibilibus ad inuiſibilia progrediamur: nam quæ ſenſibus obiiciuntur viſibilia ſunt; quæ autem inuiſibilia ſunt, animo duntaxat concipiuntur. Illis ergo cùm tanquam mediis mens ad intelligendum vtatur, atque iis ſublatis vix quicquam ſpeculari valeat, planè cùm Deus Opt. Max. inuiſibilis ſit, ac animo tantùm comprehendi queat, is præſertim ex viſibilium contemplatione, ac rerum conditarum natura cognoſci debet.

Iſa c. 40. — *Tull. 1. de Nat. Deo.* — *Aug. ſer. 55. de verb. Do.* — *Ad Rom 1.*

Et quidem hæc viſibilium contemplatio ita de Deo nos certiores reddit, vt quemadmodum qui humanum corpus moueri, operari, ac viuere cernunt, ſtatim animam illi præeſſe intelligunt, quæ illa omnia præſtet. Ita qui magna hæc rerum corpora optimè ſuis locis diſpoſita, orbium motus, Solis curſum, Lunæ

viciſſitudines, temporum varietates, ac totius vniuerſi ordinem contemplamur: mox ſpiritum quendam ſupremum, magno huic rerum corpori præeſſe intelligamus, cunctis motum, operationem, vitam adminiſtrantem: vt non immeritò cecinerit Poëta.

Virgilius.

Spiritus intus alit, totóſque infuſa per artus,
Mens agitat molē, & magno ſe corpore miſcet.

Porrò non (vt aliqui fortè ſuſpicati ſunt) res omnes ab æterno fuiſſe: ſed vnum eſſe rerum omnium principium, communis fuit antiquorum Philoſophorum conſenſus: quotquot enim prioribus illis ſæculis, quæ propiùs à mundi exordio abfuerunt, puriori naturæ lumine vſi ſunt; cùm primùm in hanc rerum vniuerſitatem oculos iniecerunt, illius opificium ſupremo cuidam Conditori proculdubio detulerunt: in quibus antiquiſſimus Moſes tanquam cæterorum omnium Scriptorum vetuſtiſſimus, primo loco referendus eſſet, qui mundi ortum illo exordio prædicat; *In principio creauit Deus cœlum, & terram*, niſi hominum illorum quibuſcum nobis res eſt, improbitas à ſacrorum voluminum teſtimoniis omnino abſtinendum poſtularet.

Geneſ. 1.

Quapropter, illo omiſſo, proximus, ac contemporaneus Moyſi nobis ſeſe offert vetuſtiſſimus Mercurius Trimegiſtus, qui in Pimandro ita diſtinctè, ac ad amuſſim totam rerum creationem in vniuerſum, ac per partes deſcripſit, vt ſecundum inter Ægyptios Moyſem potiùs, quàm aut Philoſophum, aut prophanum Scriptorem acclamare liceat: nam is primùm Deum, mentem creatricem, ac fœcundam appellat: cúmque & aſtra creaſſe, & terram, & aerem, & aquam, tum animalia, tum altilia, tum piſces Dei verbo cogente produxiſſe: poſtremò hominem ipſum ſui ipſius ſimulachrum, cui cætera omnia parerent, effinxiſſe affirmat. Neque antiquū illud chaos, quod Moyſes faciem abyſſi, vel aquarum nomine vocat, ſilentio præterit. Ille enim tenebras quaſdam horribiles, ac naturam quandam humentem inexplicabiliter turbatam ſe aſpexiſſe ait; illique naturæ verbum ſanctum ſuperincubuiſſe. Aquarum quoque diuiſionis meminit, cùm ait; ex ipſis naturæ humidæ viſceribus fumum, ac ignem leuem, purum, ac impermixtum conſcendiſſe, quem & æthercam ſubſtantiam nominat, aërémque leuiſſimum inter ignem elementarē & aquam, quaſi poteſtate quadam interiectam pependiſſe. Rerum etiam multiplicationem Dei verbo inſtitutam aperit his verbis; *Extemplo Deus verbo ſancto ſuo clamauit: Pullulate, adoleſcite, propagate vniuerſa germina & opera mea.* Solis præterea, Lunæ, ſyderum ac omnium cœleſtium luminum creationem illis verbis attingit: *Dominator omnium extemplo, ſancto ſuo, mentali, opifiéque verbo inclamauit: Exiſtat Sol, ac ſimul dicto ignis, qui natura ſublimis, ac leuis eſſet, hunc ſcilicet puriſſimum, ac luminoſiſſimum, atque efficaciùs, & genitaliùs corripuit ſpiritu ſuo natura, & extulit in altum ex aqua.* Denique tot fidei conſentanea Mercurius in Pimandro ſcribit, vt planè mirabile ſit, quo pacto naturæ vis adeò Philoſophum hominem nullo fidei lumine illuſtratum euexerit, vt fidei faſtigia aſſequutus eſſe videatur.

Mercur. Trimegiſtus in Pimand.

At eundem ad Tatium filiū ſcribentem audiamus in Dialogo quinto, cui titulus inſcribitur; *Quòd Deus latens ſimul ac patens ſit.* In eo enim Tatium filium erudiens, rerum creationem, & Dei prouidentiam mirificè declarat. *Quis* (inquit) *mare ſuis finibus circumſcripſit? quis terræ pondus ſiſtit, ac librat in medio? Eſt certè aliquis, ô Tati, horum auctor & Dominus. Etenim locum, vel numerum, vel menſuram ſeruare abſque auctoris virtute impoſſibile eſt. Ordo fieri à deformitate nequit: eget autem deformitas Domino, qui ordinem præbeat.* Quid hac ratione illuſtrius? qua etiam vſus eſt ipſe Deus, Iob alloquens, cùm ait; *Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ? Quis concluſit oſtiis mare, quando erumpebat quaſi de vulua procedens? circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia,* &c. Hic enim naturæ ordo, qui ab vllo, præterquàm à Deo ita diſponi nequit, Deum ipſum velut digito demonſtrat. Atque vtinam Atheiſtis daretur facultas, vt alarum adminiculo in ſublimem aëris plagam volarent; mediámque inter cœlum, & terram regionem ſortiti, hinc terræ ſoliditatem, illinc maris diffuſionem, hîc fluminum curſum, illîc aëris amplitudinem ſupra cœleſtes orbes, infra tot rerum naturas cernerent; planè ſicut vno luminum motu totius mundi ſeriem comprehenderent, ita in eo immobilem illius factorem perſpicuū intuerentur. *Quis enim ſingula finxit* (vt Mercurij verbis vtar) *nónne hæc ſolus ipſe inuiſibilis Deus cuncta propria voluntate molitus eſt? Et cùm ſtatuam ac imaginem abſque fabro ac pictore fieri nullus aſſerere audeat, miram mundi huius conſtitutionem ſine conditore conſtitiſſe putabimus? O cæcum* (Atheiſtam!) *ô nimis impium! ô profundis obrutum ignorantiæ tenebris!* Tandem vbi multa de homine creato diſſeruit, concludit; *Caue, caue, ó fili mi Tati, ne vnquā artificium priues artifice.* At quinā ſunt, qui & opificium ab opifice tollunt, & opificem ſui opificij honore ſpoliant? Ij certè, qui nullum rerum conditarum Deum opificem agnoſcunt.

Trimeg. Dialog. 5.

Iob. 38.

Mercur. Trimeg. Dial. 5.

Poſtremò in eo libro, qui Hymnodia dicitur, poſtquam omnia ad ſilendum cohortatus eſt; *Cano* (inquit) *iam creatorem omnium; terrarum diſtributorem, cœlum æquilibrantem; iubentem ex Oceano aquam vndique fluere dulcem ad hominum alimentum; iubentem ignem fulgere supernè ad actiones hominum.*

Trimeg. in Hymnod.

Mercurium non multù pòſt ſequutus eſt Orpheus Græcorum Theologiæ pater, qui totam rerum creationem Deo ſummo, quem

Iouem

Digitized by Google

Ionem fortè ab ineffabili Dei nomine *Iehouah*, quod apud Hebræos aſſeruatur, decerptum appellat, piè admodum deſert hoc carmine.

Quæ fuerint exorta, & quæ ventura ſequentur,
Hac in ventre Iouis rerum compago manebat:
Iuppiter ipſe eſt primus, Iuppiter vltimus idem.
Iuppiter eſt caput, mediũq́, & cuncta Iouis ſunt,
Iuppiter eſt terra fundamentum, cœliq́, micantis,
Iuppiter idem Rex cunctorum, principiúmque,
Vna poteſtas, & Deus vnus, vnus & ductor.

Thales Mil. Plutarch. Porrò Thales Mileſius, qui (vt ſcribit Plutarchus in libro de dogmatibus Philoſophorum) vnus ex illuſtrioribus illis ſeptem Græciæ ſapientibus fuit, à quo Ionica Philoſophia exordium ſumpſit, is (auctore Tullio) ita de vno rerum opifice ſenſit, vt mentem quandam ſupremam docuerit, quæ cuncta ex aquis finxit, quam ſapientiam æternam, ſolertiſſimam, omniſque pulchri, boniq; repertricem vocauit. Quid verò Thaletem impulerit, vt aquam materiale rerum principium ſtatueret, ea, vt opinor, cauſa fuit primò, quòd in humida ſubſtantia omnium animalium originem ſitam eſſe cerneret. Deinde quòd plantas, & herbas cunctas ex humido oriri, ac humido ali, & foueri agnoſceret, cuius egeſtate langueſcunt, ac pereunt. Tertiò, quia calor quodammodo ex humido fieri videtur, ſiquidem illud eſt caloris materia. Quartò, quia vita animalis in humido verſatur: at viuere in viuentibus, eſt eſſe. Quintò, quia ipſe mundus aqueis vaporibus alitur: quam ſententiam approbat Homerus dum Thetim aquarum Deam, Deorum parentem affirmat. Denique ſanctum erat Deorum per Stygiam paludem iuramentum, quod nemo audebat impunè violare.

Diogenes Appollon. Diogenes verò Appolloniata aërem quidem dixit rerum eſſe principiũ, ſed cùm eum eſſe Diuinæ rationis compotem exiſtimauit, ſine quo nihil prorſus factum eſt, per aëris nomen diuinum quoddam Numen intellexiſſe videtur, cuius virtute vniuerſa condita ſunt: quod ſi ſub aëris natura Spiritum illum Diuinum, qui ferebatur ſuper aquas, intellexiſſet, ſanè non longè à fide abſuiſſet. Attamẽ quicquid de illius aëris ſignificatione ſenſerit, exploratum eſt, eum totam rerum creationem Diuino cuidam Numini detuliſſe.

Anaxagor. Cæterùm Anaxagoras Chaldaicæ Theologię Sectator, omnium rerum principium, ac productricem mentem eſſe pronunciauit, quã etiam ſapientiſſimam, ſimplicem, ac nulli rei mixtam eſſe docuit; vt illam Diuinam eſſe aſſereret: cuius ſententiam commendat Plato *Plato in Phæd.* in Phædone, *Audiens* (inquit) *ex libro Anaxagoræ mentem eſſe mundi ad ſtatricem, hac ſum mirificè lætatus, nullámque puto probabiliorem reddi poſſe rationem.* *In Cratylo.* Et in Cratylo; *Eſſe* (inquit) *Iuſtitiam, quam Anaxagoras mentem dixit, aſſerit Cratylus, quæ cùm ſit imperatrix, nullíque commixta, eam tradit omnia creaſſe, per omnia commeantem.* Hinc fortè cecinit Virgilius: *Virgil.*

Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

At quid diutiùs in explicandis Philoſophorum teſtimoniis immoror; cùm hanc Coſmogoniam, & conditi orbis ordinem quotquot Poëtæ, ac Philoſophi hos ſequuti ſunt, proculdubio aſſeuerauerint. Siquidem Empedocles, Euripides, Sophocles, Phocylides, Phœnices; Arates, & recẽtiores, Plato, Iamblichus, Epictetus (vno duntaxat Ariſtotele excepto) Deum omnium opificem agnouerunt. Tametſi non deſint ex Platonicis nonnulli (quos neſcio an imperitiores potiùs, quàm deprauatiores appellem) qui mundi æternitatem Platoni impingere non verentur. Inter hos ſunt Proclus, ac Simplicius; quos tamẽ Plutarchus *Plutarchus.* his verbis redarguit: *Sunt* (ait) *plurimi operam dantes Platoni, qui timentes, & anxij omnem mouent lapidem, omnia conantur, torquent, vim adhibent, ceu nefariam, ac nefandam, occultare, negare mundi & animæ molitionem & conſtitutionẽ, velut quæ fuerit ab æterno, tempúſq; permãſerit infinitum. Quibus reſponſum eſt, & nunc id ſufficiat, quòd certamen & orationem de Diis, quo Plato fatetur ſumma contentione, & præter ætatem ſe aduersùs impios decertaſſe, confundunt, immò verò tollunt in totum.* Et poſt multa; *Quid opus eſt afferre, quæ dicuntur in Timæo? totus enim liber eſt de creatione mundi.* Quapropter in hos qui violẽtis interpretationibus Platonem ad mũdi æternitatẽ nolentẽ pertrahunt, ipſe quoq; Philo Iudæus Platonicus inſignis his verbis inuehitur. *Philo.* *Nonnulli verò* inquit) *qui ſapientiã iactãt, eámq; ſibi arrogant, aut ſophiſticè agũt, arbitrantur à Platone mundũ generabilem dici, non quòd generationis acceperit principium; ſed quia ſi factus fuiſſet, non alia ratione, quàm quæ ab eo poſita eſt, conſtare potuiſſet, aut quia ſemper partes eius in generatione, & mutatione cernuntur: ſed melius eſt, & verius opinari primum, non ſolùm quia in omni opere Patrem, & Genitorem, & opificẽ Deum illum Architectum appellat: opificium autem venuſtum, ac quaſi partum, ac prolem hanc mundum ab exemplari intelligibili ſimulachrum ſenſibile, omnia, quæ illi intelligibiliter, ſenſibiliter in ſe continentem perfectiſſimum apud mentis perfectionem exemplum ſenſibile: verùm etiam quia teſtatur id Ariſtoteles de Platone, quem ob Philoſophiam mentiri ſanè puduiſſet.* Quamobrem illud certum ſit, Platonem idem cum prioribus Philoſophis de mundi creatione ſenſiſſe.

De Iamblicho, quem diuinum Platonici *Iamb. de Secta Pythagor.* appellant, nullo modo dubitandum eſt, quin in libro de Secta Pythagoræorum omnia nata eſſe confirmet, hominémque à Deo factum, tum organa, tum facultates à Deo accepiſſe ad philoſophandum; demum à diuiniſſimo verbo iuxta Platonis doctrinam, viſibilẽ hunc mundum repertum, & inſtructum. Quem etiã ſequitur Plotinus, cui falsò Proclus mundi *Plotin. lib. de uno & rep* æter

Digitized by Google

æternitatem aſcribit. Is enim lib. de æuo & tempore, poſtquam tempus creatum eſſe dixit, etiam mundi creationem docet his verbis: *Oportet attollere nos ipſos ad illam diſpoſitionem, quam in æternitate dicebamus eſſe, quietam illam, & ſimul totam, & infinitam iam vitam omninóque indeclinabilem; & in vnitate, & ad vnitatẽ ſtantem. Tempus autem nondum erat, vel illis certè non erat. Generabimus autem tempus definitione, & natura poſterioris.* Cùm igitur ex Plotino nullum eſſet tempus, nec ipſę res erant, quæ tempore menſurantur.

Tandem de Epicteto & Plutarcho nullus vnquam dubitauit, quin eadem priorum ſententiam ſequuti fuerint. Nam prior

Epictetus. Epictetus cùm de rerum ordine ſeipſum interrogaret, Quomodo fiũt hæc omnia? *Quemadmodum* (inquit) *moderator ea moderatus eſt. Aeſtatem iuſsit eſſe, hominem ſuccedere, ſtatuit abundantiam & caritatem, terræ virtutem dedit, dedit & vitium. Omnes id genus contrarietates pro concordia rerum, vnicuique noſtrûm dedit corpus & membra corporis*, &c. Ex his deniq; ſingillatim ad hanc concluſionem pertrahit, Deum vniuerſa condidiſſe.

Plutarch. Plutarchus verò cùm aduersùs Chryſippum ageret de materia prima, quam ille infinitam, turpem, maleficam, Deóque repugnantem, & rebellem aiebat, ad illum refellẽdum hoc vtitur argumento. Niſi Deus cuncta feciſſet, ſi neceſſitas rebus ineſſet, non omnium Dominus eſſet, quod ille impium exiſtimabat.

Immò verò Ariſtoteles ipſe, qui mundi æternitatem defendit, veritate ipſa cogente velut ſui oblitus mundi creationem admittit: cùm mentem illam, quam Anaxagoras mundi cauſam agnouerat, laudat, approbat, ac miris laudibus extollit, cuius illud eſt admirabile teſtimonium.

Ariſt. lib. 1. de Philoſoph. libr. primo de Philoſophia: quærens enim de principiis rerum, quæ apud maiores reperierat, cùm multorũ ſententias in iis aſſignandis repuliſſet, tandem ait: *Mentem quidam, qui dixit quemadmodum in animalibus omníque natura, ſic cauſam fuiſſe mundi, totiúſque ordinis; is certè viſus eſt reſipuiſſe præ iis, qui priùs temerariè loquerentur. Itaque huiuſmodi qui ſunt hoc arbitrati, non ſolùm benè & congruè, hanc cauſam principium rerum ſtatuerunt: ſed etiam talem cauſam attulerunt, vnde motus extiterit, vel exiſtat rebus.* Quibus verbis Ariſtoteles, tametſi obſcuriùs loquatur, ſentit ea quæ prior Plato, & Anaxagoras de rerum creatione docuerant.

Tandem, vt Philoſophorum teſtimoniis finem imponamus, id à vetuſtiſſimis ſęculis receptum fuit, id traditio decreuit, id Religio in omnes homines diffuſa confirmauit; vnum eſſe rerum omnium opificem, qui eſt Deus Opt. Max. Atque hæc huius veritatis fama in omnes tum Græcos, tum Ægyptios, tũ Chaldæos, tum Phœnices, atq; vniuerſas nationes ita percrebuit, vt de ea dubitari non niſi impium, atque Atheiſticum, nullóque ſupplicio expiandum ſcelus ſit.

Idem probatur rationibus.

ARTICVLVS VI.

IAM poſt Philoſophorum teſtimonia accedant rationes ex ipſa rerum conſideratione depromptæ, quæ adeò apertè mundum à Deo fabrefactum eſſe demonſtrant, vt homini ratione prædito nihil præterea quærendum eſſe videatur. Ac primùm, ſi rerum naturam; ac mundum ipſum interrogamus; planè ſe à Deo tam ſecundùm totum, quàm etiam ſecundùm partes cõditum eſſe clamat. Etenim elementa, quibus vniuerſum conſtituitur, viciſſitudine quadam in alterutra trãſeunt ac cõuertuntur. Terra quippe in aquam, aqua in aërem mutatur, aër rurſus in aquam labitur: atque his viciſſitudinibus perpetuas rerum generationes fieri exploratum eſt. Cui verò non perſpectum ſit has viciſſitudines tẽpore menſurari, cùm totius mutationis tempus menſura ſit? Porrò quæ tempore menſurantur, initium habent, neque vllo modo ęterna eſſe poſſunt: vbi enim menſura, inde æternitas exulet, neceſſe eſt, quæ omnino immenſurabilis eſt. Perpendamus ſingula. Vniuerſa ſuis temporibus cõſtant: Veri ſuccedit Æſtas, Æſtati Autumnus, Autumo Hyems: mare ſuos patitur fluxus ſuis regulis, ac menſuris præfixos. Aër quoque ſuas habet ventorum ſpecies, quibus modò concitatur, modò demulcetur, iíque viciſſim quodam ordine dominantur. Ab Oriente flat Subſolanus ventus Cardinalis, qui à Nautis Leuãs dicitur. Is cum Helleſpontio, ac Vulturno ſuis collateralibus eam Orbis partem ſibi vendicat, qua Sol in Æquinoctiis oritur. Ab Occidente irruit Zephyrus, vel Fauonius, quem Ponentem appellant, cui ab Auſtro Africus, ab altero latere Iupyx, vel Chorus iungitur: Septentrio à Polo ſeu à mediæ noctis angulo procedit, cui Boreas, vel Aquilo vicinus eſt versùs Ortum. Thraſcias, Circius, vel Gallicus versùs Occaſum: hic ab Hydrographis Tranſmontanus dicitur. Auſter vel Nothus à Meridie oritur, ab Occaſu Libonotum, Euronotum, vel Euroauſtrum ab Ortu ſibi adiacentes habens. Ab iis tum nubes, tum imbres, tum tempeſtates, tum tranquillitates educuntur. Has porrò mutationes ita præfixo ordine diſpoſitas, quis principio atq; auctore aliquo carere dicat? Sanè vbi ordo cõſpicitur, ibi primum, & vltimũ eſſe opus eſt; quæ ſibi optimè cohæreant: neq; enim poſſibile eſt horum viciſſitudinum circulos, qui ita ſibi inuicem ſuccedunt, vt initiũ, & finem habeant, aliquo principio non conſtare. Quòd ſi hæc initiũ ſortita ſunt, quo pacto mundus ab æterno eſſe potuit? immò quis

in iis

Digitized by Google

in iis potiùs Dei opificis ſapientiam,ac maieſtatem non admiretur?

Cæterùm conſtans ipſa terræ ſtabilitas, ac varia illius forma non obſcurè Deum illius opificem nobis agnoſcẽdum tradit. Cui enim tam magna hæc & inartificialis velut fabrica admirationem non pariat? Queſo Atheiſta, an nullo auctore factũ eſt, vt Nazianzeni verbis vtar, vt terra quidem immenſi ponderis per ſe fixa ſtet & immobilis: neque cui innitatur, aut in quo gradũ firmet præter Dei voluntatẽ habeat quidquã? Age: hæc eadẽ tellus quomodo alibi in mõtium cacumina aſſurgit, alibi in cãpos ſeder, idq; ſpecie varia, & multiplici, dum crebra permutatione ſubinde aliã, atque aliam faciem exhibens, tum eſt ad vitæ vſum copioſior, tum ipſa varietate oculis gratioſior? Deinde quæ partim pro habitantium vſu diſtrahitur, partim inhabitabilis iacet: vt interim taceam quotam eius portionem montium vertices abſcindant. An non hæc Diuini opificij magnificentiam oſtendunt? Quid? quòd neque ipſa tellus, quamquam per tot annorum millia aratris ſcindatur, feratur, conſeratúrque, quamquam conculcetur, effodiatur, radatur imbribus, niuibus ſubſideat, atque ardoribus atteratur, vllam ſui vnquam diminutionem perpeſſa eſt, minoréſue agricolis fœtus, aut pauciores educit?

Gregor. Nazianz. lib. 2. de Theol.

Theod. lib. 4. de Græcarũ affect. curas.

At quis ſeminum germina, ac planè mirabilem germinandi modum animo ſecum verſat, qui Dei opificium non ſtupeat? Nam, vt Clemens Recog. lib. 8. ſcribit, cùm terræ fuerint ſemina mandata, humorem quem ſuſceperit gleba, velut vberibus ſuis ſeminibus immulget: aquis ineſt quædam vis ſpiritus à Deo dati ab initio: cuius ope habitus futuri corporis in ipſo ſtatim ſemine formari incipit, & per culmum, ſpicámque reſtituit: turgefacto etenim ex humore ſeminum grano, per anguſtos quoſdam venarum meatus vis illa ſpiritus, quæ ineſſe aquis data eſt, vtpote incorporea tranſcurrens, ad incrementum ſemina ſuſcitat, & creſcentium ſpecies format. Miniſterio igitur humidi elementi, cui vitalis ille ſpiritus inſitus ſemper & ingenitus eſt, efficitur, vt non ſolùm reparetur, ſed vt per omnia ſimilis ſpecies, & forma his, quæ iacta fuerint, ſeminibus redeat: quæ ratio cui vel breuem ſenſum habenti non apertè declarat, non irrationalis naturæ, ſed Dei ſapientiſſimi præſertim id opus eſſe?

Circumſpice præterea Ver, & diuerſi generis flores adeò ſimilitudine diſparatos. Roſam quidem rubicundam, lilium autem candidum, ex vna ſanè pluuia hæc oriuntur, & ex vna terra fiunt. Quis hæc diſcernit? quis operatur? Quis ex vna arboris ſubſtantia, hoc quidem in tegmen, illud in corticem, aliud in folia, & aliud in varios fructus facit erumpere? quid eſt, quòd vnus vnius vineæ agricola, aliud quidem in combuſtionem, aliud in germina, aliud in folia, aliud in pampinos, aliud in botros ſeparat? Admirare calami denſiſſimos nodorum ambitus, & ex vna terra reptilia prodire, & feras; & iumenta, & ligna, & cibos, & aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & lapides. Quis horum artifex fuit? quis tantam rerum diuerſitatem ex vna tantùm ſubſtantia educere potuit, niſi Deus Opt. Max.

Cyrill. Hierol. cat. 9.

Quid de animalibus dicendum; cùm diuina prouidentia factum ſit, vt cum temporis ſenecta reſoluerentur, per progeniem reparentur: & mira quadam diſpenſatione prouidentię naſcituro pecori lac præparetur in vberibus, ac ſtatim vt natum fuerit, nullo docente ſciat, vbi alimoniæ ſuæ horrea requirat. Gignuntur autem non ſolùm mares, ſed & fœminæ; vt ex vtroque poſſit rurſus conſtare poſteritas. Sed ne viderentur hæc naturæ quodam ordine potiùs, quàm diſpenſatione Conditoris fieri; pauca quædam ad Diuinæ prouidentiæ indicium, immutato prorſus ordine, ſeruari iuſſit: nam vt per os concipiat Coruus, & per aurem Muſtella generet: vt aues nonnullæ, ſicut Gallinæ interdum oua, vel vento, vel puluere concepta pariant. Alia quædam animalia, marem vicibus alternis in fœminam vertant, & ſexum per annos ſingulos commutent, vt Lepores & Hyenæ. Alia etiam ex terra oriantur, atque inde carnem ſumant, vt Talpæ. Alia ex cinere, vt viperæ. Alia ex putrefactis carnibus, vt Veſpę quidem equinis: Apes autem bubalis. Alia ex fimo bouum, vt Scarabæi; alia ex herbis, vt de ocymo Scorpius; & rurſus herbæ ex animalibus, vt ex cornu cerui vel capræ, apij, & aſparagi. Et quid opus eſt plura enumerare? An non Diuinæ prouidentiæ opus eſt, quæ mutato ordine, eo qui à natura datus putatur, multimodis differentiis natiuitatem animalium conſtare voluit: vt ex his non irrationabilis rerum curſus, ſed ſupremæ cuiuſdam mentis omnium opificis ratione ductus oſtenderetur?

Clem. Recog. lib. 8.

Ad hæc quis formicis, quæ ſunt omnium animantium in terra degentium infimum genus, dedit in reponendo alimento prouidentiam? Imitare, ſi potes, formicæ ſtabula, apis ædificia, araneæ retia, bombicis ſtamina: ſuſtine, ſi potes, illas ipſas lectuli, ac tegetis tuæ beſtias, cantaridis venena, muſcæ ſpicula, culicis, & tubam, & lanceam. Quis culicis, ac pulicis membra diſpoſuit, vt habeant ordinem ſuum, habeant vitam ſuam, habeant motum ſuum? Beſtiolam breuem, minutiſſimam, tecum perpende. Si ordinem membrorum ipſius animaduertas, & animationem vitæ, qua mouetur, qua fugit mortem, qua amat vitam, appetit voluptates, deuitat moleſtias, exerit ſenſus diuerſos, viget in motu congruo ſibi, an non tibi ad altiorem opificem cõſcendendum erit? Quis dedit aculeum culici, quo ſanguinem

Gregor. Nazianz. lib. 2. de Theol.

Tertull. aduerſ. Marc. lib. 1. c. 14.

Aug in Pſal. 148.

ſanguinem ſugat? quàm tenuis fiſtula eſt, qua ſorbet? quis diſpoſuit iſta? quis fecit iſta? An non æquum eſt etiam in minimis Creatorem agnoſcere?

Nazianz. l. 2. de Theol.

Poſt hæc, & volucrum expende greges, & varietates; ſiue figuram, ſiue colores ſpectes. Ex his aliæ ſunt mutæ, aliæ cantillant: & quæ cantus huius eſt ratio? & vnde? quis Cicadæ plectrum dedit in pectore? quis cantiones, & garritus, quibus arborum rami tum perſonant; cùm illæ Solis temperamento hilareſcentes nemoribus meridianæ muſices penſum perſoluunt, tanta cum audientium ſuauitate, vt viatores nonnunquam ab inſtituto itinere voce ſua diſtineant? Quo præcinente carmen prætexit Olor, cùm pennis velut fiſtulis quibuſdam in auram explicatis modulos facit? Quo auctore Pauo volucris planè inſolens, & curioſa, adeò eſt formæ ſtudioſus, & ambitioſus (ſentit enim ſuam ipſius formam) vt ſi quando quempiam adeſſe animaduertat; aut (quemadmodum aiunt) fœminis fucum facere ſtudeat, erecto collo, penniſque in orbem explicatis, ſpeciem auri ſtellarumq; fulgore coruſcantem ſpectaculi vice ſui admiratoribus oſtentet, compoſito in hoc ſuperbo quodam inceſſu. Planè hanc auctore Deo illis naturam ineſſe credendum eſt.

Quòd ſi de apibus nonnihil diſſerendum ſit, vnde iis cùm induſtriæ, tum artis tantùm ſuppetit, vt in cellis fauos ſuos congerant, diſtendántque per ſex angulos fiſtulas, quas æqualibus in medio ſpaciis relictis ſic ędificant; vt in eorum medio, quaſi muro quodam interiecto, angulorum rectorum commiſſura, ipſæ ſibi ſedes inſtituant; eáque in alueis adeò caliginoſis inuiſibili fingẽdi artificio efficiant? Quis Araneæ id artis contulit, vt per ſtamina vſque adeò ſubtilia, propéque aëria multiplici ſpecie deducta, ſinuoſas inextricabiléſque telas contexant: quæ ſimul habitaculum neutiquam vile, ſimul in alimenti prædam inſitmorum animantium mirabile præbeant aucupium? Et quis Euclides alioqui lineis, quæ nuſquam ſunt effingendis occupatus, ac in Demonſtrationibus anxiè laborans, ingeniũ hoc imitatione proſequutus eſt? cuius Palamedis opus æquarit tam ordinatos Gruũ motus? tam appoſitas figuras? tantas denique volucrum artes, quæ cùm variè volent, certo tamen agmine, ac compoſito mouentur? Quomodo id efficere induſtria ſua valent? vt nocturnas vigilias viciſſim ſic obeant, vt aliæ quidem dormiant, aliæ circumeundo præſtent, quò ab omni periculo per quietem tutę ſint? Qui Phidiæ? qui Zeuxides? qui Polignoti? qui Parrhaſij? qui denique Aglaophontes rerum formis pingendis fingendiſve nobiles cum his animalibus compoſiti non ſordeant? Immò quis vel Gnoſius Dędali chorus Nymphæ tanta concinnitate ad ſummam pulchritudinis admirationem elaboratus, vel labyrinthus Cretenſis inexplicabili ambagum perplexitate ſinuoſus, & ſæpenumero inexpectata receſſuũ reciprocatione exire conantem fruſtratus has animalium artes aſſequutus eſt? Hæc ſanè ſicut Dei ſapientiam, ita & admirabilem illius virtutem declarant.

At iam liceat in natatili illa natura, quæ per aquas lubrico fertur libramine Dei opificium admirari. Nam cùm in proprio aquarum ſpiritu perinde atque deliciis ſuis verſetur, in aëre hoc noſtro periclitatur: nõ ſecus atq; nobis periculum eſt in aquis. Tum generis ſpecies, mores, ſtudia, concubitus, partus, magnitudines, pulchritudines, certas manſiones, vagantium errores, conuentus, & receſſus: breuiter cuiuſque proprietates propemodum non minùs varias, quàm ſint, & terrenorum animantium, quis enarrare ſufficiat, ac in iis Conditoris dexteram non agnoſcat? *Chryſoſt. hom. in Pſ. 148.*

Neque hæc ſolùm Dei opificium oſtendunt, ſed ipſa etiam vaſta maris profunditas, quod cum ventorum flatibus concutiatur, & tanta turgeat aquarum multitudine, non erũpit, non egreditur terminos, non tellurem inundat, ſed vinculis immobilibus littori alligatur: & quamuis turgeſcentibus, ac ſpumantibus vndis quandoque intumeſcat; tamen cùm primùm littori appropinquat, gradum ſiſtit, fluctus confringit, iras remittit; ac tandem placatum retrocedit. Quę vis immenſam maris naturam ſic cogit, ac velut ſub lege coërcet? quis illud littore velut oſtiis cõcluſit, cùm erumperet? Is planè qui apud Iob ait: *Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia. Et dixi, vſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* *Iob 38.*

Quid? quòd ipſum mare, quanquam inde nubes vim aquarum inceſſanter exhauriant, imbréſque pariant, terriſque diffundant; neq; imminutum olim exhauſtúmve eſſe cernitur, non ab iis etiam litoribus receſſiſſe, quæ olim fluctibus ſuis obduxit; ſed neque rurſus auctum exuberat, tametſi plurimos vndecunque fluuios illabentes accipiat. Num hæc diuinæ potentiæ virtutem effugiunt? *Theodoret. lib 4.*

Age verò terra ipſa, & quæ circa eam ſunt, relictis, ad aëris altiora conſcende, atque in eo opificis benignitatem perpende. Equidem ingentes diuitias, adeóque copioſas in eo effuſas reperies, vt benignitatem ſuam ipſe conditor nullo dignitatis, nullo fortunæ reſpectu hominibus communicet: tanta enim eſt illius amplitudo, vt nullis finibus terminetur, neque certis ætatis gradibus ſeſe impertiat: ſed ex quo, vt olim manna quantum ſatis ſit, quiſque pro ſe accipiat, ſitq; hoc modo ex ſortis æqualitate apud omnes gratioſa largitio. Hîc volatilis natura ſuum vehiculum habet; hîc venti ſedem: hic anni partes commodè temperat, animantibus vitam largitur, vel potiùs con-

Greg. Naz. orat. 2. de Theolog.

iunctio

Digitized by Google

iunctionem animi eum corpore tuetur. In hoc corpora, & ſimul etiam loquendi facultas vigent: in hoc eſt, quicquid aut per ſe lucet, aut aliunde illuminatur. Per huius denique tractum viſus velut iaculanter vires ſuas exercet. Hanc verò aëris naturam quis non admiratur non inconſumptam perſiſtere, cùm tamen tot numero homines, tótque animalia illum ſpirando & attrahant, & remittant: Solíſque adeò ſeruentes radij permeando traiiciant? Neq; hæc tantùm in aëre admiramur. At ſi vlterius inquirimus, quis ſit pluuiæ pater? quis peperit guttas roris? quis aërē cōdenſat in nubes, & imbrium aquas portare iubet, & aliquando quidem à Borea nubes ſplēdidas adducit, aliquando verò in caliginem transmutat, & turſus in varios circulos transfert, & figuras? quis educit ventos de theſauris ſuis? quis guttas noctium ſpargit? de cuius ventre egreditur cryſtallus? Neque enim hæc quæ aëri vulgò tribuuntur vniuerſa, concedēdum eſt eſſe in eius poteſtate. Quis enim aëri tribuat, vt aquam in nubibus colligat, eámque partim ſupra nubes ſiſtat (tanto miraculo fluxæ naturæ verbo coërcitæ) partim autem ſuper terræ faciem effundat, opportunéque omnium in vſum ſpargat? Planè altiorē conditoris naturam hîc contemplari opus eſt: quę totam hanc liquidam naturam liberam non laxet, nec coërceat omnino, ne altero Elia indigeamus, qui vel pluuiam coërceat, vel aëris ſiccitatem diſſipet. Quis enim nobis cœlum aperiet, cùm clauſum fuerit? quis cœli cataractas cohibebit, cùm patefactæ fuerint; ſi non Deus ipſe ſuis ipſius menſuris, certiſque ſiſtendi legibus vniuerſa dirigeret? Sed quòd ab excelſis montibus, qui certis quibuſque habentur in locis, velut compreſſus, & coanguſtatus aër ordinatione Dei cogatur, & exprimatur in ventos, ex quibus fructus germen concipiat, & æſtiuus ardor temperiem ſumat; cùm Pleiades ignitæ Solis ardoribus incanduerint, cui dubium eſt hoc Diuinæ prouidentiæ ac opificij eſſe?

Theodoret.

Chryſ. in Pſal.

Cyrill. Hieroſ. Catec. 9

Gr. Naz. vt ſuprà.

Clem. Recog. lib. 8.

Porrò ſi quæ in Elementorum tum commixtione, tum diuerſitate fiunt, intuemur: quis cernens diſſidentes inter ſe naturas coaptatas eſſe, & concordem harmoniam tenere, quis videns ignem frigido, & ſiccum humido commixtum eſſe, atque hæc ſibi inuicem non reſiſtere, ſed vnum quaſi ex vno corpus abſoluere, non ſecum cogitet, foris & ſeorſum eſſe eum ab iſtis, qui iſta ad hunc modum coniunxerit? Quis ſpectans in aëre nubes ferri, & in nubibus aquarum pondus colligatum, non cognitionem concipiat illius, qui ea colligauit, cuiúſve iuſſu hæc omnia fiunt? Aut quis conſiderans ipſam terram natura grauiſſimam, in aqua ſtabiliri, immotámque conſiſtere in re ſuapte natura agitabili, non ſecum expendat eſſe aliquem, qui hæc ita diſpoſuerit, & fecerit, Deum? Quis turſus videns ſuis temporibus terræ fœcunditatem, ac pluuias cœleſtes, amnium fluxus, fontium ſcaturigines, animalium ex diuerſis ſexibus fœtus, eaq́; non ſemper, ſed certis temporū vicibus fieri: ac tādem quis animaduertēs in diſſimilibus, contrariiſque parem, ſimilémque ordinem ex illis conflari, non animo ratiocinetur, vnam eſſe vim, potentiámque quæ iſta diſpenſet, ac gubernet: pro cuius arbitrio omnia ita ritè in eo ſtatu perſeuerant? Ipſa enim per ſe nunquam vel conſtare, vel apparere potuiſſent, ob mutuam, quæ in illis eſt naturæ diſcordiam: aqua enim per ſe grauis eſt, & deorſum fluit: nubes contrà leues, & ex eo numero rerum, quæ agiles ſunt, ſurſúmque feruntur; nihilominus tamen aquam, quæ ponderoſior eſt, in nubibus per aërem circumferri videmus. Ac turſus terram omnium grauiſſimam eſſe, turſus verò aquam hac leuiorem, tamen grauius à leuiore portari, nec ſubſidere: ſed terram immobilem conſiſtere. Tandem, vt compendiò dicam, frigidum calido infeſtum eſt, humidum ſicco: nec tamen poſtquam inter ſeſe conuenerint, ſeditionibus laborant, ſed ex concordia rerum omnium procreationem efficiunt. Non igitur pugnantia, & contraria ex ipſa natura in vnum coaleſcerent, niſi præſtantior aliquis eſſet, qui ea conciliaret, cui & ipſa elementa, velut Domino ac opifici cederent, & obtemperarent.

Athan. oratione contra idola.

At verò non ſatis eſt, aërem & quæ ſub eo ſunt infima peragraſſe; vt in iis Deum opificem inueſtigaremus, niſi cœlum, ac cœleſtia animo perluſtremus, in quibus præclariora Dei veſtigia enitent. Contemplare ingentem hanc cœli amplitudinem, ambitum, altitudinem, dimenſionem: quis eò vſque vnquam peruenit, vt certò docere poſſet, quid cœlum, quid ſtellæ, quis orbium numerus, quæ illorum materia, quæ effigies, quis color illis inſit? An hoc expedire poterit quiſquis eſt ſublimiorum iſtorum profeſſor, cùm vix terreſtrium rerum certam vllam ſcientiam attingat? Certè vides cœlum hoc, quàm pulchrum, quàm amplum, quàm magnificum ſit, quemadmodum vario ſtellarum ordine exornetur, & ſplendeat. Quis illud ita à nobis abeſſe voluit, vt illius duntaxat aſpectu, non tactu fruemur? quis illi Solem, Lunam, ac tantam ſtellarum multitudinem tanquam rotæ clauos, aut tabulæ nodos affixit? Quis ita firmum, ac conſtans illud præſtitit, vt cùm iam per quinque annorum millia, & amplius ſupra nos feratur, haud tamen tam longo temporis interuallo factum ſit, vt ſeneſceret, aut dilaberetur ſed quam principio conſtantiam, ac pulchritudinem ſortitum eſt, candem nunc quoque integerrimam ſeruet? Quis cœleſtem hunc ambitum, Solis curſum, ſtellarum ſitum, motus in orbem actos, contra-

rios quidem, ac diuerſos: ſed tamen in diuerſitate regulã, atq; ordinẽ ſeruãtes, animo cõtẽplatur, qui nõ ſecũ ipſe ratiocinetur, hæc nõ à ſcipſis, ſed cõditoris volũtate regi? Quid dubitas in hoc maximo tot cœlorũ opificio, qui magnitudine, nobilitate, præſtantia res humanas antecellunt, latentẽ Deũ venerari? ſed cũ hęc non omnibus palàm ſint, de iis fortè quiſpiam ſuſpicari poterit, an ita ſint: quapropter ad ea veniamus quæ oculis conſpicibilia ſunt. Aſtra moueri, ſydera tum oriri, tum occidere, ac rapido curſu ab Oriente ad Occidẽtem ferri, nemo ignorat. At quis Aſtrorum curſus tanta ratione diſpoſuit, ortúſque eorum, & occaſus inſtituit: certíſque & demenſis temporibus vnicuique tenere cœli ambitum dedit? Quis ab Occaſu aliis etiam redire in Ortum permiſit? impoſuit modum curſibus Solis, vt horas, & dies, & menſes, ac temporum viciſſitudines diuerſis motibus ſignet? & nunc hyemem, inde ver, æſtatem poſt, & autumnum certa curſus ſui dimenſione diſcernat? & ſemper eiſdem vicibus anni orbem inconfuſa varietate conſtringat? Quis, inquam, tanti ordinis moderatricem non ipſam Dei pronunciet ſapientiam?

Clem. Recog. lib. 8.

Vnde quæſo, Sol Orbi vniuerſo, & omni aſpectui quaſdã quaſi faces præbet, ac ſi chori alicuius Coryphæus foret? Vnde illi tãta pulchritudo, & velocitas, vt velut ſponſus venuſtus, velox, & ingens Gigantis inſtar interim dum iter ſuum perficit, tanta ſit præditus facultate, vt è tanta cœlorum celſitate, tanto interuallo, ſubiecta partim luce, partim calore attingat: neque tamen calore ſuo vrat, ſed foueat; quippe qui τροπὰς, ſeu mutationes anni temporum non ſubitò efficiat, ſed paulatim & ordine, vt neque nimio terram æſtu perurat, neque per caloris inopiam nimis frigidam, & infœcundam relinquat? Is autem cuius vi ab initio mouetur? cuius prudentia hominum vtilitati conſulit? quo autore, ac duce illius motus in orbem, vt vniuerſus Orbis eo frui poſſit, perpetua vertigine ita voluitur, vt dies, noctéſque pariat? Hæc ſanè, qui mentis compos eſt, non Soli, qui nec vita, nec voluntate fruitur, ſed altiori menti, quæ Solis, & dux, & opifex eſt, tribuere debet. Cùm igitur Solem vides, autorẽ eius conſidera, quando hunc miraris, lauda priùs altiſſimum illius cõditorem: ſi tibi adeò gratus eſt Sol, qui Dei creaturam tibi obiicit, quàm gratus eſſe debet Sol ille, qui Creatoris maieſtatem vbique circunfert? ſi tam velox iſte, vt rapidis curſibus die, ac nocte luſtret omnia; quantus ille, qui vbiq; ſemper eſt, & magnitudine ſua omnia complet? ſi admirabilis, qui iubet exire, quàm ſuper admirationem, qui dicit Soli, vt exoriatur?

Ambroſ. Exem. lib. 4. c. 1.

Sed Solem miſſum faciamus. Tu verò Lunæ naturam, affectiones, magnitudinem, lucem & curſus noſti? Tum qui Sol diei, Luna verò noctis habeat imperium, vtque hæc belluis inſerat audaciam, ille verò hominem ad opus excitet? An Pleiadis nexum, Orioniſve armaturam ſcilicet intellexiſti; vt ſtellarum multitudinem numeres, earúmque ſingulis nomina indas? Quis hæc ſecum reuoluat, qui non animo colligat omnino eſſe aliquem opificem, qui iſta gubernet?

Nazianz. oratione 2. de Theol.

Verumenimuerò, non modò Solis & Lunæ machinam admirari; verùm etiam Aſtrorum ordinatos progreſſus, & perpetuos curſus, & vniuſcuiuſque opportunos ortus ſtupere æquum eſt: quomodo alia quidem ſint ſigna Æſtatis, alia verò Hyemis, alia quidem tempus ſeminandi indicant; alia nauigandi initium ſignificant, ita vt quiſpiam in naui ſedens, & incertis fluctibus nauigans, in ſtellam aſpiciens dirigat nauem?

Cyrillus Cat. 9.

Poſtremò ad contemplandum hominis conſtitutionem, quæ omnium præſtantiſſima eſt; quippe qui Dei imago eſt, in quo velut paruum in alio mundum, ac vniuerſas rerum conditarum formas quaſi compendio colligit; teipſum ingredere, ac tecum perpende, quanta ſis ratione compoſitus: & hinc præcipuè ſapientiam, ac potentiam conditoris intelliges: quæ cùm ex diuerſis ſubſtantiis conſtet, mortali ſcilicet, & immortali, ſocietatem tamen diuerſitas non refugit. Perpende quæſo in teipſo artificis opus: quomodo oſſa velut columnas quaſdam, quibus caro ſuſtentetur, inſeruit: tum deinde æqualis ex vtraque parte dextera & læua menſura ſeruetur, vt cõgruat pes pedi, & manus manui: digiti quoque digitis, vt ſinguli ad ſingulos tota æqualitate concordent: ſed & oculus oculo, & auris auri: quæ non ſolùm conſona ſibi & concordantia, ſed & vſibus neceſſariis apta formantur: manus quidem, vt operi commodæ ſint: pedes, vt greſſibus: oculi, vt viſibus ſeruiant, ſuperciliorum excubiis cuſtoditi. Aures ad audiendum ita formatæ, vt cymbalo ſimiles, ſuſcepti verbi repercuſſum ſonitum altiùs reddant, & vſque ad ſenſum cordis emittant: lingua autem ad loquendum illiſa dentibus, plectri reddat officium: ipſi verò dentes, alij vt incidant, & diuidant cibos, & interioribus tradant: interiores verò, vt in modum molæ conficiant, ac comminuant; quo opportuniùs ſtomacho traditi coquantur, vnde & molares appellati ſunt. Sed & nares commeandi flatus, & reddẽdi ac recipiẽdi gratia factæ ſunt: vt innouatione ſpirit⁹ calor naturalis, qui ex corde eſt, vel accẽdi, vel refrigerari, cũ res popoſcerit, queat; pulmonis officio, qui pectori inhærere datus eſt, vt mollitie ſua palpet & foueat cordis vigorẽ, in quo videtur vita conſiſtere.

Clem. Recognit. lib. 8.

At quid dicam de ſubſtantia ſanguinis, quam velut fluuius ex fonte procedens, & vno priùs alueo inuectus, tum deinde per innumeras venas, quaſi per areas deriuatus,

totam

totam humani corporis terram vitalibus rigat fluentis,iecoris ope miniſtratus, quod ad efficaciam digeſtionis ciborum, atque in ſanguinem mutandorum in dextero latere iacet? Quòd ſi tanta ratione videmus in homine membra diſpoſita; vt cùm cæteris omnibus ſimilis habitus videatur, in his tantummodò diſcrepent,in quibus vſus diuerſitatem requirit: & neque in viro aliquid ſuperfluum, aut egens;neque in fœmina quod deſit videamus, vel quod abundet: quis ex his omnibus non euidenter agnoſcat rationis opus, & ſapientiam Conditoris?

B Hinc tandem non obſcurè adſtipulantur, quæ ad hominis originem ſpectant. Nam vnde quæſo primæua hominis plaſmatio? Vnde corporis tam venuſta forma? Vnde membrorum tam concinna diſpoſitio? Vnde eorum obedientia, qua quæuis ad ſolum voluntatis nutum mouentur, munerâque ſua obeunt? Vnde ſenſibus vis,ac præſtantia;vt ſpecierum rerum extra animam poſitarum ſint receptores, ac quaſi hoſpites, ac declaratores? Quis primus viuendi fontem aperuit, & vitæ principia dedit?quis ſpiritum ſeu animam inſufflauit?Quis impertiuit vim rationalem, iraſcentem,concupiſcentem,memoriam,quibus cū- C cta attingit, diſcurrit, ſpernit, amplectitur, & conſeruat?Quis hominem compegit (ô naturæ ſtuporem!)mortalem,& immortalem,vinculum cœleſtium, & terreſtrium, qui quamquam corpore euaneſcat, anima nunquam decidit, lapſus tamen ſui iacturam perpetua ſucceſſione reparat? Age, quo pacto animus circunfertur? quomodo id quod corporis eſt expers à rebus hiſce corpori propriis afficitur? quomodo ſimul in nobis manet, & omnia motu, fluxúque celerrimo peruagatur? Non hæc certè naturæ ſunt ignaræ vires, & effe- D ctus;ſed opus Dei ſapientiſſimi.

Emicat igitur tam ampla ſummi Opificis maieſtas in omni tam ſupernarum,quàm terreſtrium creaturarum claſſe, vt mundus iſte Diuinæ planè ſpecimē operationis ſit,ac illius maieſtatis inſigne,in quo dū opus videtur,præfertur operator, & ceſſante ipſo operationis officio, atque etiam tacente artifice, ſumma illius peritia,qui ipſum condidit,illū declarat: & operatori Deo operis ſui teſtimonium ſuffragatur, vt cum Vate viſibilia intuentes, ac ab iis ad inuiſibilia mentis oculos attollentes dicamus, *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine:omnia in ſapientia feciſti*,&c. E

Soluuntur argumenta Ariſtotelis, & aliorum de mundi æternitate.

ARTICVLVS VII.

QVONIAM verò(vt diximus) nonnulli mundi æternitatem, veræ Philoſophiæ ignotam, audaciùs quàm par eſt, cum A Deo ſtatuunt:in quo non parum Atheiſtarum errori fauent, qui nullum mundi conditorem Deum agnoſcunt:æquum eſt, vt eorum argumentis occurramus. In his primus ſe offert Ariſtoteles,qui omnium Philoſophorum primus nefariam hanc de æternitate mundi ſententiam contra omnium antiquorum Philoſophorum placita in Orbem inuexit;quo ſanè haud leuem nomini ſuo,alioqui celeberrimo, maculam contraxit. Hîc nonnulla ipſius argumenta,quibus errorem ſuum tuetur,paſſim diſperſa colligemus.

Primum lib. 8. de Phyſic. Aud. tum primo de cœlo, demum de Gener. & Corrupt. à motu inferiorum ad ſublimiores cœlorum motus aſcendit; ex iis verò primum mouentem colligit: quandoquidem, *Motus hic* (inquit) *non in infinitum abibit, ſed ſtabit alicubi, & erit aliquid, quod primò cauſa erit motus.* Hactenus optimè Ariſtoteles, ac piè. *At* (ſubdit) *neceſſe eſt hunc ſemper mouere, qua ratione enim aliquando quieuerit?* Miror ſanè quòd Ariſtoteles, qui in motu terminum aliquem hoc loco agnoſcendum tradit, ne is in infinitum abeat; atque adeò infinitum proceſſum à natura arceat, vt ab infinita mouentium multitudine omnino cauendum velit; in quo ſanè rectè cum cæteris Philoſophis ſentit: is ſtatim vel prudens, vel imprudens infinitum tempus in natura conſtituat, ac in primo illo motore, (quòd ad rerum naturas ſpectat) motum neceſſariò ſempiternum eſſe affirmet:prior enim ſententia cum ſecunda minimè cohæret, tametſi à nonnullis excuſetur: nam quòd naturæ infinitum motum (quod ſæpe docet) tanquam minùs ſibi conſentaneum refugiat, ea cauſa eſt, quòd cùm ea finita ſit, ac certis terminis comprehenſa, infinitatem capere non poteſt, neque eidem commenſurari. Cur igitur ipſe ſempiternum motum, ac æternum tempus, quæ diuturnitate infinita ſunt, in rerum naturam inuehit? Certè cùm is tantopere cauſarum infinitatem damnet, ea potiſſimùm ratione; quòd in iis ſtatus à nemine vnquam reperiri poſſet; ſed infinita tempora permeari opus eſſet, antequam ad primam motus cauſam quiſpiam pertingeret; quod apertè inſinuat, cùm ait: *Motus hic non in infinitum abibit.* Cur ſimul & ipſam temporis infinitatem non expellit,quæ cauſarum infinitatem non obſcurè comitatur, & ſine qua ipſa cauſarum infinitas non eſſet (vt perſpicuum eſt?) Quare ipſam rerum naturam, quam finitam eſſe non negat, ſtatim ſempiternam eſſe affirmat? Neque enim naturæ quæ finita eſt, infinitum durationis tempus minùs, quàm infinitus in mouentibus proceſſus repugnat, cùm quælibet infinitas infinitis numeris naturam finitam antecellat, ac proinde illi proportionari nequeat. An non finitum ſimpliciter,

Ariſt. Phyſ. lib. 8. primo de cœlo, de Gen & Cor.

pliciter, ac ſempiternum inter ſe pugnant; ita A vt finitum eſſe non poſſit, quod ſempiternum eſt, & econtrà? Cùm ea quæ finita ſunt, initium aliquando habuerint, ac principium agnoſcant, à quo præſcriptos ſuæ naturæ terminos acceperunt: quæ verò ſempiterna ſunt, nullo principio ac fine teneantur, ac proinde etiam natura, ac virtute infinita ſint.

Id ſi Ariſtoteles negat; dicat obſecro; num res quæ finita ſubſtantia, aut virtute præditæ ſunt, ſui eſſe aliquando initium habuiſſe opus ſit? An à ſeipſis ſine principio ſemper exiſtere potuerint: ſi nemine eſſe dante à ſeipſis ſemper extiterunt; iis profectò infinita virtus in- B ſit, oportet, qua ſibi æternũ eſſe adminiſtrent, ac ſine principio à ſeipſis exiſtant. Eò namque finita virtus pertingere non poteſt, vt rei alicui tribuat à ſe, ac ſine principio eſſe; præſertim cùm ea ad ſui agentis eſſe minimè ſeſe extendat, ſed illud neceſſariò ad agendum ſupponat. Quis igitur naturæ, quæ finita eſt, ac finita virtute prædita conferre potuit, vt ſemper, ac ſine principio eſſet? Planè niſi ad Deum Opt. Max. confugiat, nihil omnino reperiet, quo ſuam naturæ ſempiternitatem tueatur. At verò num Deus mundum ab æterno condere potuerit, hîc minimè quærimus; C præſertim cùm id nihil ad Ariſtotelis mentem faciat, qui ſempiternã rerum naturam non ex Dei imperio, ſed ex motus neceſſitate colligit.

Porrò ſi finitæ res initium aliquod aſſecutæ ſunt, quo eſſe inciperent; vt de ſingulis perſpicuum eſt: fruſtra ergo ſempiternum tempus, ac motũ rebus affingit, cùm ea quæ principio conſtant, ſempiterna eſſe non poſſint. Ita fit, vt eam erroris plagam, quæ ex naturali infiniti motus conſtitutione infligitur, quam Ariſtoteles maximè euadere conatur, effugere non valeat. Quapropter cum priùs rectè ſenſiſſet, motum omnem non in infinitum ab- D ire poſſe, ſed alicubi ſtare oportere: vbi ſcilicet aliquid eſſet, quod primò cauſa motus exiſteret; illi in ea ſententia permanendum fuit: cùm ea motum aliquando in rerum natura inchoaſſe, ac Deum Opt. Max. non ab æterno, ſed in tempore rerum omnium conditorem eſſe ſtatueret.

Verùm argumentum ipſius expendamus. *At neceſſe eſt* (inquit) *hũc ſemper mouere, qua enim ratione aliquando quieuerit?* Vana eſt huiuſmodi argumentatio (pace tanti viri dixerim) nã motorem primum ſemper mouere qua ratione affirmat? non alia ſanè, quàm quòd rationem E ignorat, ob quam priùs quieſceret: at quis ex rationis ignorantia ſtatim rei neceſſitatem intulit, vt ea neceſſaria protinus eſſe decerneret, quorum cauſam, aut rationẽ ignoraret? Atqui nos huiuſmodi quieſcentiæ rationem, quam ipſe ignorat, ex ipſo docemus. Meminerit Ariſtoteles ſe aliquando docuiſſe motorem primum per intellectum, ac voluntatem agere: quod cum ita ſit, qua ratione Deum motui ita alligatum eſſe ſentit, vt nullo vnquam tempore quieſcere valeat? Quis Deum ſempiterno, ac irrequieto motui adſtrinxit? num rerum neceſſitas, an voluntas? ſi neceſſitas; planè fruſtra Deum liberum, ac fœliciſſimum docet, quem rerum neceſſitati ac imperio ſubiicit. Sin voluntate motui alligatur, ergo cùm voluerit, quieſcet. En igitur qua ratione Deus quieuerit. At ex ipſa motus natura liceat contra illum arguere. Motus omnis in tẽpore eſt, vt idẽ docet 4. Phyſic. atque id explicat, cùm *Ariſt. 4 Phyſ.* ait, tempus eſſe menſuram motus ſecundùm prius, & poſterius; igitur omnis motus ex ſe principium includit, nõ ſolùm ea ratione, qua ab vno termino ad alium progreditur, ex qua motũ incipere, ac deſinere euincimus: verùm ea potiſſimùm, qua motum omnem tempore menſurari neceſſe eſt; quò fit, vt cùm tempus ea ratione ab æternitate differat, quòd illud ex menſura prioris, & poſterioris initium agnoſcit, quo hęc omnino caret; motum quoque ex menſura temporis inchoaſſe neceſſe ſit. Quòd verò Ariſtoteles tempus æternũ aſſerit, id perinde eſt, ac ſi contradictoria affirmet, tempus ſcilicet non eſſe tempus: nam ſi tempus eſt numerus motus ſecundùm prius, & poſterius, præteritum, & futurum: vbinam in numero vnquam infinitatem reperit: vt tempus duratione infinitum dicat, cùm omnis numerus ab vnitate incipiat, & menſura õmnis ſuis terminis incluſa ſit? ſi prius & poſterius in tempore animaduertit, vbi ex his æternitatem aſtruit, quæ cùm tota ſimul ſit, omni prioritate, ac poſterioritate caret?

At contrà nititur Ariſtoteles tempus æternum probare hac ratione; quòd tẽpus ſemper fuit idcircò, quia præterito ſemper futurũ annectitur. Tempus autem præterito iunctum nullum habet initium: egregius planè Sophiſta. An non & eadem ratione quiſpiam poſſet arguere piſtrini motum, aut animalis pulſum æternum eſſe; quandoquidẽ tempus tempori, ac motus motui connectitur: cùm tamẽ illorũ origo, ac principium nõ ignoretur? Id quidem verũ eſt de omni iã cœpto, & ſubſecuto tempore, quod à primo illo depẽdet. De primo autem, ac naſcente tempore; quis hoc audeat aſſerere? Atque hac quidem ratione Ariſtoteles incœpti temporis perpetuitatem deſcribit: tempus enim ſemper tempori additum ad tempus perpetuum ducit. At verò vt tempus æternum nobis perſuaderet, nunquam natum, aut inchoatum fuiſſe illi demonſtrandum erat. Quapropter dicimus, quòd quemadmodum piſtrini motum, aut animalis pulſum ab aliquo primo inchoaſſe certum eſt: ita cœlorũ curſus, qui tẽporis eſt parens, aliquando initiũ accepit. Nam (vt ait Philo) tẽpus na- *Philo.* ſcens poſt cœlũ, aut pariter cũ cœlo, neceſſariò cũ cœlo nõ erat, ſicut nõ erat cœlũ pater eius.

Atque

Atque hinc Algazelus optimè Auerroi reſpondet: ſicut in rebus courinuis, ac permanentibus punctus, ita in ſucceſſiuis inſtans reperiri; cùm verò punctus lineæ principium ſit: pari ratione primum inſtans temporis initium fuit. Quæ ſanè ratio Auerroi inſolubilis viſa eſt, tametſi eam opprimere quærat.

Ariſtot. 12. Metaph. Arguit ſecundò Ariſtoteles 12. Metaph. comment. 29. Motor eſt æternus, ergo & motus. Vana eſt conſequentia, & ab inſufficienti arguit. Motor enim bifariam conſideratur, vel in ordine ad motum, vel in ordine ad ſeipſum: ſi in ordine ad motum, cùm mouens, & motum ſint ſimul, ac ſibi inuicem referantur, dato motore, motum etiam dari neceſſe eſt; atque ita fiet, vt motore exiſtente æterno, etiam motus ipſe æternus exiſtat. Si propoſitionem ita intelligat Ariſtoteles, antecedens velut falſum reiicimus: neque enim probat, aut probare poteſt vllo modo Deum ab æterno mouere creaturas;ſi verò conſideretur in ordine ad ſeipſū,ſcilicet nō vt motor eſt, ſed quatenus Diuina natura eſt præditus; Deum quidem æternum eſſe illi admittimus, motorem verò non niſi in tempore fuiſſe docemus. Quapropter nonnulla hîc fortè æquiuocationis fallacia latet, dum antecedens pro vno ſupponit, conſequens verò pro altero concludit: neque enim inferre Ariſtoteli licuit, motum eſſe æternum, ex eo quòd motor æternus ſit, cùm motor tam pro perſona, quàm pro mouente ſupponere valeat.

At obſtat Ariſtoteles 12. Met. comment. 39. Primum principium tale eſſe oportere, vt ſubſtantia ipſius ſit actus per ſuam eſſentiam perpetuus; hunc verò actum actionem comitari, ſed cuius actio eſt æterna, effectus quoque eſt æternus. Cùm igitur actio Dei, quæ ſua met ſubſtantia eſt, ſit æterna, ipſe quoque mundus, qui eſt effectus eius, æternus ſit, neceſſe eſt. Hæc ex Ariſtotele, licèt aliis verbis; cui reſpondemus, optimè, ac Catholicè ab eo dictum eſſe, Deum eſſe actum per ſuam eſſentiam perpetuum, neque vnquam ſua actione priuari, ita vt aliquando operari deſinat: hoc enim ſenſu accipimus, quod ait operationem, & actionem Dei eſſe ipſius vitam; neque enim Deus cùm actus purus ſit, ſine actione eſſe poteſt. At fallitur Ariſtoteles, cùm nihil inter immanentes, & tranſeuntes Dei actiones diſtinguit. Immanentes quippe actiones Deum perpetuò comitantur, ſine quibus is eſſe non poteſt: quòd enim ſeipſum intelligat, quòd amet, quòd ſeipſo fruatur, hæ immanentes actiones ſunt, quæ illum perpetuò ſequuntur: ſine iis Deus ipſe non poteſt conſiſtere. Quòd verò extra ſe operetur, quòd mundum fabrefaciat, quòd cœleſtia, ac terreſtria condat, quòd pios remuneret, quòd impios ſuppliciis afficiat, hæ trāſeuntes Dei operationes ſunt, quæ cùm extra Deum deſinant, temporarium, non æternū in Deo initium ſibi vendicant: quò fit, vt non neceſſariò ſemper à Deo fluere debuerint: ruit igitur tota illa Ariſtot. argumentatio, qua ex actualitate Dei, mundum ab æterno fuiſſe aſtruit.

Quòd ſi rurſum contenderet Deū eſſe cauſam perfectiſſimam, ac proinde in actu: nam ſi eſſet cauſa in potentia, eſſet imperfecta, cùm aliquo egeat, quo reducatur ad actum: at cauſa in actu ſemper eſt cum re ipſa effecta: ergo ſi Deus eſt cauſa creatrix mundi, ergo ſemper fuit in actu creandi, nūquam in potentia: ergo ab æterno mundum creauit. Reſponſio eſt in promptu, Deū, quod ad operationes internas ac immanentes ſpectat, ſemper eſſe cauſam in actu, illæ enim ſunt propriæ Dei operationes, quibus carere non poteſt; atque hoc pacto ſi mundi opificium ad Dei tantùm mentem reuocamus, ſemper Deum mūdi opificem fuiſſe: neque vnquam fuiſſe Deum, quin ſimul mundum mente ſua gereret, ac rerum condendarum ideas intelligeret, fatemur: ſi verò ipſas rerum naturas extrinſecè à Deo productas intuemur, haud diſſētaneum eſt aſſerere, Deum non ſemper mundum condidiſſe: ſed aliquando potuiſſe illum condere, cùm nondum conditus eſſet: nam quod obiicitur, Deum eſſe actum, addo voluntarium, qui non neceſſitate velut naturales cauſæ, ſed libera voluntate in ea, quæ ſibi extrinſeca ſunt, operādæ fertur. Quamobrem cùm ei libuit, mundum condidit: neque inde ſequitur Deum eſſe cauſam imperfectā, ob id quòd non ſemper in actu fuerit ad mundū extruendū: ſiquidē illæ tantùm cauſæ in potentia imperfectæ ſunt, quæ aliorum adminiculo egent, quo ad actum ferantur. At Deus cùm ſit cauſa voluntaria nullo indigens, ſemper potuit mundum creare: cur verò non ſemper creauerit; nō impotentia cauſa fuit, ſed voluntas; quia nimirum noluit ab æterno creare: attamen non ignoro ex Theologis non paucos in eam ſententiam venire, quòd minimè diſſentaneum putent, ſi aſſerant Deum mundum in æternitate condidiſſe, eò quòd æternitas ſit mēſura actionum Dei, quibuſcū minimè altercari lubet, cū illi ex fide mundū à Deo non ab æterno, ſed in tempore conditum fuiſſe ſtatuant.

Arguit tertiò, quod ab immobili cauſa oritur, ſemper & vnius modi oritur; Deus eſt immutabilis cauſa: ſemper igitur oritur mundus. Si enim Deus non ſemper ageret, ſed aliquando ceſſaret, & poſtea conderet; aliqua cauſa mutatæ voluntatis eſſet. Confirmatur, nam quicquid ab aliqua cauſa manat, & priùs non manauit, nouitate non caret, cur nunc, & non antè manarit, quæ nouitas cùm oriatur ex voluntate Dei, ſequitur ipſum eſſe mutatū. At hic primùm libet Ariſtotelem ex Ariſtotele coarguere: nam in primo Phyſic. & in Ethicis Deum cunctarū cau- Phyſic. 1.

ſarũ,& conſequẽtet rotius naturæ principium affirmat. Quid igitur ineptius, quàm naturæ legibus Deũ ſubiicere,qui ſupra naturã eſt,ac illam condidit? An non illum pudere debet Deo ſummo Regẽ mortalem præferre, quem ipſemet à legum à ſe conditarum ſubiectione liberat? Quòd ſi temerarium exiſtimat, naturam ipſam ingenio metiri, ac mente totam comprehendere, cùm tam frequenter etiã in minimis rebus, quarũ cauſas omnino ignoramus, repulſam patiamur; num ſupremæ temeritati adſcribendum erit; quòd Deum ipſum, qui infinitis numeris naturam excellit, intra ingenij noſtri limites occludere velimus? Ego quidem abſque motu locum mutare haud valeo,atque idem de Deo eſſe iudico: perinde ac ſi humanarum rerũ menſura comprehenderetur, ac iiſdem mutationibus ſubiiceretur? At expendendum eſt,quid in primo libro de cœlo c.9.is dixerit; extra cœlũ nõ eſſe vacuum, neque tẽpus: *Quocirca neque in loco* (inquit) *quæ ibi ſunt eſſe: neque facere tempus ſeneſcere: neque vlli mutationi ſubiacere: ſed immutabilia, & impaßibilia, optimámque vitam,& opulentißimam perenniter omniq́ æternitate degere.* Hæc de ſubſtantiis illis abſtractis, ac ſeparatis iudicat. At quid illum de Deo ſentire æquum eſt, quem iis omnibus velut nobiliorem, ac præſtantiorem præfert? Diſcat igitur quo pacto immutabilis Deus mutari non poſſit, tametſi non priùs conditum mundum poſtea condiderit. Nam quòd quis in agendo mutatur, ea cauſa eſt,quòd actio ſua differt ab eſſe, & obiectum in quod fertur, extra ſe eſt: quò fit,vt cùm illud mutari non poſſit, ſeipſum ad illud comparandum mutari oporteat. Contemplando etiam mutatur quiſpiam: etenim & ipſum contemplationis obiectum, & intellectus contemplans inter ſe diſiuncta ſunt. Breuiter cõtemplando quodammodo ab obiecto quis patitur, & in agendo repatitur. At verò qui ſuper omnia eſt Deus glorioſus, eſſe, & agere, agere & contemplari, velle & facere prorſus coniuncta, atque indiuiſibilia habet; ita vt quæ vult, ipſa voluntate præſtet: & quæ præſtitit, non alio, quàm ſeipſo, ac ſui impetij tatione molitus ſit:quò fit, vt nihil illi extra ſe quærendum ſit; neque etiam ab obiecto pati poteſt, cùm ipſemet ſibi obiectum ſit, neque paſſo reluctante repati, cùm nihil illi omnino reſiſtat, aut reſiſtere poſſit: vtpote qui plenas rerum omnium eſſentias,ac naturas poſſideat: ita fit, vt is nullo modo mutationi ſubiectus eſſe poſſit: præſertim cùm nulla mutatio præterquàm in tempore fieri poſſit, atque extra mundum nullum ſit tempus. Deo igitur extra mundum exiſtente, nulla poteſt in eo eſſe mutatio. Mutatio præterea ſpatium temporis, quo res ab vno in alterum mutetur, neceſſariò requirit: ſpatium autem nullum eſt, vbi nullum eſt tempus, aut vacuum: nam in æternitate ſpatium opinari vitium eſt: æternitatem enim totam ſimul ac præſentem nulla temporis differentia conſtantem cuncti fatentur: ſi ergo ſpatium temporis eſt,ſanè hoc inter præteritum, vel præſens, vel futurum dari neceſſe eſt:quæ omnia ab æternitate procul arcentur: quò fit, vt cùm vel extra mundum,vel ante creatum mundum,nullum eſſet tempus,nec prius, aut poſterius,ſed ſola æternitas; nulla in Deo potuerit eſſe mutatio,qui æternitatem, non tempus incolit.

Lib. 1. de cœlo c. 9.

At inquit Deum ſaltem conſilium mutaſſe, cùm mundum antea non productum in tempore produxit; & de non creante factus eſt creans. At licèt huic obiectioni prima reſponſio ſatis eſſet: nam conſilij mutatio duo conſilia neceſſariò exigit; inter quæ aliquod temporis ſpatium intercedere debet; quod ab æternitate omnino expellimus; verùm vt illum proprio telo confodiamus, Axioma eſt Ariſtotelicum;primam cauſam cum omnibus inferioribus cauſis agere,& quæcumque hîc per naturales rerum cauſas aguntur, in iis Dei influxum reperiri,ſaltem illum vniuerſalem,cui omnia vult eſſe ſubiecta. Cùm verò pleraque noua quotidie apud nos fiant, quæ nunquam antea facta fuerãt:tot enim hominum,animalium,plãtarum, ac cæterorum mixtorum formas indies generari cernimus, quæ nunquam antè viſæ fuerant, num hæc nouo, aut æterno Dei conſilio emergunt? ſi nouo,ſuo ſe pugione iugulat:nam in eandem abſurditatem incidit;quam nobis cauendam monet: cùm ex eo apertè ſequatur, Deum ſæpiſſime conſilium mutare,cùm in ea influit,in quæ priùs non influebat.Si verò æterno Dei conſilio fiunt,planè quod negat,cogitur fateri,Deum nimirum conſilium non mutaſſe, cùm non conditum mundum poſtea condidit: ſiquidem ab æterno illum condere diſpoſuit; qua enim ſemper fuit præditus volũtate vniuerſam hanc Orbis molem extruendi, eandem ſemper retinuit. Nulla igitur fuit Diuini conſilij mutatio: ſed æterni illius duntaxat conſilij executio dilata fuit.Quòd ſi aliqua mutatio fuit;ea in mundo contigit, qui cùm non eſſet, à Deo eſſe per creationem accepit.

Quartò,arguit primo Phyſic.comm.82.*Materia non occidit, neque oritur.nã ſi oritur,ſubiiciatur aliquid oportet, ex quo hoc pacto naſcetur,vt inſit in ipſa*: quam doctrinam paſſim tradit. 7. Met. comm.26.& 27. vbi materiam primam ingenerabilem, atque incorruptibilem docet. Ex quibus ita argumentum conflamus: materia ex qua mundus compactus eſt, ingenerabilis eſt, & incorruptibilis, ergo etiam mundus. Conſequentia probatur: nam materia eſt inſeparabilis à corporibus, ac proinde mundus ſenſibilis à materia nunquam ſeparari potuit: mundus ergo erat antequam fieret.

1. Phyſ. 7. Met.

At facilè hoc argumentum diluitur: nam

mate

materia eſt ingeuerabilis per actionem Phyſicam, non aurem per ſimplicem productionem, quæ à Deo emanauit: quare malè arguit, cùm ingenerabile pro æterno vſurpat, cùm alia productio quàm per generationem phyſicam apud Deum reperiatur. Ar Ariſtoteli in hac parte ignoſcendum eſt, cùm rerum creationem ignorauerit. Materia igitur, ex qua mundus ortus eſt, primùm à Deo creata fuit, deinde ex ea diuerſæ rerum formæ eductę: atq; inde conſtat, neque materiam, neque mundum eſſe æternum.

Porrò cætera illius argumenta breuiter expendamus. Arguit ſecundò; *Omnes* (inquit) *præter vnum Platonem confeſſi ſunt tempus æternum; ex quo motus, & mundus æternus eſſe deducitur.* Planè mirabile eſt, quòd is qui totam Antiquitatem in hac aſſertione impugnar, nunc ea ſeipſum tuetur. Argumentum eſt à conſenſu maiorum, quod ſanè validum eſſet, ſi res ita ſe haberet: at ſuprà oſtendimus id omnino eſſe ſalſum, cùm tota Priſcorum Philoſophia in mundi creatione conſpiret: quapropter hoc argumentum correctione potiùs, quàm ſolutione indiget, quod idcireo ita corrigendum dicimus, vt veriùs dicatur, *omnes præter vnum Ariſtotelem eatenus tempus creatum confeſſos fuiſſe.*

Poſt hæc ita arguit ſextò. Cœlum eſt corpus Diuinum, incorruptibile, Deorum domicilium, ergo æternum. Ergo mundus qui conſtat ex partibus ortus, interitúſque omnino expertibus, ſimul etiam erit æternus. Arqui audire velim ab Ariſtotele, vndenam cœli hanc Diuinitatem oſtendat; qua ratione huius quintę eſſentiæ naturam incorruptibilem demonſtret? Tandem quo modo ex illius incorruptione æternitatem concludat? Quid tibi ipſi reſpondes, ô Philoſophe, qui Deum ac beatiſſimas illas mentes extra cœlum collocas, ob id quod nec tempori, nec ſenectuti, nec paſſionibus, neque vlli mutationi ſubiecta eſſe velis? cœlum ergo ipſum, & mutatur, & ſeneſcit; quòd ſi ſeneſcit, tandem ad ætatem decrepitam deueniet, & hinc ad interitum properare illud neceſſe erit. Si mutatur? ac patitur, planè qua ratione patitur, eadem & corrumpetur. An non repugnantia hæc
Plutarch. ſunt? At ſi Plutarcho credimus, Ariſtoteles cœlum miſcellaneum quoddam eſſe ex calido, & humido compactum ſentit. Inde colligit illud non ſecus quàm elementa, ex quibus componitur, corruptibile eſſe. At eſto, incorruptibile ſit, ſit Deorum domicilium: num ob id æternum aſſerendum erit? De hoc enim controuerſia eſt. Incorruptibile eſto ex Dei voluntate, an non æternum, & incorruptibile principio differunt; ita vt æternum omne incorruptibile ſit, ac fine careat, non autem incorruptibile omne ſit æternum, cùm aliquando initium habuerit?

Addit Ariſtoteles vetuſtiores Philoſophos cœlo nomen æther ab æterno curſu impoſuiſſe. Sed quid Platoni reſpondet, qui in Cratylo nomen hoc non à curſu, ſed à nitore, ſplendore, lumine deriuatum eſſe dicit, ſicut Martis ſydus ob illius ardorem ac fulgorem ab antiquis αἴθων dicitur? Accedat quòd verbum αἴθειν, à quo vult Anaxagoras Ariſtotele prior nomen ætheris eſſe natum, non curſum, ſed vel coruſcationem, vel inflammationem ſignificat. Ex his perſpicuum eſt, quàm leuiſſimè Ariſtoteles mundi æternitatem aſtruat. Quapropter Plotinus libro de mundo, Da- Plotin. Damaſ. Proclus.
maſcius in libro de cœlo, & Proclus in Timæum Platonis, optimè aduertunt Ariſtotelem, vt ſuam mundi æternitatem defenderet, pleraque improbata ſupponere, quæ omnia negari poſſunt, cùm non minùs, quàm ſua mundi æternitas, probatione indigeant.

Iam verò ex ipſius Ariſtotelis & aſſeclarum dictis mundum conditum eſſe demonſtremus. Primùm dictum eſt, mundum tametſi æternum ac ingenitum, à Deo nihilominus dependere: in qua poſitione omnes Met. 12 28.
Ariſtotelici conueniunt, quamuis in dependentiæ ordine differant: nam alij à Deo tanquam à cauſa effectiua, alij tanquam à finali dependere volũt, quique Ariſtotelem ad ſuas partes, quoad fieri poteſt, rapientes. Statuamus ergo primò, mundum à Deo dependere velut à cauſa efficiente. Planè ridiculum eſt, Deum eſſe cauſam effectiuam mundi, neque mundum vnquam à Deo effectum eſſe, ſed æternum eſſe: nam ſi effectus ex cauſa manat, atque ab ea producitur, an non potentiam quandã actiuam præceſſiſſe opus eſt, qua effectus emerſerit? quis hoc ignorat? Cùm igitur mundum Diuinæ potentiæ effectum cenſent; certè hoc ipſo mundum à Deo productum eſſe ponunt. Euaneſcet ergo Maxima illa, *mundus eſt æternus.*

Quòd ſi à Deo tanquam à cauſa finali dependere velint, quod perinde eſt, ac ſi dicant mundum Dei cauſa eſſe, quamuis ab eo non ſit conditus. Certè vbi finis aliquis eſt, ibi prudentiam, & mentem agnoſci neceſſe eſt, quæ ea, quæ ad finem ſunt, dirigat. Quæ igitur erit hæc mens? An aliquid ſupra Deum, vel certè Deus ipſe? ſi aliquid ſupra Deum; quò tandem euadet Maxima illa omnium Philoſophorũ Religione excepta, Deum eſſe primam rerum cauſam, quo nihil, aut maius, aut melius, qui ſummus ac ſupremus ſit? at ſi ſummus eſt, ac ſupremus, quomodo aliquid ſibi ſuperius agnoſcit? ſi Deus ipſe: igitur Deus ante mundum extitit, cùm illum ad ſeipſum dirigeret. Prior enim eſt finis, & mẽs, quàm ea quæ ſunt ad finem, vel à mente diriguntur. Perit ergo mundi æternitas. Dicent aliqui fortè mundũ caſu ac fortuitò ad Deum dirigi. At hoc ſanè implicat: nam caſus, & fortuna apertè cum

conſilio,ac prudentia pugnant;vbi enim caſus & fortuna, inde conſilium exulare neceſſe eſt, atque prudentiam, quæ res ad ſuos fines dirigit: ſua igitur ſe poſitione deſtruunt, qui mundum ad Deum fortuitò dirigi ponunt, cùm directio finis caſum,ac fortunam expellat. Denique cauſalitas finis ſupponit cauſam efficiẽtem. Finis enim eſt,cuius gratia aliquid fit. Quòd ſi mundus habet cauſam finalem, igitur & cauſam efficientem habuit.

Accedat,quòd ſi Deus mũdum ad ſeipſum tanquam ad finem ordinat, ſequitur ſanè,vt mundus in Dei poteſtate ſit. Nam quo pacto homines domum aliquam ſibi in habitationẽ ordinare poſſent,niſi in eam poteſtatem exercerent? mundum igitur Deus poſſidet. Sed cũ multa poſſidendi iura habeantur inter homines,emptionis,locationis,donationis, vſurpationis, derelictionis, iuſti belli, ac tandem factionis ac principij: quo horum omnium iure Deum mundum poſſidere exiſtimandum eſt? Planè certiſſimum eſt, Deum non emptione, aut locatione,aut donatione,aut derelictione, ac multò minùs vſurpatione,ac belli iure,quæ aut indigentiam,aut vim præ ſe ferunt,in mũdum ius habere,cùm nullus eum antroceſſerit, à quo aut acceperit, aut ei per vim rapuerit. Supereſt igitur,vt illum principij ac creationis iure poſſideat,quòd ſanè nihil aliud eſt, quàm mundum ob id in Dei poſſeſſionem cedere, quòd ab eo conditus ſit.

Secundo loco Ariſtoteles (tametſi contra omnium antiquorum Philoſophorũ dogmata) tria nobis rerum principia cõſtituit: materiam, formam & priuationem; atque iis adeò delectatur, vt firma hæc totius ſuæ Philoſophiæ velut fundamenta iaciat. At ſi hæc rerũ principia ſunt,vbi æternitas? An ignorat æternitatem omne principium tam intrinſecum, quàm extrinſecum expellere? Nam quę æterna ſunt, neque intus habent,vnde principium ducant: neque extra ab aliquo originem ſumunt. Quòd ſi rerum vniuerſitas tribus his principiis intrinſecis ſubſiſtit; ergo intrinſecè principium habet,quo ſubſiſtat: non igitur intrinſecè mundus æternus eſſe poteſt. Cùm verò ea quæ intrinſeca principia habent, vnde ſint, extrinſeco principio non careant, à quo intrinſeca illa principia acceperint: inde exploratum eſt mũdum tam intrinſecè, quàm extrinſecè principium habere, ac proinde æternum eſſe non poſſe.

Ariſtot.lib. Probl.ſect. 10 prob. 64. & lib 3.de gen. Anim.

Tertium dictum Ariſtotelis eſt in lib. Problem.ſect.10.prob.64. & lib.3. de gen. Anim. vbi ait, animalia Aſtrorum coniunctionibus eo ordine generari, vt paruæ quidem coniunctiones parua,maiores maiora, maximæ maxima animalia gignant; ſed cùm hæ coniunctiones nunquam fiant, niſi ex obuio Aſtrorũ curſu; ſi Aſtrorum curſus æternus eſſe dicatur,etiam ipſas cõiunctiones ęternas eſſe opus eſt. Id ſi verum eſt; qua ratione coniunctiones æternæ intelliguntur,quæ ita ſucceſſione pereunt,vt ea vario Aſtrorum curſu altera alterã expellat? Conſtat enim non omnes ſimul eſſe: alioquin ſemper vel parua ſi paruæ, vel maiora ſi maiores, vel maxima ſi maximæ coniunctiones perpetuò manerent, animalia gignerentur: at Aſtronomis perſpicuũ eſt, pluribus interiectis ſpatiis, ac cœlorum reuolutionibus,quàm rariſſimè aſtra copulari. Cùm igitur in iis coniunctionibus,altera alteram præcedat, ac ſe inuicem mutuò expellant, in iis verò quæ æterna ſunt, nulla prioritas, aut anteceſſio toleretur: ſed omnia æquè ſimul exiſtant; manifeſtum eſt his æternitatem fugari. Quòd ſi dicat,motum quidem cœlorum, & Aſtrorum coniunctiones æternas eſſe: ſed à tempore menſurari. Quid Philoſopho indignius; cùm temporis menſura rebus æternis non congruat: & quamlibet temporis menſuram res æterna excedat? Num finiti ad infinitum aliqua eſt proportio? Cùm igitur res æterna duratione infinita ſit, quo pacto temporis menſuræ, quæ finita eſt, coaptari poteſt? At tempus (inquit) infinitum eſt. Res planè indigna Philoſopho: quaſi verò tempus triplici illa ſua differentia æternitatem non deſtruat, & æternitas ſuis infinitis ſpatiis nullis temporum dimenſionibus obnoxiis, temporis menſurã non expellat. Cæterùm Theophraſtus præceptore ſuo Ariſtotele ſe ſapientiorem declarat,cùm Ariſtotelis errorem corrigens,mundum non æternum, ſed à Deo ex nihilo conditum fatetur. Quam ſententiam acerrimè etiam tuetur Algazelus cõtra Auerroëm,aſſerens Deum ad mundum creandum non ſubiecta materia, aut nouo conſilio indiguiſſe: ſed cùm agens eſſet perfectiſſimum, ac omnipotens,vniuerſa iuxta ſuæ voluntatis legem condidiſſe.

Theophraſtus.

Algazelus cõtra Auer.

Immò & ipſum Ariſtotelem extremis ſuæ ætatis temporibus reſipuiſſe, & tanti erroris palinodiam ceciniſſe, non obſcurè colligi poteſt,tum in libro de Mundo,cùm Deum mundi generatorem ac conſeruatorem appellat: tum primo Phyſic. vbi illorum ſententiam laudat, qui Deum rerum omnium principium ſtatuerunt. Demum in Politicis, cùm fatetur ordinem rerum, ac perennem indiuiduorum ſucceſſionem à Deo inſtitutam fuiſſe his verbis: *ſimul* (inquit) *Natura ſempiternã eſſe complet hac indiuiduorum reparatione, propterea quòd per ſpeciem tantùm durare res poterant, non per numerum, ſic prouiſum fuit ab ipſa Diuinitate, aut numine Diuino, natura vtriuſque maſculi & fœminæ vt inuicem copularentur:* qua ſanè ratione nihil aliud ſuſpicari poſſumus, quàm illum mundum à principio à Deo factum exiſtimari.

Ariſt. lib. de mundo. 1. Phyſic.

Ariſt. in Polit.

At quicquid ſit de Ariſtotele,cùm is mundi creationem oppugnauit, certè aut Ariſtotelis

obli

Digitized by Google

oblitus eſt, cùm pleriſque in locis (tametſi obſcurè) in conditi mundi veritatem incidat, aut ſi prudens, ac ſciens eò prolapſus eſt, profectò eò ſe inſolentiorem declarat, quò ſæculorum ac Philoſophorum omnium, qui eum præceſſerunt, tum cunctarum nationum conſenſu poſthabito, impiam, ac nefariam ſententiam cæteris omnibus, ac melioribus prætulit.

Refelluntur aliorum argumenta de æternitate mundi.

ARTICVLVS VIII.

CÆTERVM aliorum argumenta, quæ mundi creationem oppugnant, proſequamur. Epicurus apud Tullium, vt mundi creationem tollat, cuncta vniuerſali cuidam naturę neceſſitati tribuit, qua tũ ſemper fuiſſe, tum nulla prouidentia regi exiſtimat: quò fit, vt ea rationi ac menti aſcribere errorem cẽſeat; cũ hac naturę neceſſitate res omnes motibus ſuis cieantur. Idque exemplo reditus tertianæ, aut quartanæ febris, marinorúmque æſtuum, quorum motus etiam certos, & conſtantes nulla ratione gubernari vult, confirmat. Eadem prorſus neceſſitate, & ordine carnem diuulſam renaſci, arborem cæſam reuireſcere, multa prodigioſa naſci: ac tandem res omnes caſui, ac neceſſitati ſubiectas eſſe ſentit. Quem Tullius, vt Deo ineſſe rerum prouidentiam ſtatuat, multis rationibus impugnat, quod etiam nos inferiùs cùm de Dei prouidẽtia agemus, fuſiùs præſtabimus. Quapropter non eſt, quòd in diluendis illius argumentis modò laboremus. Id tantùm obiter dicimus (quod ad motus ſpectat) omnes antiquiores Philoſophos docuiſſe nunquã motus hos tam cõſtantes, & certos eſſe potuiſſe, niſi ingens aliqua mens præeſſet, quæ illis regulam ſtatueret. Adeóque apud illos hæc percrebuit opinio, vt hoc tritum illis fuerit Prouerbium, *Qui naturam dicit excluſa mente, & intelligentia, nomen inane dicit.*

Epicu. apud Tull.

At verò quanquam nonnulli motus ſint, qui citra opem, ac Dei conſilium accidere videntur, vt æſtus maritimi, vt tertianæ, ac quartanæ febres, vt arborum repullulationes, quæ omnia ſtatis temporibus peraguntur: an ignorat Epicurus omnes rerum particularium motus à primo, ac maximo motu gubernari, non ſecus quàm qui machina impulſa varios ſimul motus præſtat? Hoc Ariſtoteles præclarè in libro de mundo multis declarat. *Quemadmodum* (ait) *Architecti, qui vnica inſtrumẽti machina multas & varias operationes exequuntur: ſimiliter qui Neuroſpacta dicuntur, id eſt, qui circulatorum inſtar aliquod animal ſimulatè mouent; vno enim filo contracto mouent collum, manus, & humeros, & oculos; nonnunquam omnes partes numeroſè eius animalis quod ſimulant: ſic profectò Natura Diuina ſimplici motu primi cæli dat virtutem in ſuccedentia, & ab illis rurſus in longinquiora, donec in omnia peruenerit. Nam aliud ab alio impulſum rurſum id mouet aliud ordinatè, cũctis tamen ſua opera exequentibus.* Pluribus aliis hanc rem exemplis illuſtrat: vt cùm claſſico canente milites arma capiunt; alius loricã induit; alius galeam aptat; alius fræna equo immittit; alius ad vexillum concurrit. Aut qui diuerſi generis animalia ſinu cõtineret, aquatica, terreſtria, ac volucria, data libertate quodque proprias ſedes peteret: ac ſicut in choro præſidente Coryphæo dato ſigno, mox cantantium voces variæ, & ex his harmonia compacta exauditur. Simile quid in vniuerſo videmus contingere, cùm ad magni ac præpotentis Dei nutum, ac ſignum, cuncta ſuis motibus, atque ordinibus cientur: quò fit, vt in eum motus omnes referre opus ſit, qui primos maioréſque motus dedit.

Primo de cæl. & mund.

At admiratur Epicurus tertianæ, ac quartanæ febris reditum, maris æſtus, carnis reuiuiſcentiam, arborum pullulationem, naturæ monſtra: atque ex iis naturæ neceſſitatem rebus ineſſe infert. At cur potiùs ex his ordinatis, ac viciſſitudinariis motibus mentis alicuius ſupremæ ſapientiam non ſtupet, quæ res ita gubernat, vt nihil omnino inordinatum eſſe ſinat? Pleraque ſanè, præter Naturæ, quæ ſemper ad melius tendit, intentionẽ accidunt, velut febres, languores, morborum lues, monſtra, & alia id genus plurima, quæ tamen vllo modo abſque Dei ſapientia, ac diſpoſitione non fiunt. Multa etiã ex occultis cauſis emergunt, quæ quoniam ignorantur, admirationi locum præbent: & plerunque in his inueſtigandis hallucinatur animus, cùm eò pertingere non poteſt, vt veram cauſam agnoſcat. Formatum eſt humanum corpus ab Opifice Deo ſuis humoribus conſtitutum, ſanguine, bile, flegmate, ac melancholia, quæ ita in homine ad iuſtitiæ pondus contemperantur, vt ea æqualitate ſublata, mox tertiana febris, ſi bilis vincat: quartana, ſi melancholia: non intermittens, ſi ſanguis proculdubio erumpat: ita ex hac humorum generatione ac corruptione eunt, ac redeunt febres, intenduntur, aut intermittuntur. In iis ergo ordo eſt, non à naturę neceſſitate impoſitus: ſed à rerum cauſis Deo imperante collatus.

Stupet quoque maritimos æſtus, arborum repullulationes, Lunæ viciſſitudines, ſyderum ortus & occaſus, Solis curſus, ac demum omnia ſuis ordinibus, ac ſtatis temporibus incedere: atque hinc cuncta naturæ neceſſitati adſcribit. At quę vnquam neceſſitas, quæ nulli legi ſubiecta eſt, cum ordine coniuncta fuit? aut cum ordine non pugnauit? aut quis ordo reperiri poteſt, vbi omnia neceſſitate & caſu inuoluuntur? Planè cùm motus ratione carẽtes certos, ac cõſtantes cernimus: ex aliis motibus eos principium habere, eóſque ſine in-

telli

telligentia fieri nullo modo poſſe non ignoramus. A Idcirco nec maritimos æſtus, nec cœlorum curſus, nec arborum pullulationes, nec ſebrium reditus ſine mente, ac Deo conſtantes eſſe: & tandem quæcunque vel naturaliter, vel præter naturæ ordinem accidunt, à Dei conſilio proficiſci nullo modo dubitandum eſt.

Relicto igitur Epicuro, ad Procli argumenta accedamus, quæ non modò inepta, ſed & doli ſuſpicione haud vacua quilibet ex ipſa facie eſſe iudicet. Is ita arguit ex Platone lib. de Rep. Omne ortum occidit, & quod interitus expers eſt, etiã ortus omnino eſt inſcium: B ſed mundus, teſte Platone, diſſolui nequit, ergo nunquam eſt genitus. Digna planè Philoſopho argumentatio: quaſi verò ea ſit rei incorruptibilis natura, vt ortum ignoret: idq́ue neceſſariò conſequatur, vt omne incorruptibile, ac immortale ab æterno ſeparari nequeat: at vnde id ex Platone didicit? aut qua ratione id nobis credẽdum profert? Sanè Plato mundum ſuapte natura corruptibilem, & occiduum eſſe; cùm ex iis componatur, quę ad corruptionem tendunt, apertè docet; at Deo illum ab interitu ſeruante incorruptibilem fieri; neque vnquam diſſolui poſſe con- C tendit; quod ſanè non tam Platonicè, quàm Catholicè dictum eſt. Quod etiam iterum in Politicis repetit, cùm de cœlo agens, ait; cœlum accipere immortalitatem fabricatam, atque extructam ab opifice: ac demum concludit his verbis: *Immortalitas cœli, ſi qua eſt, non naturalis eſt; omnia enim quæ principium habuerunt, denique diſſoluuntur: ſed eſt vis cunctis naturis imperitans, cui ſunt omnia facilia, cœlum reddens inſeneſcibile.* En quid Plato ſentiat tam de cœli, quàm de cæterorum incorruptibilium natura. At nunquam Plato in eam ſententiam incidit; vt ex rerum incorruptibilitate illarum D æternitatem colligendam doceret; quem tamen Proclus ſibi in hac cauſa patronum accerſit: ſed hæc eſt Procli temeritas. Atqui ex aduerſo ex te arguo (Procle) qui animam ſentis non occidere, quomodo eam ſine ortu nunc eſſe affirmas quam aliàs genitam tueris? Si enim quæ diſſolui nequeunt, initium non habent: quid de animarum origine, quæ immortales ſunt, ſentiendum iubes? an eas quoq; diuerſa planè ſentẽtia æternas ſtatues?

Addit præterea Proclus. Si Deus ſemper fuit mundi opifex, ſemper fuit opificium, er- E go mundi opificium eſt æternum. Noua fallacia ludit Proclus, quam vel aperire ſatis ſit. Arguas, Procle, ſi tantopere te hoc argumentationis genus delectat: Titius ſemper fuit piſcator, ergo ſemper piſcatus fuit, neque vnquam à littore receſſit: alius ſemper olitor fuit: ergo ſemper olera collegit, aut vendidit. At quid ſi in hyeme olera aruerint, vbi olera? nec tamen olitor eſſe deſinet, tametſi abſque oleribus. Philoſophus es, Procle; at non ſemper philoſopharis, nec bene philoſopharis, cùm ſemper philoſophandum doces. Quis Medicum, aut Theologum, aut Legiſtam, ſemper aut mederi, aut de rebus Diuinis diſſerere, aut de legibus diſceptare exiſtimet? Quis fabrum ſemper fabrilia tractare, aut operi incumbere dicat? Poterit quidem faber opus ſuum cùm fabrili facultate præditus eſt, moliri: poterit Medicus mederi, piſcator piſcari, Philoſophus philoſophari, cùm ea ſcientia pollent qua in iis verſari poſſint. Atque inde vel Medici, vel piſcatoris, vel Philoſophi, vel tandem artificis nomen adepti ſunt. Ita Deus opifex ſemper fuit, & quidem optimus, nec tamen inferre licet ſemper operatum fuiſſe, ſaltem in mundi opificio: neque enim negamus Deum ſemper operatum fuiſſe, cùm nefas ſit otioſum illum exiſtimare: at meliora bona, quæ à ſui contemplatione manãt, ab ęterno molitus eſt; in mundi verò opificio non ab æterno, ſed in tempore operam præſtitit. Quamobrem licèt Deus ab æterno opifex fuerit: nec non condendi mundi tum ſapientiam, tum potentiam habuerit: non tamen mundum ab æterno condidit, nec mundi opificium, quod poſterius eſt, debet opificis æternitati comparari. Conſequentiæ enim vitium eſt: qua ab eo quod eſt in potentia, ad id quod in actu eſt, infertur.

Adeſt tandem Simplicius & ipſe æternitatis mundi acerrimus defenſor, qui Proclum contra Ioannem Philoponum, qui optimis rationibus illius leuitatem, ac imperitiam circa mundi æternitatem coarguerat, tumido Philoſophorum ſupercilio tuetur: ac pro eo non tam rationibus quàm conuitiis pugnat. Cuius rationes adeò exhauſtæ, ac leues nobis ſe offerunt, vt in iis refellendis non multùm elaborandum ſit. *Simplicius.*

Primam igitur Simplicius rationem ex Platone deſumit, qui in Timæo tempus æternitatis imaginem eſſe dicit; ex quo ita arguit: ſicut ſe habet æternitas ad durationem, ita & tempus, ſed æternitas vna ſemper in æternum manet: ita quoque tempus ſemper in æternum fluit. Stulta planè argumentatio. Iam quid differret tempus ab æternitate, aut quomodo Plato tempus æternitatis imaginem, non ipſam æternitatem appellaret: ſi tempus perinde atque æternitas æternum eſſet? At verò ab hac ſententia alienum omnino fuiſſe Platonem, cùm omnes poſteriores Philoſophi, tum maximè ipſe Ariſtoteles teſtatur, qui tempus à Platone generatum eſſe ſentit. Apertiùs autẽ id declarat, ſi cauſa afferatur, ob quam à Platone hæc collatio æternitatis, & temporis facta fuit, vt primum foret exemplar, ſecundum ſimulachrum. Hæc enim exemplarium, ac ſimulachrorum ratio idcirco aſſumpta fuit, vt cauſam redde-

ret

Digitized by Google

ret conditi mundi, ac temporis principium inueniret, hac ratione; quòd ſicut intelligibilis mundus, quem in Idea æterna Plato collocauerat, conditi mundi exemplar fuit: ita etiam æternitas creati temporis. Demum id declarare Plato voluit, tempus non eſſe æternum, ſed tantùm imaginem æternitatis.

Neque hinc inferre licuit Simplicio: ſi tempus eſt imago æternitatis, ergo eſt infinitum, cùm æternitas ſit infinita: neque enim ſequitur. Homo eſt imago Dei, Deus eſt infinitus, igitur & homo. Imago in tabula depicta cœlum refert, cœlum eſt incorruptibile, ergo & imago: filius eſt imago patris, ſed pater eſt ſenex, igitur & filius: quis ita concludat? Tempus quidem eſt imago æternitatis, non in eo, vt ſit ſemper, ſicut æternitas, vt ſit infinitum, æternumq́; ſed in eo quòd durationis ſimilitudinem quandam cum æternitate ſortitum eſt: qua fit, vt tempus durationem quidem cum æternitate communem habeat: at æternitas infinitam, tempus verò finitam, ac temporariam propriam ſibi vendicet; atq; inde imaginis ratio potiſſimùm manat. Quod exemplo confirmari poteſt. Nam tametſi filius ad patris ſimilitudinem genitus dicatur, quòd ſimilem à patre naturam nactus fuerit, cùm ab eo genitus eſt; tamen filij ætas cum patris ætate nullo modo comparari poteſt, cùm pater filium tempore præceſſerit, atque ea ratione, qua genitus eſt, filius patre poſterior ſit. Ita præcedente æternitate, velut ex longæuæ parentis vtero natum eſt tempus, ac ſimul cum mundo in lucē editum: at licèt æternitatis ſimilitudinem gerat, quod ad vtriuſque naturam ſpectat; cùm tamen illud æternitate poſterius ſit: neque æternitatis durationem, aut infinitam illius ætatem hæreditario iure poſſidere poſſit, illam velut ſeniorem agnoſcit. Pleraque alia argumenta Simplicius congerit, quibus Philoponum potiùs, quàm mundi creationem impugnat. Aliorum argumenta, ſi quæ ſunt, mundi creationem impugnantia, vel ex his, quæ dicta ſunt, confutata manent: vel adeò puerilia ſunt, vt ea referre, aut refellere ſuperuacaneum duxerim.

Supereſt, vt quæ mundi æternitatem incommoda ſequantur, obiter attingamus. Certè ſublata mundi creatione non ſecus euenit, quàm ſublimi arbori radicitùs conuulſæ, aut excelſæ moli fundamentis ablatis. Ruit enim arbor, ac ædificij moles ſternitur, ac ſolo æquatur: ita rerum principio è medio ſublato; omnium virtutum molem ruere, & hominum rerúmque humanarum ordinem miſerrimè interire neceſſe eſt. Etenim ex rerū creatione nata eſt pietas, vt eū admiremur, ac colamus, & illius potentiã, bonitatémque ſuſpiciamus, à quo nos creatos, cunctáque cōdita eſſe intelligimus. Hæc enim pietas prima A ac præſtantiſſima virtus eſt, quam velut Reginam cunctæ virtutes circumſtant, ducémque ſequuntur. At quis hâc toto Orbe fugari non videat, cùm rerum primæua origo negatur? Ablato enim duce diſſipatur agmen. Agmine virtutum diſſipato, quis hominum vitam belluarum potiùs, quàm hominum eſſe non credat? Eò ſanè deteriorem, quòd animalia rationis expertia, ea neque ad bona, neque ad mala abutuntur; quò fit, vt ſi bona eſſe non poſſit, mala tamen non ſit. At ratio exuta virtute peſſima eſt: exuitur verò cùm pietas expellitur, qua fugiente terga vertit omnis virtus: ita fit, B vt nihil aliud ſit mundi æternitas, quàm impietas æterna, qua virtus omnis confunditur.

Præterea quæ ſcelerum ac flagitiorum Lerna non aperitur cùm mundus æternus ſtatuitur? Si enim nullus eſt mundi conditor: ſi omnia per ſe ſtant, ac æternitate inuoluuntur: ſi nulla ineſt rebus prouidentia, quis erit ſcelerum vindex, qui iniquè ac ſceleratè viuentes iudicet ac compeſcat? quis bonos à malis defendet, aut diſtinguet? mala impunè perpetrari, bona fruſtra agi, virtutes iacere, vitia dominari toto Orbe licebit; atque eò res euadere C neceſſe eſt, vt, ſicut nulla bonis bonitas prodeſſe, ita nulla malis malitia obeſſe poſſit. At quis non videat hanc eſſe rerum humanarum terribilem illam vaſtámque confuſionem, in qua vitium cum virtute, iuſtitia cum iniquitate, probitas cum improbitate miſcetur? Vbi nihil eſt, quod malos à bonis ſeparet, vbi flagitium extollitur, probitas deprimitur: ac tandem in eadem ſtrage iacent bona cum malis.

Ampliùs, ſi mundus æternus aſtruitur, planè rebus omnibus prouidentia adimitur: nam, vt Philonis verbis vtar, *qui mundum factum* *Philo de mundi opif.* D *negant, non animaduertunt ſe tollere, quod eſt in vita vtiliſſimum, & ad pietatem ſummè neceſſarium, nempe prouidentiam.* Nam opificium non negligi ab opifice ſuo parentéque docet ratio. Etenim pater hoc agit, vt permaneat ſua progenies: conditor item diuturnitati à ſe conditorum conſulit, arcens quicquid noxam damnúmve illaturum videtur, contrà quicquid vtile commodúmve modis omnibus proſpiciens. At quod factum non eſt, nihil commercij habet cum eo qui ſe non fecit. Eſt autem abſurda opinio, atque inutilis, mundum tanquam Rem- E publicam ſine Magiſtratu inducere, cui non Præfectus, non Præſes, non Iudex præſit, quem omnia diſpenſare gubernaréque deceat. Quid verò intolerabilius, quàm rebus prouidentiam tollere, & omnia ſiue diro fato, ſeu labenti fortunæ committere? At ſi fato, ac fortuna cuncta accidunt, quid rerum ſollicitudo prodeſt? quid conſilium? quid prudentia? Quò omnis tam diuina, quàm humana

lex

Digitized by Google

lex abit? Abeant, faceſſant omnes legum conditores, ſiquidem nec virtus, nec vitium, nec pietas, nec impietas inter homines locum habent.

At non modò in homines, naturámque ipſam, ſed in Deum quoque naturæ autorem hæc ſæuit æternitas. Si enim mundus æternus eſt, an nō cū Deo ęternitate certat: nec ſe Deo ipſo poſteriorē eſſe agnoſcit? Cur non & Deū eſſe ſeipſum ſentiat? Quòd enim æternum eſt, & principio, ac conditore caret; ſanè præterquàm Diuinum eſſe non poteſt. Quid verò ſtultius quàm mundum ipſum, terram ſcilicet, quæ pedibus omnium calcandam ſe præbet; aquam, qua quotidie abluimur, ac irrigamur; aerem, quo reſpiramus; cœlum, quo tegimur, Deum exiſtimare: vt hinc tot Deo componamus, quot vniuerſum partibus conſtare cernimus? Certè ſi Diuinitatem mundo tribuunt, cùm is hominum vtilitati inſeruiat, hominem pluſquam Deum, ac Deo ipſo diuiniorem appellari quis prohibet, cùm homo toto vniuerſo præſtantior, ac nobilior ſit?

Hæc tandem animis perturbatio ex hac mundi æternitate offunditur; rebus humanis neceſſaria præſcriptio tollitur: nullum apparet principium, quo hæc omnia extiterint: nullum numen agnoſcitur, cuius prouidētia vniuerſa regantur. Caſus, & fortuna, quæ ſapientiæ aduerſantur, ac prudentiam è mundo tollunt, Diuinitatem ſibi in Orbe aſſumunt. Hæc ſanè, & alia innumera ex hac æternitate incommoda in Orbem erumpunt. Quapropter exulet, effugetur, explodatur hæc æternitas, ac Deus ſummus rerum omnium opifex agnoſcatur, colatur, adoretur.

His igitur teſtimoniis, quæ ad rerum creationem demonſtrandam hactenus allata ſunt, abundè oſtenſum fuit, Deum eſſe, cuius nutu ſicut omnia cōdita ſunt; ita illius imperio mouentur: *ſine quo* (vt Tullij verbis vtar) *neque domus vlla, nec ciuitas, nec hominum vniuerſum genus ſtare; nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt*: vt ex iis ſaltem, quæ ante oculos verſantur, Atheiſtæ inuiſibilem conditorem, qui vniuerſa molitus eſt, Deum agnoſcant.

Tull. 1. de leg.

Demonſtratur tertiò ex rerum ordine.

ARTICVLVS IX.

PORRO quamuis rerum creatio irrefragabile quoddam ſit Diuinæ potentię teſtimonium, quo Numē aliquod rerum omnium, quæ ſunt, principium contemplamur: ipſe tamen rerum ordo adeò illuſtris ac conſpicuus, ita apertè nos in Dei cognitionem ducit; vt ſicut in illa Diuinam quandam vim ac poteſtatem, qua vniuerſa emerſerunt, admiramur: ita in hoc mentem quandam, ac ſupremam intelligentiam intueamur, quæ res

A cunctas ſapientiſſimè in ſuos fines dirigit, regit, moderatur, ac conſilio ſuo vniuerſis præſidet. Hæc autem ordinatiſſima rerum ſeries ita de Deo nos certiores facit; vt quemadmodū in citharæ, aut teſtudinis ſono experimur, ſi ſingulę fides propriū, & à cæteris diſcordem ſonum exprimerent, citharam obſtrepere potiùs, atq; inconcinnos ſonos edere, quàm audiētium aures demulcere neceſſe ſit. At cùm ex illarum conſonantia ſuauem harmoniā inde erumpere animaduertimus, protinus optimum citharœdum animo cōcipimus, cuius arte, & prudentia, tot diſtinctæ fides in B vnum concentum conſpirant. Ita, cùm primùm in ampliſſimam hanc rerum vniuerſitatem, velut in immenſum quoddam Diuinæ Maieſtatis inſtrumentum oculos inicimus; in quo cùm tot cœlorum orbes velut extenſas fides diuerſis, ac propemodum diſcrepantibus motibus agitari; tótque elementorum corpora contrariis inter ſe qualitatibus pugnare videamus: ſi nullus illius rector, ac moderator eſſet, quòd tandem eſſet cœlorum murmur? quis elementorum ſtrepitus? quæ incompoſita rerum diſſonantia? Planè antiquum illud Ouidianum chaos redire compelleretur, cùm

C *Non bene iunctarum diſcordia maxima rerum,*
Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis.

Ouid. Meta. lib. 1.

Verumenimuerò cùm hæc natura ipſa diſcrepantia, ita inter ſe conciliari, ac perpetuo amicitiæ fœdere (licèt admirando) colligata, tanquam conciliatis fidibus ſuauiſſimam ordinis harmoniam edere deprehēdamus: quis Deum Optim. Max. huius harmoniæ autorem non agnoſcat? vnde enim ille concentus, ille ſtatus, & ratus ordo rerum cœleſtium, ac ſuperiorum motuum, niſi ab aliquo numine Diuino adminiſtraretur? Ita ſimilitudinem hanc proſequitur D. Greg. Nazianzenus. *Quemad-* D *modum* (ait) *quiſpiam citharam pulcherrimè conſtructam, & elaboratam conſpiciens; eiúſque concinnitatem, & conſtitutionem; aut etiam cithara cantum audiens, nihil aliud, quàm ipſum cithara conditorem, atque citharœdum mente reputat, atque ad eum cogitatione fertur, etiamſi de facie ipſi ignotum: eodem quoque modo nobis, is qui res vniuerſas creauit, eáſq. mouet, atque conſeruat, ſeſe declarat, etiamſi animis noſtris, ingeniiſque comprehendi nequeat.*

Greg. Naz. orat. 2. de Theol.

Porrò cùm nos ipſos ingredimur, illuſtrior ac luculentior hæc Dei cognitio nobis aſpectandam ſeſe offert: nam cùm in nobis totius E vniuerſi epilogum, ac veluti Microcoſmon contemplamur; corpus, mentem, rationem, animam, ſenſúſque luſtramus: atque hinc corpus tanquam animæ vehiculum, omnium motuum generibus moueri aptum conſpicimus: iſtinc mentem ad cœleſtia, diuináque capeſcenda idoneam; illinc ſenſus tot diſtincta munera obeuntes. Rationem verò ſenſibus dominantem: animam denique nobis

ineſſe

ineſſe intelligimus, quæ cùm immota in corpore ſedeat, vniuerſas tamen, tam corporis externas, quàm ſui ipſius internas potentias imperio regit, ac mouet; ac veluti Rex totius humani regni habenas moderatur: quæ tamen nec videri, nec attrectari, nec ſenſibus comprehendi poteſt. Quis hæc ſecum animo volutãs, bine apertè Deum eſſe non animaduertat? Nam, cùm in paruo hoc hominis mundo hunc ordinem apertè intueamur; vt vnus in eo ſpiritus ſit, qui vniuerſos illius actus tegit, componit, atque ad ſuos fines dirigit, cui denique omnia, quę in homine ſunt, velut ſupremo ſubiiciuntur: quis eodem modo magnę huic rerum vniuerſitati Deum præeſſe non ſentiat? quo auctore omnia diſponantur, qui cuncta moueat, regat, gubernet, dirigat, moderetur, à quo tandem vniuerſa pendeant? Equidem nemo tam rudis, ac imbecillis ingenij eſſe poteſt, qui cùm res vniuerſas, iiſque pręſtitutum ordinem intellectu perluſtrat, ex iis quaſi quibuſdam gradibus ad Dei notitiam non aſcendat.

Iam verò vt à rerum diſtinctione exordiamur, totum vniuerſum quatuor rerum ordinibus cõtineri omnibus exploratum eſt: quos quidem ita diſpoſitos videmus, vt primus ac infimus ordo ea tantùm contineat, quæ ſunt, atque ab aliis eſſe tantùm diſtinctum habent: ſecundus verò ea complectatur, quæ non ſolùm eſſe, ſed amplius cum eo vitam nanciſcũtur. In tertio ſunt, quæ præter vitam, ſenſu, ac ſenſatione etiam pollẽt. Demum ad quartum ordinem ſpectant, quęcunque intellectu, ac ratione prædita ſunt: ex his quædam aliquibus duntaxat hiſce naturæ donis potiuntur, quædam verò omnibus fruuntur: atque hæc reliquis omnibus antecellunt. Aërem, mare, ac terrã intuemur quàm ampliſſima, ac vaſtiſſima ſint, cùm cætera omnia ſuſtineant, quæ aut viuunt, aut ſentiunt, aut intelligunt, quæ tamen infimum ordinem obtinent, cùm ſimplici tantùm eſſe potiantur, à vita, à ſenſu, ab omni intelligentia penitus remoto. Plantæ verò præter eſſe, vitam ac vegetationem habent, ab humo quidem vitam & conſeruationem; ab aëre verò refrigerationem haurientes. Bruta quoque cùm præter eſſe, ac vitam, ſenſum etiam à natura acceperint, plantarum ac elementorum beneficio propriũ commodum vitámque tuentur. Homo tandem iis omnibus excellentiorem naturam adeptus, præter hæc intellectu ac ratione pollet, elementis fruitur, plantis viuit, brutis dominatur, & vniuerſa quæ vel ſupra, vel ſub ipſo ſunt, intelligentia percurrit, mente agitat, in diſputationem trahit, prudentia præuidet, conſilio proſpicit, ac tandem vniuerſa ſibi ſubiecta habet.

En quadruplicem rerum ordinem, ita gradibus ſuis diſpoſitum, vt qui aliquem illius [A] autorem eſſe non ſuſpicatur, non tam ordinis naturam ignoret, quàm ratione ac intelligentia, atque adeò ipſa natura indignum ſe præſtet. Quæſo enim, vndenam hæc rerum proportio & gradatio erumpit? vnde in tanta hac rerum diſtinctione ordo? vnde maximarum, atque ampliſſimarum rerum tenuioribus, ac imbecillioribus ſubiectio? vnde hæc rerũ differentia oritur, vt quædam eſſe mortuũ duntaxat, & non enti proximum: aliæ illud idem viuum, non ſenſitiuum, pleræque ſenſitiuum, non intellectiuum, cæteræ tandem intellectiuum nanciſcantur? An ſuſpicaris fortè, hęc ita [B] ab æterno eſſe, vt nullo autore ac principio illud à ſeipſis habuerint? Sed cùm hæc quotidie ante oculos oriri, & vix nata rato ordine, ac innata ſibi lege ita ferri videas; vt alia aliis præferri, alia aliis ſubiici cernas: cur ea vel ab æterno eſſe, vel cæca quadam naturæ vi rapi exiſtimas? Planè cùm ea rebus à natura vis indita ſit, vt vnaquæque ad ampliora ſua bona tendat: ſi hæc à ſeipſis haberent, cur maiora, ac vaſtiora corpora, non ampliora, ac præſtãtiora naturæ dona ſibi vendicarent? cur animantium nonnulla, quæ adeò tenuia ſunt, vt vix maris guttæ, vel exiguo terræ puluerì æquari [C] poſſint; ea tamen nobilitate longè antecellunt? Quid homo tandem inter animantium genera delicatiſſimus, omnium rerũ ita principatum obtinet, vt elementorum, plantarum, animalium, atque adeò ipſarum incorruptibilium rerum naturas ſibi ſubiiciat? An negari poteſt, optimum, ac potentiſſimum his moderatorem præeſſe, qui hanc rerum diuiſionem ita conſilio ſuo diſpoſuerit, vt ſingulis proprios naturæ, atq; excellentiæ gradus definierit, vt in tam inæquali naturarum ſtatu, vna ab omnibus pax amicitiáque ſeruaretur?

Amplius, cùm (vt diximus) res vniuerſæ his [D] quatuor ordinibus comprehẽdantur, eſſe nimirum, vita, ſenſu, atq; intelligentia, peto à te (Atheiſta) quod horum alterum præceſſerit? Præceſſitne eſſe, aut non eſſe? viuere, aut non viuere? ſentire, aut non ſentire? intelligere, vel nõ intelligere? Certè ſi Philoſophos, ac ipſam naturam conſulis, id tibi perſuadebunt, priùs fuiſſe non eſſe, quàm eſſe, & rerum priuationes formis omnibus anteiſſe. Siquidem nos olim non fuimus, & nos genitores noſtros agnoſcimus: ij etiam eos nouerunt, à quibus progeniti ſunt; quorũ ortus, ac interitus vnius principij nos admonet. Eodem modo de plan- [E] tis, ac brutis diſſerere licet, quorum ortum, incrementum, ac declinationem quotidie cernimus. Cæteræ verò res, quæ eſſe tantùm habent, cùm adeò exiles & impotentes ſint, vt nihil omnino producere valeant, quippe quæ nec vitam, nec generationis appetitum gerũt: ſanè multò minùs ſeipſas producere queunt. Quapropter illud fixum ſit, non eſſe, non viuere, non ſentire, non intelligere, anteceſſiſſe.

At verò cùm ſimus, viuamus,ſenſu,& intelli- A gentia fruamur, vnde nobis hæc accidiſſe credendum eſt? Num hic ſuprema virtus neganda eſt, cuius omnipotentia à non eſſe ad eſſe vocati ſumus, qua etiam appellante tam ea, quæ non ſunt, quàm ea quæ ſunt, natura & ordine reſpondeant:nã ſi ea negetur,quomodo ex priore nihilo,in quo res omnes iacebant,vnaquæque propriam, ac ab alus diſtinctam naturam ſortita eſſet:namque inter rem & nihil,eſſe,& non eſſe,ſpatium infinitum intercedere neceſſe eſt : quò fit,vt ad primam à non ente,ad ens productionem infinita agentis virtute opus ſit : quæ ſanè ea eſt,quam nos B Deum appellamus.

Verùm cùm ad elementorum naturam,ex quibus totum hoc,quod cernimus,componitur, animo perluſtrandam accedimus : cùm ordinatiſſimè cuncta ad vniuerſi vtilitatem diſpoſita videamus : ea planè ſapientiſſimi Cõditoris admonemur. Ignis(vt manifeſtum eſt)aquę aduerſatur,ſiccum cum humido pugnat,calidum cum frigido bellum gerit : atq; inde innumera alia contraria inter ſe pugnantia exoriri exploratum eſt, quorum natura ea eſt, vt ſeipſa inuicem expellant; atque adeò hoc illis à natura odium inſitum eſt; vt nec in C ipſis exiguis, ac minimis rebus ſibi inuicẽ aduerſantibus, vlla valeãt concordia conciliari, niſi alicuius ſuperioris virtute, qui ea ad coniunctionem ducat, compellantur. Quo pacto igitur tot elementa ſecum pugnantia,nõ bellum inire; non ſeipſa expellere; ſed perpetuo fœdere conciliata rerum compoſitionem ingredi cernimus? num id præter alicuius ſuperioris virtutem fieri exiſtimandum eſt ? cùm tamen vix duæ in cithara fides, quæ eiuſdem naturæ ſunt,conciliari poſſint,abſq; excellentis citharœdi ingenio,qui eas vel tendere, vel laxare norit. Quapropter cùm hanc elemen- D torum concordiã,in qua tot à natura pugnãntia inter ſe coniuncta, ac confœderata ſunt, animo reuoluimus;planè ſupremam aliquam virtutem, ac Diuinam mentem, quæ ſola id præſtare poſſit,concipere debemus.Neque id cõſideratione vacat;quòd aërem inter ignem, & aquam, tanquam vtriuſque arbitrum, ac mediatorem ſedere conſpicimus : illi quidem innato calore inhærentem : huic humiditate copulatum; id enim ſupremi alicuius Iudicis ſententiam non effugit,qui ea ad huius arbitri iudicium compulerit.

Porrò cùm altiùs conſcendentes ſupe- E riora ſpeculamur, cœlum circulariter, ac perpetuò moueri, Planetarum orbes tametſi à primo mobili rapidiſſimè ferantur,quẽmque tamen proprios motus ſeorſum ab eo diuerſos nanciſci : quis hæc caſu fieri exiſtimet? quòd ſi caſu mouentur, cur non etiam caſu quieſcunt? At ſanè caſus inordinationem, atque inconſtantiam parit : cùm è regione in hac motuum diuerſitate vniformitas quædam ſtabilis, ac perpetuò conſtans videatur rebus omnibus proficua. Quid igitur? à ſeipſis moueri ſuſpicandum erit? At cùm vita, ac ſenſu careant, à quibus intrinſecum motus principium manat, qua ratione à ſeipſis moueri credendum eſt? Quapropter id certò ſibi perſuadere debent, hæc non à ſeipſis, ſed ab alio moueri : at vbi res ab aliis moueri contingit, ne mouentium proceſſus in infinitum pertrahatur, in vno primo ſiſtere opus eſt,qui totius motus principium ſit, immobiliſque manens det cuncta moueri.

Quod exemplo declarari poteſt. Dum enim horologium egregiè elaboratum conſpicimus, primùm quidem malleolus horas pulſans aſpectui ſe offert, quem à proxima ſibi rota moueri cernimus, eam verò à pluribus ſibi ſuccedentibus rotarum motibus agitari conſpicimus : nec in iis vnquam quieſcimus, donec ad artificis ingenium peruenerimus, qui ita miro ordine vniuerſos rotarum motus diſpoſuit : cùm tamen ille immobilis permaneat, nec cum iis moueatur. Idem in rerum motibus fieri cenſendum eſt,vt à motu ad immobile aliquod motus principium feramur : neque vllam rerum inter ſe diſſidentium diſcrepantiam conciliari poſſe credamus, niſi mentem aliquam ſapientiſſimam ſibi ſemper ſimilem,ac conſtantem nobis animo ſtatuamus : & tandem cùm magna hæc rerum corpora ſurſum perpetuò ferri,& aptè moueri animaduertimus, his ſupremum omnibus ſpiritum ducem, ac rectorem præeſſe agnoſcamus.

Cùm igitur hactenus ab infimis ad ſuperiora, tanquam à claritate in claritatem incedentes conſcenderimus; vt eò faciliùs Dei cognitionem naturali hominum ingenio inditam attingeremus : nunc à ſupremis ad infima redeundum,vt Dei gloriam,ac Maieſtatem, quam ille in exiguis plerumque, ac infimis rebus potiùs,quàm in maximis declarare voluit; rudioribus, ac imbecillioribus ingeniis aſpectandam obiiciamus.

Multa ſanè nobis in hac infima Orbis regione perpendenda occurrunt, quæ mirificè Dei Optim.Max. notitiam extollunt.Terram namque arboribus, oleribus, frugibus, animantibus refertam quotidie intuemur. Mare innumeris piſcium generibus ſcatere, aëre verò tot auium ſpecies contineri, vt vix à quopiam dinumerari queant : horum autem vnumquodque adeò in ſpecie ſua nobis perfectum ſe offert, vt in his humana mens, ac ratio, nihil aut ſuperuacaneum, aut inutile, quod carpere poſſit, percipiat. Vndenam hæc tanta rerum copia, ac perfectio? Num ea à ſola elementorum virtute proficiſci cenſenda eſt; quæ cùm nec vita, nec ſenſu prædita ſint,alus vitam,aut ſenſum impetra

pertiri non valent? Num à Solis influxu? Is ſanè cùm rerum cauſa tantùm vniuerſalis ſit, ſolus quippiam efficere nõ poteſt:& quidem ſi horum coniunctio nonnihil, quod ad rerum productionem ſpectat, præſtare videtur: iam hoc ipſum quæro; quis terræ vim hanc productiuam; quis animãtibus generatiuam, quis Soli influxum tribuerit: quis ea inter ſe ita copulauerit, vt inde rerum productio oriri poſſet? Quæro item, vnde tanta rebus varietas? floribus venuſtas? fructibus ſapor? herbis vis? gemmis ſplendor? quorum ſingula propriam ac innatam virtutem ſibi vendicant. Hęc ſanè nõ aliunde quàm ab inexhauſta alicuius tum potentia, tum virtute profecta eſſe, fateri oportet.

Plantarum præterea quædam calidæ ſunt, quædã frigidæ, aliæ dulces, aliæ acres, aliæ quidem ad alendum, illæ ad medendum aptæ:& ſi quæ virulentæ ſunt, nec ipſæ tanquam inutiles ſpernuntur, cũ ſæpe aliis temperatæ medicinam præſtent. Bruta verò, quæ ſæuioris naturæ ſunt,& prædã venãtur, ſolitaria degũt, ne ſi agminatim incederẽt, humanæ ſocietati obeſſent: quæ verò mitiora ac humano generi vtiliora ſunt, vel inter homines viuũt, vt eorũ ſocietas, ac propagatio hominum cõmodo, ac conſeruationi conferat, vel inter amœnas ſyluas degũt, vt hominũ vitã curis interdũ anxiã ſoleũtur. Quid? nũ hæc fortunæ aſcribẽda ſunt?

Adhæc Sol terram calefacit: ſydera verò tempora diſtinguunt. Aër tandem illius ſiccitatem humectat. Terra autem brutis animantibus famulatur. Herbæ animantia alunt, animantia tandem homini inſeruiunt: vnde hæc rerum colligatio ac ſubordinatio: vt altera alteri obſequatur, ac ſimul vniuerſæ ad vnum duntaxat hominem reſpiciant? Si res quidem ab æterno ſunt, vel à ſeipſis, quonam modo, aut quo agente, aut quando dominium, vel ſubiectionem ſibi compararunt? Quòd ſi à ſeipſis initium adeptæ ſunt, nũ ſeipſas à ſemine inchoarũt, vel à flore, vel à grano? ſi animãtia ſunt, num à fœmina vel à maſculo? ſi altilia, num ab ouo, vel à volucri, exiguáne an maiori? At quænam harum præceſſit? quæ ſubſecuta eſt, cum ita inter ſe connectantur, vt vna quidem abſque alia eſſe non poſſit? Animãtia quippe herbis indigent, quibus veſcũtur: herbæ verò terram ſibi parentem volunt, qua tũ generentur, tum creſcant: terra denique abſq; cœlorum motu ſterilis prorſus eſt, & otioſa. Simul igitur omnes per ſe ex nihilo eruperũt, at qua virtute? cuius impulſu? cũ illę priùs nõ eſſent: cur non priùs ſeipſas excitarunt vt eſſent? cur tandiu ſine natura fuerunt? at vbi rerum naturam ſortitæ ſunt? cur aliæ paruæ, aliæ maiores, hæ ad ima detruſæ ſunt, illæ excelſa occuparũt? illæ motu irrequieto agitantur, hę quiete fruuntur? Vnde hæc rebus varietas, cũ nulla iis varietatis cauſa ex diuerſis rerum na-
A turis oriri poſſet? demum vnde hic in tanta rerũ varietate tantus rerũ conſenſus, & ordo? Quoniã igitur ita res perpetuò quodã ordine, atque harmonia inter ſe connectũtur, vt vniuerſæ ad vnũ tendant: hinc perſpectũ eſt, eas omnes ab vno eſſe, & ab vno gubernari, cuius vnica virtute ac conſilio cunctæ cõditæ ſunt.

Iam verò ad illud vnum, ad quod vniuerſa tendunt, nempe hominem, orationẽ conuertamus, vt eum quoq; ad vnum, illudq; ſupremum Dei Numẽ, de quo agimus, referri demõſtremus. Qui hominis alicuius imaginẽ in tabula egregiè depictam intuentur, è veſtigio
B inquirunt, quis illius pictor extiterit? Ea enim eſt præcellentium rerum natura, vt nos in ſui admirationem compellant, atq; in iis opificis artẽ, vel autoris ingenium admiremur. Cùm igitur mortuũ ac inanime opus nos ad viuentem opificẽ adducat: ſanè multò magis homo ipſe qui viuum Dei opus eſt, nos ad viuentem Deum cõpellere debet illius opificem, tantò quidẽ homine excellentiorẽ, quãtò pictor ipſe imagini, quam effinxit, excellentior eſt: à quo non ſecus, quã non eſſe ab eſſe, infinitè diſtat.

Porrò illa corporis proportio, quam in hominis opificio tam exactam, ac perfectam cõ-
C ſpicimus, à qua proportiones ſuas ars mutuatur, cuinam ſummi opificis artem admirabilẽ animo nõ inſinuat? Ipſe quoq; membrorũ ordo, ac diſpoſitio, quo ita ſe mutuò iuuant, vt ad totius hominis commodum omnia referantur, quomodo humanæ menti Diuinam ſapientiam non ingerit?

Mirabilis planè hîc ſe nobis offert Trimegiſtus, qui in libro qui inſcribitur, *quòd Deus inuiſibilis ſit ex operibus manifeſtus*, adeò piè, ac diligenter hanc hominis ſtructurã examinat, vt nõ aliunde, quàm ex illius ore, Deum hinc agnoſcendum Atheiſtis proponere libeat. *Co-*
D *gita*, inquit, *ô fili, hominem in vtero materno cõpoſitum, totamq; artificij artem diligenter perpende, & diſce, quis ſit opifex, qui hãc hominis pulchrã, Diuinamq; imaginem fecerit, quis oculos formauerit; quis nares & aures terebrauerit; quis os aperuerit; quis neruos tetẽderit, & ligauerit; quis venas irrigauerit; quis oſſa ſolidauerit; quis pellem carni circundederit; quis digitos diſtribuerit; quis pedes in greſſum, vel plantã dilatauerit; quis poros aperuerit; quis lienem tetenderit; quis cor figuram pyramidis habere fecerit; quis neruos compoſuerit; quis pulmones cauernoſos fecerit; quis ventrẽ dilatauerit; quis honeſtiores partes in propatulo poſuerit; obſcœnas abſcõderit? Aſpice*
E *quot artes vnius materia, quot opera vna circunſcriptione, cunctaq; pulchra, cuncta cum menſura, cuncta ſeorſum. Quis hæc omnia fecit? quæ mater? quis pater? niſi inuiſibilis Deus, qui ſua volũtate cũcta operatus eſt? At ſtatuã vel imaginẽ ſine artifice, aut pictore nemo dicet extitiſſe: hoc ergo opificiũ fuit ſine opifice. O cæcitatẽ incredibilẽ! ô magnã impietatẽ! ô incredibilẽ ingratitudinẽ!* Hęc & alia Trimegiſtus.

Trimegiſtus in lib qui inſcribitur, quòd Deus inuiſibilis ſit ex operibus manifeſtus.

Rurſus ex ſenſibus qui cuncta colorum, ſo-

notum, odorum, ſaporum, tactuum genera A
percipiunt, quis non eundem eſſe opificem
intelligat, qui ſenſus, ac ſenſibilia condidit?
Quorſum enim ſenſus abſque ſenſibilibus,
aut vbi ſenſibilia ſine ſenſibus eſſent? Cùm
enim ad ſe inuicem referantur, quis prior
erumpit; ſenſus, an ſenſibilia? ſi hominem ea
ad ſenſuum oblectationem ſibi condidiſſe
exiſtimas, cur modò non aliquid ſimile præ-
ſtat? ſi ſeipſum propter ſenſus, ac ſenſibilia
condidit: cur iis morte ſe priuari patitur? Hoc
igitur ſibi perſuaſum habeant, horum condi-
torem extra hominem eſſe quærendum.

Accedat præterea quòd in homine non B
ſolùm diſtinctum verborum ſonum, ac ſer-
mocinationem audimus, qua illum propterea
natum eſſe coniicimus, vt ſeipſum multis cõ-
municaret; ſed etiam intellectum admira-
mur, quo ſæpe vniuerſa ſenſibilia tranſcen-
dit, & cœleſtibus, ac intelligibilibus ſe infert:
quo ſanè perſpicuum eſt, illum non tantùm
propter ſenſibilia, ſed potiùs propter intelli-
gibilia conditum eſſe. Cùm igitur in nobis
hanc intelligendi vim experimur, an eam ita
in nobis concludi credimus, vt ea etiam extra
nos reperiri non poſſit? Planè cùm ea intelli-
gendi facultate prædictus ſis, qua vniuerſa po- C
tes intelligere, & adhuc quæ hæc facultas ſit,
& vnde tibi inſit, ignoras; ſanè id apertè te-
ſtatur, ſupremum aliquem extra te eſſe intel-
lectũ, quo intelligẽtiam præſtante, cætera om-
nia intelligas, quiq; in te ipſo intelligat, ac co-
gnoſcat, quæ ſæpe intellectũ tuum effugiunt.
Quandoquidem igitur nos ipſos ignoramus,
principium nimirum quo ſumus, ac intelligi-
mus, qua ratione nos ipſos noſtri conditores
eſſe fingimus? Aliunde ergo originis noſtræ
initium haurire oportet. At vnde Atheiſta?
Patrem fortè dũtaxat tui principium eſſe ſu-
ſpicaris. Atqui ingenio adeò rudis es, ac im- D
becillis, vt te alicuius hominis primũ auctorẽ
exiſtimes; cùm præſertim in illius generatione
nullo conſilio, aut prudẽtia vtaris; immò ple-
rumque nec ipſum genitum mente cogites,
nec ipſa genitrix ipſum fœtum, dum in vtero
formatur, etiamnum animo reuoluat. Haud
ſecus, inquã, quã ſi ab arbore nux in agro de-
cidat; quæ eo nullatenus ſentiẽte, radices agit,
in truncum excreſcit, in ramos exuberat, &
folia, flores, fructus tandem emittit. Planè, dũ
imaginem effingis; an non frequẽter illam in-
tueris, ac in eam oculos iactas? Age, quoties eã
animo reuoluis? quo ſtudio, ac labore eã ple- E
rumq; in die, ſi quę vitia ſunt, corrigis? certè
in ea efformãda nullũ non laborẽ, ac operam
conſumis. Iam verò cum hominem te con-
dere putes, quid eſt quòd liberos, cùm libet,
nõ procreas; & cũ nolles, quandoq; tibi vltra
ſpẽ adueniũt? Quare in fœminas plerũq; in-
cidis, cũ maſculos appetis? an ita in effigiãdis
imaginibus, quatũ auctor es, teipſum illudis?

Præterea ſi adeò egregius es hominis con-
ditor; illius nobis formationem ediſſere, qua
arte oſſibus robur, venis ſanguinem, arteriis
ſpiritum, pulſibus motum tribuiſti? Exere ſi
potes omnes humani corporis cõpages, mu-
ſculorum concauitates, neruorũ extenſiones,
oſſium colligationes, ſtomachi ſedes, cordis
ardores, hepatis refrigerationes, iecoris offici-
nas, ventris ingluuies, viſcerũ receptacula, vir-
tutes tum retentiuas, tum expulſiuas: vita-
lium ſpirituum officia quæ ſint. Denique to-
tam hanc humani corporis ſtructuram, & ar-
tificium, cùm nunquam videris, ignoras; quo
pacto te illius artificem iactas?

Adhæc num illius animi cogitationes, cor-
dis imaginationes, intellectus vias, quæ ſint,
aperire potes; quid ſentiat, quid eligat, quid
velit animus? Planè, ſi in his profunda, ac im-
penetrabilis abyſſus latet, quę nec mente per-
cipi, nec animo comprehendi poteſt; qua ra-
tione te illius autorem eſſe cenſes? Certè alia
horum omnium cauſa tibi ſuperior quærẽda
eſt, quæ te intelligentē intelligat, & cùm tei-
pſum intelligere, ac agnoſcere nequeas, tei-
pſum & intelligit, & agnoſcit: quippe quæ
vniuerſa, quæ in te ſunt, condidit: & cùm vni-
uerſas hominum cogitationes, & appetitus,
quæ numero propemodum infinita ſunt, per-
ſpiciat, quidni infinitũ eſſe iudicemus? Quid
plura? cùm vlterius progredi mens humana
refugiat; vbi aliquod infinitum conſpicit, li-
ceat his finem imponere, ac in Dei Opt. Ma-
ximi laudem Trimegiſti illud vſurpare. *Quid* Mercur. Trim.
*te laudabit Pater omnium? ſupra te, an infra te poſi-
tum? quò vertam oculos, vt te laudem? ſupráne, an
infra? intus, an extra? num modus, an locus circa te?
num aliud quiddam ex omnibus? In te autem om-
nia, abs te omnia, præbes omnia; nihil denique ſuſpi-
cis, omnia quidem habes: quod autem non habes, id-
ipſum nihil. Quando verò laudabo te Pater? tempus
& momentum capere non valemus: qua potiſſimùm
in re laudes cantabo tuas? num in iis quæ creaueris?
an in illis quæ non creaueris? num in iis fortè, quæ in
lucem è tenebris emiſiſti? an in iis quæ latent, adhuc
arcano ſinu recondita? Per quid tandem hymnos tuos
dicabo? Nunquid in laudatione talis ipſe mei iuris
exiſtam; an potiùs alter efficiar? Ipſe profectò es
quicquid ego ſum; ipſe es quicquid agam, ipſe es
quicquid denique dicam.*

Demonſtratur quartò ex rerum prouidentia.

ARTICVLVS XI.

HIs accedat Diuina rebus ipſis indita
prouidentia, quæ cùm ita à caſu & for-
tuna longè abſit, vt mirificè in rerum ipſa-
rum natura, & conditione eluceat: tùm maxi-
mè indubitatum nobis de Deo teſtimonium
auget: cùm perfectiſſimam quandam ſapien-
tiam

Digitized by Google

tiam in rerũ adminiſtratione ſuſpicimus,quã non aliunde, præterquàm à diuina quadam mente rebus omnibus prouidente proficiſci poſſe intelligimus. Hac enim potiſſimùm via non tam manſuetæ, quàm feræ, ac barbaræ nationes, ad Dei cognitionem velut manu ductæ ſunt; cùm in omnibus natura conſtantibus nihil temerarium, aut inordinatum, nihil non probè adminiſtratum conſpicerent: omnia denique tam parua,quàm maxima ſuis regulis contineri, ſuis terminis colligi, ſuo ordine regi: & licèt inter ſe pugnantia,vno fine conciliari cernerent. Nam (vt ait Lactantius lib. 1. Diu. Inſt. cap. 11. *Nemo eſt tam rudis, tam feris moribus, quin oculos ſuos in cœlum tollens, tametſi neſciat cuius Dei prouidentia regatur hoc omne, quod cernitur, aliquam tamen eſſe intelligat ex ipſa rerum magnitudine, motu, diſpoſitione, conſtantia, vtilitate, pulchritudine, temperatione: nec poſſe fieri, quòd id, quod mirabili ratione conſtat, non conſilio maiori aliquo ſit inſtructum.*

Lactan. l. 1. Inſtit. c. 11.

Nauim cùm primùm cernimus, erecta puppi, inter medios maris vortices ſulcantem,recto curſu ad portum properare; ſtatim peritum nautam in ea eſſe deprehendimus, qui illius moderationi inſiſtat. Cùm vrbem aliquam ingredimur, optimis legibus munitam, in qua cùm varia hominum genera ſint, qui diuerſis planè officiis, ac vitæ rationibus incumbunt: vniuerſi tamen ſumma inter ſe pace fruuntur; an non optimum ibi præeſſe Gubernatorem exiſtimamus? Deniq; quis domum aliquam Regiam adit, in qua mixta tum vocum, tum muſicalium inſtrumentorum varietate compactus concentus audiatur, qui mira ſuauitate aures demulcet, qui protinus inſtitutæ harmoniæ Rectorem aliquem eſſe non ſentiat? Id enim naturalis hominum diſcurſus, ac ratiocinatio per ſe gignit. Ecquiſnam eſt tam naturæ lumine captus, qui cùm ingentem hanc mundi nauim recto itinere, ac irrefragabili lege, per temporum varietates, ad occaſum, veluti ad portum properare conſpicit; ſummum ibi nautam, ac moderatorem Deum eſſe non percipiat? Age, quis eſt tam vecors, qui cùm hæc magna rerum corpora in hac magna mundi vrbe inter ſe pugnantia, noua, ac perpetua pacis, ac amicitiæ lege conciliari animaduertit: ſtatim ſapientiſſimum his Deum gubernatorem, qui ea imperio coërceat, præſidere non exiſtimet? Et quis tandem cœleſtium orbium ordinem, Aſtrorum curſum, Lunæ viciſſitudines, Solis itinera, ordinatiſſimóſque rerum omnium motus, ac operationes; ex quibus ſuauiſſimus mortalibus velut concentus redditur, ſecum animo reuoluit; qui horum omnium rectorem, ac ducem Deum eſſe non agnoſcat?

Hinc præclarè Trimegiſtus in Pimandro

Trim. in Pimandro dial. 12.

A Dialogo 12. *Arduum* (inquit) *quiddam eſt (ô fili) Deum percipere: hunc quoties intueri volueris, aduerte mundi ordinem, atq; ordinis eius ornatum. Aduerte neceſſitatem illorum, quæ ſenſu percipiuntur, prouidentiámque cunctorum, quæ facta ſunt antè, & quæ quotidie fiunt.* Hoc enim præclariſſimum eſt Diuinæ prouidentiæ ſignum, ipſe pulcherrimus, atq; inuiolabilis omnium rerum ordo in natura conſpicuus: neque enim tam diu, támque immobiliter omnia ordine ſtato incederent, niſi ea optima Diuinæ prouidentiæ lege continerẽtur. Quamobrem inter ea, quæ ad Deum cognoſcendum

B dum hominem trahunt, non obſcuro loco prouidẽtiam collocat in eodem Dialogo, his verbis. *Ex quatuor ergo his (fili) agnoſces, percipiéſque Deum, ex ordine ſcilicet rerum, ex naturali earundem obedientia, ex illius prouidentia, qua ſingulis quibuſque proſpicit.* Denique, vt illorum errorem ſuggillet, qui Deum vniuerſalium tantùm, non ſingularium prouidentiam gerere putabant, in Dialogo 10. ad Aſclepium; Deum hominis curã agere affirmat his verbis. *Neque Deus ignorat hominem, ſed curam eius habet, ab eóque ſe cognoſci vult.*

Trim. dial. 10 ad Aſcle.

C Democritus quidem (teſte Lactantio lib. 1. cap. 2.) omnia fortuitò regi, ac fato dicebat: cuius ſententiam confirmauit Epicurus, ſed antea Protagoras, qui Deos in dubium vocauit: quos tamen Plato 10. de legibus pluri mis, ac validiſſimis rationibus confutat, quibus Diuinam prouidentiam ſtatuit.

Lact. l. 1. c. 2.

Plato 10. de legibus.

Plotinus verò Platonem imitatus Enn. lib. 3. cap. 2. Diuinam prouidentiam cum Imperatoria maieſtate comparat. *Totus* (inquit) *mundus prouidentia quadam imperatoria eſt conſtitutus, cernente actiones, & paſſiones, & quæ adeſſe oporteat alimenta, arma, machinas: & profectò quæcumque ex his inter ſe connexis conſpirantibus*

Plotin. Enn. lib 3. c 2.

D *conſequuntur, ſunt præuiſa: vt quodcumque ex his euenit, locum vbi bene ſitum ſit, nanciſcatur. Procedunt quidem omnia ab excitatus Duce, & ſagaci quadam ſolertiáque ratione: quamuis etiam externa ſint, ab eóque aliena, quæ hoſtes ſunt illatori. Procedit autem hac Diuina prouidentia ab initio ad finem deſuper ſe diffundens: nec æquali ſecundùm numerum proportione, ſed ſecundùm comparationem quandam proportionis, aliter diſtribuit alibi: quemadmodum in vno quodam animali à principio ad extremum ritè connexo, membrum quodlibet munus proprium poſſidet, & melius quidem actionem habet praſtantiorem, deterius autem*

E *inferiorem ſibi conuenientem. Etenim partes inter ſe diuerſa diuerſas habent actiones: vnum nihilominus ex cunctis, & prouidentia vna, omnia enim quæ in mundo intelligibili ſunt, ratio ſunt; ſupra autem rationem intellectus, & anima pura: quod verò deinceps, quatenus inde prouenit, prouidentia eſt, & quatenus eſt in anima pura, & quatenus in animalia propagatur. Ratio vtique in partes inæquales diſtributa progreditur, iccirco nec facit æqua-*

 lia,

lia, ſicut apparet in quolibet animali: quæ verò deinceps fiunt, prouidentiam comitantur: amica enim eſt Deo prouidentiæ ratio, quæ haud ſecus ſe habet in mũdo, quàm in animali ſanitas. Cùm igitur vniuerſum hoc ſit animal, quod ea, quæ fiunt in ipſo videt, videt etiam ex quibus fiunt: prouidentiámque in ipſo regnantem, quæ quidem ordine per cuncta procedit, & quæ ſunt, & quæ fiunt. Quoniam autem meliora ſunt in mundo, idcirco ſunt quoque deteriora: proinde quicunque deterius è mundo tollendum cenſent, tollunt etiam ipſam prouidentiam. Hinc illa eſt Ciceronis argumentatio. *Qui namque conuenit* (ait) *ſignum, aut tabulam pictam cùm aſpexeris, ſcire adhibitam eſſe artem, cùmque procul curſum nauigij videris, quin id ratione, & arte moueatur, non dubitare: aut cùm ſolarium vel deſcriptum, aut ex aqua contemplere, intelligere, declarare horas arte, non caſu: mundum autem, qui & has ipſas artes, & earum artifices, & cuncta denique complectitur, conſilij, & rationis eſſe expertem putare? At ſi Diuinam adminiſtrationem, & Deorum à rebus prouidentiam ſecluſerimus; qua in natura excogitari poterit ratio, per quam ea quæ à natura fiunt, adminiſtrari dicantur?*

De Natur. Deorum.

Sed vt ſingularia nonnulla exẽmpla attingamus. Cùm tot metallorum genera videas, in quibus matricem quandam vim animaduertis, qua gignuntur, aluntur, exereſcunt. Plantis quoque ſecretam virtutem ineſſe, quę ex terra commodum ad illarum nutritionem alimentum attrahit; ac mirabili planè modo, ita ramis, ac foliis impertit, vt vnumquodque, quod ſibi proprium eſt, & quod ſat eſt, ſibi vendicet. Eas verò perinde, ac ſi ſuæ mortalitatis conſciæ, ac ſpeciei tuendæ ſollicitæ eſſent, cùm ad interitum declinant, ſemen quo reuiuiſcere, ac perpetuari poſſint, videas producere. Quis quæſo arboribus radicem diffuſam, ac circum extenſam præbuit, quæ ſedem illis immobilem, ac conſtantem pararet, quò faciliùs ventorum impetum ſuſtinere, ac imbrium procellis obſiſtere poſſent? Quis cortice illas ſuperinduit, quo ab æſtu, ac frigore, & reliquis temporum iniuriis ſeipſas tueri valeant? quis folia eiſdem tribuit, quibus teneroli, ac molles fructus ab irruentibus imbribus, ac Solis ardoribus protegerentur? Si naturam eam eſſe velint, quam rerum veluti matrem eſſe putant: eùm ea mentem non habeat, quo conſilio ea efficere potuit; neque enim vbi non eſt mens, aut conſilium, vis vlla eſſe poteſt, quæ res aliquas diſponat, atque ad ſuos fines dirigat?

Venio ad animantia, in quibus cùm diuerſas membrorum ſectiones, diſparata officia, diſtinctáſque functiones ita inter ſe colligari contemplaris, vt alterum alteri opituletur, alterum alteri inſeruiat, eáque eùm diuerſa prorſus munera obeant, cuncta tamen ad vnius compoſiti obſequium tendunt. In iis etiam cùm generationis apperitum intueris,

A apta ad lactandos fœtus vbera, ad alendos miram ſollicitudinem, & ſolertiam: quomodo ex tam aperta rerum prouidentia, ſi modò humanus, non belluinus tibi animus inſit, Deum ipſum apertiſſimè non agnoſcis?

Certè plantas, quæ omni ſenſu carent, nulla intelligentia pollere haud ignoras, quæ ſuæ conſeruationi ſtudeant: iis tamen an non mentem quandam præſidere vides, quæ inſenſibilibus rebus ad ſui conſeruationem neceſſaria præbet, ac pro illis futuræ ipſarum poſteritati inuigilat? Quid animantia? tametſi ſenſibilia ſint, num ea intelligentia frui exiB ſtimandum eſt, vt futurorum prudentia duce, atque in fœtibus procreandis, alendis, educandis, tuendis ratione aliqua iis innata regi eredantur? Iis ſanè exploratum eſt, diuinam aliquam prouidentiam dominari, quam tametſi ignorent, ea eſt, quæ aues docet nidos componere, paleas ſubſternere, oua fouere, fœtui incumbere, alimenta pro iis ſollicitè quærere, pro eorũ tutela decertare, & cætera quæ ad futuram ſpeciei conſeruationem neceſſaria ſunt, enixè prouidere. Ea eſt quæ formicis prouidentiam, apibus ſollicitudinem, ſerpentibus prudentiam, ac cæteris omnibus C rebus proprias naturas, motus, ac propenſiones miniſtrat. Ea tandem eſt, quæ vniuerſa, quæ natura conſtant, ad proprios fines ipſis neſciẽtibus pertrahit. Quouſq; igitur Atheiſta in hac eximia rerum prouidentia Dei ſapientiam non agnoſces? Sed quoniam de his plura ſuperiùs attigimus, ex quibus Diuinam rebus ineſſe prouidentiam demonſtrauimus, quid de Dei prouidentia Atheiſtæ ſentiant, breuiter exponendum eſt.

D

Proponitur, ac refellitur prima Atheiſtarum opinio de caſu, & fortuna.

Articvlvs XII.

EXtremis duabus, atque inter ſe pugnantibus ſententiis Atheiſtæ Dei prouidentiam inuadũt: quidam enim, vt omnem cum Deo prouidentiam euertant, cuncta temerè; caſu ſcilicet, & fortuna euenire affirmant. Alij eadem prorſus impietate laborantes, quò faciliùs Deum ab Orbe expellant, E nihil temerè, aut fortuitò contingere, ſed omnia fatali cuidam neceſſitati tribuere malunt, cui vniuerſos rerum euentus alligant. Quibus igitur vtraque impietas ſe rationibus contegat aperiendum eſt, vt illos è Diabolica hac impietatis abyſſo ad Dei lucem vendicemus.

Vrget igitur prima opinio aduersùs Dei prouidentiam his rationibus promiſcuè ex rerum natura, & variis euentibus collectis. Si

Digitized by Google

Si aliqua Dei prouidentia, non fortuna, aut caſu res agerentur; cur tot terrarum ſpatia montes occuparēt, qui hominum vſui ac vtilitati minùs conferunt? cur feræ terras inhabitarent, quæ humanæ ſocietati obſunt? cur tripartiti Orbis vix tertia pars eſt nobis habitabilis? cur maris procellæ à ventis concitantur? Quid hominis ortum tanta indigentia comitatur, cùm vix vllius bruta egeant? Quid tot morbòrum genera hominē excruciant? Quid deniq; mors ipſa cuncta animantia opprimit, ac proſternit, cùm tamen inanimatis, quæ ignobilioris naturæ ſunt, parcat? Præterea cùm tam multa præter conſuetum ordinem cauſarum nullo ordine fieri cernimus, plura præter rationem accidere. Bella ab inconſulto Rege interdum fœliciter confici: contrà, peritiſſimum Ducem occumbere; & parua manu innumeras quandoque copias fundi. Probos viros haud raró calamitatibus affici, egere, pelli, trucidari: improbos è veſtigio opibus, ac honoribus affluere. Templa fulminibus proſterni, ac conflagrari, ſacra ab impiis hominibus ſæpenumerò conculcari. Quis pro fortunæ arbitratu omnia miſceri, ac temerè euenire non exiſtimet? Hine apud Claudianum Atheiſtarum vox id non obſcurè declarat, cùm ait: Claudianus.

Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem,
Curarent ſuperi terras; an nullus ineſſet
Rector, & incerto fluerent mortalia caſu?

Ita fit, vt quem tota ſenſibilium, ac inſenſibilium natura Deum ex indita ſibi prouidentia prædicat, inſenſibilior ipſe Atheiſta non agnoſcat.

Aduersùs huiuſmodi naturæ monſtra id planè afferre ſufficeret, quod quidam dicere ſolitus erat; iis nimirum qui Dei prouidentiam negarent, non ratione, ſed virga opus eſſe, quæ tanquam amentes ad hominum ſenſum reuocaret. Cui enim non perſpectum eſſe debet plurima in Dei operibus occurrere, quæ admiratione magis, quàm ratione comprehendi debent, quorum igorantia Diuinæ ſapientiæ opificium extollere potiùs, quā tollere deberēt? Cùm enim Deus maior ſit corde noſtro, & ſapientiæ eius infinitus ſit theſaurus; ſanè haud mirum videri debet, inter hæc ſapientiæ opera pleraque inueniri, quæ cognitionis noſtræ oculum, qui non ſecus ad diuinorum operum ſplendorem ſe habet, quā oculus Nycticoracis ad lumen Solis, nō modò effugiant, verùm & ſuæ excellentiæ pondere opprimant. Planè impiiſſimi animi ſignū eſt, Dei Opt. Max. opera, quæ intelligere non valent, temerè redarguere, cùm potiùs in iis Diuinæ Maieſtatis excellentiam admirari, ac ſuſpicere deberent.

Sed ne poſt tantam, ac tam præclaram naturæ vocem, quę diuinam prouidentiam vbique diffuſam docet, ratio deeſſe videatur, A quæ ſtultorum hominum inſipientiam redarguere poſſit, iis priùs oſtendendum eſt, nihil temerè ac fortuitò in rerum natura contingere; ac deinde propoſitæ obiectiones diluentur.

Duo igitur explicanda ſunt. Primum, an caſus aliquis, aut fortuna ſit in rebus humanis. Alterum, quid caſus, aut fortunæ nomine paſſim intelligendum ſit. Quod igitur ad primum ſpectat, lubet ab Atheiſtis cum primis ſciſcitari, quid caſum, aut fortunam eſſe ſentiant; naturámne aut intellectum? Præclarè quidem Ariſtoteles in libello de bona fortu- Ariſt. in libello de bona fort. B na, à caſu & fortuna naturam, ac intellectum expellit, vbi ita diſſerit. *Neque dicet aliquis fortunam, naturam eſſe: natura enim ſemper cuius eſt cauſa, huius vt in pluribus, aut ſimiliter factiua eſt: fortuna autem nunquam, ſed inordinatè, & vt accidit, fortuna in talibus. Neque eſt intellectus quidā, aut raró recta: intellectus enim agit cum ordine, & rationis regula, & ſemper vt plerumque: fortùna verò ſine ordine, & regula, & raró. Propter quod, & vbi plurimus intellectus & ratio, ibi minima fortuna: vbi autem plurima fortuna, ibi minimus intellectus.* Hæc Ariſtoteles. Quòd ſi fortuna non eſt intellectus, profectò ab ea ars, ſcientia, ratio, cō- C ſilium, gubernatio, prudētia, quæ intellectum comitantur, expelli debent. Hæc enim omnia ordinatè agunt, illa omnia inordinatè.

Quòd ſi fortunam incertum rerum euentum eſſe dicant, ac talem ſibi effingant, qualem Poetæ olim eam depingere ſolebant, cæcam, ac rotæ volubili innixam, de qua Horatius Carm. lib. 3. Ode 29. Horat. Carm. lib 3. Ode 29.

Fortuna ſæuo læta negotio, &
Ludum inſolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alij benigna.

Planè ſicut hominum impietate depingi; ita D facilè ex ipſa rerum conſideratione deleri poteſt. Quis enim cùm admirabilem totius vniuerſi ordinem contemplatur, diſcordem naturarum diuerſitatem inter ſe aſſociatam, tam certum naturæ ordinem, tam diſpoſitos motus, tam præfixas rebus omnibus regulas, locis, temporibus, efficientia, ſpatiis, ordine explicatas, à cæca quadam fortuna duci arbitretur; quæ cùm cæca ſit, non tam ordinis, quàm confuſionis dux eſſe poteſt? Cùm etiā ad immobilia ſpectet, res mobiles ad proprios motus diſponere, ne ſi mutabilibus rebus id muneris largiremur, iis mutatis ceſſaret tan- E dem proprius rerum motus: & vniuerſa ad interitum ruerēt; quæ tum propriis, tum aliorum motibus conſeruantur. Quale nefas erit labili fortunæ totius vniuerſi regimen committere; quæ nihil ſolidum, nihil conſtans, nihil diuturnum ſibi vendicat, quo tandem fieri neceſſe ſit, vt breui tota rerum natura peſſum eat, & ad ſupremum interitum feſtinet? Quapropter cùm vniuerſa certo ordine ferri

exploratum ſit,inde illud aſſequimur,vt nullam rebus fortunam dominari credamus.

At amplius quid fortuna ſit, qua natura ſubſiſtat, quóue rerum genere contineatur, inſpiciendum eſt. Plato cùm vniuerſum Orbem, Dei nutu, ac legibus gubernari, ac præſcriptis rationibus adminiſtrari docuiſſet: nullam rebus humanis fortunam, ac incertũ caſum ineſſe ſenſit; ſed omnia diuinarum legũm neceſſitati,quam fatum appellauit, ſubiecta eſſe iudicauit:quæ verò ab aſtris geruntur,cùm talia ſint,quæ euitari ſapientia,induſtria,labore facilè queãt: in his ſitam eſſe fortunam voluit; ita fit, vt cæca fortuna Platoni nihil ſit:nam quæ ab eo aſſeritur, longè à cõmuni Atheiſtarum fortuna diſtat, cùm eam nullis rebus dominantem,homini verò ſubiectã doceat. Hinc Plotinus velut Platonis interpres Enn.l. 1.c.8. *In pluribus*(inquit)*dominatur anima, ſi melior ſit, in paucioribus verò, ſi peior:* vnde anima prudẽtia ac virtute prędita,iuxta Platonicorum placita, dum vitiis reſiſtit, ac prudentia vtitur, fortuna omni ſuperior eſt, potiúſque permutat ipſa,quàm permutetur.

Plato vltimo de Rep

Plotin Enn lib.1.cap.8.

Ariſtoteles verò cùm ſecundo Phyſic.tria effectuum genera diſtinxiſſet. Quædam enim (ait)fiunt ſemper,quædam frequenter,quædã rarò,ac præter intentionem,in tertio tantummodò genere caſum, ac fortunam agnoſcit. *Quæ* (inquit textu 48.)*fiunt ſemper, & ex neceſſitate,vt Aſtrorum ortus, & occaſus, à fortuna fieri non dicimus, neque quæ frequenter contingunt, vt animalium ortus: ſed potiùs ea quæ rarò, & præter intentionem accidunt.* Ex quo id primùm habemus ex Ariſtotele,orbium cœleſtium motus, curſus ſyderum, Planetarum influxus, atque omnem cœleſtium corporũ actionem, à qua inferior noſter hic Orbis gubernatur, à caſu, & fortuna liberam eſſe. Quæ etiã ad vegetabilium,ac ſenſibilium ortus,progreſſus,appetitus,actiones,occaſus ſpectant, nulli fortunæ imperio ſubdi,ſed omnia ex neceſſariis cauſis diuino conſilio diſpoſitis effluere. Quòd ſi ab Ariſtotele quærimus, vbinam fortuna degat? *In his*(ait)*quæ fiunt per accidens,ac præter intentionem.* At certè hi effectus,quamquam reſpectu cauſæ particularis ſint fortuiti,& præter intẽtionem contingant,haud tamẽ reſpectu cauſæ vniuerſalis, quæ eſt ipſa Dei prouidentia, quam ipſe Ariſtoteles fatetur; velut fortuiti haberi debẽt.Sit quidẽ fortuna cauſa per accidẽs eorũ quæ præter intentionẽ eueniunt,ſi ad ſingularẽ illã cauſam referatur,quæ nõ neceſſariò ad eũ effectũ ducit:nam cùm ad vniuerſalem cauſam refertur,quæ eſt illius cauſa per ſe,ſtatim fortuna euaneſcit.Hinc idẽ Philoſophus omnes cauſas per accidẽs ad genus cauſæ efficiẽtis reuocãdas docet:vt hinc ſaltẽ perſpectũ ſit,cauſam & fortunã in rebus nihil eſſe,cùm in proprias cauſas recidũt. Neq; hîc neceſſariò diſtinguendum puto inter caſum,

Ariſt.2.Phy.

A & fortunam, vt fortunam in his tantùm eſſe dicamus, quæ ratione agunt; caſum verò in brutis & inanimatis rebus: quandoquidem vterque tam caſus, quàm fortuna, ſunt cauſæ per accidens, quæ ſimulatque ad proprias, ac efficientes cauſas redeunt, non apparent. Quid igitur fortunam efficis Atheiſta; ſubſtantiámne, an accidens? at quomodo ea ſubſtantia eſſe poteſt, quæ cùm nihil fixum, ac conſtans ſibi in rerum natura vendicet, nuſquam poteſt ſubſiſtere? Hi planè qui fortunam Deam eſſe ſentiebant, cœlo collocabant. Vnde Poëta;

B *Te facimus fortuna Deam, cœlóque locamus.*

Sed cùm Atheiſtæ omnem diuinitatem tollant, etiam fortunæ numen è medio ſuſtulerunt, ac proculdubio è cœlo deturbarunt. Quis igitur erit fortunæ locus? an fortè ipſe rerum euentus? At cùm is omnino incertus ſit, nec vllibi ſubſiſtat; quis certam fortunæ, aut naturam, aut ſedem ſtatuat, aut inter ſubſtantias,vel accidentia collocet; quæ nulli præterquàm incertæ rei, quæ prorſus non eſt,fixa inhæret? quò fit,vt ea penitùs non eſſe cenſenda ſit. Excluſa igitur fortuna à rerum exiſtentium natura,fateri neceſſe eſt,for-
C tunam,& caſum, vanum quoddam,ac inane nomen eſſe,quod cùm ex craſſa Dei ignoratione ortum duxerit, nullibi præterquàm in ea ſubſiſtit. Ita teſtatur Tullius.*Error* (inquit) *& cæcitas, & ignoratio rerum,atque cauſarum,naturæ, ac fortunæ nomine induxit.* Quòd ſi prudenter rerum cauſas homines inſpicerent à Dei prouidentia profectas;profectò non fortunæ, ſed Deo Opt.Max.rerum adminiſtrationem tribuerent.

Tullius.

Verùm melius Proclus aiebat, fortunam Dæmonicam quandam poteſtatem eſſe, qua cauſæ inter ſe diuulſæ ſimul congregantur:
D at qui ita fortunam appellabat,non cæco cuidam euentui rerum adminiſtrationem committere viſus eſt,ſed ſupremo, ac ſapientiſſimo Numini: quod idcirco Dæmonicam poteſtatem,id eſt, ſapientiſſimam, appellat, cuius imperio remotæ, ac nobis ignotæ cauſæ ad effectum confluerent. Quòd ſi hanc cum Proclo Atheiſtæ fortunam cognoſcerent, planè Deum mutato nomine non obſcurè confiterentur.

Proclus.

Equidem agnoſcere deberent Atheiſtæ, non id eſſe omnibus fortunam, quod fortunam eſſe ſuſpicantur: quod enim puero for-
E tuna eſt, haud illud eſt patri: quod famulo, non itidẽ hero;quod ſtulto,nõ idem ſapienti. Tam enim in nobis fortuna creſcit,quàm ipſa rerum ignoratio augetur, quæ tum minuitur, cùm in nobis prudentia incrementum ſumit: ita vt rectè Poëtæ dicere licuerit;

Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia,ſed nos
Te facimus fortuna Deam, cœlóque locamus.

Quòd ſi demum rerum ignorantiam tollas,

mox

mox cum ea fortunam exulare coges. Pater haud raró ex propoſito obolum ſibi excidere patitur;vt pueri animum exploret:puero quidem videtur eam ſibi arriſiſſe fortunam. Pater verò hanc non fortunam, ſed conſilium agnoſcit. Rex interdum plures diuerſo itinere aliquò ſeruos expedit,qui cùm primùm ſibi obuij fiunt,id fortuitò eueniſſe exiſtimant: cùm tamen non caſu, ſed Regis voluntate illuc properauerint.Sagax belli Dux,quò faciliùs vrbem inopinatò oppugnet, currum in ipſo Portæ limine velut fortuitò confringi curat: quod cùm cæteris id caſu eueniſſe videatur,Dux tamen ſua id arte,& conſilio factum eſſe non ignorat:ita fit,vt quod reliquis caſus, Duci bellicum ſtratagema, non caſus videatur. Ducibus belli artis peritiſſimis id quandoque vſu euenit, vt confictas arte epiſtolas,qua parte ab hoſte intercipi poſſint,velut ſeriò mittant.Hic quidem eximiæ id fortunę tribuit,cùm Ducis animum,eiúſque cōſilia ſe legere exiſtimat. At illum non latet,id non à fortuna, ſed à ſuo conſilio, atque arte pendere. Quòd ſi hominibus,qui in eadem ſpecie verſantur,ac rationę prædití ſunt,tanta ineſt,tum ætatis,tum prudentiæ vis,atque diſcretio,vt quod huic fortuna, illi prouidentia ſit;quod vni caſus,alteri conſiliū exiſtat: quid aſſerere dubitamus ea à ſingulari,ac certa Dei prouidentia duntaxat proficiſci,quæ rudes ac ignari homines incertam fortunam appellāt? Planè, ſi tanta eſt Dei erga te benignitas, vt inter antiquas domus tuæ ruinas ingentem auri aceruum tibi obuium efficiat:vt vix templo egreſſum te ab illius caſu incolumem ſeruet; num hac Deum beneficentia expoliandum putas, vt id omne, quod tibi collatum fuit, cæco caſui, ac fortunæ, quæ te penitùs ignorat,aſcribas? Age,cur difficilius eſſe putas diſtantes rerum cauſas ad certum effectum Dei conſilio confluere, quàm eas abſque Dei prouidentia incerta fortuna connecti? Quid in animo tuo curru, foribus, exercitu remotius erat, quæ tamen ad vrbem oppugnandam ſapientiſſimè copulata cernis: nec ipſe quidem difficilè experiris, ignem ligno, igni aquam, aquæ coquendum cibum ad tui alimentum applicare? Quapropter inde fit, vt vbi potiſſimùm caſum, ac fortunam collocandam fore arbitreris, iſtic euidentiùs eniteat, quod in Dei prouidentia admirari debeas.

Ex his ſanè exploratum eſſe debet, quid caſus & fortuna in rebus ſint, quidve eo nomine intelligendum ſit, cùm apud Philoſophos de caſu,& fortuna mentio fit. Siquidem eo nomine nihil prǽterquàm vel ignotam cauſam, vel obſcuram Dei prouidentiam intelligendum eſſe putarunt;quibus agnitis ſtatim caſus,ac fortuna euaneſcunt.

Hinc Patres ac ſcriptores ſacri illuſtriori A lumine præditi ab huiuſmodi caſus,ac fortunæ vocibus potiſſimùm abſtinendum exiſtimarunt;cùm ipſa fide certiſſimi ſint, nihil temerè,aut fortuitò euenire, ſed cuncta Diuinæ prouidentiæ legibus rectiſſimè adminiſtrari.Nam Baſilius exponens verſiculum Pſ. 32. [*Omnia opera eius in fide.*] *Caue* (inquit) *dicas,temerè factum eſt hoc,& ſpontè hoc prouenit:nihil enim inordinatum, nihil non præfinitum, nihil accidit fruſtra,nihil temerè fertur:nec malum vllum euentum,aut malam dixeris horam; hæ namque ineruditorum, ac diſciplinam Chriſtianam ignorātium voces ſunt:nónne duo paſſeres aſſe veneunt,& vnus* B *ex eis abſque Dei voluntate non cadit? Quot capilli capitis;& vnus ex eis non eſt apud Deum oblinioni? Vides igitur diuinum oculum,quomodo neque minutiſſimarum rerum quicquam conſiderationem ipſius effugiat?*

Baſilius in expla. Pſ. 32.

Matt. 10.

Quod S. Auguſtinus 3. de Trinitate confirmat his verbis. *Nihil fit viſibiliter,& ſenſibiliter,quod non de interiori inuiſibiliq́, atque intelligibili aula ſummi Imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur,ſecundùm ineffabilem iuſtitiam præmiorū, atque pœnarum,gratiarum,& retributionum,in iſta totius creaturæ ampliſſima quadam immenſáque Republica* Cæterùm,vt omne fortuitum ac ca- C ſuale à rebus abſtergat, libr. 1. contra Academicos c. 1. *Fortuitum* (inquit) *quæ vulgò fortuna nominatur, occulto quodam ordine regitur: nihilq́ aliud in rebus caſum vocamus, niſi cuius ratio, & cauſa ſecreta eſt: nihilque commodi, ſeu incommodi contingit in parte,quod non conueniat, & congruat vniuerſo.* Atque vt ne fortunę quidem nomen relinquat lib. 5. de Ciu. Dei c. 9. aduerſùs Tullium nullas eſſe cauſas fortuitas docet,ex quibus fortuna appellari queat. *Nos* (inquit) *confitemur eas cauſas,quæ dicuntur fortuitæ,vnde etiam fortuna nomen accepit, non eſſe vllas, ſed latentes, eáſque tribuimus,vel Dei veri, vel quorumlibet ſpi-* D *rituum voluntati. Creator ſpirituum Deus voluntates bonas adiuuat, malas iudicat, omnes ordinat.* Tandem lib. 1. Retract. c. 1. dolet ſibi aliquando ex ore fortunæ nomen excidiſſe: *Pœnitet me,* inquit, *illîc nominaſſe fortunam, cùm videam homines habere in peſſima conſuetudine,vt vbi dici debet, hoc Deus voluit, dicant, hoc voluit fortuna.* Hæc ſanctorum Patrum pietas, ac caſta fides fuit, quam profectò imitari deberent ij, qui inter Chriſtianos tam frequens caſus,ac fortunæ nomen in ore geſtant: vt non immeritò Plinius lib. 2. c. 7. dixerit: *Toto quippe mundo,& locis omnibus, omnibúſque horis hominum vocibus* E *fortuna inuocatur, & vna nominatur, vna accuſatur,vna agitur rea,vna cogitatur,ſola laudatur, ſola arguitur,& cum conuitiis colitur,volubiliſque,à pleriſque verò & cæca etiam exiſtimatur,vaga, inconſtans, incerta,varia, indignorúmque fautrix.*

Auguſt. 3. de Trinit.

Lib. 1. cont. Academ. c. 1.

Lib. 5. de Ciu. Dei c. 9.

Lib. 1. Retract. c. 1.

Plinius lib. 2. cap. 7.

Quod ſanè abſque Dei auctoris iniuria eſſe non poteſt, cuius prouidentia vniuerſa fiunt.

Soluun

Soluuntur Atheiſtarum obiecta.

ARTICVLVS XIII.

NVNC ad ea, quæ ſuperiùs hæc opinio contra Dei prouidentiam obiecit, reſpondēdum eſt. Si adeſt (inquiunt) rebus prouidentia; quorſum per tot terrarum ſpatia montes exurgunt, quos non tam ſuperuacaneos, quàm ſua ſterilitate pernicioſos mortalibus iudicamus? Huic ipſa prouidentiæ ratio optimè reſpondet, quam D. Thomas prima primæ, q. 22. art. 1. definit, eſſe rationem plurium ordinandorum in finem. Et Boëtius ante D. Thomam lib. 4. de conſol. prouidentiam ait eſſe ipſam diuinam rationem, in ſummo omnium Principe conſtitutam, quę ad finem ſuum cuncta diſponit. Hæc igitur eſt prouidentiæ ratio, vt rerum inter ſe differentium ordinem in Orbe diſponat. At vbinam prouidentia eſſet, ſi omnia eodem modo ſe haberent; neque vlla rebus varietas ineſſet?

D. Thom. pr. primæ q. 22. art. 1.
Boetius lib. 4. de conſol.

Planè, ſi quis formicæ Atheiſtæ intellectum daret, an non ita de Atheiſta ratiocinaretur, ac quæreret: quorſum eminentiorem naſum, aut ſupercilia in facie geſtet, aut cur in corpore prominentes coſtas circunferat, quæ altiùs proportionabiliter corpore efferuntur, quàm quilibet è terrarum planitie altiſſimi montes? An non hæc tu vultus ornamenta, ac corporum proportionem, & elegantiam eſſe iudicas; ac plerumque in aliis plus æquo, ac perditè amas? cur eadem in vaſto hoc vniuerſi corpore, velut deformitates, ac ordinis maculas, cùm illius præclara ornamenta ſint, reprehendis?

Planè, ſi ſutor quiſpiam in eleganti picturâ nigreſcentes vmbras velut deformes accuſaret: an non illi meritò reſponderi poſſet, *Ne ſutor vltra crepidam*? quandoquidem vnius color magis ex oppoſita nigredine enteſcit, & pictoris ars elegantior apparet, quo inter caliginoſas, ac denſas atri coloris vmbras diſtinctè montium concaua, pendentes rupes, amnium curſus velut erumpentes depingit. Quòd ſi hac pictoris arte, cùm hæc tibi in tabella effingit, adeò delectaris, vt ſi hae montium, ac vallium varietate pictura careret, imperfectam ſtatim iudicares: quid vniuerſum condemnas, quòd montium, ac planitiei varietate, velut propriis ornamentis conſtet? aut cur id caſui, aut fortunæ adiudicas; in quo potiùs ſummi, ac Diuini pictoris artem, atque excellentiam ſuſpicere deberes? Tu ſi rerum varietatem damnas, cùm ſutoris potiùs, quàm contemplatoris artem imitere, id meritò audire debes; *Ne ſutor vltra crepidam.*

Verùm cùm ex his quoque maxima tibi A vtilitas accedat, non caſu, ſed optimo conditoris conſilio id profectum exiſtimare debes. Cùm enim imbrium irruentium impetus, ventorum rabies, frigidas aëris intemperies ſummopere exhorteas: an non montes tibi nemora pariunt; alunt, ligna ſuppeditant, quibus & domos conſtruere, & frigus arcere valeas? Si ad negotia exercenda æquora traiicere paras, an non hi tibi naues inſtruunt: ſi ad bella gerenda, triremes? Vnde tibi ad vehendas merces, vel ad regiones peragrandas, tot hominum vehicula ſubſternuntur, quæ ab Auſtro ad Meridiē, à Meridie B ad Aquilonē fluunt? Quis tot limpidiſſimos fōntes aperit? tot armētis paſcua, tot vina, ac fruges miniſtrat? Certum eſt hæc à montibus tibi beneficia exoriri. Cùm igitur, aut tanquam Orbi ſuperuacaneos, aut etiam pernicioſos montes accuſas, id ſanè expediret, vt in Libyæ planities, vel Beotiæ, aut Campaniæ deſerta exul relegareris, vt hinc conſilium mutare addiſceres, & totum montibus oppleri Orbem expeteres.

Feras deinde velut mortalium generi infenſas, à Dei prouidentia arcent. At ſanè immeritò, cùm illæ ſummam Dei prouidentiam C declarent: nam cùm tot ſceleta, & flagitia in Orbe graſſentur, & impunè plerumque nefarij homines ab hominum ſe ſuppliciis eripiant, diuinam illæ in eos vindictam exercent. Ignem, cruces, rotas, gladios ad ſcelerum punitionem adhibes: quare inter hæc diſtributiuæ iuſtitiæ inſtrumenta feras quoque locatas non agnoſcis? Illa tametſi humano generi infenſa ſint, vtilia, ac etiam neceſſaria iudicas, & inter humanæ prouidentiæ partes enumeras: cur has inutiles, ac pernicioſas exiſtimas; nec non à Diuinæ prouidentiæ, quæ humanam longè ſuperat, ordi- D ne ſecludis? Quid? quòd non tantùm ſcelerum punitioni, quàm Regum, ac nobilium oblectationi inſeruiunt, quibus tanta plerumque ineſt venandi cupiditas, vt eam ſummis quibuſque deliciis anteferant?

Maris fluctus, quos incompoſita fortuna intumeſcere, & cæco agitante caſu procellas concitare ais; ij te vnius Dei ſingularis prouidentiæ admonent, cùm eos qui tota terra altiores ſunt, & ſuapte natura in præceps feruntur, diuina ita virtute ad littus ligari, ac velut oſtio concludi cernis; vt inde quacun- E que deſæuiente procella, erumpere nunquam poſſint. Ita Iob illos inter diuinæ prouidentiæ teſtimonia refert c. 38. cùm ait. *Quis concluſit oſtiis mare, quando erumpebat, quaſi de vulua procedens? Circundedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia; & dixi, vſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Ij etiam diuinæ iræ timorem animis ingerunt, dum eos æſtu ita agitari cōſpicimus, vt littora ſimul, ac terras obruere, ac abſor-

Iob. cap. 38.

ac abſorbere velle videantur. Hac enim ra-
tione idem Iob illorum exemplo Dei in ſe
Iob c.31. timorem excitabat c.31. *Semper enim* (inquit)
*quaſi tumentes ſuper me fluctus, timui Deum, &
pondus eius ferre non potui.* Ventorum flatus
damnas tanquam ratibus pernicioſos. At quo
pacto tot opulentæ inſulæ, tot auri,& argenti
venæ, quæ in iis deliteſcunt nobis cognitæ
eſſent, niſi eò nos ventorum flatus pepuliſſet?
Denique graues maris procellæ eò hominem
ducunt, vt ex iis meram Dei laudem conci-
piant, dum in iis ſummam illius tum poteſta-
tem in excitandis, tum prouidentiã in com-
ponendis fluctibus admirantur. Inde enim
ad Deum laudandũ excitabatur Dauid Pſal.
Pſal.106. 106. *Qui deſcendunt*(ait)*mare in nauibus, facien-
tes operationem in aquis multis: ipſi viderunt opera
Domini, & mirabilia eius in profundo. Dixit, &
ſtetit ſpiritus procellæ.* Quapropter ſpiritum pro-
Pſalm.148. cellarum ad Dei laudem compellit: Laudent
Dominum, inquit, *Ignis grando, nix glacies, ſpiri-
tus procellarum, quæ faciunt verbum eius.*

Caſui, ac fortunæ tribuunt, quòd Orbis
vix tertia pars ſit habitationi apta: at quis
hoc cenſet? Totam enim terram habitabilem
eſſe, iampridem ex ipſa nauigatione explora-
tum eſt. Quid ſi aliqua eius pars homini in-
habitabilis eſſet: num ob id Dei prouidentia
damnanda eſt, cùm eam piſcium, ac aliorum
animantium habitationi commodam aptaue-
rit? Eam ſanè Orbis partem ſapientiſſimus re-
rum conditor tantùm hominibus habitabi-
lem eſſe voluit, quæ hominum vſui ſat eſſet:
reliquam verò ita diſpoſuit, vt nauigationi
inſeruiret: vt hinc vniuerſa hominum com-
modo, non caſu, aut fortuna, ſed Dei proui-
dentia deſtinata eſſe ſentiant.

Hominum natiuitatem omnium rerum in-
digentia ſeptam, in qua ſummam Dei proui-
dentiam admirari deberent, caſui, non proui-
dentiæ adſcribunt: ſed Atheiſticę ignorantiæ,
non Diuinæ prouidentię illud vitium eſt: nam
cùm ea reliquis animantibus naturalem in-
ſtinctum, ac propenſionem indiderit, qua ſe,
ſuámque vitam tueri poſſent; hominem ra-
tione præditum eſſe voluit, vt non natura, ſed
conſilio ad ſui conſeruationem vteretur. Bru-
tis quidem, quæ ſolo naturæ motu ducuntur,
ne tot rebus egerent, neceſſaria in ipſo ortu
tribuit: hominem verò, quem ratione prædi-
tum, ac præſtantioris naturæ condidit, plu-
rium indigentia laborare voluit, vt ſuo ſibi
conſilio ſuccurreret. Quòd ſi in ipſo ſuæ in-
fantiæ exordio minùs ipſe ſibi prouidere va-
Iob.c.3. let, materna cura, ac ſollicitudo, qua ali, &
educari poſſet, illi haud defuit: vt hinc per-
ſpectum ſit, eò euidentiùs Diuinam illi proui-
dentiam adeſſe, quò minùs in tenella ætate
ſuo ſibi auxilio prodeſſe poterat.

Quid verò ſtolidius dici poteſt, quàm ob
diuerſa morborum genera, quibus humana
A natura variè excruciatur, naturam ipſam à
Dei prouidentia ſecludere? quaſi verò mor-
borum ſemina à fortuna, non ab ipſa natura
ſint; quæ cùm ab ipſa ſui conſtitutione pu-
gnantia inter ſe elementa, ac contrarias qua-
litates complectatur, hinc etiam diuerſas
membrorum cauſas ſecum defert: quibus ſi
primam naturæ corruptionem parentum ſce-
lere contractam adiungas; qua ſe homo om-
nium animantium miſerrimum præſtitit: in-
de omnium morborum, ac calamitatum fon-
tem illi erupiſſe agnoſces: neque Dei ma-
xima prouidentia carere, vt tunc plurimis
B morborum, ac infirmitatum anguſtiis labora-
re inciperet, cùm à conditoris ſui obedientia
deſciſcere, ac Deo relicto propriam excellen-
tiam cœpit appetere: vt ſic tandem ſuæ cõdi-
tionis, ac imbecillitatis admoneretur. Quòd
ſi malis diuerſas temporum rationes, velut
morborum cauſas condemnas; planè ignem
quoque damnare debes, à quo interdum exu-
reris; nec non aquam, qua plurimi ſuffocan-
tur; Solem, quo nonnulli febricitant; aërem,
quo plerique conſtringuntur; quæ tamen
ſummoperè neceſſaria eſſe non ignoras: ne-
que enim, aut ignis, aut aquæ, aut Solis, aut
C aëris, ſed imprudentiæ culpa eſt, ſi ab iis non-
nulli damnum patiãtur. Ita quoque nec tem-
porum ratio morborum cauſas præſtat, ſed
temporum vſus. Quòd ſi interdum aëris in-
temperies morbos gignit: ea Dei Opt. Max.
prouidentia eſt, quæ hominum vitia hac di-
ſciplina corripere, & ſcelerũ admonere vult.
Quamobrem Hippocrates cùm de peſtilẽtiæ Hippocrates.
morbo agit, medicum admonet, vt ante om-
nia ſeriò expendat, num Diuinum aliquid in
morbis lateat, id eſt, an eius naturæ morbus
ſit, cuius propria, ac immediata cauſa ſit ipſa
Dei vindicta.

D Mortem denique velut extremum fortunæ
ludum Diuinæ prouidentiæ opponunt, qua
naturæ opera deſtruuntur: At ſanè toto cæ-
lo aberrant, qui mortem à Dei prouidentia
excludũt: cùm ea nobiliores animos ad opti-
mum finem perducat, reſque omnes ad ſua
propria, vnde orta ſunt, redire cogat. At quæ
maior hac prouidentia haberi poteſt? Tot
morbos, tot calamitatum genera in genus hu-
manum inuecta defles, eáque idcirco caſui, ac
fortunæ adſcribis, quòd homines affligent.
Cur ſaltem mortem Diuinæ prouidẽtiæ opus
non agnoſcis, quæ morbis, ac calamitatibus
E finem imponit? Si illa nullo ordine conſtare
putas, quòd in hominem nobiliſſimum graſ-
ſentur, cur hanc quæ inordinatis rebus me-
tam decernit, & nobiliſſimum animal naturæ
malis exuit, fortunæ ludum appellas? Fortè
propterea mortem accuſas, quòd te opibus,
ac honoribus ſpoliet: at niſi maiores tui priùs
morte ſublati eſſent, quomodo tu nunc eo-
rum opibus, aut honoribus frueretis? An non
hic

Digitized by Google

hîc Diuinæ prouidentiæ ordo conſpicuus ſe offert, cùm rerum corruptione perpetuam totius naturæ propagationem tuetur? At mors (inquis) plura bona extinguit: adde etiam quòd plurimis locum parat.

Porrò ſi ſecum perpenderent, quot inter arma, ac bellorum tumultus, vbi maximè omnia incertæ fortunæ videntur commiſſa, mortem quærunt, nec tamen ſibi obuiam habent: quot è regione inter pocula, ludos & choreas, in quibus nullum videtur eſſe mortis veſtigium, mortem ſibi inſperatò occurrere cernũt. Hinc procul dubio diſcerent, morti non fortunam; ſed ſupremam Dei prouidentiam dominari, qui iuxta voluntatis ſuæ leges, ad totius vniuerſi bonum mortem hominibus diſpenſat.

At, inquies, an non ſatius fuiſſet hominem immortalem, quàm mortalem fieri? Ego verò (vt interim grauiores cauſas taceam) abs te quæro; an ſatius fuiſſet terram, aërem potiùs, quàm terram fieri, vel aurem oculum potiùs, quàm aurem formari: ſiquidem & aër terra nobilior eſt, & oculus aurem ſenſus nobilitate præcellit? At ſi terra, nõ terra, ſed ignis fuiſſet, vbinam cum toto hominum genere conſtitiſſes? Auris quoque ſi oculus fuiſſet, quomodo nunc audire valeres? Parcè frater totius vniuerſi ordini, parce quæſo Diuinæ prouidentiæ, & mundum patere æterna Dei diſpoſitione gubernari: neque enim mundus eſſet, ſi res quidam perfectionis gradus nõ diſtinguerent. Planta namque idcirco plãta eſt, quia vegetat: quòd ſi ea ſẽſu prædita eſſet, iam non planta, ſed animal eſſet; brutum verò neque brutum eſſet, ſi hominum more ratiocinaretur. Homo denique idcirco homo eſt, quia humana, ac mortali natura præditus eſt: quòd ſi vel immortalis, vel immutabilis conditus eſſet; iam non homo, ſed alterius naturæ animal eſſet. Cùm igitur à nobis exigis, an ſatius fuerit hominẽ immortalem potiùs, quàm mortalem creari; id profectò quæris, num ſatius fuerit hominem non eſſe, aut altera natura præditum à Deo cõdi? Sed qui hoc quæris, iam te hominem eſſe damnas, & in tuam, ac hominum naturam nimis crudeliter deſæuis. At qui hominem condidit, mortalem ei eſſe placuit: vt inde ſaltem Dei prouidentiam rebus omnibus adeſſe perſpiceres.

Inſtant præterea aduersùs Dei prouidentiam, quòd bonos malis vrgeri, malos bonis potiri ſæpe videãt: quapropter Deum nullum eſſe exiſtimant, qui res hominum curet; ſed cuncta caſu, ac temerè contingere. Ab iis primùm percunctari libet, quæ bona propriè, ac mala appellẽt: quos etiam bonos, quóſve malos eſſe ſibi perſuaſum habeant? nam ſi quis quæreret; cur tot infirmitatibus bene valentes affici, aut cur ægroti tanta incolumitate frui videantur? ſanè non vulgare, aut leue paradoxum proponeret: neque enim ægritudo bene valentes præſtat, ſed incolumitas: neque incolumitas, ſed ægritudo ægrotos reddit: ita cùm bonos malis affici: contrà malos bonis gaudere obiiciunt, id non modò paradoxum, ſed à ratione alienum videri debet, niſi quo ſenſu hæc intelligenda ſint, explicetur: neque enim qui boni ſunt, malis affici; aut malos ſimul bonis potiri poſſe credimus.

Bona igitur quædam eſſe, quæ verbo tenus bona ſint: contrà verò mala aliqua appellari, quæ reuerà bona ſint, iis perſpectum eſt, qui diuitias, honores, imperia, quibus improbos, ac ſceleſtos cumulatos ſępiſſimè videmus, nõ vera eſſe bona rectè iudicãt, licèt bona in hominum exiſtimatione ſint: atque è regione morbos, carceres, inediam, exilia, cruces, tormenta, & id genus alia, quæ homines mala eſſe iudicant, tanquam vera bona amplectuntur, quæ ad virtutẽ ſtimulos admouent. Quapropter Seneca lib. de prouidentia. *Nolite* (inquit) *obſecro vos, expaueſcere iſta, quæ Dij immortales velut ſtimulos admouent animis. Calamitas virtutis occaſio eſt: illos meritò quis dixerit miſeros, qui nimia fœlicitate torpeſcunt, quos velut in mari lento trãquillitas itineris detinet?* Et paucis interiectis. *Digni viſi ſumus Deo, in quibus experiretur, quanta humana natura poſſet pati: fugite delicias, fugite eneruatã fœlicitatẽ, qua animi marceſcunt.* Plotinus etiam contra Gnoſticos, plura ex his quæ vulgò mala exiſtimantur, bona eſſe locupletiſſimè demonſtrat. Vide quæ ſcribit Boëtius lib. 2. de conſolat. vbi quæ ſint aduerſæ fortunæ bona, quæ etiam proſperæ mala luculentiſſimè declarat. Heſiodus quoque (teſte Plutarcho) quæ mala cõmuniter nuncupantur, perſequutiones, calamitates, rerum iacturas, velut Deorum munera venerabatur. Opes verò, honorum faſtigia, imperia ita contempſit, vt fortunæ ludibria appellaret: quòd etiam Crates ille Thebanus exemplo docuit, qui magnum auri pondus in mare proiiciens: *Abite* (inquit) *malæ cupiditates, ego vos mergam, ne ipſe mergar* Quapropter Bias ille Prienæus, qui inter ſeptem Græciæ ſapientes numeratur, teſte Tullio, nec bona ea eſſe credidit, quæ hoſtis raperet, neque aliud, quàm virtutem, bonum eſſe exiſtimauit, cùm deuaſtata ab hoſtibus patria, nihil præter virtutem ſecum ferens, ait, *Omnia bona mea mecum porto*; quod velut ſapientiſſimè dictum Tullius ſummis laudibus celebrat. *Ille* (inquit) *hæc ludibria fortunæ, ne ſua quidem putauit, quæ nos appellamus etiam bona. Si quid rectè fit, & honeſtè, & cum virtute, id bene fieri verè dicitur; & quod rectum, & honeſtum, & cum virtute eſt, id ſolum opinor bonum.*

Senec. lib. de prouid.

Plotinus contra Gnoſtic.

Boëtius lib. 2. de coſolat.

Heſiodus.

Crates Theban.

Tull. in parad.

Ex his, qui boni, quive mali propriè nuncupandi ſint, apertum eſt: nam cùm vera bona tantùm virtutes ſint, quibus ad id, quod honeſtum eſt, ac ſolum bonum eſt, allicimur: mala verò vitia, ac prauæ animi cupiditates,

que

quæ à bono reuocăt, haud immeritò credantur; ſolos igitur eos bonos cenſeri æquum eſt, qui virtutem, quæ nulli malo eſſe poteſt, aſſequuntur: malos verò eos tantùm iudicari, qui vitiis, ac vitę voluptatibus animum eneruant, ac virtutes, quæ vera bona ſunt, à ſeipſis expellunt.

Cùm igitur vitia, ac prauæ animi cupiditates probis non noceăt, vtpote qui iis abdicatis virtutibus vacant, ſanè non rectè ſentiunt, qui bonos hiſce malis affici credunt. Rurſum cùm malos vitiis, ac voluptatibus indulgentes, bonis gaudere arbitrantur: planè malè de bonis iudicăt, qui inter voluptates, & vitia vera bona collocant. Bonos ergo tantùm bonis gaudere, qui cùm virtutibus animum imbutum gerant, quod rectum, ac honeſtũ eſt, proſequuntur. Malis contrà nonniſi mala contingere exploratum ſit, ſi de vêris bonis, ac malis non vulgi, ſed ſapientum opinione agendum ſit. Si verò nõ de veris, ſed de exiſtimatis tantùm bonis, ac malis vulgi opinione agatur; qua preſſurę, calamitates, anguſtię, ignominię mala cenſentur: contrà opes, honores, deliciæ, rerum abundantia inter meliora bona reputantur: non eſt, cur diu in hac quæſtione ſoluenda immoremur. Ita enim in iis Dei prouidentia elucet: vt bonis quidem calamitates, rerum iacturæ, & quæcunq; vulgò pœnę mala nuncupantur, ad æternæ vitæ coronã conferant. Malis verò luxus, cõuiuia, deliciæ, voluptates ad perpetuũ luctum cedant, vt hinc vitio pœna, virtuti præmium emanaret; vt diſertè aſſerit Lactant. de ira Dei c. 20. *Cur ergo, (inquiet aliquis) & qui peccant ſæpe fælices ſunt, & qui piè viuunt ſæpè miſeri? quia fugitiui, & abdicati liberè viuunt: & qui ſub diſciplina patris, aut domini ſunt, arctiùs, & frugaliùs: virtus enim per mala, & probatur, & conſtat; vitia per voluptatem: nec tamen ille, qui peccat ſperare debet perpetuam impunitatem, quia nulla eſt perpetua fælicitas:*

Lactant. de ira Dei cap. 20.

—— ſed ſcilicet vltima ſemper
Expectanda dies homini eſt, dicíque beatus
Ante obitum nemo, ſupremáque funera debet.

Huc ſpectat quod ait Nilus Abbas apud Damaſ. in Paral. lib. 2. cap. 67. *Aiunt nonnulli, quî fit, vt iuſti imbecillitate, atque inopia conflictentur: iniuſti contrà robore, atque opibus polleant? quid itæ nimirum, vt illi coronentur, hi autem ſempiternis ſuppliciis excrucientur.*

Nilus Abbas apud Dam. Paral lib. 2. cap. 67.

Sed illud ſilentio prætereundum non eſt, quod tandem Atheiſtis Deum nullum eſſe perſuadet: cùm vera mala, vitia ſcilicet, & peccata, quæ cum ſumma Dei bonitate pugnant, per Orbem diffundi aſpiciũt: ita enim ſecum plerique ratiocinantur, ſi Deus optimus Orbis moderator eſſet, qua ratione mala fieri permitteret? ſi omnipotẽs, cur ea longè non expelleret? ſi ſapientiſſimus eſt, qua prouidentia illa in humanum genus fert graſſari? His diſertiſſimè Lactantius reſpondet lib. de ira Dei. *Deus* (inquit) *cùm formaſſet hominem, veluti ſimulachrum ſuum, quod erat diuini opificij ſummum, inſpirauit ei ſapientiam ſoli, vt omnia imperio, ac ditioni ſuæ ſubiugaret; omnibúſque mundi commodis vteretur: propoſuit tamen ei & bona, & mala; quia ſapientiam dedit, cuius omnis ratio in diſcernendis malis, ac bonis poſita eſt: non poteſt enim quiſquam eligere meliora, & ſcire quid bonum ſit, niſi ſciat ſimul reiicere, ac vitare, quæ mala ſunt; inuicem enim ſibi alterutrum connexa ſunt; vt ſublato alterutro, vtrunque tolli ſit neceſſe. Propoſitis igitur bonis, maliſque; tum demum opus ſuum peragit ſapientia; & quidem bonum appetit ad vtilitatem, malum reiicit ad ſalutem. Ergo ſicut bona innumerabilia data ſunt homini, quibus frui poſſet, ſic etiam mala quæ caueret: nam ſi malum nullum ſit, periculúmque: nihil denique quod lædere hominem poſſit; tollitur omnis materia ſapientiæ, nec erit homini neceſſaria.* Vides ergo primùm ex Lactantio mala non incommodè ad exercendam hominis ſapientiam à Deo permitti. His adde, & ad liberã hominis arbitrij facultatem illuſtrandam, eadem à Diuina prouidentia ordinari; quod ipſa diuina Sapientia teſtatur Eccleſ. 15. *Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Id confirmat Hilarius Arelat. Hom. 4. ad Epiphan. *Malum* (inquit) *ad hoc eſſe permiſit, vt bonam partem voluntate deflecteret, & mandatum Dei non neceſſitate, ſed virtute perficeret: atque alterutram viam, non caſu perurgente, ſed iudicio eligente tranſiret.*

Lact. l. 2. de ira Dei.

Eccleſ. 15.

Hilar. Arel. ho. 4. ad Epiphan.

Malum præterea ad ampliorem ſuæ potentiæ declarationem, quam non tam in bona, quàm in mala extendit, Deum permittere docet Aug. in Enchirid. *Deus* (ait) *omnipotens nullo modo ſineret malum aliquod eſſe in operibus ſuis, niſi vſque adeò omnipotens eſſet, & bonus, vt benefaceret etiam de malo.* Neque enim eximiæ virtutis eſt bonis bene vti, id autem maximæ poteſtatis eſt (teſte Plotino) malis etiam bene vti. Hinc Boët. de conſol. lib. 4. *ſola* ait *eſt Diuina vis, cui mala quoque bona ſunt, cùm eis competenter vtendo alicuius boni eliciti effectum.*

Aug. in Enchirid.

Plotinus.

Boet. de conſol lib. 4.

Hinc Diu. Clemens Alex. malorum permiſſionem etiam ad Diuinæ ſapientiæ opus refert lib. 1. Strom. his verbis: *Diuinæ ſapientiæ, & virtutis, & potentiæ eſt officium, non ſolùm bona facere (hæc eſt enim, vt ſemel dicam Dei natura, vt ignis calefacere, & lucis illuminare) ſed illud quoque maximè, vt id, quod per malos aliquos excogitatum eſt, ad bonum aliquem finem, & vtilem deducat; vt vtiliter his, quæ videntur, malis vtatur,* &c. Nam cùm ad vniuerſi pulchritudinem ac perfectionem pertineat (vt ait Plato in Timæo) mala bonis miſceri: & mala, quæ in mundo videntur, ideo inuenta ſint, vt ceu rerum antitheſes eſſent, quæ verborum elegantiam pariunt, aut vocum, ac ſonorum diuerſitas, vnde vel concinna oratio, vel ſuauis concentus erumpit. Inde

Clem. Alex. lib. 1. Strom.

Plato in Timæo.

ſummam Dei ſapientiam admiramur, quæ malis poſtquam facta ſunt, ad totius naturæ ornamentum opportunè admodum vti ſolet. *Quamobrem* (ait Iſidorus de ſummo bono) *non permitteret Deus mala oboriri, niſi ex contrariis malis naturæ decor emineret.* His ſuffragatur, quod ait Auguſt. de Ciuit. Dei, vbi mala nigro colori comparat, qui tametſi ſibi ſordeſcat: tamen aliis picturæ coloribus admixtus iis ornamentum præſtat. *Sicut pictura* (ait) *cum colore nigro ſuo loco poſita: ita vniuerſitas rerum, ſi quis poſſet intueri cum peccatoribus, pulchra eſt, quã uis per ſeipſos conſideratos ſua deformitas turpet.*

Iſid. de ſum. bon.

Aug. de Ciuit. Dei.

A

Inde etiam & gratiora bona apparent, & virtutes magis commendantur, dum malorũ cõparatione magis enitẽt, quod teſtatur Aug. in Enchir. *Malum* (inquit) *bene ordinatum, & ſuo loco poſitũ, eminẽtiùs cõmendat bona, vt magis placeant, & laudabiliora ſint, dum comparantur malis.*

Aug. in Enc.

B

Nihil præterea eſt, quod magis ſapientiſſimam Dei prouidentiam commẽdet, quàm cùm non tantùm bona, ſed etiam mala, quæ inordinata videntur, ad optimum finem, ac ordinem cogit. Nam ſi alicuius exercitus Imperator tanta mẽtis ſagacitate præſtaret; vt nõ modò ſui exercitus milites: immò & ipſos hoſtes pro illo pugnare, ac ſuæ victoriæ inſeruire cogeret, illius meritò prudentiam admiraremur. At cur Dei prouidentiam non ſumma admiratione proſequimur; quæ non modò bona, ac virtutes; ſed quod mirabilius eſt, ipſa quoque vitia, ac peccata, quæ perpetuum cum ipſo bellum gerunt, ad electorum triumphum ordinat?

C

Ex quo illud etiam colligimus, mala in clementiæ ſignum à Deo permitti; vt ea ad maiorem electorum vtilitatem transferat: vt teſtis eſt Paulus noſter ad Rom. 12. *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, vbi gloſa explicat; *etiam peccata.* Quid verò eſt, in quo magis diuinam prouidentiam contemplari æquum ſit, quàm cùm vitiis ipſis ad virtutem augmentum vtitur, & quę ſuapte natura bonis inimica ſunt, incredibili ſua erga electos benignitate efficit, vt illis ad ampliora bona adipiſcenda, non vulgaria adiumenta ſint? vt præclarè quoq; docet Aug. lib. de corrept. & gratia. *Vſque adeò* (ait) *Deus cooperatur in bonum, vt ſi qui horum deuient, & exorbitẽt, etiam hoc ipſum faciat proficere in bonum: quia humiliores redeunt, atque doctiores, vt Petrus, &c.*

Ad Rom. 12.

Gloſa.

D

Aug. de correp. & grat.

Hoc inſigne illud diuinæ prouidentiæ miraculum eſt, quod vehementer Boëtius admiratur lib. 4. de conſol. cùm ait. *Ex quo ſæpe ſumma illa prouidentia protulit inſigne miraculum, vt malos ex malis bonos faceret. Nam dum iniqua ſibi à peſſimis quidam perpeti videntur, noxiorum odio flagrantes ad virtutis frugem rediêre: dum ſe eis diſſimiles ſtudent eſſe, quos oderunt.* Ita fit (optime Deus) vt tibi Euãgelica ſerui illiùs verba, licèt alio ſenſu prolata commodè aptari pòſſint.

Boëtius lib. 4. de conſol.

E

Matth. 25.

Metis vbi nõ ſeminas; & colligis, vbi nõ ſpargis: neq; enim vnquam malorum ſatorem te quiſpiam niſi prorſus impius dicere auſus eſt, cùm tamen innumeram ex malis bonorum ſegetẽ te quotidie metere nemo nõ agnoſcat.

Huius rei innumera prætereo exempla. Qui namq; in Luciferi culpam mentis oculos iniicit, eam adeò ingentem eſſe iudicat, vt cùm natura præſtantiſſimus à Deo conditus eſſet, eò temeritatis euaſerit; vt ſummam Dei excellentiam appetere, ac velut illum è cœlo deturbare auſus fuerit: neque id ſatis viſum fuit, niſi puriſſimas tot Angelorum mentes diabolica hac temeritate labefactaret, ac eodem caſu ſecum inuolueret. At ſummã Dei clementiam, ac ſapientiam perpende, quæ inde hominis creationem, ac totius mundi opificium excogitauit, iuxta Bernardi ſententiam, quò deſertas illas Angelorum ſedes beatorum numero repleret. Neq; ſanè leuior fuit Adæ, & vxoris præuaricatio, qui omnibus naturæ, & gratiæ donis à Deo cohoneſtati: ita Deo contempto propriæ excellentiæ libidini inhæſerunt, vt quamuis adhuc terræ puluere, quo nuper conditi fuerant, ſordeſcerent; diuinam tamẽ ſimilitudinem appetere veriti non fuerint: vnde ſibi, ac toti humano generi culpæ damnum, quo ſe ſuosq; æternæ morti adiudicarent, conciliarunt. Verùm en admirabilem Dei prouidentiam, quæ ex vno Adæ malo adeò innumera, ac ineffabilia bona legit: vt inde Diuini verbi incarnatio, humanæ naturæ aſſumptio, hypoſtatica vnio, Chriſti noſtri paſſio, Orbis redemptio perfecta fuerit; vt nõ abs re dixerit Paulus Rom. 5. *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia*: & fœlicẽ quodammodo Eccleſia eam culpã eſſe affirmet, quæ nobis cum Redẽptore tot bona peperit. Quis demum ſæuas illas Romanorum Principum perſecutiones in naſcẽtis Eccleſiæ exordio commotas: tot poſt has Hæreticorũ bella, tot crudelitatum genera, tot ſchiſmata in Eccleſia olim graſſari ſecum recolit, qui ingentia ea crimina eſſe non agnoſcat? An non ingens crimen fuit Vriæ ſtrages Dauidis imperio patrata, eiuſdem cum Berſabea concubitus, Petri negatio, Sauli perſecutio, Thomæ infidelitas, Mariæ Magdalenæ publica inhoneſtas: quibus omnia infici, ac labefactari potiùs, quàm reſtaurari deberent? Sed (ô miram Dei prouidentiam) quot ex Tyrannorum tabie fulgentes Martyrum coronas, quot Confeſſorum triumphos legerit, recũ animo verſa: quot etiam ex Hæreſum afflictatione Doctorum cuneos conflarit. Ambroſios nimirũ, Auguſtinos, Hieronymos, Gregorios, Hilarios, qui fidem præclariſſimis ſcriptis illuſtrarunt. Quid Dauidis ſcelus? An non ſingulare pœnitentiæ exẽplar Orbi peperit cunctis imitandum? Quid ex Magdalenæ crimine, præterquàm perfectam humilitatis, ac compun-

D. Bernard.

Rom. 5.

ctionis

Digitized by Google

ctionis normam nobis reliquit? Mala equidē fuit Petri negatio; ſed quæ aliquando ſtabilem ex Dei ſapientia, atq; immotam Eccleſiæ columnam fundaret: mala fuit Sauli perſecutio: at ea nobis Paulum dedit, Gentium Doctorē genuit, electionis vas protulit. Mala denique Thomæ infidelitas fuit, ſed longè melior præſtantiſſima illa fidei confeſſio, quæ ab eo profecta eſt, cùm Chriſti Diuinitatem profeſſus ait, *Dominus meus, & Deus meus.*

Hæ nimirum illuſtriores Diuinæ gloriæ ſignificationes ſunt, hæc rutilantia illius diademata, quæ ex bono malorum vſu ſibi comparat, dum malos vitiorum maculis exutos ad niueum iuſtitiæ candorem euehit. De his enim decantabat ſponſa in Cant. *Veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum.* Ecquidnam ſanè eſt, quod regiam Diuinæ prouidentiæ excellentiam, qua rebus omnibus dominatur ita coronet, quàm cùm ea peſſimi quique, ac flagitioſi homines, qui Leonum ac Pardorū naturā, morum feritate, ac vitiorum maculis præferebāt, ad manſuetā hominum naturam, & Chriſtianæ regulæ diſciplinā pertrahūtur?

Cant. 4.

Poſtremò permittuntur mala, vt & probis præmia de iure debeantur, qui cùm ad mala declinare potuerint, ſuoptè arbitrio à malis abſtinuerunt. *Qui* enim teſte Eccl. 31. *potuit facere malum, & non fecit, tranſgredi & nō eſt tranſgreſſus, hic mirabilia fecit in vita ſua, ideò ſtabilita ſunt bona illius.* Et malis iuſtè ſupplicia decernūtur: qui cùm mala euitare potuerint, ſpōtè in ea prolapſi ſunt, ex quibus Diuinæ prouidentiæ ordo mirificè declaratur, quæ mala ita in mundo diſpenſat, vt partim ad electorum præmia, partim verò ad reproborum pœnas, ad perfectam Diuinæ iuſtitiæ legem manifeſtandam ordinet. Hinc Aug. lib. de nat. boni ait. *Meliùs ordinatur natura, vt iuſtè doleat in ſupplicio, quàm impunè gaudeat in peccato.* Plures huc rationes vocari poſſent, quę diuinam hanc in malorum permiſſione Dei prouidentiam illuſtrant. Sed hæc aduersùs primam Atheiſtarum opinionem ſufficiant.

Eccleſ. 31.

Aug. lib. de nat. boni.

Contra ſecundam Atheiſtarum opinionem de fato.

ARTICVLVS XIV.

ALTERA Atheiſtarum opinio, qua Diuinam prouidentiam cum ipſo Deo è mundo tollūt, ea eſt, qua vniuerſa fato, ac ineuitabili cauſarum neceſſitati ſubiiciunt, quæ cū pręcedēti ex diametro pugnat. Prior enim opinio cūcta cæco ac incerto cuidam rerum euentui, quem caſum, ac fortunam vocabant, committebat. Hęc verò certam, ac neceſſariā quandam cauſarum conſtitutionem à Deo, & à Dei prouidentia ſecluſam ex æternitate fluentem ſibi fingit, quam fatum appellat: ex qua vniuerſos rerum euentus ineuitabiliter pendere affirmat.

Duo igitur hîc nobis exponenda ſunt, primum, quid fatum ſit ex ſententia Philoſophorum, & Atheiſtarum: alterum, an aliquod ſit huiuſmodi Atheiſtarum fatum, quod rebus humanis dominetur.

Quod ad primum attinet, fuit ſentētia antiquiſſimi Mercurij Trimegiſti in Pimandro Dial. 1. quam etiam confirmat Dial. 12. fatum eſſe Aſtrorum diſpoſitionē, quæ corporibus, ac corporeis rebus tātummodò dominatur. *Omnia,* inquit, *fati ſunt opera, fili, abſque illo nihil eſt corporalium.* Hominis enim animam præſertim virtute, ac Dei gratia præditam, nequaquam huic fato ſubiicit: ſed fato omni ſuperiorem eſſe docet, his verbis. *Si diligenter litigioſas captiunculas euitaueris, inuenies, abſque dubio, quòd mens anima Dei dominetur fato, legi, ac cæteris vniuerſis: neque aliquid illorum, quæ ad fatū ſpectant, impoſſibile ſit menti: ideoq; humanus animus fato ſuperior: non tamen, quæ fato ſubiecta ſunt, negligit.* Hoc tandem fatum Diuinæ prouidētiæ legi ſubiacere, atque ab ea regi, atque ad nutum diſponi diſertè affirmat Dial. 1. cùm ait. Prouidentiam per fatum, harmoniamque conflaſſe mixtiones, quibus verbis annuere voluit, Diuinam prouidētiam Aſtrorū diſpoſitionibus, ac cœlorum motibus vti ad rerum generationem, ac tranſmutationem. Ita fit, vt Mercurio fatum non aliud ſit, quàm Aſtrorū influxus in corpora, ſub Diuinæ prouidentiæ lege conſtitutus: quam ſententiam ſequitur Ptolomęus, qui fatum eſſe dixit virtutem cōſtellationum immobilem. Platonis verò ea de fato ſentētia fuit, vt nihil fatum eſſe exiſtimauerit, præterquàm immobilē Dei legem, qua res humanas, per cœleſtiū orbium naturā, quā fati inſtrumentū vocat, ac per elementorum molem, velut per materiā, adminiſtrat. Hinc fati nomen vſurpat bifariam (Nemeſio teſte) aliud enim in ſubſtātia, aliud in muneris functione ponit. Quod in ſubſtantia ponitur animam vult eſſe vniuerſi: quod in muneris functione Diuinā legē immutabilem ob cauſam ineuitabilem eſſe vult: quā legē etiā Adraſtiā dicit, eamq; à primo, ſummoq; Deo, vniuerſi animæ, ad omnium adminiſtrationem datam eſſe, per quam omnia quæ fiunt, gubernentur. Hoc fatum in muneris functione poſitū, etiam prouidentiam appellat. Nam à prouidētia fatū comprehendi vult. Quidquid enim fato fit, etiam prouidentia fieri, non tamen quidquid fit prouidentiæ, etiam fati eſſe. Ipſa autem diuina lex, quam ait eſſe prouidentiam, & fatum, omnia in ſe complectitur.

Mere Trimeg. in Pimand. Dial. 1. & 12.

Ptolomæus Plato.

Nemeſius.

Fatum apud Ariſtotelem 5. Phyſic. præter ipſum naturalem cauſarum ordinem, ac efficientiā, nihil eſt. Quamobrē Alexāder Aphrodiſeus ex Peripateticorum ſententia multis

Ariſt. 5. Phyſic. Alex. Aphrod. in libello de fato.

argumentis probat fatũ à natura non differre, in libello, quem de fato ad Antonium edidit.

Seneca in quæſt. natural.

Seneca verò quid de fato ſenſerit, explicat in quæſtionibus naturalibus: vbi fatum omnium rerum & actionum neceſſitatem appellat, quam nulla vis poteſt irrumpere, ex Iouis diſpoſitione, definitóque conſilio Deorum: ex quo liquet fatum ex ſententia Senecæ eſſe ipſam inuiolabilem Diuini conſilij executionem. Neq; à Seneca diſcrepãt, quæ Apuleius Medaurienſis olim de fato tradidit, cùm fatum appellauit cauſarum complexionem ex prouidentia primæ cauſæ dependentem, cùm & ipſa Diuini conſilij executio circa res humanas, ſub Diuinæ prouidentiæ lege contineatur. Hanc ſententiam de fato prior tradidiſſe videtur Homerus, cùm de Parcis agens, quas Iouis filias ſibi effingebat, ait:

Apul. Medaur.

Homerus.

Non eſt qui fixas Parcarum auertere leges,
Effugere aut poßit.

Virg. 1. Æneid.

Quam deinde amplexi ſunt vniuerſi ferè Poetæ. Virgilius primo Æneid.

Parce metu Cytherea, manent immota tuorum
Fata tibi, cernes vrbem, & promiſſa Lauini
Mœnia; ſublimémque feres ad ſydera cœli
Magnanimũ Aeneã, neque me ſentẽtia vertit.

6. Æneid.

Tum lib. 6. Æneidos.

Deſine fata Deum flecti ſperare precando.

Et illud Deiphobi.

Sed me fata mea, & ſcelus exitiale Lacenæ,
His merſêre malis. ——

Iuuenal. Sat. 7.

Iuuenalis Satyra 7.

Sydus, & occulti miranda potentia fati
Sero regna dabunt, captiuis fata triumphos.

Apollinis orac.

Hinc illud eſt Apollinis oraculum.

Tũc quoq; & horrifico percuſſũ hoc fulmine tẽplum
Ardebit; ſic ſtat fatorum immobilis ordo.
Ferre autem longè præſtat quodcunque ſeuera,
Et fixa, & ſtabili ſtatuerunt lege ſorores.

Tull. de Diuinat. lib. 1.

Neque ab hac ſententia Tullium diſtare exiſtimo, cùm in lib. 1. de diuinatione, de fato ita ſcribit. *Fatum appello* (inquit) *quod Græcè εἱμαρμένην, id eſt, ordinem, ſeriemq; cauſarum, cùm cauſa cauſæ nexa rem ex ſe gignat; ea eſt ex omni æternitate fluens veritas.* Atq; hanc Stoicorum fuiſſe ſententiam, cùm fatum ſempiternam quandam cauſarum ſeriem ac nexum appellarunt, nonnulli ſibi perſuadent ex verbis Auguſtini lib. 5. de Ciuit. Dei c. 8. *Qui*, inquit, *non aſtrorũ conſtitutionem, ſed omnium connexionem cauſarum fati nomen appellant, non multum cùm eis de verbi controuerſia laborandum eſt, quandoquidem ipſum cauſarum ordinem, & quandam connexionem Dei ſummi tribuunt voluntati, & poteſtati.* At certè communis Stoicorum ſententia fuit, vnum Deum eſſe, ipſúmque & mentem, & fatum, & Iouẽ nominari. Atqui Auguſtinus c. 9. ſecus de Stoicorũ ſententia iudicat, quã velut cum Diuina prouidentia pugnantem reprehendit.

Aug. lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 8.

Ex his patet, quid illuſtriores Orbis Philoſophi de fati natura ſenſerint, ac docuerint.

A Alij enim ſyderum actiones in infinita corpora idcircò fatum eſſe dixerunt, quòd eas cauſas vniuerſales eſſe agnoſcerent, quæ neceſſariò in particulares agunt; atque hi parum ab iis diſtant, qui fatum naturam eſſe aſſerũt, cùm orbium cœleſtium motus ad naturę iura pertineant, ac naturalem & neceſſariam actionem ſibi inſitam habeant. Alij verò Diuini conſilij executionem fatum appellarunt, qui in eo quidem rectè ſenſerunt, quòd eam inuiolabilem eſſe docuerunt: at in eo probãdi non ſunt, quòd eidem fati neceſſitatem tribuerunt, cùm Dei prouidentia rebus neceſſi- B tatem non imponat. Qui denique fatum ita naturam eſſe docuerunt, vt quæ ad electionẽ, vel rerum contingentiam ſpectant, extra fati naturam reponerent: ij fortè cæteris meliùs ſenſerunt, quandoquidem fatum omne, ac neceſſitatem à rebus expulerunt. At quamquam ij in fati natura explicanda nonnihil inter ſe diſcrepauerint, in eo tamen vniuerſi conſenſerunt, quòd fatum omne Diuinæ prouidentiæ legibus ſubiecerunt.

Reſtat iam, vt quid de fato Atheiſtæ ſentiant, explicemus. Alij quidem ex Stoicorum ſententia ita ſuam contexuerunt, vt C quod in ea reprobum, ac ſpurium erat, ſibi vendicarint; quod verò vtile, ac legitimũ fuit, abiecerint: impium enim, & à cæteris Philoſophis improbatum fuit; quod vniuerſa à fato gubernari, quòd ea proinde quę volumus, nolumúsque, ex fati neceſſitate, ac inſuperabili dominio pendere, quòd denique Diuinã prouidentiam ab Orbe exulare ſtatuant; hoc ſibi Atheiſtæ arripuerunt, ac velut fatale dogma ſibi ſtatuerunt: verùm quòd illi Deum vnum fatentur fato, ac rebus omnibus dominantem, quòd illius imperium agnoſcunt, quòd fatalem neceſſitatem ſub Deo conſtituunt, D quòd in eorum ſententia rectum, ac legitimum erat, hoc illi prorſus repellunt.

Hæc igitur Atheiſtarum de fato ſententia eſt, quam tum ex Stoicis, tum ex Chryſippo, tum etiam ex Aulo Gellio, qui verba Chryſippi exponit, hauſerunt; cùm fatum dicunt, eſſe ſempiternam quandam, & indeclinabilem ſeriem rerum, & velut catenam ſeſe implicantem per æternos conſequentiæ ordines, extra Deum, ac Diuinam prouidentiam, vniuerſa ſuæ neceſſitati alligantem.

Alexand. Aphrod.

Qua verò potiſſimùm ratione hanc fati neceſſitatem aſtruant, declarat Alexander E Aphrodiſeus duplici poſitione. Prima eſt, quòd ea, de quibus aliquis verè dixerit, non fore, ex neceſſitate non erunt. At quandoquidem de iis omnibus, quæ extra fatum, ac certum cauſarum præfixarum ordinem ſunt: vel, vt quæ fiant (vt ita dixerim) fatata non ſunt, verè non fieri quiſpiam dixerit, ea cùm fato, vt ſint, deſtinata non fuerint, ex neceſſitate non erunt. Secunda poſitio eſt, quòd ea

de

de quibus verè quiſpiam dixerit,fore,fato, & ex neceſſitate erunt:ſed de illis omnibus,quæ eueniunt,quis fore ea verè prius dixerit?cuncta igitur fato,& ex neceſſitate eueniunt : ita fit , vt duplicem rerum ordinem conſtituant, in primo ſunt res,quæ nullo vnquam tempore futuræ ſunt : quæ idcircò futuræ non ſunt, quòd eſſe fato prohibeãtur:in altero ſunt res, quæ futuræ ſunt:quæ cùm fato vrgente in rerum naturam aliquando erumpere cogantur, fati etiam neceſſitati ſubiiciuntur.

Placet igitur Atheiſtis id ſolùm fieri poſſe, quod aut verum ſit fieri, aut verũ ſit futurum eſſe : id autem quod fit, aut futurũ aliquando eſt, vt fiat, ex immutabili cauſarũ neceſſitate (quam fatum vocãt)fieri oportere dicũt.Exẽplum eſt apud Tulliũ lib.de fato. *Si ſic(inquit) diceretur ; Morietur noctu in cubiculo ſuo Scipio vi oppreſſus,verè diceretur,quòd eſſet futurũ ex cauſarũ ſcilicet fatalitate: futurũ antẽ fuiſſe,ex eo quod factũ eſt,intelligi debet:* Ita fit,vt ex Atheiſtarum decreto omnis penitus poſſibilis , ac contingentis natura è medio tollatur. Cõfirmari poteſt hæc Atheiſtarum aſſertio duplici Stoicorum ratione , quam Tullius deducit eodem libro. Omnia quæ fiunt,cauſis fiunt antegreſſis : nõ enim eſt motus ſine cauſa(vt ibidem probat) neq; aliquid fieri poteſt,cuius non aliqua efficiens cauſa præceſſerit : quod ſi ita eſt, poſito hoc neceſſario cauſarum ordine efficitur , vt fato fieri neceſſe ſit,quæcunq; fiũt. Altera ratio eſt,quam idẽ Tullius,eo loco ex Diodoro contra Epicurũ colligit Id omne quod enunciatur,aut verum eſt,aut falſum:ſi alterutrum ex æternitate verum ſit , id etiam eſt certum; & ſi certum , id quoque neceſſarium : hinc omnia fato euenire , & ex cauſis æternis res futuras neceſſariò pendere colligunt.

Tull. lib. de fato.

Supereſt igitur,vt in primis hanc Atheiſtarum ſentẽtiam falſam,ac impiam eſſe,& nullum in Orbe fatum rebus dominari oſtendamus ; deinde oppoſita argumenta diluemus. Tullius lib.de Diuinatione,hãc ſententiã,quę omnia fato,ac ineuitabili neceſſitati,nihil verò aut Dei prouidentiæ,aut hominis volũtati tribuit, adeò intolerabilem exiſtimat , ob incommoda,quæ illã ſequuntur: vt cũ Epicuro potiùs omnem prorſus diuinationem, ac futurorum præſcientiã à Deo tollere, & Epicuriani erroris plagam accipere, quã cuncta fati neceſſitati ſubiicere ; minùs ſibi perniciosum duxerit. *Qui enim*(inquit)*introducunt cauſarũ ſeriem ſempiternam,ij mentem hominis voluntate libera ſpoliatam neceſſitate deuinciunt* ; quod planè intolerabile videri debet, cùm potiori eũ naturæ dono ſpoliẽt:prẹterea hac ſententia omnis è vita tollitur actio.Hinc enim ignaua illa ratio ducitur(vt Tullio placet)quæ à Philoſophis ἀργὸς λόγος appellatur ; qua ſic plerique interrogant. Si fatum tibi eſt ex morbo conualeſcere,ſiue medicum adhibueris,ſiue non,

Tull. lib. de Diuin.

A cõualeſces.Item,ſi fatum tibi eſt ex hoc morbo non conualeſcere; ſiue tu medicum adhibueris,ſiue non,non conualeſces:& alterutrũ fatum eſt:medicum ergo adhibere nihil attinet. Hoc argumẽtationis genus ignauũ prorſus,atque iners D.Bonauentura ſtultam argumentationem vocat:quæ omnem prorſus rationem,ac vitæ commoda euertit ; nam eadẽ ratione ita etiam argui poſſet:ſi fatum tibi eſt, vt hoc anno viuas,ſiue comedas,ſiue non,viues : ſuperfluus igitur tibi eſt ciborũ eſus. An non hominũ vitam,leges omnes,& cõmercia (ſi cuncta fato ineuitabili eueniunt) ab hominibus pellere oportet? vbinam pręmiis,ac ſuppliciis locus erit ? Planè vitia, & virtutes vno fati ictu transfixa , vno interitu occumbent; conſilia euerti neceſſe eſt:otia ac ignauiam in Orbe nutriri. Quibus etiam maximis flagitiis aditus non patebit?quibus virtutibus non occluditur,ſi fati neceſſitas adſit? Tãdem id fieri opus eſt , vt omnem iuſtitiam, fidem,pietatẽ, Religionem,& quæcunque præclara vitæ honeſtioris ornamenta cenſentur:demum quicquid honeſti, ac commodi in hominum vita eſt,omnino trucidari,ac interire credamus.

D. Bonauẽt.

B

C Certè ſi natura in neceſſariis nõ deficit,nec ſuperflua eſt (vt Philoſophis notũ eſt) ea vim conſultandi , ac futura prouidendi hominibus tribuit , qua & aduerſæ fortunæ caſus, & pericula euitare poſſint. At ſi illi omnia ad fati neceſſitatem reuocãt; quid conſilia,ac rerũ agendarum prouidentiam à nobis exigunt; quã nobis,fruſtra ac otioſam à natura tributã eſſe volunt? Porrò quotidiana experiẽtia edocet hominẽ conſilio,ac prouidentia vti. Nam cũ homo vnus(quæ Plutarchi ratio eſt libello de fortuna)inermis inter cætera animãtia,nudusq; ſit à natura relictus;hunc vnũ animantium alienis velut opibus ditat : nam cæteris

Plutarch. lib. de fort.

D quidẽ varia tegumẽta tribuit,teſtas, cortices, coria,ſpinas,villos,ſetas,pilos, plumam,pẽnas, ſquammas,vellera:truncos etiam,arboréſque cortice interdum gemino à frigoribus, ac calore tutata eſt. Hominem tantùm nudum, & in nuda humo natali die lacrymabundũ abiicit;contenta vnum dediſſe,quo omnia moliri poſſet;nempe rationem,cõſilium,ac prudentiam:qua tandem fit,vt cæterorũ ſibi animantiũ bona vſurpet. Mel enim colligit, lac mulget,vellera cõficit;omnia demq; ſuo conſilio, ac prudentia in ſuos vſus transfert: quò fit,vt minùs fato tribuenda ſint , quæ homines ſua

E induſtria agunt. Quapropter ab hominum mentibus procul pellenda eſt huiuſmodi impietas, quæ homines ipſos non modò ea , qua verè homines ſunt,Religione,ac virtute ſpoliat,verùm & ab ipſa ratione,ac conſilio , ſine quibus homo prorſus eſſe non poteſt , remotiſſimos præſtat.

Plurima hîc argumenta agitari ſolent cõtra Stoicos,qui fati neceſſitatem ſimul cum Deo

admittunt, à quibus abſtinemus, cùm non
aduerſùs Stoicos,ſed aduerſùs Atheiſtas, qui
Deo è medio ſublato ſolam fati neceſſitatem
rebus dominari volunt, nobis decertandum
ſit. Tria igitur hîc dũtaxat argumenta Athei-
ſtis proponimus, quæ ſi diſſoluere nequeant,
ſanè exploratum erit, nullum in Orbe fatum
dominari.

Primum argumentum eſt, ex ipſa rerum
natura petitum. Cuncta enim quæ in Orbe
vniuerſo ſunt,ſecundùm naturam ſuam age-
re,atque intrinſecis cauſis naturaliter moueri,
omnes fatentur. Inanimata namq; mouentur
B per naturam,animata per naturam,& impul-
ſum; homo per volũtatem, & arbitrium. Ne-
mo enim ignorat lapidẽ ſuapte natura deor-
ſum moueri. Brutum natura, & appetitu ad
alimentum trahi. Hominem verò libera vo-
luntate,ac arbitrio ad quodlibet ferri. Id ſanè
Atheiſtæ infieiari non poſſunt: niſi rerum na-
turas, quas ante oculos habent, ac quotidie
oculis perſpiciunt,inuiſas habeant. Quòd cũ
ita ſit;inde certum eſt,nullum in mundo eſſe
fatum: nam cùm quælibet res iuxta propriæ
naturæ leges operentur, ac effecta, quæ ab iis
manant, à propria natura ſint: ac propterea
C naturalia dicantur, quis ea à fato proficiſci
credat? quod cum propria cuiuſlibet rei natu-
ra pugnat: neque enim ſimul eſſe poſſunt fa-
tum,& natura;vt idem ſit naturalis, ac fatalis
effectus: niſi fatum cuiuſque rei naturam vo-
cent: quod tamen Atheiſtæ haud ita eſſe ſen-
tiunt,cùm fatum æternam cauſarum colliga-
tionem eſſe velint naturæ contrariam: id exẽ-
plo manifeſtum fit. Nam ſi terreſtris vapor,
qui ſuapte natura ad imum tendit, fato co-
gente ad ſuperna aſcendat: iam aſcenſus ille
non erit naturalis effectus vaporis, ſed tan-
tùm cogentis fati: quo vaporis natura præter
D conſuetudinem ad oppoſitum cogitur; ita fit
vt fatum ex ſui ratione, cùm vim & neceſſi-
tatem inducat, omne proprium cuiuſque
naturæ opus deſtruat.

Vel igitur naturales rebus operationes non
adimunt, vel omnino expungunt: ſi naturæ
vim (vt par eſt) non extingant, iam nullum
eſt fatum; cùm (vt probatũ fuit) natura oppo-
natur fato,& quæ naturaliter fiunt,à fati coa-
ctione ſint libera. Demum vbi propria re-
rum natura domina eſt: inde fatum exulare
oportet; quod hac ratione confirmatur. Nam
cùm brutorum, ac inſenſibilium operationes
E ita à natura ad vnum determinatæ ſint; vt ali-
ter fieri non poſſint, niſi ab aliqua extrinſeca
cauſa impediantur. Ignis enim appoſito ſibi
combuſtibili in proxima diſtantia, non poteſt
illud non comburere: brutum quoque fame-
licũ appoſitum ſibi cibum nõ poteſt nõ degu-
ſtare, niſi aliũde impediantur, idq; à natura ha-
bẽt. Qua igitur ratione ad fatum confugiunt,
atque ad ea fato vrgeri exiſtimant? Planè his

A ſuperuacaneum fatum eſſe euinco; cùm illis
ſola ſatis ſit natura, neque vlla fati neceſſitas
his neceſſaria ſit. Supereſt ergo, vt ſolum ho-
minem fati neceſſitati ſubiiciant: ſed cùm is
libera naturæ facultate præditus ſit, an æquũ
eſt eum naturali, ac libera ſua facultate priua-
ri; vt cùm cæteræ res, quæ homine longè
ignobiliores ſunt, ſuis quęlibet naturæ opera-
tionibus potiantur, is libera, ac rationali pro-
priæ naturæ virtute frui non poſſit? Cùm igi-
tur libera homini ſuæ naturæ operatio dene-
gari non debet; patet iners omnino,& otio-
ſum in rebus humanis eſſe fatum.

B Hinc ſecundum argumentum colligimus, *Aug. lib. 5. de Ciu. Dei cap. 9.*
quod partim eſt Diui Aug. lib. 5. de Ciu. Dei,
cap. 9. partim Aphrodiſei lib. de fato cap. 12. *Aphrod. lib. de fato c. 12.*
Hominem ea natura præditum eſſe, vt velut
liberum animal ſuo arbitrio potiatur, & ad
quælibet eligenda, vel reſpuenda ita liberum
ſit, vt hæc quidem reſpuere, illa amplecti, &
denuò quæ amplexus eſt, ſuopte arbitrio te-
nuere valeat: non tam communis omnium
ſenſus, quàm ipſa quotidiana ſui experientia,
ac ipſa in nobis natura docet: nam ſublata hac
humanæ voluntatis libertate, nihil eſt, quòd
homo excellentiorem ſe præ cæteris animan-
C tibus exiſtimet: cùm eo,& homo ſui compos
efficiatur,& ius in cętera animantia exerceat.
Qua enim ratione iumenta nobis ipſis, vel ad
onera ferenda, vel ad vehendas merces inſer-
uire credimus; niſi ea nobis animo libertas
ineſſet, quà cætera animalia, quæ ea carere
conſtat, huc atque illuc iuxta noſtri arbitrij
leges cogere poſſemus? Cùm igitur humanæ
voluntates ſuapte natura liberæ ſint, neque
vlla vi cogi poſſint: ſanè manifeſtum eſt, eas
fati neceſſitati non ſubiici: nam qua ratione
fatum his imperitare credimus, quæ omnem
vim ac neceſſitatem ſua libertate expellunt?
D Pugnant ſiquidem inter ſe neceſſitas, & li-
bertas, vt liberum nullum eſſe poſſit, quod
aliqua neceſſitate cogitur. Tollenda igitur eſt
vel noſtræ omnino voluntatis libertas, ita vt
penitus nulla in homine ſit: quod planè eſt
hominis potiorẽ naturã euertere, quà cæteris
rebus eminẽtior eſt: vel omnino fatũ tolli ne-
ceſſe eſt, quo hominis libertas extinguitur.

Confirmatur: nam ipſimet Atheiſtæ docẽt,
diſcunt, hortantur, conſulunt, increpant, caſti-
gant ſuos ſeruos, tanquam propria voluntate
peccãtes. Vnde ridiculũ illud de Zenone fer-
tur, quod ſcribit Diogenes, qui cũ ſeruum ob
E furtum verberibus cæderet, clamante ſeruo, *Diogenes.*
fato ſe cogẽte furatum fuiſſe, etiam ego (ait) te
fato verbero. At quorſum hæc efficerent, ſi
omnia fati neceſſitate euenirẽt? Planè nullus,
neque diſciplinę, neq; hortationi, neq; cõſilio,
neq; ſuppliciis, quæ libertatẽ in homine tuẽ-
tur, locus ſupereſſet. Quòd ſi ipſi liberos hor-
tantur, inſtruũt, vt honeſta amplectãtur, ſi do-
cẽt, ſi cõſulunt, ſi increpant, iã id à libera illo-
rum

Digitized by Google

rum voluntate aſſequi ſperant; at quo pacto A ſperarent, ſi eos fato vrgeri exiſtimarent? cùm illud penitus inflexibile ſit; vnde eſt illud Poëtæ:

Deſine fata Deum flecti ſperare precando.

Conſtituta igitur hominis libertate fatum ruere neceſſe eſt.

Tertium argumentum: quoniam Atheiſtæ Stoicorum more illud tantùm putant poſſibile, quod certa cauſarum complicatione, atque ordine, vel iam actu eſt, vel omnino futurum eſt (vt diximus) quod ſi nec eſſet, nec futurum eſſet aliquando, illud non poſſibile, ſed impoſſibile ab ipſis iudicaretur. Statuamus B igitur hominem, qui fato impellente cùm ratione vti deberet, mente captus ea nunquam, aut vſus, aut in poſterum vſurus eſt: iam ab ipſis quæro; num homo ille rationalis appellari queat, qui nec ratione vſus eſt, neque vnquam ratiocinandi potentiam habuit? Dicent fortè: etſi ratione minimè vſus ſit, tamen idcirco rationalem dici, quòd ad ratiocinandum potentiam habeat: at contrà, nam ſi ratione nũquam vſus eſt, ea cauſa fuit, quòd fato impeditus eſt, ne vteretur: ſed quòd fato impeditur, vt non ſit, impoſſibile eſt eſſe, vt ipſi aſſerunt, immò neceſſe eſt non C eſſe. Nullam igitur ad ratiocinandum potentiam, aut aptitudinem habuit; cùm fatum omnem potentiam, ac aptitudinem extinguat. Erit igitur homo, qui nullã vnquam ratiocinandi vim, aut potentiam ſibi innatam acceperit. At quo pacto is homo appellari poterit, qui rationalis non eſt? Quapropter fatum omne expellant oportet, ſi ipſam hominis naturam ſartam tectam eſſe velint.

Hîc igitur fixum, ac indubitatum ſit, fatum nihil prorſus eſſe, non ſolùm iis, qui Dei prouidentiam omnibus rebus incumbentem agnoſcunt, verùm & iis, qui proprias rerum D naturas negare nolunt: nam ſi quis ea, quæ ante ſenſus noſtros iacent conſpicua; & proprios, ac ſingulares cuiuſque rei motus non agnoſcat; is ſanè belluinum, non humanum oculum gerit: quò fit, vt potiùs ad humanum ſenſum, ac naturam reuocandus ſit, quàm vllis Demonſtrationibus conuincendus: nam vt Auguſtinus ait tom. 9. tract. 37. in Ioan. fatum non ponunt niſi fatui, & qui communi hominum ſenſu carent.

Aug. tom. 9. tract. 37. in Ioan.

Hinc fati nomen à Chriſtianis procul arcendum eſſe docet lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 9. *Nos aduersùs iſtos ſacrilegos auſus, atque impios, &* E *Deum dicimus omnia ſcire, antequam fiant; & voluntate nos facere, quicquid à nobis non niſi volentibus fieri ſentimus, & nouimus: omnia verò fato fieri non dicimus, imò nulla fato fieri dicimus, quoniam fati nomen vbi ſolet à loquentibus poni, id eſt, in conſtitutione ſyderum, qua quiſque conceptus, aut natus eſt (quoniam res ipſa inaniter aſſeritur) nihil valere monſtramus. Ordinem autem cauſarum vbi voluntas Dei plurimùm poteſt, neque negamus, neque fati vocabulo nuncupamus.*

Verùm quid vanæ, ac futiles eorum argumentationes valeant, expendere lubet, vt hinc quàm longè eorum fatum explodẽdum ſit, intelligant. Primùm quidem cùm æternam cauſarum ſeriem fatum appellant; atque inde arguunt, ea quæ præfixo hoc cauſarum ordine fiunt, fato, ac neceſſitate fieri: cùm verò omnia à præcedente hac cauſarum complicatione fieri velint, inde cuncta fati neceſſitati ſubiacere. Contrà arguimus: nulla eſt æterna, ac præfixa cauſarum ſeries: nullum igitur eſt fatum, ac nulla rebus neceſſitas.

Quæro enim ab Atheiſtis, vndenam æternum hunc cauſarum ordinem ſomniati fuerint, cùm tam à ratione diſſentaneum ſit cauſarum æternitatem in rebus ponere, quàm mundum æternum ſibi confingere? Quid verò mundi æternitate, aut irrationabilius, aut abſurdius; quæ nec quidem animo concipi, neque ratione intelligi, aut excogitari poteſt? ſiquidem (teſte Proclo) infinitas omnis in rebus finitis irrationabilis eſt, & incognoſcibilis, vbique temeraria, quam ſuis natura docet vocibus execrabilem eſſe; vtpote quæ cæcam rebus confuſionem adfert, & naturæ interitum parit: neque enim natura vſquam patitur infinita, quæ certas leges, ac terminos ſibi præſcriptos agnoſcit. Quapropter infinitam cauſarum ſeriem nullo principio fluentem, neque natura, neque ratio patitur, licèt abſurda illius cogitatio quandoque in animum incidat, quam tamen occurrens ratio corrigit, ſi modò quis mediocri ſaltem ratione vti velit.

Proclus.

Nam, vt ſæpe fit, occurrit animo, dum rerum principia indagamus, ſemper aliquid eſſe præter ea, quæ animo cogitauimus, réſque ſibi inuicem in infinitum ſuccedere: neque enim capit animus, nihil extra cœlum, aut cauſarum ordinem eſſe; qualibet enim rerum, aut cauſarum extremitate illi obiecta, ſemper vlteriùs ad infinita ſe extendit, quod ſanè non exiguum teſtimonium eſt, illum immortalem eſſe; atque ad infinitum aliquid, quod Deus eſt, ſuapte natura pergere. Verùm hic error ea ratione corrigitur, quòd impoſſibilis ſit, ac penitus à ratione ſeiuncta rerum infinitas. Idipſum planè Atheiſtis contingit, dum æternam illam cauſarum molem conſtituunt: nam ij quidem in vaſtiſſimam infinitæ durationis abyſſum totam rerum naturam demergunt. At cùm innata ſibi ratione errorem corrigere deberent; eò irrationabiliores, ac dementiores ſe declarant, quòd in hunc ſe impietatis barathrum magis præcipites ferunt, quo tandem in ſeipſos, & in naturam plus æquo hac æternitate deſæuiunt.

Atqui ſuarum cauſarum Atheiſtæ æternitatem teneant, certè euadere nequeunt, quin

In eam quam ſummoperè exhorrent, ſenten- A tiam incidant, vt ſcilicet Deum eſſe agnoſcant: immò tot Deos fateri illis opus ſit, quot æternæ rerum cauſæ exiſtunt. Diuinitas enim ſola æterna eſt: quippe quæ nec principium, nec finem ſciat: neque vllis temporum terminis includatur: neque enim aliud Deus Philoſophis vnquam præterquàm æterna rerum cauſa fuit: quò fit, vt qui plures æternas rerum cauſas conſtituunt, plures etiam Deos in Orbe ponant. Quamobrem id Atheiſtis accidit, Iob 6. quòd ait Iob capite ſexto: *Qui timet pruinam, cadet ſuper eum nix.* B Etenim cùm iis vnius Dei diuinitatem fateri nimiùm videretur, illos iam tot Deos fateri opus eſt, quot ipſi ſibi æternas rerum cauſas confingunt.

Reiecta igitur hac æterna cauſarum ſerie, velut naturæ, ac totius ordini inimica; facile ruit tota illa Atheiſtarum argumentatio, ex qua fati neceſſitatem inferunt, cùm aiunt. Ea de quibus verè dixerit quiſpiam fore, aut non fore, ex neceſſitate futura, aut non futura ſunt, ſed tam futurorum, quàm non futurorum neceſſitas pendet ex fato: igitur ea de quibus verè dixerit quiſpiam, fore, aut non C fore, fato eueniunt. Maior enim illa falſa eſt, ſi abſolutè accipiatur: neque enim quæcunque futura ſunt, neceſſariò erunt: nam cùm cauſæ ſuos effectus denominent, tales profectò effectus eſſe opus eſt, quales eorum cauſæ exiſtunt: at pleraſque cauſas contingentes, alias liberas eſſe nouimus, ex quibus contingentes, ſeu liberi, non autem neceſſarij effectus oriuntur: quò fit, vt quiſpiam verè dicere poſſit hoc, aut illud fore, quod tamen neceſſariò non eueniet, cùm illud vel à libera voluntate, quæ ſeipſam mutare poteſt, vel à contingenti cau- D ſa, quæ impediri valet, proficiſci queat: quòd ſi meliùs ſentientes hoc ipſum ad Dei voluntatem, quæ immutabilis, ac neceſſaria cauſa eſt, referre vellent; quamuis ea rebus, quæ à libera hominis voluntate fluunt, neceſſitatem non imponat, cæteras quoque contingentes cauſas non tollat: tamen quæ ex illius præcepto manant, haud negamus ita certò futura eſſe, vt etiam neceſſariò euenire debeant. Fruſtra namque Dei imperium eſſet, niſi quæcunque ab eo condita ſunt, illi neceſſariò ſubiicerentur. Hoc ſenſu ſi maiorem illam proponerent, non difficilè illam ac- E ciperemus. Nihil enim (ſi Diuinæ voluntatis abſolutum imperium excludant) ex neceſſitate futurum eſſe dicimus, cùm vniuerſa Dei imperio ſubiaceant, & quæcunque naturali cauſarum operatione fiunt; non niſi eidem contingentia eſſe poſſint, ea præſertim ratione, quòd tam futura, quàm non futura tollere, aut mutare valet.

Quòd ſi dicant: omne quod eſt, quamdiu eſt, neceſſe eſt eſſe, igitur quæ futura ſunt, quatenus futura ſunt, neceſſe eſt euenire. Reſpondeo hanc eſſe neceſſitatem contradictionis, vel Diuinæ immutabilitatis, quæ ea quæ ſunt, aut futura ſunt, vult eſſe, non autem non eſſe; ita vt, quemadmodum quæ ſunt, quandiu ſunt, neceſſe eſt eſſe, neceſſitate ſcilicet contradictionis, ac immutabilitatis Diuinæ, quæ ſimul non vult res eſſe, & non eſſe: ita quæ futura eſſe decreuit, quatenus aliquando erunt, eadem neceſſitate futura eſſe voluerit, ne ſcilicet futura dicerentur, & non futura: ea tamen neceſſitate exiſtentiæ, aut ineuitabilitatis multo minùs fati, quod ipſi obtendunt, futura eſſe minimè aſſentimur, cùm neque eſſe neceſſarium habeant, ſed contingens: atque ea, ſi Dei imperium reſpicimus, ita non futura, ac futura eſſe poſſint: denique nihil æternam illam cauſarum connexionem, res omnes neceſſitantem, in qua fatum conſtituunt, nobis perſuadeat, vti ſuprà demonſtrauimus; ſed econtrà potiùs tota rerum natura illam oppugnet. Maiore igitur excuſſa, minor per ſe corruit, quæ hanc neceſſitatem fato tribuit.

At verò duplex illa Stoicorum ratio, quam in fati confirmationem ſibi Atheiſtæ accerſunt, & nuper eam nos ex Cicerone attulimus, paulo accuratiùs & expendenda, & diluenda eſt. Prima fuit, omnia quæ fiunt, cauſis antegreſſis fieri: at poſita cauſa antecedente neceſſariò ſequitur effectus; omnia ergo neceſſitate fiunt, ac proinde fato. Huic rationi reſpondet Tullius libro de fato, vbi poſtquam propoſitionem illam admiſit: Omnia ſcilicet ex præcedentibus cauſis fieri; cauſas in externas, & internas diſtinguit; naturales quidem effectus ab externis cauſis profectos agnoſcit, quas ideò (ni fallor) externas vocat, quòd ab omnibus agnitæ ſint, & externos effectus pariant. At animi motus ab internis duntaxat cauſis pendere docet, nimirùm à voluntate; atque hoc ſenſu omnia ex præcedentibus cauſis, ſiue externis, ſiue internis fieri ſentit; qua cauſarum diſtinctione fati neceſſitatem deridet: nam quæ ab externis cauſis veniunt, non fato, ſed natura fiunt; quæ verò ab animo oriuntur, voluntatem cauſam habent, quæ à fato libera eſt. En Tullij verba: *Rurſus autem* (ait) *ne omnes à Phyſicis irrideamur, ſi dicamus, quicquam fieri ſine cauſa: diſtinguendum eſt, & ita dicendum, ipſius indiuidui hanc eſſe naturam, vt pondere, & grauitate moueatur, eamque ipſam eſſe cauſam, cur ita feratur.*

Tull. lib. de fato.

Sine

Digitized by Google

Similiter ad animorum motus voluntarios, non requirenda externa cauſa: motus enim voluntarius eam naturam in ſeipſo continet, vt ſit in noſtra poteſtate, nobiſque pareat, nec id ſine cauſa; eius enim rei cauſa ipſa natura eſt.

Ariſt.2.Phyſicor. Id luculentiùs exponit Ariſt.2.Phyſic. cùm cauſas omnes, aut naturales, aut voluntarias eſſe docet; ac naturales quidem naturaliter, ac neceſſariò agere, voluntarias verò liberè, ac contingenter moueri oſtendit. Cùm igitur voluntariis cauſis (vt notum eſt) nulla prorſus ineſſe neceſſitas poſſit, vtpote quæ liberę ſint, neque ab vllo cogi poſſint: naturales porrò ita à fati neceſſitate diſtant, vt naturæ potiùs modum, quàm cogentis, aut fatalis alicuius virtutis neceſſitatem ſubeant. Quamobrem licèt iis, quæ à naturali cauſa fluunt, neceſſitatem quandam habere permittendum ſit, qua neceſſariò fluant; ea tamen neceſſitas cùm naturæ ſit, neque à ſempiterna illa cauſarum ſerie pendeat, nullo modo ad extrinſecam illam fati cogentis vim referenda eſt; ſed ea ad naturæ duntaxat ordinem ſpectat, qui cùm à ſummo rerum opifice ita diſpoſitus ſit, vt naturales quidem cauſæ neceſſariò, voluntariæ verò contingenter agant: fruſtra eo relicto ad fatum confugiunt, qui ſummam Dei prouidentiam in iis diſcere, atque admirari deberent.

Altera Stoicorum ratio fuit; omnem enunciationem, aut veram, aut falſam eſſe. Si alterutra ex ęternitate vera ſit, ea etiam ex ęternitate eſt certa (verum enim, & certum ſeipſa ita conſequuntur; vt verum eſſe non poſſit, niſi quod certum ſit, & è conuerſo) quod ſi ea certa eſt, ea quoque neceſſaria eſſe debet. Cuncta igitur fato, ac neceſſitate fient; reſpondet idem Tullius. Quòd etſi verum ſit, omne enunciatum eſſe verum, vel falſum; non tamē verum eſt, omnia ſemper vera fuiſſe, vel falſa: nam quæ fortuitas cauſas habent, ea non ſemper fuiſſe vera perſpicuum eſt, cùm aliter ſe habere potuerint. Poteſt igitur ex Tullio quicquam factum eſſe, quod verum non fuerit futurum eſſe: nam antequam res, quæ futura enunciatur, euenerit: cùm ea neceſſarias, ac infallibiles cauſas non habeat, potuit quidem contingere, & non contingere, & tunc enunciatio illa neque vera determinatè, neque falſa dici poteſt, cùm cauſas contingentes habeat. *Nec ſi* (ait Tullius) *omne enunciatum, aut verum, aut falſum eſt; ſequitur illicò eſſe cauſas immutabiles, eáſque æternas, quæ prohibeant quicquam ſecus cadere, atque caſurum ſit. Fortuitæ ſunt cauſæ, quæ efficiunt, vt verè dicantur, quæ ita dicentur.* *Tull.l.de fat.*

Sed paulò clariùs hæc Tullij reſponſio exponenda eſt. Duarum propoſitionum ſibi inuicem contradicentium vnam de neceſſitate eſſe veram, alteram falſam, non ſimpliciter, ſed cum diſtinctione accipimus. Quædam A enim propoſitio eſt, in materia neceſſaria, ac impoſſibili aliter ſe habere, veluti cùm dicimus: mundus eſt, vel non eſt; Socrates fuit, vel non fuit; his cùm præſentis, vel præteriti temporis veritas ſuffragetur; nulli dubium eſt, quin huiuſmodi propoſitio ſimpliciter vera ſit, aut falſa: atque adeò, vt quæ vera eſt, falſa eſſe non poſſit; quæ etiam falſa eſt, vera eſſe nequeat. At ſi propoſitio ſit in materia contingenti, aut poſſibili, in eáque futurum tempus exprimatur: tametſi verum ſit alteram ſimiliter eſſe veram, aut falſam; neutra tamen ad vnum determinari poteſt, cùm vtraque ſit B contingens, ſed cum diſiunctione tantùm vera, vel falſa erit: ita videlicet, vt ea quæ vera eſt, non ita ſit vera, quòd falſa eſſe non poſſit, & è contra quæ falſa eſt, non ita ſit falſa, quin vera eſſe poſſit. Ea enim eſt contingentium natura.

Id manifeſtum erit exemplo à Tullio propoſito. *Morietur noctu in cubiculo ſuo Scipio vi oppreſſus* Propoſitio videtur neceſſaria, quoniam id fore enunciat, quod verum eſt fore: ea tamen haud neceſſaria eſt ante rei euentum: cùm à cauſis neceſſariis non pendeat; neque vera, aut falſa determinatè dici poteſt, quan- C doquidem eſt à cauſis futuris contingentibus, de quibus nulla poteſt eſſe certa veritas: nam exploratum eſt, ab eo, quod res eſt, vel non eſt, enunciationem eſſe veram, vel falſam. Cùm ergo futura contingentia nondum ſint, & ſicut eſſe, ita etiam non eſſe poſſint; manifeſtum eſt, illa determinatè vera eſſe non poſſe, antequam rei euentus vera eſſe probauerit. Ita fit, vt propoſitio illa: Morietur noctu in cubiculo ſuo Scipio vi oppreſſus; atque aliæ huiuſmodi futuræ contingentes, quemadmodum nec determinatè veræ, ita etiam nec neceſſariæ eſſe poſſint.

D Ex his patet altera ſolutio ad argumentum illud ab Aphrodiſeo petitum. Nam cùm ait: *Ea de quibus quiſpiam verè dixerit fore: fato, & ex neceſſitate erunt:* demonſtratum eſt, ea futura contingentia eſſe, de quibus nulla poteſt eſſe conſtans veritas; ac proinde certum eſt, ea nulla fati, aut neceſſitatis lege teneri, cùm ante rei euentum nulla determinata veritate ſubſiſtant. *Aphrodiſ.*

Quòd ſi vrgeat aliquis, rei euentu probari illud ſemper in præterito fuiſſe verum; reſpondeo id falſum eſſe. Rei namque euentus id tantùm probat, illud in poſterum ſemper E fore verum: nam ante rei euentum cùm res nullas præcedentes neceſſarias, ac ineuitabiles cauſas coniunctas ſibi habeat, quæ prohibeāt illam ſecus accidere; ſemper euentus fuit contingens, ac dubiæ veritatis: quare de eo determinatè enunciari non poteſt, quòd certù verum, ac futurum eſſet. At poſt rei euentum determinatè quidem, & abſque dubitatione dicendum erit, illud ſemper fore verum,

rum, non autem fato, ſed ex natura rei præteritæ, quæ perpetuam veritatem ſibi connexam habet. Hæc de Atheiſtarum opinionibus ſatis.

Refellitur fatum Aſtronomicum.

ARTICVLVS XV.

NVNC poſtrema nobis cum Aſtronomis res peragenda eſt, qui ſyderum, ac cœleſtium corporum motui, proportioni, configurationi, influxui, quorum legi cuncta ſubiiciūt, motus omnes tam naturales, quàm B liberos, ac rerum euentus, quos fortuitos appellamus, ita certa, ac ineuitabili neceſſitate adſtringunt, vt nihil Deo, ac Diuinæ prouidentiæ agendum relinquant. Atque hi quidem cùm rerum adminiſtrationem ita à Dei prouidentia ſubtrahant, vt totam fatali ſyderum neceſſitati committant: nulli dubium eſt, eos quodammodo inter Atheiſtas collocandos eſſe: qui vix ipſum Deum rerum Dominum eſſe ſentiunt. Sed cùm alij inter Catholicos ſint, qui modeſtiùs (vt videtur) de cœleſtium corporum vi, atq; virtute iudicant: C eò tamen plerunque temeritatis perueniunt; vt nonnihil propriæ efficaciæ, ac virtutis ad hominum animos, vel virtutibus imbuendos, vel vitiis, ac ſceleribus alligandos, ac cæteros fortuitos (vt vocant) rerum euentus certò ſtabiliendos, ſyderibus tribuant: quò fit, vt ad priorum fatum propè accedant. Priùs quidem demonſtrandum erit, nullam ſyderibus fati neceſſitatem inhærere quæ humanis rebus dominetur. Poſteriùs verò quid de ſyderum influxu Catholicè, ac piè ſentiendum ſit, aperiemus.

Equidem ſi iis, qui olim non tam inter homines prudentiores, quàm inter Philoſophos D ſapientiores habiti ſunt, ſatis ęquum eſſet credere: planè ſyderum ſcientia ita longè ab hominum mentibus propulſanda eſſet: vt nec eam inter homines verſari permittendum videretur: cùm non modò vanam, ac commentitiam exiſtimauerint: ſed velut Orbi peſtiferam, ac bonis omnibus exitialem omnino ex-

Pythagoras. pungendam duxerint. Pythagoram, quem inter primos ſapientiſſimum fuiſſe nemo ignorat, adeò nullam fidem Aſtrologiæ adhibuiſſe referūt Diogenes Laërtius, ac Plutarchus, & inter Catholicos Theodoretus: vt etiam E minimam illi adhibendam eſſe prohibuerit.

Bion Bion ridiculos putauit ſemper Aſtronomos, idq; de iis dicere ſolitus erat, quòd cùm piſces iuxta ſe natantes in littoribus non videant, illos qui cœlo quàm longiſſimè abſunt, videre ſe dicant. Eadem quoque cenſu-

Democritus. ra illos Democritus ſuggillabat, cùm diceret. *Cùm id quod ante pedes eſt, non ſpectent, cœli ſcrutantur plagas.*

Stoici. Stoici, qui fatum rebus con- A ſtituebant, ita à ſyderum obſeruatione abhortebant, vt Panętius Stoicus in eam velut ridiculam acriter inueheretur. *Panæt. Stoic.*

Platonicis conſtellationes adeò friuolæ, ac ineptæ viſæ ſunt, vt nec quidem illarū meminiſſe voluerint. *Plotinus.* Plotinus in Platonica familia inſignis, teſte Porphyrio, cùm diligentiſſimam Aſtrologię operam nauaſſet, comperta tandem artis vanitate, ac Aſtrologicarum prædictionum falſitate detecta, librum de ſtellarū efficientia conſcripſit, in quo Aſtrologorum dogmata aſſeueratè confutauit. *Ariſtoteles* Ariſtoteles omnes prorſus cœleſtium corporum influxus deridet. *Auerroes.* Auerroës illuſtris in Ariſtotelica familia, vbique ſyderum obſeruationes lacerat, inſectatur, condemnat. *Tullius. Phauorinus.* Tullius, ac Phauorinus Academici hoc diuinationis genus, quod per Aſtrorum diuinationem fit, inane eſſe iudicant. Omitto Mercurium Trimegiſtum, Heraclitum, Homerū, Archytam, Iamblicū, & quotquot grauiores inter Philoſophos olim extiterunt, quos perſpicuum eſt ab hac ſyderum ſcientia tanquam vana, ac leuiſſima penitùs abſtinuiſſe.

At verò inter Catholicos Patres non pauci ſunt, qui Diuinatricem Aſtrologiam velut C inanem, immò impiam, ac temerariam damnant. *Aug.* Inter hos ſunt Auguſt. lib. 7. Confeſſ. l. 1. contra Academ. cap. 7. lib. 2. de doct. Chriſtiana c. 22. & 23. lib. 2. de Gene. ad lit. cap. 17. lib. 83. quæſt. q. 45. lib. 21. ſentent. cap. 3. lib. 5. de Ciuit. Dei à cap. 1. vſque ad 8. & alibi. *Ioan. Dam. Baſilius. Ambroſius. Greg. Mag. Leo Papa. Cyprianus. Epiphanius. Iuſtinus. Cyrillus. Chryſoſtom. Theodoret. Origenes. Nyſſenus. Greg. Thaumaturg. Lactant. D. Thomas.* Ioann. Damaſc. lib. 2. c. 7. Baſilius hom. 6. in Hexam. & hom. quòd Deus non ſit auctor mali. Ambroſius lib. 4. Hexam. cap. 4. Gregorius hom. 10. in Euang. Leo Papa ſerm. 7. de Natiu. Nazianzenus oratione in laudem Cæſarij. Cyprianus de ſingularitate Clericorum. Epiphanius Hæreſi 16. Iuſtin. Orat ad Senatum Ro- D manum. Cyril. lib. 10. conr. Iulianum, & lib. 4. in Eſa. Chryſoſtom. hom. 6. in Matth. Theodoret. quæſt. 16. Origenes apud Euſeb. lib. 6. de Præpar. Euang. & ipſe Euſebius ibid. Nyſſenus lib. 2. Philoſophiæ cap. 1. Gregor. Thaumaturgus in Eccleſ. c. 11. Lactantius paſſim. D. Thom. prima primæ, q. 115. art. 4. ſecunda ſecundæ, quæſt. 95. art. 5. & opuſculo de Iudiciis Aſtrorum. Vide etiam plures apud Aloiſium Lipoman. in catena Græcorum, ac Latinorum Patrum, cùm ea primi capitis verba interpretatur. *Fiāt luminaria in firmamento cœli.* *Geneſis 1.*

Sixt. Senen. l. 2. Bibliot. Refert autem Sixtus Senenſis lib. 2. Biblio- E thecæ ſanctæ in voce curioſarum artium libri: libros omnes de Aſtrologia diuinatrice, in Eccleſia primitiua omnino prohibitos fuiſſe, haud ſecus quàm qui de arte Magica, ac aliis nefariis artibus conſcripti fuerant. Neque aliā ob cauſam ab Eccleſia pulſum fuiſſe Aquilam teſtatur Epiphanius lib. de ponderibus, & menſuris: quàm quòd Aſtronomicis diuinationibus, ac Geniturarum inſpectio- *Epiph. lib. de pōd. & menſ.*

August.

ſpectionibus operam daret. Auguſtinus quoque (vt videri poteſt in expoſitione Pſalmi 61.) non prius Mathematicum in Eccleſiam recepit, quàm publicam pœnitentiam ageret, ac omnes illius artis libros combureret. Huc ſpectat quod ait Socrates lib. 2. cap. 9. hiſt. Scholaſt. Euſebium Emiſſenum ad Epiſcopatum ab Emiſſenis admiſſum non fuiſſe hac ratione, quòd mathematicis vacaſſet. Aſtronomos quoque ſub Vitellio, Tiberio, Diocletiano, Conſtantino, Gratiano, Valenriniano, ac Theodoſio Roma pulſos, optione ſibi data, vel vt profeſſionem deſererent, vel vt pœnas darent: teſtis eſt Picus Mirandulanus. Hæc in primis commemorare volui; vt hinc velut in ipſo veſtibulo colligere liceat, quid de ſyderum fatalitate ſentiendum ſit, cùm inſigniores Orbis magiſtri ab ea non tantùm abhorruerint, ſed etiam de omni ſyderum ſcientia non omnino bene ſenſerint.

Socrat. hiſt. Eccleſ. lib. 2. c. 9.

Picus Mir. cont. Aſtrol.

Sed vt rem ſeriò perſtringamus. Ab Aſtrologis, qui fatalem vim ſyderibus tribuunt, percunctari libet: qua virtute, an propria, vel aliena, ac ſibi ab alio impreſſa: rurſus an voluntate, aut natura, illud ſibi ſydera imperiũ arrogent? Demum quid Mathematicum hoc fatum ſit, cuius neceſſitati cuncta ſubiiciuntur, illos aperire æquum eſt.

Sydera primùm non propria, ſed aliena prorſus virtute in hæc inferiora agere (ſi tamen agere permittimus) id in primis perſuadet, quod etiam ex Aſtronomorum ſententia exploratum eſt, quòd ea vim ex mutua coniunctione, vel diſiunctione adipiſcantur: quæ vis adeò permutatur, vt cùm certis quibuſdam diſtant interuallis, bonus, ac ſalutaris ſit rebus influxus: rurſus cùm alia quadam diſtantia oppoſita ſunt, infauſta, ac pernicioſa hominibus pariant: ita fit, vt hac interuallorum diſiunctione, ac variatione, cuncta vel bona, vel mala efficiant; quod ſi ita eſt, conſtat ſyderibus non à ſeipſis, ſed à cœlorum motu, quo fit, vt ea ſibi vel propiùs accedant, vel longiùs diſtent, hanc efficientiam contingere: non ergo virtus hæc à ſyderibus manat.

Ariſtot.

Rurſus ſi ab orbium motu vis hæc in ſydera fluit: planè nemo tam ignarus eſt, qui orbes à ſeipſis moueri ſentiat, præſertim cùm contrariis inter ſe motibus ferantur. Cùm enim, teſte Ariſtot. motum omne neceſſe ſit ab altero moueri, planè aliò quàm ad ſeipſos orbium motus referri oportet, niſi in abſurdiſſimam illam ſententiam quis incidere malit, vt orbes animatos eſſe velit; quod non tam à ratione diſſentaneum eſt, quàm omnino intolerabile: nam ſi animati ſunt orbes, aut hi anima tantùm ſenſitiua conſtant, vel ſimul ſenſitiua, & intellectiua: ſi tantùm ſenſitiua viuunt, quomodo ij in orbem aguntur, vt nunquam recto motu incedant; qui ani- A malibus proprius eſt? quomodo nunquam quieſcunt, nec tamen vnquam defatigantur; cùm motu animal defatigetur? quo pacto cõtrariis motibus idem orbis fertur, cùm id procul ab animalis natura diſtet? Qua ratione tandem orbes incorruptibiles affirmant, cùm omne quod ſentit, corrũpi neceſſe ſit. Quod ſi ſimul ſenſitiua, ac intellectiua anima præditos eſſe velint, dicant vbinam organa, vel ſenſus diſtinctos habeant, vbi membrorum varietas illis inſit, vbi manus, vbi pedes, vbi crura? his enim anima intellectiua, velut organis vtitur, cùm ea teſte Ariſtot. ſit actus B corporis Phyſici, organici. Igitur aliunde quã à ſeipſis orbes moueri perſpicuum eſt. Quamobrem ſapientiores Aſtrologi, inter quos eſt Ptolomæus Alpetragius in ſcientia ſecretorum Aſtrologiæ, meliùs opinati ſunt, cœlos nimirum ſola Dei voluntate moueri: quod etiam Theologis non diſplicet, licèt motrices intelligentias tanquam Diuinæ voluntatis executrices etiam adhibeant.

Ariſtot.

Ptolomæus Alpetrag.

Videant ergo ſyderibus nullum proprium fatum ineſſe, cuius virtute noſtra hæc vrgeri exiſtiment. Quòd ſi fatum eſſet, illud potiùs ad ſyderum conditorem, vnde vis illa in ſy- C dera em,anatquàm ad ipſa ſydera, quç ex motu vim nanciſcuntur, referendum eſſet; ſed abſit, vt fatum aliquod, quo vel ad mala propellimur, vel ad bona inuiti trahimur: vel quo libera hominis voluntas quoquo modo fatali neceſſitate quaſi vinculo adſtringitur, optimo ſyderum conditori adſcribamus. Certum igitur ſit, nullum proprium ſyderibus eſſe fatum.

Ambr. lib 4. Hexam. c. 4.

Nam vt rectè diſputat Ambroſius lib. 4. Hexameron cap. 4. *Quomodo Deus aut præmia propoſuit bonis, aut improbis pœnas, ſi facit neceſſitas diſciplinam, & conuerſationem ſtellarum curſus informat?* D *& quid eſt aliud quàm hominem de homine exuere; ſi nihil moribus, nihil inſtitutioni, nihil ſtudiis derelinquitur? Quàm multos videmus ereptos criminibus, atque à peccatis in meliorem ſtatum eſſe conuerſos? Redempti ſunt Apoſtoli, & congregati ex peccatoribus; non vtique natiuitatis ſuæ hora; ſed Chriſti eos ſanctificauit aduentus, & hora Dominicæ paſſionis redemit à morte. Latro ille damnatus capitis, non beneficio natiuitatis ſuæ, ſed fidei confeſſione ad Paradiſi æterna tranſiuit. Ionam in mari, non vis natiuitatis, ſed diſſimulatio Diuinæ præceptionis præcipitauit. Petrum de carcere imminenti morte perimendum, Angelus Chriſti, non ſtellarum ſeries liberauit. Quòd ſi fideles fatorum ne-* E *ceſſitatem credidiſſent, nunquam ad tantam gratiam perueniſſent.* Hinc etiam Baſilius hom. 6. in Hexameron. *Cogor* (inquit) *eiſdem nunc vti verbis, quibus & illi ipſi vti conſuenere: in quibus magna quidem amentia, multo verò magis impietas continetur. Maleficæ enim ſtellæ ſuæ ipſarum malignitatis cauſas in ſuum tranſcribunt factorem. Nam ſi natura ſtellis competit maleficium, ipſe ſanè crea-*

Baſil hom. 6 in Hexam.

tor

Digitized by Google

tor effector erit malignitatis,quod eſt impium dicere.

Cæterùm virtus hæc,quæ omnia fatali neceſſitate conſtringit,vel à voluntate,vel à natura ſyderibus indita,illis inſidet:ſydera cùm inanimata corpora ſint, nulla voluntate ferri hactenus demonſtrauimus: quapropter ſupereſt, vt ſi ea aliqua fatali virtute polleat, eam à natura ſibi vĕdicent. Naturam autem, ſiue ipſam cauſarum connexionem vocent, ſiue propriam ſyderis conſtitutionem intelligant,manifeſtum eſt,nulla huiuſmodi virtute prædit am eſſe: neque enim vlla cauſarum connexio cœleſtium orbium motus præcedere potuit, quæ vim hanc ſyderibus tribueret,cùm ea potiùs ab his pendeat.Neque ipſa ſyderum conſtitutio virtute hac prædita eſt: ſi proprium naturæ opus rectè (vt par eſt) explorare volumus, cuius illud proprium eſſe agnoſcitur, vt ad vnum tendat. Neque enim natura cùm à voluntate ſemota eſt, ad plura ſe extendere poteſt;ſed in idem omnino ſemper nititur. Ignis ſemper calefacit, nunquam frigefacit: contrà nix ſemper frigefacit, nunquam calefacit: hoc planè modo quæ naturaliter agunt,ad vnum determinantur. Porrò ſi hæc ſyderibus à natura virtus indita eſſet, ea planè vno modo ſe haberent ad omnia;vel omnes ad virtutes, neminem ad vitium propellerent; vel cunctos ad vitia, neminem ad virtutes fato vrgente deſtinarent:vnde igitur tot támque diuerſa rebus fata præſiderent;vt alios ad vitia, alios ad virtutes propenſos videamus? hic morum honeſtatem colat,ille libidinem ſectetur? alter ad obeunda facinora ſtrenuus; alter etiam in leuiſſimis rebus animo conſternatus cernatur? vnus Achilles,alter Therſites ſit?

Si naturali modo in nos ſydera agunt, cur tanta hominum appetitibus inconſtantia oritur,vt alter arma,alter rogam appetat:hic pace, ille bellis delectetur? cúmque innumeris ac propè infinitis animum concupiſcentiis diſtrahi quotidie experiamur: quo pacto ab hac vna ſyderum natura tot appetitus emanare, ac tot fata fluere exiſtimabimus? Hæc ſanè cùm à natura, quæ ad vnum determinata eſt,proficiſci non poſſint; reliquum eſt, vt fatum quoque à ſyderum natura ſecludant.

Fingunt Mathematici, vt ſuū fatū aſtruāt, virtutem conſtellationis ab ictu puncti pendere,atq; ab eo fatalem ſyderum virtutem ad nos defluere:ac proinde cùm diuerſis temporibus,ac momentis plerique naſcantur: inde morum diſſimilitudines, & appetituū diuerſitates, tanquam à diuerſis fatis oriri. At hoc Mathematicorum potiùs commĕtum, quàm ſolidam rei veritatem eſſe egregiè euincit D. Gregorius hom. 10. in Euangelia exemplo Iacob,& Eſau; qui cùm eodem puncto ac tĕporis momento nati eſſent, moribus tamen diſſimiles extiterunt. *Certè* (inquit Greg.) *cùm*

D. Gregor. Hom. 10. in Euang.

A *Iacob de vtero egrediens prioris fratris plantam teneret manu,prior perfectè nequaquam egredi potuit, niſi ſubſequens inchoaſſet, & tamen cùm vno, eodémque momento vtrumque mater fuderit,non vna æqualitas fuit.*

Quot præterea in eodem conſtellationis puncto naſcuntur, quorum & diſſimilis vita, & contrarius prorſus vitæ exitus fuit?Cæterū ipſa appetituum moderatio,quæ in animo viget, cùm ſæpe erumpentes carnis, vel animi motus, ad quos ipſa fati neceſſitas pertrahebat,ratione compeſcit: quo pacto ſimul cùm fato conſpirat,quæ fatum ipſum interimit?

B Accedat, quòd ſi iſta fatalis virtus, à qua cuncta immutabili prorſus neceſſitate pendent,naturalis eſt, & naturaliter prorſus agit; cur animalibus, ac hominibus, qui in eodem conſtellationis puncto naſcuntur,eadem non contingunt, quibus eadem omnino ex naturali fati neceſſitate opus eſſet accidere, cùm eadem illis ſtellarum diſpoſitio imperet? Cur ſæpe fit,vt ſub eadem fatali conſtellatione alter maſculus, alter fœmina concipiatur;alter valeat,alter ægrotet: ille Rex,hic pauper naſcatur?Certè ſi hoc Mathematicorum fatum C ad terrena omnia, quibus ſecundùm temporum,ac momentorum diſtinctiones ſyderum poſitio dominatur, extĕdimus; quid eſt,quod vno tempore,vno momento,ſub vna eadémque cœli poſitione progenita, concepta, germinata,tam diuerſos exitus, ac fines ſortiantur? Quis enim audeat dicere omnes arbores, omnes herbas, beſtias, ſerpentes, aues,piſces, vermiculos, quæ naſcendi momenta eadem ſortita ſunt,parem omnino euentum habere? Egregiè Aug.lib.5.de Ciuit.Dei c.7.id exemplo conuincit. *Nec illud*(ait)*volūt aduertere, quod electo ad ſeminandum agrum die, tam multa grana in terram ſimul veniunt, ſimul germinant, exorta* D *ſegete ſimul herbeſcunt, putreſcunt, flaueſcunt, & tamen inde ſpicas cæteris coæuas, atque,vt ita dixerim,congerminales,alias rubigo interimit,alias aues depopulantur,alias homines auellunt, quomodo iſtis alias conſtellationes fuiſſe dicturi ſunt, quas tam diuerſos habere exitus cōſpiciūt?* Hæc Aug. vbi ergo fatalis neceſſitatis vis rei vnicuiq; imminens?

Aug. lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 7.

Præterea inter Aſtronomorum dogmata illud eſt, ſi quis oriente canicula naſcitur, in mari non moriturū:quòd ſi vi aliqua in mare raperetur, aut ipſe ſe in mare præcipitem daret;num canicula,aut fatum mari præciperet, ne illum mergeret?vnde hæc caniculæ vis, vt E maris procellas ſibi ſubiiciat; & fato velut Regio edicto in primo ſui ortus exordio natum hominem muniat? Taceo illud Aſtrologorum præceptum, quo volunt, eos qui ſub Aquarij ſigno naſcuntur, fato ad piſcationem deſtinari; cum tamen plurimos Aquarij ſignum naſcentes offendant, quos piſcatores non efficit. Ita fatum hoc irridet Gregorius hom. 10. in Euangelia. *Fateri (* inquit) *etiam*

Greg. hom. 10. in Euang.

Digitized by Google

etiam Mathematici ſolent, quòd quiſquis in ſigno
Aquarÿ naſcitur, in hac vita piſcatoris miniſterium
ſortiatur. Piſcatores verò (vt fertur) Gethulia non
habet: quis ergo dicat, quia nemo illic in ſtella Aqua-
rÿ naſcitur, vbi piſcator omnino non habetur?

Denique quid hoc fatum ſit, aperiant,
quóve in rerum genere illud collocent? di-
cant num ſubſtantia, vel accidens ſit? Scio
equidem cùm fatum vim quandam eſſe vo-
lunt, quæ à ſyderibus manat, non ſubſtãtiam,
ſed accidens ab iis appellari: vis namque qua-
litas eſt, quæ inter accidentia annumeratur.
At quid quæſo abſurdius, quàm illud fatum
appellare, aut ineuitabilem illi rerum neceſ-
ſitatẽ affingere, quod neque ens neceſſarium
ſit, nec per ſe poſſit conſiſtere, ſed altero con-
ſeruante indigeat? Quid ſi accidentium mo-
re illud à ſyderibus ſeparari: vel corrumpi
contingat; vbinam erit Aſtronomorum fa-
tum? Quid verò hoc accidente admirabilius,
quod per omnes naturas rerũ permeat, quod
in ictu puncti per totum Orbem vagatur, quo
tot rerum ſubſtantiæ quotidie generantur, &
corrumpuntur; ita vt eo rerum ordo planè
immutatus videatur, cùm accidentia in ſub-
ſtantiarum naturã ita migraſſe perſuadent, vt
iam ſubſtantiæ accidentium cauſæ non ſint,
ſed contrà potiùs ab accidentibus ſubſtantiæ
gignantur?

Adde quòd vis hæc, quæ ab ipſis fatum vo-
catur, aliquo (vt diximus) conſeruante indi-
get, cùm accidens ſit, quod ad ſui conſerua-
tionem ſubſtantiam requirit: an non iis abſur-
diſſimũ videri debet, quòd virtus, quę talis, ac
tanta eſt, vt cuncta ſuo imperio cogat, aliquò
ſubſtentante indiga ſit? At quid moror? nihil
hoc fato nobilius, nihil præſtantius in tota re-
rum natura eſſe illos fateri opus eſt, quod vni-
uerſis rebus præſideat; quod ſi accidens eſt,
quid illo ignobilius, cùm ignobiliores rerum
ſubſtantiæ, quæ in Orbe ſunt, illud nobilitate
excellant?

Poſtremò ſi fatum qualitas eſt, quomodo
illud ex cœleſtium corporum configuratio-
nibus oritur, quæ cùm plerunque inter ſe di-
uerſæ ſint, contraria etiam fata ſibi inuicem
præſtant? quò fieri neceſſe eſt, vt fatum, fa-
tum expellat, ac deſtruat; quod verò deſtrui-
tur, ſanè ridiculum eſt, fatum appellari: quò
fit, vt tot contrariæ qualitates, quibus modò
ad vitia, modò ad virtutem pellimur, quæ ſe
inuicem expellunt, ab vno ſydere fluant.
Quòd ſi fatalis hæc qualitas è multis ſyderi-
bus manat, quod proprium illius ſubiectum
erit, cui ſimul, ac genita eſt, primò inhæreat?
neque enim qualitas vna per plura ſubiecta
diuagari poteſt. Quo efficiente ex ſtellarum
concurſu erumpit? quo deferente vna per tot
rerum indiuidua dilabitur? quomodo tot mu-
tationes ſubit, quot Protheus ipſe ferre non
poſſet, vt tot facies induat, quot ſunt ſyde-

A rum acceſſus, & receſſus? Rurſus quænã tam
fœcunda mater eſt, quę ſingulis temporũ mo-
mentis nouum fatalis huius qualitatis fœtum
terris pariat? Quæ obſtetrix, quę illam immo-
bilem in homine ad extremum vſque interi-
tum nutriat? Quo duce vno conſtellationis
puncto, ac temporis momento tot terrarum
ſpatia peragratur? Qua vi deniq; in hominum
voluntates agit, quæ ab omni vi, ac coactione
ſunt immunes? Hæc ſi omnino impoſſibilia
videntur, ſatis ſupérque demonſtratum erit,
hanc Aſtronomorum fatalitatem, fatuitatem
potiùs, quàm fatalitatem appellandam fore.

B Denique tot incommodą Aſtronomicum
hoc fatum ſequuntur, vt nihil homine indi-
gnius ſit, quàm illud in rebus humanis conſti-
tuere. Nam (vt Nemeſio placet) qui aſtrorum
circũuentioni cauſam omnium quæ fiunt, aſ-
ſignant: non ſolùm communibus notionibus
aduerſantur, ſed etiam omnem Reipublicæ
adminiſtrationẽ inutilem reddunt. Abſurdæ
enim leges, ſuperuacanea iudicia, quæ ab iis
pœnam exigant, in quibus nulla culpa ſit. Vi-
tuperare quoque, & laudare, nulla ratio eſt.
Nullus etiam vſus eſt precum, ſi omnia fato
adminiſtrantur: ac præterquàm quòd inſtru-
C mentum tantùm cœleſtis circũuentionis ho-
mo reperitur, etiam exterminatur cum Reli-
gione prouidentia: ſiquidem à cœlorum mo-
tibus nõ ſolùm partes corporis, ſed etiam ani-
mi cogitationes ad agendum impelluntur.
Denique qui iſta differũt, vnà cum libera vo-
luntate contingentis naturam tollunt, & nihil
aliud agunt, quàm quòd vniuerſa labefactant.
Iniqua etiam ipſa aſtra, quòd alios mœchos,
alios homicidas efficiũt, & præ his, Archite-
ctus eorum Deus: ſi eiuſmodi fecit, quæ mala
nobis neceſſariò importarent, vt horum inſul-
ſitas non modò in Rẽpublicã verſaretur, ſed
D etiam grauiſſimorum malorũ cauſam, Deum
efficiant; quandoquidem fieri nullo modo
poſſe, quod de endũt, ratio conuincit. Verùm
iſta ne aures quidem noſtræ ferre debent, quæ
perſpicuè abſurda ſunt, & de Dei maieſtate
detrahũt. Demum Aſtronomi qui fatum hoc
in ſyderum efficientia conſtituunt, vel illud
ſub Dei voluntate ponunt, vel à Dei imperio
excludunt: quoquo modo id aſſerant, maxima
tum in Deum, tum in homines malorum ge-
nera inuehunt, quæ Auguſtinus recẽſet lib. 5. *Aug lib. 5. de Ciuit. Dei c. 1.*
de Ciui. Dei c. 1. his verbis: *Sed* (inquit) *qui ſine*
Dei voluntate decernere opinantur ſydera, quid aga-
E *mus, vel quid bonorum habeamus, malorúmve pa-*
tiamur, ab auribus omnium repellendi ſunt: non ſo-
lùm eorum; qui veram Religionem, ſed qui Deorum
qualiumcunque, licèt falſorum, volunt eſſe cultores.
Hæc enim opinio quid aliud agit, niſi vt nullus om-
nino colatur, aut rogetur Deus?

Porrò nihil nos mouere debet quòd inter-
dum hi fatarij Aſtronomi vera prædicere ſo-
leant: nã vt ea interim taceamus, quę ſequenti

F Demon

Demonſtratione de vera Aſtrologorũ ſciẽtia A dicturi ſumus: vel Auguſtino credendum eſt, qui planetarios, ac fatarios huiuſmodi non à ſyderum natura, ſed à dæmone inſtructos exiſtimat; ſic enim ait lib. 5. de Ciuit. Dei, cap. 7.

De Ciuit. Dei c. 7. l. 5.

His omnibus conſideratis, non omnino creditur, cùm Aſtrologi mirabiliter multa verò reſpondent, occulto inſtinctu fieri ſpirituum non bonorum, quorum cura eſt, has falſas, ac noxias opiniones de Aſtralibus fatis, inſerere humanis mentibus, atque formare, non horoſcopi notatis, & inſpecti aliqua arte, quæ nulla eſt. Atque idem latiùs explicat lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 17. Vel certè exiſtimandum eſt, vt idem Auguſt. ait lib. 4. & 7. confeſſ. cæcas, & B improbas mentes conſultorum aliquoties occulto quodam inſtinctu ſic agitari, vt neſcientes proferant, quę conſulentes, vel ex eorum meritis, vel ex abyſſo iuſti iudicij oporteat audire, quod quidem ex occulta Diuinæ prouidentiæ diſpenſatione fit.

De Gen. ad lit. l. 2. c. 17. lib. 4. & 7. Confeſſ.

Addit tertiam cauſam Sixtus Senenſis lib. 6. Biblioth. ſanctæ, ob quam diuinatores huiuſmodi ſæpe in veritatem incidunt. Ea eſt conſulentium ſtultitia, ſiue ſtulta credulitas, qua facilè his credunt, cùm ea diuinant, quæ ipſi vel maximè fingunt, vel ſummopere expetunt. Solet enim ea credulitas in conſulen- C tium animis ſpem ſibi ab Aſtronomo promiſſæ fœlicitatis excitare, aut metum calamitatis ab eo prænunciatæ immittere: quo gemino affectu plerumque ſolent humana negotia prænunciatos fines ſortiri. Spes enim & fiducia animos attollunt, vt ardua quæq; aggrediantur, ac fœliciter abſoluant. Contrà metus, ac pauor animum ita proſternunt, vt res vel paui dè incipiat, vel turpiter deſerat: atque inde non ſemel contigit, vt qui diuitias, ac honores auidè ſectantur, ea ſpe freti ad eas opes, ac dignitates peruenіant, quas illis prædixerat Aſtrologus, non aſtrali fato, ſed proprio labore comparatas: cùm id crebrò inueniri contingat, quod aſſiduo labore, D ac ſumma diligentia quæritur.

Sixtus Senenſis lib. 6. Biblioth. c. 5.

Refelluntur quidam Aſtronomorum influxus, & explicatur Catholica ſententia.

ARTICVLVS XVI.

SVPEREST, vt quid de ſyderum vi, ac Aſtronomorum prædictione, ratio, ac Catholica fides ſentiendum dictet, expendamus. Duplicem eſſe Aſtrologiæ partem iis E perſpectum eſt, qui Aſtrologicam peritiam profitentur. Quædam enim ad ſyderum influxus ſpectat, vnde rebus certas quaſdam propenſiones manare autumant. Altera circa rerum prædictiones, ac prognoſtica verſatur, quam diuinatricem, vel iudiciariam appellant. Primùm igitur de ſyderum influxu agendum eſt.

Hic Philoſophorum & Aſtrologorum altercationes prætereo, quibus inter ſe de cœleſtium orbium actione in hæc inferiora non leuiter dimicant: cùm illi quidem ex quibus eſt Auicẽna, Auerroes, Auenazra, & ipſe Ariſtoteles: & ex Catholicis Picus Mirand. lib. 3. contra Aſtrolog. Gregor. Agricol. libr. 4. & 5. de cauſis ſubterr. Medina libr. 2. ſuæ Paroën. cap. 1. & alij plerique, omnes cœleſtes influxus procul abigant, & luci duntaxat motu circumuectæ omnes cœleſtes effectus aſcribant. Hi contrà cælorum motui, ac luci quàm minimum tribuant: influentias verò, quæ ex diuerſis configurationibus gignuntur, quàm maximè extollant.

Auicenna. Auerroes. Auenazra. Ariſtoteles. Picus Mirand. Greg. Agric. Medina.

Id inprimis extra controuerſiam Aſtronomis vltrò condonamus, nonnullos eſſe ſyderibus influxus, quibus præter motum, & lucem in hæc inferiora agant: quod libenter amplector, tum ob auctoritatem Aug. qui lib. 5. de Ciuit. Dei, c. 9. in hanc ſententiam propendet, atque inde exiſtimat varios temporum ſtatus, & quaſdam rerum diminutiones, & incrementa, necnon Oceani æſtus proficiſci, ita enim inquit. *Cùr igitur non vſquequaque abſurdè dici poſſit, ad ſolas corporum differentias afflatus quoſdam valere ſydereos? ſicut in ſolaribus acceſſibus, & deceſſibus videmus, etiam ipſius anni tempora variari, & lunaribus incrementis, atque decrementis augeri, & minui quædam genera rerum, ſicut echinos, & conchas, & mirabiles æſtus Oceani.* Tum etiam ob multorũ Theologorum ſententiam, qui idem cum Auguſtino ſentiunt Diui Thomæ in libr. de Cœlo, cap. 7. & Quolib. 6. articul. 9. Diui Bonauenturæ in 2. diſtinct. 14. quæſt. penultima. Alberti in 2. diſtinct. 15. quæſt. 1. Richardi in 2. diſtinct. 14. circa 3. princip. quæſt. 5. ad 5. Ferrarienſ. 3. cont. Gent. cap. 84. Ioann. Maior. in 2. diſtinct. 14. quæſt. 5. Abulenſ. 3. Reg. cap. 7. quæſt. 6. & aliorum. Quod etiam ipſa rerum experientia teſtatur. Nam qua vi Arcticus potiùs, quam alia pars ad ſe magnetem traheret; Sol Heliotropij, & ſcorpioni flores ab Ortu, ad Occaſũ ſecũ verteret; Luna maris æſtus vltrò citroq; cõcitaret; & oſtrea, cõchilia, & cõchę omnes cùm ea incremẽta ſimul, & decrementa acciperent; niſi quædam vis ſyderibus ineſſet, quæ hæc efficeret? Præterea Aſtra, aurum, cæteraq; metalla in imo terræ ſinu, quò neque illorum motus, neq; lux permeare poteſt, procreant. Cùm etiam quędam Aſtra ſuo ortu, vel occaſu, terræ ſterilitatem, aut vbertatem, mari tranquillitatem, vel procellas, pleriſque animantibus ægritudines, & acriores dolores morbidis corporibus afferre conſpiciamus his, & aliis plerique rerum experientiis edocti, non immeritò præter vniuerſalem motus, ac lucis actionem, ſingulares influxus

Aug. lib. 5. de Ciu. Dei cap. 9.

D. Thomas. Bonauent. Albertus. Richard. Ferrarienſ. Ioan Maior. Abulenſ.

quibus

Digitized by Google

quibus hæc operentur, aſtris Catholicè conceduntur.

Neque nos mouet, quòd Pythagoras, Plato, Ariſtoteles, Auicēna, Auerroes, & alij Philoſophi dogma de influxu ſyderũ tanquam abſurdum, & à Philoſophia penitus alienum explodant: nam cùm ij Philoſophi eſſent, & Philoſophiæ metas tranſcendere nollent: ſed eorum cura, ac diligentia tota in perſcrutãdis naturalium cauſarum viribus verſaretur; ſuperiorum influxus neglexerunt; quos tamen non omnino reieciſſe certum eſt, cùm Ariſtoteles in his, quæ ſcripſit ad Alexandrum, doceat in ſumendis medicinis diligenter obſeruandum eſſe cœlorum aſpectum, trigonum videlicet, aqueum, & diſtantiam Lunæ à Saturno, & plura, quæ ab Alchindo habentur exarata. Democritus (teſte Hippocrate) Aſtronomicam facultatem contempſit, non quia cœlorum influxum perimere vellet; ſed quòd nimis ei difficile videretur, omnes illorum aſpectus, ac figuras perſpectas habere. Atque ipſe tandem Hippocrates (vt alios taceam) ex Lunæ domicilio cum aliorum planetarum aſpectibus comparato, morbos, illorum euaſionem, atque interitum prognoſticatur. Inde in libelli principio Hali de illius mente ait, medicum Aſtrologiæ imperitum eſſe tanquam cæcum, qui baculo viam examinat.

Ariſtot.

Democritus.

Hippocrates.

Cæterùm an in ſublunaria omnia, vel tantùm aliqua hic ſyderum influxus feratur: rurſus an ea per fati modum agãt, quo rebus vis, ac neceſſitas imponitur, an tantùm per modum naturæ, quo naturalis duntaxat appetitus, ac propenſio ſub Diuinæ prouidentiæ lege rebus inditus relinquitur: iam Catholicè determinandum eſt aliquibus dictis.

Dico igitur primò, *Corpora cœleſtia in ſublunaria corpora tantùm influere*; quæ concluſio eſt communis omnibus, qui cœleſtes influentias admittunt: neque ad eam confirmãdam opus eſt alia ratione, quàm trita illa Ariſtotelis 1. de Gener. vbi probat actionem non eſſe niſi ſimilium in genere, & in eadem materia cõmunicantium: inde cùm corpora cœleſtia ex Phyſica materia conſtituta ſint; manifeſtum eſt, ea nõ niſi in ſubiecta corpora, quę ex Phyſica materia conſtant, agere poſſe. Præterea cũ cœleſtium corporum influxus, ex communi omnium ſententia, qualitas ſit corporea, ea præterquã in corpora recipi non poteſt: quod etiam ex ipſo fine colligitur. Nam cœleſtis influxus eò tendit, vt corporearum rerum naturam perficiat: quam ob cauſam Ariſt. Meteororum primo ait: mundum hunc inferiorem (quo nomine mixta ex Elementis intelligit) adeò ſuperiori eſſe contiguum, vt omnis huius virtus inde gubernetur. Quapropter cũ cœlorum influxus ad corporea tantùm perficienda ordinetur, inde conſtat ita diſpoſitum eſſe, vt in ea tantùm agere poſſit.

Ariſt. 1. de Gener.

Ariſt. Meteor. 1.

A Dico ſecundò, *Aſtra in hominis voluntatem directè non influere.* Quod ita certò de fide tenendum eſt, vt habeatur de eo decretum in Conc. Braccar. 1. c. 9. & 10. contra Priſcillianum: neque vlla ratio ſuadet, vt liberam hominis voluntatem aſtris ſubiici credamus: nã qua ratione voluntas, quæ potentia prorſus immaterialis eſt, à corporibus cœleſtibus quicquam pateretur? cùm etiam ita libera ſit, vt nulla, neque ipſa Diuina vi (ſi integram illius naturam volumus) cogi poſſit, quo pacto ab aliquo ſyderum aſpectu, vel configuratione, vel à quopiam cœleſtium corporum influxu, aliqua neceſſitate agi exiſtimabimus?

Conc. Braccar. 1. c. 9. & 10.

B Hinc optimè Damaſc. lib. 2. de fid. Orthod. c. 7. ita ediſſerit. *Si enim ex Aſtrorum latione cuncta facimus, ex neceſſitate ea operamur, quæ facimus: atqui quod ex neceſſitate, neque virtus, neque vitium eſt. Si autem neque virtutem, neque vitium poſſidemus: neque laudibus, & coronis, neque vituperationibus, & punitionibus ſumus digni: inuenietur autem & Deus iniuſtus, his bona; illis verò tribulationes tribuens: ſed neque gubernabit, neque ſuarum ipſius creaturarum prouidentiam geret Deus; ſi ſecundùm neceſſitatem ducuntur omnia, atque feruntur. Nam ſi nullius actionis domini ſumus, vanè*

Damaſc. lib. 2. de fide Orthod. c. 7.

C *conſultamus. Rationalis autem poteſtas omnino conſilij gratia nobis indulta eſt, vnde & omne rationale liberæ poteſtatis, ac arbitrij eſt.* Atque id tandem fieret, vt nullæ hominis operationes liberæ eſſent, nec homo quippiam ageret, ſed brutorum more ab aſtris ſe agi pateretur: quod ſanè eſſet totam hominis naturam, ac rationalem vim opprimere.

Verùm quamuis Aſtra in hominis animum directè, ac propriè, ac immediata actione non influant: placuit tamē nonnullis vt ea indirectè, ac velut obliquè in humanos animos agant: quatenus ſcilicet humanũ corpus

D ſuis qualitatibus afficiunt: affectum verò corpus, animum ad ea propenſum reddit, ſiue illud bonum, ſiue malum ſit, ad quæ aſtrorum vi ipſum propellebatur. Quod ita declarari poteſt, cùm vis aſtrorum in corpus humanum feratur, iuxta ſyderum diſpoſitionem, ea quandoque in cordis ſanguinem influit, quo efferueſcente appetitus iraſcibilis ad iram excitatur: excitatus appetitus animum (niſi reluctetur) ſecum trahit. Interdum etiam ad maiorem ſeminis generationem aſtra concurrunt; auctum verò ſemen ad Venerem pellit: atque inde animus ad Venerem

E propenſus redditur: ita ſit, vt quamuis ſydera in hominis voluntatem per ſe, ac directè non agant; interuentu tamen corporeorum organorum, quæ variis cœli qualitatibus imbuuntur, ab iis tandem voluntatem, ad hoc vel illud vitium iuxta corporum affectiones promoueri velint.

Alij hoc ipſum ita declarant. Ac primùm Planetas aliquos maliuolos, ac ſceleſtos po-

tiùs, quàm cœleſtes decernunt. Saturnum quidem tenacem eſſe volunt, difficilem, perfidum; pertinacem; metum, anguſtias, dolum, nequitiam, proditiones inducentem; cui maleficia, furta, iram, omniſque boni odium attribuunt. Marti verò pugnas, cædes, temeritatem, ſeditiones, controuerſias, prædas, inſidias, latrocinia, vulnera; faciles offenſiones, nullum conſilium, atque omnem violentiam adſcribunt: hinc dominantem Saturnum, ad auaritiam, ad dolos, ad proditiones, ad fraudes, & cætera huiuſmodi vitia animum inclinare volũt. A Marte verò prędominatos feroces, inhumanos, periuros, inconſtantes, maledicos, incõpoſitos, alienæ ſemper cædis appetentes quodammodo effici, atque cum in quacunque cœli plaga inueniatur, ſemper aliquid mali minari affirmant: ſi in Ariete, furta, fraudes, clamores excitari: ſi in Geminis, occulta facinora: ſi in Tauro, audaces, temerarios, obloquutores, quibus fas ſit omne nefas, velut præſtare. Omitto quæ de Mercurio, Ioue, Venere, ac aliis Planetis aſſerunt.

At hoc poſtremum omnino falſum Aſtronomorum commentum eſſe, quod cum maximorum Aſtrologorum doctrina pugnet, facilè euinci poteſt. Nam Mercurius Trimegiſtus (Iamblico teſte) in Memphiticis columnis ſcriptum reliquit, omnes Aſtrorum influxus optimos eſſe; ſi autem malum ſequatur, illud non ſyderibus, quæ bona à Deo condita ſunt, ſed prauæ rerum diſpoſitioni aſcribi debere. Hinc Chryſippus:

Mercurius Trimegiſt. in Memphit. colum.

Chryſippus.

Quàm falsò accuſant ſuperos, ſtultiq; queruntur
Mortales, etenim noſtrorum cauſa malorum
Ipſi nos ſumus: & ſua quemque vecordia lædit.

Præterea cum iis ipſa ratio, ac fides pugnat: nam qui influxus malos affirmant dicant vndenam illa malignitas oriatur? Eritne ab ipſa ſyderum natura? vel à Deo iubente? an ab intelligentia mouente? Planè cùm ſyderum natura à Deo bona condita ſit *Vidit* namq; *Deus cuncta quæ fecerat* (ait Moyſes Gen. 1.) *& erant valde bona:* cùm naturaliter agunt, non niſi bona influere valẽt. Deus verò cùm nullius mali auctor ſit, quis tot malorum iuſſorem audeat aſſerere? At illos ab intelligentia mouente proficiſci, nefas eſt exiſtimare: cùm ea non niſi ſuperni Opificis iuſſionem expleat: neque vllã boni, aut mali vim ſyderibus imprimere valeat. Patet igitur nullum ex ſyderibus mali influxum oriri poſſe, quod ipſa humana corpora, nedum animos perturbet.

Gen. 1.

Reiecta igitur hac ſecunda declaratione, quid de hac opinione, quæ ſanè grauiſſimorũ Theologorum eſt, ſentiam, aperiam. Ego tametſi hanc ſententiam penitus reiiciendam non exiſtimem, quandoquidẽ liberam hominis voluntati facultatem relinquit; ea tamen mihi non omnino probatur. ob duo potiſſimũ quæ docet. Docet namq; primũ hæc ſentẽtia

A Aſtrorum actionẽ (quamquam indirectè) ad animum pertingere, vt perſpicuũ eſt, cùm ait: Aſtra indirectè in animũ agere. Docet ſecũdò cõſequenter, Aſtrorum vi animũ ad mala, vel ad bona inclinari, quod ex eo conſtat: nã ſi ab huius ſententiæ auctoribus quærimus, quonam actionis titulo Aſtra in animum indirectè agant? reſpondent, inclinando: porrò vtraque hæc doctrina videtur cum Conciliis, ac Pontificum decretis pugnare. Nam cùm Aſtra naturaliter agant, ac naturalem neceſſitatem ſuis effectis imponãt; ſi ea in voluntatẽ indirectè agerent, voluntatem vtiq; indirectè

B aliqua neceſſitate cogerẽt; atq; eo fieret, vt inclinatio, ſeu propẽſio, quã ſyderibus in volũtatem tribuũt, indirectè neceſſitatem in animum inueheret, quod damnatũ videtur, tum in Concilio Braccar. 1. tũ in cõſtitutione Sixti V. cõtra Aſtronomos, in qua Põtifex in Aſtronomos & Mathematicos animaduertendum eſſe iubet, qui ex Aſtrorum influxu animorũ inclinationes, propenſiones, actiones perpendere, coniicere, prognoſticari audẽt, ſiue id certò, ſiue nõ certò euentutũ affirment: cùm igitur Pontifex, omnium, quę ad hominis voluntatem ſpectant, cõiecturam, aut iudicium

C ex Aſtrorum aſpectu Aſtronomis interdicat: hinc perſpicuum eſt, eum quamlibet Aſtrorum actionem ſiue directam, ſiue indirectam ab hominum animis propulſare.

Præterea multas Aſtronomi inclinationes humanis voluntatibus effundũt, quæ cũ corpus nullo modo attingant, neq; illius actionẽ mediã habeant; veluti cũ ad furta, ad fraudes, ad adulteria, ad homicidia illas ex ſola ſyderũ coniunctione propẽſas faciũt; eas tamẽ aſtutè magis quàm ſincerè ad corporis affectiones referunt: quas damnatas eſſe à tota Eccleſia nemo ignorat: his nõnihil fauere videtur hæc

D ſententia, quæ Aſtra aliquo modo in animam agere ſentit. Quamobrẽ mihi ſatius videtur, id Aſtronomis haud indulgere, vt Aſtrorũ influxu hominis voluntatem, quæ prorſus libera eſt, aliquo modo affici credamus. Idcircò

Dico tertiò, *Aſtrã nullo modo nec directè, nec indirectè in hominis voluntatẽ agere.* Nam tametſi haud inficier affectum aliqua cupiditate ſenſum, voluntatem, vt ea delectetur, allicere: atque adeò interdum hac animum voluptate ligari, vt ab ea difficiliùs ſe explicare valeat; dicente Deo, *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam:* & id affirmante Paulo, *Video*

Sap. 9.

Ad Rom. 7.

E *aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, captiuantem me in lege peccati:* haud tamen concederem cœleſtibus influentiis ita ſenſum affici, vt eadem ſyderum actio, licèt medio ſenſu, ad voluntatem pertingat: immò credo oppoſitum magis Catholicè affirmari poſſe: nã cũ adhuc inter Philoſophos controuerſum ſit; An Aſtra influxu aliquo in humana corpora agant: & tam id facilè

extra

extra erroris ſuſpicionem negari, quàm affirmari poſſit: hoc tamen de fide definitum habetur, ſydera in hominis voluntatem non agere, quod licèt de actione directa exponi poſſit, nihil tamen obſtat, quin ad indirectam etiam extendi valeat; præſertim ſi Aſtrorum actio aſſeratur in animum deſinere. Immò Concilia, quæ id ſtatuunt, videntur totã aſtrorum actionem ab hominis voluntate ſecludere; præſertim cùm ita indirectam volunt, vt ea nihilominus, licèt mediis ſenſibus, omnino animum affici exiſtiment. Quamobrem ad tollendum omne ſupprimendæ humanæ libertatis periculũ, tutius fore arbitror, vtramque ſyderum actionem ab hominis voluntate expungere: vt nulla neque directa, neque indirecta Aſtrorum actione liberas hominum voluntates affici credamus.

Quòd ſi aliquis vrgeat. Si aſtra in humanum corpus agunt: corpus verò in animum, ergo aſtra indirectè in animum agunt: cùm indirectè agere ſit per aliud agere. Dico equidem, & aſtra in corpus agere, & corpus quatenus animum ſibi alligatum habet, ad ſuas cupiditates pellicere; ac vtriſq; proprias actiones competere. Aſtris quidem in corpus, non in animum (vt notum eſt) ſuas qualitates imprimendo. Corpori verò in animum, alliciendo, atq; inclinando: neque his vllo modo inficior: at cùm inde concludunt aſtra indirectè in animum agere; haud facilè aſſentior. Nam vel terminum illum (indirectè) ita exponunt, vt Aſtrorum actionem priùs in corpus, ac poſtea mediante corpore in animum recipi velint: ita vt indirectè agere illis non aliud ſit, quàm per aliud ad aliquid tendere: id ſi hoc modo intelligant, omnino id negandum cenſeo, neq; enim vlla ſyderum actio, vel ad animum tendit, vel ad eum pertingere quoquo modo valet; cùm eo illius libertas minueretur (vt dictum fuit) atque id de fide prorſus tenendum cenſeo, cùm in eo Conciliorum, ac Pontificum decreta conſentiant. Vel ita terminum illum intelligunt, vt ſyderum actio in corpus tantùm deſinat, neque vltra ad animũ tendat: corpus verò non ſyderea, ſed propria actione in animum tẽdat. Id cùm veriſſimum ſit, ſanè ignoro cur aſtra indirectè in animum agere dicant, cùm nulla aſtris actio competat, qua aliquando in animum agere dicantur: præſertim cùm corpus, non aſtra animum inclinent.

At dicent, aſtra qualitates, quibus corpus afficitur, ac deinde animus inclinatur, in corpus influere. Rem quidem (vt paucis abſoluam) amplector, ſed indirectæ actionis vocem vbi nullum eſt actionis prætéritæ veſtigium, aut ſubordinatio: maximum verò ſubeſt erroris periculum, omnino non probo. Quapropter retenta ſenſus veritate, à voce ob imminens fidei periculum abſtinendum cenſeo.

A Dico quarto, *Aſtra quoties in corpora agunt, non per modum fati, ſed per modum naturæ agere.* Prior pars ex eo potiſſimùm manifeſta eſt, quòd ſi per modum fatalis alicuius virtutis agerent, neceſſitatem vbique rebus, atque ipſi naturæ inferrent: cúmque in omnia ſublunaria corpora agant, omnes rerum contingentium euentus tolli, & fatalem quandam neceſſitatem rebus dominari oporteret, à qua Dei prouidentia fugaretur: quod in fatariorum errorem recidit; quem ſuprà multis impugnauimus. Quamobrem cùm exploratum ſit, quolibet aſtrorum influxu nullam B rebus contingentiam minui: inde etiam perſpectum eſt, aſtra per modum fati non agere: id autẽ in humanis præſertim corporibus fateri neceſſe eſt, quibus libera hominis voluntas præeſt: vt habetur decretum in Conc. Bracar. cap. 9. his verbis. Si quis animas & corpora humana fatali ſigno credit aſtringi, ſicut Pagani, & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit. *Conc. Bracar. c. 9.*

Hinc poſterioris partis veritas elicitur. Nam (vt notum eſt ex Ariſtot.) Aſtra ſuo influxu naturam non deſtruunt, ſed perficiunt: *Ariſt.* at naturæ perfectio fato potiùs deſtruitur; C non igitur ea per modum fati, ſed per modum naturæ agunt, quatenus ſcilicet cum particularibus cauſis ad effectus concurrunt. Præterea ſydera per ſuas qualitates agunt in ſibi ſubiecta corpora, qualitas autem in corpore recepta agit per modum naturæ, veluti calor receptus in ligno per modum naturæ lignum calefacit. Adde etiam quòd ſydera ſuo influxu in ſubiectis corporibus, præſertim humanis, appetitus, ac propenſiones generant. Propenſiones verò & appetitus habent ſe per modum naturæ: quò fit, vt hi appetitus eo magis à fatali neceſſitate D diſtent, quò magis vel liberæ hominum voluntati ſubduntur, vel ab externis cauſis interdum impediri poſſunt.

Hoc tandem Catholicis omnibus exploratum ſit. Nullos ſyderum influxus, nullas cæleſtium orbium conſtellationes ita humanis rebus præeſſe, vt vel minimis quibuſlibet fatalem neceſſitatem quoquo modo inferant, vel ad malum aliquod humanas voluntates propellant: ſed ita cuncta Diuinæ prouidentiæ legi pleniſſimè ſubeſſe ſciant, vt Deus qui Aſtrorum, ac rerum omnium conditor E eſt, omnium etiam optimus pro libito adminiſtrator exiſtat: hominéſque non Aſtrorum vi, quæ nulla in animos eſt, ſed propria libidine ad vitia impelli, certò ſibi perſuadeant.

Refelluntur quædam prædictiones Aſtronomicæ, & Catholica ſententia declaratur.

ARTICVLVS XVII.

NVNC de altera Aſtrologiæ parte, quæ circa rerum prędictiones verſatur, quid ratio, ac Catholica veritas credendum proponat, inſpiciendum eſt; vt ſuus, ac integer Diuinæ prouidentiæ locus, ac auctoritas vendicetur. B

Diuinatricem, ac Iudiciariam Aſtrologiam penè omnes, tam antiqui, quàm moderni ſcriptores velut fallacem damnant. Olim Senatus Rom. qui alioqui cunctarum gentium ſuperſtitiones (vt qui Religioſior haberi vellet) diligentiſſimè ſibi aſciuerat, hanc ita repudiauit, vt Chaldæos hac ſyderum interpretatione ſalleutes (vt referr Cornel. Tacit. libro ſecundo Annal.) atque ex ea lucrum ſibi comparantes Edicto ab vrbe expulerit. *Corn. Tacit. lib. 2. Annal.* Hanc quoque Aſtrologiæ partem M. Varro ita ſcriptis exagitauit, vt ex illius ſinu omnium ſuperſtitionum genera emanaſſe dicat: *M. Varro.* quem etiam ſequutus Cornelius Tacit. Hiſt. libr. primo, Mathematicos genus hominum vocat potentibus infidum, ſperantibus fallax. *Corn. Tacit. Hiſt. lib. 1.* Omitto Platonem, Ariſtotelem, & reliquos quos ſuprà enumeraui, qui hanc diuinandi artem ex Aſtrorum inſpectione omnino à ſuis codicibus abiecerunt: ex recentioribus Aſtrologos acerrimè inſectantur Picus Mirandulanus 12. libris: Gerſon. in Trilog. Aſtrol. & in tractat. de erroribus artis Mag. Medin. libro ſecundo ſuæ Paroën. Sixtus Senenſ. libr. 6. ſuæ Biblioth. Bened. Perer. tract. de Magia, Iul. Syrenius de ſato libro 9. & ex Philoſophis, ac Theologis quamplures. *Picus Mirand. Gerſon. Medon. Sixtus Sen. Bened Per. Syren.* Hanc iudiciariam Aſtrologiam non ſolùm antiqui Patres, Clemens, Cyprianus, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, Damaſcenus, vterque Gregorius Nyſſenus, ac Nazianzenus, Lactantius, & alij paſſim ſcriptis exagitarunt. Sed multæ etiam Iuſtinianæ leges, quæ leguntur in Codice Iuſtin. libro 9. tit. 25. de malef. & Mathem. pleraque etiam Pontificum decreta Martini 29. cap. non licet. Alex. 3. cap. 2. de ſortileg. &c. non liceat 26. q. 5. *Iuſtin. Cod. Martinus P. Alex. 3.* Nonnulla tandem Concilia in Iudiciarios Aſtronomos ſæuiunt, velut Bracarenſe primum cap. 9. & 10. Toletan. primum in aſſert. fidei cont. Priſcillianiſtas, Carthag. 5. Poſtremò ſancta Tridentina Synodus omnia Genethliacæ artis iudicia tanquam impias diuinationes damnat in Indice voluminis Reg. 9. *Conc. Brac. 1. Toletan 1. Carthag 5. Conc. Trid.* Quod hac noſtra quoque tempeſtate Sixtus V. Pont. Max. præſtitit, qui grauiſſimè contra Genethliacos ſanxit: ne quis Iudiciariç Aſtro- *Sixtus V. Pont Max.* A logiæ artem, præterquàm circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam exerceret: nève iudicia faceret, quibus de futuris contingentibus euentibus, fortuitiſque caſibus, aut actionibus ex humana voluntare pēdentibus aliquid euenturum affirmaret, tametſi id ſe non certò affirmare aſſereret. Ob id potiſſimùm quòd vanam hanc diuinandi artem ſuperſtitioſa vanitate bonis moribus non parum officere videret: cùm ſcelerum cauſas tacitè in ſtellas Aſtronomi referunt: vnde nefarij, ac flagitioſi homines excuſandorum vitiorum ſibi cauſam arripiunt: & eò vanos homines pertrahunt, vt nihil niſi auſpice cœlo aggredi audeant; quò fit, vt nō tam Dei opem, quam ſyderum afflatum ſibi in aggrediendis rebus explorandum proponant.

Tandem paſſim nos ſacræ literæ ab hac Diuinationis arte iubent abſtinere. Nam Deut. 18. Diuinos audire prohibitum legitur. *Deut. 18.* *Gentes iſtæ Diuinos audiunt, tu autem à Domino Deo tuo aliter inſtitutus es.* Eſa. 41. *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dij eſtis vos*: *Eſa 41.* & 44. *Ego ſum Dominus irrita faciens ſigna Diuinorum*: & 47. *Stent, & ſaluent te Augures cæli, qui contemplabantur ſydera, & C ſupputabant menſes, vt ex eis annunciarent ventura tibi.* *c. 44 & 47.* Hieremias quoque capit. decimo, inter Geutiles errores Diuinationem per ſyderum obſeruationes computat. *Iuxta* (ait) *vias Gentium nolite diſcere, & à ſignis cæli nolite metuere, quæ timent gentes; quia leges populorum vanæ ſunt* *Hierem. cap. 10.* Inde Salomon Eccleſ. 8. *Homo ignorat præterita, & futura nullo ſcire poteſt nuntio.* & 10. c. *Homo* inquir *ignorat præterita, & quid poſt ſe futurum ſit, quis poterit iudicare?* *Eccleſ. c. 8. c. 10.*

Iam verò poſt tot grauiſſimorum Patrum ſententias, poſt rot legum, ac Pontificum decreta; demum poſt tot ſacrarum literarum D oracula, quæ vno conſenſu hanc diuinatricem Aſtrologiam damnant: quid nobis ad eam tuendam relictum ſit, planè ignoro. Attamen quoniam ſæpe fit, vt artificis, non artis vitium ſit, quod dānatur; ne ſuus huic facultati (licèt perexiguus) locus deſit: quid in hac re Aſtrologis tribuendum, quidve negandum ſit, ex Catholica Orthodoxorum Patrum, ac Conciliorum doctrina magis, quàm mea ſententia proferam.

Dico igitur primò. *Planetarum ortus, obitus, Eclipſes, aſpectus, & quæcunque ad naturalem cæli ſtatum pertinent; Aſtrologi certò poſſunt præ E cognoſcere.* Hæc aſſertio eſt D. Thomæ ſecunda 2. quæſt. 95. artic. 5. *D. Thom 2. 2. quæſt 95. art. 5.* cuius ratio hæc eſt: nam quæ ex naturali cœlorum motu naturaliter pendent, cùm neceſſariò eueniant, poſſunt aliqua ſcientia præcognoſci, ab iis nimirum, qui diligentiſſima ſyderum contemplatione; aſſidua, longáque cœleſtium motuum experientia, hanc ſibi artem compararunt; neque id prohibitum vllo modo eſſe poteſt.

poteſt, cum & cæteræ ſcientiæ, & ipſa Philoſophia ex experimentis originem ducant, vt patet ex Philoſopho 1. Metaph. Præterea ſi Philoſopho licet ex cauſarum conſideratione effectus certos pronunciare, velut ex applicatione ignis aquæ calefactionem, & Phyſicis ex diſpoſitione ægritudinem, mortem, aut futuram valetudinem prædicere, haud vetitum eſt. Cur Aſtrologo nō liceat ex diligenti cœleſtium motuum conſideratione, & ſyderum diſpoſitione, illorum ortum, & interitum, eclipſes, & id genus alia, quæ ad naturales, & neceſſarias cauſas referuntur, præuidere: præſertim cùm omnia à Diuinæ prouidentiæ lege manare, ac Dei poteſtati omnino ſubeſſe fateantur?

Ariſt. 1. Met.

Dico ſecundò. *Tonitrua, imbres, tempeſtates, vbertates, terræ ſterilitates, morbos, terræmotus, & ſimilia, quæ cauſas naturales ex ſyderum diſpoſitione ſibi vendicant, licet Aſtrologis prædicere; dummodò ea ita indubiè non aſſerant, vt nullum Dei placitis locum relinquere videantur; qui res ad nutum mutare poteſt.* Decerpta eſt hæc aſſertio ex conſtitutiōne Sixti V. aduersùs Aſtronomos, qui iudiciariam Aſtrologiam exercent, cuius ſunt hæc verba. *Hac perpetuò valitura conſtitutione Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, & mandamus, vt tam contra Aſtrologos, Mathematicos, & alios quoſcunque dictæ iudiciariæ Aſtrologiæ artem, præterquàm circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam in poſterum exercentes, aut facientes iudicia, & natiuitates hominum*, &c. Ex qua perſpicuum eſt iis ex diſpoſitione Aſtrorum, & corporum cœleſtium licere hos effectus prædicere. Cùm igitur Pontifex non ſine doctiſſimorum hominum conſilio id Aſtronomis permittat, certum eſt, nulla eos lege prohiberi, quominus hæc effecta Catholicè prædicere valeant. Neque enim (ſi ratio quæritur) exiſtimandum eſt Aſtrologiæ peritos (de imperitis enim non loquor) Aſtrorum vim, ac conſtellationis efficientiam, quæ quolibet anno certis climatibus dominatur, ignorare: ex qua deinde diligenti adhibita obſeruatione, quæ ad hoc rerum genus ſpectant, poſſint conîcere. Nautæ enim futuras tempeſtates, tum ſerenitates ex diuerſis aëtis, ac temporis qualitatibus certò præcognoſcunt; medici quoque in morborum curatione non parum ſyderum aſpectum conferre docent. Demum cùm huiuſmodi effecta neceſſarias, ac regulares cauſas ſortiantur, nihil impedit, quin ea cognitis cauſis certò præcognoſci queant: atque hanc ſententiam tuetur D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 5.

Sixtus V. cōſtitut. aduer. Aſtronomos.

D. Tho. 2. 2. q. 95. art. 5.

Fatendum eſt tamen, id propter varios, ac propè innumeros ſtellarum curſus, & leuem admodum Aſtronomorum peritiam, ne dicam imperitiam; quàm difficillimum eſſe aſſequi. Nam cùm ſyderum tantùm diſpoſitionibus inſpiciendis intenti ſint, nec elementorum, ac mixtorum contrarias plerunque diſpoſitiones aduertant: hinc facilè in his rerum prædictionibus hallucinantur: deinde cùm occultiſſimas rerum, quæ nobiſcum verſantur, proprietates, ac vires perſpectas non habeant; quis enim ſecretiores, ac latentes lapillorum, herbarum, radicum, animalium naturas perfectè inueſtigare queat? horum quæ nobis familiaria ſunt, vix ſummo labore leuem ſcientiam attingimus: porrò quis occultiſſimas rerum cœleſtium vires, proprietates, naturas, quæ longiſſimo interuallo à nobis diſtant, neque oculis perſpici poſſunt; varios quoque ſyderum motus, ac effectus, qui ex diuerſis aſtris ad varias, ac diſſitas Orbis Regiones dimanant, ſe ad amuſſim callere exiſtimet? Huc ſpectat quod legitur Sap. 9. *Et difficile æſtimamus quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt, inuenimus cum labore. Quæ autem in cœlis ſunt, quis inueſtigabit?* Inde fit, vt ratò vera prædicere ſoleant Aſtronomi, ſæpiſſimè autem eos falli, ac fallere contingat.

Sap. 9.

Dico tertiò, *Hominum mores, ſtudia, prouentiones, quæ ex humana voluntate pendent, varios contingentes ſucceſſus, caſus fortuitos, & quæcunque quoquo modo ab hominum arbitrio fluunt, nullo modo ab Aſtronomis poſſe præcognoſci, aut prognoſticari.* Quę aſſertio eſt ſanctorum Patrum, Theologorum, & Conciliorum communiſſima; atque iis ſcripturarum teſtimoniis munitur, quæ nuper propoſuimus. Neque enim aliò quàm ad Genethliacos, ac huiuſmodi iudiciarios Aſtronomos Eſaiæ 41. verba pertinere exiſtimo, cùm ait: *Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dy eſtis vos.* Planè huiuſmodi homines nihil aliud præter diuinum honorem videntur aucupati, dum horum futurorum ſcientiam, quæ ſolius Dei propria eſt, ſibi arrogant. Quapropter cùm olim grauiſſimas Principum, Pontificum, ac Conciliorum cenſuras ſuſtinuerint, non immeritò tandem à ſacro Trident. Conc. tanquam vanæ, commentitiæ, ac peſtiferæ toti Orbi ſcientiæ profeſſores condemnantur. *Epiſcopi verò (ait) diligenter prouideant, ne Aſtrologiæ iudiciariæ libri, tractatus, indices legantur, vel habeantur, quæ de futuris contingentibus ſucceſſibus, fortuitiſ ve caſibus, aut iis actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certò aliquid euenturum affirmare audeant.*

Eſa. 41.

Conc. Trid. in Ind. reg. 9.

At Sixtus V. Pont. Max. cùm inde Aſtronomos diſſeminandi erroris anſam arripuiſſe videret, quòd Concilij decreto tantummodo prohiberentur de iis iudiciis aliquid certum ſtatuere, ac propterea ſub hoc incertitudinis prætextu, ac plerunque aperta proteſtatione, quòd nihil certò aſſererent, Chriſtianum populum Genethliacis, ac aliis prædictionibus illudi cerneret; omnia tam certa, quàm incerta de his iudicia fieri grauiſſimo Édicto interdixit. *Hac* (inquit) *perpetuò valitura conſtitutione Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, &*

mandamus, vt contra Aſtrologos, Mathematicos, & aliós quoſcunque dictæ iudiciariæ Aſtrologiæ artem, præterquàm circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam in poſterum exercentes, aut facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus ſucceſſibus, fortuitiſque caſibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus, aliquid euenturum affirmare audent; etiamſi id ſe non certò affirmare aſſerant, aut proteſtentur, quàm contra alios vtriuſque ſexus, qui ſupradictas damnatas, vanas, fallaces, & pernicioſas diuinandi artes, ſiue ſcientias exercent, profitentur, & docent, aut diſcunt: quíve huiuſmodi illicitas diuinationes, ſortilegia, ſuperſtitiones, veneficia, incãtationes, ac præmiſſa deteſtanda ſcelera, & delicta (vt præfertur) faciunt, aut in eis ſe quomodolibet intromittunt, cuiuſque dignitatis, gradus, & conditionis exiſtant, tam Epiſcopi, ac Prælati, ſuperiores, ac alij ordinarij locorum, quàm Inquiſitores Hæreticæ prauitatis, vbique gentium deputati, etiamſi in pleriſq; ex his caſibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentiùs inquirãt, & procedãt: atque in eos ſeueriùs canonicis, & aliis illorum arbitrio pœnis animaduertant. Hæc ex bulla Sixti. Quod ſanè teſtimonium, cùm eò grauius ſit, quòd ab eo profectum agnoſcitur, cui nunquam errare datum eſt: ita omne probationis genus antecellit, vt nemini in poſterum liceat Genethliacorum, ac huiuſmodi iudiciariorum partes defendere, quos Pontificis, ac Concilij ore damnatos eſſe audiat.

Sed vt rationibus agamus. Primò quòd ad humanæ voluntatis actiones attinet eas ab Aſtronomis nullo modo præuideri poſſe probat D. Thom. 2. 2. quæſt. 95. art. 5. *D. Tho. 2. 2. q. 95 art. 5.* Cùm enim corpora cœleſtia in hominis voluntatem non influant (vt ſuperiùs demonſtratum eſt) ſanè nequeunt Aſtronomi ex eorum intuitu huiuſmodi actiones, quæ liberæ ſunt, neque certò, neque non certò apprehendere. Nam ſi certò eas ſe apprehendere dicant, planè nihil ab iis diſtant, qui aſtris fatalem vim tribuunt, quos ſuprà confutauimus, atque hos Origenes in comment. in Gen. apud Euſebium parùm à Paganis diſtare cenſet. *Orig. in comment. in Gẽ.* *Non ſolùm* (ait) *Gentiles ſtellarum coniunctione, atque aſpectu, quæ in terris ſunt, neceſſariò accidere credunt, quam vim fatum appellant: verùm etiam multi ex fidelibus conturbantur, impoſſibile aliter fieri credentes, quàm ſtellarum curſus effecerit: vnde ſequitur nullam in nobis eſſe libertatem, nullam actionem noſtram laudari, aut vituperari iure poſſe: ita prædictum à ſcripturis Dei iudicium, quo alij ad æterna ſupplicia, alij ad æternam beatitudinem prædeſtinantur, falsò fore prædicaretur. Quid plura? ipſa quoque fides, & Saluatoris noſtri aduentus, & omnis Prophetarum labor, & Apoſtolorum in conſtituendis Eccleſiis prædicatio inania erunt: niſi fortè Chriſtum quoque quis audeat dicere cœleſtium corporum vi coactum feciſſe, quæ fecit: paſſumq́; fuiſſe quæ paſſus eſt: nec eius Deitatis potentia, ſed illarum virtute cuncta eueniſſe. His impiis verbis etiam illud conficitur, vt fideles fato ducti in Chriſtum credant: denique vt vel nullum ſit boni, vel mali diſcrimen, vel etiam malorum auctor ſit Deus: nullúſque hominum propter benè, vel malè facta, præmio, aut pœna dignus cenſeri debeat: nec orationibus, votis, & Dei obſecrationibus locus relinquatur.*

Si verò non certò, ſed coniectura eas ſe aſſequutos dicant, quam obſecro coniecturam de iis ſibi comparare poſſunt, quorum nulla prorſus in aſtris cauſa præceſſerit? Cùm enim aſtra nihil omnino in animum agant, quid ſcientiæ, aut coniecturæ ex aſtris de animi actibus concipere valent? Quòd ſi ex corporum, in quæ aſtra ſuis qualitatibus agunt, paſſionibus, de animi inclinationibus, ac proinde actionibus conüicere velint; ſanè ita fallax eſt coniectura, quàm liber eſt animus iis obſiſtere, ad quæ ſenſuum affectione inclinatur: quò fit, vt eam mendacij potiùs, quàm coniecturæ nomine inſigniri deceat.

At licèt id quoque Aſtronomis daremus, vt aſtra nonnihil in naſcentium mores, ac fortunam agerent, nec ſic quidẽ de his quicquam Aſtronomi verum prædicere valerent: quod vel hoc exemplo manifeſtum ſit. Neceſſarium ſiquidem iudicant Genethliaci, vt nuper nàti mores, & fortunam coniiciant, illius ortus momentum exactè cognoſcere, alioquin fallax illorum iudicium eſſe oportet: at cui ſine vllo errore aſtrorum ſitus, qui eſt in eo momento, quo quiſque naſcitur, ita perſpectus eſſe poteſt, vt in eo ipſo puncto ſyderum omnium aſpectum, quæ tunc vrgebant, obſeruare poſſit? nam cùm per ſingula ferè temporis momenta, alia, atque alia cœli facies, & diuerſa aſtrorum poſitio exiſtat: priùs conſtellatio euolat, quàm ea à Genethliaco percipi valeat. Quod argumentum egregiè, ac fusè proſequitur Baſilius hom. 6. ſuper Geneſ. *Baſil. hom. 6. in Geneſ.* cuius præclara verba hîc ad ampliorem huius rei probationem annotare volui.

Genethliacæ (inquit) *artis inuentores, cùm in temporis ampla ſpatio complures figuras ſuam ipſorum ſcientiam fugere percepiſſent, in anguſtum admodum temporis contraxêre menſuras; vt minutiſſimo quoque, ac ſubitaneo articulo, quale eſt, quod Apoſtolus dicit, in momento temporis, in ictu oculi plurimùm differentia ſit inter natiuitatem, & natiuitatem: vt is quidem, qui in hoc momento genitus eſt, futurus ſit rex ciuitatum, populorúmque princeps, locupletiſſimus, præpotens. Is autem qui natus eſt temporis ſequentis momento, pauper quidam ſit futurus, aut mendicus, circulator, vel præſtigiator, ex oſtiis oſtia permutans, quotidiani conſequendi cauſa victus. Quamobrem eo orbe, qui ſignifer appellatur, duodecim in partes diuiſo, cùm in 30. dierum ſpacio partem Sol eius globi tranſeat: duodecimam, quam inerrantem appellant, triginta in portiones ſingulas illas duodecim partes ſecuerunt. Tum ſingulis portionibus*

tionibus illis in ſexaginta minuta diuiſis: minuta hæc ſingula rurſum in alia 60. diuiſêre. Poſito igitur enixu eorum, qui in lucem eduntur, videamus obſecro, ſi hanc exactiſſimam temporis diuiſionem auctores hi ſibi valeant conſeruare: nam ſimul atque editus puſio eſt, mas an femella ſit, obſtetrix explorat: tum vagitum expectat infantis, nimirum indicium vitæ eius, qui natus recens eſt. Quot hoc tempore vis ſexageſima præteriiſſe minuta? Dicit obſtetrix deinde Chaldæo partum, qui editus eſt, quot minutiſſima momenta vis interea, dum obſtetrix loquitur, præteriiſſe? Præſertim ſi fortè fortuna fuerit non in conclaui mulierum Chaldæus ille præſens: ſed in ædium atrio, aut veſtibulo, tempus, horámque reponens. Et cùm eum, qui definiturus eſt diligenter tempus, ac horam, exploratoria nimirum horarum percipere oporteat inſtrumenta, ſiue diurna ſint, ſiue nocturna. Quot minutorum, hoc quoque tempore præteruolat, præteritq́; examen? Compertam enim eam eſſe ſtellam, qua tempus horáque ſit exploranda, non ſolùm quanta in parte ſit duodecimæ; ſed etiam quam iuxta duodecimæ portionem partis, in quotóque minuto ſexageſimæ eorum, in quæ ſubdiuiſa ſunt ſingula ſexageſima illa prima, neceſſe eſt. Atque hanc tamen adeò tenuem, ſubtilémque temporis inuentionem, quamquam attingere nequeant, ſingulis in ſtellis errantibus faciendam eſſe neceſſariò dicunt; vt qualem à cœlo ad fixas ſtellas ipſæ diſpoſitionem habitudinémve haberent: qualíſque ipſarum eſſet inter ſeſe figura, cùm in lucem ederetur fœtus, compertum ſit tandem, atque exploratum. Quæ cùm ita ſint, ſi fieri non poteſt, vt tempus illud exactiſſimè quiſquam attingat: variationéque vel breuiſſimi temporis fit, vt tota via penitus aberretur: deridendi profectò non mediocriter eſſe videntur, tam ij, qui ſtudio huiuſmodi indulſerunt artis, quam in ratione rerum nunquam eſſe conſtat, quàm illi, qui hiantes ab illorum ore pendent, intenti perinde, quaſi omnia illi ſcire poſſint. quæ ipſis ſunt euentura. Ita Baſilius: vt hinc quiſque facilè diſcere poſſit quàm fallax ſit, ac mendax huiuſmodi Aſtronomorum diuinatio.

Quòd verò ad contingentes, ac fortuitos aliarum rerum euentus ſpectat: ſanè tam certò ij ab Aſtronomis præuideri poſſunt, quàm eorum cauſæ, à quibus fluunt. Nam cùm hi talem cauſam ſortiantur, quales ipſi ſunt: vt effectibus cauſæ ſibi mutuò reſpondeant; ſicut illos conſtat ex accidenti, & non neceſſariò euenire; ita certam ſibi cauſam, qua innoteſcant, ſibi vendicare non valent. Quapropter cùm horum euentuum cauſa velut omnino anceps, ac dubia, ab iis inueſtigari non poſſit; præſertim ex aſtris, quæ neceſſarios duntaxat effectus indicant, ac conſimiles cauſas; inde manifeſtum eſt fortuitos huiuſmodi effectus ex ſyderum aſpectu, neque præuideri, neque præmonſtrari poſſe: quod non ſemel ipſa experientia probatum fuit: nam inter Ethnicos Tullius lib. de Diuinat. crebra, ac ferè quotidiana Chaldæorum commenta

Tull. lib. de Diuin.

A inſectabatur his verbis. *Qwid plura? quotidie refelluntur Chaldæi: quàm multa ego Pompeio, quàm multa Craſſo, quàm multa ipſi Cæſari à Chaldæis dicta memini, neminem eorum niſi ſenectute, niſi domi, niſi cum claritate eſſe moriturum? vt mihi permirum videatur, quemquam extare, qui etiam nunc credat iis, quorum prædicta quotidie videat re, & euentis refelli.*

Inter Catholicos D. Ambroſ. lib. 4. Hexameron cap. 7. huiuſce artis fallacias commemorat exemplo. *Cùm* (inquit) *ante dies paucos eſſet ſermo de pluuia, quæ fore vtilis diceretur: ait quidam. Ecce neomenia dabit eam. Et quamuis*
B *cupidi eſſemus imbrium: tamen eiuſmodi aſſertiones veras eſſe nolebam: denique delectatus ſum, quòd nullus imber effuſus eſt, donec precibus Eccleſiæ datus, manifeſtaret, non de initiis Lunæ ſperandum eſſe: ſed de prouidentia, & miſericordia Creatoris.* Quo exemplo, & vanitas iſtius Aſtrologiæ confutata eſt, & efficaeia Chriſtianæ pietatis, viſque Religioſarum precum reipſa comprobata.

D. Amb. li. 4. Hexam. c. 7.

Quot præterea quotidie experimur his Aſtrologorum ſomniis deluſos: vt non tam horum temeritatem, quàm illorum dementiam demirari oporteat, qui etiamnum aper-
C tiſſimis eorum fabulis aures, ac animum præbent? Quamobrem omnibus, qui Genethliacis hiſce commentis plus æquo delectantur; conſultum eſt: vt Ambroſianum illud dictum ſibi ante oculos figant, qui lib. 4. Hexameron cap. 4. de Genethliacis ſcribens. *Sapientia* (inquit) *Chaldæorum tela araneæ comparatur, in quam ſi culex, aut muſca inciderit, exuere ſe non poteſt: ſi verò validiorum animantium vllum genus incurriſſe viſum eſt, pertranſiuit, & caſſes rupit: infirmos, atque inanes laqueos diſſipauit. Talia ſunt retia Chaldæorum, vt in his infirmi hæreant, validiores ſenſu offenſionem ha-*
D *bere non poſſint: itaque vos qui validiores eſtis, cùm videritis Mathematicos; dicite. Telam araneæ texunt, quæ nec vſum aliquem poteſt habere, nec vincula; ſi tu non quaſi culex, aut muſca lapſu tuæ infirmitatis incurras: ſed quaſi paſſer, aut columba caſſes inualidos præpetis volatus celeritate diſſoluas.*

Cap. 4.

Dico quartò, *non eſſe in cœlo, & apud ſydera certa ſigna futurarum rerum.* Quod optimè probat Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 95. artic. 5. *Corporeum namque ſignum* (ait) *vel eſt effectus eius, cuius eſt ſignum, ſicut fumus ſignificat ignem à quo cauſatur: vel procedit ab ea-*
E *dem cauſa, & ſic dum deſignat, per conſequens ſignificat effectum: ſicut iris quandoque ſignificat ſerenitatem, in quantum cauſa eius, eſt cauſa ſerenitatis. Non poteſt autem dici quòd diſpoſitiones cœleſtium corporum, & motus ſint effectus futurorum euentuum, nec iterum poſſunt reduci ad ſuperiorem cauſam communem, quæ ſit corporalis. Poſſunt autem reduci ad vnam cauſam communem, quæ eſt prouidentia: ſed alia ratione*

D. Tho. 2. 2. q. 95. ar. 5.

tione diſponuntur à Diuina prouidentia motus, & ſitus cœleſtium corporum; & alia ratione euentus contingentium futurorum: quia illa diſponuntur ſecundùm rationem neceſſitatis, vt ſemper, & eodem modo proueniant; hæc autem ſecundum rationem contingentiæ, vt variabiliter contingant: vnde non poteſt eſſe, quòd ex inſpectione ſyderum accipiatur præcognitio futurorum. Atque ita ex hac D. Thomæ ratione patet, quòd cùm ſydera non ſint rerum contingentium effectus, neque vtraque ex communi, ac naturali cauſa fluant, cùm nullum cœlis ſit ſuperius corpus, quod tam in ſydera, quàm in euentus influat, ea quoque rerum futurarum ſigna eſſe non poſſint. Quòd etiam confirmat Auguſt. lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 1.

Aug. lib. 5. de Ciui. Dei cap. 1.

Dicet aliquis fortè, Cometas qui in ſublimi aëre generantur, ſigna eſſe, quibus inſigniores aliqui rerum euentus portenduntur: nec tamen eorum vel cauſas, vel effectus eſſe, neque ab eadem communi cauſa manare. Principiò Cometas omnes certa humanorum aliquorum caſuum ſigna indifferenter eſſe nemini concedendum puto: licèt id ita vulgo receptum ſit, cui ſæpiſſimè inepta, ac ſuperſtitione plena diuina videntur: atqui ab eo pendere haud ſapientes decet: qua enim ratione, aut bella, aut hominum mortem prænunciare poſſunt, quæ nulla naturali cauſa ad hæc ſignificanda ordinantur? Nec tamen omnino negandum cenſeo, eos nonnunquam & ſigna eſſe, & vera portendere; tunc ſcilicet, cùm ad Dei iram in nos excitatam noſtris ſceleribus ſignificandam, vel ad aliquod ſingulare, ac præclarum Diuinæ Maieſtatis opus declarandum, à Deo præter naturæ ordinem nobis oſtenduntur: nam & futura ſigna in Sole, & Luna, & ſtellis Orbi aduentura certò expectamus, ad ſupremum iudicij diem hominibus inſinuandum: & à Regio vate edocemur,

Pſal. 59.

data eſſe interdum electis ſigna, vt fugiant à facie arcus, ac diuinum furorem declinent. Neque etiam nos latet nouam cum Chriſto ortam eſſe Magis ſtellam, quæ ſuperni regis ortum ſignificaret: his ſiquidem portentis, quæ Deo præter omnem cauſarum ordinem agēre eueniunt, cùm Diuina ſint, non credere, proterui, ac obſtinati potiùs, quàm prudentis, ac pij animi ſignum eſſe dixerim. Quamobrem cùm noua quædam, ac inſolita in cœlo videntur, ſiue ea naturalia ſint, ſiue præter naturæ ordinem à Deo exhibita, omnibus tunc conſultum eſt, vt cœlo docente diſcant Dei opem implorare: & ſi qua imminet Dei ira, eam vita in meliùs commutata compeſcere.

Cæterùm aſtra ſigna futurarum rerum ex ſeipſis præ ſe ferre, non tam vanum, quàm ridiculum eſt: nam qua ratione præſignificare poſſunt, quæ contingentia ſunt, & nullam certam determinatam cauſam habent: planè

A ſi Aſtrononii aſtra futurorum ſignificatiua eſſe volunt, id eos fateri opus eſt, vt ea fallacia interdùm ſigna eſſe dicant. Nam id primò quidem exploratum eſt, aſtra ſi quid apud nos efficiunt, ea tantummodò vt cauſas vniuerſales moliri; quò fit, vt particularium quoque cauſarum concurſum neceſſariò exigant. Cùm igitur præter cauſas cœleſtes, ad futuros effectus producendos opus ſit etiam cauſa particulari, & efficiente: quid? ſi ex vi, aut caſu aliquo impediatur, ne concurrat? an non perſpicuum eſt nullum ex ea effectum ſequi oportere? Quemadmodum ſi exempli gratia

B aſtra præſignarent, Tullium prole fœcundum fore: iſque vel ſterili vxori copularetur, vel ante prolem immatura morte præueniretur: an non aſtra prolis fœcunditatem in Tullio falsò præſignaſſent, qui prolem nunquam habiturus eſſet? Ac idem de ſimilibus iudicium fieri poteſt: atque ita fieret, vt aſtra, quæ huiuſmodi futuros effectus indicauerant, fallacia eſſent.

Tandem Aſtronomi, ne aſtrorum ſigna alicui falſitati ſubiiciant, atque inde illorum fallax ſcientia euincatur: omnino fateri coguntur, illa quicquid futurorum euentuum

C præſignant, ita neceſſarium efficere, vt id aliter quàm præſignatum eſt, cadere non poſſit. En quò tandem euadũt: vt apertè (callidè tamen) fati neceſſitatem inducant, qua ſemel conſtituta rerum contingentiam tollunt, liberam hominis voluntatem euertunt, & cuncta quæ ſuperiùs ex Origene incommoda collegimus, in Catholicam tum fidem, tum Religionem inuehunt.

Ex quo tandem concludimus, grauiſſimè peccare, quiſquis Aſtrologos ita conſulit, vt cuncta ſua opera, caſus, euenta, ſiue fauſta, ſiue infauſta ex cœli obſeruatione præſentiri, ac

D prædici poſſe certò ſibi perſuadeat. Quin addo ex Caietano in ſummula, mortali ſe crimine adſtringere eos, qui vel Chriſtianæ fidei tãquam cœleſtibus cauſis ſubſint, myſteria ab aſtris prænunciari credunt; vel ab Aſtronomis futura contingentia quærunt, velut certa ex cœleſtibus cauſis; vel demum actiones ſuas cœlo ita ſubiiciunt, vt Aſtronomorum prædictiones velut leges ſibi proponant, à quibus ſe ſuáque pendere ſibi perſuaſum habent.

E

Diluitur obiectio de voluntate, & præſcientia Dei.

ARTICVLVS XVIII.

POSTREMA ex his oritur difficultas, quæ nobis ſupereſt explicanda, quam nonnulli aduerſus rerum contingentiam, ac humanorum actuum libertatem, quam hactenus

ctenus defendimus, ex diuina voluntate, & præſcientia obiiciunt: quod ſanè Aſtronomis haud leue videtur argumentum, quo ſe ipſos muniāt, vt eò faciliùs Aſtrorum vim, atque efficientiam omnibus tam liberis, quàm contingentibus cauſis dominantem ſtatuant. Cùm enim efficaciſſima ſit Dei voluntas, cui nihil prorſus obſiſtere poteſt, neque aliò res deflectere valeant, quàm quò à Dei voluntate deſtinato fine feruntur: & tandem cùm ea ſola de rebus, & euentis omnibus decernat, planè nihil iis contingens, ac fortuitum, nihil liberum relictum videtur, quo ſe ab ineuitabili neceſſitate exuant.

Rurſus cùm Deo futura contingentia euenta ita certiſſimè præcognita ſint, vt in iis nullo modo illius præſcientia falli poſſit: inde neceſſariò omnia euenire, quæcunque euentura Deus præſciuit, ſibi perſuadent; ex quo rerum contingentiam minui, & ineuitabilem rebus neceſſitatem induci opus ſit. Porrò rerum contingentia è medio ſublata, ac ineuitabili neceſſitate ſemel conſtituta, facilè ij Aſtrorum vim, atque efficientiam præſertim ſub Deo, rebus omnibus imperitantem ſtatuere valent. Quare geminam hanc difficultatem (vt Aſtronomos tandem, ac Fatarios ſimul vnico telo confodiamus) omiſſis Scholaſticorum altercationibus, eo quo propoſita eſt ordine diſſoluemus, quibuſdam propoſitis dictis.

Dictum primum. Dei voluntas tametſi tam in contingentibus rerum euentis, quàm in liberis hominum actionibus impleri neceſſe ſit: nullam tamen à rebus contingentiam tollit, aut ab hominibus libertatem ſubtrahit. Dictum eſt bimembre, atque vtrumq; membrum certum eſt ex fide. Nam quòd Dei voluntatem impleri opus ſit, probāt multa Scri-

Eſther. 13. pturarum teſtimonia. Eſther. 13. *Nemo eſt, qui*

Pſalm 113. *voluntati tuæ poßit reſiſtere.* Pſal. 113. *Omnia quæ-*

Ad Rom. 9. *cunque voluit Dominus, fecit.* Paul. ad Rom. 9. *Voluntati eius quis reſiſtet?* Demū quoties in Scripturis mentio fit de abſoluta Dei potentia, aut Deus omnipotens appellatur; toties Diuinæ voluntatis vis, atque efficacia ſtatuitur. Neque vlla hac in re inter nos eſt controuerſia. Cùm enim vniuerſa ſupremæ, ac abſolutiſſimæ Dei ditioni ſubiecta ſint, ac illius imperio pareant, quocunque voluntatis ſuæ clauum vertit, eò res omnes ſequi neceſſe eſt, & præſcriptam ſibi omnipotentiæ legem agnoſcere: neque vlli fortuiti rerum euentus, neque libera ipſa humanæ voluntatis facultas, quæ nulla vnquam potuit virtute violari, ab hac ſe diuinæ voluntatis lege eximere valent. De euentibus quidem id magis perſpicuum eſt, quando tritum illud à Theologis, dictum habemus: Euentus omnes licèt contingentes, diuinæ voluntatis eſſe decretamce quicquam res efficere poſſe, quàm quod ipſa

A diuinæ voluntatis lex faciendum decreuerit; ne aliquid temerè diuinæ voluntatis imperio ſubtrahatur. Ita fit, vt cùm Deus res cunctas, quæ vnquam in Orbe fient, ita futuras præuideat, vt cùm is falli non poſſit, eas fieri aliquando neceſſe ſit: & cùm illarum artifex eſſe debeat, etiam voluntate decernat (non enim res illas attingo, quæ non ab efficiente, ſed à deficiente cauſa fluunt, velut hominum peccata, quæ à Deo non niſi permiſſiuè manant) Cæterùm temerè haud negandum eſt, ad ea omnia diuinam prædefinitionem ſe extendere, ad quæ ipſa Dei efficientia, ac opifi-

B cium diffunditur: cùm igitur Deus omnium rerum cauſa exiſtat; planè nemo inficiari debet, quin diuinæ prædeterminationi omnia ſubſint.

At illud planè mirabile videri debet: quòd liberas hominum actiones, quæ nullius imperio ſubiectæ ſunt: ita ſuæ voluntati ſubiicit, vt quocunque ſua libertate ferantur, eius tamen obſequio inſeruiant. Quod præclarè docet Auguſt. in Enchirid. *Hæc (inquit) ſunt ma-* Aug. in Enc.

gna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius, & tam ſapienter exquiſita, vt cùm Angelica, & humana natura peccaſſet, id eſt, non quod ille,

C *ſed quod voluit ipſa, feciſſet; etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum eſt, quod creator noluit, impleret ipſe, quod voluit; bene vtens, & malis, tanquam ſummè bonus, ad eorum damnationem, quos iuſtè prædeſtinauit ad pœnam; & ad eorum ſalutem, quos benignè prædeſtinauit ad gratiam. Quantum enim ad ipſos attinet, quod Deus noluit fecerunt, quantum verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere voluerunt. Hoc quippe ipſo, quod contra voluntatem Dei fecerunt, de ipſis facta eſt voluntas eius. Propterea namque magna* Pſalm. 110.

opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius; vt miro, & ineffabili modo, non fiat præter eius vo-

D *luntatem, quod etiam contra eius fit voluntatem, quia non fieret, ſi non fineret, nec vtique nolens ſinit, ſed volens, &c.* En quàm miro modo omnipotenti Deo vniuerſæ hominum voluntates ſubiectæ ſunt.

Quid enim magis Dei voluntati inimicum videri poterat, quàm illius legem, qua perfecta Dei voluntas nobis inſinuatur, infringere? Quis in Deum flagitioſos homines eniti, ac illius voluntatem expugnare non crederet, dum quotidianis ſceleribus incumbunt; quibus ipſa Dei voluntas aduerſatur? quorum tamen impia voluntate (miro ta-

E men modo) ita vtitur Deus, vt integra (licèt occulta) Dei voluntas tunc erumpat, cùm prorſus euerſa creditur. Hoc ipſum idem Auguſt. pertractat in Pſalm. 110. *Non ſic (ait) conſti-* Aug. in Pſ. 110.

tuta ſunt opera Domini, vt creatura in arbitrio liberè conſtituta, Creatoris ſuperet voluntatem, etiamſi contra eius faciat voluntatem. Non vult Deus, vt pecces, nam prohibet: tamen ſi peccaueris, non putes hominem feciſſe quod voluit, & Deo accidiſſe quod noluit:

noluit:ſicut enim vult, vt homo non peccet, ita vult peccanti parcere, vt reuertatur, & viuat: ita vult poſtremo in peccato perſeuerantem punire; vt iuſtitia potentiam contumax non euadat: ita quicquid elegeris, omnipotenti non deerit, vnde ſuam de te compleat voluntatem. A

Quòd verò Dei voluntas nullam futuris contingentibus, aut liberis hominum actibus neceſſitatem inducat, quod alterum eſt noſtri dicti membrum, de fide quoque certum eſt: id enim Scripturæ indicant, Sap. 8. vbi de Diuina ſapientia agens Salomon. *Attingit* (ait) *à fine, vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* Gen. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Num. 30. *In arbitrio viri erit ſiue faciat, ſiue non faciat.* Eccleſ. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui* Demum vbicunque Deus in Scripturis, vel conſulit, vel præcipit, vel pœnas minatur, vel præmia pollicetur, liberam docet hominibus eſſe voluntatem, neq; à Deo vllo modo cogi: idem probat communis Patrum, ac Theologorum conſenſus. Nam D. Dionyſ. Areop. de Diu. nomin. cap. 8. ait: *Scire opus eſt Diuinam iuſtitiam ex hoc maximè veram eſſe iuſtitiam, quòd ſingulis pro dignitate cuiuſque rei, propria quædam diſtribuat, ſingulorumq; naturam in ordine ſuo, & virtute propria conſeruet.* Quod poſt Dionyſium clariùs explicat D. Aug. lib. 7. de Ciuit. Dei c. 9. cùm ait: *Res enim quas Deus condidit, ita ſua pietas adminiſtrat, vt eaſdem actiones proprias agere ſinat*: vbi ſimul & Dei adminiſtrationem, ſeu prouidentiam, & rerum contingentiam, ac libertatem conſpirare docet.

(Sap. 8. — Gen. 4 — Num. 30. — Eccleſ. 15. — D. Dionyſ. Areop. de Diu. nomin. cap. 8. — D. Aug. lib. 7. de Ciu. Dei cap. 9.)

B C

Attamen id fateri opus eſt, hoc inter ardua ac mirabiliora Dei myſteria, quæ in Chriſtiana Religione credenda proponuntur, mirabiliſſimum eſſe: quòd nullo intellectu percipi queat, quomodo inquam integra, ac ſarta tecta tum rerum contingentia, tum hominis libertate, liberum in omnia, ac abſolutum Diuina voluntas longè lateq; imperiũ exerceat. D

D. Thom. lib. 3. cont. Gent. & p. p. quæſt. 19. art. 8. D. Bon. in 1. ſent. diſt. 47. q. 10. art. 3. hac ratione Diuinæ voluntatis decretum cum rerum contingentia, ac humana libertate conciliat: quòd etſi Deus omnium ſit cauſa immutabilis, & apud illum omnia ita decreta ſint, vt omnino voluntatis ſuæ legem ſequantur: nonnulla tamen contingenter ac liberè eueniunt, quia à Deo ita decretum ſit, illa cõtingenter, ac liberè euenire: iis enim fixum atque immobile principium eſt. Diuinam voluntatem omnis contingentiæ, ac libertatis originem, ac cauſam eſſe: ob id potiſſimũ, quòd illis rebus non tantùm eſſe, ſed etiá modum eſſendi decernat: nulla enim contingétia, aut libertas rebus ineſſet, niſi eas ineſſe Diuina ipſa voluntas decreuiſſet: atque ita rerum naturas diſpoſuiſſet, vt has quidem contingentes, illas liberas eſſe vellet. Cùm autem Deus quædam contingenter, quædam liberè fieri vult, iis cauſas vel contingentes, vel liberas applicat. Hinc duo ad contingentiam, vel libertatem rerum concurrunt, Dei nimirum voluntas, deinde ipſa cauſa contingens, aut libera: quò fit, vt is actus omnino liber, vel contingens cenſeatur, quem Diuina voluntas ex libera, vel cõtingenti cauſa talem voluit proficiſci. Hoc modo Ioſeph in Ægypto magnus euaſurus erat, quia ita à Deo decretum fuerat, quo decreto ſtante, illum non magnum fieri haud poſſibile erat. Attamen contingenter magnus euaſit, tum quòd à Deo prædefinitum fuerat, vt contingenter magnus euaderet, tum quòd effectus à cauſa merè contingenti pendebat.

(D. Thom. lib. 3. cont. Gent. & p. p. q. 19. artic. 8. D. Bon. in 1. ſent. diſt. 47. q. 10. art. 3.)

E

Sirenius lib. 8. de fato alia ratione Diuinam voluntatem, ac illius decretum cum rerum contingentia concordare ſe exiſtimat. Probat enim pluribus, Diuinam voluntatem non ita erga res humanas ſe habere, vt integra earum cauſa exiſtat; ſed ita potentia ſua agere, vt non ſine ipſis rebus agat: quò fit, vt pro rerum ipſarum natura, atque vi, potentia, vel impotentia, arbitrio, vel appetitu; nec non pro ipſarum propenſione, & inclinatione tãtummodò operetur. Hinc colligit agentium operationes, & futuros contingentes euentus à Diuina volũtate non eſſe decretos.

(Sirenius lib. 8 de fato.)

Sed hæc ſententia non placet. Primò, quia Dei actio quodammodo à rebus ipſis penderet; quod abſurdum videtur, cùm res potiùs à Deo, velut à principali cauſa pendere debeãt: nam tametſi Deus (vt Theologorũ axiomate receptum eſt) cum naturalibus cauſis naturaliter, cum contingentibus contingenter, cũ liberis liberè ſe habeat; non tamen ita ab iis pendet, vt earum motum expectare cogatur: cùm potiùs ipſe res iuxta proprias naturas moueat (vt diximus ex Aug.) Adde quòd ſi Deus penderet à cauſa contingenti in agendo (vt ponit Sirenius) omnes effectus eſſent contingentes reſpectu Dei; ſed cùm Deus omnium efficax cauſa ſit, vt ex D. Thoma, ac cæteris Scholaſticis perſpicuum eſt, nihil poteſt eſſe illi contingens.

Secundò, quia hæc opinio ſtatuit radicem contingentiæ ex defectu ſecundæ cauſæ; ad quod duo ſequuntur incommoda, vt optimè probat. D. Thom. p. p. q. 19. art. 8. Primũ, quòd Diuinæ voluntatis effectus à cauſarum defectu poſſet impediri, quod abſurdum eſt, cùm id Diuinæ voluntatis impotentiæ tribueretur, quæ cùm efficaciſſima ſit, ac ſemper effectum ſuum conſequatur, à cauſarum defectu non poteſt impediri; quòd ſi impediretur, defectus ille in primam cauſam redundaret. Vide Caietanum ibidem, qui hoc argumentum pertractat. Secundò, ſequeretur quòd ſub voluntate Diuina non caderet contingentia, quamobrem nec prouidentiæ ſubeſſet, quod etiam

(D. Thom. p. q. 19. art. 8)

Digitized by Google

etiam à fide diſſentaneum eſt, cùm nihil præter Dei voluntatem contingat, ſed vniuerſa Diuinæ prouidentiæ legi ſubiaceant.

Tertiò, nō placet hæc ſententia, quia tollit Dei decretum, quod vniuerſa futura contingentia complectitur, nam cùm cuncti rerum euentus, tam ex contingentibus, quàm liberis cauſis manantes, ſub Diuinæ prouidentiæ lege contineantur, quis iure inficiari queat, eos certa etiam Diuinæ volūtatis regula præfiniri? nam tametſi ea, quæ non efficientem, ſed deficientem cauſam habent, cuiuſmodi ſunt ſcelera, ac peccata, ſub Dei decreto non cadant: cùm eorum in Deo nulla cauſa præceſſerit, licèt iis poſteà bene vti decernat: in cæteris tamen, quæ efficientem cauſam habent, omne Dei decretum euertere, temeritate non vacat: cùm eo, & prædeſtinationis certitudo, quæ licèt merè contingens ſit, ex inuiolabili tamen Dei decreto proficiſcitur: cuncta etiam prędeſtinationis media, quę ſub eadem decreti lege comprehenduntur, penitus conuellerentur. An non contingens fuit Chriſti paſſio, cùm à cauſis merè cōtingentibus penderet? quam tamen à Dei decreto promanaſſe Diſcipuli teſtantur Actor. 4. *Conuenerunt* (inquiunt) *verè in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum quem vnxiſti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum gentibus, & populis Iſrael facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri.* Quot præterea futura euenta à Prophetis prædicta fuêre diuino ſpiritu afflatis, quæ nemo iure dubitare poſſit, ita à Deo eſſe decreta, vt ſecus euenire non poſſent; quæ tamen vel à contingentibus rerum cauſis, vel à liberis hominum voluntatibus profecta eſſe exploratum eſt.

Actor. 4.

Quamobrem integra maneat D. Thomæ, & aliorum Theologorum ſententia. Neque in nos quicquam agunt Nyſſenus, ac Damaſcenus: prior cùm in lib. de prouid. cap. 8. prouidentiam ait eſſe eorum, quæ non ſunt in nobis, non autem eorum, quæ ſunt in nobis. Poſterior verò cùm lib. de fid. Orthod. cap. 30. inquit ea quæ ſunt in nobis, Deum prænoſcere, ſed non prædeterminare: ſiquidem D. Tho. cont. Gent. lib. 3. c. 90. illa teſtimonia ita intelligenda docet, vt Patres illi duntaxat ſentiant, humanos actus ita Dei decreto, ac prædeterminationi non ſubeſſe, vt ineuitabili neceſſitate ab ea pendeant, quod nos quoque cum illis amplectimur, ac fatemur: non autem, quòd à Deo decreta non ſint.

Nyſſenus lib. de prouid. c. 8. Damaſc. lib. 2. de fide Orth. c. 30.

D. Tho. cont. Gent. lib. 3. c. 90.

Supereſt igitur, vt aliquo exemplo clariùs exponamus, quo pacto Diuinę voluntatis decretum cum rerum contingentia, ac hominis libertate nullo modo pugnet.

Plurimas in cœli facie, tum fixas, tum errantes ſtellas contemplamur, quas propriis ac ſingularibus quamque motibus ferri haud ignoramus. Cunctas verò tam mobiles, quàm

A immobiles cœlum mobile vniuerſali, ac rapidiſſimo curſu ita ſecum rapit, vt tamen proprios cuiuſque ſyderis motus nō impediat: ex quibus tandem diuerſæ, ac propè innumeræ configurationes, ac conſtellationes efformantur: hinc enim Sol diem, & annum præſtat, Luna parat menſes, Hyades, ac Pleiades tempora diſtinguunt, Canicula æſtuat, &c. Cùm igitur eò animum conuertimus, vt ſingulari cuique ſyderi integro relicto motu, quo proprios naturæ actus exercere poſſit, vniuerſa tamen velociſſimum cœli motum ſequi videamus: inde mirabiliſſimum quippiam animo contemplandum ſe offert: quo pacto vniB formis hic cœlorum motus, quo proprius ille ſyderum haudquaquam intercipitur, ita cum eo coëat, vt varias cœli formas, ac configurationes quotidie nobis ſpectādas obiiciat: quas ſanè vniuerſali illo ſuo motu cœlum haud efficeret, ſi proprius ſyderum motus quieſceret; neque eo ſingulari motu ſydera pertingerent, niſi vniuerſali cœli motu illa rapi cōtingeret.

Nunc quorſum hæc dicta ſint, diligenter inſpiciendum eſt. Deus Opt. Max. cuius voluntas ita vniuerſas rerum virtutes potentia condidit, ac hominum voluntates ſuauiter ita
C diſpoſuit, vt ſuæ omnino voluntari obſequerentur; alia quidem potentia ſua regit, ea nimirum, quibus naturam ratione orbatam tantummodò ducem præſtitit, vt ad vnum determinarentur: neque ipſa aliquid eligerent, ſed appetitu eis à Diuina prouidentia indito conditoris lege raperentur. Atque in his facilè quieſcit animus, cùm Deum harum rerum hac lege conditorem agnoſcit, vt ea imperio ſuo omnino pareant. At ſi quæ ſunt, quibus libera à Deo eligendi facultas data ſit, nequaquam ita poteſtate eas à Deo regi credimus, vt contra proprios ſui arbitrij motus
D agere compellantur: hinc maximus difficultatis nodus explicandus ſe offert; nam cùm liberæ hominum actiones ita à Diuina prouidentia regantur: vt in iis diuina voluntas placitum ſuum omnino aſſequatur: quo pacto id diuina voluntas conſequi valet, niſi libera hominum voluntas vim quodammodo patiatur?

At ſi diuinam voluntatem cœli inſtar agere nobis proponimus, perſpiciemus profectò, eam res vniuerſas ita ſecum rapere, vt fixas quidem, & immobiles propria immobilitate, mobiles ſuis motibus trahat: ſenſibiles appe-
E titu, rationales voluntate ducat: naturales tandem res ſeruitute, voluntarias libertate ad ſe vocet, & quò hæ ampliori libertate fruuntur, eò magis Dei gloriam augent: quandoquidem glorioſius eſt Deo, liberas res, ac ſuo iuri relictas, ſibi ſuauiter ſubiicere, quàm cæteras poteſtate velut inuitas trahere. Planè ſi omnes hominum voluntates ita à diuina voluntate agerentur, vt

G proprij

proprij motus nihil prorſus illis relictum eſ- A ſet: non tam in iis Dei virtus eluceret, quàm nunc perſpicuè cernitur, cùm reluctantibus paſſim voluntatibus, & propriis appetituum motibus contrà nitentibus, quò tamen Dei voluntas trahit, eò cunctæ ſuauiter feruntur: præterea ſi ſola vbique Dei voluntas imperaret, quæ cunctas hominum voluntates velut catenis annexas teneret, vt quò vellet, illuc tantummodò remigare compelleret; eò ſanè fieret, vt tantò leuiùs de Dei potentia homines iudicarent, quò arctiùs Diuinæ virtutis catenis ſe vinctos cernerent, perinde, ac ſi de B illorum fuga Deus pertimeſceret.

Quòd ſi è regione cunctæ hominum voluntates ita ſibi ipſis relictæ eſſent, vt proprio duntaxat motu, non ſuperiori aliqua voluntate agerentur, quæ aberrantes intra ordinis terminos contineret: multi proculdubio rebus fines præeſſe, nec omnia ad vnum tendere conſpicerentur: atque inde fieret, vt hominis libertas in licentiã euaderet, licentia confuſionem, ac deordinationem pareret: cùmq; omnia Dei prouidentiæ ſubeſſe, ac ab ea pendere debeant, prouidentiæ verò munus ſit, res vniuerſas in finem ordinare: vbi plures hominibus fines præſtituti eſſent, illine omnem or- C dinem exulare oporteret: quò fit, vt rerum ordine ſublato, homo à Dei prouidentia excluderetur. Quapropter prouidentiſſimus rerum conditor, vt ſuam in noſtra libertate poteſtatem declararet, liberas nobis voluntates reliquit: atque vt effrenem ab iis licentiam compeſceret, ita Diuinæ prouidentiæ ſubiectas eſſe voluit, vt qua via contra Dei voluntatem nitimur, eadem prorſus ei ſubiiciamur. Vergat licèt aduerſo motu voluntas noſtra appetitum ad Occidentem, cùm Deus ad Orientem vocat; eò tamen demum fertur, quò Diuina volũtas irrefragabili prouidentiæ motu præit: D ita vt ipſa voluntatis humanæ inobedientia (occultiſſima licèt ratione) diuinæ voluntati obediat: & vt Auguſt. ait: hoc ipſo, quòd contra Dei voluntatem fit, de ipſo facta eſt voluntas eius. *Auguſt.*

Ita plerunque accidit, vt in vario venatorum tumultu, eò quiſque, quò appetitus fert, curſum arripiat; omnes tamen venatoris voluntatem explent: ita etiam in inſtructa acie innumeri milites pugnant: hic gloriam quærit, ille præmium ſectatur, alter odium exercet, alter ad vindictam pugnat, vniuerſi tamen Ducis triumpho inſeruiunt: hoc planè E modo Diuina voluntas, cùm in omnibus tam contingentibus, quàm liberis actionibus ſemper impleatur, liberam tamen, ac contingentem rebus naturam ſeruat.

Dictum ſecundum. Dei præſcientia licèt certa, & infallibilis ſit, nullã tamen rebus tam contingentibus, quàm liberis neceſſitatem inducit. Dictum quoad vtramque partem copioſè probant Scripturarum oracula. Nam primò quod Deus certò & infallibiliter futura omnia tam contingentia, quàm ex liberis cauſis manantia cognoſcat; habetur Sap. 8. *Præterita nouit, & de futuris æſtimat: ſigna & monſtra cognoſcit, antequam fiant, & euentus temporum, & ſæculorum.* Pſalm. 138. *Intellexiſti cogitationes meas de longè, ſemitam meam, & funiculum meum inueſtigaſti, & omnes vias meas prœuidiſti.* Eccleſ. 39. *Oculi Domini lucidiores ſunt Sole, neque eſt quid mutabile, neque nouum in oculis eius.* Ioan. 14. *Et nunc dixi vobis priuſquam fiat, vt cùm factum fuerit, credatis.* Paul. ad Hebr. 4. *Omnia nuda, & aperta ſunt oculis eius.* *Sap. 8.* *Pſal. 138.* *Eccleſ. 39.* *Ioan. 14.* *Ad Heb. 4.*

Neque ab hoc diſcrepat ipſa naturalis ratio, quæ Deo rerum omnium prouidentiam tribuit. Cùm enim prouidentia res ſingulas futuras, tam contingentes, quàm ex liberis cauſis promanantes ad certos fines dirigat: certam futurorum omnium præſcientiam, ac præcognitionem requirit. Hinc Auguſtino dicere licuit lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 9. confiteri eſſe Deum, & negare præſcium futurorum, apertiſſimam inſaniam eſſe. Nam cùm Philoſophis, ac Theologis notum ſit, Deum eſſe primum verum, à quo omnis alia veritas fluit: ita enim teſtatur etiam Chriſtus apud Ioannem: *Eſt verus, qui me miſit*: neque aliquod in rebus cõditis verum eſſe poſſit, quod à primo hoc, ac ſupremo vero non pendeat: hinc apertiſſimum eſt, veram atque infallibilem rerum omnium præſcientiam ita neceſſariò Deo tribuendam eſſe; vt nulla omnino neque contingens, neque libera res eſſe poſſit, niſi eam futuram vera Dei præſcientia præuidiſſet. Quapropter aut Dei naturam, cuius excellentia in eo potiſſimùm elucet, quòd vniuerſa, tam præterita, quàm futura, vnico, ac ſimplici intuitu perluſtrat; penitus (quod impiiſſimum eſt) conuellere neceſſe eſt, vel certam, ac infallibilem rerum præſcientiam illi haud negare. *Aug. lib. 5. de Ciuit. Dei c. 9.* *Ioan. c. 7.*

Adhæc, ſi impiam, ac ſacrilegam eorum ſententiam, qui aut Deum negant, aut rerum ignarum efficiunt, ita perſequimur: vt illos natura ipſa indignos iudicemus; ſanè haud mitiùs in eos agẽdum eſſe exiſtimauerim, qui retento Deo, aut illum res præſcire negant, aut incertam, ac dubiam illi præſcientiam affigunt. Quapropter rectè Auguſt. loco citato aduerſùs Tullium de Diuina præſcientia agens, ait: aut enim Deum eſſe negat, quod quidem inducta alterius perſona in libris de Deorum natura facere molitus eſt: aut ſi eſſe confitetur Deum, quem negat præſcium futurorum, etiam ſic dicit, nihil aliud, quàm quod ille, *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.*

Hanc aſſertionem omnibus Catholicis certam, poſt Ambroſ. Aug. Irenæum, Origenem, Athanaſium, Chryſoſtomũ, Cyrillum, ac reliquos Patres declarat D. Greg. in Iob. l. 20. c. 13. *D. Gregor. in Iob. lib. 20. c. 13.*

vbi

vbi ita Diuinæ præſcientiæ modum inſinuat.
Et ſcimus (inquit) *quia Deo ſuturum nihil eſt, ante
cuius oculos præterita nulla ſunt, præſentia non
tranſeunt, futura non veniunt: quippe quod om-
ne, quod nobis fuit, & erit, in eius proſpectu præ-
ſtò eſt, & omne quod præſens eſt, ſcire poteſt po-
tiùs, quàm præſcire*; & poſt pauca: *& quia ea,
quæ nobis futura ſunt, videt, quæ tamen ipſi ſem-
per præſtò ſunt; præſcius dicitur: quamuis nequa-
quam futurum præuideat, quod præſens videt.* Hinc
Scholaſtici potiſſimam huius rei probatio-
nem de cognitione Dei intuitiua, quam præ-
ſcientiæ certitudo comitatur, deſumpſiſſe vi-
dentur.

Porrò altera noſtri dicti pars iiſdemferè
Scripturarū teſtimoniis munitur, quibus an-
tea primum dictum confirmauimus: nam
quòd Dei præſciētia nullam inferat rebus ne-
ceſſitatem, illa omnia Scripturæ loca docent,
quæ vel optionem aliquid eligendi homini
datam inſinuant, quæ cum neceſſitate eſſe
non poteſt, vt Deut. 30. Ioſue vlt. Num. 30.
2.Reg.24. 3.Reg.3. Eccleſ.15. Daniel.13. vel
quædam ſita eſſe in hominis poteſtate tra-
dunt, vt Geneſ.4. 1.Paralip.29. Pſal.118. Hie-
rem. 18. & paſſim: tandem quæcunque ali-
quid vel conſulunt: vel præcipiunt, vel quoſ-
dam laudant, aut vituperant. Hæc enim om-
nia hominis voluntatem nulla Dei præſcien-
tia coactam declarant.

Porrò hanc aſſertionem, quæ communis
eſt omnibus Patribus, ac Theologis, Auguſt.
Aug. de lib. arb. li.3.c.3. de lib. arb. lib.3.cap.3. fusè proſequitur; quam
tribus potiſſimùm rationibus munit. Primam
rationem ab ipſa præſcientiæ natura petitam
ita ediſſerit. *Certè* (inquit) *hoc te mouet, & hoc
miraris, quomodo non ſint contraria, ac repugnan-
tia, vt & Deus præſcius ſit omnium futurorum, &
nos non neceſſitate, ſed voluntate peccemus? Si enim
præſcius eſt Deus* (inquis) *peccaturum eſſe hominem,
neceſſe eſt, vt peccet: ſi autem neceſſe eſt, non ergo
eſt in peccando voluntatis arbitrium; ſed potiùs ine-
uitabilis, ac fixa neceſſitas; qua ratiocinatione, hoc
videlicet ne conficiatur, times, vt aut Deus futu-
rorum omnium præſcius impiè negetur: aut ſi hoc
negare non poſſumus, fateamur, non voluntate, ſed
neceſſitate peccare*, &c. *Attende quæſo quanta
tacitate dicatur, ſi præſciuit Deus futuram volunta-
tem meam; quoniam nihil aliter poteſt fieri, quàm
præſciuit, neceſſe eſt, vt velim, quod ille præſciuit.
Si autem neceſſe eſt, non iam voluntate, ſed neceſ-
ſitate id me velle fatendum eſt. O ſtultitiam ſingu-
larem! quomodo ergo non poteſt aliud fieri quàm
præſciuit Deus, ſi voluntas non erit, quam volun-
tatem futuram ipſe præſciuerit*, &c. *Quòd ſi fie-
ri non poteſt, vt dum volumus, non velimus:
adeſt vtique voluntas volentibus: nec aliud quic-
quam eſt in poteſtate, niſi quod volentibus adeſt.
Voluntas igitur noſtra nec voluntas eſſet, niſi eſ-
ſet in noſtra poteſtate: porrò quia eſt in poteſtate,
libera eſt nobis: non enim eſt nobis liberum quod in*
A *poteſtate non habemus, aut poteſt non eſſe, quod ha-
bemus. Ita ſit, vt & Deum non negemus eſſe præ-
ſcium omnium ſuturorum, & nos tamen velimus,
quod volumus: cùm enim ſit præſcius voluntatis no-
ſtræ, cuius eſt præſcius, ipſa erit. Voluntas ergo erit,
quia voluntatis eſt præſcius: nec voluntas eſſe pote-
rit, ſi in poteſtate non erit: ergo & poteſtatis eſt præ-
ſcius. Non igitur per eius præſcientiam mihi poteſtas
adimitur, quæ propterea mihi certior aderit, quia ille
cuius præſcientia non fallitur, adfuturam mihi eſſe
præſciuit.*

Duplici hîc argumento agit Auguſt. Pri-
mum eſt, vbi eſt hominis voluntas, ibi & ho-
B minis libertas reperitur. Hoc facilè perſuadet
Auguſt. declarans hanc ipſam eſſe voluntatis
naturam, vt libera ſit; ac homini libertatem
adferat: ſecus enim non eſſet voluntas. Nam
tametſi pleraque inuoluntariè, ac neceſſitate
nobis accidant, non voluntariè tamen velle
omnino non poſſumus; vt ibidem docet Au-
guſtinus. *Poſſumus* (inquit) *dicere, non voluntate
viuimus, ſed neceſſitate, aut non voluntate mori-
mur, ſed ex neceſſitate; & ſi quid aliud huiuſmodi:
non voluntate autem volumus, quis vel delirus au-
deat dicere?* Sed cum præſcientia Dei ſtat ho-
minis voluntas, præſcit enim Deus hominum
C voluntates, ac volūtatum humanarum actus,
quòd ſi non præſciret, voluntas nulla eſſet.
Immò eò certior eſt in homine voluntas, quò
magis indubiè ea à Deo illi adeſſe præſcitur.
Cùm igitur præſciat Deus voluntatem ho-
mini ineſſe, atque eum poſſe velle, ac liberè
velle, liquet etiam, eum Dei præſcientia ho-
minis libertatem conſiſtere.

Alterum argumentum eſt. Quodcunque
Deus præſcit, id certiſſimum, & infallibile eſt;
cùm diuinæ præſcientiæ nulla, aut falſitas, aut
incertitudo ſubeſſe poſſit: ſed Deus volunta-
tes humanas liberas, ac ſuæ poteſtatis præſcit:
D nam ſi liberas non præſciret, nullo modo vo-
luntates præſciret, cùm voluntatis natura ſit
poſſe velle; neceſſitate enim velle, non eſt vel-
le; ſed tantum liberè velle, eſt poſſe velle. Igi-
tur voluntates humanæ ex ipſa Dei præſcien-
tia liberæ, ac ſuæ poteſtatis efficiuntur.

Secunda ratio Auguſtini eſt eodē loco, qua
ducit ad impoſſibile, his verbis. Aug *ſi Deus vo-
luntatē tuam craſtinam nouit, & omniū hominum,
ſiue qui ſunt, ſiue qui futuri ſunt, futuras præuidet
voluntates; multò magis præuidet, quid de iuſtis, im-
piiſque facturus ſit*: Eu. *prorſus, ſi meorum operum
præſcium Deum dico, multò fidentiùs eum dixerim
E præſcire opera ſua, aut quid ſit facturus certiſſimè
præuidere.* Aug. *nonne igitur caues, ne tibi dica-
tur etiam ipſum quæcunque facturus eſt, non vo-
luntate, ſed neceſſitate facturum: ſi omnia quorum
Deus præſcius eſt, neceſſitate fiunt, non voluntate?*
Quæ ratio ſanè validiſſima eſt. Nam ſi vni-
uerſa, quæ Deus præſcientiæ ſuæ oculo an-
teuertit, non voluntate, ſed neceſſitate fierēt:
illud planè impoſſibile ſequeretur, vt cuncta

quæ ipſe ſe facturum præſcit, non voluntate, A ſed neceſſitate efficeret: eadem enim lex vniuerſa à Deo præſcita comprehendit. At quis aſſerere audeat, Deum quicquam non voluntate, ſed neceſſitate efficere; cùm ita libera illius voluntas ſit, vt non modò nulli neceſſitati ſubiecta eſſe poſſit, verùm & omnium rerum neceſſitates ſibi ſubiiciat? Quod ſi fieri omnino impoſſibile eſt, ſanè impoſſibile erit omnia, quorum ipſe eſt præſcius, non voluntate, ſed neceſſitate fieri.

D. Anſel lib. de concord. præſ. & lib. arb.

Illuſtrat hanc rationem D. Anſelm. in lib. de concord. præſc. & lib. arb. his verbis: *Quare ſi ſcire, atque præſcire Dei neceſſitatem ingerit omnibus, quæ ſcit, aut præſcit: nihil aut ſecundum æternitatem, aut ſecundum vllum tempus vult, aut facit ex* B *libertate, ſed omnia ex neceſſitate: quod ſi abſurdum eſt vel opinari, non neceſſitate eſt, aut non eſt, omne quod ſcit, aut præſcit eſſe, vel non eſſe.*

Poſtremam tandẽ ratione ab ipſo præſcientię nomine deprõptam explicat paulò pòſt ita ſcribens. Auguſt. *Vnde tibi videtur aduerſum eſſe liberum arbitrium præſcientiæ Dei, quia præſcientia eſt, an quia Dei præſcientia eſt?* Eu. *Quia Dei potius.* Aug. *Quid ergo, ſi tu præſcieris peccaturum eſſe aliquem, non eſſet neceſſe, vt peccaret?* Eu. *Immò neceſſe eſſet, vt peccaret, non enim aliter eſſet præ-* C *ſcientia mea, niſi certa præſcirem.* Aug. *Non igitur quia Dei præſcientia eſt, neceſſe eſt fieri, quæ præſcierit, ſed tantummodò quia præſcientia eſt, quæ ſi non certa pranoſcit, vtique nulla eſt.* Eu. *Conſentio, ſed quorſum iſta?* Auguſt. *Quia (niſi fallor) non continuò tu peccare cogeres, quem peccaturum eſſe præſcires. Neque ipſa præſcientia tua peccare eum cogeret, quamuis ſine dubio peccaturus eſſet. Non enim aliter id futurum eſſe præſcires. Sicut itaque non ſibi aduerſantur hæc duo: vt tu præſcientia tua noueris quod alius ſua voluntate facturus eſt. Ita Deus neminem ad peccatum cogens, præuidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt. Cur ergo non vindicet* D *iuſtus, quæ fieri non cogit præſcius? Sicut enim tu memoria tua non cogis facta eſſe, quæ præterierunt: ſic Deus præſcientia ſua non cogit facienda eſſe, quæ futura ſunt: & ſicut tu quædam, quæ feciſti, meminiſti; nec tamen quæ meminiſti, omnia feciſti. Ita Deus omnia, quorum ipſe auctor eſt, præſcit, nec tamen omnium, quæ præſcit, ipſe auctor eſt.*

Solet hæc ratio exemplo illuſtrari. Venit aliquis in forum, atque ibi quoſdam ſtantes, alios ſedentes, nonnullos ludis ſe exercentes, aliquos digladiantes, hos quidem obſonia ementes, illos vendentes intuetur: atque hic quidem certam, & infallibilem, & vt E vno verbo dicam, intuitiuam de iis, quæ ibi fiunt, notitiam habet. At quis ea exiſtimet ex neceſſitate fieri, hac ratione, quòd is certam, ac infallibilem de iis ſcientiam habeat: cùm ea contingenter tantùm, ac iuxta cuiuſque appetitum eueniant?

Ita res cunctas, & vniuerſa tam naturalia, quàm libera agentia in hoc Orbe velut in foro verſantia Deus præſcientiæ oculo contuetur. Singula verò, cùm ſua munera obeant, iuxta proprios naturæ motus: atque illa quidem naturaliter, hæc ex arbitrij libertate operentur; vniuerſa eo, quo operantur modo, illa contingenter, hæc liberè, Deus proſpicit; præſcit, & licèt futura ſint, velut præſentia intuetur. Quis hoc Dei intuitu res ad agendum pelli, cogi, aut aliqua neceſſitate rapi ſentiat?

At huius rationis vim non parum minuere videtur, quod communi Theologorum conſenſu aſſeritur. Scientiam Dei eſſe cauſam rerum: quod etiam Catholica fides amplectitur. Scribitur enim Pſal. 103. *Omnia in ſapientia feciſti.* Sap. 9. *Qui feciſti omnia in verbo tuo, & ſapientia tua conſtituiſti hominem:* & Sap. 7. *Omnium artifex docuit me ſapientia.* vbi idcirco Dei ſapientiam omnium artificem appellant, quòd ea rerum omnium cauſa, ac effectrix ſit. Item Ioan. 1. *In principio erat verbum,* &c. & poſtea ſubdit: *Omnia per ipſum facta ſunt.* Id confirmat Auguſt. de Trinit. cap. vltim. *Hæc,* inquit, *quæ facta ſunt, non ideò ſciuntur à Deo, quia facta ſunt: ſed potius ideò facta ſunt mutabilia, quia immutabiliter ſciuntur à Deo.* Et lib. 15. cap. 13. ait: *Vniuerſas autem creaturas ſpirituales, & corporales, non quia ſunt, ideò nouit: ſed ideò ſunt, quia nouit.* Ex quibus liquet ſcientiam Dei à rebus non cauſari, ſed magis ipſam eſſe cauſam rerum.

Pſal. 103. *Sap. 9.* *Sap. 7.* *Ioan. 1.* *Aug. c. vlt. de Trinit.* *Lib. 15. c. 13.*

Aſſertio eſt omnium Theologorum. D. Thom. p. p. q. 14. art. 8. & in p. diſt. 38. artic. p. D. Bonau. in p. diſtinct. 38. artic. p. Durand. in p. diſt. 38. q. 1. Ægid. ibid. art. 1 q. p. & aliorum cui adſtipulatur ratio D. Thomæ lib. 2. cont. Gent. cap. 23. nam productio per intellectum eſt omnium perfectiſſima, ac idcirco maximè Deo tribuenda eſt, qui perfectiſsima cauſa ab omnibus aſſeritur. Præterea ſi ſcientia artificis eſt cauſa rerum, quæ per artem fiunt, ergo etiam multo magis Dei ſcientia erit omnium, quæ condidit, cauſa. Dei igitur ſcientia, cùm non tantùm ſimplex cognitio ſit, ſed ſit ipſa rerum cauſa: videtur hinc concludi poſſe, quòd Deus, res quas præſcit, efficiat; ac efficiendo iis neceſsitatem inducat.

D. Thom. lib. 2. cont. Gent. c. 23.

Hæc tamen Theologorum poſitio nullatenus, quæ hactenus dicta ſunt, inficit: immò cum his optimè conſpirat, ſi ea rectè (vt patet) intelligatur. Bifariam namque Theologi Dei ſcientiam docent concipi poſſe. Vel conceptu perfecto, & adæquato, qualiter à Deo, & à Beatis concipitur, quibus cùm ſumma Dei ſimplicitas cognita ſit; nequaquam ſcientiam à voluntate, voluntatem à potentia, potentiam ab eſſentia diſtinguunt; ſed ea vt ſunt, vnum eſſe concipiunt: quod etiam ſtatuit de fide tenendum Florentinum Concilium

Conc. Floren.

liū cùm decernit omnia in Deo eſſe vnū, niſi vbi obſtat relationis oppoſitio : quod de reali vnitate intelligendū eſt:hac ratione cùm actiua Dei potentia,cui agere competit, & ſcientia,idē ſint:ita proculdubio fit;vt ex hac idētitate diuinę ſcientię rerum efficientia cōmunicetur : ita vt verè,ac Catholicè dici debeat, ſcientiam Dei eſſe cauſam effectiuam rerum.

Altero verò modo diſtinctè, ac iuxta noſtrum intelligendi modum Dei ſcientiam concipimus : ita videlicet,vt quamuis ſcientiam, & voluntatem ; voluntatem,& potentiam ; potentiam, & eſſentiam idem realiter eſſe ſtatuamus,ea tamē vel ratione,vel ex natura rei inter ſe differre concipiamus. Cùm enim quædam Deum nouiſſe intelligimus, quæ nolit, vt peccata ; quædam etiam ſcire, quæ nunquam effecturus ſit : ſcit enim infinita,quæ nunquā eſt creaturus. Præſciuit etiam Deus mundum ab æterno, quem ab æterno creare noluit : neque ſufficere Deo putamus, quòd aliquid ante præſcierit, niſi illud voluntate voluerit:aut volūtate voluerit, niſi etiam potentia illud effecerit : inde aliquid inter ſcientiam,& voluntatem, voluntatem ac potentiam diſtinguendum intelligimus : iuxta tamen noſtrę intelligentiæ modum, quæ ſimul omnia vnico cōceptu amplecti nō valet.

Præterea ſicut in artifice tria inter ſe diſtincta concipimus ; artem, voluntatem, & potentiam, quæ ſunt operandi principia in artifice. Ars quippe ad operationem dirigit, voluntas de operatione decernit : potentia operationem exequitur.Ita noſtro modo hæc tria in ſummo omnium opifice velut diſtincta cogitamus. Dei namque ſcientiam contemplamur tanquam principium dirigens; voluntatem velut principium decernens:potentiam velut principium exequens.Hoc modo cùm alia ſcientiæ, alia voluntati, alia verò potentiæ, ex ipſa rerum humanarum comparatione tribui conſpicimus : hinc nonnihil inter ſcientiam,& voluntatem,& potentiam, quamuis reipſa in Deo idem ſint, differre intelligimus. Hoc pacto ſi Dei ſcientia per ſe ſola conſideretur à voluntate ſeiuncta, erit quidem cauſa non effectiua, ſed tantùm cognitiua, aut directiua rerum. Quem ſenſum vniuerſi Theologi ſequuntur, qui ſcientiam cauſam rerum eſſe volunt.

Nam alij quidem Dei ſcientiam cauſam exemplarem rerum appellant,alij effectiuam. Qui exemplarem tantùm eſſe volunt, apertè eo quo nunc expoſuimus modo, Dei ſcientiam à voluntate, ac potentia ſecluſam accipiunt, & cum Auguſtino ſentiunt. Qui verò non tantùm exemplarem, ſed etiam efficientem eſſe contendunt,apertè etiam ſeipſos exponunt, non ſeorſum, ac diſtinctè ſe Dei ſcientiam accipere, ſed cum voluntate coniunctam : ita vt per voluntatem illi rerum A efficientiam tribuant : quod D. Thom. p. p. q.14.art.8. hac ratione demonſtrat; quam ita proſequitur Trigoſius noſter. *Sicut ſe habet forma naturalis, quæ eſt forma manens in agente, perficiens ipſum agens : ita ſe habet forma intelligibilis manens in ipſo intelligente, ipſúmque perficiens:ſed forma naturalis, quatenus manet in agente, & dat illi eſſe,non nominatur principium actionis, ſed quatenus habet inclinationem ad effectum. Ergo eodem modo forma intelligibilis non diceretur principium actionis, prout manet in ipſo intelligente; ſed quatenus ei adiungitur inclinatio ad effectum. Hæc autem inclinatio fit per voluntatem, quæ dicit influ-* B *xum quendam ad volita. Ergo ſcientia Dei eſt cauſa rerum, vt habet coniunctam voluntatem.*

D.Thom.p.p. q.14.art.8.

Petr.Trigoſ.

Præterea intellectus ſpeculatiuus,vt ſic,non eſt cauſa rerum,ſed intellectus practicus:nam intellectus efficitur practicus,cùm extēditur, & applicatur ad opus:ſed hanc applicationē, & extenſionem efficit voluntas:ergo intellectus abſque voluntate non eſt cauſa rerum.

Poſtremò, cùm ſcientia ſit cauſa indifferens, non producit effectum, niſi à voluntate determinetur. Ita fit,vt diuinæ ſcientiæ, vt ſcientia eſt, & ſecundùm diſtinctum illius conceptum rerum efficientiam Theologi mi- C nimè aſcribant. Neque tamen, licèt immediatè Dei præſcientiæ rerum efficientia tribueretur,inde ſequeretur, vllo modo à rebus contingentiam, aut libertatem auferri : nam vt de diuina voluntate dictum eſt,cùm rebus contingentia, ac libertas ex diuina potiſſimùm voluntate oriatur,quæ alias contingentes, alias liberas cauſas eſſe voluit, vt ex iis, vel contingentes, vel liberi effectus producerentur : planè haud diſſentaneè à voluntate diuinus intellectus ſe haberet, vt eas neceſſarias cauſas eſſe præſciret, quas contingentes, ac liberas voluntas eſſe decreuiſſet. D Quamobrem rectè concludit Auguſt. in prima ratione. *Cùm enim Deus ſit præſcius voluntatis noſtræ, cuius eſt præſcius, ipſa erit. Voluntas ergo erit, quia voluntatis eſt præſcius : nec voluntas eſſe poterit, ſi in poteſtate non erit : ergo & poteſtatis eſt præſcius.* Quocirca nullo modo cogimur aut retenta præſcientia Dei tollere voluntatis arbitrium ; aut retento voluntatis arbitrio, aut rerum contingentia, Deum (quod nefas eſt) negare præſcium futurorum.

Iam verò (vt ad Atheiſtas redeamus) quæ hactenus dicta ſunt,breuiter colligentes:cùm certam rerum prouidentiam ita in Orbe ver- E ſari hactenus demonſtratum fuerit, vt nihil in eo temerè, nihil fortuitò, nihil demum fatali, vel cauſarum,vel Aſtrorum neceſſitate euenire perſpectum ſit ; ſed cuncta ita rato ordine, ac perpetua lege diſpoſita videamus, vt quæque res diſtincta naturæ ſuæ munera obeat, cunctæ verò ad vnum, quò inuiſibiliter feruntur, finem tendant : inde Atheiſtæ ſibi certiſſimè perſuadere debent, vnum, ac

Digitized by Google

ſummum rebus omnibus rectorem, ac moderatorem præeſſe Deum Opt. Max.

Deum eſſe demonſtratur quintò ex vniuerſali omnium conſenſu.

ARTICVLVS XIX.

QVONIAM (vt diximus) tota hæc rerũ vniuerſitas eſt veluti liber omniũ mortaliũ oculis explicatus, in quo Deum, cœleſtiáque cõtemplari poſſumus: propterea nulla gens, aut natio vnquam fuit, quæ aliquod Diuinitatis lumen ſibi illucere non agnouerit: tametſi illud iuxta diuerſa mentium placita diuerſimodè animo conceptum habuerint. Nã ſiue ab Oriente in Occidentẽ, ſiue à Meridie ad Septentrionem, vniuerſas Orbis plagas perluſtremus: ſiue etiam omnes hominũ ætates, ac longè antè tranſacta temporum ſæcula reuoluamus: nunquam homines inueniri ſunt, quin ſimul cum iis perſpecta fuerit quædam Religionis ſpecies, Dei cultus, orationes, ſacrificia; in quibus etſi ſumma varietas varios etiam Religionis vultus præſtiterit: in hoc tamen omnium conſenſus adfuit, Deum aliquem eſſe. Quin etiam ipſa Religionum, ac ſectarum multitudo non obſcurè teſtatur, Diuinam hanc alicuius numinis diſciplinam, non tam à patribus filiis traditam, vel à populo in populum trãſfuſam, quàm vel in ipſo naturali lumine ingenitam, vel à rerum natura edoctam fuiſſe, qua quiſque & Deum eſſe, & colendum didicit.

Planè poſt quædam annorum curricula plurimæ gentes prioribus ſæculis ignotæ repertæ ſunt, quæ tum ſine lege, ac Rege; tum ſine tecto viuerẽt: earum quædam nudo corpore incederẽt: quædam verò per agros ſparſim frugibus veſcerentur, ac ſic vitam belluis haud multùm diſſimilem tranſigerent. In his tamẽ nulla eſt, quæ abſque aliqua Dei cognitione inuẽta fuerit, nulla quæ abſque vlla Religionis ſpecie viueret: vt hinc ſaltem colligere liceat, non tam homini naturale eſſe aliis aſſociari, aut ſeipſum à temporum iniuriis defendere, immò vitam ipſam, commodúmque tueri, quæ tamen homini adeò naturalia eſſe exiſtimantur: quàm illi naturale eſt, Deum vitæ auctorem agnoſcere.

Quòd ſi plus eorum iudicio deferimus, qui ſapientiores in populis habiti ſunt, quos poſtea Philoſophos appellarunt. Inter Indos Brachmanes, inter Perſas Magi, qui omnium ſapientiſſimi habiti ſunt, nunquam niſi à Deorum inuocatione quicquam auſpicabantur: priſca etiam illa Ægyptiorum Philoſophia, cuius pater ter maximus ille Trimegiſtus eſſe creditur, Dei venerationẽ ante omnia ſibi piè exercendã proponebat. Quare idem Trimegiſtus in Pimandro Deum latere pariter, & per vniuerſas Orbis plagas emicare, pulcherrimum rerum ordinem eum nobis
A manifeſtè declarare: tum res ſingulas ſuis limitibus circumſcriptas, illum Dominum ac auctorem inſinuare, cui Sol, ac ſydera ad nutum pareãt, præterea Deum ſolum bonũ eſſe, Marc Trim. in Pim c. 3.
ac in eo boni naturã reperiri Æſculapio perſuadet. Idem. c. 6.
Tum Deum omnia abſolutè eſſe conſtanter aſſerit, quẽ ſingula participatione cõtrahunt: hunc demum Patrem mundi, rerum conditorem, Principiũ, æternitatis fontẽ, atq; æternitatẽ ipſam, ſolum ſanctum, ſolũ ingenitum, ſolum æternũ, ſolum vnum, ac totum appellat: atque ad eam laudandum muſicam inſtruit, condita omnia ad concinnandas Dei Id. c. 10.
B laudes excitat. Quid verò priſci illi Poëtæ de Deo ſenſerint? Orpheus nimirum, Homerus, Heſiodus, Pherecides, Pindarus, qui ſimul & Philoſophi extiterunt, id potiſſimũ declarat; quod de Ioue, Poëtarum more, paſſim canunt eſſe veriſſimũ, naturalémq; Deũ, Iouis omnia eſſe plena, Iouem ipſum eſſe primũ, Iouẽ vltimũ, Iouem cunctorum eſſe Deorum Patrem, Regem, ac genitorẽ. Atq; vt omittã Pythagoreorum, Stoicorũ, Academicorum, ac Peripateticorum ſcholas, quæ nihil magis, quàm Deum eſſe docuerunt; ipſimet Epicurei, qui cùm in cæteris honeſtæ vitæ præceptis tã im-
C pudẽter, ac inuerecundè ſe gererẽt: Deũ tamẽ negare nunquam auſi ſunt. Demũ antiquorũ (vt teſtatur Plato) mos fuit ex inſignioribus Philoſophis Sacerdotes eligere, quos ſummo honore proſequebantur, ea (vt arbitror) ratione, quòd ij nõ ſolùm ex rerũ contemplatione Deum, ac Diuina didiciſſent, verùm etiã quæ Deo obſequia præbenda eſſent, longa cœleſtium contemplatione ſcirent præſcribere.

De Platone qui antiquæ priorum Philoſophorum Theologię quodammodo fuit interpres, nihil attinet dicere: cùm exploratiſſimũ ſit, quàm vbique piè de Deo ſenſerit, quem in
D Timæo appellat Principium, τὸ ὂν ipſum eſſe: cùm mundi exordium aggrediẽs, hãc rerum diuiſionem præmittit, aliud eſſe τὸ ὂν ipſum quod eſt, aliud verò τὸ γινόμενον, id quod fit. Atque eundem in libr. 10. de Repub. ſupremum, æternum, ineffabilem, ſeipſo perfectũ, nullius egentem, ſemperque & vndique abſolutè perfectum vocat, vt diligenter annotauit Alcinous Platonicus de doctrina Plat. c. 10. vbi pleraque alia perfectiſſima Deo nomina tribuit ex Platone.

De Platonicis idem prorſus ſentiendum eſt: nam cùm ij Diuinã Platonis Theologiam
E hauſerint, ſemper aliquid excellẽtius præ cæteris aliarum ſectarum Philoſophis, de Deo opinati ſunt: quod vel ex Proclo Platonico de cæteris iudicare licet. Nam is in libro, quem ex Platonis Theologia format, in hæc verba irrumpit. *Quis igitur ſit Rex omnium, vel vnificus Deus, ab omnibus ſegregatus, & omnia ex ſeipſo producens, & per vnam cauſam præcedens vniuerſos ordines. Quis item, qui fines omnes* Proclus.

conner

conuertit ad ſeipſum & circa ſeipſum creauit: nam cuius cauſa ſunt cuncta, hunc omnium finium finem, metá metarum, primam operãdi cauſam vocans, non errabis à vero. Quis item omnium pulchrorum bonorumq́; auctor in omnia irradians lumine diuino, & turpe immenſuratúmque ad extremum vſque, omniúmque obſcuriſsimum includens. Pleraque Procli dicta de Deo cõgerit Auguſtinus Steuchus lib. 6. de perenni Phil. cap. 15. quæ Platonicos de Deo præclarè ſenſiſſe indicant.

Aug. Steuch. l. 6. de perēn. Philo. c. 15.

Ariſt.

Ariſtoteles verò in aſſerendo Deo ita copioſus eſt, vt vbique illum in ſuis libris pariat: nam in libro de Philoſophia Deũ ita definit. *Dicimus Deũ viuens, immortale, ſempiternũ*, Primo Phyſic. Deo, quem mentem more priorum Philoſophorum appellat, rerum creationem tribuit. In Moralibus Deum fatetur rerum humanarum proſpectorem. In Politicis lib. 3. Deum velut humani generis Regem, omni genere ſapientiæ maiorem, cui omnes obtemperare oporteat, venerandum, ac ſuſpiciendum proponit: quem Ariſtotelici poſtea omnes ſequuti ſunt. Atque ita accidit (quod tamen rariſſimè, nec niſi in perſpectiſſima veritate contingere ſolet) vt in hac vulgi, ac ſapientium ſententiæ ſibi obuiam occurrerent, ac ſe mutuò exoſcularentur.

Certè negari non poteſt, quibuſlibet ſæculis nonnullos miſerabiliores homines inuentos eſſe, qui Deum non agnoſcerent, à qua profecto impietate neque immune hoc noſtrum ſæculum eſſe exiſtimauerim. Attamen ſi cauſam diligentiùs inſpicimus, inueniemus ſanè, hoc effræne hominum genus eſſe, qui vel cæco iunioris ætatis furore perciti, libidinibus, ac Venereis voluptatibus adeò ſeipſos effundunt, vt nunquam ad Deum pertractandum otium nãciſcantur: qui tamen cùm primùm ætate prouecta fiunt, ac ſeneſcunt: mox ad ſeipſos redeunt, reſipiſcunt, Deúmque ac ſeipſos agnoſcunt: aut flagitiorum, ac ſcelerum multitudine ita obruuntur, vt humanam prorſus naturam miſerè in ſeipſis violent: quò fit; vt ad omnia liberiùs perpetranda facinora nullum ſibi Deum eſſe perſuadeant, quem ſcelerum ſuorum iudicem eſſe formident. Hi tamen vix in minimum vitæ diſcrimen incidunt, mox eo terrore concutiuntur; vt ipſa è latebris veritatis vi erumpente cœlum aſpicere, ac Deum inuocare incipiant: adeò efficax eſt ipſa naturæ vis, vt ab vna parte preſſa, ab altera ſe attollat: & quò magis eam opprimere conantur, eò euidentius ſeipſam prodat.

Soluuntur obiectiones Atheiſtarum, ac prima de inuiſibilitate Dei.

ARTICVLVS XX.

RESTAT iam, vt Atheiſtarum obiectionibus occurramus; Quarum prima eſt; quòd cùm Deus oculis videri non poſſit: proinde quòd ſit, minimè fateri coguntur. Hæc carnalium hominũ eſt ratiocinatio, qui oculos pro mente gerunt, vt ea tantùm eſſe credant, quæ vidẽtur; de quibus Auguſt. ſerm. 147. de temp. ita ſcribit: in homine carnali tota ratio intelligendi eſt conſuetudo cernendi. Quod ſolent videre, credunt, quod non ſolent, non credunt. Planè tam falſa eſt hæc Atheiſtarum argumentatio, quàm vera eſt illius oppoſita: nam qua ratione aſtruere conantur Deum non eſſe, ob id quòd non ſit viſibilis: eadem planè aduerſus ipſos euincimus Deum eſſe, cùm eo ipſo Deus ſit, quòd inuiſibilis eſt, & ab ipſis videri non poteſt.

Aug. ſerm. 147. de tēp.

Porrò, vt hanc Atheiſtarum rationem à vera ratione omnino exorbitare demõſtremus. Equidem negare non poſſunt, quin plurima ſint, & eſſe ab ipſis credantur, quæ tamen ipſi nullo modo vident. Plantis namque vim aliquam vegetatiuam ineſſe credũt, cùm illarum incrementa percipiant; quam tamẽ nunquam oculis perſpexerunt: neque vnde illæ oriãtur, aut vbi ſubſiſtãt vnquam agnouerũt. Præterea cùm animalia moueri, progredi, retrogredi, veſci, ac reſpirare conſpiciant, illis præter vegetatiuam, ſenſitiuam quoque vim ineſſe ſentiunt, cùm tamen eam nũquam, aut viderint, aut attrectauerint. Ampliùs in teipſo vim intellectiuam eſſe credis, qua cuncta intelligis, animo perluſtras, ac remotiſſimas regiones, & temporum interualla, nullo ferè interiecto temporis ſpatio, mente perambulas; vim etiam memoratiuam, qua præteritorum, quorum nec vllum veſtigium apparet, recordaris. Vim tandem appetitiuam, qua nullo cogente, vel ad voluptates, vel ad virtutes traheris, hæc tibi ineſſe certò credis: at dicas velim, an ea aliquando intuitus fueris, cuius formæ ſint, aut coloris? Planè ſi nihil eſſe credis, præter ea, quæ tibi conſpicibilia ſunt, neque ipſe animum te habere credis, cùm is nunquam tibi conſpicuus fuerit. Quid cerebrum, quid cor, quid viſcera te habere exiſtimas, cùm horum nihil vnquam videris? Sanè cùm mentem tuam nunquam conſpicere potueris, fruſtra tibi mentem adeſſe exiſtimas, qua careas; cur potiùs te ſine mente, ac proinde, vel dementem, vel belluam teipſum non credis?

Hinc Tullius pro Milone hoc ex intimis Philoſophiæ penetralibus argumentum depromit. *Si in his* (inquit) *corporibus, atque in hac imbecillitate noſtra inſit quiddam, quod vigeat, & ſentiat, & non inerit in hoc tanto natura tam præclaro motu: niſi fortè idcircò non putemus, quia non appareat, nec cernatur; perinde quaſi noſtram ipſam mentem, qua ſapimus, qua prouidemus videre, aut ſentire poſſimus.*

Tull. pro Milone.

Huic cùm Philoſophorum omnium accedat conſenſus, non eſt cur in hoc demon-

ſtrando multùm elaboremus: cùm à natura ipſa compertum ſit, vigere in hoc mundo vim quandam,vt animum noſtrum inuiſibilem:cuius motus ſit is omnis, quem primum videmus in cœlo ortu, obitúque ſignorum, tum omnium viciſſitudinibus, atque ordinibus rerum: quæ vis tametſi non videatur à nobis,ex ipſo toto naturæ motu, ordinibúſq; ſtatis, & certis coniectanda eſt, nec idcircò non putanda quòd oculis corporeis non ſubiaceat, cùm ſeſe rationi affatim offerat.

Atque ij quidem duplices nos oculos habere ignorant corporis & animi:cũ verò omnia oculis corporeis ſubiecta eſſe velint,nihil B omnino ſpiritualibus animi relinquunt:atque idcircò admirantur nos inuiſibilem Deum aſſerere,quẽ illi præ cæcitate videre nequeũt: at cùm ſapientiores animi potiùs, quàm cõrporis oculis vtantur: pauca quidem, ac exilia hiſce corporeis luminibus percipiunt; plurima verò ac meliora purioribus animi oculis aſpicienda ſinunt: quare non incongruè quidam dixerunt mundum propter ſolos ſapientes conditum eſſe. Soli enim ſapientes ij eſſe cenſentur, qui non omnia corporeis oculis tribuunt,ſed ea internis animis metiuntur, & cùm mundum hunc oculis aſpectabilem vi- C deant,perſpicaciori animi oculo illius inuiſibilem Opificem agnoſcunt.

Nihil ergo minùs rationi conſentaneum eſt, quàm vel ea tantùm eſſe exiſtimare, quæ hiſce oculis videri poſſunt,vel ea negare,quæ ab hominum oculis remota ſunt. Quapropter Plato in lib. de Repub.duo rerum genera diſtinguit:quædam quæ ſenſibus percipiũtur,ac ſenſibiles dicuntur: quædam verò quæ à ſenſibus remotæ ab intellectu duntaxat cognoſcuntur; quæ intelligibiles appellantur. Alij recentiores hanc rerum differentiam per corporeum,& incorporeum;materiale,& D immateriale explicarunt: in iis incorporea,& immaterialia,velut præſtantiora,ac nobiliora excellentiùs collocarunt, cùm ea à corruptione omnino aliena ſint.Corporea verò ac materialia in infimo ordine conſtituerunt.Illa igitur immaterialia, ac incorporea cùm ſenſibus minimè ſubiaceant, nulli dubium eſt inconſpicibilia eſſe,neque ab vllo perſpici poſſe:quò fit,vt non modò ſint, quæ oculis non cernũtur, ſed & nobiliora & perfectiora eſſe credantur. Quare Seneca in lib. quæſt. natural. ait: *Neque enim omnia Deus humanis* E *oculis nota fecit:quanta oculis pars tanti operis committitur? Ipſe qui ipſa tractat, qui condidit, qui totum hoc fundauit, dedítque circa ſe, maiórque eſt pars operis, ac melior effugit oculos, cogitatione viſendus eſt.*

Seneca lib. de quæſt. natural.

In hoc autem immaterialium rerum genere Deum cũſtitutum eſſe profeſſi ſunt Pythagoras,Parmenides,Socrates,Plato,Ariſtoteles,qui Deum ſubſtantiam incorpoream,æ-

A ternam,nullis ſenſibus perceptibilem, ſolam, ac ſingularem appellarunt, vt illius omnium excellentiſſimam eſſe naturam declararent. Tãdem quotquot aliquod Diuinum numen eſſe ſenſerunt,illud in excellentiori ac immateriali rerum ordine collocarunt.Quapropter non modò Deum eſſe, tametſi videri oculis nõ poſſit,verùm ob id,quòd inaſpectabilis eſt excellentiſſima natura præditum eſſe euincimus, quod in duobus ſequentibus articulis adhuc fuſiùs demonſtrabimus.

Porrò,quamuis Deus inaſpectabilis naturæ ſit,nec ab homine, quandiu corruptibile hac ſenſuum mole depreſſus eſt, in ſeipſo videri queat: ita enim teſtatur ipſe Deus Exod. 33. *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo,& viuet*, quam auctoritatem illuſtrat Ruffinus in explicatione Symboli cùm ait: Deum cùm audis, ſubſtantiam intellige ſine initio,ſine fine,ſimplicem,ſine vlla admixtione,inuiſibilem,incorpoream, inæſtimabilem: quam ſententiã tuentur Tertull.in opere adu. Praxeam;Chryſoſt.in c.1.Ioan. & Hom.4. de incomprehenſibili Dei natura;Gregor.lib.17. Mor. Amb. lib. de Incarn. Domini; Damaſc. lib.1.ſuæ Theolog. Attamen nulli dubium eſt, quin is ſe ex effectibus viſibilem præſtet:quòd Moyſi cùm Dei faciem expeteret, declaratũ fuit illis verbis. *Videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Quæ verba Lyranus ita interpretatur ex Patrum ſententia: vt facies Diuinam eſſentiam, ac naturam declaret.Poſteriora verò creaturas,quæ tãquam illius effectus,Deo poſteriores ſunt,indicent: in iis quippe Deus, qui natura inaſpectabilis eſt,perſpicibilis quodammodo efficitur.

Exod 33.

Ruffinus in expla. Symbo.

Quis enim in profundo carcere incluſus cùm Solis radios illuc penetrare videt,tametſi ipſum oculis non cernat, Solem eſſe non credat?Ita cũ Deum in Sole, Luna, ac ſyderibus velut in radiis, in hoc rerum profundo illuceſcere cernimus: illúmque tum aëris, tum terræ, tum maris ſpatiis ſe nobis inſinuare, quis cum non eſſe exiſtimet?

Ab arboris ramis ipſa natura dictãte ſtatim ad illius radicẽ,vnde illis vita miniſtratur,cõtemplandã ducimur: quãuis illa terræ infixa cõſpectum noſtrũ effugiat,ã flumine ad illius ſcaturiginem,quæ tamen nobis incognita eſt, manuducimur: quæ verò cauſa eſt, cur ex tot rerum effectis,ad illarum principium,atque à creaturis ad earum cõditorem nõ pergamus?

Si ad Indos, aut aliam quamuis remotiſſimam Orbis plagam appelleres, ibique tuguriolum, aut hominis veſtigium deprehenderes,an non regionem illam,aut inſulam habitari,aut hominem illàc tranſiſſe tibi inde perſuaderes;licèt hominem non videres? proculdubio: cùm à feris ea tuguriola conſtrui non poſſint;neque ferarum,ſed hominũ illud veſtigium ſit. Cur ergo cũ primũ orbem ingre

ingrederis: atque in eo quamplurima conſpicis, quæ nec ab homine fieri queunt: nec quod caput eſt, ab ipſo aut intelligi, aut comprehendi poſſunt: è veſtigio tibi non certò ſtatuis, diuinum ibi aliquod numen eſſe, cuius veſtigium in vaſta hac totius Orbis mole ſe nobis offerat, quodq́; vniuerſum humanæ virtutis opus, ac intelligentiam longè antecellat?

Merc. Trim. lib. Mens ad Mercur. Egregiè ſanè Mercurius Trimeg. in libro quem inſcribit. Mens ad Mercurium. *Inuiſibilis* (inquit) *eſt Deus; Bona verba quæſo. Et quis eſt eo illuſtrior? ob hanc vnam cauſam cuncta creauit, vt in omnibus rebus eum cerneres. Hæc bonitas Dei, hæc eius virtus videri, apparereq́ue cum per omnia.* Planè his rerum effectibus non modò Deus ſpectabilem ſe offert, ſed etiam manu tractandum: quandoquidem eſſentia ſua ita omnes rerum eſſentias peruadit, vt cuique rei is intimior ſit, quàm ipſa ſibi, ob id potiſſimùm, quòd eidem tum eſſe, tum vitam, tum motum adminiſtret: qua certè ſublata omnes rerum eſſentias penitus interire, deficere, atq; in auitum nihilum redire prorſus neceſſe ſit: *Pſalm. 103.* iuxta illud Dauidis: *Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in nihilum ſuum reuertentur*. Atque eò fit, vt Deus cum ſenſibilibus rebus ſenſibilis ſit, cum intelligibilibus intelligibilis. Denique Deus ſit, quicquid videtur, quicquid tangitur, quicquid guſtatur, quicquid auditur, quicquid intelligitur. Neque enim illud eſſe exiſtimandum eſt, quod à Deo abeſt. Is namque in plantis eſt in medulla, eſt in trunco, eſt in cortice, eſt in profundo, eſt in ſuperficie. In animalibus interna replet, externa ambit, vegetationem tribuit, ſenſum mouet, ac motum præſtat. In homine tandem ita externus, atq; internus eſt, vt cum anima viuat, cum corpore ſentiat, cum membris vegetet, cum mente intelligat, & demum ab illius, ac cæterarum omnium rerũ eſſe prorſus indiuiſus ſit. Quapropter antiqui illi gentium Theologi; Empedocles, Parmenides, Meliſſus, Democritus, Plato Deum τὸ ὂν, id eſt, ipſum eſſe appellarunt; cui reſpondet ineffabile illud nomen, quod Græcis τετραγράμματον *tetragrammaton*, Iudæis יהוה *Iehouah* dicitur: quo Deum Opt. Max. velut magis proprio nomine nuncupant. Illud enim explicat ipſum eſſe Dei: quo certè declaratur Deum non modò eſſe, eò quòd primus omnium exiſtat: quòd nunquam non fuerit, quòd nunquam eſſe deſinet; verùm etiam quòd ipſe ſola integra ſit eſſentia, ſolúmque eſſe, per quod omnia in ſeipſis exiſtunt. Hinc Plato in Timæo mundi exordium aggrediens, hanc rerum diſtinctionem prælibat. Aliud eſſe τὸ ὂν, *ipſum quod eſt*, aliud τὸ γινόμενον, *id quod fit*, ea (vt arbitror) ratione, quòd is agnoſceret, eſſe tum in ſeipſo, tum in rebus omnibus ſolius Dei proprium eſſe: rerum verò non eſſe, ſed fieri: factas verò non proprio, ſed diuino eſſe illarum eſſe eſſentiante ſubſiſtere. Quod Paulus *Aiiad 17.* inſinuare voluit, cùm ait. *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.*

Aug. l. majoris philoſ. Plut. l. 1. c. 5. Huc etiam pertinet quod Ariſt. lib. primo maioris Philoſophiæ, & Plutarchus lib primo cap. 5. tradunt, Deum ab antiquis τὸ πᾶν, id eſt, *ipſum vniuerſum*, appellatum fuiſſe. At qua id ratione? niſi illum rebus omnibus intimum, omnibus externum, omnia complentem, omnia concludentem intellexiſſent? *Senec. lib. de vit beat.* Hinc Seneca libro de vita beata. *Deum* (inquit) *vis mundum appellare? non falleris: ipſe enim eſt* **B** *totum, quod vides, totus ſuis partibus inditus, & ſe ſuſtinens, & ſua* & lib. 1. q. nat. *Quid eſt Deus? mens vniuerſi. Quid eſt Deus? totum quod vides, & quod non vides.* Quod Simplicius Philoſophus clariùs expoſuit cùm ait. *Neque enim Deus aliquando adeſt, aliquando abeſt. Hæc enim corporea ſunt: ſed ipſe ſemper adeſt omnibus, ab omnibus ſegregatus; quia ſemper ipſe, & vbique eſt, & bonus eſt: omnibus rebus infunditur, & quemadmodum à lumine Solis omnia irradiantur; aliáque vident, alia videntur; alia germinant, alia progerminantur: alia albeſcunt, aliáque nigreſcunt: alia denſantur, alia diſſoluuntur, vnumquodque vt aptum eſt,* **C** *vnius, ac magnæ bonitatis ſuæ ſine labore cunctis dante portionem: neque horum ad aliquod laborante Sole, & de ſua beatitudine detrahente: ſic multo magis bonitatis diuinæ, quæ τῷ κόσμῳ τὸν ἥλιον δωρησάμενος Solem mundo donauit, omnia participant ſine labore, beneſiuntq́; ſecundùm menſuram bonitatis eorum, nihil in eo laborante Deo, aut ſeſe diſtrahente.*

Quapropter cùm Deum in hac rerum vniuerſitate circunſpiciamus, cùm manibus attrectemus, cùm in nobis ipſis circunferamus, tametſi natura inaſpectabilis ſit: ſanè immeritò conqueruntur Atheiſtæ, quòd illum non **D** videant: cùm illum vbique, & videre, & manibus ipſis attrectare poſſint: ac propterea illum non eſſe falsò concludunt. Quibus tandem vnum Tull. pro Milone obiicimus: qui *Tul orat pro Milone.* Dei maieſtatem tametſi inuiſibilem in omnibus rebus perſpicuam agnoſcit. *Nec verò* (inquit) *quiſquam aliter arbitrari poteſt, niſi qui nullam vim cæleſtem exiſtimat, Numénve diuinum. Quem neq; imperij veſtri magnitudo, neque Sol ille, neq; cæli, & ſignorum motus, nec viciſſitudines rerum, atque ordines mouent: neq; id quod maximum eſt, maiorum ſapientia, qui ſacra, qui ceremonias, qui auſpicia, & ipſi ſanctiſſimè coluerunt, & nobis ſuis* **E** *poſteris prodiderunt. Eſt, eſt profectò illa vis, neque in his corporibus, atque hac imbecillitate noſtra ineſt quiddam, quod vigeat, & ſentiat, & nõ ineſt in hoc tanto naturæ tam præclaro motu.* Eſt igitur Deus tametſi natura inuiſibilis, & occultus, in rerũ tamen natura patentiſſimus, iiſq; conſpicuus, qui non corporeos dũtaxat, ad hæc conſpiciẽda: ſed ſpirituales ad Deum cœleſtiaq; contemplanda oculos animo defixos gerunt.

Soluitur

Soluitur ſecunda obiectio, ac demonſtratur Deum eſſe incorporeum.

ARTICVLVS XXI.

Mercurius Trimeg. in Pimand.

SECVNDA Atheiſtarum obiectio fuit, Deum idcircò non eſſe, quia non ſit corporeus: ij enim præter corpus, ac corporea nihil eſſe exiſtimant. Hanc verò ſententiam vniuerſa Philoſophia repellit, quæ Deum inter incorporeas, & immateriales ſubſtantias collocat, quapropter Mercurius Trimegiſtus Philoſophorum pater in Pimandro Deum à corporum omnino natura arcet. *Sanctus Deus* (inquit) *qui ſolo verbo cuncta feciſti: ſanctus, cuius omnis natura fuit imago: ſanctus es, quem non firmauit natura, nimirum cuius firma nuſquam non natura eſt.* Id verò luculentiſſimis verbis docet in Aſclepio. *Quid igitur* (inquit) *eſt in corporeum? Mens, & verbum, quæ ſeipſam ex vniuerſo ab omni corpore liberam ſuſtinet, & continet: inerrabilis, impaſſibilis à corpore, & intangibilis. Ipſa ſeipſa ſtans, capax omnium, ſeiunctrix rerum: cuius radij ſunt bonitas, veritas, lux exemplaris, exemplar animæ.* Hæc Trimegiſtus, cui etiam Aſclepius ipſe vetuſtiſſimus Philoſophus adſtipulatur ad Ammonem Regem ſcribens, vbi profundè multa de Deo philoſophatur: eundem præſertim ſpiritum indefatigabilem nominans. *Nimirum* (ait) *indefatigabilis ſpiritus eſt Deus, ſemper, & eodem modo habens ſuam ſcientiã. Perennis fœlicitate, operationibus eiſdem vtens ad omne tempus: ſupremus omnium Rex, bonus Deus.* Principio quidem eum ſpiritum eſſe definit, vt incorporeum illum eſſe demonſtret: tum indefatigabilem, quod recẽtiores Philoſophi dicerent virtutis infinitæ, aut facultatis inexhauſtæ.

Empedocles.

Idem planè ſenſit Empedocles, qui Deum ſpheram non corpoream, ſed intellectualem vocat, cuius centrum vbique eſt, circunferentia verò nuſquam: perinde ac ſi illum incorporeum omnibus rebus præſentiſſimum, æternum, ac incomprehẽſibilem diceret. Thales etiam Mileſius (Tullio teſte) Deum eſſe mentem dixit, quæ ex aquis cuncta produxit: ac fortè id ex Moyſe decerpſit, qui Gen. 1. ait: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, vel, vt alij vertunt: *fouebat aquas*, vt ex iis rerum formas educeret. Aquarum enim nomine primam materiam inſinuat: quem ſequutus Anaxagoras, & ipſe Deum mentem appellat, quæ omnium cauſa extiterit. Hos imitatus Virgilius, inde eum, & ſpiritum, & mentem eſſe canit.

Thales Mil.

Gen. 1.

Virgilius.

Spiritus intus alit, totóſque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Iis accedant quotquot Deum vnitatem ſummam eſſe dixerunt: inter quos ſunt Empedocles, Parmenides, Meliſſus, Pythagoras: nã hi quidem corpus appellãt multa, qualitatem multa, & vnum: Animam vnum, & multa: Angelum vnum multa: Deum deniq; vnum, ac vnitatem ſummam: vt eum ab omni prorſus corporis numero, ac compoſitione liberum oſtendant.

Præterea qui Deum vel inuiſibilem, vel infinitum, aut immortalem, aut æternum eſſe ſenſerunt, vniuerſi in hoc principio conueniunt, vt eum incorporeum eſſe agnoſcant. Id enim exploratum eſt; nullum corpus eſſe inuiſibile: cùm ea corporis natura ſit, vt oculis perſpici, ac manibus attrectari poſſit: nullum verò corpus eſſe æternum ipſa corporis compoſitio declarat, quæ compoſitore aliquando indiguit, atque ad diſſolutionem tendit: nec vllum corpus infinitũ actu eſſe poſſe, probat fusè Ariſtoteles in Phyſicis, cùm infinitas cum rerum corporearũ natura pugnet, quæ neceſſariò quibuſdam ac certis dimenſionibus cõſtare debet. Demum nec immortale eſſe poſſe id certò perſuadet; quod omne genitum ex Platone, & Ariſtotele neceſſe eſt habere finem, finis autem ad corruptionem ſpectat. Præterea cùm omne corpus compoſitum ſit ex repugnantibus, & contrariis: impoſſibile eſt immortale eſſe: nullũ enim violentum perpetuum eſſe poteſt: cùm ſecum ſuæ corruptionis cauſam ferat. In his ſunt Pythagoras, Meliſſus, Anaxagoras, Plato, Xenophanes, Parmenides; qui hæc apertè de Deo ſenſerunt.

Ariſt. in Phyſic.

Poſtremò inter recentiores Philoſophos, Seneca, Plutarchus, & Epictetus, qui inter hos celebriores extiterũt, Deum eſſe incorporeũ apertiſſimè tuentur. Nam Seneca libro de vita beata, cũ Deum definiſſet eſſe totũ quod vides, & quod nõ vides. *Eſt ſcilicet* (inquit) *quaſi mũdus, ſed mundus inuiſibilis, mundus ſapientiæ, ſcientiæ, rationis, conſilij, prudentiæ, bonitatis, vniuerſitas incomprehenſibilis, animi vaſtitas, nihil illic non animus, nõ ratio, tam viuens, quàm magnus. Immenſitas vniformis: non corporis autem, non elementi, non ignis, aquæ, vel aëris immenſitas, ſed ſapientiæ, rationis, conſilij, bonitatis.* Quem imitatus Tullius in Tuſcul. *Nec verò* (inquit) *Deus ipſe, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi poteſt, niſi mens ſoluta quædam, & libera, ſegregatáq; ab omni concretione mortali, omnia ſentiens, & mouẽs, ipſáque prædita motu ſempiterno.* Vides Deum incorporeum à Seneca, tum à Tullio affirmari; nec propterea non eſſe Deum, quia incorporeus ſit, & à corporum materia ſolutus: ſed potiùs hac ratione illius exiſtentiam probari, quod cùm rerum omnium corporearum auctor ac opifex ſit, iis nobiliori eum natura præſtare deceat. Quod idem Seneca annuit lib. de Conſol. *Quocunque* (ait) *nos miſerimus, ſequetur natura communis, & propria virtus. Id actum eſt, mihi crede, ab illo quiſquis formator vniuerſi fuit: ſiue ille Deus eſt potẽs omnium, ſiue incorporalis*

Seneca lib. de vita beata.

Seneca lib. de Conſol.

poralis ratio,ingeniũ operũ artifex:ſiue Diuinus ſpiritus,per omnia maxima,& minima æquali intentione diffuſus. Ac tandem vt modum inſinuet, quo Deus incorporeus eſt. *Ab illo*(inquit)*formatore nos deſcendimus. Ipſe quidem inuiſibilis regnans,imperánſque in mundo , & vbique præſens, licèt inuiſibilis, quemadmodum animus in corpore.*

Plutarchus lib. de Principe.

Id diſertiſſimè confirmat Plutarchus lib. de Principe; vbi ita Deum incorporeum ac immaterialem aſſeuerat:vt ne veriſimile quidem eſſe dicat, aut conueniens, corpus, aut ſenſus Deo tribuere. *Neque enim*(ait)*veriſimile eſt,neque decorum,Deum mixtum eſſe cum materia cuncta patiente,neceſſitatéſque,& fortunas, mutationéſque innumerabiles recipiente: ſed nobis deſuper defixus,ſtabiliſque ea natura,quæ ſemper eodem modo permanet.* Et poſt pauca ait. *Deus fundamentis ſanctitatis ſubnixus, per omnem naturam inambulat,non quaſi materiæ mixtus. ſed in excelſo throno Diuinitatis ſuæ, mirabili modo regnans in cælo, & per omnia diffuſus: velut Sol flammis terrarum omnia opera luſtrans.*

En quàm præclarè Plutarchus duabus,iíſque validiſſimis rationibus Deum incorporeum eſſe demonſtrat. Prima ratio eſt: quòd ſicut in omni mutatione debet dari aliquod fixum, quod ſit immutabile: ita in omni natura mutabili debet conſtitui aliqua natura ſuperior, quæ immutabilis exiſtat: ſed cùm omnium rerum corporearum natura ex ipſa materiæ conditione ſit mutabilis: inde manifeſtum eſt ſupremam quandã Dei naturam iis omnibus præſtantem agnoſcendam eſſe, quæ omnino incorporea, nulli mutationi ſubiaceat.

Secunda ratio,cùm Deus per omnem corporum ac rerum naturam inambulare,ac velut earum conſeruator ſeipſum diffundere debeat,ſanè à corporũ natura omnino liber, ac immunis ſit,oportet;neque enim ſi corporeus eſſet, in corpora ipſa illabi poſſet: cùm corpora ſe inuicem penetrare, ac eundem ſpatij locum occupare non valeant.

Epictetus Stoicus.

Demum Epictetus Stoicus, cùm Deum ſummam eſſe bonitatem, atque ipſam boni ſubſtantiam doceat: ipſum nec ſenſibus, nec carne,neque corpore conſtare poſſe affirmat. *Veri igitur ſimile*(ait)*vbi ſubſtãtia Dei, illic eſſe ſubſtantiã bonitatis. Quæ igitur eſt ſubſtãtia Dei? Caro? abſit. Ager? abſit. Fama? abſit. Mens,ſcientia,recta ratio:hic igitur ſimpliciter quære ſubſtãtiam boni.* Illũ autem altiſſimam hãc naturæ Diuinæ Theologiam à Mercurio hauſiſſe exiſtimandũ eſt; qui Diuinitatem, non carnem, non corpus, neque aliquid huiuſmodi eſſe aſſerebat: ſed mentem,ſapientiam,ſcientiam,rectam rationem,maieſtatem,regnum; opéſque eius magnitudinémque eſſe ſapiendo, noſcendo, recta volendo.

His igitur rationibus, ac Philoſophorum teſtimoniis ſatis apertum eſt; Atheiſtas tota natura aberrare, cùm Deum primò corporeum ſibi fingunt:ac deinde cùm corporum neceſſitatibus ſubiectum eſſe nolint,illum nõ eſſe malunt, quàm incorporeum agnoſcere. Ipſa enim tum Philoſophis,tum menti indita ratio dictat, Deum eſſe;& incorporeum eſſe, nec corporearum rerum naturam negandam eſſe: cùm ea in ipſa corporum natura inuiſibilis lateat,vt in prima obiectione dictum eſt. Demum cùm Deus ſit, illum omnibus naturis præſtantiorem efficere oportet:ac proinde incorporeum, ab omni corporis concretione liberum, inaſpectabilem, æternum, increatum,incomprehenſibilem,immutabilem.

Deum non eſſe corporeum contra Hæreticos.

ARTICVLVS XXII.

SED quoniam non tantũ Atheiſtæ,quibus id ſolũ in animo verſatur,vt Deum è rerum natura expellant,Deum,ſi eſſet,corporeum fore exiſtimauerunt: verùm & nonnulli Hæretici, qui Deum tum ex fide, tum ex Scripturis didicerunt,in hunc errorẽ prolapſi ſunt,vt eum corporeum,& humana forma,ac figura præditum eſſe crederent:ea potiſſimùm ratione ducti, quòd Prophetis ſæpe humana ſpecie indutus viſus fuerit, vt Daniel.7.c. Iſa.6. Apoc.1. & 4.ac præterea Scriptura Deo omnia corporis humani membra, faciem,oculos,nares, manus, pedes, &c. tribuat. Ac demum cùm formauerit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, vt habetur Gen. 1. hinc deduxerunt Deum humanis membris tanquam hominis exemplar conſtare.

Daniel 7. Iſa 6. Apoc. 1 & 4.

Gen. 1.

Huius erroris,qui olim Paganorũ fuit,Monachi quidã in Ægypto qui Anthropomorphitæ appellati ſunt, teſte Epiph.hæreſ.70.& Theodoreto li.4.c.10.fautores extitere:quos & Bogomili ſequuti ſunt,qui Deũ non modò forma humana præditum putarunt:verùm ex binis cerebri panniculis,binos radios emittere,alterũ Filij,alterũ Spiritus ſancti impiè excogitarunt, vt tradit Euthymius in Panoplia: neque ab hac impietate diſtãt Mahometiſtæ, qui Deo humana membra tribuunt. In hunc olim errorem raptum fuiſſe Serapionem vitũ alioqui ſanctum narrat Io.Caſſianus in collat. Pat.coll.10.c.3. quem à Paphnutio ad veram fidem reductum fuiſſe commemorat. Neque ab eo omnino immunem fuiſſe Tertullianũ tradunt Auguſt.de Origine animarum;Gennad.de Eccleſiaſt.dogmatibus;& Fulgent.lib. 2. de fide ad Petrum. Quapropter hoc loco his etiam occurrẽdum eſſe neceſſarium duxi.

Epiphan hæreſ.70. Theodoret lib 4. cap. 10.

Euthymius.

Io.Caſſianus collat 10. cap 3.

Ac primò quidem hanc impietatem præclariſſimis verbis refellit Iſai. cap. 40. *Cui ergo* (inquit)*ſimilem feciſtis Deum? aut quam imaginem ponetis ei? Nunquid ſculptile conflauit faber?*

Iſa.40.

aut

Digitized by Google

aut Aurifex auro figurauit illud, & laminis argẽteis argẽtarius? Forte lignũ, & imputribile elegit Artifex ſapiẽs, quærit quomodo ſtatuat ſimulachrũ, quod non moueatur. Nunquid non ſcitis? nũquid nõ audiſtis? nunquid non annunciatum eſt vobis ab initio? Planè hæc tãta Prophetæ verborũ inculcatio grauiſſima cauſa nõ vacat: nã ſi Deus corporeus eſſet, cur auro, vel argento, aut ligno, aut lapide effigiari non poſſet? quid reprehenſione, aut animaduerſione dignum eſſet, ſi vt corporeus eſt, corporeum illi ſimulachrum erigeretur? At iis Propheta Deum omnino formæ expertẽ eſſe declarare voluit, ac propterea nulla poſſe Diuinam naturam arte effingi, vt corporea eſſe exiſtimetur: cui optimè
Actor.17. conſonant verba Pauli Actor 17. cùm ait: *Genus ergo cùm ſimus Dei, non debemus æſtimare auro, aut argento, aut lapidi, ſculpturæ artis, & cogitationis hominis Diuinum eſſe ſimile:* ſiquidem perſpicuum eſt, ea arte tantummodò referri poſſe, quæ corporea ſunt, cùm verò Diuina natura nullo artis ſimulachro exhiberi poſſit, liquidò conſtat incorpoream eſſe.

At idem Paulus Deum vocat inuiſibilem
1. Tim.6. 1. Tim. 6. *Regi ſæculorum* (ait) *immortali, & inuiſibili, ſoli Deo honor, & gloria.* At quomodo Deus inuiſibilis à Paulo diceretùr, ſi corpore conſtaret, quod ſuapte natura viſibile eſt?

At omiſſis pluribus huiuſmodi Scripturarum teſtimoniis, vnum illud pro omnibus
Ioan.4. ſufficiat quod declarat Chriſtus Ioan. 4. *Spiritus* (inquit) *eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare*: cui etiam
2. ad Cor. 3. reſpondet illud Pauli 2. ad Corint. 3. *Dominus autem ſpiritus eſt, vbi autem ſpiritus Domini, ibi libertas.* At conſtat ſpiritum à corporum
Ioan 4. natura ſolutum eſſe, vt teſtatur Chriſtus apud Io. loco citato: *ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere* Cùm igitur Deus ſpiritus ſit, quo pacto corporeus eſſe poteſt, cùm ſpiritus natura prorſus incorporea præditus ſit, & à corporum natura quàm longiſſimè diſtet?

Id quoque Patrum teſtimonia diffuſiſſimè
Origenes lib. 1. de Principiis. Athan. in Decretis ſynodi Nicenæ contr. Arium. Greg. Nazianz. de fide. probãt. Nam Origenes lib. 1. de Principiis ita de Dei natura ſcribit. *Non corpus aliquod, aut in corpore putandus eſt Deus, ſed intellectualis natura, ſimplex, nihil omnino adiũctionis admittens.* Athanaſius in Decretis Synodi Nicenæ cont. Arium. *Homo* (inquit) *ex materia, eáque patibili creatus eſt. Deus contrà immateriatus, & incorporeus exiſtit.* Greg. Nazianz. de fide. *Quæ eſt ſubſtantia Dei* (inquit) *niſi ipſum quod Deus? ſimplex, ſingulare, purum, nulla concretione permixtum, limpidum, bonum, perfectum, beatum, integrum, ſanctum totum*, &c. Cyrillus Alex. ad Caloſyrium.
Cyrillus Alex. ad Caloſyr. Ioan. 4. *Deus* (inquit) *eſt corporis expers, quod & Saluator ipſe dixit, inquiens, Deus ſpiritus eſt, non itaque corporeus, ſi ſpiritus eſt: neque formam corporis præ ſe fert: quod enim corpore præditum non eſt, forma etiam careat, neceſſe eſt: neque quantitas, aut figura*

A *in Deum cadit.* Hoc ipſum confirmarunt Elias Cretenſ. in orat. 3. Nazianz. Ruffin. in explicatione Symb. Eucherius Lugdunenſ. de ſpiritualibus form. Gennad. Maſſil. de Eccleſiaſt. dogmat. c. 11. Io. Catachuzenus in Mahometem oratione 4. & paſſim omnes Patres.

Quod ipſa quoque ratio perſuadet. Nam cùm Deus incircunſcriptus ſit, vt omnes fatentur, quomodo corporum dimenſionibus circunſcribi poteſt? Cùm enim corpus ſub determinata quantitate ſit, quantitas verò locum circunſcriptum habeat: qui Deum corporeum efficiunt, planè eum circunſcriptum
B eſſe volunt, quod vera fides refellit.

Præterea vera fides, ſacris literis innixa Deum infinitum eſſe docet: ait enim Dauid Pſal. 47. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis,* *Pſal. 47.*
& magnitudinis eius non eſt finis. Quod autem infinitum eſt, nullis poteſt terminis concludi, nec conſequenter figura conſtare, cùm figura certis terminis neceſſariò conſtet. Quòd ſi Deus corporeus eſt, & figuram, & membra, & partes gerit: certè infinitus eſſe non poteſt, cùm certis limitibus includatur. Cùm verò id fidei ac Scripturis repugnet, ſanè liquet, non corporeum, ſed incorporeum eſſe.

C Deum inſuper totum vbique eſſe, & vbique diffundi ſacræ literæ conſtanter prædicant. Dauid Pſalm. 138. *Quò ibo à ſpiritu* *Pſal. 138.*
tuo, aut quò à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cælum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades. &c. & Hierem. 23. *Putáſne Deus de vicino ego ſum, di-* *Hierem. 23.*
cit Dominus, & non Deus de longè? ſi occultabitur vir in abſconditis, & ego non videbo eum? Nunquid non cælum, & terram ego impleo? At ſi corporeus eſt, & membra vt homo habet, ſequitur planè quòd non ſit vbique totus, cùm corpus vbique diffundi non poſſit.

Rurſus qui Deum corporeum eſſe affir-
D mant, compoſitionem in Deo coguntur fateri: neq; enim vllum corpus dari poteſt, quod ſit compoſitionis expers, atque ita fieret; vt nec omnia quæ in Deo ſunt, infinitam perfectionem attingerent. Quælibet enim illarum partium, ex quibus cõponeretur minor eſſet ſuo toto, & conſequenter non ęquè ac totum perfecta eſſet: cùm verò quod eſt infinito minus, proculdubio finitum ſit: partes illæ ſeorſim acceptæ, non eſſent infinitæ perfectionis, ſed finitæ: atque inde tandem ſequi neceſſo eſſet, vt cùm totum nihil ſit extra partes, ſi
E partes quibus Deus componitur finitæ ſint, totum ipſum finitum eſſe oporteat: quod tum Scripturæ, tum fides omnino exhorret.

Ad hoc etiam illud incommodum ſequitur: quòd cùm Deum immortalem ſacræ literæ aſſerant, vt patet 1. ad Timoth. 6. *Rex re-* *1. ad Timot. 6.*
gum, & Dominus dominantium, qui ſolus habet immortalitatem. Dauid Pſalm. 101. Tu autem *Pſal. 101.*
idem ipſe es, & anni tui non deficient, &, tu autem Domine in æternũ permanes. Quod ſi com

Damaſc. lib. 1. Orthod. fid. c. 4.

ſi compoſitus eſſet Deus, iſvt ait Damaſcenus lib. 1. Orthod. fid. c. 4. diſſolutioni obnoxius eſſet. *Quonam porrò modo* (inquit) *paſſionis expers erit, quod ex elementis conflatur, atque in eadem rurſus dilabitur?* Compoſitio, quidem pugnæ origo eſt, pugna diſſidij, diſſidium ſolutionis, ac interitus. Interitus autem à Deo procul arcendus eſt. A

Petrus Alphonſ. tit. 1.

His accedat Petri Alphōſi ratio quam tit. 1. ita format. Non compoſitum, ſed ſimplicem credere conuenit Deum. Omnis enim compoſitio motus eſt; & actus ſimplicis rei: item quod prius eſt, principium habere non poteſt. B Compoſitio autem omnis aliquod habet principium. Creator ergo primus non eſt compoſitus: ſed neque eſt corporeus; omne enim corporeum eſt compoſitum. Item neque mobilis eſt: omne enim quod mouetur, partibus conſtat: ſed quicquid partibus conſtat, compoſitum eſt, quod autem primum eſt omnium, non eſt compoſitum. Sed ne in re tam clara diutiùs immorer: ſiquis ampliorem huius rei probationem expetat, requirat apud Theophilum Alexandrinum, qui ex profeſſo in hanc hæreſim inuehitur, apud Epiphanium hæreſi 70. C Alphonſum de Caſtro, & reliquos.

Nunc ad Hæreticorum argumenta reſpondendum eſt. Primum eſt: Deus ſæpenuro Patribus ac Prophetis corporali ſpecie præditus apparuit, ergo corporeus eſt. Sanè, vt taceam ſententiam fuiſſe Dionyſij Areopagitæ, omnes Dei manifeſtationes, atque apparitiones, quas in Scripturis deprehendimus, ſub aliqua ſenſibili ſpecie hominibus factas, immediatè per Angelos exhibitas eſſe: ita vt qui in illis apparerent, ac loquerentur, D Angeli eſſent; Dei tamen maieſtatem, atque auctoritatem, & verba ſæpè referentes: quod etiam Scriptura videtur expreſsè docere

Actor 7.

Actorum 7. vbi tradit Moyſi tum in Rubo, tum in Sina monte, ac cæteris Patribus (quoties Deum ſe vidiſſe exiſtimarunt) non Deum, ſed Angelum apparuiſſe: ita enim habetur. *Et expletis annis quadraginta apparuit illi in deſerto montis Sina Angelus in igne flammæ Rubi:* & poſt pauca: *Hic eſt, qui fuit in Eccleſia, in ſolitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum Patribus noſtris:* quo reſponſo tota illius Hæretici Enthymematis, veluti detracto E fundamento moles corrueret. Attamen quò abundantiùs hanc hæreſim refellamus: demus aduerſariis Deum ipſum tum Moyſi, tum Patribus humana forma indutum apparuiſſe: quid tum? num propterea corporeus cenſendus eſt? Nam & Chriſtus Ioanni in Agni forma in monte Sion viſus eſt: num ob id Chriſtus natura Agnus, ac irrationale animal dicendus eſt? Quod ſi ita eſſet, planè & igneæ naturæ Deum eſſe fateri cogeremur, & ſenſu, & intelligentia carere, quandoquidem Moyſi in flamma ignis apparuit. Quis etiam non cogeretur fateri Spiritum ſanctum in columbæ, ac volucris naturam tranſiſſe, ac roſtrum, pennas, alas, vngulas geſtare, cùm palumbæ ſpeciem ſibi in Chriſti Baptiſmate aſſumpſerit, ac in ea Ioanni viſus fuerit?

Quamobrem non ita ad amuſſim ac carnaliter accipienda res eſt, vt ſi quando Deum aliquam corporis formam ſibi aſſumpſiſſe legamus; protinus eam ipſi naturalem eſſe exiſtimemus. Deus namque cùm rerum omnium opifex ſit, eam ſibi formam copulare poteſt, quæ ſibi magis arridet, & illā dicto creare, & rurſus voluntate deſtruere: cùm verò ſapientiſſimus ſit, eam tantùm ſibi aſſumit, quam ad aliquod opus ſignificandum ſibi magis deſeruire videt. Cùm demum optimus ſit, ea ſpecie homini innoteſcit, qua & illum inſtruere, & aliquod illi beneficium impendere valeat. Poſtremò Deus, tametſi inuiſibilis ac incorporeus ſit, eam formam induit, qua ab hominibus videri, quæve ad propoſitum ſibi finem conſequendum magis apta videtur: ita Rupertus lib. 1. in Exod. c. 12. *Deus* (inquit) *inuiſibilis, qui nec loco circumſcribitur, nec vllis ſenſibus corporeis percipitur; quoties viſibiliter hominibus apparet, rebus ipſis congruam aſſumit ſpeciem, propter quas apparere dignatur.* Falſa ergo eſt Hæreticorum illatio, Deus hominibus in corporea ſpecie apparet: igitur corporeus eſt.

Rupertus lib. 1. in Exod. c. 12.

Nam Rex vel Imperator interdum (vt libet) piſcatoris, aut coqui veſte ſe contegit, qui tamen, nec coquus, nec piſcator eſt. Ita Deus cùm humanam, aut aliam corpoream ſpeciem induit, non ideò aut homo, aut corporeus exiſtimandus eſt.

Secundum argumentum: Scriptura ſæpè Deo tribuit corporis humani membra, igitur corporeus eſt. At cur potiùs non inferunt, ergo homo eſt? Sanè ineptam eſſe huiuſmodi argumentationem ratio ipſa declarat. Nam ſi puræ Scripturarum literæ ſtandum eſt: cùm plerumque Scriptura Deum leonem appellet, plerumque lapidem, interdum vermem, ſæpè ignem, vitem &c. cur nō etiam Deum leoninæ naturæ, aut lapideæ, demum aut vermem, aut ignem, aut vitem eſſe, cū id ſacræ literæ tradant, nō exiſtimant? Ea ſanè ratio eſt, quia, vt Paulus ait, *litera occidit, ſpiritus autem viuificat.* In his ergo non litera, ſed ſpiritus quærendus eſt. Pleraque namque Scriptura ſub literæ cortice abſcondit, in quibus latentia myſteria potiùs, quàm ipſam literam nobis contemplanda offert. Nam quis Deum aut fluuium, aut fontem, aut petram, aut ouem, aut id genus alia, quæ Scriptura Deo tribuit, abſque ſumma impietate, ac ingenti blaſphemia eſſe

2. ad Cor. 3.

iuxta literam ſentiat? Quapropter in iis res non iuxta primam, ac exteriorem literæ ſignificationem accipienda eſt: ſed quid res ipſa per literam ſignificata altiùs in animo pariat, inſpiciendum eſt: quod in omnibus metaphoricis loquutionibus contingit.

Quæ cùm ita ſint; planè conſtat quandocumque Scriptura membra Deo tribuit, vtputà caput, oculos, linguam, aures, manus, brachia, pedes, &c. illa non iuxta literam, ſed metaphoricè exponenda eſſe: atque in iis non literæ corticem, ſed latentem ſub litera ſpiritum, ac myſterium perpendi oportere. Atque in eo plurimi ex antiquis Patribus maximè elaborarunt, vt membra illa quæ Deo attribuuntur, non ei ineſſe naturaliter, ſed tantummodò ſecundùm quandam loquendi formam oſtenderent. Hac de cauſa Hieronymus libellum quendam ſcripſit de membris Domini: vbi inter alia hæc habet. *Vbicunque ſacra Scriptura ſparſim per libros diuinos, in Deo motus animæ, ſeu humana membra deſcribit, id eſt, caput, oculos, palpebras, aures, os, labia, linguam, &c. Item motus animæ, iram, furorem, obliuionem, pœnitentiam, recordationem, &c. non carnaliter iuxta hiſtoriam à rectè intelligentibus accipienda ſunt, ſicut à Iudæis, ac pleriſque Hæreticis carnaliter ſapientibus, qui Deum corporeum, atque localem opinantur: ſed ſpiritualiter omnia de eo intelligenda ſunt, & confitenda.* Atque hanc D. Hieronymi ſententiam amplectuntur Ioan. Chryſoſt. homil. 12. in Gen. Alexand. Cyrillus lib. 5. cont. Iulian. Gregorius Nazianz. oratione 13. His verò prior Philo Iudæus eandem explicauerat tum in libro; Quòd Deus ſit immutabilis, tum libro de ſacrificio Abelis, & Cain: vbi inter alia hæc habet. *Itaque ne illa quidem, quæ inſunt hominibus, de Deo dicuntur propriè, ſed per quendam abuſum nominum, quo infirmitati noſtræ ſuccurritur. Quambrem aufer (ô anima) quicquid eſt genitum, mortale, mutabile, profanum, quando de Deo ingenito, incorruptibili, ſanctóque ſolo beato cogitas.*

Hieronymus lib. de membris Domini

Philo Iudæus lib. de ſacrificio Abelis, & Cain.

His ſuffragatur quæ ſcribit Ioan. Caſſianus lib. 8. Inſtit. cap. 4. *Itaque* (inquit) *vt hæc quæ Deo caput, nares, aures, obliuionem tribuunt, ſecundùm literam non abſque nefando ſacrilegio poſſunt intelligi ſuper eo, qui inuiſibilis, ineffabilis, incomprehenſibilis, inæſtimabilis, ſimplex, & incompoſitus ſanctarum Scripturarum auctoritate definitur. Ita ne furoris quidem, & iræ perturbatio illi indemutabili natura ſine ingenti blaſphemia poterit coaptari. Nam huiuſcemodi ſignificatione membrorum diuinas efficiẽtias Dei, & immenſas operationes eius ſentire debemus: quæ nobis niſi per hæc vſitata membrorum vocabula nequeunt intimari.* Præter hos Ioann. Damaſcenus lib. 1. Orthod. fid. c. 14. omnia Deo attributa membra myſticè exponit. Quod etiam D. Anſelm. libello

Ioan. Caſſian. l. 8 Inſtit. cap. 4.

Ioa Damaſc. lib. 1. Orthod. fid. c. 14.

Anſelm lib. de Exp mẽb.

A quem inſcripſit, de Expoſitione membrorum Dei fusè, demonſtrat. Demum Partes Concilij Foroiulienſis ſub Carolo Magno & Adriano I. in ſumma fidei id expreſsè declararunt, quorum hæc ſunt verba. *Etſi legitur oculus Domini, vel brachium, vel dextera, &c. non membrorum poſitionem, vel molem corporis; ſed effectum ſummæ, & inenarrabilis diuinæ potentiæ integra rectæ fidei credulitate debemus intelligere. Nam quia omnia videt, & omnia penetrat, & cuncta nuda ſunt, & aperta ante eum, oculos habere dicitur: quia verò nos ſua virtute creauit, regit, & protegit, & defendit; brachium, vel dexteram habere perhibetur.* B Ex his patet quæ de Deo corporaliter dicuntur, non ad corporalem illius formam referenda eſſe: ſed myſticam, & occultam in his intelligentiã inſinuari; vt ex his, (vt ait Damaſc.) quæ ſunt ſecundùm nos, ea quæ ſunt ſupra nos, ediſcamus.

Concil. Foroiul in ſumm. fid.

Tertium argum. In ſcriptura Gen. 1. legitur, hominem ad imaginem Dei factum eſſe: ſed homo qui eſt imago, eſt corporeus, ergo & illius exemplar. Huius argumenti falſitas ex eo potiſſimùm oritur, quòd hominem ſecundũ corpus eſſe Dei imaginem exiſtimãt; quod falſum eſt: cũ imago hæc in homine inſculpta, C non ſecũdùm corpus, ſed ſecundùm animam attendi debeat. Nam vt acutè arguit Melito Sard. apud Theodor. q. 20. in Gen. Si Deus idcirco corpus habere exiſtimatur, quale habet homo, quia Scriptura dicat hominem ad imaginem illius factum: ſimili ratione concludendum eſſet, hominem nõ eſſe ſimilem Deo, aut illius imaginẽ, quandoquidẽ Deus in Pſ. 90. pennis & alis inſtructus deſcribitur, quibus nos caremus; & Zacharias c. 4. Deum ſeptem oculos habere dicit, cùm nos duos tantùm habeamus: præterea Deus petra, lapis, vitis, leo eſſe dicitur, quorum nec D imaginem, nec ſimilitudinẽ gerimus; & multa alia per metaphoram Deo Scriptura attribuit, quę ſi propriè, & ad veritatem exigerentur, Deum, aut mõſtruoſum, aut inſenſibilem efficerent: & longè hominis diſſimillimum. *Non igitur* (ait Melito) *imago Dei quærenda eſt in hominis corpore, ſed in animo, qui vt Deus, ſic ipſe rationis, conſilij, ſapientiæ compos, & capax eſt.*

Gen. 1.

Theodoret. quæſt. 20. in Gen.

Pſal. 90.

Zachar. 4.

Id confirmat D. Auguſt. tract. 8. in 1. Epiſt. Ioann. his verbis. *Vbi factus eſt homo ad imaginem Dei? In intellectu, in mente, in interiori homine, in eo quod intelligit verita-* E *tem, diiudicat iuſtitiam, & iniuſtitiam; nouit à quò factus eſt: poteſt intelligere creatorem ſuum.* Quapropter idem 14. de Trinitat. cap. 8. *Eo* (inquit) *homo imago Dei eſt, quo illius capax eſt, eiúſque particeps eſſe poteſt.*

Aug. tract. 8. in 1. Epiſt. Io.

At luculentiſſimè Greg. Nyſſenus de hac re diſputat oratione 1. in ea verba; Faciamus hominem, &c. *Ad imaginem Dei* (inquit) *facti ſumus. Formam Deus noſtræ ſimilem habet? Oculis, auribus, capite, manibus præditus eſt, coxa-*

Greg. Nyſſ. orat. 1.

rúmque

rúmque vertebris, quibus fulcitur, & inſidet, quandoquidem ſedere Deum Scriptura tradit, pedibus item quibus incedit. Taliſne igitur Deus? Recedant ab animo tuo abſurdæ opiniones: abiice cogitationem, quæ Dei imaginem imminuit. Figura vacat Deus: ſimplex eſt. Noli cùm de illo cogitas formam vllam confingere, & comminiſci, ne more Iudaico magnum extenues. Noli corporeis illum cogitationibus amplecti, aut mente tua circunſcribere. Quotquot denique de hac hominis imagine ſcripſerunt, tametſi nonnihil inter ſe diſſentiant, in qua potiſſimùm animi parte collocari debeat, tamen in animo collocandam cenſent.

Amb. de dig. hum. cond.

D. Ambroſius lib. de dignit. hum. cond. hominẽ imaginem Dei eſſe cenſet, eò quòd in animæ eſſentia Dei vnitatem, & perſonarum Trinitatem in memoria, intellectu, & voluntate præ ſe ferat. Ioan. Damaſc. lib. 2. Orthod. fid. hominis imaginem in eo reponit, quòd is animam intellectualem, libero arbitrio pręditam, ac ſuo iuri relictam, haud ſecus quàm ſi mortalis Deus eſſet, poſſideat. D. Chryſoſt. explicans hũc locum Gen. *Faciamus hominem*, &c. Baſilius hom. 10. in Gen. Greg. Nyſſenus de creatione hominis, imaginem hanc cenſent attendendam eſſe penes hominis imperium, quod in animo gerit, quo ſupremũ Dei imperiũ refert: nam ſicut Deus rebus omnibus dominatur, ita homo velut mortalis Deus cunctis animantibus imperio præſidet. Fauſtinus ſex modos declarat, quibus hominem ſecundùm animum Deo ſimilem eſſe oſtendit: nempe, immobilitate, velocitate, inuiſibilitate, incorporeitate, ſubtilitate, & æternitate. Bernardus ſerm. 80. ſuper Cant. copioſè hanc quæſtionem exagitat, ac tandem hominis imaginem in tribus potiſſimùm ait conſiſtere: nimirum in libertate arbitrij, conſilij, & complaciti. At quamuis in hac imagine aſſignanda aliquantulùm differant: in eo tamen omnes conſentiunt, eam penes animum, non corpus attendi debere. Hæc ad Hæreticorum obiectiones ſatis.

Ioan. Dam. l. 2. Orthod. fid. — *Ioan. Chryſ.* — *Baſilius.* — *Nyſſenus.* — *Fauſtinus.* — *D. Bern. ſer. 80. ſup. Cãt.*

Soluitur tertia Atheiſtarum obiectio, & demonſtratur Deum eſſe ſubſtantiam ſeparatam.

ARTICVLVS XXIII.

OBIICIEBANT tertiò Atheiſtæ, Deũ idcircò nihil eſſe, quòd neque corpore, neque anima conſtaret. Corpore quidem, ob id haud prędituem eſſe volunt, quòd illud tandem corrumpendum ſciant: quod diuinæ naturæ, quæ (vt præfertur) immortalis eſt, parùm illis congruere videtur. Animam verò ſublato corpore non eſſe, neque ſpiritum, neque immaterialem aliquam ſubſtantiam, velut certiſſimum ſibi perſuaſum habent. Hoc

A verò quod tanquam immobile principium ſibi ſtatuunt, animam nimirum non dari à corpore ſeparatam, fuſiùs in Demonſtratione ſecundi ſymboli refellemus, in qua de animarum immortalitate diſceptabimus. Nunc quod ad obiectionem ſpectat; dari ex Philoſophia, ac ipſa naturali ratione ſubſtantiam à corpore ſeparatam, ac proinde Deum (quem hactenus ſpiritum incorporeum eſſe demonſtrauimus) ipſum quoque dari à materia ſeparatum, ac ſubſiſtentem, facilè oſtendi poteſt.

Nam, vt à Platone exordiar; præter ea, quæ is de Deo ſummo, quem mentem, cauſam B primam, ſummum bonum, ac rerum omnium mentalem opificem appellat: mentes quaſdam à corpore, ac materia ſolutas cum ſummo Deo ſtatuit, quos minores Deos nuncupat. Atque hos in Timæo in duo genera Deorum diſtinguit, aſtra nimirum, & Dæmones; primos Deos dicit eſſe notos, claros, nobiles; ſecundos verò obſcuros, atque inuiſibiles prædicat; vtroſque tamen à ſummo opifice genitos. Porrò nulli dubitandum eſt; cùm Plato hos minores Deos nuncupat, eum non de veris Dijs, ſed de excellentioribus quibuſdam mentibus mentio- C nem agere, quæ cùm intelligibiles ſint, & à rerum materia abſtractæ, eò res omnes corporeas longè antecellunt, quò propiùs ad Dei naturam accedunt: præſertim cùm in Phædone vnum, ac ſingularem Deum omnium opificem, ac ſatorem conſtituat: quò fit, vt quæ ille de minoribus Dijs aſſerit, procul dubio de iis ſeparatis intelligentiis exponi debeant.

Nec propterea vlli mirum videri debet illas à Platone Deos vocari; cùm etiam apud Moſem, & Prophetas Dij nonnunquam Angeli dicantur, nam Elohim, quod eſt Dei no- D men ſæpenumero Angelis tribuitur, nam Pſ. 137. vbi Latinus interpres vertit. *In conſpectu Angelorum pſallam tibi.* Hebraicè habetur. *Elohim, Deorum.* Et Pſ. 8. *Minuiſti eũ paulò minùs ab Angelis*, Hebraicè, *Elohim, Dijs.*

Pſal. 137. — *Pſal. 8.*

Porrò nõ omnibus certũ eſt, quid hac Deorum diſtinctione in aſtra, & dæmones Plato inſinuare voluerit: neq; enim ij audiendi ſunt, qui Platonem fabuloſam aſtris diuinitatem tribuiſſe ſentiunt, cùm is aſtra inanimata eſſe doceat. Quapropter omiſſis altercationibus, E hanc Deorum diſtinctionem ita intelligendam exiſtimo, vt ea Plato inſinuare voluerit; duo eſſe intelligentiarum genera, non quidem natura, ſed officio, ac operatione diſtincta, Angelos ſcilicet, ac dæmones. Ac primùm Angelos aſtrorum nomine inſinuat; quod ex eo perſpicuũ eſt, quòd Plato paſſim in Phædro, in Gorgia, in Phædone, aliiſque libris, Deos quoſdam beatos, ac fœlices ſupra cœli faſtigium collocat, qui res humanas curant, ac pariter cũ illo ſummo Deo triũ

phant. At cùm hæc omnem Deorum diſtinctionem à Platone inductam complectatur, manifeſtum eſt Deos illos fœlices, ac beatos ſub aſtrorum nomine comprehendi, atque illos eſſe, quos nos Angelos nuncupamus: quos ea fortè ratione aſtra nominat, quòd ij cœlũ, ac aſtra moueant, ac rebus humanis haud ſegniter incumbant: neque id mirum videri debet, cùm & Iob ipſe c. 38. Angelos Aſtrorum nuncupatione comprehẽdat, cùm ait; *Vbi eras cùm me laudarent aſtra matutina?* vbi iuxta expoſitionem Nicetæ, Titelmani, & Lyrani in hunc locum aſtrorum nomine Angelos intelligit. Conſtat igitur cùm ſub Deorum nuncupatione de Angelis agit Plato, atque eos cœlum colere, orbes mouere, rerum humanarum curatores eſſe, atque à ſupremo Deo, ad homines tuendos veluti gregi cuſtodes adhibitos eſſe ſentit, illos immateriales, atque ab omni corporea concretione ſolutos, ac ſeparatos appellare.

Iob 38.

Ariſt. 12. Metaphyſic.

Cuius ſententiam ſequutus eſt Ariſtoteles 12. Metaphy. vbi probat quaſdam eſſe intelligentias, ac ſubſtantias abſtractas, orbium motrices. Præterea in lib. Philoſophiæ vniuerſalis, quem ad Alexandrum ſcripſit, cùm dixiſſet extra cœlum nullum poſſe dari corpus, quandoquidem ibi neque locus, neque vacuum, neq; tempus eſſe conceditur: ibi mentes quaſdam ſeparatas fœliciſſimas, beatiſſimas, optimam vitam degentes collocat. *Quocirca* (inquit) *neque in loco, quæ ibi ſunt, eſſe, neque facere tempus ea ſeneſcere, neque vlli mutationi ſubiacere: quæ longiſſimè ſita ſunt ſupra cœli concitationẽ: ſed immutabilia, & impaſſibilia, optimámque vitam, & opulentiſſimam, perennitérque omni æternitate degere.* Hæc Ariſtotelis beatarum mentium deſcriptio, quæ propriè Angelis conuenit, ſatis apertè demonſtrat eſſe extra corpora, ac corporum loca, quoſdam ſpiritus, à corporum prorſus materia ſeiunctos.

Lib. Philoſ. vniuerſ. ad Alex.

[illegible] Chal.

Neque ab his antiquiſſimi illi Magi Chaldæorum diſſensère; à quibus tum Platonem, tum Ariſtotelem multa delibaſſe auctor eſt Pſellus, & Pletho. Hi ſiquidem mundum à quibuſdam mentibus, ac rectoribus intelligibilibus ſuſtineri affirmarunt. Mundus, inquiunt, habet intelligibiles ſuſtentatores, inflexibiles: quæ nomina Angelis proculdubio congruũt, nam quod aiunt *νοερὰς intelligibiles*, hoc Angelicam ſubſtantiam annuit: perinde ac ſi dicerent, eſſe mentes, ac intellectus à corporum materia ſeparatos: quos nos conſono vocabulo poteſtates vocitamus; atq; inter Angelicos ordines ſtatuimus, quibus à Deo rerum ſublunarium curam commiſſam eſſe haud malè credimus. Nam & Chaldæi (vt teſtatur Pſellus) poteſtates ſuperiores in mundo ſtatuunt, eáſque appellarunt mundi ductores, ſeu quæ mundum agant motibus

A prouidentiæ, aut ſuſtentatores, videlicet quæ mundum fulciendo teneant. Quòd verò eas inflexas vocant, ſtabilem, firmámque eorum poteſtatem indicant.

Quòd autem ad dæmones ſpectat, de iis Plato palàm diſſeruit in Timæo, in Epinomide, in Sympoſio, libris de legibus, & alibi paſſim: quos genere aërios eſſe docet, tametſi in eorum officiis deſcribendis varius, ac multiplex videatur. Nam quandoque legationum auctores, ac interceſſores appellat, vt in Epinomide: interdum mundi rectores, vt in 4. de legibus, & in Polit. Aliquando verò dixit, B probos homines poſt mortem dęmones fieri, vt in Cratylo: quod non leue argomentum fuit Platonicis recentioribus ſuſpicandi dæmonis nomen à Platone in bonam partem vſurpati. Atqui obſeruare debent, Platonem non ſemper iuxta ſententiæ ſuæ placitum loquutum fuiſſe, ſed interdum poëticè, & iuxta vulgi ſententiam de dæmonibus egiſſe: qui dæmones pro diis vſurpabãt, quod illud apertè declarat, quòd inter dæmones ab eo enumerantur, Matuta, Oceanus, Gallacia, Phorcis, Saturnus, Opis, Iupiter, Iuno: quos in Timæo memorat: atque hac ratione dæmones C inter deorum genera recenſet, cùm tamen is nullum verum Deum præter ſummum illum agnoſcat. Interdum verò Platonem dæmonis nomen iuxta quandam nominis etymologiam accepiſſe certum eſt, qua dæmones, quaſi *δαήμονας*, prudentes, ſapientes vetuſta Græcorum lingua appellatos ſenſit Heſiodus. Atque hinc factũ eſt, vt quotquot probitate, ac ſapientia inter homines elucerent, poſt mortem in dæmones verti, id eſt, in ſapientiſſimorum ſpirituum ordinem redigi, haud malè exiſtimaret, quibus Dei legationes, ac interceſſiones pro hominibus committeren- D tur.

At Platonem cùm de diſtincta dæmonum ab Angelis ſpecie agit, dæmones malos ſpiritus eſſe, ac malos genios (vti eos Tullius appellat) ſenſiſſe apertè indicat in 3. de Rep. vbi ait dæmones præſtigias, ac deceptiones moliri: quod apertè velut ex Platonis mente tradit Porphyrius. *Per contrarios* (ait) *dæmones omne maleficium peragitur. His enim maximè eorum principem colunt, qui mala in maleficiis, aut præſtigiis omnigena apparentia aucupantur. Hi & decipiendi artifices per oblata oculis portenta. Per hos amatorias illecebras componunt miſeri homines.* E *Omnis enim intemperantia, diuitiarum, honoríſque ſpes per hos eſt, maximéque deceptio. Mendacium eſt his proprium, volunt enim eſſe Dij, & præſidens eis poteſtas videtur Deus.* Quæ verba maximè cum Euangelio, ac Ioannis Theologia conſonant, qui dæmonem mendacem, ac patrem mendacij eſſe dicit.

Tull. 3. de Republ.

Porphyrius.

Hanc verò Platonis de dæmonibus ſententiam prioribus Philoſophis etiam com-

munem

munem fuiſſe, facilè colligi poteſt ex iis, quæ Mercurius Trimegiſtus in Pimandro de dæmonibus ſcribit cap. 9. *Mens (inquit) omnes notiones concipit, bonas quidem, quoties à Deo ſemen infunditur: contrarias autem, cùm à dæmonibus quibuſdam ſpermata iaciuntur. Nulla profectò mundi pars eſt dæmonum præſentia deſtituta. Horum lumen ab ipſo Deo totum deſcendit. Dæmon denique transfuſus in hominem ſemina propria notionis inſpergit. Mens autem conſperſa ſeminibus prægnans, inde parit adulteria, ſtupra, homicidia, parricidia, ſacrilegia, diuinorum contemptum, iugulationes, euerſiones vrbium, peſtes* B *hominum, & reliqua omnia quæcunque malorum ſunt opera dæmonum.* Quæ ſanè non longè abſunt ab his, quæ docet Ioann. Epiſt. 1. cap. 3. Omnis qui natus eſt ex Deo, non facit peccatum, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & in hoc manifeſti ſunt filij Dei, & filij diaboli.

Merc. Trimegiſt. in Pimand. c. 9.

Idem & priſca Magorum Theologia ſenſit, qui dæmones impuros ſpiritus, ſordidos, maleficos, natura mendaces, ſtygios canes, feras agreſtes, malorum carnifices, eſſe affirmarunt: inde eſt illud dogma Chaldaicum. *Cùm videris venientem dæmonem terreſtrem, ſacrifica lapidem Mnuzirin excantans.* Quo (Pſello teſte) id inſinuari voluerunt, dæmones incantationibus, veneficiiſque præfectos eſſe.

In eandem quoque ſententiam conſpiraſſe Empedoclem, Pythagoram, Xenocratem, Chryſippum, Pherecydem auctor eſt Plutarchus, qui Empedoclis carmina refert, quibus dæmones toto Orbe exagitari, ac ſcelerum pœnas luere declarat:

Plutarchus Empedoc.

Aetherius (ait) motus in Pontum deiicit illos,
Pontus at in terram pellit, ſed terra remittit
Ad Solem rapidum, is vbi fit conuerſio cœli,
Ex alióque alius fugat, execrantur & omnes.

Quod Lactântius velut ex dæmonis olim ore profectum refert his verſibus.

Lactantius.

Dæmones errantes per terras, & mare ſemper,
Aeternas pendunt diuino verbere pœnas.

Ipſe verò Plutarchus tam in Galba, quàm in lib. de non fœnerando, hanc eandem de malis demonibus ſententiam tuetur: vbi dæmonibus hiſce vagis fœneratores comparat, cùm ait. *Quemadmodum illi labentes è cælo diuinitúſque exagitati dæmones Empedoclis, vagantur debitores, fugientes conſpectum eorum, quibus debent.* Atque eoſdem velut impios id peteniter pari exiſtimat, ob ſcelera quæ perpetrarunt, cùm homicidij, belli, ac mali alicuius auctores fuerunt.

Plutarchus in Galba & in lib. de non fœne.

Demum in hoc omnium antiquorum Poëtarum ſapientiam conſenſiſſe, vt dæmonis nomen propriè malorum ſpirituum ſit, A vnus pro omnibus teſtis ſufficiat Orpheus Hymno ad Titanes.

Orpheus Hymno ad Titanes.

Exhorréntque tuum (inquit) *rapidum durúmque flagellum*
Dæmones humani hoſtes, atque feri, atque maligni,
Qui noſtris animis vacuis infanda miniſtrant,
Vt ſemper diram vitam cum crimine ducant,
Corpore peccantes, ſemper vincliſque retenti,
Excidat vt nobis ſummi fulgor Patris aulæ:
Sed tu Dux animorum, &c.

A quo poſtea recentiores hauſerunt, quæ de dæmonum natura ſcripſerunt. Ita Virg. 7. Æneid. ſub furiarum nomine illorum malignitatem deſcribit hoc carmine.

Virg. 7. Æneid.

Tu potes vnanimes armare in prælia fratres,
Atque odiis verſare domos, tu verbera tectis,
Funereáſque inferre faces, tibi nomina mille,
Mille nocendi artes: fœcundum concute pectus;
Disiice compoſitam pacem, ſere crimina belli.

Poſtremò hoc ipſa nominis etymologia C docet: dæmonem namque Euſeb. Cæſar. à δαϊμάω ductam eſſe tradit, quod eſt, pauefacio, exterreo: quod ſanè dæmonis quàm maximè proprium eſt, qui cùm infenſiſſimus ſit proborum omnium hoſtis, eos maximè terroribus concutit, atque à bono auertere ſtudet, quos pietate inter cæteros excellere videt.

Auguſtinus Steuchus libr. 8. de Perenni Philoſophia cap. 19. ſentit dæmonis nomen ab Hebræo nomine שדי *Schadai* ortum accipere, quod ſignificat euerſorem, vaſtato- D rē: à verbo שדד *Sadad*, quod eſt euertere, deuaſtare, obſeruátque illud nomen in ſingulari tantùm Deo tribui ſolere, ac tunc exponitur fortis, aut potens: in plurali verò ſemper in malam partem ſumi, ac dæmonibus aptari. Atque hinc ab Hebrǽis hac ratione ad Græcos deriuaſſe docet: quòd Græci priorem ſyllabam, ש *Scha*, vt ex pleriſque nominibus oſtendit, reiecerint, qua reiecta relictum eſt, די *Dai*, in ſingulari, & in plurali דים *Daim*, à quo Græci δαίμων formauerunt. E At quicquid ſit de hoc nominis etymo, id certum eſt, dæmonum naturam eſſe bonorum omnium vaſtatricem, vt docet Petrus: *Aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.*

Aug. Steuc. lib. 8. de Perenni Philoſ.

1. Pet. 5.

Ex his conſtat dæmones, cùm à Platone inter malorum Deorum genera referantur, atque à cæteris Philoſophis inter impuros, ac mendaces ſpiritus recenſeantur, à materia eſſe ſeparatos, ſpirituales, intelligibiles, ab Angelis eatenus diſtantes, quòd illi cœleſtes; hi ſubcœleſtes, ac aëtij nuncupantur.

Aërij autem dicuntur, non quòd aërio cor-
pore prædìti ſint; ſed quòd aërem inhabi-
tent, & per aëra vagentur: in quo à Pauli
Theologia non diſtant, qui illas poteſtates
aërias appellat, atque inde nonnunquam vo-
lucres cœli in Scripturis vocantur. Demum
ſicut cœleſtes illi ſemper boni, fœlices, beati,
ac noſtræ ſaluris cupidi deſcribuntur: ita hi
ſemper mali, deceptores, mendaces, nefarij,
ſcelerum pœnas dantes, ac humani generis
hoſtes omnibus execrabiles prædicantur.

De anima rationali tandem, quòd ea à
corpore ſeparata per ſe exiſtere poſſit, vel ex
eo demonſtrare ſufficiat: quòd illa eſt à cor-
pore independens: nam mens, ac intelli-
gentia, qua anima vel futura proſpicit, vel
Deum, ac cœleſtia contemplatur, non de-
pendet à corpore; ſiquidem corpori nihil in-
natum eſt, quod vim mentis, ac intelligentiæ
præſtet: ſecus enim etiam brutis intelligen-
tia ineſſet, quæ elementorum omnia hau-
riunt, & concorporea cuncta cum corpore
accipiunt: quòd ſi mens à corpore profici-
A ſceretur, eam proculdubio bruta cũ corpore
ſibi vendicarent. Cæteras tum rationes, tum
Philoſophorum teſtimonia inferiùs ſuo loco
exaranda omitto.

Cùm igitur hactenus demonſtratum fue-
rit, dari præter animam aliquas ſubſtantias à
corpore remotas ac ſeparatas, eáſque per ſe
ſubſiſtere, quas Plato minores Deos, tum
Aſtra. i. Angelos, tũ Dęmones appellat; quid
B de ſummo illo Deo, quem idem poſt Mercu-
rium, & alios Philoſophos mentem, princi-
pium, ſummum bonum, ac ipſam boni ſub-
ſtantiam appellauit, cenſendum eſt; præter-
quàm illum ſubſtantiam omnino immateria-
lem, ſimplicem, ab omni corporea concre-
tione liberã, ac ſolutã aſſerere? Et cùm in ſu-
perioribus explicauerimus ab eo omnia, tum
corporea, tum intelligibilia, velut à ſummo
C omnium opifice cõndita eſſe, atque exiſtere:
hinc ſanè exploratum eſt, eum præſtantiſſi-
mo quodam modo, atque à cæteris eminen-
tiſſimo extra corporum materiam eſſe, exi-
ſtere, ac ſubſiſtere.

DEMON

DEMONSTRATIO
SECVNDA GENERALIS
SECVNDI SYMBOLI
contra Atheiſtas.

De animarum immortalitate.

Præfatiuncula.

EXPLICATO *igitur primo ſymbolo, quo ſuprema vnius* Dei *Maieſtas ampliſſimè demonſtrata fuit, nunc ad ſecundum ſymbolum conuolemus, in quo de animarum immortalitate diſſerendum eſt: quam in præſtantiſſimo illo conditi hominis opificio nobis aliquando antiquiſſimus* Moſes *animo ſpectandam obtulit: in quo, cùm cætera humani corporis membra ex terreſtri, ac communi cum reliquis animantibus materia à ſummo opifice effecta eſſent: his tamen animam velut ex vitalibus præcordiis hauſtam, tanquam vitæ ac immortalitatis ſpiraculum, qua immortalis homo tandem fieret, ab eodem inſufflatam, inſpiratam, & inditam tradit.* Et inſpirauit *(inquit Moſes)* in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem: *neque id ſanè fruſtra. Nam cùm cæterorum animantium animas, velut ex terra progenitas, mortales cum corpore rerum opifex condiderit: homini duntaxat anima data eſt, quæ ſola immortalitatis capax, perpetuò viueret, neque vllo vnquam tempore interire poſſet. Quo ſanè haud obſcurè inſinuatur, quàm ordinatè nos ad ſecundum ſymbolum explicandum ferri deceat: nam cùm in primo ſymbolo hactenus vnum ac ſupremum rerum omnium conditorem Deum Opt. Max. ampliſſimis rationibus demonſtrauerimus: in hoc ſecundo ordo ipſe poſtulat, vt de animarum immortalitate agamus.* Gen.1.

Porrò Atheiſtæ in hanc maximè debacchantur, vt eò liberiùs quibuſlibet cupiditatum, ac voluptatum generibus fræna laxent: dum nullum poſt corporis diſſolutionem animæ veſtigium remanere, ſed eam ſimul cum corpore interire ſibi perſuaſum habent. Nam quemadmodum eo conſilio Deum è mundo expellunt, vt nullum ſcelerum ſuorum vindicem ſibi imminere ſentiant; ita perpetuum cum animæ immortalitate bellum gerunt, vt ea proſtrata, nullo timoris, atque conſcientiæ ſtimulo perterriti, vitæ huius inſanis voluptatibus incumbant, ac efferati in omne flagitiorum genus præcipites ſe dedant.

Iis ergo cùm Deum Opt. Max. velut digito agnoſcendum, attrectandúmque hactenus oſtenderimus: nunc illis animo obiicienda eſt ſua ipſorum animorum immortalitas, quæ veram Religionem diu exulantem ad illorum mentes reuocet.

Cùm verò de animarum immortalitate diſſerendum ſit, tria priùs prælibare oportet quæ omnino neceſſaria videtur. 1. An anima ſit. 2. Quæ illius ſit origo. 3. An ſit corporea: namque ſine his animæ immortalitas haberi non poteſt. Quapropter hoc ordine in hac Demonſtratione incedemus, vt primo loco animam rationalem homini ineſſe, tum illam à Deo originem ducere, deinde non corpoream, ſed incorpoream eſſe, poſtremò immortalem exiſtere demonſtremus.

An neceſſariò ponenda ſit in homine anima intellectiua.

ARTICVLVS I.

NONNVLLIS haud fruſtrà viſum fuit, inter omnes Chriſtianæ Philoſophiæ partes, tametſi nulla ſit explicatu difficilior, nullam tamen eſſe, quæ & vtilior, & iucundior exiſtat, quàm ea, quæ circa animæ contemplationem verſatur. Atque hac quidem ratione difficillima illius cognitio nobis obtruditur, quòd intellectus noſter, qui ad rerum cognitionem adipiſcendam ſenſibilium adminiculo neceſſariò vti debet, eò imbecillior ſit, & ægriùs ad animæ cognitionem ducitur, quò illa longiùs à ſenſibus remota, ad ea ſubſtantiarum genera propiùs accedit, quę nullam nobis ex phantaſmate ſui notitiam relinquunt. Porrò quoniam in ea agnoſcenda non ſolùm in iis, quæ ad Catholicam fidem ſpectant, inſtruimur; ſed & ij qui in bene rectéque viuendo operam collocant, & & expoliendi, ac perficiendi animi curam gerunt, eo plurimùm iuuantur; cùm ſuæ ipſorum animæ vires, ac naturam perſpectam habent: inde maxima nobis tum vtilitas, tum iucunditas oritur; hæc ſiquidem contemplatio, vel ſola quaſi fræno à vitiis cohibet, & ad virtutes excitat, cùm quiſque ſe animam habere, eámque immortalem certò ſibi perſuaſum habet, quam perpetuò poſt funera victuram credit: neq; aliam vnquam Atheiſtis fuiſſe cauſam mihi perſuadere valeo, cur animam immortalem negent, quàm vt ea ſublata liberiùs beſtialem inter homines vitam agant. Atque hi quidem, tametſi animam in homine ratione ſimul, ac intelligentia præditam agnoſcere videantur; attamen cùm eam immortalem negant, perinde eſt, ac ſi ipſam transfixo iugulo, aut præcordiis lethaliter ſauciatis perimerent, & cum ea ſimul omnem ratiocinandi, atque intelligendi vim ad interitum raperent: præſertim cùm nulla intelligendi vis iis animis ineſſe poſſit, quos concreta corporum natura corporeos reddit, quíque & vitam, & interitum cum corpore communem habent. Hinc colligimus id Atheiſtis proculdubio propoſitum eſſe, vt rationali, ac intellectiua anima ab homine ſublata, in eo clàm brutalem tantummodò animam collocent: quapropter ij primùm hac diſciplina imbuendi ſunt, vt ſibi ratione, ac intelligentia ornatam præeſſe animam ſciant, vt inde poſtea ipſam immortalem addiſcant.

Iam verò quibus ad tollendam animæ rationalis, ac intellectiuæ naturam rationibus ducantur; noſſe operæ prætium eſt. Aliis quidem viſum fuit, animam quid fi- A ctitium ac inane eſſe; fruſtráque & animalia, & animantes vocari: cùm nulla neque in hominibus, neque in brutis anima ſit. Illud verò quo viuere, aut ſentire, aut intelligere quippiam cernimus, eandem prorſus eſſe vim declarāt æquè omnibus viuis corporibus infuſā, qua vel intuemur, vel ſētimus, vel intelligimus. Ita tamen, vt iuxta diuerſas corporum diſpoſitiones, ac temperamenta ea diuerſimodè ſe habeat. In plantis enim ea vis tantùm viget: in brutis viget, & ſentit, in homine viget, ſentit, & intelligit. Demum animam nihil aliud eſſe, præter corpus, ita naB turæ temperatione figuratum ſentiunt. Quæ ſententia olim (teſte Tullio 1. Tuſcul.) fuit Dicæarchi, quam nunc quoque hac noſtra tempeſtate Anabaptiſtarum quidam amplectuntur. *Tull.1.Tuſc.* Alij verò cùm ea tantùm eſſe ſibi perſuadeant, quæ vel ſenſibus ſubiiciuntur, vel ſenſuum adminiculo intelligi poſſunt; animam propterea inter entia haud collocādam cenſent, quòd ea nec ſenſibilis ſit, nec intellectu per ſenſibilia percipi valeat. Atque hæ ſunt communiores Atheiſtarum ratiocinationes, ſeu potiùs delirationes, quibus ſuæ ipſorum animæ rationalem naturam conantur euerC tere.

Porrò hi imprimis aduerſus communem omnium ſæculorum conſenſum pugnant, quo animæ fama in omnes ita percrebuit, vt nihil cuique magis certum, ac cognitum ſit, nihil magis creditum, ac perſuaſum; quàm ſe anima conſtare, qua viuat, qua vigeat, qua ſentiat, qua intelligat, qua meditetur: quò fit, vt ſimulac hominem intuemur, animam quoque illi præeſſe intelligamus, quæ propria hominis ſit. Hinc apud antiquiores Philoſophos, qui quò propiùs aberant à mundi ortu, ac diuina rerū progenie, eò meliùs quæ vera D ſunt, cernebant; celebre illud erat: datos eſſe nobis animos à Deo. Vnde inſigne illud extat Chaldæorum oraculum; quo animæ origo deſcribitur his verbis. *Accelerare opus eſt te ad lucem, & Patris ſplendorem, vnde tibi eſt animus miſſus, multa indutus mēte.* *Orac. Chal.* Quod Pſellus inſignis Philoſophus explicans ait. *Pſellus.* *Poſteaquam non ex ſeminibus accepit ſubſtantiam anima, neque corporeis ſubſiſtit temperamentis ſed à Deo supernè habuit eſſe, ad illam etiam conuertatur, oportet, & ad lumen diuinum faciat aſcenſum.*

At verò præclariſſima ſunt, quæ ante hos E Mercurius Trimegiſtus in Aſclepio cap.3. de animarum ſtatu, ac dignitate diſſerit: quarum naturam æthercam, ac immortalem eſſe ſentit, à corporis natura ſeiunctam. *Merc.Triſm. in Aſcle.c.3.* *Propter hoc (inquit Aſclepi, magnum miraculum eſt homo, animal adorandum, & honorandum; hoc enim in naturā Dei tranſit, quaſi ipſe ſit Deus: hoc dæmonum genus nouit, vtpote, qui cum eiſdem ortum ſe cognoſcat: hoc humanæ naturæ partem*

in ſe

in ſeipſo deſpicit, alterius partis diuinitati cõfiſus. O hominum quantò eſt natura temperata fœlicius, ac diis cognata, diuinitate coniunctius, partem ſui, qua terrenus eſt, intra ſe deſpicit, cætera omnia, quibus ſe neceſſarium eſſe cæleſti diſpoſitione cognoſcit, nexu ſecum charitatis aſtringit. Et infrà. *Solum enim animal homo duplex eſt, & eius vna pars ſimplex eſt, quam Græci aiunt νοιώδη, aut quam vocamus diuinæ ſimilitudinis formam: eſt autem quadruplex, quod κοσμικὸν Græci, nos mundanum dicimus; ex quo factum eſt corpus, quo circumtegitur illud, quod in homine diuinum eſſe iam diximus: in quo mentis diuinitas recta, ſola cum cognatis ſuis, id eſt, mentis pura ſenſibus ſecum ipſa conquieſcat, tanquam muro corporis*

Trimeg. c. 6. *ſepta.* Et in 6. capite hominem tertium diuinitatis participatione Deum appellat, anima, ſpiritu, ratione, tanquam elementis ſuperiorem poſſe in cœlum conſcendere; quà verò terra, aqua, igne, aëre coalitus eſt, terrenis implicatum, ac morti obnoxium eſſe. Vides quàm apertè Trimegiſtus animam à corpore ſeiungat: huic terrena omnia, aërem, terram, ac reliqua elementa copulet; illi verò mentem, ſpiritum, & quæcunque diuiniora ſunt, tribuat: hoc terram colere, illam cœlum ſuſpicere. Hoc tandem velut ex elementis compactum in elementa diſſolui, illam velut diuiniorem hominis partem in diuinam ſimilitudinem tranſire docet.

Pythagoras. His conſentanea ſenſit Pythagoras, cùm genus noſtrum, id eſt, eius qui verè homo eſt, animum nempe, non à corporeo corruptibilique elemento, ſed à Deo eſſe affirmabat: atque inde fidendum maximè, ac iucundiſſimè viuendum eſſe dicebat, quibus non ſit cum corporeis, atque iis quæ moriuntur, ac intereunt, agnatio, ſed cum Deo immortali. Hinc Cratippus ille apud Tullium duplici

De Diu. l. 1. animam parte conſtare aſſerebat, Diuina ſcilicet, & humana. Humani quidem animi eam partem eſſe agnoſcebat, quæ ſenſum, quæ motum, quæ appetitum haberet, atque hanc non eſſe ab actione corporis ſeiugatam exiſtimauit. Alteram verò animi partem, quæ rationis, & intelligentiæ eſt particeps, tum maximè vigere cùm plurimùm abeſt à corpore, ac proinde corporeis vinculis minimè teneri, neque à corpore pendere rectè ſenſit.

Socrates. Quod Socrates apud Platonem in Politicis exemplo dormientis confirmat: in quo cùm ſomno animus à ſocietate, ac contagione corporis ſeuocatus ſibi relinquitur, tum meminit præteritorum, præſentia cernit, futura prouidet. Iacet velut inanime corpus dormientis, viget autem, ac viuit animus, quod apertè animum aliquid præter corpus

Tull. Tuſ. eſſe declarat. Atque inde Tull. lib. 5. Tuſcu. quæſt. eleganti ratione animum ineſſe homini demonſtrat, qui nec cum animantibus,

A nec cum corporeis rebus commune aliquid habeat, ſed ex Deo genitus, ac decerptus fuerit. *Natura enim* (ait) *quicquid genuit, non modò animal, ſed etiam quod ita eſſet ortum è terra, vt ſtirpibus ſuis niteretur, in ſuo quodque genere perfectum eſſe voluit. Itaque & arbores, & vites, & ea quæ ſunt humiliora, neque ſe tollere è terra altiùs poſſunt: alia ſemper virent, alia hyeme nudata, verno tempore tepefacta frondeſcunt, neque eſt vllum, quod non ita vigeat interiori quodam motu: & ſuis quoque ſeminibus incluſis: vt autem flores, aut fruges fundat, aut baccas, omniáque in omnibus,*

B *quantùm in ipſis ſit, nulla vi impediente perfecta ſunt: faciliùs verò in beſtiis, quòd his ſenſus à natura eſt datus, vis ipſius naturæ perſpici poteſt, nam que alias beſtias nantes aquarum incolas eſſe voluit, alias volucres cælo frui libero, ſerpentes quaſdam eſſe gradientes. Earum ipſarum partim ſolinagas, partim congregatas; immanes alias, alias autem cicures; nonnullas abditas terráque tectas: atque horum quæque ſuum tenet munus; cùm in diſparis animantis vitam tranſire non poſſit, manet in lege naturæ. Et vt beſtiis aliud, alij præcipuè à natura datum eſt, quòd ſuum quæque retinet, nec diſcedit ab eo: ſic ho-*

C *mini multò quiddam præſtantius; etſi præſtantia debent ea dici, quæ habent aliquam comparationem. Humanus autem animus decerptus ex mente diuina, cum alio nullo niſi cum ipſo Deo, ſi hoc fas eſt dictu, comparari poteſt.*

Id etiam Poëtæ fictitia illa Promethei fabula (vt illis mos eſt) non obſcurè ſignificarunt, cùm efficto ex natura hominis corpore Prometheum cœlum conſcendiſſe ferunt, vnde cœleſtem quandam particulam homini detulit, qua vitam illi tribueret: neque enim vlli dubium eſt, quin hac parte cœleſti animum intellexerint, quem non ex cor-

D pore, aut aliunde quàm à Deo decerptum eſſe exiſtimarunt.

Omitto priſcos omnes illos Philoſophiæ patres, qui hominem idcircò maximè à cæteris animantibus diſtare docuerunt, quòd ea tantùm ad id ſolùm quod adeſt, quódque præſens eſt, ſenſu moueantur: homo verò rationis particeps is ſit, qui præſentia cernit, præterita non ignorat, futura præuidet, principia, ac rerum cauſas intuetur. Animal demum ſit prouidum, ſagax, multiplex, acutum, plenum rationis, & conſilij. At qua ratione hæc illi quiſpiam ineſſe exiſti-

E mat, præterquàm intellectiua anima, qua à brutis ſecernitur, ac propè diuinus efficitur? cùm enim non dicam in homine, ſed nec in cœlo quicquam ſit ratione diuinius, qua vna præſtamus belluis, atque hac vna argumentamur, refellimus, diſſerimus, diuidimus, concludimus, quæ tandem cùm in homine adoleuit, ac imperium aſſequuta eſt, ſapientem illum, ac demum beatum præſtat, atque

inde

inde primam homo cum Deo ſocietatem atque agnationem init. Quis animum, cui hæc ratio innata eſt, inane quiddam, aut commentitium exiſtimet, aut vim corporis eſſe arbitretur?

Orac. Delphic.

Planè Delphici oraculi ſe ignaros Atheiſtæ profitentur, quo admonemur, vt ſe quiſque noſcat, γνῶθι σεαυτὸν, qui animum nihil præter corpus eſſe ſentiunt: neque enim illud præcipiebat, vt quiſque membra, aut corporis partes, figuram, ſtaturámve, quibus aut corporeus eſſet, aut corporea geſtaret, in ſeipſo agnoſceret; hæc enim nulli non obuia fiunt: ſed ad eam quemque ſuipſius cognitionem vocat, vt animum ſuum agnoſcat, quo perfectus homo eſt: nam corpus quidem cùm velut fictile vas ſit ex elementis cõpactum, in quo animus includitur, atque eo non multùm à belluis diſtemus; planè illud noſſe nihil diuinum eſſe creditur, quod tantopere ſuſpicere debeamus. At verò animum noſſe, qui omnem idcircò corporis ſenſum effugit, quòd propè ad Dei naturam accedat, planè ab omnibus diuiniſſimum iudicatur.

Sed vt rem ſeriis rationibus aggrediamur. Dicant inanimes Atheiſtæ, qui animam in ſeipſis rationalem negant; quo diſcrimine ipſi à brutis, ac cæteris animantibus differãt? profectò ſi ab iis animo haud diſtare volunt, nulla iniuria eos non magis homines, quàm bruta, aut pecudes appellare licebit, cùm ipſis nihil niſi corporeum inſit: atque id fieri neceſſe eſt, vt ſi in homine nihil ſit, quo viuat, quo ſentiat, quo intelligat, quo ratiocinetur, præterquàm illa corporea vis, quæ à corpore fluit: cùm ea brutis communis ſit: nec melior, nec præſtantior ſit hominum vita quàm brutorum: ſed abſit, vt diuinum ac perfectiſſimum animal, quod Deo ſimillimum eſt, atque ex tot generibus animãtium ſolũ ratione vtitur, cum cæteris animantibus nullo ordine miſceamus: quapropter ei neceſſe eſt animum ineſſe præſtantiorem, quo reliqua animalia carent, qui illum belluis natura excellentiorem præſtet.

Quis enim cùm ſeipſum hominem intuetur, rationalem, mobilem, intelligentem, liberum, animam ſe habere non ſentiat, cuius beneficio hæc ſibi inſita eſſe arbitretur?

Accidit nonnunquam nos humanum corpus intueri, tot elementis compactum, tot venis velut fluminibus irriguum, tot ſenſuum organis ornatum, quot in mundo ſunt ſenſibilium naturæ, tot neruis, tot arteriis, tot colligationibus coniunctum. Caput ſingulari priuilegio ad cœlum erectum, manus quibuſlibet operibus aptas; cùm verò inſenſibile illud atque exanime nobis obiectum animo reuoluimus, tametſi illius ſtructuram admiremur, nec fruſtra tanto arti-
A ficio elaboratum ſuſpicemur: in eo tamen nihil præter corpus mente concipimus. At ſi corpus hoc deinde moueri, oculis cernere, naribus olfacere, manibus operari, pedibus currere, ac cæterorum ſenſuum virtutes, longè latéque diffundere ſpectemus; mox in eo vitam, motum, ſenſus admirantes, aliquid præter corpus ibi ineſſe cogitamus. Poſtremò cùm corpori illi mentem accedere conſpicimus, quæ immoto corpore, per vaſtiſſimas mundi oras peragrat; hinc ad ſuperos euolat, illinc ad ima deſcendit; nunc
B totum orbem mente complectitur, modò cœlorum conuexa ſcandens, quæ ibi fiunt, contemplatur: ac breuiſſimo temporis interuallo innumera ac diſtantia propemodùm loca percurrit. Quis in eo corpore nobiliſſimum, ac præſtantiſſimum quoddam, quod omne animarum genus antecellat, rationale nimirum, ac intellectiuum; habitare non ſentiat?

Plantis quidem præter externum arboris corpus occultam quandam vim ineſſe animaduertimus nobis inuiſam, qua viuunt, ve-
C getant, floreſcunt, fructificant, quæ in iis vegetatiua anima appellatur. Atque ea à metallis ac lapidibus diſtant, qui ea virtute carent. In brutis verò præter hanc, alteram quoque vim latere haud ignoramus, qua vident, audiunt, olfaciunt, guſtant, ſentiunt, mouentur, quæ à ſenſitiua anima illis exoritur. In homine verò præter has, intellectiuam, ac rationalem quandam vim admiramur, quæ ex ſenſibilibus intelligibilia parit, quæ cum viſibilia videt, inuiſibilia concipit; quæ non ſunt intelligit, vt ex iis, ea quæ ſunt,
D concludat. Breuiter quę hominẽ ſupra omnẽ corpoream naturam extollit, atque inter incorporea collocat. An non hæc hominis tanta præſtantia ac nobilitas, qua rebus omnibus ratione, ac intelligentia præcellit, animam illi rationalem ineſſe docet; qua fit, vt is non planta, aut brutum, ſed homo ſit?

Dicant (obſecro) quo pacto vis illa corporea eſſe poſſit, quæ inueſtigat occulta, quæ errantium ſtellarum curſus, progreſſiones, configurationes, influxus, diſſimillimos ſpherarum motus tam exactè notauit: vt non
E immeritò quiſpiam ſenſerit, hominem non vt terræ incolam, & habitatorem; ſed quaſi ſpectatorem ſupernarum rerum, ac cœleſtium contemplatorem eſſe conditum? planè id ſine diuino ingenio effici non potuiſſe Tullius exiſtimat. An ea corporea vis cenſenda eſt, quæ eò hominem impellit, vt eorum omnium, quæ intra terrarum, ac marium ſinus continentur, cauſas inquirat, inueſtiget, inueniat? Vnde quæſo tantus innatus eſt in omnibus cognitionis amor, & ſcientiæ; vt maximis curis, ac laboribus eam, quam ex diſcendo capiunt, voluptatem com-

penſent

penſent? Quanta in pleriſque eſt ſapientiæ cupido? quantus ſtudij ardor? vt addiſcendi cupiditate eò plerumque ferantur, vt corporis commoda, quæ natura ipſa docet tueri, nihil curent; & rei familiaris iacturam ſæpe ſtudiorum oblectationi poſtponant, vt multarum rerum contemplatione diteſcere valeant: quid Pytagoras? quid Plato? quid Ariſtoteles? an non eos diſcendi ſtudio ita oblectatos legimus, vt patria relicta extremas orbis plagas peragrauerint? Quot adeò rerum contemplatione captos ſcimus, vt ea quæ circa illos fierent, minimè aduerterent? vt de Archimede ferunt, qui cùm in puluere quædam attentiùs deſcriberet, ne patriam quidem captam eſſe ſenſit: hæcne tibi cum hac terrena corporeáque natura nata videntur, aut concreta?

Iámne illud corporeum eſſe cenſes, quod tam multa effingere, atque excogitare circa ſcientias, circa artes, circa leges, circa Reipub. adminiſtrationes, circa res familiares, circa negotia, poteſt? Diuina prorſus hæc animi vis ſit, neceſſe eſt: quæ terrena caligine expulſa ita omnia ſupera, infera, prima, vltima, media intuetur, connectit; componit, vt nec in Deo quicquam meliùs intelligi poſſit, quàm eſſe illum ea intelligentia præditum, quam nihil omnino effugere valeat, quæ cùm in Deo ſumma, ac perfecta ſit, in homine velut expreſſa eſt diuinæ huius ſapientiæ imago.

Neque etiam illa corporea vis exiſtimanda eſt, qua vnum hoc animal ſentit quid verum, quid honeſtum ſit, quid deceat; quis factis, dictiſve modus haberi debeat; demum quid ſequendum, quidve fugiendum ſit: hoc ſolum rerum pulchritudine ac venuſtate delectatur, & partium inter ſe conſonantiam ita iudicat, ac de rerum delectu ita decernit, vt quis in eligendis ordo, quæ in vtendis temperantia ſeruari debeat, altè proſpiciat, ne quid indecorè, effœminatéve agat: quis omnem hanc cogitationem, aut in conſiliis capiendis, aut in rebus honeſtis, quæ ad bene beatéque viuendum conferunt, decernendis ab animo, non à corpore manare non videat?

Commune quippe eſt reliquis animantibus, quæ rationis expertia ſunt, ea ſola ſectari, quæ ad naturæ conſeruationem faciunt: atque hunc eſſe illis à natura præſtitutum finē nemo ignorat, quo adepto nihil eſt, quod vlteriùs inquirant. At hominis finem altiùs conſtitutum eſſe conſtat, quàm vt in corporis bonis tantùm ſiſtat. Is etenim non quolibet bono contentus, optimum ſemper, ac ſummum, quod extra ſe, ſuæque naturæ terminos poſitum eſt, anxius quærit: ac velut gra-
A ui corporis ſarcina depreſſus, dum his incluſus compagibus munere quodam neceſſitatis, & graui opere perfungitur, eò perpetuò anhelat, vbi beata illa vita ſe frui ſperat, quæ ſola vita eſt. Atque hæc finium differentia, ac varietas, quibus inter hominem, & bruta intereſſe conſpicimus, eadem in homine verſatur; quem quodammodo duplicem agnoſcimus; cum alteram partem ſenſibus inſtructam, ac compactione membrorum multiplicem, naturales ſuos motus, atque vſus habere cernimus, quibus ad corporis bona expetenda, non ſecùs quàm bruta, ſuapte natura
B fertur. Alteram præſtantiam mentis habere, in qua ſit mirabilis quædam vis rationis, ac conſilij, cui tota hominis natura pareat; quæ ſola ſummi boni appetitum, velut optimum naturæ ſuæ finem ſibi ingeneratum habeat. Iam ex his quis apertiſſimè non videat, præter corpus in homine animum eſſe oportere, qui optimo hoc fine fruatur, nec corporeum eſſe poſſe id, quod extra corporis bona alium ſibi finem in præſtantiori bono conſtitutum habet?

Verùm neque illa aſpernanda ratio, quæ
C ex harum partium diſſidio oritur. Cùm enim animal omne ſimul atque ortum eſt, ita ſeipſum, & omnes partes ſuas diligat, vt integrum ſe, ſaluúmque velit, voluptate delectetur; valetudinem, copiam, fœlicitates, ac cætera corporis bona duce natura appetere diſcat; dolores verò, ac moleſtias, vt mala refugiat: hæc quidem homini ea parte, qua animal eſt, communia ſunt, ac cæteris brutis. At cùm primùm in homine ratio dominatur, iam ab iis omninò diſſentit, quæ animum labefactare queunt: ac primùm voluptatem, quam velut ſummum corporis bo-
D num ſibi conſtitutum habet, ita cōtemnit; vt nullū ei niſi in rebus honeſtis locū relinquat: mox ſtatuit nullū bonum habēdum eſſe, niſi quod rectum, ac honeſtum ſit; nullū malum niſi turpe. Ea verò quæ ad corporis, ac naturæ commoda ſpectant, ita plerumque pro nihilo ducit, vt ea potiùs tanquam animi peſtes fugienda, quàm expetenda, & quæcunque corpori aduerſantur eligenda potiùs, quàm reſpuenda eſſe decernat. Quæ vis vnquam à corpore profecta id efficere potuit; vt cor-
E pus ipſum ſibi ſubiicere valeat? quæ corporea virtus ingenuit homini tantam boni cupiditatem, vt ea ſola diligamus, quæ recta, quæ honeſta, quæ vera, quæ fidelia ſunt; tum vana, falſa, fallentia, turpia oderimus? Quid illud tam amplum, támque magnificum in homine eſt, quod eum ad imperandum magis, quàm ad parendum accommodatum præſtet? quòd humanas moleſtias non modò tolerabiles, ſed etiam leues ac faciles ducat; quòd à voluptatibus

tempe

temperare, quòd corporea ſpernere, quòd A cœleſtia tantummodò, ac diuina appetere doceat? Hæc quidem cùm nulla ratione à corpore proficiſci queant, animum præter corpus dari neceſſe eſt, qui tot, ac tanta moliatur, quæ corpus nullo modo efficere poteſt.

Rurſus cùm res à natura ita optimè ordinatæ ſint, vt quæ excellentiori natura præſtant, eas duntaxat cæteris dominari permiſerit; quas verò inferiori natura præditas voluit, illarum famulatui ſubiecerit: num corpoream illam in homine naturam eſſe exiſtimabimus, quæ corporeis omnibus rebus im- B perat, ac naturæ lege vniuerſas ſibi ſubiectas habet? vt non immeritò ſanè dicat Tullius, terrenorum commodorum omnem eſſe in homine dominatum. *Nos enim* (air) *campis, nos montibus fruimur: noſtri ſunt amnes, noſtri lacus; nos fruges ſerimus, nos arbores: nos aquarum inductionibus terris fœcunditatem damus: nos flumina arcemus, dirigimus, auertimus: noſtris denique manibus in rerum natura quaſi alteram naturam efficere conamur. Præterea veſcimur beſtiis, & terrenis, & aquatilibus, partim capiendo, partim alendo. Efficimus etiam domitu noſtro quadrupedum vectiones: quorum celeritas,* C *atque vis nobis ipſis affert vim, & celeritatem: nos onera quibuſdam beſtiis, nos iuga imponimus: nos Elephantorum acutiſſimis ſenſibus, nos ſagacitate canum ad vtilitatem noſtram abutimur: nos è terræ cauernis ferrum elicimus, rem ad colendos agros neceſſariam: nos æris, argenti, auri venas penitus abditas inuenimus, & ad vſum aptas, & ad ornatum decoras, quaſque res violentiſſimas natura genuit, earum moderationem nos ſoli habemus.* Denique hominem toti Orbi præfectum eſſe nemo ignorat: ex quibus apertè declaratur, non eſſe corpoream hominis naturam, quæ hiſce corpo- D reis rebus dominatur: ſed præſtantiorem in homine naturam excellere; animum videlicet, cuius cauſa hæc omnia facta ſunt, ac parata; cui etiam mundus ipſe conditus famulatur.

Tullius lib. 2. de Nat. Deorum.

Maximum poſtremò animi argumentum eſt; hominem ſolum ea maximè curare, quæ poſt mortem futura ſunt; quod ſanè excellentiorem naturam indicat, corporea omnia, quibus præſentia tantùm in proſpectu ſunt, tranſcendentem: ſerit enim arbores agricola, quarum nec ipſe baccam, aut fructum aſpecturus ſit vnquam; alteri E verò ſæculo proſint. Quorſum id; niſi is etiam animo futura ſæcula præuideret? Quid ſapiens cùm leges, cùm inſtituta? Reipub. relinquit: an non id efficere conatur, vt integrum Reipub. ſtatum perpetuò incolumem ſeruet? Quò procreatio liberorum? quò nominis propagatio? quò filiorum adoptiones, quò teſtamentorum diligentia ſpectat, niſi vt aliquem in homine præeſſe animum ſciamus, qui ea, quæ poſt corporis funera futura ſunt, curet?

Quid multa? cùm tanta celeritas mentium ſit, tanta præteritorum memoria; tot, ac tantæ rerum inſitæ, & quaſi conſignatæ in animis notiones, tanta futurorum prouidentia, tanta veri, ac boni cupiditas, tanta cœleſtium rerum contemplatio; tot artes, tot ſcientiæ, tot inuenta animi, tantus in Orbe hominis dominatus; tanta poſteritatis ſollicitudo: certè non video cur in iis animum non apertè videant, qui ſe animi hoſtes profitentur.

Cæterùm oppoſitæ rationes, quæ animam tollere videntur, ex his apertè confutatæ manent: nam prima, quæ omnem prorſus, tam à brutis, quàm ab hominibus animam tollit, nulli prorſus fundamento innititur: quapropter eam velut vanam ac futilem hiſce omnibus teſtimoniis, ac rationibus, quas hactenus adduximus, ſatis expulſam relinquimus; illud tantùm dubium eſſe poſſet de animabus brutorum, quæ educuntur de potentia materiæ, & cum corpore intereunt, an ſint aliquid præter corpus. Sed cùm hæc quæſtio minimè ad inſtitutum pertineat, obiter dicimus cum Ariſtot. ſecundo de Anim. text. quarto: Brutorum animas non eſſe ipſa corpora, ſed corporum formas, & vires quaſdam è corporibus manantes, quæ cum ipſis naſcuntur, & cum eiſdem intereunt: ac tales quidem, quæ corporibus non dent eſſe corporeum, ſed tantùm eſſe animatum; quò fit, vt iis pereuntibus, corpus quidem, viuum & animatum eſſe deſinat: haud tamen eſſe corporis amittat: ex quo ſanè conſtat, eas præter corpus aliquid eſſe, non quidem aliquid præter corpus exiſtens, cùm omnino à corpore pendeant: ſed aliquid in corpore exiſtens, quod illi vitam præſtat.

Ariſt. 2. de Anim.

Porrò quòd in ſecũda ratione ſibi perſuadent, animam ea ratione non eſſe intelligibilem, quòd per ſe ſenſibilis non ſit; nimis imperfectè arguunt. Nam licèt anima inter ea, quæ per ſe ſenſibus obiiciuntur, locum non habeat: cùm tamen plurimas ex ea operationes, vtputà nutritionis, generationis, ſenſationis, intellectionis, ac voluntatis manare conſpiciant, ex iis ea nobis conſpicibilis redditur. Nam eadem ratione, & Deum Optim. Maxim. & intelligentias, & cœleſtia corpora eſſe intelligimus (vt ait Ariſtot.) quæ licèt, per ſe à ſenſu percipi non poſſint, ea tamen ex excellentioribus, rerum operationibus, tum ex motu proculdubio eſſe intelligimus, quamuis id diuerſa ratione contingat: nam corpus cœleſte

leſte quatenus ſubiectum eſt circulari motui, A à nobis per motum cognoſcitur. Intelligentiæ quatenus orbium motrices ſunt. Deus verò benedictus, vt ſuprema omnium cauſa, quæ omnibus hiſce motibus præeſt: ita anima quamuis per ſe ſenſibilis non ſit; cùm tamen ea efficit, quæ per ſe ſenſibilia ſunt, per ea ſeipſam intelligibilem, ac velut ſenſibilem præſtat: quò fit, vt non modò ea inter entia connumeranda ſit, verùm & inter ea eò nobiliorem ſibi locum vendicet, quò propiùs ad Dei naturam accedit.

An detur anima intellectiua contra Anabaptiſtas.

ARTICVLVS II.

EXPEDITA igitur hac prima contra Atheiſtas Demõſtratione, mox noui ſe nobis Atheiſtę offerunt Anabaptiſtæ, nõ quidem omnes, ſed in eis quamplurimi (vt Hæreticorum commune eſt, in plures ſemper opiniones diſcindi) qui cùm animam ſubſtãtiam eſſe negent, ſed vim duntaxat vitæ eſſe affirment, quæ ex ſpiritu arteriæ, aut pulmonum agitatione ducitur, omnem prorſus intellectiuæ ac rationalis animæ naturam deſtruunt. Quapropter aduerſus hæc irrationalia naturæ monſtra, quæ pro ſale animam habent, nunc decertandum eſt: ſed primùm quibus ſe ſuámque impietatem rationibus, ac Scripturarum teſtimoniis contegant, audire æquum eſt.

Primam igitur rationem ab ipſo hominis etymo ducentes, hominem ab humo dictum eſſe volunt; cùm id communi omnium ſapientum voce, ac ſententia receptum ſit; ac proinde tellurẽ primã omniũ parentem eſſe conſtituũt, ad quam ipſa naturæ hominũ cõditio omnes regredi cogit. Inde enim dictum

Gen. 3. eſt Gen. 3. *Puluis es, & in puluerem reuerteris*: atque id maximè confirmat, quòd homo Hebręo idiomate apud ſacras literas אדם *Adã* nũcupatur; quo nomine terrenus, vel terra genitus ſignificatur, à voce אדמה *adama*, quæ terram ſignificat, vt notat Ioſephus lib. 1. Antiq.

Ioſephus Pagninus. & Pagninus in Lexico, & Græcè tam à Mercurio Trimegiſto, quàm à priſcis illis Poëtis homo *γηγενὴς* dicitur, id eſt, *terrigena*, quaſi à terra generatus.

Accedat quoque, quòd cùm illuminatiſſimus Abraham cum Deo loqueretur, apertè totam ſuipſius, ac cæterorum hominum originem à terra ductam eſſe fatetur illis verbis Gen. 18. *Loquar ad Dominum meũ, cùm ſim pul-*

Gen. 18. Iob 7. 10. & 21. *uis, & cinis.* Hoc ipſum teſtatur & ipſe Iob c. 7. *Ecce nunc in puluere dormiam, & ſi manè me quæſieris, non ſubſiſtam,* & c. 10. *Memento quæſo, quod ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me,* & cap. 21. *Et tamen ſimul in puluere dormient, &* A *vermes operient eos.* Præterea Dauid idem fatetur Pſ. 102. *Recordatus eſt, quoniã puluis ſumus; homo ſicut fænum,* &c. Hinc illa erat triumphan- *Pſal 102.* tibus poſt tergum admonitio, cuius meminit in Apologet. Septimius, & D. Hiero. epiſt. 25. *Septimius. D. Hierony.* *Reſpice poſt te, hominẽ te eſſe memento:* quaſi ei diceretur; puluerem te eſſe recole: cuius rei etiã Eccleſia fideles admonet, cũ in capite ieiunij illorum capita cinere aſpergens, ait: *Memento homo quia cinis es, & in cinerẽ reuerteris.* Cùm igitur nihil præter puluerem, & cinerem in homine ſit, fruſtra ſpiritualem animam in eo velut à corpore diſtinctã collocamus. *Quid fru-* B *ſtra* (aiunt) *ſibi adblandiũtur miſeri, ac pulueres homines, quaſi Diuinũ aliquid ſibi inſit? Quid de animæ nobilitate gloriatur terra & cinis? Quò tandem à ſeipſis diuerſi abeunt? Redeant ad paternum puluerem, fateantúrque lutuoſa eſſe hominum primordia, lutuoſam animam; lutuoſam, atq; luctuoſam vitam; lutuoſum denique eſſe omnium exitum.*

Hæc in rationalem hominis animam impij ac nefandi homines, & ipſo hominum nomine, ac natura indigni, lutuoſa planè argumenta colligunt: quibus primùm verioribus, ac ſolidioribus ſacrarum literarũ, ac Patrum teſtimoniis occurrẽdum eſt, deinde ipſorum C argumenta ſoluentur: teſtimonia verò cùm ferè innumera ſint, in tres claſſes diſtribuemus. Prima claſſis erit eorum, quæ animam à corpore diſtinctam ponunt: Secunda illorum, quæ ſeparatas animas oſtendunt: Tertia eorum, quæ rationalem animam immortalem demonſtrant. Ad primam venio.

Principiò, hominẽ ea natura à Deo ab initio conditum eſſe, vt duplici parte conſtaret, corporea nimirum & incorporea, corpore & anima; quæ ita inter ſe genere, ac ſubſtantia diſtinguerentur, vt neutra ab altera in eſſe pẽderet, ſed vtraq; in vnam, atque integram ho- D minis naturam conſtituendam confluerent; apertiſſimè tradit Moyſes Geneſeos 1. cũ hominis formationem deſcribens ait, *Formauit* *Gen. 1.* *igitur Dominus Deus hominẽ de limo terræ, & inſpirauit in faciẽ eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* quibus verbis Moyſes totam hominis naturam ac conſtitutionẽ complectitur; corpus enim ex limo terræ cõpactum, animam à Deo inſufflatam, totũ verò ex his hominem vita præditum conſtitutũ fuiſſe docet. Nam quod ait, *Factus eſt homo in animam viuentem,* eo perfectum tũc fuiſſe hominem indicauit, cũ rationalis ac viuens ani- E ma illi indita fuit. Quẽ locũ propterea Chal- *Chaldæus Paraphraſt.* dæus Paraphraſtes vertit, *Factus eſt homo in ſpiritum loquentẽ*, vt eo loquendi modo apertiùs inſinuaret, hominẽ nõ quamlibet animã tunc accepiſſe, cũ à Deo conditus fuit; ſed intellectiuam ac rationalem, quæ homini ſermonẽ tribueret, ac intelligentiam in mente conciperet, atque illum tandem duplici hac parte conſtantem, integrũ, ac perfectum redderet.

Quis hic apertè nõ videat, rationalem animam non tam ſubſtãtiæ genere, quàm ipſius productionis modo à corpore ſecerni? Corpus enim ex limo terræ effingitur, anima à Dei ore inſufflatur: corpus ex humo cõpactũ inter corporeas ſubſtantias collocatur, anima à Dei flatu hauſta inter incorporeas, ac ſpirituales ſubſtantias ſedem ſibi vendicat. Corpus quaſi vas luteum Dei manibus compingitur, anima verò tanquam Diuinus quidam flatus corpori inſpiratur: quò fit, vt tam animã à corpore diſtare cenſendũ ſit, quã corporeum ab incotporeo differt, quæ toto genere diſtinguuntur, vt optimè docet Chryſoſt. Hom. 13. in Gen. his verbis. *Priùs de puluere corpus hominis formatur, & poſt vitalis datur illi virtus, quæ ſcilicet animæ eſt ſubſtantia, & idcircò de brutis aiebat Moyſes. Sanguis eius, anima eius eſt. In homine autem ſubſtantia quædam eſt incorporea, & immortalis, multo interuallo corpus excellens, & tantò quantò corporeis eminent incorporea.* A B

Chryſoſt. hom. 13. in Gen.

Hoc ipſum Hebræa phraſis apertè inſinuat, quę ad animæ ſubſtantiam declarandum vtitur verbo נפח *Napah*, quod ſignificat *inſufflare, vel flatum emittere*: inde enim perſpicuum fit animam alterius eſſe ſubſtantiæ à corpore: C cùm enim corpus ex tetrena materia conditum eſſet, anima ex Dei inſufflatione profectam agnoſcimus, quæ ſpiritualem illius ſubſtantiam indicat, vt ſentit Irenæus libr. 5. c. 7. *Inſufflauit* (inquit) *in faciem hominis Deus flatum vitæ, & factus eſt in animam viuentem: flatus autẽ vitæ incorporalis eſt.* Hac enim ratione Chriſtus cùm in Diſcipulos Spiritum ſanctum effudit, in eos inſufflaſſe legitur Io. 20. *Hæc cũ dixiſſet, inſufflauit, & dixit eis, accipite Spiritum ſanctum.* Quò fit, vt neque ſuſpicari poſſint Anabaptiſtæ rationalem animam vllo modo exptompram, & eductam fuiſſe de potentia materiæ, cùm illa Dei inſpiratione creata extrinſecus D corpori aduenerit. Quaptopter rectè Athanaſ. in quæſt. de anima & mente. *Homo* (ait) *ex inſpiratione Diuina ſuam animam accepit, idiò res Diuinas agnoſcit, ſuperna perſequitur, & res cæleſtes intelligit, eſtq́ rationalis & mẽte præditus*, & infrà: *Sed hæc inſpiratio animã in homine fabricata eſt rationalem, & intelligentẽ: quapropter anima quoque ductu intellectus, imaginatur ſuperna, & quæ illìc ſunt quærit, appetit & deſiderat, quoniam illinc habet creationem ſuam. Irrationalis autem anima non ſic, ſed quia terreſtris eſt, ſolummodò terreſtria quærit, ideoq; cum corpore vna quoque moritur*: vbi liquet ex Athanaſio animas brutorum inde à ratio- E nalibus hominum animabus diſtingui, quòd illæ velut terreſtres ſimul cum corpore natæ ſint, ac cum eodem intereant. Hę verò ex Diuina inſpiratione hauſtæ præſtantiorem ſpiritualem naturam nactæ ſint. Atq; ita cũ Athanaſio hunc locum explicãt Procopius in c. 1. Gen. Theodot. q. 23. in Gen. Beda de elemẽtis Philoſoph. lib. 1. Magiſt. ſent. lib. 2. diſt. 17.

Irenæus.

Io. 20.

Athanaſ. in quæſt. de anima & mente.

Procopius Theodoret. Beda. Mag. ſent.

Præterea cùm Gen. 1. Scriptura dicat hominem ad Dei imaginẽ conditũ eſſe, ſanè aperit cuius ſubſtantiæ anima cenſenda ſit, corporeæne, an incorporeę. Nam cùm ex cõmuni Patrum ſententia receptum ſit, hanc Dei imaginem, cùm ad corpus referri nullo modo poſſit, in hominis anima tantummodò elucere. Ita enim docent Epiphan. hæreſ. 70. D. Baſil. hom. 10. in Gen. Nyſſenus homil. de creatione hominis. Chryſoſt. hom. 13. in Gen. Auguſt. de Eccleſiaſt. dogmatib. & tract. 8. in 1. epiſt. Io. Damaſc. lib. 2. Orthod. fid. Bernard. Serm. 80. ſuper Cant. & omnes communiter; inde perſpectum eſt animam neceſſariò incorpoream ſtatui oportere; vt illa Dei, qui incorporeus eſt, imaginem referre valeat. Nam tametſi non ex hac tantũ incorporeæ naturæ ſimilitudine, ſed ex aliis etiam permultis, tum maieſtatis, tum immortalitatis, tum Diuinæ Trinitatis ſymbolis anima Dei figuram gerat; hæc tamen incorporeæ naturæ ſimilitudo Princeps, ac velut cæterarum baſis, ac fundamentum agnoſcitur; ſine qua Dei imago in homine eſſe non poſſet: quapropter cũ homo ſecundũ animæ vires, ac ſubſtantiã duntaxat, nõ ſecundũ corpus Dei imaginẽ referat, inde apertum eſt, animam tanquam pręſtantiorem ſubſtantiam à corpore diſtingui.

Epiphan. Baſil. Greg. Nyſſ. Chryſoſt. Auguſt.

Io. Damaſ. Bernardus.

Hanc porrò ſubſtãtialem rationalis animæ, & corporis differentiam Tobias c. 4. apertiſſimè declarat, cùm de corporis ſui diſſolutione agens, ita filio ſuo mandat. *Cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum ſepeli.* Quòd ſi anima (vt hi aiunt) vitalis tantùm ſpiritus, & aër eſſet, è pulmonum agitatione eductus, qui à corporis ſubſtantia pẽderet, ac cum ea ſimul interiret, quid Tobias animam ſuam ita à corpore ſeparandam, & à Deo accipiendam ſibi perſuaderet, vt cùm corpus ſepulturæ tradendum relinquat, animam in Dei manus euolare ſentiat?

Tobias c. 4.

At ne alicui dubitãtio ſuboriri queat, cùm Deus animam accipere dicitur, eam ita à corpore ſoluere, vt illã in ipſo corpore extinguat: is enim vt hunc cauillum tollat, ſubdit eodem cap. *Quoniam eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras.* Certè aduerſarij id ſibi animo fingere nequeunt, vt hominem à corporis morte liberari eleemoſyna putent, cùm tam Tobiam, quàm cæteros omnes pios viros morte tandem ſublatos legant; quò fit, vt cùm Tobias eleemoſyna hominem à morte liberari dicat; id neceſſariò de ſpirituali animæ liberatione intelligere debeant, quod ipſe textus declarat cùm ſubiicit: *Et non patietur animam ire in tenebras*; at quo pacto animæ in tenebras poſt mortem abirent, ſi nihil animarum poſt corporis obitum remaneret; ſed hæ ſimul cum corpore extinguerentur, vt Anabaptiſtæ ſentiunt?

Horum,

Horum impietatem aptiſſimis verbis de- A
Sap. 2. ſcribit Salomon Sap. 2. *Dixerunt impÿ* (ait) *cogitantes apud ſe non rectè. Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis, & non eſt qui agnitus ſit reuerſus ab inferis: quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus, tãquam non fuerimus: quoniam fumus flatus eſt in naribus noſtris: & ſermo ſcintilla ad commouendum cor noſtrum, qua extincta cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus diffundetur tanquam mollis aër, & tranſibit vita noſtra tanquã veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſoluetur, quæ fugata eſt à radiis Solis: & à calore illius aggrauata.* Hoc planè modo & Anabapti-
B ſtæ impiè ratiocinantur, dum animam ex arteriæ ſpiritu, ac pulmonum agitatione, velut mollem aërem eductam ſimul cum corpore diſſolui, ac velut nubis veſtigium euaneſcere ſibi perſuaſum habent.

At præclariſſimis verbis impietas hæc refellitur 2. Machab. 7. vbi illuſtriſſima illa Machabæorũ fratrum mater, Martyres filios al-
2. Machab. 7. loquens his verbis compellat. *Neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis, neque enim ego ſpiritum, & animum donaui vobis, & vitam.* Quis iure negare valeat, liberos ex parentibus procreatos, ab iis totam corporis ſubſtantiam haurire? ſecus enim & illi parentes fruſtra dicerentur, C
qui nihil ad liberorum procreationem cõtulerint, & hi falsò illos genitores appellarent, à quibus nihil, quod in iis genitum eſſet, propriæ ſubſtantiæ acceperint. Quid eſt igitur, quòd hæc ſeptem Martyrum parens, cũ illorum corpora ex propria ſuipſius ſubſtantia genuiſſet, iis tamẽ neque ſpiritum, neque animam indidiſſe fatetur? Ea profectò cauſa eſt, quòd animam non ex ſemine cum corpore procreatam, ſed à Deo illis è cœlo infuſam agnoſceret; ne falsò vnquã ſibi homines perſuaderent animas à parentibus genitas eſſe, ac propterea eas cum corporibus corrumpi, & D
nihil earum poſt cineres remanere. Cùm igitur rationales animæ cum corpore genitæ nõ ſint, quis eas compellat corporum corruptionem ſequi, vt etiam corrupto corpore incorruptibiles illæ non poſſint exiſtere?

At profectò omnem huius dubitationem
Matt. 10. tollit Chriſtus Matt. 10. cùm ait, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* En occiditur corpus, non occiditur anima; perit corpus, nõ perit anima; quid hoc indicat; niſi diuerſas eſſe corporis, & animæ ſubſtãtias: quarum vna corruptioni obnoxia ſit, altera poſt illius corruptionem remaneat? E
Lactant. lib. 7 inſt. c. 12. *Corpus* (inquit Lactantius lib. 7. Inſtitut. c. 12.) *quoniam fictũ ex ponderoſo, & corruptibili elemẽto, & tãgibile eſt, & viſibile, corrumpitur, atque occidit; nec vim repellere poteſt, quia ſub aſpectũ, & ſub tactũ venit: anima autem, quia tenuitate ſua omnium tactum fugit, nullo ictu diſſolui poteſt. Ergo quamuis inter ſe cõiuncta, & ſociata naſcantur; & alterũ quod eſt de terrena concretione formatũ, quaſi vaſculum ſit*
A *alterius, quod eſt à cæleſti ſubtilitate deductum; cùm vis aliqua vtrumque diſcreuerit, quæ diſcretio mors vocatur, tum vtrumque in naturam ſuam re.edit: quod ex terra fuit in terram ſoluitur; quod ex cæleſti ſpiritu, id conſtat, & viget ſemper.*

Hinc eſt illud Eccleſiaſt. 12. *Reuertatur puluis* Eccleſiaſt.
in terrã ſuã, & ſpiritus redeat ad Deũ, qui dedit illũ. 12.
Hoc enim mutui ius exigit, vt poſt impletum tempus, quæ mutuò accepta ſunt, reddantur. Haud dubiũ quòd mutuò corpus à puluere, ſpiritũ atq; animã a Deo accepimus: quapropter ea poſt expletum vitæ tẽpus ij ſibi reddi poſtulãt. Corpus quidem, quod de terra ſum-
B ptum fuerat, æquum eſt terræ reſtitui. Anima verò ad Deum, à quo illam accepimus, redire debet, atque ita hunc locum pertractat Cy- Cyprianus de Reſurrect. Chriſti.
prianus de Reſurrectione Chriſti. *Homo* (inquit) *quia ex cæleſti, & terrena materia cõpactus eſt, veſtitus extrinſecùs pelle, & carnibus, tẽpus accepit: quo te iubente redderet terræ, quod de terra aſſumpſerat, & ad immaterialẽ originẽ reuerteretur ſpiritus, cuius natura diſſolutionis nõ admittit iniuriam.*

Quamobrem Chriſtus morti proximus, vt extremo gladio Anabaptiſtas confoderet, ait
Luc. 23. *Pater in manus tuas commendo ſpiritum* Luc. 23.
meum, & Io. 10. *Poteſtatem habeo ponendi animam* Io. 10.
C *meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eã.* Certè qui animam ſuam in manus Patris commẽdabat, ac ea poteſtate pollebat, vt ſolutam iterum ad corpus reuocare poſſet, haud eam in morte diſſolui poſſe docebat. *Vide* (inquit
Ambroſ. de bono mortis c. 10.) *quia non mori-* Ambroſ. de bon. mort. c. 10.
tur cum corpore, quæ & ponitur, & reſumitur, & in manus Dei Patris commendatur. Sed ne fortè dicas, ſpeciale eſſe, quod Chriſti eſt, audi dicentẽ. Quid ſcis an hac nocte à te anima tua repoſcatur? numquid dixit moriatur in te anima tua? non: ſed repoſcatur à te. Repetitur enim anima, non interimitur; quod repetitur, manet; quod interimitur, non manet.

D Hæc de prima teſtimoniorum claſſe, quæ rationalem animam à corpore ſecernunt, ex quibus patet ſingularem illius præter corpus exiſtentiam probari.

Porrò quod ad ſecundã teſtimoniorũ claſſem attinet, quæ animas rationales declarant à corporibus ſeparatas exiſtere; tametſi innumera ferè teſtimonia ad eam vocari poſſint: ex iis tamen pauca duntaxat colligemus. In his illuſtre eſt illud teſtimonium quod legitur
Exod. 3. *Ego ſum Deus Patris tui, Deus Abraham,* Exod. 3.
Deus Iſaac, & Deus Iacob, hoc nomen mihi eſt in æternũ, & hoc memoriale meũ in generatione & ge-
E *nerationẽ.* Quo teſtimonio olim etiã Chriſtus
vſus eſt Matt. 22. ad reſurrectionẽ mortuorũ Matt. 22.
Sadducæis inſinuãdã. Planè certũ eſt (vt ibidẽ Chriſtus præclarè ratiocinatur) cũ Deus ſeipſum Deũ Abrahã, Deũ Iſaac, & Deũ Iacob appellat; nõ mortuorum, ſed viuorũ ſe Deum profiteri. Quid enim præclarę, & eximię Deo laudis afferret, quæ tantoperè eũ delectaret, ſi ſe eorum, qui nec ſunt, nec vllũ ſui veſtigium

Digitized by Google

apud Deum reliquerunt, Deum nuncuparet? A Age ſi illi omnino extincti ſunt, & tã animæ, quàm corporis funus perpeſſi ſunt, quorumnam is Deus erit? certè nullius: neque enim ij amplius ſunt, quos mors integros ad nihilum, vel ſaltem ad cineres rapuit. At quænã iſthæc Dei gloria cẽſenda eſt, vt nullius ſe Deum ita ampliſſimis verbis magnificet, quòd hoc illi nomen æternum, ac perpetuum memoriale eſſe debeat, horum, qui non ſunt, Deum appellari? An non tam inſignis hæc Dei gloriatio prorſus inanis eſſet? Quale obſecro hoc Dei nomen eſſet, re omnino vacuum? quod memoriale eorum apud Deum eſſe poſſet, B quorum memoria omnis cum ſonitu perierit?

Ne igitur caſſum ac inane nomẽ, quod impium eſt, Deo tribuant, nec non vera ac perfecta duntaxat laude Deũ oblectari ſentiant, iis ſanè fateri opus eſt, & Abraham, & Iſaac, & Iacob, quorum ipſe ſe Deum nominat, non omnino extinctos eſſe; ſed adhuc aliqua ſui parte apud Deum viuere, vt viuorũ, nõ mortuorũ Deus nũcupari poſſit: cũ verò corpore iam in puluerem verſo viuere illos hac vita functos eſſe haud ignorent: ſupereſt, vt illorũ animas meliori ac præſtantiori apud Deũ vita frui certiſſimè ſibi perſuaſum habeãt, vt re- C ctè declarat D. Hieron. in Comment ad c. 22. Matt. *Ad æternitatẽ* (inquit) *animarum probãdam de Moſe Chriſtus ponit exemplum. Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob; ſtatimq; infert, nõ eſt mortuorum Deus, ſed viuentiũ; vt cũ probauerit animas permanere poſt mortẽ (neq; enim poterat fieri, vt eorum eſſet Deus, qui nequaquam ſubſiſterent) conſequenter introduceretur, & corporum reſurrectio.*

Hieron. in Comment. ad cap. 22. Matth.

Quod etiam Salomon Sap. 3. ſapientiſſimè indicauit illis verbis. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis, viſi ſunt oculis inſipientium mori, & æſtimata eſt afflictio exitus illorum, & quod à nobis eſt iter, extermi- D nij: illi autẽ ſunt in pace.* Vides Iuſtorum animas corpore defuncto non emori, tametſi inſipientium Anabapriſtarum oculis mori videantur, ſed inter Dei manus fœliciter requieſcere, ac ibi ſumma terũ pace, ac vbertate frui. Quod etiam cõfirmat eiuſdem libri c. 5. cùm ait: Iuſtos in perpetuum viuere, & eorum præmium poſt mortem apud Deum repoſitũ eſſe. *Iuſti* (inquit) *in perpetuũ viuent, & apud Dominum eſt merces eorum.* Quid hoc teſtimonio luculentius, quo ſimul & animæ extra corpus exiſtentia, & immortalis earum natura declaratur? nam certum eſt, eorum qui in corpore E degũt, tametſi Iuſti, ac ſancti ſint, nullius corporalem vitam eſſe perpetuam: quapropter non de corporis, ſed de animæ vita neceſſariò intelligenda ſunt, quæ de perpetua Iuſtorum vita à Salomone dicuntur: quos idcircò in perpetuum viuere, ac meritorum mercedẽ apud Deum conſequuturos affirmat, vt eorum animas doceat poſt mortem manere.

Sap. 3.

cap. 5.

Quamobrem qui rationalem, ac intellectiuam animam à Deo, vel incorpoream homini inſpiratam eſſe negat, vel eam ſentit ſimul cũ corpore occidere, cũ iure merito cinereũ cor gerere, ac vitam luto ignobiliorẽ circunferre decernit idem Sapiens cap. 15. *Cinis* (inquit) *eſt enim cor eius, & terra ſuperuacua ſpes illius, & luto ignobilior vita eius; quoniam ignorauit, qui ſe finxit, & qui inſpirauit illi animam, quæ operatur, & qui inſufflauit ei ſpiritum vitalem.* Hæc verò de nouis Atheiſtis dicta eſſe quis non animaduertat; qui cùm pro cinere animam habeant; nihil niſi cinereum de anima ſentiunt, ac eam brutorum inſtar ſimul cum corpore cineream exiſtimant? Sap. 15.

Ac verò Diuinum, ac ſapientiſſimum hunc virum c. 16. docentem audiant. *Homo autẽ* (ait) *occidit quidem per malitiam animam ſuam, & cùm exierit ſpiritus, nõ reuertetur, nec reuocabit animam, quæ recepta eſt.* Planè mirabile aduerſariis videri debet, quomodo viuo adhuc ac ſuperſtite corpore, anima occidi, ac perire poſſit: cùm enim iuxta illorum ſententiam anima nihil præterea ſit, quàm corporis vita, quis emortuã animam cogitare poteſt, quin ſimul corporis vitam cum ea extinctam ſibi perſuadeat. Atqui id inficiari non valent, animam lethali peccati vulnere ſauciatam, tametſi corporis vita ſuperſtes ſit, emori; quod præter hoc multa alia Scripturarum teſtimonia demonſtrãt, nam Sap. 1. legitur; *Os quod mentitur, occidit animam.* Iob 36. *Morietur in tempeſtate anima eorum.* Eccleſiaſtici 21. *Quaſi à facie colubri fuge peccata, & ſi acceſſeris ad illa ſuſcipient te. Dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum.* Ezechiel. 18. *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur.* Apoc. 3. *Nomen habes, quòd viuas, ſed mortuus es.* Hinc illos fateri opus eſt, animam aliquid eſſe præter corpus, ac corporis vitam, quæ iis integris emoritur.

Sap. cap. 16.

Sap. 1. Iob 36. Eccleſ. 21. Ezechiel. 18. Apoc. 3.

Atque huc ſpectant omnes illæ Scripturarum auctoritates, quæ peccatũ animæ aduerſari declarant: veluti quæ leguntur Tob. 12. *Qui autem faciunt peccatum, hoſtes ſunt animæ ſuæ.* Pſ. 10. *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.* Prou. 6. *Qui autem adulter eſt, propter cordis inopiam perdet animam ſuam,* & c. 8. *Qui autem in me peccauerit, lædet animam ſuam.* Eccleſiaſt. 8. *Qui multis vtitur verbis, lædet animam ſuam.* Hierem. Thren. 3. *Oculus meus deprædatus eſt animam meam,* & aliæ permultæ. Portò ſi peccatum animæ nocet, nõ corpori; quod eo plerunque delectatur: ſanè manifeſtum eſt, animam à corpore diſtingui, ac diſtinctam per ſe exiſtere, quæ illæſo corpore damna patitur.

Tob. 12. Pſal. 10. Prou. 6. & 8. Eccleſiaſt. 8. Thren. 3.

At luculentiùs id aperit Salomon poſterioribus verbis, cùm ſubiicit. *Et cùm exierit ſpiritus, non reuertetur, nec reuocabit animam, quæ recepta eſt.* Vides egredientem ſpiritum, non occidẽtem; vides receptã poſt corporis diſſolutionẽ animã, nõ extinctã. Quis egreſſum à corpore Sap. 16.

ſpiri

ſpiritum mente cogitat, qui illum extra cor- A
pus eſſe non ſentiat? Quis poſt corporis fu-
nera receptam animam audiat, qui eam præ-
ter corpus eſſe non cõcipiat, quæ ſine corpore
recipitur? Quòd verò egreſſus ſpiritus, ac cor-
poreæ molis vinculo exolutus iterum ſuopte
arbitrio reuerti non poſſit: nec vlla vi, aut arte
reuocari poſſit anima, quæ à corpore ſoluta
inter Dei manus ſemel recepta eſt, id planè
indicat, hoc Diuinæ virtutis ac potentiæ eſſe
opus, quod nullo alio auctore effici poteſt: nã
cùm is ſolus inſpiratam animam corpori co-
pulauerit, is etiam duntaxat ſolutam ad cor-
pus reuocare poteſt, quæ omnia apertiſſimè B
animarum extra corpus exiſtentiã declarant.

3.Reg.17. Hinc 3.Reg.17. cùm Elias Sunamitidis fi-
lium iam vita functum ad lucem reuocare
vellet, non alterius, quã Dei auxilium implo-
rauit; quẽ ita precatus eſt. *Domine Deus meus
reuertatur obſecro anima pueri huius in viſcera eius.
Et exaudiuit Dominus vocem Eliæ, & reuerſa eſt
anima pueri intra eum, & reuixit.* Portò ſi anima
ad puerũ reuerſa eſt, quæ iã è corpore egreſſa
fuerat, profectò extra corpus alicubi exiſte-
bat. Quid igitur animam cum corpore extin-
gui Anabaptiſtæ ſomniant? quomodo ea re-
uocari potuiſſet, ſi omnino priùs cum corpo- C
re extincta eſſet? Ridiculum enim eſſet arbi-
trari, illud redire poſſe, quod omnino non eſt,
neq; exiſtit. Conſtat igitur fuiſſe animã pueri,
eamq́; à corpore ſeparatam extitiſſe, quę Dei
virtute ad pueri corpus iterum reuerſa fuit.

Hoc ipſum vniuerſa illa Scripturarum lo-
ca demonſtrant, quæ impiorum animabus
vel inferni pœnas minantur, vel eas extra cor-
pus cruciari tradũt: quæ ſanè propè innume-
ra ſunt, cùm vbique id Scripturæ commemo-
Gen.4. rent: nam Gen.4. Cain poſt occiſum fratrem
audiuit à Domino. *Nónne ſi bene egeris recipies,
ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuũ ade-* D
Num.16. *rit?* Num.16. *Deſcenderunt viui in infernum.* Iob
Iob 21. 21. *Ducunt in bonis dies, & in puncto ad inferna*
Pſ.48. & 93. *deſcendunt.* Dauid Pſ.48. *Sicut oues in inferno po-
ſiti ſunt, mors depaſcet eos:* & Pſ.93. *Niſi quia Do-
minus adiuuit me, paulò minùs habitaſſet in inferno*
Sap.5. *anima mea.* Sap.5. *Talia dixerunt in inferno ij, qui*
Prouerb.23. *peccauerunt* Prouerb.23. *Tu virga percuties eũ, &
Luc.16. animam eius ab inferno liberabis.* Luc.16 *Mortuus
eſt diues, & ſepultus eſt in inferno. Eleuans autẽ ocu-*
Matt.25. *los ſuos, cùm eſſet in tormentis,* &c. Matth.25. *Di-
ſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui para-
tus eſt Diabolo, & Angelis eius,* &c. *Et ibunt hi in*
2.Theſſal.1. *ſupplicium æternum.* 2.Theſſal.1. *In flammã ignis* E
*dantis vindictã iis, qui nõ nouerũt Deum, & qui nõ
obediunt Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui
pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, &*
Iudas Epiſt. *à gloria virtutis eius.* Iudas Ep. *ſicut Sodoma, & Go-
morrha, & finitimæ ciuitates ſimili modo exfornica-
tæ, & abeuntes poſt carnẽ alterã, factæ ſunt in exem-*
Apoc.19. *plum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes.* Apo.19. *Viui
miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardẽtis ſulphure.*

A Et alia innumera quæ huc afferri poſſent.

Horum igitur, ac cæterorum impiorũ, quos
Scriptura commemorat ante Iudicij diẽ pœ-
nis apud Tartara excruciari, quis ignorat cor-
pora iam in fauillam redacta eſſe, neq; ea an-
te Iudicij diem reſurgere debere: Quo pacto
igitur eos Tartareis modò ſupplicijs affici
credunt, niſi illorum animas apud inferos ſu-
perſtites eſſe ſibi perſuadeant?

Huc etiam pertinent omnia illa Scripturarũ
teſtimonia, quæ animabus iuſtorũ, vel pręmia
poſt mortem pollicentur, vel eas nũc cœleſti
beatitudine frui decernunt: quæ ſanè quam-
B plurima ſunt; veluti quæ legũtur Sap.3. *Iuſto-* Sap.3.
*rum animæ in manu Dei ſunt, & nõ tanget illos tor-
mentum mortis,* &c.5. *Nos inſenſati vitam illorum* cap 5.
*æſtimabamus inſaniam, & finẽ illorum ſine honore:
ecce quomodo cõputati ſunt inter filios Dei, & inter
Sanctos ſors illorũ eſt.* Eſa 64. *Oculus nõ vidit Deus* Eſa.64.
abſq; te, quæ præparaſti expectãtibus te Pſ.24. *Ani-* Pſal 24.
*ma eius in bonis demorabitur, & ſemẽ eius heredi-
tabit terrã.* Dan.12. *Qui autẽ docti fuerint, fulgebũt* Dan.12.
*quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiã erudiũt
multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Macha. 2.Machab.
2.c.7. *Fratres mei modico nunc dolore ſuſtentato ſub* 7.
teſtamento æternæ vitæ effecti ſunt Luc.16. *Fili re-* Luc.16.
C *cordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus
ſimiliter mala: nunc autẽ hic conſolatur, tu verò cru-
ciaris,* &c.23. *Hodie mecũ eris in Paradiſo.* Matt. c.23.
13. *Tũc iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno Patris eorũ.* Matt 13.
Paul. ad Philip.1. *Deſideriũ habens diſſolui, & eſſe* Philip.1.
cũ Chriſto Io.12. *vbi ego ſum, illic & Miniſter meus* Io 12.
erit. Heb.11. *Sãcti per fidẽ vicerũt regna, operati ſunt* Heb.11.
Iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones. Ap.7. *Iſti ſunt,* Apoc.7.
*qui venerũt de tribulatione magna, & lauerũt ſtolas
ſuas, & dealbauerũt eas in ſanguine Agni, ideò ſunt
ante thronũ Dei, & ſeruiunt ei die ac nocte.* Et alia
quãplurima quæ paſſim in Scripturis legũtur.

At quomodo poſſent ij, quorum corpora ſe-
D pulta ſunt, ac in cinerem verſa, cœleſte re-
gnum adipiſci, atque æterna illa bona conſe-
qui, ſi nulla his poſt mortem vita relicta eſſet,
quæ iis bonis potiri poſſet?

At illuſtriſſimum, ac præclarum ad hoc cõ-
firmandum eſt illud teſtim. Ap.6. *Vidi* (inquit Apoc.6.
Ioannes) *ſubtus altare animas interfectorum, pro-
pter verbum Dei, & propter teſtimonium, quod ha-
bebant: & clamabãt voce magna dicentes: vſquequò
Domine ſanctus, & verus, non iudicas, & nõ vindi-
cas ſanguinẽ noſtrũ de iis, qui ſunt in terra?* Si ani-
mæ interfectorũ erant, ergo interfecta erant
corpora, non animæ; ſupererãt, exiſtebant, vi-
E uebant poſt corporis funus animæ, quæ ad
Deum clamabant: nam quomodo ſubter al-
tare exiſterent, quomodo Deum vocibus cõ-
pellarent, ſi poſt corpus ſuperſtites nõ eſſent?

Quid plura? Quoties Iuſtis vitam æternam
Deus pollicetur, ac improbis æternũ ignẽ mi-
natur, an nõ toties apertè animas extra corpus
exiſtere, ac immortales eſſe docet? Immorta-
les autẽ animas eſſe, quod ad tertiã teſtimo-

niorum claſſem pertinet, vbique ſacræ literæ teſtantur, ſed quoniam de hac teſtimoniorũ claſſe fusè in ſequentibus agendũ eſt,ea ommiſſa ad Anabaptiſtas reuertimur,qui nihil in homine niſi puluereũ,ac limoſum agnoſcunt.

Eia Anabaptiſtæ, ſi homo totus puluereus eſt(vt nonnihil rationibus agamus)neque aliquid in ſe Diuinum habet,quid ſapientiſſimis illis Philoſophis ita admirabilis viſus eſt, vt *Merc. Triſmeg.* Mercurius ille Triſmegiſtus Diuiniori quodã ſpiritu concitus miraculum magnum,adorãdum animal, & honorandũ, quod in legibus *Plato.* ipſe quoq; Plato cõfirmat,nũcupauerit?quin etiam humanæ naturæ excellentiam admiratus, in lib. de ſapientia, & poteſtate Dei tam audet,vt hominẽ Deum eſſe terrenum, Deũ verò hominem eſſe cœleſtem dicat. An non Pythagorici,ac Platonici hominem Diuinam quandam mentem eſſe putant terrenis vinculis alligatam? *Pythagoras.* An non Pythagoras hominem rerum omnium menſuram appellat,vtpote qui ſenſibus ſenſibilia,intellectu intelligibilia metiatur? *Epictetus.* quid Epictetus homines Dei affines appellaret, *Seneca.* Seneca ex Diuina origine hauſtos, *Tullius.* Tullius à Diuinitate decerptos ſentiret?Denique quid Delphicum oraculũ,quod ſui ipſius cognitionem ſollicitè inquirendam admonebat,tanti apud ſapientes æſtimaretur, ſi nihil præter puluereum ſe in homine ſpectandum offerret?

Certè Barbatus ille nõ barbarè pronũciaſſe fertur, qui cùm ab eo quæreretur,quid in hac quaſi mundana ſcena maximè putaret admirabile? Hominem reſpondit, omnem prorſus admirationis modũ excedere,vt qui non modò ſit animalium Princeps,ac Diuino mentis ſplendore velut totius naturæ interpres in mundo verſetur ; ſed deſultoria quadam poteſtate, tanquam alter Protheus aut Camaleon ſeſe in quiduis transformet.

Tres eſſe mũdos ſapientiores quiq; ex antiquis opinati ſunt.Primũ quidẽ Diuinũ,auguſtiſſimũ, incomprehenſibilẽ, quẽ Philoſophi intellectualẽ appellãt; in cuius cõtẽplatione caligat mẽs,hebeſcunt ſenſus, *Plato in Phædro.* de quo Plato in Phædro illud aſſerit, non poſſe pro dignitate verborũ copia vlla, vel ingenij præſtantia efferri,decantariq;. Is verò eſt,quẽ nõnulli Deificũ,aut Angelicũ appellant: alterum cœleſtẽ dixerũt,tertiũ deniq; ſublunarem , quẽ tenebrarum conceptaculũ vocant , hominẽ verò omniũ ſimulachrũ , ac velut cõpendium eſſe agnoſcunt,quẽ idcircò microcoſmon,ac minorem mundũ nuncuparunt, cui corpus elementare, ac vegetalis potentia , cuiuſmodi in plantis,ſenſus perinde ac in brutis,itẽ ſpiritus cœleſtis,mens Angelica,ratio demum ac Dei caragma adſit,quò fit,vt non tam homo paruus mundus,quã mundus ipſe,ac triplex vniuerſum dici poſſit. An ij hominem quæſo tantummodò puluereum eſſe exiſtimarunt?

A Quid? quòd Plato rationales animos tanquam ſpecula quædã nitidiſſima eſſe docet, *Plato.* in quibus ipſa Diuinitatis imago ſplendeat: quò fit,vt ſubinde illi inferre liceat nunquam meliùs Dei cognitionem hauriri, quàm cùm nos ipſos agnoſcimus, ac in vera noſtri contẽplatione ſiſtimus. Hinc Phauorini dictum apud *Phauorinus.* ſapientes miris laudibus extollitur : cũ ait,nihil in terris magnũ præter hominẽ, nihil magnum in homine præter mẽtem, & animum. At quid in homine magnum eſſet, ſi illius omnia puluere compacta in infimum tandem puluerem deſinerent?

B Sed vt his tandem finem imponamus. Nũ is puluereus duntaxat cenſendus eſt, qui elementorum velocitate velocior, mentis acumine vaſta Orbis ſpatia in momento peragrat, ac animi perſpicacitate Oceani profũda peruadit, humanis non contentus, cœleſtibus ſe miſcet;Diuina ſuæ cõtemplationi ſubijcit?Cœlum haud illi videtur altiſſimũ, terrarum anguſtiis non clauditur, vniuerſos rebus fines præſcriptos tranſgreditur.Et quę ſolida demum, ac vera eſt humanæ naturæ excellentia,Diuina affectat,& mente ac intelligentia ad ſuperiora euocatus in Deum tran- C ſit : an hæc puluerei hominis ſymbola eſſe poſſunt, quæ illum ex luto duntaxat integrum effictum eſſe demonſtrent?

Quid ad hæc noui Atheiſtæ effutiunt?Hominem ab humo dictum volunt,ac propterea humoſum ac terrenũ ſibi fingunt.Iráne hanc integram hominis naturam hoc etymo confodiunt:vt nihil in eo præter humum reperiri ſentiant? At cur potiùs ab humanitate , quæ homini inter cætera animalia propria eſt, dictum non cenſent? At eſto : ab humo homo cognomen acceperit, id tametſi nonnulli inficientur,recipio; ea præſertim ratione ; quòd D Scriptura doceat formatũ eſſe hominem de limo terræ. Atqui adeò ignati ſunt , vt tunc non de homine perfecto;ſed de hominis parte, corpore videlicet , quod terra à Deo formatum fuerat,Scripturam loquutã eſſe ignorent. Planè niſi iis ita inſanire lubeat , vt ſolũ corpus hominem eſſe exiſtiment ; ac proinde mortuum hominem , ac cadauer , quod tam ſenſu, quàm ratione ac vita caret , hominem appellandũ ſentiãt, illis fateri opus eſt,perfectũ hominẽ tunc nondũ erupiſſe,cũ ſolũ corpus ex terra formatũ fuit,ac proinde cũ Scri- E ptura dicit;hominẽ formatũ eſſe de limo terræ,de ſolo corpore intellexiſſe. At num fortè ignorant Deũ efficto corpore,animã mox illi indidiſſe,qua tandem perfectus fuit homo,& factus eſt in animã viuentẽ?Hominẽ igitur ea parte,qua corporeus eſt,ab humo ita appellatum eſſe haud abnuimus. Ab humo enim eſt, quod cõcipitur,quod generatur, quod naſcitur, atque in illam tandem deſinit,ac reſoluitur, velut in parentem ac primæuum illius

princi

principium: quò factum eſt, vt Iob cõmunem omnium viuentium matrem terram eſſe dixerit cap. 1. *Nudus* (inquit) *egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*; à quo deinceps cæteri ſapientes dictum mutuati ſunt: atque eadem planè ratione hominem Scriptura puluerem, terram, cinerem vocat. At quomodo ab humo duci animam volunt, quam à Deo inſpiratam, atque inſufflatam eſſe legũt?

Iob. 1.

Quapropter etſi non inficiemur apud Hebręos, hominem, Adam veluti ex humo compactum nuncupari, quod Deus illi nomẽ imponere voluit, vt illum fragilis naturæ, ac breui perituræ ſuæ conditionis admoneret; atque hac memoria omnem animi tumorem comprimeret. Attamen conſtat etiam אנוש *enos*, appellatum fuiſſe, vt patet Pſal. 8. *Quid eſt homo, quòd memor es eius?* Hebraicè, *Enos*, & Pſal. 103. *Homo ſicut fœnum, Enos.* Iob. 4. *Nunquid homo Deo iuſtior erit? Enos.* Et paſſim id nomen in Scripturis occurrit, quo vocabulo proculdubio non terrenæ, vt in nomine Adam: ſed rationalis animæ vis, quę hominem potiſſimùm efficit, declaratur, vt egregiè adnotauit Euſeb. Cæſar. de Præparat. Euang. lib. 11. cap. 4. *Quæ Plato* (inquit) *de nominum impoſitione in Cratylo multis verbis diſputat, ea multò ante Platonem Moyſes veluti ſapientiſſimus, & eloquentiſſimus reipſa præſtitit. Nam & nomen ipſum Adam terrigenum, aut terrenum poteſt ſignificare. Adam enim apud Hebræos humus dicitur, quamuis per translationem rubram corporeámque naturam ſignificet: ita terrigenum, atque terrenum ſeu corporalem hominem hac appellatione ſignauit: verùm etiam hominem illi Enos appellant, quo vocabulo non terrenam, ſed rationalem naturam ſignificant.* Et infrà, *itaque carnalis homo nomine Adam, rationalis autem nomine Enos ſignificatur apud Hebræos.*

Pſal. 8.
Pſal. 103.
Iob. 4.
Euſeb. de præpar. Euāg. lib. 11. c. 4.

Accedat, quòd & Plato hominem Græcè ἄνθρωπος, à verbo ἀναθρεῖν, quod eſt, videre, vel recogitare, dictũ cenſet: quaſi is ad res cœleſtes vidẽdas, atq; animo recogitãdas natus ſit.

His facilè nos ab iis Scripturarum faſcibus, quos in nos colligunt, explicamus. Nam cùm hominem ſacræ literæ puluerem, lutum, figmentum, terram, cinerem appellant, ad terreſtrem hominis partem, corpus nimirũ proculdubio ſpectant. Nam cùm ſpiritualem hominis partem, qua perfectus homo eſt, inſinuare volunt; mox illum paulò minùs ab Angelis minoratum, gloria & honore coronatum, Dei operibus præfectum, Dei imaginem, diuini luminis ſignaculum, immortalem, nec non Deum ipſum, atque aliis huiuſmodi glorioſis nominibus nuncupant: quæ illius excellentiam non obſcurè indicant.

At cur ſacræ literæ, atque ipſa Eccleſia frequentiùs hominem lutum, ac puluerem inculcet, cauſam reddit D. Chryſ. tom. 5. hom. 2. de incomprehenſibili Dei natura: vt ſcilicet illius ſuperbiam deprimant, ac vilioris ſuæ

D. Chryſoſt. to 5. hom. 2.

A originis recordatione humilem illum, ac Deo ſubiectum reddant. *Intellige homo* (ait) *quidnam ſis. Homo es, terra, cinis, caro, ſanguis, fœnum, floſculus herbæ, vmbra, fumus, vanitas; & ſi quid ııs exilius, vilius, atque abiectius. Prophetæ multa dixerunt huiuſmodi, non vt genus noſtrum vituperarent, notarẽntque; ſed quò furentium hominum inſolentiam, & petulantiam compeſcerent, atque ablegarent: nam ſi poſtquam tam copioſè, tam ſeuerè de eo diſputarunt, non deſunt, qui animi fatui elatione ſuperbiam diaboli ſuperent: quò tandem amentiæ non prouehenerentur, ſi nihil huiuſmodi ſanctiſſimi illi homines appoſuiſſent? Qui ibi appoſitam gerunt*

B *medicinam, tamen adhuc inflantur, & intumeſcunt: ad quid faſtus ſtoliditatiſq; non demum ruiſſent, niſi illi tot atque talia de natura aſſeruiſſent humana,* &c. Hac ratione ducti ſancti illi viri Abraham, Dauid, Iob, & quotquot iuſti haberi volunt; ſe ante Dei maieſtatem velut puluerem, ac cinerem effundunt; vt propria abiectione illius clementiam faciliùs implorent. Neque id animæ præſtantiæ, aut nobilitati vllo pacto derogat: cùm & ſuus animæ locus relinquatur: immò ampliorem ea ex ſui ipſius abiectione, ac humilitate nobilitatem aſſequitur, cùm propriã exterioris hominis con-

C ditionem piè agnoſcit, quod præclarè tractat Rupertus lib. 2. de Trinit cap. 20. *Formauit* (inquit) *Deus hominem, & non vndequaque, ſed de limo terræ formauit. Hoc namque ſicut dignum erat perpendentes homines ſancti, hunc ipſum Creatorem ſuum Plaſtem, ſeipſos autem lutum appellarunt, eleganti confeſſione, & lacrymoſa declamatione. Et nunc Domine, inquit Eſaias c. 64 tu pater noſter es, & nos lutum, & fictor noſter, & opera manuum tuarum omnes nos. Et apud Hierem. c. 18. loquitur idem Plaſtes noſter Deus. Nunquid ſicut figulus iſte non potero vobis facere domus Iſrael? ecce ſicut lutũ in manu figuli, ita vos in manu mea.*

Rupert l. 2. de Trin cap. 20.
Eſai. 64.
Hierem 18.

D Sed cùm ſe lutum, ac figmentum pij, ac iuſti homines ante Deum profitentur, tum maximè animæ præſtantiam, ac nobilitatem extollunt. Nam cùm hæc ſui ipſius cognitio (vt ſuperiori Demonſtratione probatum fuit) à corporea natura, quæ per ſe ſupra ſeipſam ferri non poteſt, proficiſci minimè valeat; ea ſanè animæ vim, ac ſubſtantiam ſupra omnia corporea elatam eſſe declarat: atque inde maxima illius nobilitas erumpit, cùm non tantùm hac ſuipſius cognitione fruitur: ſed eò plerunque nobili quodam, ac generoſo ſpiritus motu rapitur, vt ſuæ excellentiæ

E ſponte oblita, quò magis Dei gloriam, ac maieſtatem amplificet, nihil præter lutum, ac ignobile quiddam in ſeipſa velit agnoſcere, atque ita ſe ante Diuinæ Maieſtatis pedes proiicit, vt haud ſecus, quàm ſi lutum eſſet, quicquid Deo libuerit ex ſe fingi, refingi, infectum fieri, factum infici velit.

Digitized by Google

De animarum origine aduerſus Philoſophos.

Articvlvs III.

RATIONALIS animæ exiſtentiam primùm Atheiſtis, deinde Anabapriſtis hactenus demonſtrauimus; nunc quæ illius origo, ac natura ſit, explicandum aggredimur; quæ ſanè explicatio omnium, quæ inter humanas res ſeſe contemplandas offerũt, difficillima meritò iudicari debet. Nam cùm hæc ſenſus omnes effugiat, neque vlla ſui ſpecie, aut phantaſmate; à quo omnis noſtra cognitio ortum habet (iuxta Philoſophum) intellectum pulſet: inde maxima illa inter priſcos Philoſophos in deſcribenda animæ natura ſeditio orta eſt; cùm eam nonnulli corpuſculum quoddam tenuiſſimum corpori huic craſſiori ſuffuſum eſſe exiſtimarint: neque ij eadem prorſus opinati ſunt: alij enim corpuſculum illud igneum eſſe putarunt, velut Democritus, Leucippus, & Hyparchus. Alij aëreum, vt Anaximenes, Diogenes Apolloniates, Critias. Alij aqueum, quid olim Hyppias, ac terreum, quod Heſiodus, & Proponides exiſtimarunt. Alij ex aëre, & igne conſtare voluerunt; inter quos fuerunt Boëtus, & Epicurus. Alij ex aqua, & terra commixtum ſibi perſuaſêre, in quibus eſt Xenophanes.

Democritus, Leucippus, Hyparchus, Anaxem. Diog. Apol. Critias. Hyppias. Heſiodus. Proponides. Boetus. Epicurus. Xenophanes.

Sunt verò, qui animam non corpuſculum, ſed ſubtilius aliquid eſſe ſuſpicati ſunt, nimirum non molẽ ipſã corpuſculi, ſed illius qualitatẽ per corpuſculi ſinus permeantẽ, ſiue illa ſit calor, ſeu complexio calida. Cuius ſententiæ auctores fuerunt Zeno, Citreas, Clenates, Antipater, & Poſſidonius.

Zeno, Citreas, Clenates, Antipater, Poſſidonius,

Sunt etiam qui adhuc qualitate purius aliquid animam eſſe arbitrati ſunt. Quam idcirco punctum lucidum appellarunt, quòd in quadam ipſius qualitatis, ac corpuſculi potiori parte, putà corde, vel cerebro ſitum ſit; atque ab eo cuncta corporis membra inde gubernari tradunt: quod affirmaſſe videntur Chryſippus, Archelaus, & Heraclides Ponticus.

Chryſippus, Archelaus, Heraclides.

Sunt demum, qui animam punctum quidem illud eſſe ſenſerunt, at nulli parti affixum: ſed ab omni ſitus præſcriptione liberum, ac toti corpori, ac cuilibet illius parti ita præſens eſſe voluerunt; vt vel tanquam à corporis complexione genitum, vel ex materiæ potentia eductum, ab ipſa corporis natura dependeret: quam ſententiam tuentur Xenophanes Colophonius, Aſclepiades, Ariſtoxenus, & Critolaus, quæ omnia, tum apud Plutarchum de placitis Philoſophorũ, tum apud Diogenem Laërtium, Tullium, ac cæteros antiquarum opinionum exploratores videri

Xenophanes. Aſclepiades. Ariſtoxen. Critolaus. Plutarch de placitis Phil. Laërtius, Tullius.

A poſſunt. Atque vt has ſummatim ſententias perſtringamus; hi omnes animam corpoream eſſe volunt, ac corporis partem, qui proprius, ac hæreditarius eſt Atheiſtarum error, qui idcirco animam cum corpore ſatam, & mortalem eſſe affirmant.

Hunc errorem plebei, ac infimi tantùm Philoſophi excogitarunt, non ratione aliqua perſuaſi, ſed cùm corporalia duntaxat in ſeipſis ſentirent, ac omnia ſenſibus metirentur, neque aliam præter ſenſuum operationem craſſi, ac rudes aduerterent, ab ipſis ſenſibus animæ originem inueſtigarunt, quò fit, vt corpoream eſſe exiſtimarent. B Quòd ſi dimiſſis aliquando ſenſibus mentem ipſam interrogaſſent, protinus ea illis reſpondiſſet, non modò incorpoream eſſe animam; ſed diuino genere ſatam, eò corpore maiorem, atque ampliorem, quòd nullis corporum anguſtiis, ac terminis includi poteſt, eò præſtantiorem, quòd ea ſola diuina pars eſt, qua à brutis differimus, eò eminentiorem, quòd corpore in terris iacente, ea æthera ſuperuolat, ac cœleſtia perluſtrat; eò meliorem, quòd mala ſibi diſplicent: eò pulchriorem, quòd turpia horret, ac execratur, eò tandem diuturniorem, ac C ſempiternam, quòd corporalia, ac temporalia omnia poſt tergum relinquit, ac in Deum Opt. Max. ſeſe inſinuat.

His igitur errorum tenebris cœca olim Philoſophorum turba; nunc autem Atheiſtarum mens miſerè verſatur, quibus clara veritatis lux aperienda eſt, qua primùm incorpoream eſſe animam diſcant.

Plebeios illos Philoſophos, qui animarum ſatum, atque originem à corpore explorarũt, non tantæ exiſtimationis extitiſſe certum eſt, vt iis pleroſque antiquiores, ac ſapientiores Philoſophos, non meritò anteponamus: D quorum dicta vniuerſa Philoſophia ſuſpicit, ac veneratur. Inter hos vetuſtiſſimus, ac toto Orbe celeberrimus Mercurius Triſmegiſtus ad Aſclepium, adeò apertè incorpoream animam pronunciat; vt illius originem non terris apud homines, ſed cœlo apud Deum quærendam dixerit. *Mens* (inquit) *non eſt abſciſſa ex Dei ſubſtantia* (quo velut primo telo hæreticos confodit) *ſed quaſi explicata ſicut Solis lumen:* quo præclaro dicendi modo totam animæ originem, ac naturam declarat. Lumen ſiquidem à Sole velut explicatur, dum ab eo manat, ac illius naturam refert, ac imitatur. Ita ſanè animus, E cùm in æterno Dei intellectu, ac mente velut complicatus exiſteret, tunc primùm explicatus fuit, cùm à Deo homini inſpiratus fuit; cùm incorpoream, ac ſpiritualem illius naturam aſſecutus eſt; cùm non alius illi ortus, non alia ſtirps, non alia natiuitas, quàm diuina fuit.

Merc. Triſmeg. ad Aſclep.

Quem etiam ſequutus eſt Pythagoras, qui animæ originem non ad homines, aut corpora; ſed

Pythagoras.

ra, ſed ad Deum referendum cenſuit, à quo nos genus ſumere dixit; atque inde natum, ac afflatum nobis animum, ac proinde Dei cognatum, ac affinem appellabat. Cuius ſententiam expreſſiùs declarauit Tullius 1. de legib. cùm ait: *Tenemur agnatione diuina, genus noſtrum eius, qui verè homo eſt, nempe animus, non eſt à corporeo, corruptibilique mundo, ſed à Deo: propterea diuinum genus eſt nobis, vt haudquaquam timere quaſi morituri debeamus.*

Tull. 1. de legib.

At celebre eſt oraculum illud, quod apud Chaldæos Philoſophos olim maximo in pretio habitum fuit, cui vniuerſa Philoſophia conſentit:

Orac. Chald.

Χρὴ σὲ σπεύδειν πρὸς τὸ φῶς, καὶ πατρὸς αὐγάς:
Ἔνθα ἐπέμφθη σοὶ ψυχὴ πολλὴν ἑσσαμένη νοῦν.

Quod explicans Pſellus. *Poſteaquam* (inquit) *non ex ſeminibus accepit ſubſtantiam anima, neque corporeis ſubſiſtit temperamentis; ſed à Deo supernè habuit eſſe, ad illam etiam conuertatur, oportet; & ad lumen diuinum faciat aſcenſum.* Quid clarius dici potuit de vera animarum origine; quàm quòd eas non ab humanis ſeminibus, velut animata corpora, & extraduce à patre in ſobolem transfuſas oriri; neque eodem, quo corpus ſatu ſeminatas fuiſſe tradit? quo Apollinariſtas hæreticos ſuggillat: neq; eas corporeis, aut conſtare, aut ſubſiſtere temperamentis, quod falsò opinantur Atheiſtæ, ac ſuprà enumerati Philoſophi, ſed à Deo ſupernum, ſpirituale, ac Deo ſimillimum eſſe nactas eſſe docet. Hinc patet, eas non à terra, aut aqua, aut igne, aut aëre, aut harmonia, aut puncto aliquo corporeo (vt illi opinantur) pendere; ſed à ſpirituali, atque incorporea natura, qua etiam præditæ ſunt, originem ducere.

Pſellus.

Hanc de animarum origine ſententiam à Pythagoreis acceptam Plato in Timæo defendit: cuius ſe velut diſertum interpretem Tullius exhibet lib. de vniuerſitate: nam cùm is Poëtarum potiùs, quàm Philoſophorũ more ſupremum animi creatorem, cum iunioribus Diis, Angelis nimirum loquentem induxiſſet, atque eis mandantem, vt eius opificium imitati, ipſi corpus hominis efformarẽt, ac tanquam immortalis animi domicilium præpararent. *Tunc* (inquit) *ad eos is Deus, qui omnia genuit, fatur. Vos autem ad id, quod erit immortale, partem attexitote mortalem.* Cuius ſententiam ſequutus eſt Philo in libro de opificio ſex dierum, & lib. de Profugis, vbi hominis animum à Deo creatum, corpus verò ab Angelis effictum fuiſſe tradit. At licèt Plato, & cum eo quoque Philo à Catholica veritate aberrauerint, quòd corporis formationem Angelis tribuerunt: in quo Moyſis verba tantummodò, non ſenſum aſſequutos fuiſſe conſtat, cùm dixit: *Faciamus hominẽ ad imaginem, & ſimilitudinẽ noſtram.* His enim verbis nõ Angelos, ſed diuinas Trinitatis perſonas Pater alloquitur, quæ omnes ſimul ad corporis formationem operam nauarunt: in eo tamen mirificè cum Catholica veritate conſpirant, quòd animam incorpoream, atque immortalem à Deo conditam affirmant. Nam corpore ex aëris, ignis, terræ & aquæ particulis inter ſe copulatis conglobato, animam nulla corporeorum elementorum commiſtione concretam à Deo ſolo originem duxiſſe contendũt: ac propterea idem Plato in Timæo animam plantam non quidem terreſtrem, ſed cœleſtem appellat, ideirco quòd eam non à terra, ſed è cœlo naturam accepiſſe ſentiat. Et in Phædone, animam partem Deo ſimillimam prædicat.

Plato in Ti-mæo.

Philo de opific. ſex dier. & l. de Profug.

Plat. in Tim.

In Phædon.

Ariſtoteles verò quid de animarum ſatu, atque origine ſenſerit, exploratum eſt ex libro de Generat. animal. vbi cùm omnem aliam animam, nempe vegetatiuam, ac ſenſitiuam in plantis, ac brutis interire ſentiat, eò quod cum elementis coniunctæ ſint, ac ab eis oriantur: ſolam mentem, ac intellectum, intellectiuam ſcilicet animam diuinam, ac immortalem prædicat, eò quòd non ex elementis, aut cum elementis in homine componatur, ſed exteriùs iam compacto corpore aduentet, atque à Deo corpori infundatur. Hæc autem illius verba ſunt. *Quoniam impoſſibile eſt, vt exteriùs ingrediatur anima ſenſibilis, neque enim ipſas per ſeipſas ingredi, ceu inſeparabiles, datur. Eſt enim ſemen excrementum corporis, à quo continetur: ſupereſt autem ſolam mentem exterius ingredi, & ſolam diuinam eſſe, cuius operatio non communicat cum actione corporea.* Cùm ergo ex Ariſtotelis ſententia brutorum animæ exteriùs aduenire non poſſint: neque ab iis ſeparatæ exiſtere, ea ratione, quòd illæ concorporeæ ſint, atque à corporibus ortum ducant: cùm ſolam intellectiuam animam exteriùs aduenire, ac ſeparabilem eſſe docet, planè certum eſt, eam ſolam à natura corporum ab eo ſolutam cenſeri, ac velut diuinam à Deo ſolo originem ducere.

Ariſtot. de Gene. Anim.

Eandem ſententiam confirmat de Partib. animal. quo loco inquirit, verùm ad phyſicam conſiderationem pertineat de anima à materia ſegregata diſſerere. *Vtrùm* (inquit) *de omni anima Phyſici eſt diſſerere, an non de omni, ſed ſolùm de ea, quæ ſine materia?* En animam ex Ariſtotele ſine materia, & incorpoream. Porrò quam hic animam ſine materia vocat, in lib. 2. de Anima mentem, ac facultatem ſpeculatiuam appellat; quam ab omni alia anima ſeparari vult, tanquam ſempiternum à corruptibili. In Moralibus verò à corpore ſeiunctam, ac immaterialem pronunciat.

De Partib. animal.

2. de Anim.

In Moralib.

At ſanè huius ſententiæ non minùs inſignis, quàm grauis, ac diſertus orator extitit Tullius in Tuſcul. Tuſcu. 1. vbi clariùs, quid de animæ origine priores Philoſophi ſenſẽrũt, exponit. *Animorum* (inquit) *in terris nulla origo inueniri poteſt, nihil eſt enim in animus miſtum, at-*

Tull in Tuſcul 1. [illegible]

que

que concretum, quod ex terra natum, atque factum eſſe videatur: nihilq́, humidum, aut flabile, aut igneum. En plebeiorum Philoſophorum aperta erroris confutatio. Ratio autem qua id ſibi perſuadet, adeù efficax eſt, vt ea expenſa cogat admirari, quo pacto quis animam corpoream eſſe ſibi in animum inducat. Hæc autem illius ratio eſt. *His enim* (ait) *innatum nihil ineſt, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quæ & præterita teneat, & futura prouideat, & complecti poſſit præſentia, quæ ſola diuina ſunt.* Grauiſſima ſanè ratio, quæ vniuſcuiuſque animum iure ſibi ſubiicere debeat. Quis enim incorporeas, ac propemodum diuinas operationes in anima animaduertit, qui has à corpore haudquaquam manare poſſe non exiſtimet? Quamobrem incorporeum aliquod in homine principium agnoſcere opus eſt, à quo illæ fluant. Porrò certum eſt, ſolam rationalem, ac intellectiuam animam eſſe, quæ intelligit, cogitat, præuidet, memoratur, & alia munera exercet, quæ à corpore omnino remota ſunt: quare exploratum eſt, eam incorpoream eſſe oportere.

Poſtremò his omnibus Seneca grauiſſimus, ac diſertiſſimus teſtis accedat, qui cùm in omnibus, tum maximè in iis, quæ ad animæ originem ſpectant, pium ac mirabilem Philoſophum ſe præbet: nam is in primis ad Lucillum ſcribens, diuinam animarum originem non ex terreſtri materia; ſed Diuino ſpiritu hauſtam his verbis aperit. *Animum excellentem, moderatum, omnia tanquam minora tranſeuntem, quicquid timemus, optamúſque videntem, cæleſtis potentia agitat: non poteſt res tanta ſine adminiculo numinis ſtare: itaque maiore ſui parte illic eſt, vnde deſcendit: quemadmodum radij Solis contingunt quidem terram, ſed ibi ſunt, vnde mittuntur: ſic animus magnus, ac ſacer, & in hoc dimiſſus, vt propiùs quidem diuina noſcamus; conuerſatur quidem nobiſcum, ſed hæret origini ſuæ; illinc pendet, illuc nititur, ac ſpectat: noſtris tanquam melior intereſt.* Audis animum non terrena, ſed cœleſti potentia agitari, audis illum in corpus demiſſum, audis à Deo ad nos deſcendere, atque ad Deum naturali appetitu recurrere. An hæc terreſtris, ac corporei animi ſigna ſunt?

Seneca ad Lucillum.

Idem de conſolatione ad Martiam, ſeparatam à corpore animam fœliciter deſcribit. *Iacent* (inquit) *oſſa, cineréſque non magis illius partes, quàm veſtes, aliáque tegumenta corporum. Integer ille animus paulùm ſupra nos commoratur, dum expurgat inhærentia vitia, ſitúmque omnis mortalis æui excutit: deinde ad excelſa ſublatus inter fœlices currit animas, excipitq́ illum cœtus ſacer, Scipiones, Catones, &c.*

De conſolat. ad Martiã.

Tandem cùm multa, tum ad Lucillum, tum ad Martiam de animorum excellentia, ac origine diſſeruiſſet; quibus non terreſtrem, aut fragilem, aut corruptibilem naturam, ſed diuinam ac immortalem aſſignat: cùm eas modò diuini ſpiritus partes, modò radios, modò ſcintillas à Dei luce proiectas, modò Dei cognatos, modò ab eo demiſſos, modò ſpiritus carne obrutos, quandiu corporis vinculis detinentur, appellat: quibus omnium priorum Philoſophorum, qui de animæ origine rectè ſenſerunt, doctrinam attingit: poſtremò in quæſtionibus natural. animarum originem nõ tam à Philoſophiæ riuulis, quàm ab ipſo ſacrarum Scripturarum fonte hauſiſſe videtur, cùm ait. *Animus verò diuina origine hauſtus, cui nec ſenectus vlla, nec mors oneroſi corporis obſtat, vinculis exolutus ad ſedes ſuas, & cognata ſydera reuertitur.* Quid his verbis magis Catholica veritate dignum proferre poterat? En animos nõ ex traduce ſemine, aut elementorum commixtione, aut terra, aut aqua, aut igne, aut aëre cum corpore ortos, ſed diuina origine duntaxat ſatos, atque à Deo creatos; an non ab iis omnem prorſus terrenam, ac corpoream concretionem conuellit, cùm illis non corporis morbos, non ſenectam, non mortem denique ipſam corporis officere ſentit? Vides tandem Atheiſta animas à corpore ſeparatas exiſtere, atque ad ſuperna veluti ad proprias ſedes euolare. Quid aliud his verbis præ ſe fert, quàm quòd Salomon Eccleſ. 12. antea dixerat; Reuertatur puluis in terram ſuam, & ſpiritus redeat ad Dominum, qui dedit illum?

Seneca in quæſt. natural.

Quod etiam fuſiùs proſequitur in lib. de Conſolat. aliis verbis: *Mobilis enim, & inquieta mens homini data eſt: nunquam ſe tenet, ſpargitur, & cogitationes ſuas in omnia nota, atque ignota dimittit, vaga & quietis impatiens eſt, & nouiſſimarum rerum latiſſima.* Huius autem inquietudinis rationem reddens ſubdit. *Quod non miraberis, ſi propriam eius originem aſpexeris, non ex terreno, & graui concretam corpore; ſed ex illo cœleſti ſpiritu deſcendere.* Hæc de Philoſophorum teſtimoniis ſufficiant.

Senec. lib. de Conſolat.

Demonſtratur rationibus tam contra Atheiſtas, quàm Anabaptiſtas rationalem animam eſſe incorpoream.

ARTICVLVS IV.

HACTENVS Philoſophorum teſtimoniis pro anima decertauimus, nunc rationibus pro eadem pugnandum eſt, vt eos non tam veræ Philoſophiæ, quàm ipſius naturalis ratiocinationis hoſtes eſſe euincamus, qui rationalem animam corpoream eſſe autumant. Rationes verò eas duntaxat, quæ tum Atheiſtis, tum hæreticis conuincendis aptæ ſint, partim ex rerum corporearum natura, partim ex formarum operatione, partim ex naturali ſenſuum opere, partim denique ex

ipſis

ipſis animæ potentiis,atque earum præſtautia decerptas proponemus.

Sit autem prima ratio à rerum corporearum natura deprompta. Siquidem Philoſophis exploratum eſt, vnumquodque naturale agens intra ſpheram generis ſui tantùm agere,neque vltra præſctiptos generis ſui terminos quicquam operari poſſe.Canis enim nunquam ouem generat, aut ſus hominem.Quapropter corpus eam tantummodò agendi vim ſortitur, quæ corporum propria eſt, neque vltra corporearum rerum genus ſeſe extendit:diſcurſus per ſe notus eſt.

Iam verò ſi anima intra rerum corporearum genus contineretur, ea ſanè ita corporum anguſtiis concluderetur, vt nullam excellentiorem præter corporum actionem ſibi vendicare poſſet. Sed cùm perſpicuum ſit, omnem corporum actionem circa materiam verſari; nulla ergo animæ actio à materia ſeiuncta eſſet. At id apertiſſimè quotidiana experientia refellit, qua diſcimus animum ſupra corporum naturam ferri,incorporea intelligere,intelligibilia, quæ à materia abſtrahunt,cognoſcere, rerum naturas definire,ac pleraque alia moliri, quæ corporum actionem tranſcendunt: igitur incorporeus animus eſt.

At obiicient fortè cum Epicuro, animum incorporea non cognoſcere: at ego Epicuro, & illis: ſi animus incorporea non cognoſcit, cur ipſi incorporea admittunt? Quod ſi aliqua incorporea eſſe conniuent, quis ea illis eſſe aperuit? quis docuit: niſi is, qui ea agnouit?quis autem ea nouit, præterquàm mens, quæ cùm à corpore ſoluta ſit,plerunque ſuprà corpus in ipſam rerum incorporearum contemplationẽ ſeipſam iactat?Equidẽ ſi animus nullã præter corporum actionẽ ſibi vendicaret;ſequeretur illius virtutem ita minui,atque arctari,vt plures rerum corporearum formas, ſiue ſimilium,ſiue diſſimilium concipere nullo modo poſſet;ea enim corporibus lex poſita eſt, vt ſimilem tantùm ſibi formam pariant; neque plures,ſed vnicam tantùm formam ſuſcipiant:nam quo pacto ouis lupum,aut leæna bouem generare poſſet? aut quomodo ignis alterius ignis formam, vel conciperet, vel in ſe ſuſciperet, qui ſua forma contentus eſt? at mentem quis non in ſeipſo ipſa experientia cernat, non modò ſimilium, ſed etiam diſſimilium innumeras (prout libet) formas effingere; dum vel ſeipſam,vel diuerſas rerum naturas in ſeipſa intellectu concipit, ac intelligit? Non igitur corporea,ſed incorporea cenſenda eſt.

Secunda ratio:anima ſi corporea eſt,vel ex ſolido corpore conſtat, vel fluxo, ac labili: ſi ex ſolido conſtat, ea vnius rei tantum figuram, vnam ſpeciem intelligibilem, vnam obiecti imaginem capere poteſt: quòd ſi aliam admiſerit,ſimul cunctæ obfuſcantur, & con-

A ſunduntur, ac tandem intereunt. Id in cera perſpicuum eſt, quæ cùm corpus ſolidum ſit, vnius tantùm ſigilli figuram recipit; quòd ſi aliam rurſus inducere tentes, vel priorem amittit, vel vtraſque ita inter ſe confundit, vt nullo pacto ab inuicẽ diſcerni valeant. Quòd ſi anima vnam duntaxat rei imaginem, non plures reciperet, vbi in ea ingenij acumen vigeret, quod circa multarum rerum contemplationem verſatur? vbi mentis capacitas? vbi præteritorum memoria? vbi in rebus agendis prudentia? vbi futurorum prouidentia? vbi circa præſentia ſagacitas conſiſteret? Planè ſi
B præſentia intelligeret,abſentia minimè agnoſcere poſſet. Si verò fluxum,ac labile corpus anima circũferat;quis illi vllam rei imaginem contemplandam deferat? neque enim aquæ, aut liquefactæ ceræ,quę fluxum,ac labile corpus gerunt, vlla omnino figura imprimi poteſt. Miſerrimus ergo eſt animus, qui nec intellectu,nec memoria præditus ſit: nec vllam rei aut præſentis, aut abſentis ſpeciem in ſeipſo ferat. Hæc qui à ratione,atque ab ipſa ſui experientia omnino aliena eſſe percipit, animam etiam non corpoream,ſed incorpoream eſſe ſibi certò perſuaſum habeat.

C Tertia ratio: corpus aliquod quoties rem aliquam continet, ita illi adæquari debet, vt ſe toto totam rem comprehendat, partem verò parte. Hæc enim potiſſima inter corporea, & incorporea differẽtia agnoſcitur,quòd corporea omnia quantitate conſtant, qua ſe diuiſibilia præſtant; quò fit, vt contenta corpora non ad vnum duntaxat referantur, ſed ad plura. Contenti enim pars ad continentis partem relationem habet,maior ad maiorem, minor ad minorem, dextra ad dextram, læua læuam. Incorporea verò haud ita; nam cùm quantitatis expertia ſint, planè indiuiſibi-
D lia exiſtunt, nec partes extra partes habent; quapropter ad omnia indiuiſibiliter ſe gerunt.

Animus ergo cùm totam rem,quam intelligit, ac omnes illius partes ſe toto,ac indiuiſibiliter comprehendat; intellectus enim non ſecundùm partem,ſed ſe toto intelligit,neque vna pars rei intellectæ, & ab intellectu contentæ parti intellectus reſpondet;cùm is nulla quantitatis menſura teneatur: quò fit, vt circa vnumquodque intelligibile indiuiſibiliter ſe habeat: quare inde proculdubio euincitur incorporeum eſſe,cùm rerum incorporearum
E naturam in ſeipſo circunferat.

Quarta ratio:duo corpora ſimul ſeipſa continere, & contineri non poſſunt; quod enim alterum continet, illo amplioris eſt capacitatis. Neque enim corpus aliquod ſimul & anguſtius, & amplius altero corpore eſſe valet: nam cùm Mercurij orbem ab orbe Veneris contineri iuxta Aſtronomos ſentimus, hunc anguſtiorem, illum ampliorem proculdubio

eſſe

eſſe credimus, neque anguſtior ampliorem continet, ſed minorem à maiori contineri tantùm iudicamus. Mens verò aliam mentem comprehendit, ac viciſſim ab ea comprehenditur. Socratis enim mens Platonis mentem intelligit; Platonis è conuerſo mens Socratis mentem conſiderat: mentes igitur illæ dum ſe inuicem intelligunt, ſeipſas capiunt: & vna mens omnes mentes complectitur, dum eas contemplatur. Quis hæc corporum naturam tranſcendere non exiſtimet; atque ad incorporeorum naturam pertinere? Anima ergo incorporea eſt.

Quinta ratio: omnis receptio (teſte Philoſopho) fit per modum recipientis, ac propterea ſenſus cùm corporeus ſit, ſenſibilia, ac corporea tantùm recipit: intelligibilia verò, quæ à materia abſtrahunt, & à corpore abſtinent, ſuſcipere non poteſt: cæterùm formæ, quæ ſunt in ſubiecto cum materia compoſito, cùm illius naturam ſequantur, quæ ſingularis eſt, & ſingularia tantummodò recipit, nullam vim ad vniuerſalia repræſentanda retinent: quapropter ſpecies, quæ ſenſibus offeruntur neceſſariò ſenſibiles ſunt, ac ſingulares; cùm in materiali natura recipiantur.

Sed animus à ſenſibilibus, ac corporeis longè remotus intelligibilia tantùm recipit, ac vniuerſalia, quæ à corporum materia abſtrahunt, velut propria obiecta ſibi vendicat; & ex iis ſcientiam, prudentiam, ac cæteras virtutes gignit; quæ incorporeæ ſunt. Quo igitur pacto animus corporeus eſſe poteſt, qui corporeis omnibus abiectis, ſolis incorporeis rebus delectatur?

Sexta ratio: nulla potentia materialis eò pertingit, vt differentiam inter ſingulare & vniuerſale conſtituat: vniuerſale enim, cùm à materia abſtractum ſit, à materiali potentia haud cognoſci poteſt; alioquin bruta & vniuerſalia capere, & ex iis concluſiones elicere, ac ſcientias effingere valerent: nam qui inter ſingulare, & vniuerſale differentiam ſtatuunt, primùm illa inter ſe comparant, vtriuſque naturam ſpeculantur, componunt, diuidũt, definiunt, atq; inde illa inter ſe differre decernũt, quæ omnia à materiali potentia effici nõ poſſunt, quæ ſingulari ſuo obiecto contenta eſt; vt patet in brutis, ac rationis vſu carentibus: at verò animus hanc inter ſingulare, & vniuerſale diſtinctionem agnoſcit, comparat, diuidit, componit, ſpeculatur, definit: atque ea facilè præſtat, quæ corporalis potentia nulla vi aſſequi valet. Qua ratione igitur eam materialem eſſe aſtruunt, quæ immateriale opus ſibi vendicat?

Hæc ab ipſa rerum corporearum natura exprompta argumenta facilè declarant, animam rationalem temerè ab iis corpoream effingi: verùm vt illorum inſcitiæ occurramus, qui animam, materialem corporis formam,

A aut qualitatem audent aſſerere.

Sit ſeptima ratio, ex formarum natura deprompta. Quis neſciat (teſte Philoſopho) formas contrariorum, dum ſunt in materia, inuicem ſeſe expellere, cùm ex innata diſcordia ſimul in eodem ſubiecto manere non poſſint: ac præterea materiam vna forma inebriatam alteram, niſi prima expulſa, recipere non poſſe: cuius ea potiſſima ratio eſt, quòd materia præfixas ſuæ quantitatis metas habet, quæ vna forma imbuta cæteras retinere non poteſt.

At certè animus noſter non modò B plurimas intelligibilium in ſe formas ſuſcipit; ſed eas omnino inter ſe pugnantes, ac diſcordes ſibi adeſſe patitur: mens enim & calidum, & frigidum, & humidum, & ſiccum; & omnes ſibi aduerſantes elementorum formas complectitur. Rurſus & bonum, & malum, & dulce, & amarum, vtile ac noxium, pulchrum & deforme iudicat; & quod planè mirabile eſt, naturas ipſas alioqui repugnantes ita inuicem conciliat, vt cùm ſibi præſentes ſunt, nullo modo inimicas eſſe patiatur: non igitur corporea forma eſt, ſed incorporea.

Octaua ratio: formæ corporibus C inhærentes, ac ea informantes, talia reddunt corpora, quales ipſæ ſunt formæ. Albedo enim corpori inhærens album corpus efficit, nigredo nigrum, dulcedo dulce, caliditas calidum, &c. Porrò ſi anima corpus eſſet, cùm frigidum conſiderat, frigida fieret, cùm calidum calida, & cùm ſimul caliditatem, & frigiditatem intelligeret, ſimul etiam, & calida & frigida efficeretur. At quis vnquam id de anima ſenſit, quæ nullis omnino corporeis qualitatibus afficitur? Incorpoream igitur illam eſſe opus eſt.

Nona ratio: illud quod eſt ſubiectum in- D diuiſibilium qualitatum, ac formarum, non poteſt eſſe corpus. Anima verò eſt ſubiectum virtutum, quæ ſunt indiuiſibiles formæ; ea igitur corpus eſſe non poteſt. Maior clara eſt: nam cùm omnis receptio fiat per modum recipientis, manifeſtum eſt corpus omne ſecundùm omnes ſuas dimenſiones, longitudinem, latitudinem, & profunditatem eſſe diuiſibile; quò fit, vt diuiſibilium tantùm formarum ſubiectum eſſe poſſit: à quibus vel ſecundùm ſe totum, vel ſecundùm ſui partem informari poſſit. Indiuiſibiles autem formas omnino reſpuit; cùm hæ neque ſecundùm totum, ne- E que ſecundùm partẽ corpus informare queãt. Qui igitur formam indiuiſibilem in diuiſibili corpore conſtituere vellet, in illud planè incommodum incideret, vt eam corporis eſſe formam, & tamen corpus nulla ſui parte informare crederet.

Minor probatur: nam cùm duo ſint genera virtutũ, quædam in intellectu, quæ ſpeculatiuæ vocantur, in quo genere ſunt ſcientia rerum

rum naturalium, diuinorum ſapientia, artium
peritia, necnon in rebus ciuilibus prudentia,
quæ in ſpeculatione verſantur. Aliæ in appe-
titu, quæ morales nuncupantur, quia in mo-
rum compoſitione, ac operum vſu conſiſtũt:
cuiuſmodi ſunt iuſtitia, quæ ius ſuum vnicui-
que tribuit, fortitudo, quæ ad honeſta opera
aggredienda timorem pellit; & animũ ſuppe-
ditat. Temperãtia, quæ Venereos impetus co-
hibet, ac in rebus mediocritatẽ ſeruare iubet.

Porrò ſi qua eſſet in his virtutibus corporea
magnitudo, qua diuiſibiles eſſẽt, profectò quò
quiſque grandior, ac corpore procerior eſſet,
eò ſapiẽtior iuſtiórq; fieri poſſet: neq; qui exi-
gui corporis ſunt, proceriores virtutibus, aut
ſuperare, aut ęquare valerent; cùm tamẽ id ſę-
pè fieri videamus, tenuem virtutẽ eſſe in cor-
pore longo; & acriori ingenio pollere eos, qui
tenuiore ſunt corpore. Cæterùm quis ita deſi-
piat, vt tã ſpeculatiuas, quàm morales virtutes,
quæ ita in eodẽ animæ ſinu genitę manent, vt
neq; inde ſeſe expellãt, neque mutua ſe com-
mixtione confundant: ſed illarũ quæque tota
in ſingulis inueniatur, corporeas eſſe iudicet?

Complures Theologus propoſitiones in ea
facultate primas, ac immediatas aſſequitur:
quarum inſpectione in aliarum penè innume-
rarum cognitionem venit, ac eas velut ex pri-
mis illis propoſitionibus gignit: quis genitas
has propoſitiones, ac alias penè infinitas, quæ
generari poſſunt, in iis primis velut parẽtibus
contineri nõ animaduertat? in quibus animus
ſapientis, tanquam in vna multas, in multis in-
numeras velociſſimè conſpicit. At quonã mo-
do diuiſibilis qualitas tota ſimul rebus multis
ineſſe poteſt? Certè ſi diuiſibilis eſt, in corpus
vnum duntaxat ſe extendet, & ſuas partes in
corporis partes inconfusè diſtribuet; ac totam
eius quantitatem ſingulis corporis partibus
ineſſe planè impoſſibile erit. Hinc perſpectum
eſt animæ virtutes omnino indiuiſibiles eſſe;
cùm inter ſe indiuiſibiliter ſe habeant.

Accedat, quòd ſi animi virtutes diuiſibiles
eſſent, hæ profectò in infinitas diuidi poſſent;
omnis enim diuiſibilis qualitas, quæ diuiſibili
ſubiecto recipitur, cùm corporei ſubiecti na-
turã ſequatur, in infinitũ eſt diuiſibilis: animus
ergo cùm vnum rerũ genus concipit, infinita
genera, infinitas differentias, infinitas ſpecies
cõcipiet: quò fit, vt in vnica definitione ab in-
tellectu cõcepta, innumerabilia genera, ac in-
numerabiles differentiæ reperiantur; ſed cùm
intellectus infinita definire non poſſit, planè
nulla eſſe poterit definitio; atq; ita ſublata de-
finitione, rerũ omniũ ſcientiã interire neceſſe
eſt: quę ab ipſarũ definitione manat: eodẽ ſanè
modo poſita in homine iuſtitia, is ſecundùm
infinitas partes iuſtus eſſet, cùm in infinitas
partes illius iuſtitia ſecari poſſet, quatũ quæli-
bet eũ iuſtum efficeret: reſtat igitur animę vir-
tutes, quæ illius formæ ſunt, eſſe indiuiſibiles,
A ac proinde animam ipſam incorpoream eſſe,
quæ indiuiſibilium formarũ ſubiectũ exiſtit.

Decima ratio ex hac elicitur. Quod enim
indiuiſibile eſt, corporis qualitas eſſe non po-
teſt, id ſuperiùs ex eo principio probauimus:
quòd omnis corporea qualitas ad corporis
extenſionem extẽdi debeat: quapropter ſicut
corpus eſt diuiſibile, ita & qualitas, quæ cor-
pus informat, neceſſariò diuiſibilis eſſe de-
bet. Anima igitur cùm ſubiectum ſit indiuiſi-
bilium formarum (vt hactenus oſtendimus)
non niſi indiuiſibilis eſſe poteſt. Pręterea cùm
ſit tota in toto, & tota in qualibet corporis
B parte; neque ea, ad corporis diuiſionem diuidi
poſſit: quod patet: nam homo ſecto corpo-
ris membro partem animæ non amittit; quòd
ſi amitteret, ſequeretur illum etiam cum ea, &
partem intellectus, tum memorię, tum volun-
tatis deperdere, ac tandem aſſidua illius dimi-
nutione tenuiorẽ animam in corpore fieri, à
quibus vera Philoſophia abhorret. Hinc ex-
ploratum eſt, animam indiuiſibilem eſſè, ac
proinde illam inter corporearum qualitarum
naturam collocari non poſſe, cùm hæc indi-
uiſibilis, illæ diuiſibiles ſint.

Sed à ſenſuum natura nonnulla ad id pro-
C bandum argumenta petenda ſunt. Vndecima
igitur ratio ſit. Quęlibet materialis potẽtia ob-
iectũ determinatu habet, in quod tantùmodò
fertur. Senſus enim obiecta ſua duntaxat per-
cipiunt: viſus colores, auditus ſonos, olfactus
odores; neque vnquam contingit, quòd viſus
ſonum, aut odorem attigerit: vel auditus, odo-
res, aut colores perceperit. Demum ſenſuum
nullus aliorum obiectis ſeſe immiſcet. Solus
autem animus omnium ſenſuum obiecta ap-
prehendit, diſcurit, diiudicat: at qua ratione
id efficere poſſet, niſi à ſenſibus, qui corporei
ſunt, abſtraheretur; ac ſuperiorem, & immate-
D rialem naturam ſortirus eſſet, quæ ſupra om-
niũ ſenſuum obiecta ſeſe efferret? Senſus enim
ob id quòd materiæ immerſi ſunt, ab vnico
obiecto determinantur, velut cera ab vno ſi-
gillo; anima verò cùm à nullo corporeo obie-
cto determinetur, ſed ad omnium obiecta ſe-
ſe extendat, quin etiam illa ab omni materia
expurget, ac immaterialia ad ſe trahat, planè
hinc exploratum eſt, eam nullo modo mate-
rialem eſſe, aut corpoream.

Hinc duodecimam rationem conflamus.
Humanus animus intelligit omnes formas
materiales, igitur ipſe non eſt materialis. Pro-
B batur conſequentia; nã viſus colores percipit,
eò quòd coloribus omnibus exutus ſit; ſic au-
ditus ſonũ, ſic olfactus odores, & tandem ſen-
ſus omnis eo carere debet, quod ſentit: ſecus
enim illud percipere nõ poſſet; cùm intus ap-
parẽs prohibeat extraneũ. Animus igitur cùm
omniũ ſenſuum obiecta, quæ materialia ſunt,
percipiat; intelligat, diſtinguat, atque in to-
tam entis latitudinem ſeſe extendens corpo-

ralia omnia & incorpotalia comprehendat,ac diſcernat: id quonam modo præſtare poſſet, niſi & ipſe corpore expoliaretur, quò ſupra corporum naturam cognitione ferri poſſet.

At verò rem altiùs inueſtigantes, ſit decimatertia ratio. Anima non modò corporalia omnia intelligit; verùm & corporea omnia intelligendo tranſcendit. Mens enim intelligit ſubſtantias ſeparatas,ac intelligentias cœlorũ motrices, quæ à corpore & materia omnino ſeparatæ ſunt, ac de iis quid ſint, inquirit;num finitæ,vel infinitæ virtutis;num mortales, an immortales; num temporales, ſvel æternæ ſint,inueſtigat.En animum ſuper omnem corporeorum materiam prorſus euolantem, atque incorporeas naturas definientem, diuidentem, ac de iis diſputantem,& ratiocinantem;quo pacto amabo ſi corpus eſſet,corporum naturam ſeipſo tranſcendere, ac ſupra eam cognitione euolare poſſet? Rurſus cùm ad ipſum Deum aſcendit, illiúſque ſubſtantiam, ac naturam, quæ omnino immaterialis eſt,& incorporea(vt aliàs probatum fuit)ſcrutetur,ac definiat, licèt omni definitione Deus maior ſit, quo pacto in hanc incorporeorum cognitionem ſeſe intruderet, ſi incorporeus, ac immaterialis non eſſet?

Denique hoc ipſum ex ipſa animæ ſubſtantia,ac potentiis demonſtremus:ſitque decimaquarta ratio.Corpus nullam vim habere poteſt ad infinita obiecta; cùm ad vnum tantùm determinetur (vt dictum eſt) viſus enim terminatur ad colores,auditus ad ſonum, &c. Mens verò ad infinita ſe extendit, cùm vniuerſales rerum omnium rationes intelligit:innumerabiles ſiquidem homines ſub hominis ſpecie, innumera bruta, innumeras plantas, ſub ſuis generibus colligit:& cùm innumeræ propè rerũ naturæ ſint,vniuerſas mente complectitur. Ac præterea continua in infinitum diuidit,numeros abſque numero auget, tempus in præteritum abſque principio, in futurum abſque fine concipit, infinita ſucceſſiuè intelligit,& omni finito aliquid maius ſemper colligit. De infinito ſtatuit,quid ſit: corporea corporeis, incorporea corpoteis, incorporea incorporeis confert, & in iis infinitos gradus effingit; donec ad altiſſimum Deum perueniat, innumeris gradibus omnia tam corporea, quàm incorporea antecellẽtem:quò cum peruenerit, in eo infinita contemplatur infinitæ multitudinis attributa, atque hoc curſu ad infinita abſque fine progreditur,niſi ipſa ſibi finem, ac terminum imponat. Quænam id corporea natura, quæ materię prorſus immerſa eſt,præſtare poſſet? Mens ergo cùm ad infinita ſuapte natura properet, proculdubio incorporea exiſtimanda eſt.

Accedat decimaquinta ratio. Si anima corporea eſſet, & à corpore penderet, quò magis corpori coniuncta eſſet,eò meliùs ſe haberet.

A Cõſequẽtia patet;res enim quęlibet principio ſuo cõiuncta magis conſeruatur,ac perficitur; at contrà accidit;mens enim tunc præſtantior eſt, cùm magis à corpore, ac materia ſeiungitur. Id patet in duabus præſertim animæ viribus,intellectu ſcilicet,& voluntate. Cui enim non perſpectum eſt, intellectum, quò magis circa materialia occupatur, eò obtuſiorẽ reddi, ac obſcuriùs res intueri, cum ſæpè à ſenſibus, atque phantaſia decipiatur? At verò ſi à corporeis ſenſibus paulùm ſeipſum abſtrahat, ac expulſa phantaſmatũ caligine per ſe mente quippiam voluter, haud ſanè dubium eſt,

B quin tunc ſinceriùs rem attingat,ac veritatem faciliùs aſſequatur.Cùm ergo mens, quo longiùs à corporeis diſcedit,eò perfectiùs operetur,ſanè conſtat eam corpoream non eſſe.

Id etiam ex voluntate demonſtratur,nam quò magis voluntas corporeis voluptatibus immergitur, eò ampliùs perturbatur,ac labefactatur.Corporis enim voluptates (vt manifeſtum eſt)eò hominem impellunt,vt penè ratione expoliatum ad pecudum vitam, ac naturam compellant. Quid? ſi contrà voluntas corporea paruipẽdens ſeipſam in pietate,Religione,temperantia,ac cæteris moralibus vir-

C tutibus exerceat, an non exploratum eſt eam in diuinam ſimilitudinem transferri? Quamobrem id præclariſſimum teſtimonium eſt, eam à corpore minimè originem trahere.

His decimaſexta ratio ſuffragatur.Nulla virtus organica ſupra ſeipſam reflecti poteſt; id nótiſſimum eſt:nam(vt ait Auicen.6. naturalium)organũ ſemper mediat inter virtutem & obiectũ; nihil autẽ mediare poteſt inter ſeipſum: etenim virtus eſſet id quod ageret, & in quod ageret. At intellectus ſeipſum ſuámq; operationem,tũ ea quæ in ipſo ſunt, agnoſcit: quod bifariam contingit. Primò, quando ſui

Auicen. 6. natural.

D ipſius naturam inueſtigat, quærit, inuenit ac definit: ſecũdò, cùm ſe intelligit ac cõſiderat, & intelligit ſe intelligere. Volũtas item ſupra ſeipſam duobus modis reflectitur: primò in ipſius naturã cùm ſeipſam affectat,&amat:ſecũdò,in ſuũ ipſius actum,cùm aliquid vult,& vult ſe velle:atq; hæ velut quatuor rotæ ſunt, quibus rationalis animæ quadriga vehitur, ac ſupra corporis organa fertur. Hinc manifeſtũ eſt,neque intellectum,neq; volũtatem potentias organicas eſſe,aut extẽſas. Cũ verò quod nec quantũ,nec organicum eſt,materiale eſſe nõ poſſit:patet tam intellectum,quàm volun-

E tatem potentias omnino immateriales eſſe.

Confirmatur:nam vt dicit Auctor de cauſis, nullum diuiſibile ſupra ſeipſum reflectitur, cùm verò anima tam in intellectum, quàm voluntatem in ſeipſam redeat, ac refluat;conſtat eam indiuiſibilem eſſe,ac proinde immaterialem,& à corpore liberam.

Auctor de cauſis.

Altera, ac decimaſeptima ratio quoq; ex ipſa animi natura his annexa ſit.Quæcun-

que

Google

que corpori, ac materię alligantur, liberam ac ſolutam operationem habere non poſſunt. At animus liberè à ſeipſo ad operandum mouetur; animus igitur non eſt corporeus, aut materiæ alligatus. Maior declaratione magis quàm probatione indiget. Agentium enim vt cuique perſpectum eſt ex Philoſopho, quædam naturalia ſunt, quædam voluntaria. Naturalia quidem agentia quādoquidem materialia ſunt, ac corpori ſubijciuntur, ſuaptè natura ad vnum determinantur, neque eis liberum eſt ad oppoſitam, aut ad aliam, prætérquàm ad eam, quæ à corpore illis præſcripta eſt, operationem ferri.

Sitque exempli gratia. Quoties brutum eſurit, ac cōueniens illi pabulum offertur, ſtatim bruti appetitus mouetur, appetitus mouet membra, vt ad ipſum pergant. Quæro vnde is membrorum motus ſit? Ab appetitu: appetitus vnde? ab æſtimatione, æſtimat enim pabulum id ſibi idoneū eſſe ad famem extinguendam. At vnde æſtimatio? haud aliunde ſanè, quàm à forma ipſius cibi, ſeſe oculis ſuis ingerente, atque appetitum excitante. Quoties enim cibus ille bruto ſe offert, ac fames ingruit, toties ad eum brutum mouetur: hinc apertè elicimus motus illius principium non eſſe in anima, ſed in corpore bruti: neq; bruti corpus ab anima duci, aut ab ipſa moueri, ſed potiùs contrà illius animam, tam à cibo obiecto, quàm à corpore eſuriente trahi. Quod quadruplici ſigno confirmari poteſt.

Primvm eſt, quòd brutum eſuriens ſimul ac pabuli figuram aſpexit, aut olfecit, nulla interpoſita breuiſſimi temporis mora, ſtatim illud ſibi conuenire iudicat, atque appetit: quaſi illius anima omni virtute exuta ab ipſo cibo obiecto, ac corporis egeſtate tam in iudicādo, quàm in appetendo tantùm pendeat. Quod ſanè veriſſimum eſt, cùm ea ſit agentium naturalium natura, vt motus principiū à forma, vel à natura impreſſa, vel ab iis apprehenſa expectent, ſine qua moueri nullo modo poſſunt.

Secvndvm ſignū eſt, quòd brutum nunquā iudicare poteſt niſi de obiecto præſenti, quod ad illius corporis cōmodum, atque vtilitatem ſpectat: finis enim brutorū totus ad corporis cōmoda fertur; qui ſanè ab eodem principio, à quo & actionis motus, fluit; quod in brutis certiſſimū ſignū eſt illorū opus à corpore pēdere.

Tertivm eſt, quòd bruta nunquam, aut iudicium, aut appetitum retractant, aut illa vnquam facti alicuius pœnitet, quod manifeſtum indicium eſt illa ab vnico corporis principio moueri ad agendum.

Qvartvm denique eſt, quòd bruta nunquā operationis modum mutāt: nam apes eodem modo ſemper ſua aluearia componunt, omnes quoque hirundines nidum eadem forma conſtruunt: neq; aliter aranea hoc anno, quàm alio, telam ſuam texit. Omnibus denique naturaliter agētibus forma quædam, ac certa vis affixa eſt, ac à natura inſita, quæ cùm ab iis mutari non poſſit, planè conſtat eā non aliunde, quàm à corporum natura proficiſci. Patet igitur ex hac declaratione, quæcunque à materia in eſſendo pendent, determinatam operationem, ac operationis modum habere, vltra quem omnino agere non valent.

Minor verò adeò per ſeipsā nota eſt, vt planè is homo non ſit, cui illius veritas, aut ignota, aut nōdū perfectè perſpecta eſt; cùm eo ipſo quòd ſe hominem, ac rationalem exiſtimat, liberum ſe profiteatur; atque hæc hominis in operando libertas potiſſimū ſe in duabus animæ potentiis, intellectus, & voluntatis exerit. Intellectus enim vnica veritatis ſpeculatione non contentus, per omnes liberè peruagatur, neque vni ſpeculationis modo ſeſe adſtringens diuerſos inueſtigat: modò enim res ſimplices apprehēdit, nunc cōponit, deinde diuidit, ac diſcernit, poſtea definit; quandoque per vniuerſales rerū ſpecies ſe extendit, interdum phantaſmata ſpeculatur. Poſtremò in rebus agendis diu multumq; conſultat, & plerūque diuerſa ab iis, quæ illi phantaſmati obiiciuntur, colligit, eligit, decernit. Quid obſecro luculentiùs intellectus libertatem declarare poteſt? conſultatione namque fit, vt non anima rebus, ſed res animæ ſubiiciantur. Planè ſi homines naturę inſtinctu ratiocinarentur, id neceſſariò accideret, vt eadem omnium in ſingulis rebus eſſet opinio. Nunc autem cùm alij alio modo opinentur, iudicent, conſultent, ratiocinentur; palàm eſt intellectum non à natura, ſed à ſua libertate pendere.

Eodem modo & voluntas libera eſt, immò liberrima, ac totius in homine libertatis fons. Ea ſiquidem à nullo principio determinata, quæcunque vult eligit, quædam reſpuit, alia amplectitur, & quæ ſemel amplexa eſt, pro arbitrio reiicit, & noua ſequitur. Tanta enim eſt animi, ac voluntatis libertas, vt plerunque ſeipſa contenta, ſe ſolam velit, quo ſanè ſe ab omnium ſeruitute liberam declarat. Quandoque in actum ſuum circulo ſe reflectit, & nulla, aut coniectura, aut alterius motione perſuaſa, ſed ſua libertate potita, illum vel infirmat, vel confirmat. Interdum ſummam cuiuſque appetitus ſibi vacationē eligit, quò faciliùs in Deum feratur: in quo cum omnē cuiuſque obiecti actū interimat, eò ſe liberiorem demōſtrat, quòd nulli proprio ſeruit obiecto.

Hinc propoſitæ concluſionis veritas patet, Animū corporeū eſſe nō poſſe, cùm liberā ſui poteſtate fruatur. Quod illud tandem confirmat, quòd omnia vitæ ſtudia ad excolendam mentē, ac moribus exornandam conferr: quapropter cùm omniū officiorum finis ipſe animus ſit; hinc perſpicuum eſt, eorundē nō corpus, ſed animā principiū eſſe corporis expertē.

Hvic decimamoctauam rationem, ex ipſa

voluntatis natura petitam addimus. Si humana voluntas potentia materialis eſſet, ipſa cœlo ſubiiceretur, quemadmodum & alia ſublunaria corpora. Conſequentia eſt Ariſt. 3. Eth. vbi ait: *Manifeſtum eſt autem illud ſequi, quoniam materialia cælo ſubiiciuntur*: id verò tam abſurdũ eſt, quàm falſum, vt aliàs probauimus: hoc enim poſito virtus omnis & virium de medio tollerentur; virtutum præmia, & vitiorũ pœnæ penitus interirent. Cœlo verò nullo modo hominis voluntatem ſubiici, hinc apertiſſimum eſt, quòd ea futuros ac ſiniſtros caſus mente anteuertit: poſthęc aut prudentia vitat, aut magnanimitate calcat, quaſi hæc ad corpus, non ad animum pertineant. Si cœleſti neceſſitati ſemper animus ſubiicitur, quid eſt, quòd cùm cætera corpora, quæ cœlo ſubdita ſunt, ſimilibus ſemper, ac determinatis mediis ad ſuos fines pertrahantur: ſola hominis voluntas varia ſibi media quærat, quibus finem à ſe præſtiturum aſſequatur; atque hæc ſæpiſſimè mutet, & alia eligat? Si cœleſtia corpora naturæ inſtinctu voluntatem mouerent, quomodo tot diuerſos ſibi voluntas fines præſcriberet? vt notum eſt, tam in moralibus, quàm in artificialibus, vt vix vnũ amplexa ſit, quòd mox eo relicto, alterum eligit. Sed quoniam de his fuſiùs egimus in Demonſtratione primi ſymboli, ex his perſpicuum ſit hominis animũ nulli cœleſti neceſſitati ſubdi, ac proinde inter corporeas ſubſtantias non collocari.

Ariſt. 3. Eth.

SEQVATVR decimanona ratio, ex ipſo voluntatis imperio deprompta. Mens, ac volũtas toti corpori dominantur, ac illud ſuo imperio ſubiiciunt, atque eidẽ ſæpenumero repugnãt, quod nullo pacto pręſtare poſſent, ſi ab eo pẽderent. Antecedens eſt notum; nam voluntas cùm velut Regina humani regni habenas moderetur; imperium ita in omnia corporis membra exercet, vt cũcta ad nutum moueat; alia ad agendum excitet; alia ab actione cohibeat; hoc ſtimulet, illud compeſcat: ac pro rationis arbitrio ſępiſſimè corporis motibus aduerſetur. Quod ſanè quotidie experiũtur, qui animo, non corpori virtutibus excolendo ſedulam operam nauant. In iis enim ſæpè eſurienti corpori ieiunia indicit voluntas: cùm cibus & potus ad ſomnũ inuitat, ij corpus ad vigilias compellunt: ſi caro ad Venerem excitatur, animus honeſtatis fræno illam domans, ab ea abſtinendum iubet. Quoties obſecro illata contumelia, ſanguine circa præcordia ebulliente membra ad vindictam rapit, quæ tamen mens & ratio Dei lege perſuaſa, aut naturali pacis amore intus edocta, à vindicta iubet abſtinere? An non ſæpenumero obiecta vitæ pericula, ac ſæuiſſima tormenta corpus formidat: cùm voluntas Dei amore incẽſa, ac tuendæ fidei zelo æſtuans tormentorũ prælis occurrere, ac ſponte vitã profundere pro fide, pro Eccleſia, pro Chriſto præcipit? Huius rei A innumeros teſtes Martyres proferimus, Monachos, Cœnobitas, Religioſos, quorum tota cura, ac ſollicitudo in eo poſita videtur, vt inſanos, ac inordinatos corporis motus coërceãt, ac illius ſe velut hoſtes exhibeãt; denum complures quotidie diuerſis ſibi tum honoris, tum pacis, tum ſanitatis, tum iuſtitiæ, tum contemplationis propoſitis finibus, carnis affectibus reſiſtere cernimus; qui ſi nulla præterquàm corporea natura conſtarent; ſimul ac corporis affectio ad aliquid traheret, eò velut bruta proruerent.

E x quo illata cõſequentia patet. Cùm enim B nulla res ſponte ſuo principio repugnet (inde enim & proprius interitus ſequeretur; quod vniuerſa ſuapte natura, quoad poſſũt, refugiunt) ac præterea cunctæ rerum operationes à ſuis principiis fluant, vnde ortæ ſunt. Planè ſi corporeus animus eſſet, cùm ea quæ corpori repugnantia ſunt, amplectitur; ſecum ipſe pugnaret, & quod à corporum natura omnino alienum eſt, prudens, ac ſciens propriũ ſibi interitum moliretur. Hinc igitur manifeſtum ſit corpus animi principiũ nõ eſſe, nec corporeũ eſſe animũ, qui corporis cõmoda non tuetur.

C

De animarum origine contra Hæreticos.

ARTICVLVS V.

QVONIAM verò in hac Demõſtratione de animę origine, nõ ſolos Atheiſtas, ac Philoſophos, ſed ipſos quoq; Hęreticos aduerſarios habemus, atq; eò acriores, quò cæteris omnibus ſapientiores haberi volunt, ac diuinis vtcunq; Scripturarũ teſtimoniis, ſuo more deprauatis, errores ſuos contegunt: tertium nunc aduerſùs illos bellum inſtruimus.

HORVM cùm variæ ſententiæ, ſeu potiùs hæreſes de animæ origine à Patribus recenD ſeantur, vniuerſa hæc hæreſum monſtra ad quinque capita cogimus.

PRIMVM caput eos continet, qui animas à Dei ſubſtantia, tanquam diuinas quaſdam particulas excindi, proinde haud creari volũt. Quem errorem poſt Philonẽ Iudæum, Gnoſtici, Manichæi, Priſcillianiſtæ à Tullio, ac Stoicis acceptum, velut proprium ſibi vendicarunt: vt referunt Epiph. hæreſ. 46. & 66. Irenæus lib. 1. c. 24. & lib. 2. c. 31. Aug. hæreſ. 70.

Philo.
Gnoſtici.
Manichæi.
Priſcillian.

SECVNDVM eos complectitur, qui animas rationales, corporeas, atque à parẽtum ſemine genitas affirmant. Hic error primùm fuit pleE beiorum illorum Philoſophorum, quos nuper cõfutauimus; deinde Auicennæ, quem ab his hauſtũ primus inter Chriſtianos docuit Tertullianus, vt refert Pamelius in Paradox. Tertull. quem poſtea amplexi ſunt Apollinariſtæ, vt teſtatur Hier. epiſt. ad Marcellinum & Nemeſ. de anima c. 2. rum Luciferiani, teſte Aug. hæreſ. 81. & Rabbano de vniuerſo cap. 10. Pręterea Fauſtus Regiẽſis, Armenij, ac rãdem

Tertullian.
Apollinariſtæ.
Luciferiani.
Fauſtus Reg.
Armenij.

Magde

Magdeburg. Magdeburgēſes Cent. 5.c.4. vbi inter næuos, & errores Auguſt. hoc referunt; quòd animas docuerit non eſſe ex traduce. Huic errori *Mart. Luth.* videtur applaudere Martinus Lutherus diſput. Theologica habita Vuittembergæ anno 1545. theſi 31. vbi Axioma illud Theologicum improbat, intellectiuam animam infundendo creari, & creando infundi.

IN tertio ſunt, qui nouas animas modò à Deo creari negant, ſed omnes ſimul ab initio creatas, nunc tantùm in corpora infundi exiſtimant. *Origenes.* Cuius erroris auctor fuit Origenes ad Pſal. 89. & in Hierem. cap. 24. & 28. quem *Priſcillian.* etiam ſequutus eſt Priſcillianus.

IN quarto ij continentur, qui animas neque à Deo creari, neque infundi; ſed à corporibus in corpora non tam hominum, quàm ferarum, volucrum, reptilium tranſmigrare docent. Pythagoricus hic error fuit, quem deinde, *Gnoſtici.* tum Gnoſtici nonnulli, tum Albigenſes *Albigenſes.* receperunt, vt teſtantur Guido Anton. & Bernardus Lutzemburg de Albigenſib.

QVINTVM denique caput confingunt *Libertini.* Libertini, qui (vt refert Caluinus cont. Libert. cap. 11.) animam rationalem penitus conuellunt, & vnicum tantùm eſſe Dei ſpiritum in cunctis animantibus, animarum loco viuentem, vegetantem, ſentientem, ac intelligentem contendunt.

SED ad primi capitis hæreticos redeamus, qui animam à Dei ſubſtantia auulſam, & quaſi abſciſſam exiſtimarunt. Hi illo præcipuè fundamento inniti viſi ſunt, quòd Moyſes Gen. 2. hominis originem pertractans, illius *Gen. 2.* animam Dei ſpiraculum appellat. *Et inſpirauit* (inquit) *in faciem eius ſpiraculum vitæ*; perindè ac ſi Deo in hominem iam ex limo formatum inſufflante, pars diuini ſpiritus ex illius ore egreſſa hominis animam conſtituiſſet. At hi ſummopere hallucinantur. Primò quidem quòd hi ſpiraculum illud pro diuino Spiritu vſurpant, cum halitum duntaxat, ac flatum ſignificet, quod ipſa Hebræa vox declarat. Hebraicè namque pro voce *ſpiraculum*, habetur נשמה *niſmat*. quæ vox *halitum* ſignificat, à נשם *naſſim*, quod eſt *anhelitum emittere, anhelare* (vt notat Paguinus in Lexico.) At quis halitū, qui ab hominis ore egreditur, humani ſpiritus partem eſſe cenſeat? Secundò, quòd Deum corporeum eſſe arbitrantur, cui halitum, ac reſpirationem tribuunt, cùm tamen ab omni materia (vt aliàs probatum fuit) quàm longiſſimè abſit. Quare nec halitum, nec ſpiraculum, quale ab hominibus egredi ſolet, à Dei ore proceſſiſſe certum eſt: cùm corpore, ac proinde pulmone, ore, reſpiratione omnino careat, vnde halitum hauriat: ſicut nec corporalis locutio fuit, cùm in rerū creatione dixit; *Fiat lux fiat firmamentum*, efficax enim tantùm mentis imperium fuit, quo omnia ex nihilo prodire iuſſit, non articulata oris vox: ſed

A eo loquēdi modo vſus eſt Moyſes, vt incomparabilem Dei auctoritatem, ac poteſtatem in res omnes, tam quæ ſunt, quàm quę non ſunt, hominum animis inſinuaret: & cùm ſolo Dei verbo, ac imperio cuncta prodire audiūt, Deo ita facillimum fuiſſe mundum cōdere declararet, quàm homini facile eſt, aut verbū proferre, aut cogitationem fingere, vt optimè explicat Theod. in q. ſup. Gen. q. 9. *Non præcepit* *Theod. in q. ſup Gen. q. 9.* (inquit) *Deus alteri cuidā creare, ſed quæ non ſunt, vocat; ita vt hic præceptum ſit ipſa voluntas: omnia enim ait Dauid, quæcunque voluit, Deus fecit: quod ſi creando voce quadam vſus eſt, certum eſt, hoc non* B *elementorum inanimatorum cauſa, ſed inuiſibilium virtutum gratia factum eſſe, vt ſciant, quòd ipſo iubente ea quæ non ſunt, ſubſiſtant.* Ita cùm inſufflationis, aut inſpirationis vocabulo creatam, ac inditam homini animam eſſe dicit, nihil corporale ſuſpicādum eſt ex Deo prodiiſſe, quo anima fuerit efformata. Quod apertè docet Magiſt. ſent. lib. 2. diſt. 27. *Corpus* (inquit) *Magiſt ſent. lib. 2. diſt. 27.* *de limo terræ formauit Deus, cui animam inſpirauit, vel ſecundùm aliam literam, flauit, vel inſufflauit: non quòd faucibus ſufflauerit, vel manibus corporeis corpus formauerit. Spiritus enim Deus eſt, nec lineamentis membrorum compoſitus: non ergo carnaliter* C *putemus Deum corporis manibus formaſſe corpus, vel faucibus inſpiraſſe animam: ſed potiùs hominem de limo terræ ſecundùm corpus formauit iubendo, volendo, id eſt, voluit, & verbo ſuo iuſſit, vt ita fieret. Et inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, id eſt, ſubſtantiam animæ, in qua viueret, creauit; non de materia aliqua corporali, aut ſpirituali; ſed de nihilo.*

Eo igitur in primis inſinuare voluit Moyſes cùm homini animam à Deo inſufflatam eſſe dixit, tam facilem Deo fuiſſe rationalis animæ creationem, quàm facile homini eſt flatū ex ore ſuo emittere: quę ratio eſt Theod. *Theod q. 23. in Gen.* q. 23. in Gen. *Si ex inſufflatione Dei* (inquit) *crea-* D *ta eſt anima, erit vtique anima ex ſubſtantia Dei: extremæ impietatis eſt, & blaſphemiæ ſententia huiuſmodi: nam per hoc Scriptura diuina facilitatem creandi demonſtrauit.*

DEINDE eo loquendi modo declarauit differentem penitus eſſe corporis, & animæ creationem: nam corpus quidem ex limo terræ formatū eſt: anima verò nobiliorem creationis modum aſſequuta ex Dei inſpiratione originem accepit: atq; ob id cùm corpus velut Dei manibus compactum materiale eſſe deſignauerit: animā velut Dei ſpiritu profectam, non eductam de potentia materiæ, aut corpo- E reā; ſed ſpiritualē, atq; extrinſecus à Deo homini inſpiratā ſignificauit. Quam rationē proſequitur idē Theod. loco citato: *Præterea etiam* (ait) *ipſius animæ naturam non obſcurè declarauit, nempe ipſam eſſe ſpiritum creabilem, inuiſibilem, & intellectiuum, expertem craſſitudinis corporeæ.*

Accedat quòd hæc ipſa Dei inſpiratio, qua rationalis anima condita eſt, eam maximè docet cæteris omnibus animantibus natura

Digitized by Google

Chryſ ho.12. in Gen.

præcellere, vt ſentit D. Ioan. Chryſoſt. hom. 12. in Gen. *Vt doceat* (inquit) *nos, quòd formatum hominem de terra, miſericordia Domini, & rationalem animæ eſſentiam habere voluit, per quam animal hoc abſolutum, perfectúmque fieret. Et inſpirauit* (inquit) *in faciem eius ſpiraculum vitæ.*

Gen. 2.

Poſtremò animam à Deo efflatam, & illius inſpiratione conceptam eſſe dicit, vt æternorum capacem, & cœleſtis gratiæ, ac ſapientiæ participem eſſe oſtenderet: quod diſertiſſimè tradit D. Athanaſ. in quæſt. de anima & mente. *Homo* (inquit) *ex inſpiratione diuina ſuam animam accepit; ideo res diuinas agnoſcit, ſuperna perſequitur, ac res cæleſtes intelligit; éſtque rationalis, & mente præditus.* At verò vt eos confodiat, qui illum Dei flatum in hominis corpus immiſſum, tanquam diuini Spiritus particulam in animam coaluiſſe cenſent; ſtatim ſubdit: *Cæterùm nemo exiſtimet, quòd ille ſpiritus, quem in hominem inſufflauit Deus, factus ſit anima: abſit, ſed ſpiritus ille perficit animam. Nam ſi in homine ſpiritus ille eſſet anima, eſſet nimirum ex Dei eſsētia. Si ergo ex Dei eſſentia eſſet anima, inalterabilis vtique ſemper eſſet, & immutabilis, qualis eſt Deus, inquit enim ipſe. Ego ipſe ſum, & nō ſum permutatus.*

Athanaſ. in quæſt. de ani. & mente.

Potrò animam ex Dei ſubſtantia deſumptam eſſe adeò Chriſtianæ Religioni inauditum eſt, vt huic errori omnes ſacræ literæ aduerſentur: nam cùm Moyſes Geneſeos cap. 2. affirmet, hominem ad imaginem Dei conditum eſſe; planè certum eſt, id non ad corpus, ſed ad animam referri: Dei ſiquidem, qui incorporeus eſt, immortalis, & immutabilis, imago in corpore eſſe non poteſt; quod terrenum, mortale, ac in horas ſingulas mutabile eſt; vt docet Aug. de Gen. ad lit. lib. 6. c. 12. his verbis. *Si & hominem de terra, & beſtias de terra ipſa formauit Deus, quid habet homo excellentius illis? niſi quòd ipſe ad imaginem Dei creatus eſt; neque hoc habet ſecundùm corpus, ſed ſecundùm intellectum mentis.* Idem etiam ſentit Bern. ſuper Cant. ſerm. 20.

Aug lib. 6. de Gen. ad lit. c. 12.

Bern. ſuper Cant ſer. 20.

Cùm igitur Moyſes factam animam ad Dei imaginem docet: certè hoc ipſo à Dei ſubſtantia alienam eſſe indicat. Neque enim idem eſſe poteſt imago cum eo, cuius eſt imago. Imago namque relationem inducit, relatio diuerſitatem, diuerſitas naturarum, aut ſaltem eſſentiarum diſtinctionem parit. Id patet in hominis imagine in tabella depicta, vel in ſpeculo repræſentata, quæ alterius naturæ, ac rationis eſt ab homine: vel in filio, qui cùm ſit imago patris, eo ipſo diuerſam à patre eſſentiam habet. Demum imago ea ratione, qua imago eſt, diſtinctionem indicat.

Ita anima cùm Dei imago ſit, nullo modo illius ſubſtantia dici poteſt. Nam cùm idem ſuipſius imago eſſe non poſſit: ſi Dei ſubſtantia eſſet, ſanè non Dei imago, ſed ipſa Deus eſſet. At cùm Dei imago ſit, neceſſe quidem eſt eam ad Deū referri, vel ſecundùm naturæ

A ſpiritualis excellentiā, vel ſecundùm ſui amplitudinem, qua Dei ipſius capax eſt, vel ſecūdùm trinas, ac diſtinctas animæ potentias. Ab eo tamen tāquam rem conditam à cōditore, vel tanquam imaginem à prototypo opus eſt diſtingui: quare Dei ſubſtantia dici nō poteſt.

Impia hæc ſententia omnibus ferè Scripturarum teſtimoniis oppugnatur; atq; iis præſertim, quæ Dei odium, aut vindictam, aut perditionem peccatoribus minantur. Quòd ſi anima ex Dei ſubſtantia eſſet, ſubſtantiam ſuam quomodo aut odiſſe, aut perdere, aut flammis æternis addicere, aut perpetuò excruciandam

B Deus mancipare ſuppliciis valeret? Quamobrem omnino reiiciēda eſt tanquā explorata hæreſis, damnata in Conc. Braccar. 1. c. 5. hoc verborū tenore: *Si quis animas humanas, vel Angelos ex Dei credit ſubſtantia extitiſſe, ſicut Manichæus & Priſcillianus dixerunt, Anathema ſit.* Eandem velut impiam reiicit Conc. Tolet. 1. in aſſertione fidei. His per omnia conſentiunt vniuerſi Patres. D. Athanaſ. in quæſt. de anima, & mente. Peluſ. lib. 3. ep. 95. Theod. q. 23. in Gen. Procop. in c. 1. Gen. Amb. ep. 21. D. Hier. ep. 61. aduersùs errores Io. Hieroſol. c. 6. Aug. de origin. animæ. Iſidor. Hiſp. de differentiis lib. 1. c.

Conc. Braccar. 1 c. 5.

Cōc. Tolet. 1.

Athanaſ. Iſid. Peluſ. Theodoret. Procopius. Ambroſ. Hieron. Auguſt. Iſid Hiſp. Eucherius. Hug. Vict.

C 26. Eucher. lib. 1. in Gen. c. 12. Hug. Victor. Inſtitut. Monach. de anima lib. 2. cap. 26. & alii.

At hæreſis hæc non ſolùm cum Scripturis, Conciliis, ac Patribus pugnat; ſed cum ipſa fide, ac ratione æquè bellum gerit. Nam ſi anima eſt pars diuinæ ſubſtantiæ, cùm quælibet Dei pars Deus ſit; quid prohibet animam Deum appellare? Quid ergo Socratem, aut Platonem homines appellamus? cur nō magis Deos; cùm denominatio ſemper à digniori fiat? Dignior autem in homine pars anima eſt, quam Dei ſubſtantiam eſſe volunt. Deos igitur illos, & quotquot homines nuncupan-

D tur, dicamus. Quò tandem humana ſpecies euaneſcet? Valeat igitur homo, neque ſe hominem ampliùs, ſed Deum eſſe ſentiat.

At ſi homines Deos exiſtimamus; tot ſanè Dii erunt, quod homines exiſtunt. Diuina ſi quidem illa pars Deum vnum quemque conſtituit. Dii ergo recentes quotidie naſcantur, quotidie intereant, neceſſe eſt. An non fabuloſiùs, quàm vnquam Poetæ, ac Pagani finxerint, Deorum multitudinem in orbe ſtatuent? Planè qui hoc putant, omnem tum fidem, tum Religionem è mundo expellunt.

Præterea pars illa diuinæ ſubſtātiæ à qua ani-

E ma excinditur, vel eſt finita, vel infinita. Porrò abſurdum eſt eam finitam aſſerere: cùm Deus eo ipſo, quòd vndequaq; infinitus eſt, quālibet ſui partem habeat infinitam. Infiniti enim naturę repugnat finitam aliquā partem, quę tandem abſumi poſſet, in ſe includere. Quapropter ſicut pulchro nō poteſt ineſſe nō pulchrū, aut frigido non frigidū, ita Deo infinito nulla pars aſſignari poteſt, quæ non ſit infinita: nam

ſi finita

ſi finita aliqua pars illi tribueretur, illa nequaquã Deus eſſet: neq; ſi omnes Dei ſubſtãtiæ partes finitę eſſent, Deũ conſtituerent, cũ totũ quod finitis partibus conſtat, neceſſariò finitum ſit. Tot igitur finitæ partes à Diuina ſubſtanria abſcindi poſſent, vt tandem illam abſumerent. Quid hoc abſurdius?

Pars igitur illa Diuinæ ſubſtantiæ, quæ in animam euaſit, infinita ſit, oportet. Conſtitutam verò ex ea animam, quis non infinitam iudicet? At ſi infinita eſt; quid eſt, quòd locorum anguſtiis coarctatur? cur vbique tota terrarum orbem non implet? cur intimos quoſque montiũ, ac marium ſinus, ac receſſus non peruadit? cur hominum, ac Angelorum cogitationes non perluſtrat? cur infinita extra mundum ſpatia non replet? Præterea ſi Deũ om̃ipotentem in ſua ſubſtãtia gerit, cur ipſa non omnia poteſt? ſi beatiſſimum, & glorioſum: cur ipſa miſera eſt, & tot calamitatibus obnoxia? ſi nullius rei indigum; cur ipſa tot rebus ad ſui perfectionem indiget? ſi incircũſcriptum; cur ipſa à corpore circunſcribitur? ſi Deum ab omni labe puriſſimum intimum circunfert; cur ipſa plerunque culparum maculis deturparur? ſi pium, cur ipſa impia? ſi bonum, cur ipſa mala?

Athanas. quæſt. de anima & mente. Denique vt cùm D. Athanaſio concludam in quæſt. de anima & mente. *Si ex Dei eſſentia eſſet anima, inalterabilis vtique ſemper eſſet; & immutabilis, qualis eſt Deus. Anima autem interdum quidem ſtulta eſt, interdum ſapiens, interdum peccatrix, interdum iuſta: & alio quidem tempore fidelis, alio verò tempore incredula, aliquando rerũ ignara, aliquando ſciens; nonnunquam prompta, aliquoties tarda: cùm hæc in ſe habeat anima, quonam pacto dici poteſt, quòd ex Dei ſit eſſentia?* Hæc certè animam procul à Dei ſubſtantia arcent.

Aliorum extrema, ac non minùs improbata hæreſis eſt, qui aſſerunt animas eſſe ex traduce, & à parentibus cum corpore ſeminatas in prolem corporum more propagari, quem errorem diximus eſſe Tertulliani, ac Apollinariſtarum, & Luciferianorum, & aliorum, qui animas corporeas ac materiales eſſe exiſtimarunt, quibus vniuerſæ penè Scripturæ contradicunt.

Zachar. 12. Ac in primis Zachar. 12. *Dicit Dominus* (inquit) *extendens cælum, & fundans terram, & fingens ſpiritum hominis in eo.* Conditum in homine ſpiritum fuiſſe à Deo vates commemorat: quemadmodũ & priot dixerat Moyſes Gen. 2. cùm ex luto effícto hominis corpore inſpiratam illi à Deo animam recenſuerat: vbi illud maximè notandum eſt, Zachariam non dixiſſe Deum ſpiritum hominis cum homine, ſed in homine effinxiſſe: nam ſi priori modo dixiſſet, ſuſpicari quidam poſſent; an is cũ corpore effictus, è potentia materiæ eductus eſſet: vel de ipſa corporea ſubſtantia à Deo formatus. At verò cùm eum in corpore effi-

A ctum eſſe dixerit, corpus iam formatum eſſe indicat; ac propterea immiſſum illi ſpiritum à corpore educi nõ potuiſſe. Quapropter qui eximiam humani corporis ſtructuram membrorum varietate, ac omnium partium ordine, ac functione ita optimè diſpoſitam admirantur, tantundem animæ præſtantiam maximè admirari debẽt; quæ niſi incorporea in eo à Deo condita eſſet, neque ſpiritus à Zacharia nuncuparetur, neque eidem rationem, ac intelligentiam, aut ordinatam membrorum functionem ſubiecta rationis regula tribuere poſſet.

B Corporis quidem, ac membrorum ortum à parẽtibus proficiſci nemo ignorat. Ea quippe parentum ſemini à Deo eſt indita vis, vt illa prorſus ratione, qua ipſe primi hominis corpus efformauerat, eo deinceps cæterorum corpora propagarentur. At animæ eadẽ prorſus à Deo creatio manat, quæ ab initio extitit, cùm illam ſua inſpiratione excitauit. Quapropter cùm ea à Deo ſpirituali natura prædita (vt Zacharias teſtatur) cõdita fuerit, eam à corpore alienam eſſe oportet. Spiritus enim (vt ait Chriſtus Luc. 24.) carnem, & oſſa non habet; *Luc. 24.* cùm verò corporea non ſit, quo pacto C in corporeo ſemine includi, aut cum eo ſeminari poteſt?

Illud verò magis exploratum erit, ſi id nobis certò perſuaſum ſit, illud duntaxat in hominis generatione parẽtes efficere, quod olim Deus in efformatione corporis Adę ab initio præſtitit. *Formauit autem Deus* (ait Moſes) *hominem de limo terræ.* *Gen. 2.* At nũquid formato corpore ſtatim ex ipſo anima erupit? haud ſanè; alia namque ac diuerſa fuit animæ productio, *& inſpirauit* (inquit) *in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* Priùs formatum corpus fuit, deinde inſpiratione illi D data eſt anima: non igitur ex corpore anima proſiliit, aut à corpote profecta fuit, aut eodẽ conditionis modo, quo corpus à Deo conditum fuit, illa originem ſumpſit; ſed Deo flante, ac per flatum creãte, anima corpori infuſa eſt. Solus igitur Deus eſt, qui ſicut cœlum retendit, ac terram fundauit, ita ſpiritũ hominis in eo finxit, vt Zacharias ait. Atque ita hunc locum exponunt D. Aug. de origine animæ *Auguſt.* ad Optatum, & D. Hieron. epiſt. 61. aduerſus *Hieron.* errores Io. Hieroſolymitani.

Hunc errotem quoque improbat Eccleſiaſt. 12. illis verbis; *Eccleſ. 12.* *Vt reuertatur puluis in terram* E *ſuam, & ſpiritus ad Dominum, qui dedit illum.* Ex his enim verbis Hieron. in hunc locum huius *Hieronymus.* erroris confutationem venatur. *Ex quo* (inquit) *ſatis ridendi ſunt, qui putant animas cum corporibus ſeri, & non à Deo; ſed à corporum parentibus generari. Cùm enim caro reuertatur in terram, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum; manifeſtum eſt, Deum patrem animarum eſſe, non hominem.*

Sed eundem ita aperriſſimis verbis damnat

2. Machab. 7.

A 2. Machab. libet c. 7. vt planè mirum ſit, quo pacto in Chriſtianum hominem hic error cadere valeat. Etenim generoſa illa ſeptem filiorum mater natos pro patriis legibus morientes aſpiciēs, ſi affatur. *Neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis, neque enim ego ſpiritum, & animā donaui vobis, & vitam: ſed enim mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem: quique omnium inuenit originem; & ſpiritum vobis iterū cum miſericordia reddet, & vitam.* Quid apertius? quid luculentius? *Non ego ſpiritum donaui vobis*, non pater, non mater, nō ſemen ſpiritum tribuunt: quid enim corporeum ſemen prætet-
B quàm corporeum donare poteſt? quæ vis, quæ ratio fateri cogit, vt quod nec animatum, nec ſenſitiuum eſt, intellectiuum pariat? Planè à corpore, aut à ſeminis finibus virtus illa haud manare poteſt, quæ intima in mētem ſeſe diffundit; quæ menti rationem præſtat; quæ toti corpori dominatur; quæ corpore proſtrato ſola aduerſis reſiſtit; quæ ſenſu formidante ſiniſtra non metuit; quæ pereunte corpore in tormentis gaudet; quæ Tyrānos deludit; quæ illecebras cōtemnit; carnem & ſanguinem ſuperat; paſſiones corporis domat; ſupra corporea eleuatur; cœleſtia velut propria contem-
C platur; ad Deum aſpirat; atque cum denique intimo charitatis vinculo complectitur. Hæc cùm præſtantioris naturæ officia ſint, quàm corporea exercere valeat, quis nobiliorem etiam originem, ac principium à Deo illam nanciſci nō certiſſimè ſibi perſuaſum habeat?

Marc. 8.

H i s opportunè accedat quod ait Chriſtus Marc. 8. *Quid enim proderit homini, ſi lucretur mundum totum, & detrimentum animæ ſuæ faciat? aut quid dabit homo commutationis pro anima ſua?* Hoc ſanè dicto Saluator animam rebus omnibus corporeis meliorem, ac præſtantiorem eſſe indicat: nam cùm in hiſce mundanis
D rebus nihil adeò præſtās inueniri poſſit, quod cum animæ nobilitate cōparari queat: quid? an non eo ipſo declarat, animam rationalem rerum omnium corporearum naturas antecellere? at ſi corporea eſt, & à corpore pendet; quid corporeis rebus potior eſſe exiſtimatur? quid nobilitatis? quid excellentiæ præ cæteris ſibi vendicat; cùm eandem cum illis naturam ſortiatur?

H v c ſpectant vniuerſa illa Scripturarū loca, quæ ſuperiùs contra Anabaptiſtas pro animæ incorporeitate attulimus; ac ea prætetea, quæ hominis animam ſpiritum appellant: ne-
E que enim ſpiritum appellatent, qui alterius naturæ eſt à rebus corporeis; ſi eam à corpore naſci ac ſeminari credendum proponerēt: atque huc etiam ea loca pertinent, quæ animam immortalem docent, de quibus infrà agemus. Ex quibus apertè conſtat contra Tertullianum, ac cæteros huius erroris ſectatores, Hæreſim hanc aduerſùs totam Scripturam pugnare.

A N e q v e ea tantùm à ſacris literis exploditur: ſed ab omnium etiam Patrum conſenſu damnatur: tametſi nōnihil hæreat D. Aug. in aſſertione huius articuli; cui res omnino difficilis viſa eſt, neque facilè definienda; vt patet ex his, quæ ſcribit in lib. 10. de Gen. cap. 23. Attamen, etſi ibi quodammodo incertam animæ originem propoſuerit ob infeſta Hæreticorum argumenta, quæ illi difficillima, ac penè inſolubilia videbantur; atque illud maximè, quod de peccati originalis transfuſione obiiciebatur; de quo mox agemus. Alibi verò, ac ſæpe hunc velut exploratū errorē cōfutat,

Aug. lib. 10. de Gen. cap. 23.

B primùm in epiſt. ad Hiero. de origine animæ, tum in alia ad Optatum, de eadē animæ origine, vbi in Tertullianum inuehitur, his verbis. *Qui animas ex illa vna propagari aſſerunt, quā Deus primo homini dedit: atque ita eas ex parentibus trahi dicunt; ſi Tertulliani opinionem ſequuntur, profectò eas non ſpiritus, ſed corpora eſſe contendunt: ex corpulētis ſeminibus exoriri: quo peruerſius quid dici poteſt? Neque hoc Tertullianum ſomniaſſe mirādum eſt, qui etiam ipſum Creatorem Deum non eſſe niſi corpus opinatur. Qua dementia repulſa à corde, & ore Chriſtiano, quiſquis animam ſicuti eſt, non eſſe corpus, ſed ſpiritum confitetur*, &c.

Aug epiſt. ad Hieron. & ad Optatum.

C A t illud obſeruandum admoneo, Auguſtinum nunquam in ea ſentētia fuiſſe, vt animas à parētum ſemine ſatas, velut corporeas, & à potentia materiæ eductas aut crederet, aut in hac ſententia incertum ſe gereret; hāc enim ſemper damnauit; neque dubitauit Auguſtinus; an vna anima generetur ex alia; vt anima filij ex anima patris. Hūc enim errorē refellit in lib. quæſt veteris ac noui Teſtamēti quæſt. 22. his verbis. *Inhoneſtum puto, ſi dicantur animæ cum corporibus generari, vt anima naſcatur ex anima, quod nec animæ ipſi competit* Dubitatio Auguſtini ob quam latere animæ originem
D exiſtimauit, ea fuit: An ex vna illa anima primi hominis cæteræ omnes traducerentur Ita enim dubitationē proponit in epiſt. ad Optatum, quę eſt apud Hieron. tomo vltimo. In eo (inquit) quod legitur; Qui finxit ſingillatim corda eorum. Si per corda ſignificatæ ſunt animæ, fingi eas poſſe quis dubitet? ſed quæritur vtrùm ex vna anima hominis primi, ſicut fingit ſigillatim facies hominum, ex vno tamen corpore hominis primi: atque eandem dubitationem inferiùs repetit, & in epiſt. ad Hieron. tum in lib. de origine animæ.

Aug. lib. quæſt veter. ac noui Teſtamenti quæſt 22.

E E t licèt in oppoſitam ſententiam, quæ nūc Catholica eſt, ſemper propenderit, vt perſpicuum eſt ex primo lib. de origine animæ cap. 19. & ex epiſt. 28. ad Hieron. tum ex epiſt. 157. ad Optatum; vbi illum hiſce verbis compellat. *Et ſi inueneris, quod te quærere admonui, quod ipſe adhuc (fateor) non inueni; defende quantùm potes; atque aſſere animarū infantium eiuſmodi eſſe nouitatem, vt nulla propagatione ducantur; & nobiſcum quod inueneris, fraterna charitate communica.*

Epiſt 157. ad Optat.

Digitized by Google

nica. Si autem non inueneris, nec ſic iam temerè in aliam ſententiam tua deflectat aſſenſio, vt eas ex illa vna credas propagando traduci: ne fortè alius inuenire poſſit, quod ipſe non poſſis, aut aliquando inuenias, quod nunc non potes. Ex quibus patet noſtram ſententiam magis ſemper Auguſtino placuiſſe. Dubium tamen aliquando, ac cunctabundum reddidit argumentum, quod ab Hæreticis Pelagianis obiiciebatur de transfuſione peccati originalis. Quod idem Aug. teſtatur in eadem epiſt. ad Opcatum, his verbis. *Si potes animas ſic alienas à propagine defendere, vt tamen hoc chirographo, quod ſola Chriſti morte rumpendum eſt, rectiſſima ratione demonſtrentur obſtrictæ: non ſolum nemine prohibente defende; verùm etiam id nobis, quomodo tecum defendere poſſimus, oſtende. ſi autem non potes, meliùs origo animæ latet.*

Pelagianorvm verò argumentũ hoc fuit, quo peccati originalis transfuſionẽ negabant. Peccatum ab anima contrahitur, non à corpore: at anima nõ propagatur ab Adamo, ſed tantùm corpus. Igitur peccatum originale, quod ab anima contrahitur, non transfunditur ab Adamo.

At ſanè mirum nõ eſt Auguſtinum in hac re hæſitaſſe, ac Pelagij argumentum velut inſolubile duxiſſe: cùm ipſe originis peccatum, tam in animæ, quàm in corporis vitio ſeorſim reponeret: cùm verò vitium hoc ſeu macula, qua tam corpora, quàm animæ fœdantur, nõ niſi ab Adam proficiſci queat: inde illi difficillimum viſum fuit, originale peccatum in Adæ poſteros transfundi, niſi ij quemadmodũ corpus, ita & animam ab Adæ anima propagatã acciperent. Id explicat l. 5. aduerſ. Iulian. cap. 3. vbi de peccato originali agens, ait. *Profectò aut vtrumque vitiatum ex homine trahitur; aut alterum in altero, tanquam in vaſe vitiato corrumpitur: vbi occulta iuſtitia Diuinæ legis includitur. Quid autem horum ſit verum, libentiùs diſco, quàm dico; ne audeam docere, quod neſcio.* Et quoniam in hac re Auguſt. dubius fuit, incertam etiam, ac dubiam de animæ origine ſententiam ſuam propoſuit.

Lib. 5. aduerſ. Iulian. cap. 3.

Qvod verò tũc Auguſtino dubium fuit, id apud omnes poſteriores Patres, qui Auguſtinũ deinde ſequuti ſunt; atque apud ipſum Eccleſiæ conſenſum velut certiſſimum habitum fuit; qui ſoluto Pelagij argumento, hominum animas non ex Adæ anima traduci, aut propagari; ſed de nouo à Deo ex nihilo creari docent: ita D. Hilarius lib. 10. de Trin. D. Ambroſ. lib. de Noë, & arca, c. 4. Item lib. de Parad. cap. 11. D. Hieron. lib. 3. Apolog. adu. Ruffinum, & in epiſt. ad Pammachiũ: vbi inter Eccleſiaſtica dogmata illud refert; animas quotidie à Deo fabricari. D. Chryſoſt. hom. 23. in diuerſa loca Matt. Cyrillus libr. 1. in Io. c. 9. Procopius ad cap. 4. Exod. Gennadius de Eccleſiaſt. dogmat. c. 13. Primaſius ad 4. cap.

Hilarius. Ambroſ. Hieronym.

Chryſoſt. Cyrillus. Procopius. Gennad. Primaſius.

A epiſt. ad Rom. vbi affirmat ſummoperè cauendam eſſe opinionem, quæ dicit: ſicut caro ex carne Adæ: ita animam noſtrã ex anima Adæ occulta Dei operatione creari. Idem ad c. 12. epiſt. ad Hebræos, nouas quotidie creari animas docet. Rabanus de vniuerſo lib. 4. c. 10. Hugo Victor. inſtit. Monaſt. de anima cap. 27. Magiſter. ſent. lib. 2. diſt. 17. atque vt cæteros omittam hanc eſſe omnium Orthodoxorum ſentẽtiam tradit Rupertus Tuitienſis in Gen. lib. 2. c. 21. his verbis. *Hominum animas non ex traduce fluere omnium Orthodoxorum vna eſt ſententia: ne, quod ridiculum eſt, tot conſequatur quotidie*

Rabanus. Hugo Vict. Mag. ſent. Rupertus.

Rupert in Gen lib. 2. c. 21.

B *die animas perire, quot pereunt ſemina. Quare ergo inquis, omnes in Adam moriuntur, ſi non ex traduce, id eſt, ex viro ſemen fundente pariter & animæ deriuantur? quia vterque ſcilicet, maſculus, & fœmina præuaricator, & vterque Adam eſt; rectè is, qui naſcitur, & moritur, in Adam mori dicitur; quia videlicet hereditate vitæ, quam parens vterque iuſtè perdidit filius iuſtè priuatur.*

Sed quoniam ex hac Ruperti ratione Pelagiani argumenti, quod à nobis ſuperiùs propoſitum fuit, ſolutio manat, ea paulò fuſiùs explicanda eſt. Peccatum originale non ex copulæ libidine, vt olim Aug. exiſtimauit lib.

C 1. de peccatorum meritis, & remiſſ. cap. 9. lib. 1. de nuptiis & concupiſc. c. 24. & l. 5. in Iulian. c. 9. neque ex aliqua fœditate ab Adæ carne in noſtra carne relicta, quã aliqui qualitatem morbidam appellant, qua anima inficiatur; neque ex macula ex Adæ anima in noſtram animam profecta à nobis contrahi, certum eſt apud omnes Orthodoxos: Nam qua ratione parentum libido proli imputari debet, cùm (teſte Ezechiele) Deus patrum iniquitatem haud filiis imponat? Quid? ſi matrimonij actus, ac copula abſque libidine exerceatur; quod nemo in piis coniugibus negare audet,

D cùm ſecus mala eſſet matrimonij copula, quę ſine peccato exerceri non poſſet, quod ab Eccleſia damnatum eſt in Trid. Conc. ſeſſ. 8. Can. 1. num fœtus originali culpa carere cenſendus eſt?

Conc Trid. ſeſſ 8 Can. 1.

Porro quod ad illam carnis fœditatem ſpectat, quo pacto intelligi poteſt originalem culpam à carne proficiſci, quæ peccati omnino eſt expers? Quæ labes corporis eſſe valet, qua anima, quæ ſpiritus eſt, infici queat? Corporis enim labem corpoream eſſe opus eſt, corporea verò macula ad animam non pertingit. Quid igitur corporeæ maculæ cum

E originali culpa, quæ ſpiritualis macula eſt, commune eſſe poteſt?

Deniqve ſi in anima ſeorſim à corpore quædam macula lateret ex Adæ anima in eã transfuſa, qua peccatum originale contraheretur, quomodo ea in nouas animas, quæ (vt recta fides docet) quotidie à Deo creantur, ac corporibus infunduntur, neque ex Adæ anima ſecũ quicquam ferunt, transfundi poſſet?

in quo

in quo Pelagius nobiſcum ſentit, licèt in aliis diſſentiat, vt infrà declarabitur; nondum enim illius argumentum attingo.

Id igitur omnium Catholicorum Patrum conſenſu receptum eſt. Primam originalem culpam non à ſolo corpore, aut à ſola anima; ſed à toto homine contrahi, ac in totum hominem transfundi. Porrò totus homo eſt, qui ex corpore & anima conſtat: neque enim ſolum corpus, aut ſola anima; ſed vtrumque ſimul coniunctum hominem efficit. Cæterùm quo pacto hæc originalis macula à toto homine contrahatur, ita explicant. Nam cùm in Adam Deus originalis iuſtitiæ donũ ita collocaſſet; vt illud in omnes poſteros transfundere deberet, is præuaricato Dei præcepto eo iuſtitiæ dono ſeipſum, ac poſteros expoliauit: quo factũ eſt, vt illius iuſtitiæ carentia in omnes Adæ poſteros ab eo ſeſe effuderit. Cùm verò Deus illud velut debitum à cunctis Adę filiis exigeret: hinc in omnes Adæ filios hæc originalis culpæ macula transfuſa eſt, cùm omnes ea iuſtitia caruerunt, quæ illis ex debito ineſſe debuerat.

Hanc originalis peccati transfuſionem nonnulli Patres, capitis infirmitate declararunt, quæ in omnia corporis membra redundat, ac infirma reddit. Alij arboris alicuius radici veneno infectæ compararunt, quæ virus in omnes arboris ramos diffundit. Alij turbido fonti, à quo turbidi etiam riuuli defluunt. Nam cùm vniuerſi homines in Adam tanquam membra in capite, aut ſurculi in arbore exiſterent; atque ab eo velut riuuli à fonte manarent; eandem etiam culpæ infirmitatem, venenum, ac impuritatem hauſerunt.

Qvamobrem tunc ſolummodò hominem originali culpa labefactari certum eſt, cùm perfectus homo eſt, anima & corpore conſtans; tunc enim primùm Adæ filius efficitur, & præuaricator conſtituitur, cùm ea iuſtitia caret, quam Deus Adæ, vt eam in vniuerſum humanum genus diffunderet, collatam, in omnibus velut debitam requirebat. Hoc illud eſt quod ait Rupertus. *Quia vterque ſcilicet, maſculus, & fœmina præuaricator, & vterque Adam eſt; rectè is, qui naſcitur, & moritur, in Adam mori dicitur, quia videlicet hæreditate vitæ, quam parens vterq; iuſtè perdidit, filius iuſtè priuatur.*

Rupertus.

Hoc ipſum maximè confirmat, quòd Adam nullo proprio nomine à Deo appellatus fuit, ſed hoc communi tantùm, ac vniuerſali hominis nomine. Adam nanque apud Hebræos, nihil præterquàm hominem inſinuat, atq; eo ita paſſim Hebræi vtuntur, quẽadmodũ Latini hominis vocabulũ ad ipſum hominem nuncupandum vſurpant: quod ſanè haud fruſtra factum fuit. Eo quippe Deus declarare voluit, vniuerſam hominum ſpeciem in eo primo homine fuiſſe, & quotquot

A ex illius ſemine geniti ſunt, aut generari debent, omnes Adamos eſſe, ac propterea quicquid primo illi Adæ in creatione, gratiæ collatum fuit, id ad totam hominis ſpeciem pertinere; quicquid etiam criminis ab eo primùm admiſſum fuit, vniuerſos poſteriores Adamos obſtringere.

Hinc quàm facilis ſit Pelagiani argumẽti ſolutio, exploratum eſt. Nam quod præmittit peccatum originale ab anima tantummodò, non à corpore cõtrahi. Reſpõdemus: peccatum originale neque ab anima, neq; à corpore ſeorſim conſtitutis, ſed à toto homine contrahi: nam (vti declaratum fuit) neq; corpus ſolum culpæ ſuſceptiuum eſſe potuit, neque anima recenter à Deo creata Adamiticæ culpæ ſecum quicquam in corpus tulit. At ſi totum coniunctum ſpectent; culpam originalem ſolam quidem in anima ſedem habere aſſentimur; quatenus ſcilicet, ſola anima ea iuſtitia caret, quę neceſſariò ab ea exigebatur. Atqui inficiari nõ valent, corpus culpæ illius quaſi vehiculum eſſe, ſine quo illa in animam haud transfundi poſſet. Cùm enim illud ex Adami carne exciſum fuerit, vt ipſe quoque Pelagius fatetur; perſpicuum eſt, eo hominem Adæ filium cenſeri, tametſi illi anima aliunde à Deo inſpiretur, quod in quotidiana filiorũ generatione manifeſtum eſt; qui licèt à patribus corpus duntaxat accipiant; eorum tamen ſe filios rectè profitentur, ac proinde ea iuſtitia carere euincuntur, ex cuius carentia culpa originalis exoritur.

B

C

Qvapropter licèt vera ſit minor argumẽti Pelagiani, cùm ait: animam ab Adamo non propagari: attamen cùm animarum traductio ex vna illa Adæ anima neceſſaria nõ ſit ad peccatũ originale conſtituendũ, ſed ſola hominis conſtitutio ſufficiat, nihil omnino obtinet. Quapropter falſum concludit, cũ inde colligit nullum eſſe peccatum originale ab Adamo contractum, propterea quòd nulla animarum ſit ab Adami anima traductio: nam corporis generatio, quæ ex Adæ ſemine profecta eſt, ſat eſt ad peccati originalis trãsfuſionem: nam cũ ea neceſſariam animę creationem, atque infuſionem inducat, neceſſariò quoq; culpæ originalis, maculã in hominem trahit. Hæc eſt communis Patrum ac Theologorum ſententia, quam vniuerſus poſt Auguſtinum Eccleſiæ cõſenſus recepit, qui omnem animarum traductionem damnat, vt patet ex epiſt. Leonis I. ad Thuribium c. 10. & Leonis IX. epiſt. ad Petrum, & elicitur ex decreto Leonis X. in Conc. Lateran ſeſſ. 8.

D

E

Leo I. Conc. Lateran. ſeſſ. 8.

Tertivs circa animæ originem Origenis error fuit, qui animas ante corpora creatas ſenſit, cùm verò illæ in cœlo peccaſſent, eas in peccati pœnam in corpora, velut in carceres detruſas à Deo fuiſſe exiſtimauit, qui error omnino Paganiſmum

redolet,

redoleſ, ac fabulas illas à Poetis confictas ad Christianiſmum reuocat: quapropter Philolaus Pythagoreus antiquam hãc inter priſcos illos Philoſophos, ac Poëtas de animabus famam fuiſſe teſtatur his verbis. *Teſtantur priſci Theologi, ac vates, quòd propter ſupplicia anima cum corpore eſt alligata, & quaſi in eo ſepulta.* Quod etiam ſenſiſſe videtur Seneca de Conſolat. ad Martiam, cùm ait: *Hæc quæ vides oſſa circum nobis, neruos, & obductam cutem, vultumq́, & miniſtras manus, & cætera quibus inuoluti ſumus, vincula animorum, tenebraq́ ſunt: obruitur his animus, fugatur, arcetur aduerſis*, &c. Quamobrem hac duntaxat ratione refelli poſſet, quòd hic error ex Poetarum fabulis ortus ſit: ſed quoniam nõnulla Scripturarum teſtimonia ſibi in præſidium vendicat, æquum eſt, vt quid illa teſtimonia ſibi velint, explicemus.

Philolaus Pythag. — Seneca de conſ.

PRIMVM teſtimonium elicit Origenes ex Pſ. 114. vbi Dauid animam ſuam alloquens, ait. *Conuertere anima mea in requiem tuam;* & quaſi priùs ea in cœlo requie potita fuerit, tum in corpus ad ſupplicia detruſa; ipſam ad priorẽ trãquillitatis, ac pacis ſtatũ expetẽdũ mouet. At fallitur Origenes; neque enim vates priorẽ aliquã, qua anima ſua in cœlo antea potita fuerit, requiem ſibi optandam proponit: ſed aut ærumnis, ac calamitatibus afflictum, ac perturbatum animum excitat, vt pacem, ac tranquillitatem amplectatur, qua priſtinis tẽporibus ante moleſtias fruebatur: qui ſenſus adeò literalis eſt, vt negari omnino nõ poſſit. Aut redditam ſibi cõſcientiæ pacem Dei beneficentia oſtẽdit, quam ob commiſſum crimen amiſerat, ac propterea ſeipſum ad gratias Deo agendas hortatur, qui ſenſus etiã literalis eſt. Aut certè ab contemplandam beatiſſimi ac pacatiſſimi Regni cœleſtis pacẽ, quę ab omni penitus animi perturbatione vacat, mentem reuocat; vt eo faciliùs inter mundi anguſtias imperturbatum animũ ſeruet; quã ideò requiem appellat, non ſolùm vt mortalẽ hunc ſtatum laboribus plenum eſſe indicet; verùm etiã vt omniũ laborum, ærumnarũ, ac calamitatũ ibi finem ac quietẽ eſſe declaret. Cæterùm ſuã eſſe dicit, nõ qua antea anima frueretur, ſed quam ſibi promiſſam expectat. Denique animam his verbis ad Dei contemplationem, ac dilectionem compellit, in quibus eſt tuta animæ requies: neque enim anima alibi, quàm in dilecto Deo veram tranquillitatem repetit, neq; tutiùs vllibi quieſcit, quàm cùm in Deum irrequieto motu ſemper tendit. Poſtremò, vt notat Baſilius hoc loco, Dauid nihil aliud præterquàm ſempiternæ quietis ortum ſibi optat.

Pſal. 114. — Baſilius.

SECVNDVM teſtimoniũ colligit ex Pſal. 118. vbi Propheta de ſeipſo agens, ait. *Priuſquã humiliarer, ego deliqui.* At inſulſa admodùm eſt interpretatio, quam huic loco adhibet, cum hinc animas in cœlo deliquiſſe clicit, priuſquam ad corporum carceres humiliarentur. Vbi enim hic animæ ſolius fit mentio? vbi cœlum commemoratur? Quod ignorantiæ delictum fuit, quo Dauid anima priùs in cœlo peccauerit? Vox enim Hebræa שגג *ſagag*, qua hoc loco vtitur Propheta ſignificat ignorare, aut ex ignorantia delinquere. D. Aug. in hunc Pſ. hunc locum refert ad humani generis humiliationem, quæ facta eſt in Adam, in quo omnis creatura tanquam in radice vitiata, quoniã veritati ſubiecta eſſe noluit, ſubiecta facta eſt vanitati. At D. Ambr. ita verſiculum explicat, vt de cuiuſlibet hominis miſeria à proprio peccato orta intelligendum putet: inde enim flagella, calamitates, ærumnas, ac omnis generis moleſtias exoriri docet. Literaliter verò locus ſic exponendus eſt, vt Dauid perſecutiones, flagella, ac cæteras ærũnas, quibus à Deo affectus erat propter homicidij, atq; adulterij crimina illi immiſſas eſſe fateatur. *Priuſquam humiliarer*, per immiſſionẽ ſcilicet tribulationum, *ego deliqui*, adulterium & homicidij crimina perpetrando: ita poſt Patres explicat Bellarminus in Pſal. 118.

D. Aug. in Pſal. 118. — Ambroſius.

POSTREMVM teſtimonium ducit ex Pſ. 141. vbi Dauid Deum alloquens, ait. *Educ de cuſtodia animam meam ad cõfitendum nomini tuo.* Quaſi corpus ob priorem culpam datum ſit animę in cuſtodiam, & carcerẽ: indecolligit animas antequam in corpora infunderentur, peccaſſe: at Origeni Auguſtinũ opponimus, qui hunc locũ de cuſtodia, aut carcere mũdi intelligit, à quo expetit Propheta abſolui, vt liberè ad ſuperna euolet: nec libenter pro carcere corpus exponi patitur; huiuſmodi enim ſenſum vacillantem appellat, cũ latronum & ſceleratorum animę de corporibus ad pœnas exeant: non igitur de carcere egrediuntur, ſed magis ad carceres properant.

Pſal. 141. — Auguſtinus.

ATTAMEN quid obſtat (quemadmodum nec ipſe Aug. negat) quominus iuſtos ad Deũ feruidè aſpirantes corpus loco carceris habere dicamus, cùm id de ſeipſo teſtetur Paulus; *Infælix ego, homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* ac præterea corpus animi vinculum appellet, à quo cupit abſolui, & eſſe cùm Chriſto? Alij cuſtodiam, de qua hic Propheta agit, non corpus, ſed anguſtias exponũt, quibus vndique concluditur iuſtus, cùm à Deo flagellatur: ita Chryſoſtomus. Literaliter verò Dauid toto illo Pſalmo, Deo ingentem illam tribulationem exponit, quam à Saüle patiebatur, cùm illum in ſpelunca Odolla delitefcentem obſideret: ac ab eo auxilium poſcit: atque extremo hoc verſiculo Deum precatur, vt eum è cuſtodia educat, id eſt, à Saülis obſidione, qui illum vndique copiis circundederat, protinus liberet: quod Pſalmi illius titulus declatat, qui eſt, eruditio Dauid dum eſſet in ſpelunca, oratio.

Rom. 7.

QVAPROPTER tribus hiſce locis nihil minùs

minùs cogitauit Propheta, quàm Origenis erroti fauere. Porrò innumera Scripturæ loca huc cõtra Origenẽ vocari poſſent, quæ apertiſſimè animas, nec corpora præceſſiſſe, nec ob peccatũ aliquod in corpora detruſas fuiſſe probant. At illud nobis teſtimonium ſufficiat toties à nobis repetitum, Gen. 2. quo habetur Deum Adæ corpus primùm ex limo terræ formaſſe; deinceps animam illi inſpiraſſe. Si igitur aliquod horum præceſſiſſe dicendum eſſet, ſanè ex Scriptura cõſtaret, illud eſſe corpus, nec tamen iuxta potiorem Patrum ſententiam, quam tradunt Gregor. Nyſſenus lib. de homine c. 29. & 30. Damaſcen. de fid. Orthod. lib. 2. c. 12. D. Thom. 1. Part. q. 91. quam etiam annuit Aug. lib. de Gen. cont. Manicheos c. 8. corpus animam præceſſit niſi ordine generationis, aut productionis: ſed ſimul ac corpus perfectum fuit, ſtatim illi à Deo infuſa eſt anima. Scriptura enim cùm vtriuſque formationem ſimul explicare nõ poſſet, priùs corporis (vt corpus ſaltem in ſemine, & in embrione in cæteris præcedere inſinuet, deinde animæ creationem narrat; cùm tamen vtraq; & corpus, & anima à Deo ſimul creata fuerint. Quod ſanè non obſcurè verba illa indicant, quæ ſubdit Moyſes. *Fecit igitur Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam*, quibus Scriptura ſignificare voluit: totum hominem, ſcilicet, tam corpus, quàm animam ſimul à Deo conditum fuiſſe.

Gen. 2.

D. Gregor. Nyſſ.
D. Damaſ.
D. Thomas.
D. Auguſt.

CÆTERVM animas in cœlo peccaſſe, ac ad luendas peccatorum pœnas in varia corpora, tanquam in carceres eſſe detruſas; fabula potiùs cenſenda eſt, ab Origene, vel aliquo Hæretico Origenis nomine contexta; quã opinio aliquo fundamento innixa. Quæri enim poteſt, quale illud præceptum fuerit, quod animabus in cœlo impoſitum fuit, ex cuius præuaricatione delictum commiſerint? cuius generis, aut ſpeciei extiterit? Quare illud Scriptura nõ commemoret, cùm Luciferi, ac cætera Angelorum peccata non taceat? ſolum originale peccatum in nos ab Adam tranſfuſum in Scripturis declaratum reperimus: quod ſanè validiſſimum teſtimonium eſt, animas nec corporibus præexiſtere, nec vlla alia priori culpa teneri; cùm tunc ſolùm labefactari animas doceant, cùm Adæ naturam induunt, ac totus homo, qui non erat, naſcitur: totum verò hominem tunc naſci exploratum eſt, cùm anima corpori infunditur: cùm enim corpus tunc naſci dicatur, cùm à parentibus generatur; anima tunc oriri cenſetur, cùm à Deo in corpore creatur. Quicunq; ergo naſcimur, & ſecũdùm corpus, & ſecundùm animam naſcimur: quocirca nec ante extitit anima, quã corpus exiſteret, nec priùs culpa aliqua anima labefactata eſt, quàm maculam originalem in corpore contraxerit: quod Paulus inſinuauit cùm dixit, omnes nos

A naſci natura filios iræ; neque enim filij iræ naſceremur, ſi vel anima ante corpus extitiſſet, ac cum corpore per creationẽ à Deo ortum non haberet: vel Dei iram ante corporis natiuitatem meruiſſet: cùm tunc primùm quilibet iræ filius efficiatur, cùm homo naſcitur, nec priùs homo naſci poſſit, quàm anima corpori coniuncta fuerit.

VERVM id apertiſſimè declarat Paulus ad Rom. 9. cùm de Iacob & Eſau agens, ita ſcribit: *Cùm nondum nati eſſent, nec quicquam boni, aut mali egiſſent; vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus*, &c. Planè B hoc teſtimonio apertiſſimè conuincuntur Origeniſtæ, nullas non modò animas ante corpora extitiſſe, cùm natiuitas illa non tam ad corporis ortum, quàm ad animæ creationem referri debeat; ſed nec eas ante natiuitatem in cœlo peccaſſe: cùm Paulus ipſe teſtetur de Iacob & Eſau, cùm nõdum nati eſſent, nihil omnino boni, aut mali egiſſe. Quo etiam rurſus demonſtrat Paulus animarum ſtatum ante corpora dari non poſſe: cùm impoſſibile ſit aliquem viæ ſtatum dari, præſertim diuturnum, in quo anima nihil, aut boni, aut mali agat.

Ad Rom. 9.

C AT illud planè mirum videtur. Si animæ priùs cœlum incoluerunt, cùm tanta ibi viderint, quæ nos edocere poſſent, quare nihil horum memoria retineant: & earum rerum, quæ in ſuperiori orbe fiunt, nullam penitus rationem certam, niſi quam hîc fide didicerint, reddere valeant: quomodo illis cœlorum regio adeò ignota eſt, vt quantumuis perſpicaciſſimo ingenio præditæ ſint, eorum quæ antea viderunt, aliquid nobis velut priùs cognitum aperire nullo modo poſſint? ſanè vel ad Lethæum flumen, ac cæteras fabulas illos confugere neceſſe eſt, quæ tantam animæ D obliuionem pepererint, vt omnium illis memoria exciderit; vel nobiſcum fateri coguntur, iis nos certiores fieri, animas nunquam cœleſtes oras peragraſſe: neque vllo tempore ſine corpore alicubi priùs extitiſſe.

QVAPROPTER non immeritò Methodius antiquiſſimus apud Epiphan. Hæreſ. 63. hunc errorem inter fabulas recenſet. *Fabula*, inquit, *eſt, & tragica cantilena, dicere animas ex cælis deiectas eſſe, & tranſire fontes ignis, & aquas ſuper dorſum firmamenti, dũ in mundum hunc noſtrum feruntur: nam neq; Adam ex cælis eiectus eſt,* E *ſed è Paradiſo plãtato in Eden iuxta Orientem. Non enim ante incorporationem delictum admiſſum eſt: neque rurſus corpus hoc eſt laqueus; ſed poſt inſitionem animæ in corpus ſit peccatum, nam hoc vtrumque ſimul eſt homo.*

Method. apud Epiph. Hæreſ. 63.

NAZIANZENVS verò oratione 31. huiuſmodi errorem luſum appellat. *Vereor* (inquit) *ne abſurda etiam, ac præpoſtera cogitatio cuiquam obrepat, tanquam anima alibi vſquam verſata ſit, ac deinde corpori huic adſtricta fuerit,*

Nazianzenus orat. 31.

atque

atque prout illic ſe geſſerit, alij Prophetiam accipiant, alij qui improbè vixerunt, condemnentur. Sed quoniam hoc exiſtimare, nimis ſtultum, & abſurdum eſt: atque ab Eccleſiaſtica fide, & doctrina alienum (alij enim de huiuſmodi dogmatibus ſi velint, ludant) nobis autem huiuſmodi ludis animum oblectare, minimè tutum eſt.

D. Hier. Leo Mag. Gennad. Anaſtaſ. Syn. Beda.

TANDEM, vniuerſi Patres hanc hæreſim condemnant. D. Hieron. ep. 61. Leo Magnus ep. 11. & 93. ad Turbium c. 10. Gennad. de Eccl. dogmat. c. 13. Anaſtaſius Synaites Comment. in Exameron lib. 11. Beda de Elementis Philoſoph. lib. 4. & lib. de conſtitut. mundi. cap. de certa animæ origine. At omnium fu- B ſiſſimè Cyrillus Alexand. lib. 1. in Io. c. 9. Poſtremò hæc hæreſis dânata eſt in Conc. Braccar. I. c. 6. his verbis. *Si quis animas humanas dicit priùs in cæleſti habitatione peccaſſe, & pro hoc in corpora humana in terram deiectas, ſicut Priſcillianus dixit; Anathema ſit.*

Cyrillus. Conc. Braccar. c. 6.

QVARTVS error, qui priùs Pythagoricorum, deinde Gnoſticorum, & Albigenſiũ fuit, affirmabat nouas animas à Deo non creari: ſed de corpore in corpus, etiam ferarum, volucrum, reptilium, ac cæterorum animantium trãſmigrare: qui error cùm nulli prorſus Scripturarum teſtimonio innitatur, facilè à ſeipſo C refellitur. Hunc multa Scripturarũ loca apertè damnant. Eccleſ. 12. *Vt conuertatur puluis in terram ſuam, & ſpiritus reuertatur ad Dominum, qui dedit illum.* Quòd ſi corpore in terrã conuerſo anima ad Dominum reuertitur, quomodo in alia corpora migrat?

Eccleſ. 12.

2. Cor. 5.

PAVLVS præterea 2. Cor. 5. vnumquemque ante Deum in morte ſiſtendum eſſe ait, *Vt referat* (inquit) *vnuſquiſque propria corporis ſui, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.* Non ait corporum, ſed corporis: nam ſi anima de corpore in aliud corpus migraret, potiùs corporum, quàm corporis dicendum erat; cùm plura D corpora incoluiſſet, de quibus illi ratio reddenda eſſet. Cùm igitur vnius corporis tantùm mentionem fecerit; hinc perſpicuum eſt, animas vno, ac proprio dumtaxat corpore contentas, ad alia corpora non tranſmigrare.

ACCEDAT, quòd ſi animæ propria corporis ſui (vt ait Paulus) ſiue bonũ, ſiue malum egerint, ad Deum referre debent; quid de animabus cẽſendum eſt, quæ brutorum corpora ingrediũtur, quæ plerumque agros deuaſtant, homines occidunt, greges diſſipant, infantes interimunt, an de iis quoque rationem redditutæ ſunt? Planè ſi ita eſt, neque ipſa bruta, E vtpote meriti, ac demeriti capacia ab ipſis poſt mortẽ ſuppliciis ſeipſa eripere poterunt. Quòd ſi bene egerint, quid prohibet quominus ea quoque æternam vitam conſequi poſſint? Quid igitur? nihil inter hominem & belluam differre opus erit? ſiquidem illa cùm ob rationalem animã, qua prædita eſſet, rationalis nuncupari; tum ob adeptam beatitudinis A gloriam, quæ ob præclarè geſta ille deberetur, rectè beata appellari poſſet. Quid tam à fide, atque ab ipſa ratione diſſentaneũ eſſe poteſt?

ADHÆC quid de iuſtorũ animabus dicendum erit, quæ teſte Io. Apoc. 14. in morte à laboribus ad quietem vocantur? *Beati mortui* (inquit) *qui in Domino moriuntur, amodò iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis.* Planè ſi illæ in multa corpora migrarent, aut in pecudum, aut ferarum corpora detruderentur: quænam ſuis laboribus quies eſſet? an non potiùs poſt mortem ad labores, ac nouas ærumnas, ac calamitates compellerentur?

B DENIQVE, hæreſis hæc omnem fidem deſtruit, Scripturas euertit, prœmia iuſtorum tollit, poſt mortẽ ſupplicia malorũ conuellit. Poſtremò priſtinos Gentilium errores in Eccleſiam vocat. Quapropter eam ſancti Patres velut nugatoriam Gentilium fabulam potiùs irrident, quàm refellunt. Ita illam irridet Nyſſenus diſput. de anima & Reſurrect. *Nonnulli* (inquit) *contumelia afficiunt, ac dehoneſtant humanum genus, eãdem animam cenſentes inuicem tum hominis, tũ ratione carentis ac bruti animalis fieri: alia poſt alia ſubinde corpora induentem, & ad id quod placet, ſemper tranſeũtem, vel volatile,* C *vel aquatile, vel terreſtre animal poſt hominẽ fieri; ac rurſus ab his ad humanã redire naturam,* &c. Eãdẽ hæreſim anathematizat D. Athan. lib. 6. de beatit. filij Dei, ac inter alios doctiſſimè in eã ſcribit Lactãt. Firm. lib. 7. de diu. præm. c. 12.

Greg. Nyſſenus de anima & reſur

Athanaſ. lib. 6. de beat. fil. Dei

Lactant. lib. 7. de diu. præm. c. 12.

POSTREMVS error circa animæ originem olim Libertinorũ fuit, qui omnẽ prorſus animam ab homine effugabant, ac Dei ſpiritum dũtaxat in homine animæ vices gerere affirmabãt. Hic error haud multũ ab eo diſtat, qui vnã dũtaxat in omnibus hominibus animam ſtatuit, quæ fuit Auerrois ſententia, omnibus non tã Catholicis, quàm Philoſophis infenſa, D quam D. Th. validiſſimis rationibus cõfutat: quæ tandẽ damnata eſt in Conc. Later. ſeſſ. 8.

Conc. Lateran. ſeſſ. 8.

PORRO, hæc Libertinorũ hæreſis nonnulla Scripturarũ teſtimonia, quibus ſeipſam tueretur, obiiciebat. Primum teſtim. eſt Gen. 6. vbi Deus de hominis vita agens, ait. *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt, erúntque anni illius centũ viginti.* Ex quo colligebant Dei ſpiritum eſſe, qui in homine viuit, ſed malè: nã vt varias ſpiritus acceptiones omittã, quæ ſæpe in Scriptura occurrunt, ſpiritus hoc loco tripliciter exponi ſolet. Primò, vt Dei irã ſignificet, in quo ſenſu accipi- E tur, etiam illud Dauidis Pſ. 131. *Quò ibo à ſpiritu tuo, aut quo à facie tua fugiam?* & illud Pſ. 47. *In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis.* Item illud Iob 4. qui de malis agens ait, *Flante Deo periiſſe, & ſpiritu iræ eius eſſe conſumptos.*

Gen. 6

Pſal. 131

Pſal. 47

Iob. 4.

ATQVE hunc ſenſum ipſa Hebræa lectio nobis miniſtrat, quæ habet לא ידון רוחי באדם *Lo iadon ruchi vaadã. Non cõtendet ſpiritus meus cum homine,* vt vertit Pagninus, & Mon-

L tanus.

tanus: vel, vt explicat Chaldæus Paraphraſtes. A *Non permanebit generatio peſſima hæc coram me in æternum.* Hunc ſenſum admittit Hieron. in traditionibus Hebraicis ſuper Gen. ita ſcribens. *In Hebræo* (inquit) *ſcriptum eſt, non iudicabit ſpiritus meus homines iſtos in ſempiternum, quia caro ſunt: hoc eſt, quia fragilis eſt in homine conditio, non eos ad æternos ſeruabo cruciatus, ſed hic illis reſtituam, quod merentur.* Si igitur ſpiritus hoc loco Dei iram indicat, qui eum hominibus haud vult contendere, aut illos ſeuerè iudicare: haud ſanè is eſt, qui in hominibus viuit.

Hieron. in tradit. Hebra. ſup Gen.

SECVNDO, ſpiritus frequenter in Scripturis pro anima rationali vſurpari ſolet: nam B Matth. 26. ait Chriſtus, *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* Paul. ad Galat. 5. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem.* Atque ob id præſertim hoc illi nomen inditum fuit, quòd eam ſpiritualis naturæ Scripturæ eſſe doceant. Porrò hæc videtur eſſe propria ac literalis huius loci expoſitio, vt ſpiritus pro anima ſumatur: ita vt Deus hoc loco annuere voluerit, breuiorem ex animæ diſſolutione futuram eſſe hominis vitã. Cùm enim priùs homines vitæ ferè millenarium annum attingerẽt, deinceps breuiorem illis ſtatuit viuendi lineam, quam centum viginti annorum ſpatio preſcripſit. C Quapropter cùm Deus ſpiritum ſuum in homine haud in æternum permanſurum eſſe dixit, procul dubio de rationali hominis anima intellexit, cuius diſſolutioni à corpore metam ſtatuit.

Matth. 26. Ad Galat. 5.

CVR autem anima rationalis Dei ſpiritus appelletur, ea ratio eſt: quòd ipſa à ſolo Deo creatur, ac corpori infunditur. Cùm enim anima (vt ait Moyſes) ex Dei inſpiratione nata ſit, inde meritò ſpiritus Dei nominatur: non quo Deus ipſe viuit, ſed quem diebus ſingulis creat, ac corporibus infundit; atque D idcirco ſuum appellat, quòd ſicut eximio quodam modo à Deo conditus eſt; ita ſingularem ſuam erga illum prouidentiam, ac beneuolentiam eo vocabulo declarat. Hac enim ratione iuſtorum animas in Dei manum, ac ſinum reconditas eſſe ait Sapiens. 3. Et Pſal. 104. Deus Chriſtos ſuos, ac Prophetas ſuos nuncupat; quos à ſe miſſos declarat, & Ezech. 18. omnes animas à ſe conditas ſuas vocat: *Ecce omnes animæ, meæ ſunt: ſicut anima patris, ita anima filij.* E Vides diſtinctas eſſe animas, neque animam patris, eſſe animam filij: tametſi vniuerſas ſuas Deus eſſe dicat. At ſi vnus in omnibus Dei ſpiritus viueret, quomodo illæ inter ſe diſtinguerentur?

Sap 3. Pſal. 104. Ezech 18.

DENIQVE, ſpiritus in Scripturis ſæpe ad ſignificandam diuinam quandam virtutem ex Dei præſentia manantem vſurpatur, vt Ezech. 43. *Eleuauit me ſpiritus, & introduxit me in atrium interius.* Iob 33. *Spiritus Dei fecit me.* Pſal. 103. *Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur;* & Pſal. 32. *Et ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Atque hic fortaſſe eſt germanior horum verborum ſenſus. Nam tametſi Deus animæ, cùm illam in homine creat, viuificandi corporis vim tribuat; haud tamen exiſtimandum eſt, eam ita omni Dei virtute ſpoliari, vt Dei virtute amplius non indigeat; cùm exploratum ſit, animam vel ad ſeipſam tuendam, vel ad corpus viuificandum ſingulari diuini ſpiritus virtute ac præſentia indigere. Ita enim teſtatur Iob. 10. *Viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum.* Niſi enim Deus ſpiritu ſuo animæ præſens eſſet, ac viſitatione regeret, planè ea nec corpus viuificare, nec aliquid agere, immò neque exiſtere valeret. Quare cùm inquit Moyſes, *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum;* hoc ad illam Dei virtutem ex diuina præſentia promanantem referri debet, quæ animæ viuificandi corporis vim præſtat, qua amota hominum vita protinus ad interitum rapitur.

Ezech. 43. Iob 33. Pſal. 103. Pſal. 32. Iob. 10.

EX his patet quid reſpondendum ſit ſecundo teſtimonio, quod ex Iob c. 27. producunt ex illis verbis, *Donec ſupereſt halitus in me, & ſpiritus Dei in naribus meis.* Loquitur enim ibi Iob vel de anima, quæ (vt diximus) Dei ſpiritus vocatur, vel de flatu, qui in ſignum vitæ è naribus egreditur: atque hũc poſtremũ ſenſum id cõfirmat, quod frequẽter in Scriptura ſpiritus pro flatu, atque anhelitu vſurpatur; vt Pſ. 118. *Os meũ aperui, & attraxi ſpiritũ.* 3. Reg. 10. de Regina Saba dicitur, *Non habebat vltra ſpiritum.* Iudith. 13. *Poſtea verò quàm reſumpto ſpiritu recreatus eſt:* neque obſtat quòd Dei, non hominis ſpiritus appellatur: nam cùm à Deo vita pendeat: ita & flatus, quo vita conſeruatur.

Iob. 27. Pſal. 118. 3. Reg. 10. Iudit. 13.

TERTIVM teſtimoniũ ab Actibus Ap. c. 17. deſumunt ex illis verbis Pauli, *In quo viuimus, mouemur, & ſumus.* Vnde colligunt homines Dei ſpiritu, non aliqua in eis exiſtente anima viuere, eſſe, & moueri. At ab hoc ſenſu longè Pauli verba diſtant: nam cùm Paulus omnes in Deo viuere, eſſe, & moueri affirmat, eo tantummodò declarat, Deũ per ſuam eſſentiam, præſentiam, & potentiam nobis intimè adeſſe, ſine quibus nemo prorſus aut viuere, aut moueri, aut exiſtere poſſet. Hinc Theologi Deum cunctis rebus tribus hiſce modis ineſſe docent. Dei enim eſſentia vniuerſis rebus quas condidit, eſſe præſtat. Præſentia vitam, potentia motum, virtutem ac operationem: idcirco nos in Deo viuere, eſſe, & moueri dicit Paulus: quia ab ipſius præſentia vitam, à potẽtia motum, ab eſſentia nobis aſſiſtente eſſe adipiſcimur: quæ quamuis in Deo idem ſint, Deum tamen per ea quaſi diſtinctè operari concipimus.

Actor. 17.

SVPERVACANEVM autem exiſtimo Hæreſim hanc aut Scripturarum teſtimoniis, aut Patrum auctoritatibus, aut tandem rationibus refellere; cùm per ſe ſatis cuique

impro

improbata ſit; ea potiſſimùm ratione, quòd aduerſus omnes Scripturas pugnet, quæ animam rationalem in homine vbique affirmant, merita tollit, præmia fugat, beatitudinem euertit, bonis remunerationem, malis ſupplicia adimit, mortuorum reſurrectionẽ, iudicium, infernum, vitam æternam ab hominum opinione expellit: quæ omnia tunc procul dubio conuellunt cùm hominem propria, ac rationali anima expoliant.

Explicatur Catholica ſententia de origino animæ.

ARTICVLVS VI.

EXPVLSIS igitur tam veterum Philoſophorum, quàm Atheiſtarum, atque Hæreticorum erroribus; nunc quid de animarũ origine, ac natura verè & Catholicè ſentiendum ſit, aperiendum erit.

GRAVIORES Philoſophi, qui de anima meliùs aliquando ſenſerunt, ita implicitam, ac veluti typis quibuſdam tectam nobis animæ naturam tradiderunt; vt non facilè, quid de illius natura ſenſerint, explicari queat. Xenocrates enim Pythagoram ſequutus, animam aſſeruit numerum eſſe ſeipſum mouentem neque tamen exiſtimandum eſt, Xenocratem illum materialem numerum, quo Arithmetici, ac mercatores vti ſolent, ad animæ eſſentiam conſtituendam vocare, neque binario, aut ternario numero animæ naturam cõtineri, cùm is Pythagoreorum more excellentiorem numerum animæ tribuat. Cùm enim ab iis Deus Opt. Max. propter ſummam, ac incomprehenſibilem naturæ illius excellentiam, qua vnicum rerum omnium principium eſt, qua etiã omnia in ſe velut ab eo profecta complectitur, ſumma ac ſola vnitas appelletur; à qua omnes rerum cõditarum eſſentiæ velut numeri fluunt. Hinc ille rerum eſſentias, quæ ſub Deo ſunt, velut numeros contemplatur, quandoquidem compoſitione non carent, quæ in ipſis numerum quodammodo collocat. Atque hac ratione ductus animam haud importunè (licèt typice) numerum appellat.

Xenocrates.

HANC animæ definitionem à Xenocrate traditam, Plato clariùs exponit in lib. de legibus Dialog. 10. cùm ait, Animam eſſe eſſentiam ſeipſam mouentem: quam enim Xenocrates numerum ſubobſcure eſſe dixerat, Plato apertè numerum illum exponens, eſſentiam eſſe declarat, ac ſpiritualem quandam ſubſtantiam à diuinis fontibus manantem eſſe prædicat: ac proinde eam nõ vulgarem, aut ignobilem eſſentiam vocat, ſed planè nobiliſſimam ac ſeipſam mouentem.

Plato lib. de legib. Dialog. 10.

NAM cùm multa entium genera ſint, quorum quædam per ſe omnino immobilia ſunt;

A quædam partim mobilia, partim immobilia. Quæcũque enim inanimata ſunt, omni prorſus vitæ motu priuantur. Cùm verò inter animantia quædam ſola vita cõſtent, quæ ad ſenſum moueri non poſſunt; quædã rurſum ſenſibus potiantur, quæ ad intelligẽdum immobilia exiſtunt. Animam is duntaxat eſſentiam idcirco ſeipſam perfectè mouentem appellat; quòd omne mouendi principium ſibi innatũ habeat. In ea enim cùm viuendi, tum ſentiẽdi, ac intelligendi facultas à Deo indita eſt.

HINC animam, vtpote nobiliſſimam, ex harmonicis numeris compoſitam eſſe affirmat;
B quod non ita accipiendum eſt, quaſi animam ex harmonicis rationibus ac numeris, quibus ipſa harmonia componitur, confingat: ſed idcirco ex harmonia compoſitam vocat, quòd rationalem potentiarum ac ſenſuum inter ſe conſonantium harmoniam, ac concentum contineat; & ſpecies rerum, ac numeros, quibus vniuerſa intelligit, ac numerat in ſe diſpoſitos habeat. Quare Ariſtoteles vt teſtis eſt D. Thomas in lib. 1. de an. lect. 8. cùm Platonem coarguit, quòd animum harmoniã nuncupauerit: non Platonis ſenſum, ſed verborum faciem impugnat; ne ſcilicet Philoſo-
C phorum vulgus ſolis verbis inhærens, & reconditum Platonis ſenſum ignorans, animam materialem numerum, atque harmoniam eſſe ſibi perſuaderet.

ARISTOTELES verò ipſe paulo clariùs de animæ natura ſententiam ſuam aperuit lib. 1. de anima: vbi partim à corpore, cui coniuncta eſt, partim ab effectibus, quos notiores ab ea manare aſpexit, animæ definitionem venatur: animam enim ibi eſſe definit, *Actum corporis Phyſici, organici, potentia vitam habentis*: qua definitione id tantùm aſſequutus fuit, vt integram illius, quatenus coniuncti pars eſt, natu-
D ram indicauerit. At verò cùm ea animæ illius naturam, quæ tam homini, quàm cæteris animãtibus communis eſt, vniuerſaliter tantùm ſpectandam propoſuerit; eò fit, vt minùs rationalis, ac intellectiuę animę, de qua agimus, propriam ac ſingularem expoſuerit: neque enim ea quicquam aliud explicat, quàm animam eſſe corporis formam, quod tam ad brutorum, ac cæterorum animantium, quàm hominum animas pertinere exploratum eſt.

Ariſt. lib. 1. de anima.

QVAPROPTER aliam idem Ariſt. lib. 2. de anima perfectiorem effingit cùm ait; *Animam eſſe id, quo viuimus, quo ſentimus, quo loco*
E *mouemur, quo intelligimus primò.* Hæc tametſi perfectiùs ea, quæ ad proprias animæ intellectiuæ operationes ſpectant, declaret: ea tamen needum perfectè quid anima ſit, exponit: neque enim explicat, quid illud ſit, quo viuimus, quo ſentimus, quo mouemur, quo intelligimus; num ſubſtantia, vel accidens: num corporeum, vel incorporeum: vtrùm mortale, vel immortale ſit; præterea

Lib. 2. de anima.

 nihil

nihil ea, quæ ad liberam voluntatis facultatem pertinent, attingit. Quare omiſſis Philoſophis ad Catholicos doctores cõuertimur.

Auctor lib. de ſpiritu & anima.

INTER bos ſunt, qui diuerſimodè animæ naturam, atque originem inueſtigant, ac definiunt. Auctor libri de ſpiritu & animà, qui Auguſtino aſcribitur. *Animam* definit *eſſe ſubſtantiam rationalem, intellectualem, à Deo factam, ſpiritualem, non ex Dei natura, ſed potiùs creaturam ex nihilo factam, in bonum malúmque conuertibilem.*

Greg Nyſſen. diſput. de anima & Reſurrect.

GREGORIVS Nyſſenus in diſputatione de anima & Reſurrect. docet, B *Animam eſſe eſſentiam generatam, viuentem, intellectualem, corporeis ſenſuum inſtrumentis viuendi, atque ea, quæ cadunt ſub ſenſus, percipiendi facultatem ac vim per ſeſe ſuggerentem, & immittentem; quandiu capax earum rerum natura conſtare videtur.*

D. Hieron. comment in ep. ad Rom.

D. HIERONYM. in comment. in ep. ad Rom. *Animam* dicit *eſſe ſpiritum incorporeum, rationalem, & immortalem.*

D. Aug. in Pſ. 145.

D. Auguſt. in Pſ. 145. animæ originem ita deſcribit. *Anima res ſpiritualis eſt, res incorporea eſt, vicina eſt ſubſtantia Dei, inuiſibile quiddam eſt.* C *Regit corpus, mouet membra, dirigit ſenſus, præparat cogitationes, exerit actiones, capit rerum infinitarum imagines.* Et in lib. de cognitione verę vitæ (ſi tamen is liber Aug. eſt) *Anima* (inquit) *ſpiritus eſt, ſubſtantia incorporea, corporis ſui vita, inuiſibilis, ſenſibilis, mutabilis, allocalis, paſſibilis; nec quantitatum mẽſura, nec qualitatum forma, vel coloris ſuſceptibilis, memorialis, intellectualis, immortalis.* Ex quibus integram, ac perfectam animæ rationalis definitionem colligens.

DICO PRIMO, *Animam eſſe ſubſtantiam.* Quod dictum illos ſuggillat, qui eam, vel qualitatem, vel complexionem, vel corporis v m D ac temperamentum, vel harmoniam eſſe falsò exiſtimarunt. Id probatur ab Aug. in lib. de cognitione veræ vitæ, vel à quocunque qui libri

Auct. lib. de cognit. veræ vita.

illius auctor eſt, hoc modo: *Omne quod alicui vitã ſubminiſtrat, ipſum neceſſe eſt, vt ſubſiſtat. Sed anima vitam corpori tribuit, igitur anima realiter ſubſiſtit. Hanc verò vitam eſſe, ipſamet probat; dum præſentia ſua corpus viuificat, abſentia ſua idem mortificat.* At obiici poſſet Aug. ad vitam animalis conſtituendam ſufficere partium corporis connexionẽ ſub primarum qualitatum E temperamento conſtitutam. Vt olim ſenſiſſe

Galenus lib. 3. de locis affectis c. 5.

videtur Galenus lib. 3. de locis affectis cap. 5. vbi animam dicit eſſe temperamentum primarum qualitatum, ac eum his immutari: ex quo ſequeretur animam eſſe accidens, neque eam neceſſariò per ſe ſubſiſtere.

SED Galeno pro Auguſt. reſpondemus; Animam non eſſe, nec eſſe poſſe corporis complexionem, aut temperamentum; primò quia in temperamento qualitatum, vna quædam ſemper præ cæteris qualitas dominatur, cuius operatio ante alias viget in corpore. Anima verò liberam voluntatis faculta- A rem habet, qua nulli qualitati, aut illius motui eſt aſtricta.

SECVNDO, quia temperies illa, ſeu complexio ſemper per qualitates, ex quibus eſt conflata, agit. Ideóque nunquam aliquid tam ſublime operatur, quin ad illud etiam qualitatum ſe vires extendant, exempli gratia. Caloris munus eſt penetrare, atq; diſſoluere. Animæ autem nutritiua potẽtia per calorem tanquam per inſtrumentum non tantùm cibos diſſoluit (quod ipſius caloris eſt proprium) ſed concocta digerit, digeſtáque ad corporis totius augmentum perducit; ea verò vim caloris excedunt: nam quo pacto natiuus calor, qui ad diſſolutionem tendit, corporis augmẽtum perficere poteſt? quod neceſſariò per nouam carnis generationem, ac conſequenter per alimenti compreſſionem fieri debet. An non calor ſi detur materia ſine termino, ſeſe effundit? quò fit, vt planè opus ſit ab aliquo ſuperiori agente illi terminum præſcribi. Hinc perſpicuum eſt; neque calorem, neque corporis tẽperamentum, neque nutritiuam potentiam, neque accidentalem aliam formam corporis augmentum præſtare poſſe; ſed illud à ſola anima perfici debere: quapropter ea nec temperamentum, nec corporis complexio eſſe poteſt; ſed iis excellentius.

POSTREMO, ſi anima ex qualitatum temperamento, & certa humorum compoſitione aſſurgeret, multa ſequerentur abſurda. Primũ anima neceſſariò ab illis qualitatibus, ac humoribus penderet; neque ea humores mouere, neque corpus regere poſſet: ſed contrà potiùs qualitates illæ animam regerent, ac ſuſtinerent: quod ſi ita eſt; vbinam erunt proprij animi motus, qui à corpore minimè pendent? vbi intelligere? vbi ſpeculari? vbi eligere? vbi velle? vbi nolle? vbi amare? vbi odiſſe? Planè nulla ars, nulla ſciẽtia, nulla iuſtitia, nulla prudentia, nulla in aduerſis fortitudo, nullũ peccatum, nullum meritum in homine erit. Iſque rationalis tandẽ eſſe deſinet, ſi nulla in homine præterquã exanimis quædam qualitatum multitudo dominatur, quæ rationis omnino eſt expers.

SECVNDO, ſi anima ex humorum harmonia, ac temperamento oriretur; vbi maior eſſet humorum harmonia, ibi maior eſſet animatio; minor verò, vbi minor harmonia eſſet. Porrò quid de febricitantibus, de Paralyticis, ac cæteris morbo aliquo laborantibus, qui humorum diſſonantiam patiuntur, ſentiendum eſſet? Planè in iis intenſior cùm conualeſcunt, remiſſior cùm ægrotãt, anima ineſſet.

TANDEM, quid ſi tota corporis harmonia ceſſet, ac humorum omnium diſſonantia in ægroti corpus inuehatur; an nulla ei ineſt anima, qui adhuc ea humorum diſcordia laborat? Hæc ſi à ratione diſſentanea ſunt, reſtat igitur contra Galenum; corporis, ac qualitatum

litatam temperamentum ad vitam conſtituendam non ſufficere.

PROBATVR verò maior illa Auguſtini. Nã cùm ex corporis temperamento qualitates, ac humores inter ſe pugnent, ac pugna diſſidiũ, diſſidium diſſolutionem, diſſolutio interitum corpori minetur: ſi nullius ſuperioris ſubſtãtię vinculo retinerentur, indubiè ſeipſis dilaberentur, ac corpus ad interitum traherent: quapropter opus eſt ad hominis vitam tuendam, animam velut ſubſtantiam cunctis corporis accidentibus præeſſe, ac per ſe ſubſiſtere.

SECVNDO, anima vt habetur ex Ariſt. eſt actus primus corporis Phyſici organei, ſed actus primus eſt ipſa forma ſubſtantialis, quæ dat eſſe rei, anima igitur eſt ſubſtantia, non qualitas.

TERTIO, forma quæ dat eſſe rei eſt præſtantior materia; ſed cùm materia, quæ eſt vniuſcuiuſque rei ſubiectum, ſit ſubſtantia multò magis ipſa forma: anima igitur quandoquidem forma corporis eſt, & dat eſſe hominem, immeritò ſubſtantia eſſe negatur.

QVARTO, ſi verum eſt, id quod viuit, quod ſentit, quod mouetur, eſſe animal (vt Philoſophis placet) ac proinde inter ſubſtantias numerari; certè id etiam veriſſimum erit; animam, quæ homini tribuit, vt animal ſit, inter ſubſtãtias collocari: nemo enim alteri tribuit, quod non habet.

QVINTO, quod omnibus exploratum eſt, homo conſtat ex anima & corpore, tanquam ex partibus vnicam hominis naturam componentibus. At homo in genere ſubſtantiæ collocatur, vt notum eſt, igitur anima, quæ eſſentialis hominis pars eſt, neceſſariò ſubſtãtia eſſe debet. Quandoquidem certum eſt ea, quæ ad vnius ſubſtantiæ cõſtitutionem ſimul coëunt, ſubſtantialia eſſe; niſi quis ita deſipere vellet; vt hominem partim ex ſubſtantia, partim ex accidẽti conſtitutum eſſe crederet; quòd tota Philoſophia exhorret: neque enim ex ſubſtantia & accidenti quicquam ſubſtantiale componi valet, cùm accidens ad ſubſtãtiæ naturam non pertineat, neque cum ea ad vnum conſtituendum coniungi poſſit. Hinc enim ſequeretur, hominẽ ex anima & corpore conſtitutum non vnum ſubſtantiale, ſed tantum accidentale conſtituere; ac proinde cùm accidens præter ſubiecti corruptionem à ſubiecto auelli poſſit, quandoquidem ad illius eſſentiam non pertinet, inde fieret, poſſe hominem ſine anima ſubſiſtere, & tamẽ hominem nuncupari, quæ quàm à ratione diſſentanea ſint, nemo ignorat.

SEXTO, anima ſecundùm fidem, ac inſigniorum Philoſophorum ſententiam eſt immortalis: ſed nihil poteſt eſſe immortale, niſi per ſe ſubſiſtat, ac ſubſtãtiale ſit: nam ſi in alio ſubſiſteret, vel illud in quo ſubſiſteret, eſſet mortale, vel immortale; ſi mortale eſſet, eo

A mortuo illud etiam perire opus eſſet: cùm nõ haberet, in quo ſubſiſteret: ſi verò eſſet immortale, vel in eo tanquam ſubſtantia, vel tanquam accidens ſubſiſteret: non ſubſiſteret tãquam ſubſtantia, quia id negatur: ergo tanquã accidens; ſed cùm accidens ſuapte natura à ſubiecto ſeparari queat; eo à ſubſtantia illa immortali ſeparato, tandem illud perire neceſſe eſſet, nec immortale eſſe. Anima igitur per ſe ſubſiſtat, neceſſe eſt, præſertim cùm in corpore mortali immortalis exiſtat.

DENIQVE hoc ipſum copioſè probat Greg. Neoceſar. diſputat. de anima his verbis. *Greg. Neoceſ. diſp. de anima.*
B *Cùm noſtro corpori vitam præbere animam intelligamus, eam ex propriis actionibus cognitam habemus. Porrò quòd anima ſit eſſentia, ſic oſtẽnditur. Eſſentia eſt id, quod cùm vnum, & idem ſit numero, contraria viciſſim ſuſcipit. Quòd autem anima à natura propria non recedens contraria ſuſcipiat, manifeſtum eſt. Quamobrem cùm ea ſit eſſentiæ proprietas, vt diuerſis temporibus ſit ſuſceptrix contrariorum, idémque animæ conueniat; eſſentia vtique anima eſt. Præterea cùm corpus eſſentia ſit; animam item eſſentiam eſſe neceſſe eſt; neque enim fieri poteſt, vt quod vitam accipit eſ-*
C *ſentia ſit, illud autem ſit eſſentia, quod vitam largitur; niſi quis ita inſaniat, vt id quod non eſt, eius quod eſt, cauſam eſſe dicat: aut id, cuius illud ipſum quod eſt, ex alio ita pendet, vt ſine illo eſſe non poſſit, eius ipſius ex quo pendet, cauſam eſſe contendat.*

DICO SECVNDO, *Animam eſſe ſubſtantiam incorpoream.* Tum contra plebeios illos, ac rudiores Philoſophos, qui animam vel ex aëre, vel igne, vel ſanguine, vel ex aromis, aut alio corpore compactam affirmabant. Tum contra Tertullianum, qui animam tenui corpore conſtare aſſeruit. Id verò
D cum fusè ſuperiùs demonſtratum fuerit, hîc tantùm nonnullas rationes ex Patrum teſtimoniis depromptas addere lubet, quò veritas hæc ampliùs innoteſcat.

D. GREGOR. Thaumat. diſput. de anima, optima id, ac duplici ratione euincit. *In corpore quidem noſtro* (ait) *animam eſſe oſtenſum eſt; quomodo autem in corpore ſit, oportet intelligere. Nam ſi illi ſic adhæret, vt lapis lapidi; ſequitur, vt corpus ſit anima, nec totum corpus animatum ſit, cùm parti cuidam adhæreat: ſin cum corpore mixta con-* *Greg. Thaumaturg. diſp. de anima.*
E *fuſaque eſt, è propria ratione deiecta, multis partibus conſtabit, nec ſimplex erit. Quod enim multas habet partes, diuidi, diſſoluique poteſt; quod autem poteſt diuidi, compoſitum eſt. Corpus verò tripliciter diuidi poteſt; atque corpus adiunctam corpori molem auget: anima verò in corpore exiſtens, illud non tumidum, ſed viuum efficit, non igitur corpus, ſed expers corporis anima.*

PRIMA Gregorij ratio eſt, quam nos ſuperiùs attigimus. Si daretur anima corporea, ea totum corpus informare non poſſet, ea potiſſimùm ratione, quòd corporum mutua pe-

Digitized by Google

nettratio naturæ penitus inuiſa, ac impoſſibilis existat: neque enim natura id vnquam paſſa eſt, vt duo corpora ſimul eandem loci partem occuparent. Si igitur anima corporea eſſet, ea totum corpus, ac omnes corporis partes informare nullatenus valeret: ſed vel ea tantùm pars animara eſſet, quæ animæ eſſet contigua, vel nulla animata eſſet, cùm nullam intimè penetrare poſſet: ex quo patet animam, cùm totum corpus, ac omnes illius partes animet, incorpoream eſſe.

Altera illius ratio eſt. Si anima eſſet corporea, vbicunque ea corpori adderetur, corpus augeret; corpus enim corpori additum maius illud efficit. Sed anima licèt in corpore exiſtat, ac per corpus ſeſe diffundat, illud non tumidum, non procerius, non denique maius reddit, non ergo eſt corpus.

[*Nemeſius de nat. hominis c.2.*] Nemesivs verò de natiu. hominis cap. 2. non minori argumento ad hoc ipſum probandum vtitur. *Contrà omnes* (air) *qui dicunt animam eſſe corpus, illa ſufficient, quæ ab Ammonio doctore Plotini, & Numenio Pythagoreo diſputata ſunt. Sunt autem hæc. Corpora quæ ſua natura mutantur, penitúſque diſſipantur, & infinitè diuiduntur; ſi in his nihil, quod ſit immutabile relinquatur; opus habent aliquo ſe continente, & connectente, & velut conſtringente, & cobibente; quod animam dicimus. Itaque ſi corpus eſt anima, qualecunque tandem etiam tenuiſſimum, quid rurſus erit quod ipſum contineat? Oſtenſum eſt enim omne corpus indigere aliquo, à quo contineatur; & ita infinitè, donec ad aliquid, quod corpore vacet, perueniamus.* Huius argumenti vis cùm manifeſta ſit, explicatione non indiget.

[*Paulinus Aquil. adu. Fœlicē vrgelit.*] Præterea Paulinus Aquileiens. adu. Fœlicem vrgelitanum ad probandam animarum incorporeitatem, iiſdem ferè rationibus vtitur, quibus & Gregorius, & Nemeſius vſi fuerant. *Sanè* (ait) *vis anima cùm ſit incorporea, & indiuiſibilis; nec diuidi poteſt, nec recipit ſectionum ſciſſuras; totam tamen corporis molem, quæ diuidi, vel ſegregari poteſt in ſe continentem mirabiliter regit, & per totam diffuſa animādo viuificat; & quaſi punctus in medio ſuam indiuiduè retinet dignitatem, & in alienam non reſoluitur qualitatem: nam cùm ſit incorporea, corporaliter cuncta diſponit per corpus; & cùm ſit ſubſtantia carnis corporea, per incorpoream creaturam, id eſt, animam corporeas perficit actiones: tanta enim ſocietatis conuenientia ſibimet ſunt vnitæ, vt vnum ſine altero non poſſit humanam conſtituere naturam; & idcirco placuit, ex vtraque humanam definire naturam: nam anima incorporea per corporeos oculos videt, audit & ſentit: & corporei oculi per incorpoream animam videre probantur: nam ſi recedat anima, oculi aperti remanentes, & aures patentes, nec videre poſſunt, nec audire: per linguam loquitur anima, & lingua loquitur per animam: in qualibet enim parte corporis inciſa carne anima dolet: ſine anima verò in fruſta ſecta caro nec dolere, nec ſentire poteſt.*

A Havd tamen interim ignoto, non nunquam apud Baſilium, Athanaſium, Ioan. Damaſcenum, Methodium, Hieronymum animam corpoream legi; quod tamen non ita accipiendum eſt, quaſi hi Patres ſenſerint animã aut corpus eſſe, aut corpore conſtare; cùm paſſim oppoſitum affirment: ſed eo indicare voluerunt animã non ea ſpiritus eminentia prę ditam eſſe, qua ſupremus ſpirituum conditor gaudet; ſed ita à Dei ſimplicitate abeſſe, vt illius comparatione corpotea dici poſſet. Id ex Hietonymi verbis manifeſtum eſt, qui lib. 1. comment. in Matt. c. 10. explicãs verba illa. *Et* [*D. Hieron. lib. 1. comm. in Matt. c. 10.*]
B *nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*, ita ſcribit. *Si qui corpus occidunt, animam non poſſunt occidere; ergo anima inuiſibilis & incorporalis eſt, ſecundùm craſſiorem dico corporis noſtri ſubſtantiam.* En propiius Hieronymi ſenſus; comparata anima ad craſſiorẽ corporis noſtri ſubſtantiam inuiſibilis, & incorporalis eſt; ſiquidẽ corpore occiſo non occiditur anima, nec corporis gladius ad animam pertingit. Nõ ita ſi ſupremo illi omnium ſpirituum patri comparetur. Ea enim ante illum haud ſecus, quàm ſi corporea eſſet, apparet; cùm ab illo haud difficiliùs, quàm ſi corpus
C eſſet, occidi valeat. Ita & cæteros Patres ſenſiſſe ex illorum verbis manifeſtum eſt. Qui idcirco eo loquendi modo vſi ſunt, vt Hæreticos deuitarent, qui rationalem animam diuinitatis portionem eſſe arbitrabantur.

[*Io. Theſſal. in Conc. Nicen. 2.*] Neqve obſtat teſtimonium Io. Theſſal. Epiſ. aſſerentis animas eſſe corporeas in Cõc. Niceno 2. initio 5. Actionis, ab ipſo Concilio improbatum non fuiſſe. *De Angelis* (inquit ille) *& Archangelis, & eorum poteſtatibus, quibus & noſtras animas adiungo, ipſa Catholica Eccleſia ſic ſentit, eſſe quidem intelligibiles, ſed non omnino corporis expertes, & inuiſibiles.* Et infrà: *nemo vel Angelos,*
D *vel demones, vel animas dixit incorporea.* Nam vt interim taceam, quòd nonnulli reſpondent, id à Ioanne tantùm pro ratione aſſumptũ fuiſſe, ad legitimum imaginum vſum, de quo tunc grauiſſimè in Conc. agebatur comprobandũ. Et Cõcilium non rationem; ſed eatenus illius dictum accepiſſe, quatenus imaginum vſum confirmabat. Quod ex eo confirmari poteſt: quandoquidẽ huiuſce rationis nulla omnino in Concilio diſcuſſio, aut mẽtio facta fuit; neq; eam Concilium approbauit, licèt tunc non re-
E probauerit grauioribus intentum: quò fit, vt tantùm abſit vt illa Ioannis ratio Catholicæ Eccleſiæ ſententia recepta eſſet, quòd eam priùs ab Eccleſia damnaram fuiſſe conſtat ex Clem. lib. 1. conſtit. Apoſt c. 11. vbi ita confeſſum habetur. [*Clem. lib. 1. conſt. Apoſt. c. 11.*] *Animam in homine fatemur incorpoream, & immortalem; nec interire eam veluti corpora, ſed perpetuò manere, vti rationis participem, & libertatis compotem.*

At ego exiſtimo: id tam apud Ioannẽ, quàm apud Concilium corpoteum fuiſſe, quod apud

Schola

Digitized by Google

Scholaſticos Theologos compoſitum ſonat. Nam qua ratione credendum eſt Concilium apertum errorem, tametſi in rationem tantùm aſſumptum, ſilentio diſſimulare voluiſſe; præſertim cùm totius ſe Eccleſiæ conſenſu tueretur: quo ſanè fieri opus erat, vt tota Eccleſiæ fides in eo errore periclitaretur? Atque eò libentiùs in hanc ſententiam adducor; quòd hic Ioannes cuius teſtimonium à Concilio recipitur, animas intelligibiles, ſeu intellectuales eſſe affirmat. Porrò nulli dubium eſt intellectualem naturam, quæ prorſus immaterialis eſt,&à corpore remota,cum corporea natura, quæ materiæ coniuncta eſt, pugnare; neque eandem eſſe poſſe intellectualem, & corpoream ſubſtantiam; quapropter cùm is animas intellectuali, ac ſimul corporea natura præditas eſſe dicit, ne apertam contradictionem illius verbis inuramus, compellimur exiſtimare,illum corporeum pro compoſito vſurpaſſe, ita vt Angelos,& animas, non corporeos, vt corporeum materiale ſonat; ſed compoſitos doceat. Neque id antiquis inſolitum fuit. Nam & Baſilius,& Damaſcenus, & Methodius ſæpè corporeum pro compoſito vſurpant. Immò & ipſe D. Bonauentura in 2. ſent. diſt. 3. art. 2. animam corporeã ac materialẽ appellat hoc ſenſu,vt eã non ſimplicem,ſed compoſitã eſſe indicaret. Nam licèt anima vero,ac communiori ſenſu incorporea ſit, ac immaterialis; haud tamen omnis compoſitionis eſt expers, cùm ea ſuas etiam compoſitiones(rametſi naturæ ſuæ accommodatas)patiatur,quæ ipſam quodammodo diuiſibilem præſtant. Ex iis apertum eſt, quo ſenſu tum Concilij, tum Patrum verba exponenda ſint.

Baſilius. Damaſcen. Methodius. D. Bonauentur. 2. ſent. diſt. 3 art. 2.

Dico tertiò, *Animam ſubſtantiam eſſe intellectualem.* Quæ aſſertio notiſſima eſt ex ſacris literis. Hinc enim Eccleſ. 3. mundus hominum diſputationi traditus dicitur, & Luc. 10. Deus tota mente diligendus proponitur. Ea tandem homo in Scripturis,& mentis capax, & rationalis aſtruitur. Idq; confirmat Philo lib. *de eo quòd ſuperius potior. inſid. ſoleat. Vis* (inquit) *illa quæ nobis cum brutis communis eſt, eſſentiam accepit ſanguinem: at illa quæ à rationali fonte dimanat, ſpiritus eſt, non aer motus; ſed character quidam, & effigies diuinæ potentiæ, quam nomine proprio Moyſes vocat imaginem; ſignificans, quod Archetypum rationalis naturæ Deus eſt, homo verò imago, ſeu effigies: non illud gemina natura animal, ſed quod eſt in anima præſtantiſſimum, quod vocatur mens, & ratio.*

Eccleſ. 3. Luc. 10.

Philo l. quòd ſuper. potio. inſid. ſoleat.

Cum Philone in hanc ſententiam tota priſcorum Philoſophorum Theologia conſpirat. Pythagoras namque animam idcircò diuinum genus appellat, quòd mentis particeps cùm Deo intellectuali natura communicet. Idem & Aratus ſentit, à quo D. Paulus

Pythagoras.

Aratus.

A dum Athenis in Areopago pro concione ageret, illud aſſumpſit. *Sicut & quidam veſtrorum Poetarum dixerunt: Ipſius & genus ſumus. Genus igitur cùm ſimus Dei*,&c. vt habetur Act. 17. Mercurius Trimegiſtus hac ratione animam Dei irradiationem nuncupat, vt intellectualem,ac rationalem animarum naturam eſſe declaret.

Actor. 17.

Merc. Trim.

Plato in Phædone animam prædicat eſſe ſimillimam ei, quod diuinum eſt; quo aliud ſignificare noluit, præterquàm illam intellectualem, ac mente præditam eſſe, ac propterea Dei in ſeipſo ſimilitudinem cir-B cumferre.

Plat. in Phæ

Aristoteles animum νοῦν ſæpiſſimè appellat, id eſt, mentem, intelligentiam.

Ariſt. lib. de cœlo.

Seneca lib. ad Heluiam. *Mobilis enim* (ait) *& inquieta mens homini data eſt: nunquam ſe tenet, ſpargitur, & cogitationes ſuas in omnia nota, atque ignota dimittit; vaga, & quietis impatiens eſt, & nouitate rerum lætiſſima: quod non miraberis, ſi propriam eius originem aſpexeris, non ex terreno, & graui concretam corpore, ex illo cœleſti ſpiritu deſcẽdere.* Vides Senecam animam intellectualem vſque adeò extollere, vt nonniſi à Deo effluxiſſe credat. Hinc ad Gal-C lionem ſcribens, intellectuales, ac rationales animas docet veluti ſcintillas quaſdam ſacrorum in terra reluxiſſe.

Sen. l. ad Heluiam.

Ad Gallien.

Tullius denique pro tota Academicorum ſchola de intellectiua animæ natura pręclarè ſentit de Nat. Deor. lib. 2. dicens. *Eſt igitur, quoniam nihil eſt ratione melius, eáque & in homine, & in Deo prima hominis cum Deo rationis ſocietas.* Haud ſanè abs re Tullius primam hanc hominis cum Deo in ratiocinatione, ac intellectiua animæ potentia ſocietatem conſtituit: cùm eadem ratione Moyſes hominem D Dei imaginẽ eſſe dixerit, vtpote rationis, quę diuinũ quoddã in homine eſt, participẽ; atq; ab eo idcircò ſapientiſſimè conditum, vt diuinæ illius ſapientiæ imago quodammodo, ac ſimulachrum eſſet. Quod nec ipſum Tullium latuit, qui in 1. de leg. de homine differens ait. *Non faciam longius, hunc enim pertinet animal hoc, prouidum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenũ rationis, & conſilij, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatum eſſe à ſupremo Deo.*

Tull. de Nat. Deor. lib. 2.

Tull. 1. de leg.

Cæterum quod ad Catholicos Patres attinet, nulli dubium eſt, vnam hanc illis eſſe ſententiam vno ore receptam; quam ha-E ctenus in hac aſſertione explicauimus: ita Dionyſius de diuin. nom. cap. 4. animam intellectualem ſubſtantiam vocat, vita indeficiente præditam: idem habet c. 1. D. Athan. in quæſt. de anima, & mente. Animam idcircò rationalem, & intelligentem conditam eſſe docet, quòd à Dei inſpiratione hauſta fuerit. D. Baſilius in dictum illud, Attende tibi ipſi. *Animam* (inquit) *ſortitus es intelle-*

Dion. de diuin. nom. c. 4.

D. Athan. in q. de anima, & mente.

D. Baſil. in dict. Attende tibi.

cœli mente præditam, cuius ſolerti cogitatione Deum agnoſcis; rerum indolem, naturámque ratiocinando deprehendis, hinc ſuauiſſimum præcerpis ſapientiæ fructum. Idem docent Greg. Nyſſen. de hom. opif. c. 14. D. Ioann. Chryſoſt. hom. 12. in Gen. Ioan. Damaſc. Orthod. fid. l. 2. cap. 12. Cyprianus de Card. Chriſti operib. in præfat. D. Ambroſ. in lib. de Noë, & arca. Aug. lib. 6. de Trinit. c. 6. Greg. Mag. lib. 4. Dialog. c. 5. & lib. 2. Mor. c. 2.

Gregor. Nyſſ. Ioan. Chryſ. Ioan. Dam. Cyprianus. Ambroſius. Auguſtinus. Greg. Mag.

Idem habetur expreſſum in Conc. Later. ptimo ſub Innoc. 3 & in 6. Conſtantin. act. 11. Refertur etiam extra de ſumma Trinit. & fid. Catholic. c. Firmiter. Gratianus tandem 24. q. 3. cap. Quidam autem Hæretici: inter Hæreſes enumerat errorem exiſtimantium animas rationales non eſſe intellectuales ſpiritus.

Conc. Later. Conſtantin. extra de ſūma Trin. & ſide Cathol. Gratianus.

Dico quartò, *Animam eſſe ſubſtantiam liberam.* Quæ aſſertio pugnat cum Lutheranis, & Caluiniſtis, ac reliquis noſtræ tempeſtatis Hæreticis, qui liberam animæ facultatem adimunt. Hæc adeò priſcis illis Philoſophis certa, ac indubitata fuit, vt nefas exiſtimauerint conſilij libertatem in animo minuere. Quamobrem Epictetus inter Philoſophos non vulgaris, poſtquam ex humani corporis harmonia Deum opificem eſſe ſtatuit. *Deus* (inquit) *non ſolum dedit nobis facultates has, quibus generoſè cuncta aduerſa perferamus: ſed quod erat Regis boni, & verè Patris, dedit hoc liberum, expeditum, non coactum; ipſumq́; omne inſeruit, & poſuit in nobis: nec vllam vim eſſe reliquam voluit, quæ poſſet ei impedimento eſſe.* Vides quàm præclarè Philoſophus animum ſuo iuri relictum, ac liberum à Deo conditum eſſe doceat.

Epictetus.

Nec minùs egregiè Seneca epiſt. 98. hoc ipſum teſtatur his verbis. *Errant enim mi Lucili, qui aut bonum aliquid nobis, aut malum indicant tribuere fortunam: materiam dat bonorum, ac malorũ animus, & initia rerũ apud nos in bonum malúmve exiturarum. Valentior enim omni fortuna animus eſt, in vtramque partem ipſe res ſuas ducit, beataq́; ac miſera vita ſibi cauſa eſt. Malus animus omnia in malum vertit, etiam quæ ſpecie optimi venerant. Rectus atque integer corrigit praua fortunæ, & dura, atque aſpera ferendi ſcientia mollit: qui licèt prudens ſit, licèt exacto faciat cuncta iudicio: licèt nihil ſupra vires ſuas tentet: non contingit illi bonum integrum illud, & extra minas fortunæ poſitum, niſi certus aduerſùs incerta ſit.* Quid ad tuendam animi libertatem præclariùs dici potuit?

Sen epiſt 98.

His tandem accedat elegans Tullij diſceptatio Tuſculanarum quæſt. lib. 2. vbi egregiè pro animi non modò libertate, ſed etiam imperio diſſerit his verbis. *Principio dixiſti plus in dedecore mali tibi videri, quàm in dolore; reliquum eſt, vt tute tibi imperes: quamquàm hoc neſcio quomodo dicatur, quaſi duo ſimus, vt alter imperet, & alter pareat: non inſcitè tamen dici-*

Tull. Tuſcu. quæſt. lib. 2.

A *tur. Eſt enim animus in partes diſtributus duas, quarum altera rationis eſt particeps, altera expers. Cùm igitur præcipitur, vt nobis ipſis imperemus, hoc præcipitur, vt ratio coërceat temeritatem. Eſt in animis omnium ferè natura molle quiddam, demiſſum, humile, eneruatum quodammodo, & languidum: ſi nihil eſſet aliud, nihil eſſet homine deformius: ſed præſtò eſt domina omnium, & regina ratio, quæ connixa per ſe, & progreſſa longiùs, fit perfecta virtus. Hæc vt imperet illi parti animi, quæ obedire debet; id videndum eſt verò quonam modo? inquies, velut ſeruo dominus, velut Imperator militi, velut parens filio: ſi turpiſ-*
B *ſimè ſe illa animi pars geret, quam dixi eſſe mollem: ſi ſe lamentis muliebriter, lacrymiſque dedet; vinciatur, & conſtringatur amicorum, propinquorúmque cuſtodiis: ſæpè enim videmus fractos pudore, qui ratione nulla vincerentur: ergo hos quidem vt famulos vinculis, ac cuſtodia arceamus.* Equidem non video, quid non modò ab Ethnico Philoſopho, ſed & à Chriſtiano Theologo ad liberam animi poteſtatem tuendam; aut grauiùs, aut diſertiùs dici potuiſſet.

Quid enim duæ illæ animi partes inter ſeſe colluctantes inſinuant? præterquàm du-
C plicem illam carnis, ac ſpiritus legem in nobis militantem, quam tradit Paulus Rom. 7. & ad Gal. 5. Quid rationis imperium; niſi liberum voluntatis in agendo arbitrium, & inſitam vim indicat, qua poteſt etiam indomitos carnis motus, ac cupiditates compeſcere, & vniuerſa pro ſuo libito moliri.

Roman 7. Ad Gal. 5.

Hæc aſſertio copioſiſſima tam ex humanis quàm diuinis literis teſtimonia, plurimas etiam Conciliorum definitiones, innumeras item Patrum auctoritates ſibi vendicat, ſed de ea alibi fusiùs agendum erit.

Dico quintò, *Animam eſſe ſubſtantiam im-*
D *mortalem.* Sed hoc in ſequenti Demonſtratione, quæ ob id propria, ac ſingularis inſtituetur, latè pertractabitur.

Dico ſextò, *Animam ſubſtantiam eſſe ex nihilo à Deo conditam.* Quæ aſſertio eſt contra Hæreticos aſſerentes animas hominum vel à Dei ſubſtantia abſciſſas, vel ex ſemine propagatas, vel ab Adæ anima traductas fuiſſe, quos ſuprà confutauimus. Quod nec ipſos priſcos Philoſophos latuit. Nam Pythagorici corporum, & animorum originem ad Deum referentes, animam Dei opificium eſſe docebant: cuius rei teſtis eſt Architas
E Tarentinus, qui præcipuus in Pythagoreorum familia fuit, cuius ſententia à Iamblico de ſecta Pythagoreorum refertur his verbis. *Homo, inquit Architas, omnium animalium ſapientiſſimus eſt creatus, potens res conſiderare, ac ſcientiam, & prudentiam capere ex omnibus: quoniam impreſſit, & indidit ei Deus omnium rationum plenitudinem, in quibus vniuerſa rerum ſpecies continentur:* & poſt pauca. *Hoc mihi videtur*

Architas Tarentinus. Iābl. de Sen

Digitized by Google

detur fuiſſe aliquando, ſicut fuit: quòd creatus ſit A *homo, & organa facultatéſque accepit à Deo.*

Qvæ Architæ, ac Pythagoreorum ſententia in omnes poſtea alicuius nominis Philoſophos profecta eſt; eámque per omnes hominum ætates diſſeminatam ſapientiſſimi quique amplexi ſunt. Nam & inter Ægyptios Aſclepius in ea, quæ appellatur Hymnodia ad Ammonem Regem. *Deo* (inquit) *vndequaque incorruptibili, & Patri noſtrorum animorum, ab omni lingua, & voce gratiarum actionem referri conuenit.* Vbi Deum Patrem animorum vocat, id eſt, creatorem, ac conditorem: quo ſenſu etiam prior Tri- B megiſtus in lib. quòd Deus inuiſibilis, ſit ex operibus manifeſtus: eandem de animo creato ſententiam protulerat, dicens. *Omnium Pater, genitrixque mens, cùm ſit vita, & natura, peperit hominem ſibi ſimilem, quem tanquam propriam prolem dilexit.*

Aſclep. in Hymnod ad Ammonem.

Trim in lib. quòd Deus inuiſibilis ſit ex oper. manifeſtus.

Cæterum Chaldæorum, ac Sibyllarum oraculis nihil aliud conclamatur, quàm animam à Deo creatam. Ex quibus celebre eſt illud, quod à Platonicis, ac præſertim à Pſello refertur. *Accelerare te oportet ad Patris ſplendorem, vnde tibi eſt animus miſſus.* Miſſus animus à Deo dicitur, id eſt, conditus, creatus (vt explicat Pſellus.) Huc ſpectat, quod Plato in Timæo animam dixit eſſe plantam, non terreſtrem, ſed cœleſtem; quo ſanè indicare voluit eam à Deo in homine plantatam, creatam, ac veluti inſitam fuiſſe.

Pſellus.

Plat. in Timæo.

Ariſtotelem verò, Tullium, Senecam, & quotquot rectè philoſophati ſunt, in hanc ſententiam paribus ſuffragiis conceſſiſſe, ex eorum dictis apertè conſtat. Ariſtoteles enim nõ ſemel aſſerit mentẽ homini non à corpore, ſed exteriùs à Deo aduentare. Tullius animorum originem nullam in terris agnoſcit, ſed animos à mente diuina ſatos, id eſt, conditos clamat. Seneca vbicunque de animorum origine agit, illos à mente diuina ineffabili modo deriuari prædicat. Hinc colligitur, nihil magis conſtanter, ſolidè, grauiter, ab omnibus alicuius nominis Philoſophis creditum, ac aſſertum fuiſſe, quàm conditam, ac creatam à Deo eſſe rationalem animam, tametſi plerunque inuolutè eam doctrinam tradiderint.

Ariſtoteles. Tullius. Seneca.

Porrò ſacrarum literarum oracula, quæ hanc aſſertionem confirmant, adeò copioſa ſunt, ac dilucida, vt vix vlla occurrat pagella, quæ creatum à Deo totum hominem non teſtetur. Id enim declaratur Gen. 1. 5. & 6. cùm homo ad Dei imaginẽ factus, ac creatus dicitur: in quo duplex corporis, & animæ creatio annuitur, item Deut. 4. cùm homo à Deo ſuper terram creatus narratur, & 32. cùm hominem à Deo genitum, poſſeſſum, factum, ac creatum Moyſes affirmat. Pleraque huiuſmodi teſtimonia paſſim leguntur

Gen. 1. 5. & 6.

Deut. 4. & 32.

A Sap. 2. & 10. Eccleſ. 17. & 38. Iſai. 45. Ezech. 21. Præterea Zachar. 12. hominis animam à Deo in ipſo fingi, ac creari affirmat, quare Auguſt. ad Optatum de orig. animæ ita ſcribit. *Si etiam ſpiritualis creatura non fingeretur à Deo, non ſcriptum eſſet, Qui finxit ſpiritum hominis in ipſo, & in eo quod legitur, Qui finxit ſingillatim corda hominum.* Demùm 2. Machab. 7. ſeptem Machab. mater teſtatur hominum animas à Deo originem per creationem habere. Nullus igitur iure dubitare poteſt animas à Deo ex nihilo conditas eſſe.

Sapien 2. 10. Eccle. 17. 38. Iſai 45. Ezech. 21. Zachar 12. Aug. ad Opt. de ori. anim. Pſal 32. 2. Macha. 7.

Postremò hæc aſſertio eſt de fide te- B nenda definita in Concilio Lateran. primo ſub Innocent. 3. vbi ſtatuitur Deum ab initio vtramque de nihilo condidiſſe creaturam. Et in Conſtant. in declaratione ſymboli Apoſtolici, vbi Deus viſibilium, & inuiſibiliũ creator aſſeritur, eaq; communi Patrum conſenſu roboratur. Clem. conſtit. Apoſt. lib. 5. cap. 6. Irenæus lib. 2. c 64. Athanaſ. in q. de anima, & mente. Hieron. epiſt. 17. ad Damaſ. & in Apolog. ad Pammach. Hilarius 10. de Trinit. Ambroſ. lib. de Noë, & Arca. Chryſoſtom. hom. 23. in varia loca Matth. Nyſſenus lib de anima c. 6. Theodoret lib de homin. nat Cy- C rillus lib. 1. in Ioann. c. 9. Bernard. ſerm. 17. in Cantic. Innoc. 3. comment. in Pſ. 50.

Conc Lat 1. Conſtantin

Clem Rom. Irenæus. Athanaſius. Hieronym. Hilarius. Ambroſius. Greg Nyſſ. Theodoret. Cyrill. Bernardus. Innocent. 3.

Qvòd verò nonnulli in eo errore verſati ſunt, vt animas ab intelligentiis, vel ab Angelis creatas eſſe exiſtimarent, qui error priùs Auicennæ, deinde Seleuco, & Hermiæ aſcribitur: vt patet ex lib. 7. Hiſt. Tripart c 11. tum etiam Galitæ, vnde proſeminata eſt hæreſis Meſſalianorum: adeò nihil ſolidum, vel in Scripturis, vel in Patribus habet, vt alia confutatione non indigeat, quàm quòd vniuerſi Patres docent, Angelis nulla ratione creandi poteſtatem competere poſſe. Cùm enim D creatio ſit productio ex nihilo, cuncta verò creata agentia neceſſariò ſubiectum præexiſtens requirãt, in quod agãt; inde ſit, vt ſolius increati agentis, cuius virtus ad infinitũ, & ad non ens ſe extẽdit, opus ſit, res ex nihilo producere. Ita docent D. Auguſt. lib. 3. de Trin. c. 8 & lib 9. de Gen. cap. 15. Damaſc. lib. 2. fidei Ortho. c. 3. & Scholaſtici omnes. Quamobrem cùm Angelus ſit agens creatum ac finita virtute præditum, illius actio minimè ad id ſe extendit, vt animas creare, aut ex nihilo excitare valeat.

Hiſt Tripar.

D. Auguſt.

D. io. Dam.

Dico vltimò, *Animam eſſe ſubſtantiam* E *corpori ſuo informando accommodatam.* Quod illos ſuggillat, qui vel animas ſentiunt in brutorum corpora tranſmigrare, vel vnicam tantùm in cunctis reperiri, vel corporibus tantùm præſentes eſſe exiſtimarunt.

Pythagoricis quidem, ac Platonicis commune illud præceptum eſt, vt dum animas immortales ſtatuunt, animarũ tranſmigrationem doceant, ne ſcilicet infinitam

anima

Digitized by Google

animarum multitudinem fateri cogantur. A

Nyſſenus l. 2. de anim.

Nyſſenus verò lib. 2. de anima c. 8. cenſet hac ratione Philoſophos omnes, quibus animorum immortalitas in confeſſo fuit, in earum transmigrationem conceſſiſſe: quam etiam olim apud Iudæos in pretio fuiſſe, qui credebant animas Patrum labi rurſus in filios, teſtis eſt D. Thomas in Comment. in Ioan. cap 1. & fortè hac ratione cùm Chriſtus Matthæi 16. Diſcipulos interrogaſſet. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* illi ex Iudæorum ſententia reſponderunt. *Alij Ioannem Baptiſtam, alij autem Eliam, alij verò Hieremiam, aut vnum ex Prophetis:* perinde ac ſi Ioannis B Baptiſtæ, aut Eliæ, aut Hieremiæ anima in Chriſtum migraſſet.

D. Thom. in Comm. in Io. cap. 1.
Matth. 16.

At verò hanc Platonicam animarum transmigrationem Peripatetici omnes impugnant, quibus aſſentiunt vniuerſi Catholici Patres, qui hanc doctrinam de animarum transmigratione hæreticã ſemper duxerunt. Greg. Nazianz. carmine 7. de anima. Alter Nyſſenus diſputat. de anima, & Reſurrect. & ante illos Irenæus lib. 2. aduerſ. errores Valentini cap. 60. Idq; apertè euincit locus ille Lucæ inter alia cap. 16. qui tres animas hominum, qui dudum è vita exceſſerant, loco, ac C corpore diſtinctas loquentes inducit, nimirum Lazari mendici animam, Diuitis epulonis, & Abrahæ. Ex quo apertè colligitur hominum animas non migrare de corpore in corpus, cùm illæ defunctis corporibus ſine corpore permanerent: ſed ſingulas animas ſingulis corporibus contentas eſſe.

Greg. Naz.
Greg. Nyſſ.
Irenæus.
Luc. cap. 16.

Qvo teſtimonio vtitur quoque D. Irenæus, quo probet non vnam eſſe cunctis hominibus animã: ſed animas pro corporũ multitudine, quibus infundũtur, eſſe ſingulariter multiplicabiles, ac multiplicatas; quæ etiam vel culparum damna luant, vel meritorum D præmia referant, vt teſtatur Paulus 2. Cor. 5. *Vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.* Nam ſi vna eſſet omnibus anima, ea ſimul & pœnas ſuſtineret, & præmia poſceret Pœnas quidem mereretur, cùm prauè ſe in vno corpore geſſiſſet, præmia verò iuſtè peteret, cùm in altero præclarè egiſſet.

2. Cor. 5.

Animam verò non tantùm corpori præſentem, vt nautam in naui, vt olim Platonem ſenſiſſe ferunt: ſed propriam, ac intimam eſſe corporis ſui formam; præter id quod Peripatetici omnes hoc ipſum aduerſus E Platonicos multis argumentis probant, ac defendunt; accedit & omnium Patrum, ac Scholaſticorum Theologorum conſenſus, qui velut vno ore animam rationalem corporis formam eſſe docent. Extat demum Catholica definitio Concilij Viennenſis in Clementinis tit. de ſum. Trinit. & fid. Catho. quæ oppoſitam doctrinam tanquam hæreticam damnat his verbis. *Doctrinam omnem, ſeu poſitionem temerè aſſerentem, aut vertentem in dubium, quòd ſubſtantia animæ rationalis ſeu intellectiua, verè, ac per ſe humani corporis non ſit forma, velut erroneam, & veritati Catholicæ inimicam fidei, prædicto ſancto approbante Concilio reprobamus; definientes vt cunctis nota ſit fidei ſyncera veritas: quod quiſquis deinceps aſſerere, defendere, ſeu tenere pertinaciter præſumpſerit; quòd anima rationalis, ſeu intellectiua non ſit forma corporis humani per ſe, & eſſentialiter, tanquam hæreticus ſit cenſendus.*

Conc. Vien. in Clement. tit. de ſum. Trin. & fid. Catholic.

Hvivs Clementinæ decretum celebrat Leo Papa X. in Conc. Lateran. 5. ſeſſ. 8. vbi decernit, ac præterea anathematis damnat eos, qui vnicam in cunctis hominibus eſſe animam aſſeuerare audent. Ex his igitur perfectam, ac integram animæ rationalis definitionem, ſeu potiùs deſcriptionem colligentes, dicimus; *Animam eſſe ſubſtantiam incorpoream, intellectualem, immortalem, liberam, ex nihilo à Deo conditam, ſuo corpori informando accommodatam;* quam etiam ex his probatam relinquimus.

Conc. Later. 5. ſeſſ. 8.

Demonſtratur animæ immortalitas primò ex Philoſophorum conſenſu.

Articvlvs. VII.

His igitur, quæ de animæ origine dicta ſunt, ita expoſitis, ac neceſſariò præmiſſis, reſtat vt eiuſdem immortalitatem tam contra Atheiſtas, quàm contra Hæreticos demõſtremus. Grauiſſima ſanè res, à qua non modò totius virtutis, ac religionis initia pendent: ſed ab ea ipſa quoque humana dignitas nobiliora ſua auſpicia colligit. Nam ſi is ſtultus iudicandus eſt (teſte Aug. in lib. Confeſſionum) qui abit, vt altiſſimos montium vertices miretur, ingentes fluctus maris, & altiſſimos fluminũ lapſus, Oceani ambitum, & curſus ſyderum, & ſeipſum relinquit, nec miratur: talis is eſt, qui ea quæ extra ipſum ſunt, aduertit ſuſpenſus, & ſeipſum non curat; & ſui animi naturam, ac immortalitatem, vnde perpetua in eum fœlicitas manare poteſt, negligit.

D. Auguſt. lib. Confeſſ.

Et quidem cùm hæc facillima, immò iucunda iis quæſtio ſit, qui ſobriè, ac fideliter (vt par eſt) res inuiſibiles pertractant: contrà iis adeò perplexa; ac inuoluta videtur, qui omnia vel corporeo oculo metiuntur; vel proprio ingenio fiſi, abditiſſimarum rerum ſibi vltrò ſcientiam accerſunt, ſeque diuinis teſtimoniis ſubdere renuunt; vt eo præſertim iuſtè agente, qui tenebras impiis mentibus offundit, inextricabiles penè difficultatum nodos indies augeat, ac nouos quotidie Atheiſtas pariat.

Qvamobrem id illis primum velut

præceptum

Digitized by Google

præceptum eſſe debet, qui de animarum im-
mortalitate aliquid curioſius indagare vo-
lunt, vt ſe Chriſtianos ac fideles, non tantùm
Philoſophos meminerint: ac proinde ad fi-
dem & Scripturas, quibus nullum omnino
falſum ſubeſſe poteſt, velut ad Lydium lapi-
dem, cuncta animi ſui ſcita examineut.

SVNT enim plerique, qui ita ingenio ſuo
applaudunt, atque animi ſui fœtus tam mol-
liter ac ſuauiter lambunt, vt id illis duntaxat
mirabile videatur, quod vel à Philoſophis
ſummo ſtudio hauſtum, vel proprio ingenio
excogitatum fuerit: cui ita fixi inhærent, vt
ipſa quoque diuina Scripturarum teſtimonia
velut leuia erubeſcant; quos haud mirum eſt,
propria animi leuitate eò plerumque ferri, vt
in maximos fidei errores incidant. Volueris
ſiquidem animus, ac nouorum ſemper cupi-
dus, eò faciliùs in præceps fertur, quò nullo
prærerquàm ſuipſius gubernaculo regitur:
nec non peregrina mens ita ſæpè per ignotas
ſpeculando regiones peragrat, vt niſi tuto
fidei duce gubernetur, facilè à via aberret, &
per errorum præcipitia collidatur.

Id obiter principio admonere volui, vt qui
ad animarum immortalitatẽ inueſtigandam,
proprio ingenij ſtudio ardentiùs feruntur, ſtu-
dium compeſcant: neque curioſiùs aliquid
præter id indagare velint, quod tũ ex priſco-
rum Philoſophorum conſenſu, tum ex Scri-
pturarum fide, demum ex Eccleſiæ definitio-
ne nobiſcum acceptum ſeruant. Et fidei ac
Scripturarum auctoritatem; quod irrefraga-
bile ipſius Dei teſtimonium eſt, ſibi pro ma-
ximis rationibus ſufficere arbitrentur.

PORRÒ hic erit huiuſce noſtræ Demon-
ſtrationis ordo: vt primò Philoſophorum in
decernenda animæ immortalitate conſen-
ſum exponamus; deinde Scripturarum te-
ſtimoniis, tum Patrum auctoritatibus, po-
ſtremò rationibus hanc veritatem demon-
ſtremus: tandem ſi quæ erunt Atheiſtarum
vel Hæreticorum argumenta, vltimo loco
diluentur.

PRIMÒ igitur quod ad Philoſophorum
conſenſum ſpectat, is adeò antiquus & com-
munis eſt, vt vix vnquam alicuius nominis
Philoſophus extiterit (Stoicis exceptis) qui
conſtanter animæ immortalitatem non do-
cuerit. Nã inter priſcos illos Ægyptios Mer-
curius Trimegiſtus: inter antiquos Italicos
Pythagoras, ac Pythagoreorum familia: inter
Græcos Phocylides, Orpheus, Plato ac Plato-
nici omnes: inter Latinos Seneca, Tullius; pre-
ter hos Xenocrates Speuſippus, Epictetus, Nu-
menius, Plotinus, Anaxagoras, Diogenes, qui
inter Philoſophos illuſtres extitêre, animam
immortalem eſſe ſenſerunt. Neque Stoici,
quorum Zeno primus auctor fuit, tantam
ſibi apud Philoſophos auctoritatem compa-
rarunt, vt illis meritò tot illuſtriſſimas Pytha-

A goreorum, Cynicorum, Platonicorum, Peri-
pateticorum, atque Academicorum ſectas nõ
anteponamus. Illi ſiquidem, quamuis animas
poſt corpora multis ſæculis permanere dixe-
rint, tamen poſtea tandẽ extingui exiſtimarũt.

SOLVS Ariſtoteles Peripateticorum Prin- *Ariſt. de anima.*
ceps viſus eſt in hac parte ambiguus; neque
quid de animarum mortalitate, vel immorta-
litate ſenſerit, ſatis videtur aperuiſſe. Nam in
lib. 1. de anima, ait intellectum nihil forſan
perpeti poſſe; quaſi dubius foret, an is incor-
ruptibilis ſtatuẽdus eſſet. Et 12. Metaph. quæ- *12. Metaph.*
ſtionem de intellectus incorruptibilitate mo-
B uet, nec illam terminat. Quin etiam in oppo-
ſitam partem videtur propendere, ac morta-
lem animum docere in Ethicis, vbi ait; vlti-
mum terribilium eſſe mortem, nec poſt eam
videri bonum, vel malum ſupereſſe mortali-
bus: ac præterea ibidem ait; fortem virum,
cũ ſe ſe morti exponit, maximis ſe bonis or-
bare, quibus eſt dignus, quaſi poſt mortem
nulla ei bona ſupereſſent. Et in Oeconomicis
inquit; homines ſola propagatione aſſequi
ſempiternitatem. At Ariſtotelem animam
immortalem aſſeruiſſe potiùs quàm negaſſe,
C ex pleriſque illius teſtimoniis infrà demon-
ſtrabimus.

IGITVR, vt ab Ægyptiorum Philoſophia
Demonſtratione m exordiar. Adeſt illuſtriſſi-
mus Trimegiſtus, qui in Pimandro c. 1. poſt- *Pimand. c. 1. Trimeg in*
quam hominem à Deo creatum, atque ab eo
velut propriam prolem dilectum fuiſſe dixit;
mox animam à corpore diſcernit, & dupli-
cem quaſi hominem conſtituit, vnum qui-
dem mortalem; alterum immortalem. *Quan-
doquidem* (inquit) *ſolus homo ex vniuerſis terrenis
animantibus duplicis naturæ cenſetur, mortalis qui-
dem propter corpus, immortalis autem propter homi-
D nem ipſum ſubſtantialem: Immortalis enim eſt,
cunctorúmque arbitrium obtinet.* Vides morta-
lem hominem, & immortalem, mortalem
corpore, anima immortalem, neque temerè
Mercurius animam ſubſtantialem hominem
eſſe dixit. Nam cùm ea ſit, quæ ſubſtantiam,
ac vitam corpori præſtat, quáve homo ratio-
nalis efficitur; idcircò ſubſtantialem homi-
nem nuncupauit, vt eam corpore excellentio-
rem eſſe declararet, & ab ea hominis totius
dignitatem pendere: corpus enim exterio-
E rem tantùm hominem præſtat, anima inte-
riorem. Potiorem autem hominem in inte-
riori collocari quis dubitat? Quapropter ſa-
pientiſſimè Trimegiſtus penes animam il-
luſtriorem hominem collocat: nam corpus
quidem mortale eſt, anima verò immortalis.
Hæc Trimegiſti præclara ratiocinatio mini-
mè à Chriſti doctrina diſſentanea eſt, qui ani-
mam non ſolùm corpore, ſed rebus omnibus,
ac ipſo vniuerſo præſtantiorem prædicat
Marc. 8. *Aut quam dabit* (inquit) *homo commuta-* *Marc 8.*
tionem pro anima ſua?

POST

Pythagoras. Plut de plac. Phil. POST Trimegiſtum Pythagoras inter priſcos Philoſophos illuſtriſſimus hanc animorum immortalitatē palàm profeſſus fuit, teſte Plutarcho de Placitis Philoſophorum, (illius enim ſcripta temporum iniuria perierunt. *Pythagoras* (inquit) *& Plato incorruptibilem eſſe animam dicunt, exeuntem enim reuerti ad animam vniuerſi ad ſuum genus.* Hunc animarum reditum ad animam vniuerſi, quandoquidem in fidem pugnat, nititur Steuchus in lib. de perenni Philoſoph. lib. 9. c. 30. ab errore vindicare, quaſi is animam vniuerſi Deum intellexerit, per omnes mundi partes commeantem, ad quem anima poſt corporis ſeparationem redit: ego quidem minimè reluctor, ea præſertim ratione, quòd illam is ad genus ſuum redire fateretur; animæ verò genus (tum Plutarcho, tum Cicerone teſte) eadem ad Deum referret: attamen nimis graue videtur omnia Philoſophorum placita ad fidem reuocari: præſertim cùm Pythagoras animatum in diuerſa corpora tranſmigrationem docuerit, quam Steuchus negare non poteſt. Id igitur nobis ſufficiat, Pythagoram inter primos, ac inſigniores Philoſophos in animæ immortalitate apertè conſenſiſſe.

Steuchus in lib de Peren. Philoſ lib. 9. cap. 30

Phocylides. NEQVE ab ea diſſentit Phocylides inter Græcos vetuſtiſſimus, qui animos immortales his verſibus cecinit.

Sed viuunt animi ſemper ſine morte, ſenectaq́;,
Defunctis ſupereſt vita, & Dij deinde creantur:
Incorrupta manet anima.

Orpheus. Heſiodus. Pindarus. Homerus. Atque hęc Phocylidis de animarum immortalitate ſententia, fuit etiam Orphei, Heſiodi, Pindari, Homeri, ac cæterorum vatum illius temporis, quibus ea tantùm cura eſſe videbatur, vt homines immortales aſſererent, atque in Deos, qui virtutem ſequuti eſſent, transferrent: atque inde illa propè innumera Deorum multitudo profecta eſt, quæ olim à Gentilibus colebatur: cùm eos omnes, qui inſigni aliqua virtute, aut excellentia inter homines præclari erant; inter Diuos referrent. Et quidem antiquorum mens minimè ea fuit, vt veros illos eſſe Deos exiſtimarent, quos homines mortales fuiſſe non ignorabāt: ſed ea arte vſi ſunt, vt homines ſuæ ipſorū animæ immortalitatis admonerent, ac eo ſtimulo ad virtutis ſtudiū allicerent, quò Dei ſimilitudinē poſt corporis obitū aſſequerētur.

AT his vatibus omiſſis ad Platonem venio, qui in aſſerenda animæ immortalitate omnium vberrimus fuit, quippe qui tota Italia, ac Ægypto peragratis; vt Pythagoreos audiret, & Ægyptiorum ſapientiam addiſceret, omniū velut in hac ſententia interpres fuit. Is primùm in Phæd. quem dialogū de anima inſtituit, præclarè hoc modo de animæ immortalitate diſſerit. *Quamdiu in eodem ſunt anima atque corpus, hoc quidem ſeruire, atque ſubeſſe natura iubet: hanc verò præeſſe, atque do-*

Plat. in Phæ.

A *minari. Secundùm hæc rurſus vtrum tibi videtur ſimile eſſe diuino, vtrum mortali? annon putas diuinum quidem tale eſſe natura, vt præſit, & ducat: mortale verò, vt ſubiiciatur, ac ſeruiat? Puto equidem. Vtri igitur horum eſt anima ſimilis? Conſtat (ô Socrates) animam quidem ſimilem eſſe diuino, corpus verò mortali. Animaduerte iam (ô Cebes) num hæc ex omnibus, quæ à nobis dicta ſunt, conſequantur. Videlicet ipſi diuino, immortali, intelligibili, vniformi, indiſſolubili, ſemper eodem modo, & ſecundùm eadem ſeipſum habenti animam eſſe ſimillimam: humano verò, mortali, nec intelligibili, multiformi diſſolubili,*
B *nunquam eodem modo ſibimet ſe habenti ſimillimum eſſe corpus. Poſſumúsne (ô amice Cebes) præter hæc aliud quicquam afferre, quominus ita ſit? non poſſumus. Quid ergo? cùm hæc ita ſe habeant, nónne corpori conuenit, vt breui ſoluatur; animæ verò vt omninò indiſſolubilis ſit?* En quàm præclarè Plato animæ immortalitatem colligit.

AT in eodem dialogo ad animæ immortalitatem demonſtrandam alio argumento vtitur. *Reſponde* (inquit) *quidnam ſi in corpore ſit, erit viuum? ſi anima; nónne id ſemper ita ſe habet? ſemper. Anima igitur quicquid occupat, ſemper ad illud vitam affert? affert proculdubio.*
C *An eſt aliquid vitæ contrarium néc ne? Eſt vtique. quid iſtud? mors. Anima verò contrarium eius, quod ipſa ſemper adducit, ſubibit nunquam, quemadmodum ex ſuperioribus eſt conceſſum. Sic eſt omnino (inquit Cebes) age iam quod non ſubit mortem, quomodo appellabimus? immortale. Et anima quidem mortem non ſuſcipit? nequaquam. Eſt igitur anima immortalis.* Hoc argumentum quod etiā eſt Aug. latiùs 3. in rationib. proſequemur.

HINC ſapientiſſimè, ac religioſiſſimè vniuerſos admonet, circa huius libri finem: vt animæ, quæ perpetuò immortalis eſſe debet, curam haud negligant, ſed virtutibus opti-
D mam ac perfectam reddant: *Hoc autem* (inquit) (*ô viri*) *iuſtum eſt cogitare ſi anima ſit immortalis; eam non ſolùm temporis huius, in quo viuere dicimur, verùm etiam vniuerſi gratia curatione plurimùm indigere. Nam graue periculum fore putandum eſt, ſi quis neglexerit animam. Si enim mors totius diſſolutio eſſet, nimirum improbi lucrarentur: cùm & à corpore, & ab eorum prauitate cùm anima liberarentur. Nunc autem cùm anima immortalis appareat: nulla ſupereſt malorum declinatio, nulla ſalus, niſi vt optima & prudentiſſima fiat.* Quod maximè perpendere debent Atheiſtæ, qui ea tantùm ratione animæ immortali-
E tatem negant, vt liberiùs fœdam, ac vitiis contaminatam vitam ducant.

ATQVE idem repetit in Menone, vel de virtute: vbi animam ex Pindari ac cæterorum priſcorum Poëtarum ſententia immortalem affirmat. *Tradit præterea* (ait) *Pindarus, & cæteri quicunque Poëtarum diuini ſunt, talia quædam, quæ aduerte quæſo, num vera tibi videantur. Ferūt enim hominis animum immortalem eſſe, eúmque tum de-*

Plato in Menon.

cedere,

cedere, quod quidem mori vocant, tum iterum redire, interire verò nunquam: quam ob cauſam vitam quàm ſanctiſſimè agere monent.

Plato lib. de legib. Dial. 12.

AT in lib. de legib. Dial. 12. animæ immortalitatem, velut omnibus commune dogma credendum ſtatuit his verbis. *Credendum eſt reuera vnumquemque noſtrûm. i. animam ipſam immortalem eſſe, eámque ad Deos alios proficiſci, rationem ſuorum operum reddituram, vt lex patria continet* Vides iam tunc Platonis tempore lege ſancitum fuiſſe, vt anima immortalis, ac diuino iudicio ſiſtenda crederetur: ſubdit verò. *in quo certè bonis viris confidendum eſſe ait, malis autem formidandum, quippe cùm poſt mortẽ omni auxilio careant, iiſq́; quàm maximè curandum eſſe, vt iuſtiſſimè, & ſanctiſſimè viuant: ne maxima ac perpetua eos ſcelerũ poſt mortem ſupplicia maneãt.* Quæ aurea propemodum verba ſunt, ac omnium mentibus inſculpenda, qui ſuorum animorum curam negligunt.

Lib. de Repub. Dial. 10.

Hoc ipſum de animæ immortalitate dogma, quò tenaciùs hominum animis inhæreat, conſtantiſſimis rationibus demonſtrat in lib. de Repub. Dial. 10. *An ignoras* (inquit) *immortalem eſſe hominis animam, & ab interitu liberã?* Ratio verò, qua id demonſtrat, prima eſt; quam nõnullis interiectis aperit. *Nã ſi corporis* (inquit) *ægritudo, prauáque affectio non efficit animam prauam, & ægrotam: quandoquidem neque ex febri, neque ex alio quouis morbo, neq; iugulatione, neq; etiã ſi quis corpus in minutiſſima quæq; concidat, diſſipari animam concedimus; priuſquã oſtenderit aliquis propter has corporis paſſiones animã ipſam iniquiorem, prophaniorémque fieri; ſanè nũquam dicere poterimus ab vllo malo eam perire poſſe, niſi à propria deprauatione, malóque ſuo. Proprium enim cuiuſque malum, ſuáque prauitas quodlibet corrumpit. At nemo id vnquam oſtendet, morientium animas propter mortem iniuſtiores effici. Eſtne igitur aliquid quod animam prauam faciat, velut proprium animæ malũ? Et maximè quidem quæ commemorauimus omnia; iniuſtitia, intemperantia, timiditas, & inſcitia. An quicquam ex his animam perdit? Quando igitur cuique ſua prauitas, & ſuum cuique malum animam perdere nequit, nunquam malum ad alterius interitum inſtitutum, vltra id cui propriè accidit, vel animam, vel aliud quicquam diſſoluet. Cùm ergo à nullo prorſus malo, ſiue proprio, ſiue alieno interimatur: patet eam ſemper eſſe, neceſſarium eſſe, ſi ſemper eſſe, immortalem exiſtere.*

HANC rationem longa verborum ſerie à Platone exaratam, breuẽ ex ipſiuſmet verbis collegimus. Quæ quoniam per ſe clara eſt, declaratione non eget.

ALTERA ratio, quam ibi huic annectit, atq; ex priore elicit, ita ab eo declaratur. *Animaduertas eaſdem ſemper animas fore: neque enim pauciores vnquam erunt, cùm nulla intereat, neque rurſus plures; ſi enim immortalium quicquam plus efficiatur, ex mortali efficietur, erúntque demum immortalia omnia; vera loqueris: at verò id nequaquã*

A *exiſtimamus: ratio namque prohibet: neque iterum arbitramur animam veriſſima ſui natura talem eſſe, vt varia, diſſimilis, atque differens in ſeipſa ſit. Animam igitur immortalem eſſe, & ratio præſens, & aliæ præterea conuincere poſſunt.*

HIC diuinus licèt Plato, humani tamen aliquid erroris paſſus eſt, cùm nec plures, nec pauciores fore animas exiſtimat; quã eas quæ hactenus à Deo conditæ ſunt. Hic verò error ab altero originem ſumpſit, quo Plato perpetuam rerum generationem, ac proinde mundum nunquam periturum eſſe credidit. Quare ne infinitam animarum multitudinem dare
B compelleretur: certum animarum numerum ſtatuere maluit, quę in noua ſemper corpora transmigrarent; quàm animarum infinitatem aſſerere. At ſublata mundi perpetuitate, proculdubio Plato, ita in Catholicam ſententiam conceſſiſſet, ſicut in æternitate animarum conſenſit.

Plato in Axiocho.

IS tandem in Axiocho pulcherrimis rationibus animæ immortalitatem euincit ita ſcribens. *Times amiſſum iri animam, aliámque animam illius amiſſione circũdas. Et turbaris, quòd ſis ſine ſenſu futurus, hócque ipſum non ſentire, alio te ſenſu comprehenſurum putas. Ad hæc multæ*
C *ſunt perpulchræq; de animæ immortalitate rationes. Neque enim mortalis natura in tam varias res attollere ſeſe poſſet, vt contemneret ingentium ferarum vires, maria transmitteret, conderet vrbes, Reſpublicas conſtitueret: reſpiceret etiam in cælum, & Aſtrorum videret reuolutiones, curſúſque Solis & Lunæ: ortus item & occaſus: defectus, celeritatem, diſtantias, æquinoctiáque, & duplices conuerſiones Pleiadum etiam & hyemis; atque æſtatis ventos, imbriúmque caſus, & horrendos turbinũ raptus, vt comprehenſos quoq; mundi labores ſæculis traderet; niſi diuinus quidã mentibus noſtris ſpiritus ineſſet, quo complexũ, notitiámque tantarum attinge-*
D *ret rerum. Tranſit itaque nõ in mortem, Axioche, ſed in immortalitatem.* Hæc & alia Plato tum ibi, tum in Timęo ad animarum immortalitatem perſuadendam adfert: quæ Platonici aliis quoque rationibus illuſtrarunt.

Plotinus Enn. 1. lib. 2. c. 14.

NAM Plotinus inter Platonis diſcipulos illuſtriſſimus, ex virtutibus animæ inſitis illius immortalitatem exhaurit. *Expiatæ* (inquit) *animæ aſſident, optima ſapientia, omniſque alia virtus ei domeſtica. Si igitur talis eſt anima cùm ſe collegerit, & in ſeipſam redierit; quomodo non naturæ illius erit, qualem eſſe rei diuinæ, ac ſempiternæ*
E *omnes dicimus? Nam ſapientia, & vera virtus, quæ ſunt diuina, haudquaquam rei vili, atque mortali inſunt; ſed neceſſe eſt diuinum eſſe huiuſmodi, vt ei ſoli ſit cum diuinis ſocietas propter affinitatem generis, vel ſubſtantiæ.* Hęc Plotinus. In quo non admodum magni facienda eſt illa vocis conſubſtantialitatis, aut affinitatis ſubſtantiæ vſurpatio, tanquam ea hæreſim foueat, & à fide ſit diſſentanea, quæ animas, non ex Dei ſubſtantia abſciſſas, ſed à Deo creatas docet.

Digitized by Google

Plotinus enim more Platonico agit,vt excellentiori, quoad fieri poteſt, vocabulo animæ cum Deo ſimilitudinem extollat.

Ennead. 4. lib. 3. c. 8. Idem quoque alia ratione ad animarum immortalitatem perſuadendam vtitur lib. 3. Enn. 4. cap. 8. ab ipſa anima à ſimplicitate petita. *Rationi* (inquit) *præterea conſentaneum eſt, cōpoſita ex quatuor elementis poſſe in elementa pura reſolui: ac ſi elementa deteriora nequeant omnino ſeorſum à præſtantioribus eſſe, ſaltem alicubi præſtantiora ſeorſum à deterioribus in ſua puritate conſiſtere: ſimiliter compoſitum ex materia & forma, tanquam geminis elementis reſolui quodammodo in materiam pūram, & omnino redigi ad formam aliquam per ſe puram, quæ per ſe, & in ſe conſiſtat abſque materia; quamuis materia nequeat procul ab omni forma conſiſtere. Sicut elementum (vt dixi) formale à materiali procul exiſtit, quamuis è conuerſo non accidat: in genere formarum eiuſmodi intellectuales animæ enumerantur. Eiuſmodi quidem forma eſt eſſentia ſimplex, eſſe ſuum per ſe poſſidens in ſeipſa, in qua & eſſe ſuum idem eſt, atque eſſentialis vnitas eius. Contrà verò compoſitorum eſſentia ſeſe habet, nempe in hac aliud eſt, eſſentia ſimul, atque eſſe, quæ conſiſtunt in multitudine, quàm vnitas, quæ prout eſt vnitas, multitudinem non admittit, atque eſſe ibi ſequitur vnionem, quam vnitas antecedit. Quorſum hæc? vt intelligas ipſam animæ formam, cuius eſſe idem eſt, quod & eſſentialis vnitas eius, eſſe prorſus indiſſolubilem, quemadmodū eſt indiſſolubilis vnitas.*

In hac ratione Plotinus videtur aſſerere, eſſe, & eſſentiam in anima nō differre, ac proinde eam ex eſſentia, & exiſtentia haud compoſitam eſſe; quæ ſententia (vt verba ferunt) à Catholicis Theologis damnatur, qui Deum Opt. Max. tantummodò ab hac compoſitione immunem eſſe docent: cùm enim Deus ſit ens primum, ac ſimpliciter neceſſarium ex ſe exiſtens, eſſe ſeu exiſtentiam ita ſibi intrinſecam habet, vt ea nulla ratione ab illius eſſentia diſtingui, aut ſeorſim ab ipſa concipi valeat: quæ enim in his diſtinctionis cauſa eſſe poteſt, in quibus nulla prior cauſa agnoſcitur, quæ ipſas ab inuicem ſeparare potuerit? id verò præſertim confirmat Concilij Florentini Decretum, quo definitur, quęcunque ad diuinam perfectionem ſpectant, vnum & idem in Deo eſſe; quò fit, vt cùm eſſe aut exiſtētia intrinſecam Dei perfectionē inſinuet; ea ita ſit de ratione, ac quidditate eſſentiæ, vt nihil omnino in Deo inter eſſentiam, & exiſtentiam interſit.

Non ita de creaturis ſentiendum eſt; quæ idcirco eſſentiam ab eſſe, ſeu exiſtētia diſtinctam habent, quòd in his exiſtentia ſit extra rationem & quidditatem eſſentiæ: ſiquidem in homine aliud eſt eſſe, ſeu exiſtere; aliud eſt eſſe animal rationale riſibile &c. primum exiſtentiam explicat, alterum eſſentiam.

Sed Plotinus cùm ait, eſſe animæ idem

A eſſe, ac eſſentialem vnitatem eius; minimè animæ exiſtentiam cum ipſius eſſentia componere, ac identificare voluit; cùm eò Platonicorum Philoſophia nō pertingeret; ſed animam à materiæ, ac formæ compoſitione, quæ cæteris rebus interitum, ac diſſolutionem adfert, liberam prædicare voluit: huc enim tota hæc Platoniana ratio ſpectat, vt animam vnam, ſimplicem, indiuiſibilem, id eſt, ex materia, & forma more corporum minimè compoſitam eſſe probet; atque inde eam indiſſolubilem, ac immortalem concludat: quæ ratio optima eſt, atque eam nos fuſiùs infrà explicabimus.

B *Plotinus Ennead. lib. 7. cap. 10.* Postremo, idem Plotinus eadē Ennead. lib. 7. c. 10. cauſam inquirens, cur animam aliqui immortalem eſſe non ſentiant, eam eſſe dicit, quòd illam vitiis inquinatam deprehendant: at ſi naturam eius puram conſiderarent, neque adiunctum accidens, quod plerumque illius cognitionem impedire ſolet, ſibi ante oculos ponerent, protinus immortalem eſſe cernerent; cùm illam circa immortalia ac ſempiterna tātùm verſari animaduerterēt. Is tandem integrum librū de animę immortalitate conſcriptum reliquit, vt inde perſpectum eſſe

C poſſit, quàm acerrimos priſca illa ætas animarum immortalitatis propugnatores habuerit.

Proclus in comm. Alcib. de anim. & Dæm. Eandem ſentētiam tuentur Proclus in comment. Alcib. de anima & Dæm. vbi animam rationalē à mundi opifice creatam, ſtabilem, ac ſempiternam docet Porphyrius de *Porphyr. de cauſ.* cauſis, qui animam eſſe eſſentiam inextēſam, immaterialem, immortalem, habentem in ſeipſa viuere, & eſſe ſimiliter poſſidentem defendit; ac præterea ex eo quòd anima eſt ipſa eſſentia, in qua vita cōſiſtit, vt prior Plato docuerat, nunquam moriturā affirmat. Iambli- *Iamblic. de myſt. Ægypt.*

D cus de myſter. Ægypriorum ſub finē, animorum ſempiternitate ſuum volumen concludit. Alcinous & ipſe inſignis Platonicus pluri- *Alcinous c. 23. & 25.* mis argumentis ex Platone hauſtis pro animarū immortalitate pugnat cap. 23. tum cap. 25. decerptam illam ex Timæo Platonis corporeæ naturæ effictionem à diis minoribus perfectam declarat his verbis. *Animam hominis immortalem à primo Deo ſuſcipientes dij mortalium generum conditores, partes illi duas mortales (vt diximus) adiunxerunt. Verùm ne vis ani-*

E *mæ immortalis, atque diuina deliramentis mortalibus inficeretur, in ipſa corporis arce ſedem eius, vtpote principis omnium ſtatuerunt. Etenim habitaculum eius caput eſſe voluerunt, ea figura qua mundus elaboratus. Reliquum verò corpus huic ad miniſterium, quaſi vehiculum ſubiecerunt.*

Denique, poſt Pythagoreos hæc vna omnium Platonicorum conſtantiſſima ſententia fuit, animas eſſe immortales. At ne nimiùm Platonicis videar fauere; venio ad Peripateticos, quorum Ariſtoteles Princeps fuit. *Ariſtoteles.* Nonnullis, & fortè non malè viſum fuit, Ariſtotelem

ſtotelem circa animæ immortalitatem fuiſſe inconſtantem ac dubium, ob ea loca, quæ ſuperiùs adduximus, quæ vel dubium vel animæ mortalitatis fautorem declarant. At illum Peripateticorum multi ab hac calumnia vendicant, & animarum immortalitatem docuiſſe affirmant. quibus ego lubentiùs aſſentior, & eò faciliùs in eorum opinionem adducor, quòd illuſtriſſimos Philoſophos ac Theologos D. Thomam, Albertum, & alios in hanc ſententiam conſpirare videam. Vix enim credibile eſt Ariſtotelem ſententiam de animarum immortalitate, quæ ſuo tẽpore toto orbe celebris, ac inter Philoſophos communis erat: atque à Pythagoreorum, ac Platonicorum ſententia ſummam ſibi auctoritatem in orbe comparauerat, impugnare voluiſſe, aut velut incertam in diſcrimen adduxiſſe. Cæterùm minimè mirãdum eſt, Ariſtotelem interdum aut inuolutè loqui, aut modò in hanc, modò in aliam partem deflectere, cùm id illi haud nouum, ac inſolitum ſit, quoties quæſtionis terminandæ locus nõ offertur, ſæpenumero ad veritatẽ meliùs hauriendam, quæſtionem pro altera parte exagitare: exagitatam verò non ſemel in alium locum determinandam differre. His itaque locis expoſitis, quibus animarũ mortalitati nonnihil fauere viſus fuit, nonnulla, ac præcipua dumtaxat loca huc vocabimus, quibus apertè animam immortalem eſſe docet, vt animarum immortalitati tã inſignis Philoſophi ſententia non deſit: vbi obiecta loca diluerimus.

Primvs locus, qui ex primo de anima obiicitur: vbi ait Ariſtoteles, *Intellectum fortè perpeti non poſſe*: potiùs nobis fauet, quàm obſiſtat: eo enim potiùs ſe in hanc ſententiã propendere declarat, quòd à corporeis nõ patiatur: neque impedit dubitatiua illa particula (*fortè*) cùm nondum tunc quæſtionis terminandæ locus aptus eſſet. Eodem plane modo alter locus eiuſdem libri exponitur: vbi ait, *Si intellectus habet operationem propriam, eſt ſeparabilis, & ſi non habet, non eſt ſeparabilis: Et ſi intellectus eſt phantaſia, aut non ſine phantaſia, non erit ſine corpore, & ita non erit ſeparabilis.* Conſtat enim quòd ibi tantum difficultatem mouet, non reſoluit. At difficilior eſt locus quem in 3. lib. de anim. exerit: vbi ait animam ſine phantaſmate non intelligere, quod etiam alibi repetit. At Ariſtotelem quoad præſentem tantùm animæ ſtatum, quo intellectus corpori annexus eſt, locum intelligere declarat 12. Methaph. text. commen. 17. vbi ait. Intelligentem oportere phantaſmata ſpeculari.

Ariſtot. 1. de anim.

5. De anim.

Porro, quòd intellectũ paſſiuum in eodem lib. tex. comm. 20. corruptibilem eſſe dicit, certum eſt tum ex ipſo contextu, tum ex teſtimonio expoſitorum, vel de appetitu, vel de cogitatiua vi ibi agere. Vide D. Thom. prima primæ quæſt. 29. 2. ad 2.

A Occvrrit præter hæc inſignis locus primo de cœlo text. commen. 121. vbi omne genitũ corruptibile eſſe affirmat; at facilè diluitur, quandoquidem is de genito, non de producto, aut creato loquitur: animam verò is non genitam, ſed exteriùs aduenire docet, vt poſtea explicabimus. At obiici poſſet reſponſioni: Ariſtotelem ibi geniti nomine illud comprehẽdere, de quo verum eſt dicere, modò eſt, & priùs non fuit: vt ex eo loco conſtat. Sed nec id noſtram reſponſionem minuit: nam licèt de anima verũ ſit dicere, modò eſt, & priùs non fuit: non tamen ea modo eſt per B generationẽ, de qua ibi Ariſtoteles intelligit.

Svpersvnt loca, quæ tum ex Ethicis, tum ex Oeconomicis obiecta fuerunt, quibus videtur aſſerere nullum poſt mortẽ hominibus bonum ſupereſſe: ac fortem virũ ſeipſum moriẽdo plurimis bonis expoliare: at perſpicuum eſt, illum ibi de humanis bonis agere; non de iis, quæ poſt mortem ac funera remanent; is enim virtutes, iuſtitiã, temperantiam, fortitudinem, diuitias ad ſuum, & aliorum commodum poſſeſſas, humana bona vocat; quibus certũ eſt homines in morte expoliari. Demũ quod in Oeconomicis ſola propaga- C tione ait, homines sẽpiternitatẽ aſſequi, quis non videat Ariſt. de illa ſempiternitate agere, quę nõ ad animæ, ſed ad corporis aut familiarũ quãdam immortalitatẽ, ac perpetuitatem ſpectat, quam illis generis propagatio pręſtat.

Nvnc ea loca producamus, quibus Ariſtoteles apertè animarum immortalitatẽ docet. Primus locus eſt in ſecundo de generatione animalium, vbi intellectiuã animam à ſenſitiua, ac vegetatiua diſtinguit; & cùm cæteras materiæ immerſas, atque ab ea inſeparabiles decernat: ſolam intellectiuã animam exteriùs aduenire, velut ab omni elemẽtorum D compoſitione liberam, prædicat. *Quocirca* (inquit) *impoßibile eſt, vt exteriùs ingrediatur anima ſenſibilis; neque enim ipſas per ſeipſas ingredi ceu inſeparabiles datur. Eſt enim ſemen excrementum corporis à quo continetur. Supereſt autem ſolam mentem exteriùs ingredi, & ſolam diuinam eſſe, cuius operatio non cõmunicat cum actione corporea.* Quis ex hoc Ariſtotelis teſtimonio animam immortalem non eliciat? nam ſi anima propriam operationem habet, putà ipſum intelligere per organũ non elicitam, aut in organo non receptam: ergo per ſeipſam ſufficiens erit propriam intellectionem ſuſtine- E re: cùm enim in intelligendo non pendeat à corpore, profectò ſine corpore poterit intelligere; atque ita per ſe propriam intellectionem elicere, atque elicitam ſuſtinere: at cùm operatio ſequatur eſſe, ſi ipſa operatio à corpore independens eſt, etiã ipſum eſſe independens ſit, oportet. Atq; id innuere voluit Ariſtoteles cùm ait, animã exteriùs corpori aduenire, id eſt, cum corpore nõ fieri, aut ex illius potentia

Ariſtot. 2. de gen. an. c. 4.

educi: nam ſi exteriùs anima rationalis corpori aduenit, ergo diuerſum, ac diſtinctum eſſe habet à corpore. Ex quo tandem ſequitur ex mente Ariſtotelis animam exteriùs aduenientē per ſe, abſque corpore ſuum eſſe ſuſtinere: ac proinde cum corpore nō corrūpi; ſed incorruptibilem ac immortalem eſſe.

Pōponacius lib. de imm. anim.

NEQVE quicquā obſtat obiectio Pomponacij in lib. de immort. animæ, aſſerentis intellectum, tametſi non pendeat à corpore organicè, pendere tamen ab illo obiectiuè; quatenus anima ſine phantaſmate non intelligit; ac propterea nō poſſe ſine corpore intelligere, & conſequēter ſubſiſtere; cùm (teſte Ariſtotele primo de an. tex. commen. 13.) ſi intelligere eſt phantaſia, aut non ſine phantaſia, non ſit ſine corpore. Huic enim obiectioni ſuprà reſponſum fuit de mente Ariſtotelis, id verum eſſe, quandiu anima corpori eſt cōiuncta: tunc enim neceſſariò Ariſtot. cenſet, eā circa quidditates materiales verſari debere. At animam in quouis ſtatu, ac abſolutè phātaſmatibus indigere nunquam Ariſtoteles dixit: immò hoc loco oppoſitum ſentit: cùm animam per ſe abſolutè conſiderans, eam docet non communicare cum actione corporea. Quapropter ex dictis liquet, Ariſtotelem hoc loco apertè animæ immortalitatem fateri.

De partibus animalium cap. 1.

SECVNDVS locus eſt primo de partibus animal. c. 1. vbi tradit animā rationalem eſſe abſtractam à materia ſimpliciter, idcirco à Phyſico non eſſe conſiderandam. Si igitur anima rationalis immaterialis eſt, neque corpori cōmixta, neque ab elemētis originem trahit, ſed omnem rerum corporearum materiam à ſe abiicit: nónne hinc euidenter illius immortalitas colligitur? cùm enim idcirco Ariſtoteles materialia omnia corruptibilia eſſe affirmet, quòd materiam, quę corruptionis principium eſt, in ſe contineant: inde euidentiſſimè animam incorruptibilem ab eo affirmari intelligimus, cùm materiam, quę corruptionis principium eſt, ab ea expellit.

2. De anim. text. cōmen. 21.

TERTIVS locus eſt in lib. 2. de anim. tex. commen. 21. vbi apertiſſimè Ariſtoteles animæ immortalitatē fatetur. *De mente* (inquit) *& facultate ſpeculatiua nondum perſpicuum eſt, ſed videtur aliud animæ genus, & hoc ipſum ſolum poteſt ſeparari tanquam ſempiternum à corruptibili. Cæteras animæ partes, ex his manifeſtū eſt non eſſe ſeparabiles.* Quibus verbis Ariſtot. mentem ſuam declarat eam eſſe, vt animā intellectiuam à ſenſitiua, ac vegetatiua potentia maximo diſcrimine diſcernat; cùm hæ à materia inſeparabiles ſint, illa ſeparabilis exiſtat: has cùm corpore corruptibiles demōſtrat, illam poſt corpus immortalē ac ſempiternam docet: neque exiſtimandū eſt Ariſtotelem in ea re aſſerenda (vt videtur) vllo modo trepidaſſe, ſiquidem (vt Porphyrio, ac Philopono placet) non hęſitanter, ſed conſtanter in hanc A ſententiam venit, vt intellectiuam animam à reliquis diſtare ſentiat, ſicut perpetuū à corruptibili, quod ab eo pluſquā genere differt.

1. De anim. text. 65. & 66.

QVARTVS locus habetur in primo de anim. tex. 65. & 66. vbi Ariſt. priori textu, intellectū neque ſenio, neque corporis debilitate corrūpi affirmat; ſed ſubſtantiā eſſe exiſtentem: in poſteriori verò cogitare, amare, odiſſe, & huiuſmodi cum corpore deſtrui ac marceſcere ait: at intellectum diuinum quid, & impaſſibile eſſe: vbi clarè intellectiuæ animæ immortalitatem docet.

3. De anim. text. 20.

QVINTVS locus offertur 3. de an. tex. 20. B qui ſanè inter cætera illuſtriſſimus eſt, neque à Pompunacio, aut ab alijs, qui animæ mortalitatem Ariſtoteli impingere volunt, negari vllo modo valet: ibi enim Ariſtoteles poſtquam intellectum agentē cum poſſibili comparauit, illum ſolum à corpore ſeparatum, ac immortalē decernit his verbis. Omnino autem neque tempore, ſed non aliquando quidem intelligit, aliquando autē non intelligit. Separatus autem & ſegregatus eſt quidquid eſt, & hoc ſolum eſt immortale, & perpetuū. Quid hic obiicere poſſunt, quo apertam Ariſtotelis de animæ intellectiuæ immortalitate C ſententiam obnubilent? nimirum quod olim Alexander Aphrodiſeus obiecit; intellectum agentem eſſe ipſum Deum. At ſi ita eſſet, cur Ariſtot. illum in corpore, tametſi ab ipſo ſeparatum, collocaret? cur animā illum appellaret in ſecundo de anima tex. 21. vt optimè contra illum Philoponus ac Simplicius arguunt?

12. Metaph. text. 17.

SVNT alia præterea loca, quibus Ariſtoteles ſententiam ſuam de animæ immortalitate explicat, vti 12 Methaph. tex. 17. vbi intellectiuā animam ait ante corpus nō fuiſſe; ſed quòd poſt corpus maneat, nihil prohibere; cùm actionem habeat ſeparatam à corpore. D Et 7. Ethic. circa finem, hominis naturam haud ſimplicem eſſe affirmat: ſed aliud ineſſe, quo corruptibiles ſimus; quo ſanè indicat aliud etiam ineſſe, quod corruptionis ſit expers. In Politicis vero, Heroibus poſt mortem inſulas fortunatas aſſignat, vbi fœlicē ac perpetuam vitam agere debeāt. Laërtius prętęrea, Plutarchus, ac Themiſtius teſtantur Ariſtotelem ſub vitæ finem librum, cui titulus erat, Eudemus, conſcripſiſſe: vbi perſpicuè animæ immortalitatem tradidit.

7. Ethic.

In Politic.

Laërtius.

Plutarchus.

Themiſtius.

CVM igitur ex his locis, quæ hactenus adduximus, apertè conſtet Ariſtotelem cum E priorum Philoſophorum ſententia in animarum immortalitate conſenſiſſe: planè vitio non vacat, quod Petrus Pōponacius in Apologia conetur Ariſtotelē pluribus argumentis ad oppoſitam ſententiam torquere; ac ex nonnullis difficillimis ipſius locis, illū animæ mortalitatem conſtanter defendiſſe affirmet: in quo ipſum non leuiter accuſat, quòd tot inſignium Philoſophorum, qui illum præceſſerunt,

ferunt auctoritati, ac toti venerandæ antiquitate ſeſe opponere voluerit: ac tãdem eò progreſſus eſt, vt contra D. Thomam, ac reliquos illuſtriores Philoſophos aſſerere auſus fuerit, animæ immortalitatem nullo modo ſemotis reuelationibus via naturali indagari poſſe.

Sed quod ad Ariſtotelem pertinet, difficiliora hactenus loca explicuimus, quę Pomponatio fauere videbãtur. Cuncta verò Pomponatij argumenta hac vna obſeruatione dilui poſſunt. Apud Ariſtotelem aliud eſſe ψυχὴν, animam, aliud νοῦν, mentem, intellectum: nam Ariſtoteles plerumque animam pro corporis Entelechia vſurpat, quæ ex ſenſitiuo ac vegetatiuo cõſtituitur. Inde in primò de anima, illam definit; eſſe actum corporis organici, phyſici, potentia vitam habentis: qua definitione ipſas quoque brutorũ animas complectitur: atque ita ſæpè de anima confusè loquitur, vt cùm nihil in ea præter id, quod eſt corporis forma, conſideret; aggregatim de brutorum, ac hominum animabus diſſerat: inde fit, vt eas quandoque ex elementis mixtas; & cum corpore genitas ſentiat, quod de vegetatiua ac ſenſitiua anima, quæ tum in plantis, tum in brutis eſt, eum ſentire haud dubitamus. Quòd ſi quis Ariſtotelem ad ſenſitiuam, ac vegetatiuam animæ rationalis partem id referre dixerit; haud refragamur, cùm ea quodãmodo cum corpore oriatur, & cum corpore occidat: oritur quidem cùm primùm corpus informat, ac eidem ſenſum, ac vegetationem præſtat; occidit verò quodammodo, cùm illud informare deſinit, & ſenſum ac vegetationem illi adimit: quemadmodum Solem oriri dicimus, cùm Hemiſphærium noſtrum ſuo ſplendore illuſtrat; occidere verò, cum lucem ac diem ab eo ſubtrahit. At verò non ita de intellectu, ac mente, id eſt, de intellectiua anima docet, quam vbique à corpore ſeparatam, materiæ impermixtam, incorruptibilem, ac ſempiternam prædicat, vti ſuprà expoſuimus. Hæc pro Ariſtotele obiter dicta ſint.

Ariſtot. 1. de anim.

Quod verò contra D. Thom. ac reliquos Theologos ſenſit ſemota reuelatione animæ immortalitatem ſecũdùm Philoſophiam demonſtrari non poſſe; præter id quod hactenus oſtendimus, tot inſignes, ac vetuſtiſſimos Philoſophos nullis aut reuelationibus, aut miraculis fretos, ſed ſolo naturæ lumine edoctos, animæ immortalitatem, & agnouiſſe, & docuiſſe: extat Decretum Leonis X. in Conc. Lateran. quo hæc ſententia damnatur; quod infrà referemus.

Leo X. in Conc. Lateran.

Cæterum, poſt Ariſtotelem Themiſtius, Theophraſtus, Auerroës, Auicenna, Philoponus, animarum immortalitatem docuerunt: tametſi horum aliqui, putà trés primi in eo errauerint, quod animam intellecti-

Themiſt. Theophraſtus. Auerroës. Auicenna. Philopon.

A uam, nec corporis formam, nec pro corporum multitudine multiplicatam, ſed in cunctis hominibus vnam eſſe exiſtimarunt: in quos omnes poſteriores Peripatetici inuehuntur.

Restat poſtremò, vt quid Latini Philoſophi de animæ immortalitate ſenſerint, videamus. Inter hos Tullius Latinæ Philoſophiæ pater, atque antiquæ Philoſophiæ interpres, præclariſſima de animarum immortalitate teſtimonia effundit: eáque adeò innumera, vt nimis graue ac moleſtum eſſet, ea omnia referre, quapropter pauca quædãm duntaxat
B ex multis colligemus.

Tull. lib. 1. Tuſcul.

Egregia ſunt quæ libro primo Tuſculan. quæſt. de animorum immortalitate diſſerit; vbi poſtquàm varias Philoſophorum de animarum ſtatu poſt mortem ſententias retulit, tandem antiquiſſimam, ac communem de animorum immortalitate apud omnes ſemper creuiſſe opinionem concludit his verbis. *Auctoribus quidem ad iſtam ſententiam, quam vis obtineri, vti optimis poſſumus: quod in omnibus cauſis & debet, & ſolet valere plurimùm: & primùm quidem omni antiquitate, quæ quo*
C *propiùs aberat ab ortu, & diuina progenie, hoc meliùs ea fortaſſe, quæ erant vera cernebat. Itaque vnum illud erat inſitum priſcis illis, quos Caſcos appellat Ennius, eſſe in morte ſenſum, neque excesſu vitæ ſic deleri hominem, vt funditus interiret: ídque cùm multis aliis rebus, tum è Pontificio iure, & cæremoniis ſepulchrorum intelligi licet, quas maximis ingeniis præditi, nec tanta cura coluiſſent, nec violatas tam inexpiabili religione ſanxiſſent, niſi hæſiſſet in eorum mentibus, mortem non interitum eſſe omnia tollentem, atque delentem; ſed quandam quaſi migrationem, commutationémque vitæ, quæ in claris viris, ac fœmi-*
D *nis dux in cœlum ſoleret eſſe: in cæteris humi retineretur, & permanerent tamen. Ex hoc & noſtrorum opinione,* &c.

En quàm præclarè Tullius tum ex totius antiquitatis conſenſu, tum ex ipſa antiquiſſima ſepulchrorum Religione animarum immortalitatem aſtruit. Quæ duplex ratio ſanè ita efficax eſt, vt eam nemo iure impugnare poſſit. Nam quæ ab antiquitate, quæ quò propiùs à mundi ortu abfuit, eò puriori naturæ lumine potita fuit, pro lege ſancita ſunt, ea
E violari aut conuelli quiſque nefas exiſtimare debet: quæ etiam omnium ferè maiorum qui Religione, ac pietate excelluerunt, conſenſu ita conſtituta ſunt; vt ea velut ex ipſa naturæ voce prolata ac præſcripta videantur, in his nihil omnino abſque crimine immutari poteſt. Ex quo id nos iure cum Tullio inferre poſſumus, eos qui animarum immortalitatem omnium antiquorum vetuſtate ſancitam, ac Religione ſuſceptam conuellunt, non modò totius antiquitatis hoſtes ſeipſos prodere; verùm & in omnem Religionem

Digitized by Google

gionem ac demum naturam ipſam pugnare.

At non minùs præclara ſunt, quæ ad perſuadendam ſibi animæ immortalitatem in libro de ſenectute animo ſibi contemplanda offert. *Audiebam* (inquit) *Pythagoram, Pythagoreóſque incolas penè noſtros, qui eſſent Italici Philoſophi quondam nominati, nunquam dubitaſſe; quin ex vniuerſa mente diuina delibatos animos haberemus. Demonſtrabantur mihi præterea, quæ Socrates ſupremo vitæ die de immortalitate animorũ diſſeruiſſet, is qui eſſet ſapientiſsimus oraculo Apollinis iudicatus. Quid multa? ſic mihi perſuaſi, ſic ſentio, cùm tanta celeritas animorum ſit, tanta memoria præteritorum, futurorúmque prudentia, tot artes, tantæ ſcientiæ, tot inuenta: non poſſe eam naturam, quæ res eas contineat, eſſe mortalem: cúmque ſemper agitetur animus: nec principium motus habeat, quia ſe ipſe mouet: ne finem quidem habiturum eſſe motus, quia nunquam ſe ipſe ſit relicturus: & cùm ſimplex animi natura eſſet, neque haberet in ſe quicquam admixtum diſpar ſui, atque diſsimile, non poſſe eum diuidi: quòd ſi non poſsit, non poſſe interire.*

Tull. de ſenect.

Vides quot rationes, quanta eloquentia pro hac ſententia, quam ſibi velut certam perſuaſam habet, ſibi congerat, partim ex Platone, partim ex Ariſtotele decerptas, quas ſi inficiari quiſpiam velit, planè neceſſe eſt, vt cum tota Philoſophorum antiquitate bellum gerat. Tandem is eodem libro optima, ac familiari ratione, cui ſanè nemo iure refragari poteſt, animæ immortalitatem euincit. *An cenſes* (ait) *vt de meipſo aliquid more ſenum glorier. me tantos labores diurnos, nocturnóſque domi militiæq; ſuſcepturum fuiſſe, ſi iiſdem finibus gloriam meam, quibus vitam, eſſem terminaturus? nónne melius multò fuiſſet, otioſam ætatem, & quietam ſine vllo labore, & contentione traducere? ſed neſcio quomodo animus erigens ſe, poſteritatem ſemper ita proſpiciebat, quaſi tùm exceſſiſſet è vita; tum denique victurus eſſet: quod quidem ni ita ſe haberet, vt animi immortales eſſent; haud optimi cuiuſque animus maximè ad immortalem gloriam niteretur.* Huius Tullianæ rationis vis tantò cuique perſpectior eſſe debet, quò magis ex naturali tum æternitatis, tum perpetui nominis appetitu, qui in animo viget, vnicuique domeſtica, ac familiaris eſſe poteſt.

At Tullio relicto ad Plutarchum venio, qui inter Latinos Philoſophos haud vulgaris cẽſendus eſt: paſſim is animarũ immortalitatem à prioribus Philoſophis decerptã, partim propriis, partim aliorum rationibus defendit. Nam in Romulo Pindarum Poëtam his verſibus animæ immortalitatem canẽrem refert.

Plutarch. in Romulo.

Omnium corpus tenetur morte pallidã:
Mens reſtans æternitatis effigiem tenet.

Quos ipſe explicans, ſubdit: *Ea enim ex Diis eſt ſola, inde eius ortus, eodem eſt & reditus; non quidem comitante corpore: verùm vbi planè à corpore explicata ſit, & ſeiuncta, euaſeritque iam vndequaque pura carne exuta & munda. Aridus enim hic animus eſt, vt vult Heraclitus, præſtantiſsimus; qui ex corpore vt è nube fulgur exilit.*

Præterea in libro de animi tranquillitate, animam ex ſuæ immortalitatis conſideratione plurimùm ſeipſam ſolari, ac tranquillitatem ſibi parere his verbis docet. *At qui animæ naturam vtcunque didicit, reputátque eam morte, vel in meliorem, vel ſaltem nihilo peiorem ſtatum abire; is vacuitatem metus aduerſus mortem, non exiguum habet ad tranquillitatem animi in via viaticum.* Sanè hæc non vulgaris conſolatio, atque animi tranquillitas ex Plutarcho iis eſt, qui vel mortis metu anguntur, vel huius vitæ calamitatibus quoquomodo quatiuntur. Quis enim lugendam mortem cenſeat, quam vitæ immortalitas conſequatur? aut quid vitæ huius ærumnoſæ calamitates illum perturbare debent, qui laborum in morte finem, ac fœlicioris vitæ omnibus ærumnis vacuæ principium expectat? Animus enim dum in his incluſus compagibus corporis, munere hoc neceſſitatis, & graui velut opere perfungitur, terreſtri hoc domicilio depreſſus, tunc primùm reſpirare incipit cùm non procul à corporis diſſolutione ſe abeſſe ſentit, ac carnis ſarcina breui ſe exuendum ſperat; vt ſua purus immortalitate gaudeat.

Demvm cum Seneca noſtro primam hanc Demonſtrationis partem lubet concludere. Planè adeò (mea ſententia) mirabilis eſt hic Philoſophus, vt mihi incertum ſit, an eum Philoſophum potiùs, quàm fidei interpretem appellare debeam: quandoquidem is animarum originem, naturam, excellentiam, immortalitatem, poſt hanc vitam purgationem, beatitudinem, & quicquid fermè de illis fides pronunciat, adeò mirificè deſcribit, vt non ex naturalis, aut moralis Philoſophiæ; ſed ex fidei fontibus illa hauſiſſe videatur.

Is igitur lib. de conſolat ad Martiam, de animarum immortalitate diſſerens, illam ob filij mortem his verbis conſolatur. *Ipſe quidem æternus, meliorìſque nunc ſtatus eſt, deſpoliatus oneribus alienis, & ſibi relictus. Hæc quæ vides oſſa circum nobis, neruos, & obductam cutem, vultúmque & miniſtras manus, & cætera quibus inuoluti ſumus; vincula animorum, tenebræq; ſunt. Obruitur his animus, fugatur, arcetur aduerſis, omne illi cum hac carne graue certamen eſt, ne abſtrahatur & ſidatur, nititur illã, vnde dimiſſus eſt. Ibi illum æterna requies manet.* Sanè hæc animorum perennitas, hic melior proborum poſt obitum ſtatus, hæc corporea animi vincula, ac tenebræ, hoc ſpiritus graue cum carne certamen, hæc mentis in Deum adſpiratio, hæc denique æterna animarum requies, quæ adeò apertè decantat Seneca: ſi rectè animo reuoluantur; quis hæc magis Chriſtianam fidem,

Seneca lib. de conſol. ad Mart.

quàm

quàm Philoſophiam tedolere ooo ſentiat?

Senec. epiſt. 101.

A T illud mirabile quod epiſt. 102. ſcribit. *Cùm venerit* (inquit) *dies ille, qui miſtum hoc hu-mani diuiníque ſecernat tempus, hîc vbi inueni relinquam, ipſe me diei reddam: nec nunc ſine il-lis ſum: ſed graui terrenóque pondere detineor, per has mortalis aui moras illi meliori vitæ longioríque præcluditur iter. Quemadmodũ nouẽ menſibus nos tenet maternus vterus, & preparat non ſibi, ſed illi loco, in quem videmur emitti, iam idonei ſpiritum trahere, & in aperto durare: ſic per hoc ſpatium, quod ab infantia patet in ſenectutem, in alium naturæ ſumimur paſtum; alia origo nos ex-pectat, alius rerum ſtatus. Nondum cælum niſi interuallo pati poſſumus. Proinde intrepidus ho-ram illam decretoriam proſpice. Non eſt animo ſu-prema, ſed corpori. Quicquid circa te iacet rerum, tanquam hoſpitalis loci ſarcinas ſpecta. Tranſeun-dum eſt. Dies iſte, quem tanquam ſupremum re-formidas, æterni natalis eſt. Quid iſta ſic diligis quaſi tua? iſtis operatus es: veniet qui te reuelet dies, & ex commercio educat. Aliquando naturæ tibi arcana retegentur, diſcutietur iſta caligo, & lux vndique clara percutiet: nulla ſerenum vm-bra turbabit. Aequaliter ſplendebit omne cæli la-tus. Dies & nox aëris infimi vices ſunt. Tunc in tenebris vixiſſe dices, cùm totam lucem & to-tus aſpexeris, quam nunc per anguſtiſſimas ocu-lorum vias obſcurè intueris, & tamen admiraris illam procul.*

E N Philoſophum Theologi grauiſſimi ac Chriſtiani inſtar animorum immortalitatem docentem, non qualem priores Philoſophi, aut laboribus plenam, aut bonis vacuam ſibi effingebant; ſed rerum omnium cognitione lucidam, ac fœlicem. Audis Philoſophũ mun-di contemptum perſuadentem, vitæ huius breuitatem decantantem, & melioris vitæ ſpem animis prædicantem.

Senec. de cõſolat.

Q V I D verò mirabilius, quàm illum de animarum purgatione, ac vitiorum poſt mor-tem expiatione diſſerentem audire in lib. de conſolat. *Iacent* (inquit) *oſſa, cineréſque non ma-gis illius partes, quàm veſtes; aliáque tegumenta corporum: integer ille animus paulùm ſupra nos commoratur, dum expurgat inhærentia vitia, ſi-túmque omnis mortalis aui excutit. Deinde ad ex-celſa ſublatus inter fælices currit animas, exci-piúntque illum cœtus ſacer, Scipiones, Catones, &c.*

P A L L E A N T, ſileántque hîc Hæreticorũ ora, qui nullam poſt hanc vitam peccatorum expiationem eſſe volunt, cùm ipſa moralis Philoſophia hoc ipſum fateatur, & doceat.

I.ib. de conſol. Beat mẽtium.

P O S T R E M O, in eodem lib. de coolſolat. Beatarum mentium poſt hanc vitam ſtatum, ac æternitatem his verbis deſcribit. *Erubeſce quicquid humile, ac vulgare, & mitatos in me-lius tuos flecte æterna rerum per vaſta, & libera ſpatia diuiſi; non illos interfuſa maria diſcludunt; nec altitudo montium, aut inuiæ valles, aut incerta vada Syrtiũ. Tramites plani, & ex facili mobiles,*

A *& expediti, & inuicem peruij ſunt, intermiſtique ſyderibus.*

C E R T E quid ab Ethnico Philoſopho, aut veriùs dici, aut fideliùs doceri poſſit ignoro: cùm pene ea omnia doceat, quæ fides de ani-marum immortalitate, ac ſtatu poſt mortem pronunciat.

O M N I V M igitur tum Philoſophorum, tum Gentium conſenſus, quæ naturæ vox cre-denda eſt, animos ſempiternos & immorta-les eſſe conſpirat. Vt enim Deum eſſe ipſa natura teſte ac magiſtra edocemur; qualíſ-que is ſit ratiooe cognoſcimus (vt Tullius B ait) ſic & permanere aoimos arbitramur, ipſius naturæ voce, ac coonſenſu id nobis per-ſuadẽte: cùm eoim omnibus inditum ſit Re-ligionem amplecti, Deum colere, virtutem ſequi, vitia exhorrere, ac demum bene & bea-tè viuere; fruſtra hæc homini data eſſent, niſi ex iis præmium aliquod poſt mortem à Deo ſe conſequuturum ſperaret. Sed cùm ea om-nibus à oatura inſit opinio (iis dumtaxat ex-ceptis, qui vim naturæ inferunt) aliquam ho-mini poſt hanc vitam ſupereſſe, in qua vel bonorum remunerationem, vel malorũ ſup-plicia à Deo accipiant: cum ea etiam & ani-C marum ſuarum immortalitatem, qua perpe-tuò frui debeant, velut à natura ſibi teſta-tam, credunt.

Demonſtratur ſecundò animæ immortalitas contra Hæreticos primò ex teſtimo-niis Scripturæ.

A R T I C V L V S VIII.

H Æ R E T I C O R V M nonulli, cùm nu-per Atheiſmo patre velut noui Athei-ſtæ exorti, ac procreati ſint: haud mirũ quòd D inter cætera Atheiſtarum dogmata hoc ſibi tanquam proprium hæreditario iure vendi-cauerint; vt cum iis animarum immortalita-tẽ, aut apertè, aut obſcurè negauerint. Primi qui huius Atheiſtici erroris primigenia ſibi vſurparũt (teſte Aug. lib. de hæreſ. c. 83. Euſeb. Cæſar. hiſt. lib. 6. c. 30. & Alphonſo de Caſt. lib 2. adu. hæreſes.) Arabici quidam fuerunt, quibus velut in hoc Atheiſmo hæredes ſuc-ceſſerũt Thnetopſychitæ, vt refert Euſeb. lo-co citato Damaſcen. & Nicetas de hæreſi-bus, qui animas hominum inſtar pecudum vnà cum corporibus interire affirmabant.

Arabici.

Thnetopſychitæ.

E H A N C Atheiſticam impietatem, quæ iam extincta videbatur, iterũ ſuſcitauit apud Ho-landos Hermannus Kiſuuich, vt teſtis eſt Ber-nard. Lutzemb. & Prateol. de hæreſ. Et hac noſtra tempeſtate Martinus Lutherus apud Germanos, qui in aſſert. articulorum à Leone X. damnatorum art. 27. damnat quàm plures Catholicæ fidei articulos, inter quos & ani-mæ immortalitatẽ portentum appellat. Idem

Hermannus Kiſuuich.

Martin Luther. Anabaptiſta.

affirmat ad cap. 9. Eccleſiaſt. Tandem Ana-
baptiſtæ theſibus Cracouiæ impreſſis ean-
dem Hæreſim apertè docent. Earum enim
decima eſt. *Negamus aliquam animam poſt mor-
tem manere.* Quapropter cùm ij meritò inter
Atheiſtas detrudantur; locus poſtulat, vt eos
uulſo errore ad veræ Religionis gremium re-
uocemus.

Et primò quidem illos ipſo Dei verbo,
quod illis haud ignotum eſt, aggredimur.
Moyſes ipſe, à quo prima ſacratum literarum
monumenta accepimus, atque inde ab eo
priùs inchoare decet; pleriſque ſacræ ſuæ pa-
ginæ locis animarum immortalitatem de-
monſtrat. Principiò, id apertè declarat, cùm
hominem ad Dei imaginem conditum eſſe
ſcribit Geneſ. primo. Quæ ratio tum Platoni, *Geneſ. 1.*
tum Porphyrio validiſſima viſa fuit ad pro-
bandam animæ immortalitatem. Cùm enim
hominis cũ Deo ſimilitudo (vt aliàs oſtendi-
mus) in eo potiſſimùm ſita ſit, quòd quem-
admodum Deus incorporeus eſt, & immate-
rialis, ita etiam anima incorporea, & imma-
terialis per ſe ſubſiſtit; inde primùm elicimus,
animam eſſe immortalem, cùm (ſicut ex ipſis
demonſtratum eſt) incorporea, quæ omni
materia carent, eo ipſo immortalia credan-
tur, quòd ipſum corruptionis principium,
quod à materia ortum ducit, expellunt.

At Philoſophi qui in homine Dei ima-
ginem, ac ſimilitudinem agnouerunt, hoc
ſimilitudinis gradu non contenti, alios præ-
ter hunc ſpectabant. Siquidem in homine
mentem, intelligendi facultatem, præteri-
torum memoriam, futurorum prouidentiam,
liberam eligendi potentiam; pleraſque artes,
ac ſcientias intuebantur, quibus hominem
Deo ſimilem eſſe iudicabant; ex quibus im-
mortalem tandem animam eſſe conclude-
bant. At nos præter hæc, alia immortalita-
tis ſigna in animo conſpicimus. Eum enim
mentis ceu infinita quadam capacitate præ-
ditum, qua vniuerſa intelligere, ac ipſum
Deum, qui infinitus eſt, cognoſcere poteſt,
agnoſcimus. Atque hîc potiſſimùm expreſ-
ſam in homine Dei ſimilitudinem eſſe docet
D. Auguſt. 14. de Trinit. cap. 8. *Eò* (inquit) *ho-* *D. Aug. 14. de Trin. c. 8.*
*mo imago Dei eſt, quò eius capax eſt, eiúſque par-
ticeps eſſe poteſt.* Præterea humanæ voluntatis
appetitum, ita ad infinitum ſeſe extendere
animaduertimus, vt nunquam in finiti boni
fruitione ſiſtat, ſed velut imago ad prototy-
pum ſemper ad infinitum properet, quod
Deus ipſe eſt Opt. Max. quo ſolo expleri va-
let. Id docet ipſe Auguſtinus cùm ait. *Fe-
ciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor
noſtrum, donec requieſcat in te.* Demum animam
naturali quadam æternitatis cupiditate tene-
ri nemo ignorat, quæ cùm diuinæ æternita-
tis imaginem animo inſculptam eſſe doceat,
apertè illius immortalẽ naturã eſſe indicat.

A Alter Moyſis locus eſt cap. 2. Geneſ. *Geneſ. 2.*
vbi ait, Deum poſtquam Adę corpus ex terra
effinxerat, inſpiraſſe in faciem eius ſpiracu-
lum vitæ, quem locum ſuperiùs de animæ
rationalis creatione explicauimus. Porrò in
eo duplicem hominis partem contemplan-
dam proponit; vnam mortalem, alteram im-
mortalem, vt Philoſophis, ac Theologis pla-
cet. Corpus quidem ea ratione mortale agno-
ſcitur, quod illud ex elementis à Deo com-
pactum fuiſſe tradit. At animus cùm à Dei
velut præcordiis efflatus, atque inſpiratus
fuerit, hoc ſanè immortalis declaratur, vt ſen-
B tit Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Auto- *Theoph. Antioch. lib. 2. ad Autolyc.*
lychum. *Formauit* (inquit) *Deus hominem pul-* *Irenæus.*
uereum de humo, & inſufflauit in nares eius fla- *Athanaſ.*
*tum vitæ, factúſque eſt homo in animam viuen-
tem: inde animus à pluribus immortalis dicitur.*
Idem docent Irenæus lib. 5. cap. 7. & Athan.
in quæſt. de anima, & mente.

Tertius locus eſt Geneſ. 4. vbi liberi *Geneſ. 4.*
hominis arbitrij vis illis verbis deſcribitur.
Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.
At cùm arbitrij libertas nonniſi cum immor-
tali natura coniuncta eſſe poſſit (nullus enim
inter corporeas naturas, quæ ſolæ mortales
C ſunt, ea libertate fruitur; vt in alterutram
partem pro libero facultatis arbitrio verti
poſſit) inde animam immortalem eſſe euin-
cimus, cùm eidem eam arbitrij libertatem
tributam videmus, quæ immortali tantùm
naturæ poteſt congruere.

Qvartvs ac poſtremus locus ex his,
quæ ex Moyſe collegimus, eſt Exod. 3. vbi *Exod. 3.*
ſcribitur, Deum his verbis Moyſem allocu-
tum fuiſſe. *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac,
& Deus Iacob.* Ex quo irrefragabile argumen-
tum Chriſtus in Euangelio colligit; ad pro-
bandam animæ immortalitatem, cùm ait.
D *Non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium.* Nam *Matth. 22.*
ſi Deus non eſt mortuorum, id eſt, non exi- *Luc. 20.*
ſtentium, ſed viuorum, nimirum exiſtentium
Deus; quandoquidem animæ illorum Pa-
triarcharum poſt mortem viuebant. Ergo
poſt corporis funera viuunt animæ; viuúnt-
que immortales, cùm Deus non vſque ad
præſcriptum tempus, ſed ſemper ſit viuen-
tium Deus.

Cæterum poſt Moyſem præclarum
eſt Salomonis teſtimonium, quod affert Sap.
E 2. vbi animæ immortalitatem apertè tradit
his verbis. *Excæcauit illos malitia eorum, & ne-
ſcierunt ſacramenta Dei, neque mercedem ſpera-
uerunt Iuſtitiæ, nec iudicauerunt honorem anima-
rum ſanctarum, quoniam Deus creauit hominem
inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudi-
nis ſuæ fecit illum.* Quibus verbis Salomon
non tam ſui temporis impios, quàm noſtræ
tempeſtatis tum Atheiſtas, tum Hæreticos
ſuggillat, quibus animarum immortalitas
omnino inuiſa eſt. Quid enim tam denſam
illorum

illorum oculis caliginem offundere potuit, vt animę immortalitatẽ adeò in Scripturis, ac in ipſa natura perſpicuam, adimant? pręterquàm vna ac conſtans eorum malitia, quæ illos vſque adeò exæcauit; vt & ingentia Dei Sacramenta, atque arcana inuiſibiliter in animarum natura latentia: quæ cunctos ita in ſui admirationem rapiunt, vt publica omnium voce, ac conſenſu dicat Regius Pſaltes, *Venite, & videte omnes, qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ*, perſpicere non ſinat: & omnem de iuſtorum præmiis ſpem tollere; quæ proculdubio cum animarum mortalitate ruit: ac tandem ingenitam animis nobilitatem, ac pręſtantiam, quæ in eorum immortalitate ſita eſt, eripere conentur: ô miſerum ac cæcum hominum genus!

Pſal. 45.

IAM nunc tandem vos ipſos (ô Atheiſtæ ô Hæretici) è tantis tenebris eripite, diuino hoc ſapientiæ lumine oculis veſtris oblato. Agite, quem hominem efficitis? Mortaléne, corruptibilem, ac omnino exterminabilem? En illum Dei teſtimonio immortalem, en incorruptibilem, en inexterminabilem: non quidẽ corpore, quod morte dilabitur, ac exterminatur: ſed anima, quæ poſt corporis lapſũ immortalis, ac inexterminabilis manet.

HANC ſiquidem à Deo hominem naturam ſortitum eſſe ait Salomon; cùm is ad Dei imaginem ac ſimilitudinem conditus eſt. *Et ad imaginem* (inquit) *ſimilitudinis ſuæ fecit illum.* Hic quippe Hebraica phraſis agnoſcenda eſt, quæ ſæpè, *&*, pro copula cauſali, *quia*, vſurpat, ita vt ſenſus ſit; Deus creauit hominem inexterminabilem, quia ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Nam cùm Deus natura immortalis ſit, animam quoque immortalem condidit, nullis mortis legibus ſubiectam; quæ diuinæ immortalitatis velut ſimulachrum eſſet: neque enim ita animæ immortalitatem extollimus, vt eam cum Dei immortalitate comparandam eſſe credamus. Dei enim immortalitas per ſe neceſſaria eſt, & abſoluta, nec non diuinæ naturæ adeò eſſentialis ac intrinſeca; vt abſque ea illa intelligi nullo modo poſſit. Animæ verò immortalitas cùm à diuina potentia pendeat illi, neque neceſſaria, neque abſoluta eſſe poteſt: quò fit, vt cùm immortalitas ei ex diuina duntaxat munificentia contingat, ab ea ita inſeparabilis eſſe nequeat, quòd Dei poteſtatem effugiat, quæ animæ tam naturã, quàm immortalitatem penitùs delere poteſt.

1. ad Timot. c. 6.

HAC ratione D. Paulus ad Timotheũ ſcribens prima Epiſt. c. 6. ſolum Deum immortalem appellat. *Qui ſolus* (inquit) *habet immortalitatem*, id eſt, neceſſariam, atque abſolutam: atque ita hunc locum explicat D. Hieron. in comm. *Ille ſolus* (ait) *propriè habet immortalitatem, qui Angelis & hominibus dedit habere. Nos autem, nec ſoli, nec à nobis habemus, vt ille.* Eodem modo exponunt D. Amb. lib. 5. de fid. c. 2. & D. Aug. lib. 7. de Gen. c. vlt. & ad Hieronym. Epiſt. 68. de origine animæ. Atque hoc ſenſu intelligendum eſt, quod in 6. Synodo ſeſſ. 11. dicitur à toto concilio approbatum in Epiſtola Sophronij Patriarchæ Hieroſolymitani, in eadem Synodo lecta: Angelos ſcilicet, non natura, ſed Dei gratia habere immortalitatem: quod non ita accipiendum eſt, quaſi Angeli natura mortales ſint, Dei autem tantùm gratia immortales: quemadmodum de B. V. plerique ſentiunt, natura quidem peccare potuiſſe, cùm naturam peccato obnoxiam haberet: ſed Dei gratia à peccato originali præſeruatam fuiſſe: neque enim id ſenſit Synodus, quæ Angelorum naturam ſimplicem ac immaterialem, immortalem per ſe ſubſiſtere non ignorauit: ſed Angelos idcirco non natura, ſed gratia immortales eſſe decernit; quòd Angelorum immortalitas ita Dei potentiæ ſubiiciatur, vt ab ea corrumpi, & annihilari queat. Solus autem Deus habet immortalitatem, quia per nullam potentiam vnquam, aut corrumpi, aut deſinere poteſt. Ita intelligendi ſunt Iuſtinus, Cyrillus, Damaſcenus, cùm huiuſmodi locutionibus vtuntur.

D. Hieron. in comment. *Ambroſ.* *Auguſt.* *Sexta Syn.*

Hinc colligimus animæ immortalitatem, quæ à diuina immortalitate fouetur, ac ſuſtinetur, illius tantùm imaginem cenſeri. Nam ſicut oblato homini ſpeculo, quæ ibi offertur imago, tandiu hominis ſimulachrum retinet, quandiu homo præſens eſt, & imaginem fouet: Ita animæ immortalitas eo diuinæ immortalitatis ſimulachrum agnoſcitur, quòd ab ea velut à prototypo fouetur, ac conſeruatur.

HANC Salomonis rationem, quæ priùs à Moyſe exarata fuerat, defendit Caſſiodorus de anima c. 8. *Nos autem* (inquit) *immortales eſſe animas facilè veridicis lectionibus approbamus: nam cum eas ad ſimilitudinem auctoris ſui legimus effectas: quis audeat contra ſanctam auctoritatem mortales dicere? vt imprudenter potiùs aſſeratur eas à creatoris ſui ſimilitudine diſcrepare. Nam quem ad modum poterat eſſe imago, aut ſimilitudo Dei, ſi animæ hominum mortis termino clauderentur?* Atque eandem tuetur Fauſtus Rhegienſ. epiſt. ad Paulinum. *Ideo mors* (inquit) *ad animam non peruenit, quia in ea Deus imaginem ſuam, & ſimilitudinem collocauit. Nam ſicut Deus immortalis, miſericors, iuſtus, & patiens eſt; ita harum dona virtutum in faciem noſtram interiorem infudit.*

Caſſiod. de anim. c. 8.

Fauſtus Rheg. Ep. ad Paulin.

AT verò prætereundum non eſt, quàm ſeuerè Salomon ſequentibus verbis in aduerſarios animæ mortalitatis aſſertores agat. *Inuidia autem diaboli* (ait) *mors introiuit in orbem terrarum; imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius.* Quæ verba tametſi communiter ad peccatum Adæ referantur, qui diabolo ſuadente

Sap. 2.

dente diuinum præceptum tranſgreſſus eſt; vnde mors tam corporis, quàm animæ ſequuta eſt: vt exponit D. Paul. Rom. 5. nihil tamen impedit quominus hæc de iis etiam dicta eſſe cenſeamus, qui mortem in animam introduxerunt, quos vel diabolos, vel à diabolo ob illius in veram Religionem inuidiam, excitatos eſſe dicit, vt mortales animas aſſererent: ac omnem futuræ vitæ ſpem hominibus adimerent. Hos verò non fruſtra diaboli imitatores appellat: quandoquidem illius partes tuentur, qui ab initio acerrimus animarum hoſtis fuit, quem profectò imitantur, qui execrandam hanc impietatem in animas immortales adducunt.

NEQVE verò hoc tantùm loco Salomon contentus eſt animæ immortalitatem tradidiſſe, eandem etiam 3. cap. proſequitur, vbi (Sap. 3.) iuſtorum animas diuina virtute poſt corporis obitum regi, ac tueri, eáſque nullo mortis metu affici, aut pœna torqueri ſapientiſſime concludit. *Iuſtorum* (inquit) *animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis, viſi ſunt oculis inſipientium mori, & æſtimata eſt afflictio exitus illorum, & quod à nobis eſt iter, exterminium, illi autem ſunt in pace. Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt.* En nunquam morientes animas, en hominum plenam immortalitate ſpem.

ATQVI hic eſt inſipientium tum Atheiſtatum, tum Hæreticorum mos, vt nihil præter ea, quæ oculis conſpiciunt, aut intelligant, aut credant. Vident quotidie morientes tam iuſtos, quàm improbos: cùm verò animas è corpore euolantes intueri non poſſint, nequidquam vltrà eſſe in homine arbitrantur, quòd quærere debeant: ſed omnia morte interire exiſtimant, cùm tamen animas ipſas immortales maxime contemplari deberent. Id verò cùm maximum inſipientiæ ſignum ſit, tum minimè mirari opus eſt, ſi ij tam facilè hallucinentur; cùm non mente, ſed oculis tantùm pro intellectu vtantur. Nam, vt ait idem Sapiens; (Sap. 4.) *Videbunt finem Sapientis, & non intelligent, quid cogitauerit de illo Deus.* Corporeis oculis, iuſtorum, ac cæterorum hominum interitum vident: at mentis aciem in hunc diuinæ ſapientiæ ordinem non intendunt, quo hominem ex mortali, & immortali conſtare voluit; mortale quidem oculis conſpicibile obiiciens, immortale verò corporeis ſenſibus velut inaſpectabile celans, vt eo pretioſius haberetur, quò ab omni corporearum rerum natura liberum ad diuinam quodammodo dignitatem tranſuolat. Quapropter cùm ij oculos ad corporea tantum modo ſpectanda nacti ſint, nihilque præter ea eſſe exiſtiment, haud mirum quòd iis omnino defixi, animæ immortalitatem derideant. *Videbunt* (inquit Sapiens) *& contemnent.* Quid enim carnales oculi, quibus tantummodò viſibilia arrident, præterquàm inuiſibilia poſſunt contemnere? Quamobrem cùm ij, quæ oculis tantùm præſentia ſunt, cernant: mortaléque hoc corpus reſolui, ſenſus deperire, externáque hominis membra mortis horrore diſſolui, ac dilabi aſpiciant: quæ verò homini intima, quæ excellentiora, quæ præſtantiora ſunt, non videant: haud mirandum eſt, quòd maximum animæ decus, nobilitatem, ſplendorem, quæ ab illius immortalitate manant, prorſus negligant, ac contemnant. Ita fit, vt hominem quem omnium conſenſu diuinum animal eſſe agnoſcunt, nihil à brutis in morte diſtare exiſtiment. At minimè mirandum eſt, cùm hominum mente exuta brutorum oculos, ac naturam ſibi vendicauerint.

AT ſi homines induant, diuinúmque illorum mentibus lumen affulgere patiantur; non modo Salomonis Sapientia, verùm & Prophetica Ezechielis luce illuſtrabũtur: quę animarum illis immortalitatem aperiet c. 13. vbi Deus ita de Iſraëliticis Paſtoribus conqueritur. *Violabant me* (inquit) *ad populum meum* (Ezech. 13.) *propter pugillum hordei, & fragmentum panis; vt interficerent animas, quæ non moriuntur.* Vides apertè animas non morientes, quarum immortalis natura longe à corporum conditione diſtat.

QVÒD ſi quæras quo pacto vates animas immortales, & tamen à Paſtoribus interfectas dicat: duplicis illius mortis diſtinctio adeò in Scripturis vulgata animo occurrat: quarũ altera prima, altera ſecunda à Ioan. Apoc. 21. nuncupatur. (Apoc. 21.) Prima corporum naturam comitatur, altera ſpiritualem ſubſtantiam attingit. Atque illa quidem cùm corporum tantummodò ſit; corporea corrumpit, ac tandem in præiacentem materiam reſoluit. Hæc verò cùm ſpiritualis ſit, non animæ naturam deſtruit, aut eſſentiam euellit; ſed eam duntaxat illi vitam adimit, quæ ex diuinæ gratiæ præſentia in animam emanat. Prior tandem ex corporis, & animæ diſſolutione erumpit. Poſterior verò ex peccato oritur, de qua Sap. 16. (Sap. 16.) *Homo quidem per malitiam occidit animam ſuam.* Et Ezech. 18. (Ezech. 18.) *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur.* Hac itaque ratione Deus per Prophetam interfectas ab impiis Paſtoribus animas fuiſſe conqueritur, quandoquidem illarum peccata fouebant, quibus ſpiritualiter interficiebantur, cùm tamen illæ naturæ immortales permanerent, ac minimè mori poſſent.

SED ad noui teſtamenti teſtimonia luce clariora tranſeamus. Quid Chriſtus Matth. 10. præterquàm immortalitatem animarum prædicat illis verbis? (Matth. 10.) *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Duplicem Chriſtus hîc hominis partem inſinuat, corpus nimirum, & animam. Illud tyrannorum ſæuitiæ, ferro, igni, mortis denique

que legibus ſubiectum profitetur. Hanc verò ab iis omnibus liberam, nulla vi opprimi, nullis mortis neceſſitatibus teneri clariſſimè docet. Quid igitur aduerſarij animam interire poſſe autumant; cùm Chriſti doctrinam ſibi oppoſitam habeant? Planè ſi interimendi corporis tantùm poteſtas hominibus data eſt: animæ autem nullam penitus vim inferre poſſunt: an non eo exploratiſſimum eſſe debet, interempto corpore animam non interimi, ſed incolumem ſemper poſt corporis necem ſeruari?

Ioan.12. ID etiam confirmat Ioan, cap. 12. cùm ait. B *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Cuinam vita æterna promittitur? corporine, an animæ? profectò animæ primùm, quæ prauas in ſe cupiditates odit, ac perſequitur: ac poſtmodum corpori, cùm iterum ad animæ contubernium excitabitur. At modò corpus perire, dilabi, diſſolui cernimus: non itaque corpus, ſed anima in vitam æternam cuſtoditur. At ſi anima ſimul cum corpore perit, quæ illi vita æterna ſupereſſe poteſt, qua poſt mortem fruatur? ſanè nulla: cùm nulla mortuis vita inſit. Quòd ſi aliqua animæ vita poſt corporis occaſum reliqua eſt, planè non mortua, ſed viuens cenſeri debet.

AT quiſpiam fortè vitam æternam pro ſtatu beatitudinis accipiet; quo ſenſu accepiſſe videtur Chriſtus apud Matth. 19. *Si* Matth.19. *autem vis in vitam ingredi, ſerua mandata:* & Luc. 10. *Magiſter quid faciendo vitam æter-* Luc.10. *nam poßidebo?* Neque id diſplicet: nam beatitudini animam aſſeruari, quid eſt, prætcrquàm illam poſt corpus incorruptam declarare? Cùm verò illa beatitudini quę perpetua, atque æterna eſt, ſeruatur; eo conſtat perpetuam, atque immortalem animam manere, tametſi prior ſenſus magis videatur Euange- D licis verbis accommodus. Nam ſi beatitudo vita æterna nuncupatur, id planè ea ratione fit, quòd animæ priùs vita æterna, ac naturæ immortalitate fruuntur. Beatitudo verò vitæ æternæ perpetua præmia, atque æternam fœlicitatem confert, quæ illius ornamenta ſunt, ac velut alter æternæ vitæ ſtatus, quo animæ perpetuò, ac fœliciter viuunt.

HIS ſuffragatur quod de Lazaro mendico, ac Diuite apud Luc. 16. legitur. *Factum* Luc.16. *eſt* (inquit) *vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Rurſus de diuite. *Mortuus eſt diues, & ſepultus eſt in in-* E *ferno. Cùm autem eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius.* Iis quidem etſi diuerſa pro meritorum ratione ſors contigerit, illéque ad ſupernas tranſlatus auras fœliciſſimum vitæ genus in Abrahæ ſinu adeptus eſſet: hic verò ad ima tartara detruſus vitam in perpetuis flammis, atque ardoribus ſempiternis duceret. Hoc tamen vtriſ- A que commune fuit, vitam illis poſt mortem ſuperfuiſſe: nec cum mendico animam, quæ ad ſuperos euolauit, interiiſſe; nec cum diuite poſt obitum corporis, ſpiritum ad inferos detruſum, eſſe deſiiſſe. In illo quidem fœlix fuit animæ æternitas; in hoc verò miſera.

ILLVD quoque accedat, quod Saluator Latroni ſecum in cruce pendenti pollicitus eſt Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiſo.* Latroni Luc. 23. diuinæ miſericordiæ donum, ac memoriam poſcẽti cœlum ſpondetur poſt mortem. An is corpore alterius Enoch, aut Eliæ inſtar in Paradiſum raptus eſt; cùm corpus in B cruce exanime relictum fuerit, ac poſtea ſepulturæ traditum? Anima igitur ſola Chriſtum in Paradiſum ſequuta eſt. Igitur ea cum corpore non interiit, quæ relicto corpore in Paradiſum poſt Chriſtum abiit.

QVIN plura? Omnia Euangelij loca, quibus Dominus vitam æternam iuſtis pollicetur, animarum immortalitatem demonſtrãt. Matth. 16. *Centuplum accipient, & vitam æter-* Matth.16. cap.25. *nam poßidebunt*, & cap. 25. *Et hi quidem ibunt in ſupplicium æternum; iuſti autem in vitam æternam.* Marc. 9. *Melius eſt tibi debilem, vel* Marc.9.cap.10. *claudum introire in vitam æternam.* Et cap. 10. C *Nemo eſt qui reliquerit domum, &c. qui non recipiat, &c. & in ſæculo futuro vitam æternam.* Luc. 18. *Amen dico vobis, nemo eſt, qui relin-* Luc.18. Ioan.2.c.4. c.10.cap.17. *quat domũ aut parentes, &c. & non recipiat multo plura in hoc tempore, & in ſæculo venturo vitam æternam.* Ioann. c. 2. *Vt omnis qui credit in ipſo non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Item cap. 4. *Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Item 10. *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum.* Item 17. *Vt omne quod dediſti ei, det ei vitam æternam.*

ID etiam multis locis Paulus confirmat, D cùm vitam æternam hominibus prædicat. Ad Rom. 5. *Sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æter-* Rom.5. *nam.* Ad Galat. 6. *Qui ſeminat in ſpiritu, de ſpi-* Ad Gal. 6. *ritu metet vitam æternam.* 1. ad Timoth. 6. 1 ad Tim 6. ad Tit. 1. *Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, ad quam vocatus es.* Ad Tit. 1. *In ſpem vitæ æternæ, quam promiſit qui non mentitur Deus.* Pæterea Petr. 1. epiſt. cap. 3. *Deglutiens* 1.Petr.c.3. *mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur.*

HOC ipſum teſtantur loca omnia, quæ æternum improbis ſupplicium minantur, quæ mortuorum reſurrectionem, quæ ex- E tremum Dei iudicium, quæ demum inferni pœnas aſtruunt, quæ cùm propemodum innumera ſint, huc abſque tædio vocari non poſſent: quapropter Lectores ad Scripturas remitto, quas inſinuaſſe ſufficiat, ne ingens volumẽ tot locorum citationibus conficiamus.

Demon

mihi videtur; vt quod eſt ſimplex, ſit immortale. Quomodo autem id efficiam, accipe. Nihil ſeipſum corrumpit: alioquin enim ne initio quidem conſtitiſſet, ſed quæ corrumpuntur, ex contrariis corrumpuntur: quicquid enim corrumpitur, diſſoluitur; quod diſſoluitur, compoſitum eſt. Compoſitum multarum eſt partium. Quod ex partibus conſtat, ex his nimirum conſtat differentibus; quod autem differens eſt, idem non eſt. Proinde cùm anima ſit ſimplex, neque ex pluribus conſtet partibus, quia nec compoſita eſt, nec diſſolui poteſt; ſequitur, vt corrumpi nequeat, & ſit immortalis. Ratio adeò per ſe clara eſt, vt declaratione non indigeat. (A, B)

D. Athanaſ. oratione cit. Idola.

HVIC aliam addit D. Athan. oratione cont. Idola ab ipſa animæ natura petitam. *Si anima* (ait) *aliam eſſe à corpore ratio demonſtrauit, corpúſque ex natura mortale eſt, neceſſe eſt animam immortalem eſſe, eo quòd corpori ſimilitudine non reſpondeat. Rurſus ſi anima corpus mouet, nec ab alio mouetur; conſequens eſt ipſam à ſe moueri: & poſtquam terra corpus inhumatum eſt, ipſum rurſus à ſeipſa moueri: non enim anima eſt, quæ moritur: ſed ob eius diſceſſum corpus moritur: ſi igitur illa à corpore moueretur; conſequens eſſet diſcedente motore ipſam mori. Quòd ſi anima mouet corpus; multò magis neceſſum eſt, ſibi ſeipſam motricem eſſe: & quia à ſe mouetur, neceſſarium eſt eam poſt mortem corporis viuere, & ſuperſtitem eſſe.* (C)

RATIO eſt bimembris, quæ duplici fundamento innititur. Primum fundamentum ſic declaratur. Quæcunque natura & genere diſſimilia ſunt, ea & naturæ conditiones, & generis differentias diuerſas, ac diſſimiles nanciſcuntur: hoc notum eſt. Conſtat autem animã alterius, ac diſſimilis naturæ eſſe à corpore; adeóque in oppoſito genere verſari; vt illud inter corporearum rerũ genera, hæc inter incorporea collocetur. (D) Cùm itaque quæ corporea ſunt, eã naturæ conditionẽ patiantur, vt mortalia ac diſſolubilia ſint; reliquum eſt, vt diſſimili prorſus incorporeorũ exiſtente natura, diuerſa etiam naturæ conditio ſequatur, ac proinde indiſſolubilia ſint, & immortalia. Ex qua ratione apertè colligitur, corpore mortali exiſtente, animã quæ incorporea eſt, immortalẽ, atq; incorruptibilẽ eſſe.

ALTERO verò fundamento ita ratiocinatur. Mouens quodcunque vel ſeipſo mouet, vel ab alio mouendi facultatẽ habet Si ſeipſo (E) mouet, eadem ratione qua cætera, & ſeipſum mouet. Cùm igitur in ſeipſo habeat principium motus; nec ab alio pendeat, aut impediri queat; inde fit, vt ſeipſum ſempiterno motu mouere poſſit. Anima itaque cùm principium motus in ſeipſa contineat, ac ſeipſa tum corpus, tum ſeipſam moueat; inde conſtat eam immortalem eſſe, eò quòd ſempiterno motu etiam defuncto corpore ſeipſam mouere poteſt.

Iſidor. Peluſ. lib.3.ep.235.

HIS accedant quæ Iſidorus Peluſiota contra mortalitatis animæ aſſertores acutè diſputat lib.3. ep.235. *Quòd animam* (inquit) *cum corpore vnà interire arbitraris, perquàm ridiculum eſt, & ſtolidum; hominíſque verè carnalis, atque poſt hanc vitam nihil eſſe cupientis,* &c. *Pudorem igitur tibi incutere debent, cùm Philoſophi, & Poëtæ, & Oratores, & Scriptores omnes, qui animæ immortalitatem docuerunt: tum etiam te pudore permouebit quodammodo ea ratio, quæ nullo modo refutari queat. Nam quæ corpus, quod ſemper fluit, ac corrumpitur, arripit; ac quod in eo labile ac mortale eſt, aſtringit: & quod cadit, exaltat; atque iis quæ diffluunt, alimentum; atque iis quæ marceſcunt, fruticationem præbet: non eſt profectò conſentaneum, eam è corpore ſeparatam vim ſuam deſerere, per quam & corpus continebat, & conſeruabat.*

OPTIMA ſanè ratio. Nam ſi ea ineſt animæ vis, vt humana membra, quæ per ſe labilia ac corruptibilia ſunt, tandiu à corruptione vindicet, ac quodammodo incorruptibilia efficiat, quandiu illis ſeipſam communicat: quomodo non ipſa magis incorruptibilis erit?

QVOD ſi obiiciat quiſpiam, brutorum animas idem prorſus in eorum corporibus efficere.

HVIC obiectioni duplex poteſt adhiberi reſponſio. Priùs quidem reſpondent aliqui; Brutorum animas eſſe concorporeas, ac cum corpore genitas, ac propterea à corpore pendere. Quare ſi animam ad ſpiritualẽ naturam referimus, nequaquam, eas quibus bruta mouentur, animas nuncupãdas eſſe volunt: cùm non ſpirituali, ſed corporea natura præditæ ſint, à corpore omnino inſeparabiles: quò fit, vt corruptibiles ſint, ac mortales, quoties à corpore ſeparantur: atque hac ratione immortales eſſe non poſſint, tametſi ab iis brutorum corpora vitam hauriant.

AT meliùs fortè reſponderi poteſt. Brutorum animas, cùm diſtinctam à corpore naturam minimè nanciſcantur; ſed ab illius principiis fluant, vires eſſe quaſdam corporis animales, quæ per totum corpus diſſipantur: quò fit, vt non à ſeipſis, ſed à corpore, tum animandi, tũ tuendi corporis vim accipiãt. Cùm itaque illarum virtus à corpore pendeat; hinc neceſſariò euenit: vt corrupto corpore, illius quoque vis intereat, quæ ab illo manabat: quapropter ea incorruptibilis eſſe non poteſt, quæ nihil præterquàm corporeum, ac corruptibile poſſidet.

AT non ita de rationali anima ſentiẽdum eſt. Ea enim cùm peculiarem naturæ ſtatum à corporea natura diſtinctũ acceperit: animãdi & conſeruãdi corporis vim nõ à corpore, ſed à ſeipſa ſibi vendicat: quò fit, vt per corporis occaſum, ea haudquaquam ſua virtute expolietur. Hinc prioris rationis validitas declaratur.

ratur. Nam cum animæ virtus, quæ illi intima, ac naturalis eſt; quandiu per corpus diffunditur, ipſum à mortis exitio liberum, ac velut immortale reddat: quantò magis ipſa anima ea virtute intrinſecùs prædita immortalis erit?

Caſſiodorus de anima c. 8.

QVÆ ratio eſt etiam Caſſiodori de anima capit. 8. *Omne* (ait) *quod viuificat aliud, in ſemetipſo viuit: anima autem quoniam viuificat corpus, & in ſemetipſa viuit, vtique immortalis eſt.*

Æneas Gazæus in Theophraſto.

HÆC autem Patrum argumenta, quæ hactenus commemorauimus, ſimul colligit Æneas Gazæus, & vera, & certa eſſe B animæ immortalitatis argumenta teſtatur in Theophraſto. *Hominis anima* (inquit) *principio ſic facta prodiit, vt ſit ſubſtantia rationem habens, quæ ſemper moueatur, ſitq; ſui iuris ac libera, quæ vitam ex ſe habeat ſuam, eámque poßit etiam corporibus impertire. Quibus bonis eorum, quæ mortalia ſunt, nullum eſt præditum: ſed ſunt hæc extra controuerſiam, vera ac certa immortalitatis argumenta.*

HIS & ipſe aliud argumentum annectit. *Et certè* (inquit) *miraberis vim illam ita in anima latitantem, ſi rerum quas foris agit, va-* C *rietatem noris. Omnis enim ars, omnis ſcientia, itémque actio, & contemplatio ſatiſque ſuperque docere poſſunt, animam hominis eſſe immortalem.* Hæc ille. Quæ ſanè potiſſima ratio fuit, quæ Philoſophos olim, & maximè Tullium mouit, vt animam & incorpoream, & immortalem crederent; cùm in ea memoriæ, ſcientiæ, intelligentiæ, artis, cogitationis, ac contemplationis vim animaduerterent; quæ corporeis, hiſque mortalibus rebus ineſſe non poteſt. Hanc etiam maximè ponderat Michaël Glicas parte prima Annal. ita diſſerens. *Cùm anima intelligentiæ vi ornata, per* D *inſpirationem homini à Deo ſit inſita: illa ipſa etiam de cauſa immortalis eſt. At brutorum anima iuſſu diuina exorta de humo terreſtris eſt, idéoque morti obnoxia,* &c. Quapropter eorum inexpiale ſcelus meritò exiſtimatur, qui rationalem animam, tanquàm nihilo brutis præſtantiorem, vnà cum corpore perire contendunt.

Michaël Glic. 1. parte Annal.

AT præter hæc Græcorum Patrum teſtimonia, Latinorum quoque ſuffragia non deſunt, quibus animæ immortalitas defenditur. E Atque inter hos Tertullianus cùm animas rationales aliquando corporeas ſenſiſſet, atque inde corruptibiles pronunciare debuiſſet lib. de Reſurrect. carnis c. 34. vel palinodiam canit, vel malè de Philoſophia ſentiens, quæ cũcta corporea diſſolubilia eſſe clamat, immortales eſſe decernit. *Recipimus* (inquit) *animæ immortalitatẽ, vt perdita non in interitum credatur, ſed in ſupplicium, id eſt, in gehennam.* Neq; enim poterat Tertull. Scripturarũ aperta teſtimonia effugere, quæ animæ immortalitatem docẽt:

Tertull. lib. de Reſurrect. carnis c. 34.

A quapropter meliùs illi viſum fuit Philoſophorum placita euertere, quàm animæ immortalitatem minuere, præſertim tot Scripturarum oraculis celebratam.

D. Ambroſ. de bono mortis c. 9. & 10.

D. AMBROS. verò de bono mortis c. 9. & 10. ex duplici Euangelij loco hanc animæ immortalitatem colligit. Primus eſt Ioan. 10. vbi Dominus ait. *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam*: in quem locum ita ſcribit. *Vides igitur, quòd non moritur cum corpore, quæ &* *Io. 10.* *ponitur, & reſumitur, & in manus Dei Patris commendatur.* Alter locus eſt Luc. 12. vbi Chriſtus *Luc. 12.* de diuite illo agens, qui multa bona in annos plurimos ſibi parauerat, atque iis frui ſperabat. *Stulte* (ait) *hac nocte animam tuam repetunt à te. Sed ne fortè dicas* (ait Ambr.) *ſpeciale eſſe, quod Chriſti eſt, audi dicentem, quid ſcis, an hac nocte à te anima tua repoſcatur? Nunquid dixit moriatur in te anima tua: non. Sed repoſcatur à te. Repetitur enim anima, non interimitur: quod repetitur, manet; quod interimitur, non manet.*

Hugo Victor. lib. 2. Inſtit. Monach. cap. 29.

QVAPROPTER quid mortale in hominis occaſu ſit, quídue immortale permaneat, diſertè explicat Hugo Victorinus lib 2. Inſtit. Monach. de anima c. 29. *Immortalis eſt anima* (inquit) *quia carne caret, nec habet, quo cadat; vt reſurrectione egeat poſt ruinam* (*niſi peccato ceciderit*) *& ideo in morte vita noſtra nõ perit: ſed corpus deſtituit, dum diſcedit anima: vim ſuam non perdit: ſed quod viuificauerat, hoc dimittit; & quantùm in ſe eſt, mortem alterius facit, ipſa non recipit. Facit inquam nõ viuificando quod deſerit, non amittendo quod viuit. Itaque mors hominis nihil aliud eſt, quàm carnis occaſus, à qua cùm vis potentia viuificantis abſceſſerit, in terram, de qua ſumpta eſt, redit, amiſsis ſenſibus, quos non per ſeipſam habuit. Anima non aliter, quàm Sol lucem dies, vitam tribuit carni, cùm venerit: mortem efficit, cùm recedit: mors tamen non conſumit coniuncta, ſed diuidit, dum origini ſuæ vtrumque reddit.*

VIDES quàm præclarè Victorinus animam Soli comparat, vitam diei, mortem nocti, qua olim metaphora & Chriſtum vſum fuiſſe conſtat apud Io. 9. cùm omnes operari iubet donec dies eſt, venturam enim noctẽ dicit, quando nemo poterit operari: vbi Chryſoſtomus hom. 55. in Io. diẽ hominis vitam exponit. Porrò quemadmodũ Sol diei eſt auctor; ita & anima eſt vitæ parens: Sole recedente, quis noctis tenebras in orbẽ irrumpere non videat? Planè vix anima recedit, ſtatim fugata vitæ luce carnis occaſus ſequitur, & mortis tenebræ in homine diffunduntur. Nemo perire Solem exiſtimat, tametſi nobis occidat, ac lucere deſinat; ſed ipſummet clarũ ac lucidum perpetuò manere ſentit: quamquã ſe ab oculis noſtris ſubtrahat. Nõ interit, non deletur anima, tametſi corpori vitam non impertiat, ſed cùm corpori tãtummodò occidat

Io. 9.

Chryſoſtom. hom. in Io. 55.

occidat ſibi inoccidua, ac immortalis ſemper exiſtit.

ATQVE hinc optima homini conſolatio oritur, cùm ſe animam immortalem habere ſentit, quæ poſt funera manet; quæ mortis imperium deridet; quæ occidente corpore illuſtrior ad Deũ pergit; quæ æternæ ac beatæ vitæ poſt corporis occaſum, in ſe ſpem alit. Id Cyprianus lib. de mortalitate; allato Simeonis ſenis exemplo egregiè declarat his verbis. *Simeon iuſtus lætus de morte iam proxima, & de vicina accerſitione ſecurus, accepit in manus puerũ Ieſum, & benedicens Deum exclamauit, & dixit. Nunc dimittis ſeruum tuum Domine*, &c. *probans ſcilicet atque cõteſtans, tunc eſſe ſeruis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quãdo de his mundi turbinibus extracti, ſedis, & ſecuritatis æternæ portum petimus: quando expuncta hac morte, ad immortalitatem venimus: illa eſt enim pax noſtra, illa fida tranquillitas, illa ſtabilis, & firma & perpetua ſecuritas.* Hæc Cyprianus: nec fruſtra, quæ enim maior conſolatio eſſe poteſt iis, qui vel mortalis huius corporis graui onere defatigantur, vel vitæ huius ærumnis, ac moleſtiis conficiuntur; quibus vita hæc certaminis potiùs palæſtra, quàm tutus quietis locus videtur; quàm vt ſuam ipſorum immortalitatem ad animam reuocent, qua ſe depoſita corporis ſarcina, poſt vitæ huius ærumnas perpetuò frui ſperant.

Cyprianus lib. de mortalitate.

Luc. 2.

QVAPROPTER D. Hilarius ad Pſ. 119. explicans illa verba Eccleſ. 4. *Et laudaui omnes, qui mortui ſunt*, &c. ita ſcribit. *Libera ſcilicet per diſſolutionem corporis anima, onere, atque conſortio, atque etiam infirmitatibus huius periculoſæ carnis exuta: in hoc igitur nimium ſibi prolixo in corpore incolatu congemiſcit Propheta, feſtinans peregrinari à terrenis, & incolere cœleſtia; vt derelictis corruptibilibus atque præſentibus conſequatur æterna, & inuiſibilia.*

D. Hilarius ad Pſ. 119.

ANIMVS ſiquidem cœleſtis terreſtri hoc corporis habitaculo depreſſus quodammodo fatigatur, dum ad cœleſtia inhiat, & cùm immortalis ſit, immortalia quærit, atque eò magis ingemiſcit ac laborat, quò ſe terrenis vinculis retineri videt, quominùs ad immortalem ſuam originẽ reuolet. Quod ſanè maximum argumẽtum eſt animam eſſe immortalem. Nam cùm vniuerſa ex elementis compoſita ad ſua elementa redeant, atque in ea reſolui appetant, velut in principia, à quibus orta ſũt; animus etiam ad ſua elementa redire compellitur, non quidem corporea, cùm ex his compoſitus nõ ſit; neque ab iis velut principiis pendeat: ſed diuina ac cœleſtia: cùm enim ad Deum immortali appetitu pergat, ac in eum tandem tanquam ſuæ immortalitatis auctorem ſe reſolui optet: id verum, ac ſolum animi elementũ cenſendum eſt, in quod tandem illum reſolui oportet. Quod Beda venerab. in quæſt. in Gen. præclarè colligit. *Homo* (inquit) *qui de terra factus eſt, in terram reuertitur: ſimiliter niues & procellæ, quæ ex aqua fiunt; & aër ſumit de terra, in aquam reuertuntur; & iterum de terra ex qua ſumpta ſunt, in aërem. Anima verò non habet vllum elementum ad quod reuertatur, niſi ad creatorem ſuum, poſtquam de corpore exierit.*

Beda in quæ. in Gen.

IN verò maximè illorum labores ſolatur, qui carnẽ ieiuniis ac vigiliis domãt, corpus in ſpiritus ſeruitutem redigũt, prauas ſenſus cupiditates fræno coërcent, ac tandem pietate, ac cæteris virtutibus animum exercent. His enim mors non animam, ſed corpus dũtaxat eripit. Vnde Bern. ſerm. de Obitu Humberti Monachi. *Siccine ſeparas* (inquit) *amara mors? O beſtia crudelis, ô amaritudo amariſſima, ô fœtor & horror filiorũ Adam! Quid feciſti? occidiſti? poſſediſti? ſed quid? Carnem vtique ſolã. Animæ enim non habes quid facias. Volat ad creatorem ſuum, quem tam ardenter concupierat, quem fortiter ſequuta fuerat omnibus diebus vitæ ſuæ.*

D. Bernard. de obitu Hũberti Monachi.

QVIN plura? hoc vnũ ac præcipuum inter Apoſtolicæ fidei ſymbola colitur, credo carnis reſurrectionem, vitam æternam. Reſurrectio quidem carni, quę in morte cadit ex Dei ſententia debetur: animæ verò, quæ incorruptibilis ac immortalis eſt, vita æterna ſeruatur: vtramque verò poſt extremum iudicij diem immortalitas manet. Nam vt ait Paulus 1. Cor. 15. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.*

1. Cor. 15.

HVNC poſt Apoſtolicum ſymbolum inter fidei articulos collocant Nicenũ, ac Conſtantinopolitanum Conciliũ primum. Et tandem Leo X. in Conc. Lateranenſi ſeſſ. 8. dogma hoc de immortalitate animæ cunctis ſublatis cauillationibus apertè de fide tenẽdum ſtatuit, ac oppoſitam ſententiã hæreſis damnat: quinetiam Philoſophiæ publicis profeſſoribus iniũgit, vt Philoſophorum argumenta, quæ animæ immortalitatem interdum infirmare videntur, nullo modo tanquam inſolubilia auditoribus proponãt; ſed pro viribus diluant, & animarũ immortalitatẽ etiam ſecundùm Philoſophiã optimè probari doceãt. Tandem locorum Ordinariis in vrbibus vbi generalia ſtudia vigẽt, & Vniuerſitatum Rectoribus diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit, vt canones hos ſingulis annis in ſtudiorum initiis publicẽt. Cuius decreti verba hîc referre lubet, vt Catholici Philoſophiæ profeſſores, in aſſertionibus de immortalitate animarum diſcant verba temperate: neque tantùm ſibi Philoſophiæ aſcribant, vt ſecundùm veram Philoſophiam animas mortales eſſe autument; cùm id fidei repugnet, ac veram Philoſophiam euertat, quæ nuſquam cum fide pugnat. Nam ſi vera eſt Philoſophia, quæ animas mortales docet, falſa erit fides, quæ illas immortales prædicat.

Conc. Nicen. Conc. Conſtantin. Conc. Lateran. ſeſſ. 8.

Rurſus ſi vera eſt Eccleſiæ fides, falſa erit vera Philoſophia: quaptoptet non vera, ſed falſa Philoſophia ea cenſeuda eſt, quæ humanos animos motti ſubiicit. Potrò Decreti verba nonnullis in principio omiſſis, hæc ſunt.

Hoc ſacro approbante Concilio, damnamus, & reprobamus omnes aſſerentes animam intellectiuam mortalem eſſe, aut vnicam in cunctis hominibus: & hac in dubium vertentes: cùm illa non ſolum verè, per ſe, & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, ſicut in canone fel. record. Clemētis PP. V. prædeceſſoris noſtri in generali Vienenſi Concilio edito continetur: verùm & immortalis, & pro corporum, quibus infunditur, multitudine ſingulariter multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda ſit. Quod manifeſtè conſtat ex Euāgelio, cùm Dominus ait; animam autem occidere nō poſſunt, & alibi; Qui odit animam ſuam in hoc mundo in vitam æternam cuſtodit eam. Et cùm æterna præmia, & æterna ſupplicia pro merito vitæ iudicādis repromittit: aliàs incarnatio, & alia Chriſti myſteria nobis minimè profuiſſent: nec reſurrectio expectanda foret: ac ſancti & iuſti miſerabiliores eſſent iuxta Apoſtolum; cunctis hominibus: cúmque verum vero minimè contradicat; omnem aſſertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falſam eſſe definimus; & vt aliter dogmatizare non liceat diſtrictius inhibemus. Omneſque huiuſmodi erroris aſſertoribus inhærentes, veluti damnatiſſimas hæreſes ſeminantes, per omnia vt deteſtabiles, & abominabiles hæreticos, & infideles catholicam fidem labefactātes vitandos, & puniendos fore decernimus. Inſuper omnibus, & ſingulis Philoſophis in vniuerſitatibus ſtudiorum generalium, & alibi publicè legentibus, diſtrictè præcipiendo mandamus: vt cùm Philoſophorum principia, aut concluſiones, in quibus à recta fide deuiare noſcūtur auditoribus ſuis legerint, ſeu explanauerint, quale hoc eſt de animæ mortalitate, aut vnitate; & mundi æternitate, ac alia huiuſmodi, teneantur eiſdem veritatē religionis Chriſtianæ omni conatu manifeſtā facere: & perſuadendo pro poſſe docere, ac omni ſtudio huiuſmodi Philoſophorum argumenta, cùm omnia ſolubilia exiſtāt, pro viribus excludere, atque reſoluere. Et cùm non ſufficiat aliquādo tribulorum radices præſcindere, niſi & ne iterum pullulent, funditus euellere: ac eorum ſemina originaléſque cauſas, vnde facilè oriuntur, remouere: cùm præcipuè humanæ Philoſophiæ ſtudia diuturniora, quàm Deus ſecūdùm verbum Apoſtoli euacuauit, & ſtultam fecit abſque diuinæ ſapientiæ cōdimento; & quæ ſine reuelata ſapientiæ lumine in errorem quādoque magis inducant, quàm in veritatis elucidationem: ad tollendam omnem in præmiſſis errandi occaſionem, hac ſalutari conſtitutione ordinamus, ac ſtatuimus: ne quiſquam de cætero in ſacris ordinibus conſtitutus, ſæcularis, vel regularis; aut aliàs à iure arctatus in ſtudiis generalibus, vel alibi publicè audiēdo Philoſophiæ, aut Poëſis ſtudiis vltra quinquennium poſt Grammaticam, ac Dialecticam ſine aliquo ſtu-

Conc. Vienenſ.

Matt. 10. Io. 12.

A *dio Theologiæ aut iuris Pontificij incumbat. Verùm dicto exacto quinquennio, ſi illis ſtudiis inſudare voluerit, liberum ſit ei, dum tamen ſimul, aut ſeorſum, aut Theologiæ, aut ſacris canonibus operam nauauerit, vt in his ſanctis, & vtilibus profeſſionibus ſacerdotes Domini inueniant, vnde infectas Philoſophiæ & poëſis radices purgare, & ſanare valeant. Et hos canones per ordinarios locorum, vbi generalia ſtudia vigent, & Rectores vniuerſitatis eorumdem ſtudiorum, ſingulis annis in principio ſtudij in virtute ſanctæ obedientiæ publicari mandamus.*

Ex his patet Pattum omnium, ac Conci-
B liorum conſenſum in animæ immottalitate
conſpirare.

Demonſtratur quartò animæ immortalitas rationibus, tam contra Atheiſtas, quàm Hæreticos.

ARTICVLVS X.

HACTENVS Philoſophotū, ſacratum Scripturatum, ac Pattum teſtimoniis animas immortales demonſtrauimus. Reſtat,
vt eandē rationibus ab ipſa natuta depromtis,
C velut ipſius naturæ voce, ac teſtimonio cōfirmatā tū Atheiſtis, tū Hæreticis relinquamus.

PRINCIPIO cùm animam hominis immortalem ſtatuere volumus, duo nobis ſupponenda ſunt. Primum, animam eſſe: nam ſi anima non ſit, profectò nec mortalis, nec immortalis eſſe poterit, cùm de eo quod non eſt, nihil affirmari, aut negari poſſit. Secundum, animam non eſſe corpus, ſed ſubſtantiam à corpore diſtinctam. Etenim ſi anima corpus eſſet, fruſtrà eam immortalē eſſe contenderemus, quam corporū more quotidie corrumpi, ac morte diſſolui oculis ipſis perſpicete-
D mus. Quamobrē primò animam eſſe, ſuperiùs tam contra Atheiſtas, quàm Hæreticos oſtendimus: ac certa fide tenendum ſtatuimus, vbi multa tum ex Philoſophis, tum ex Scripturis ad id probaodū argumēta collegimus. Quòd ſi quiſpiam id negare contenderet; planè hoc ipſo quòd animam negaret, ac contra eam diſceptaret, animā ſe habere oſtenderet, cùm ſine anima de ea diſſetete nō poſſet: quapropter illū ad ſeipsū tantùm reuocare ſufficeret.

CÆTERVM animam non eſſe corpus neque corpotis partem, pluribus etiam ſuprà demonſtratum fuit: quapropter iis neceſſariò
E ſuppoſitis, ac probatis, nunc ad animæ immortalitatem rationibus demonſtrādam accedimus. Sed quoniam huiuſmodi rationes ferè innumeræ nobis ſeſe offetunt, ne confuſa ac indiſtincta illarum multitudine legētium animi obruantur, vniuerſas quinque claſſibus perſtringimus; atque ex iis nonnullas educimus, alias educendas legentium animis relinquimus.

Prima claſſis eas rationes complectitur quę ex ipſius animæ origine deducuntur.

Secunda quæ è rationalis animæ natura fluunt

Tertia quæ ex animæ proprietatibus ac operationibus colliguntur.

Quarta quæ ex animæ ipſius potentiis emergunt.

Quinta tandem quæ ex optimo rerum fine, ac diſpoſitione promuntur.

Rationes ex prima claſſe depromptæ.

PRIMA RATIO.

ANIMA non eſt corpus: neque pars corporis, ſed prorſus incorporea exiſtit; ergo eſt immortalis. Aſſumptum ſuperiùs probatum fuit: id præſertim ex eo patet, quòd ea maximè actiua eſt. Corpus autem vel natura ſua nihil agit, ſed tantùm paſſioni ſubiicitur (vt Platoni placet) vel ſi agit ex placito Peripateticorum, tantò ad agendum efficaciùs mouetur, quantò propinquius fit incorporeis: contra verò tardiùs, quò magis materiæ immergitur.

PRIMVM quidem facilè conſtat, ſi ea, quibus corpus propiùs ad incorpoream naturam accedit, perquiramus: ea verò ſunt breuitas, leuitas, & raritas; quæ tria ad incorporalem, quoad fieri poteſt, habitum corpus ducunt. Breue enim corpus citiùs agit; ſcintilla ignis citiùs euolat, quàm totus ignis: præterea vis leuitatis ſurſum velociùs flammam, quàm prunas extollit. Demum tenue, ac rarum corpus, cùm magis ad incorporeum accedat, vehementiùs ac velociùs operatur. Id nobis ignis ipſe declarat, qui ob maximam illius tenuitatem cæteris omnibus elementis, & loco, & operatione præſtat: lux quoque ac fulgor velociùs, ac velut inſtantaneè ſeſe diffundit, quò minùs craſſum in ſeipſo poſſidet, ac ad ſpiritualem naturam magis appropinquat.

ALTERVM ex his manifeſtum fit. Nam primùm corporis moles impedimentò eſt, quominùs illud celeriùs feratur. Quò enim maius ac vaſtius corpus eſt, eo ſecundùm ſe pigrius, ac ineptius eſt ad motum; & auctum corpus actionis celeritatem retardat; cùm in partes plurimas ſeſe extendat: virtus verò agens in eas diſperſa, eò magis minuitur, quò minùs vnita eſt. Cæterùm graue ac craſſū corpus ægriùs agere, & moueri, quàm leue ac tenue, ſatis ipſa experientia probatum eſt: inde enim & oleum cæteris liquoribus ſupereminet, & modicus aër in vaſe incluſus vas in aquæ ſuperficie ſuſtinet, nec demergi patitur. Cùm igitur corpus, quò magis ad incorporea accedit, eò efficaciùs agat; quis apertè non videat maximam agēdi vim

A in natura incorporea conſiſtere: ac proinde animam incorpoream eſſe, quæ vniuerſa corpora agendi virtute antecellit?

CONSEQVENS probatur: nam incorporea omnia ſuapte natura incorruptibilia ſunt, ac indiſſolubilia. Omnis enim corruptio ex communi Philoſophorum ſententia à materia emanat. Neque aliud Philoſophis medium ſupereſt, quo Deum immortalem concludant, quàm quòd omnis materiæ eſt expers, & conſequēter omnis corruptionis. Huius rei potiſſima ratio eſt; quia materia prima, omnium prima mobilitatis, ac proinde B corruptionis & mortalitatis, quæ illius veluti ſpecies ſunt, eſt radix; qua ſublata, mors omnis ac corruptibilitas abſcedit. Quapropter cùm anima incorporea ſit, & à materia ſeparata; nullam in ſeipſa ad alias formas potentiam habet, qua corruptioni obnoxia eſſe poſſit; igitur immortalis.

SECVNDA RATIO.

ANIMA rationalis cùm incorporea ſit, nec corporis mutabilitati, nec temporum viciſſitudini ſubiecta eſt, ergo nulli cor- C ruptioni ſubiacet. Antecedens probatum eſt, conſequens declaratur: nam quælibet corruptio mutationem requirit; cùm nulla prorſus corruptio ſine præuia mutatione fiat; mutatio verò non fit niſi in tēpore: tempus enim eſt mēſura motus. Porrò exploratum eſt, corpus omne manifeſtas certis quibuſdam temporum periodis mutationes pati ſolere; quibus fit, vt modò creſcat, modò declinet: nunc florente iuuenta aureā comam nutriat, nunc ingraueſcente ætate canos generet. Anima verò nec proceritate corporis extollitur, nec declinatione minuitur: non adole- D ſcit, aut ſeneſcit, nec vllis corporum mutationibus mutatur.

RVRSVS præteritum tempus cùm iam fluxerit, ac hominis ætatem ſecum rapuerit, à corpore reuocari non poteſt. Manet enim irreuocabile tempus. At animus illud tametſi præteritum iamdudum ſit, reuocat, præſens cernit, contemplatur, memoria reuoluit: ac tantùm abeſt, vt eo ſeneſcat, aut deterior fiat; quòd etiam illius conſideratione iuueneſcit, memoria oblectatur, præſentia prudentior fit, ac perfectior. Quibus ſanè grauiſſimè conclu- E ditur; animam nec cum corpore corrumpi, nec cum tempore dilabi, ſed incorruptibilem, ac immortalem manere.

TERTIA RATIO.

ANIMA nullum patitur corrumpēs; igitur eſt incorruptibilis, & immortalis. Aſſumptum eſt notum, tum ex doctrina Philoſophi in 5. lib. Phyſic. vbi docet omnes generationes & corruptiones fieri ex contrariis, & in contraria; tum experientia ipſa. *Ariſt. lib. 5. Phyſic.*

Areſcit enim planta nimia vel frigiditate, vel ſiccitate perculſa, quæ nimirum illius principiis, calido, & humido contraria ſunt. Animal etiam pugnantibus inter ſe humoribus; breui ad interitum rapitur. Demum album à nigro, calidum à frigido, illorum oppoſitis deſtruuntur.

At quid animæ, quæ incorporea, ac immaterialis eſt, contrarium eſſe poteſt, quo deſtrui valeat, præſertim cùm omnis contrarietas ex corporeis qualitatibus oriatur? Quo pacto eam à cõtrariis corrumpi, aut ab iis detrimentum aliquod pati poſſe exiſtimabimus; quæ contraria omnia alibi repugnantia inter ſe in ſeipſa vnit, ac conciliat; dum ea intelligit, ac ea ſub eadem ſcientia congregat, vt habetur 9. Metaphyſ. ac ea tandem non ampliùs ſe inuicem à ſubiecto expellentia, ſed ſibi inuicem obſequentia reddit? Quid plura? an non ea cuncta, quæ aut contraria, aut inter ſe pugnantia videntur, cùm ad ipſam appellunt, protinus omni contrarietate expoliata perpetuo amicitiæ fœdere coniungit?

Metaph. 9.

Ignis calidus eſt, aqua ſuapte natura frigida. Corpus quidem ſimul hoc qualitatum bellum ferre non poteſt, cùm ab eo deſtruatur. Intellectus verò nullam ab iis aut calidi, aut frigidi læſionem paſſus, hos ſimul connectit; nec ab iis aut calidus, aut frigidus efficitur; nec exuritur, nec frigore conſtringitur. Hæc quidem intellectus ſibi extra ſe oppoſita intelligit: ſed hæc oppoſitio non deſtructionem, ſed intellectus inſtructionẽ parit. Nam quæ in toto vniuerſo ſeipſa expellunt, fugant, perſequuntur, ac tandem deſtruunt, in anima connectuntur, vt perfectam ſcientiam gignant.

Ita pacem cum bello, bellum cum pace animus conciliat, mortem vitæ, vitam morti coniungit: nullum igitur contrarium animus habere poteſt à quo corrumpatur; cùm & leges contrariis imponat: & ab iis maiorem ſui perfectionem hauriat. Cùm vero nullum anima contrarium, ac corrumpens patiatur: eo ſanè incorruptibilis, ac immortalis euincitur.

At obiiciet fortè aliquis, animam per accidens corrumpi, ad corruptionem nimirum corporis, quemadmodum confracto vaſculo effunditur vnguentum, ac perit. At hæc obiectio nulla eſt. Nam primò hic corruptionis modus accidentibus tantùm, non ſubſtantiæ competit. Anima verò cùm ſubſtantia ſit, non accidens, idcirco per accidens non poteſt corrumpi. Præterea poſito quòd aliqua ſubſtantia per accidens poſſet corrumpi, ea deberet inniti ſubſtantiæ primò corruptæ, ac proinde corporea eſſe deberet; anima verò cùm non corporea, ſed incorporea ſubſtantia ſit; corpori non innititur tanquam ſubiecto, ſed eo vtitur tanquam inſtrumẽto. Quare ſicut ſublato inſtrumento haud propterea agens corrumpi opus eſt, ſed remanet: tametſi eo inſtrumento careat. Ita anima ſublato ac defuncto corpore non corrumpitur, ſed ſuperſtes ac immortalis ſubſiſtit.

Quarta ratio.

Mors fit per ſeparationem materiæ à forma, ſed anima nullam habet materiã à qua ſeparari poſſit: igitur eſt immortalis. Maior declaratur. Anima enim in homine tãquam forma conſideratur, corpus tanquam materia. Quapropter tandiu hominem viuere opus eſt, quandiu anima corpori eſt coniuncta; ac tunc primò vita priuari, cùm ab eo anima recedit. Hinc animæ à corpore diſſolutio mors appellata eſt: hoc ipſum in plantis, & in brutis videre licet, ac demum in cæteris rebus, quibus interitus ac corruptio hac ratione accidit, quòd in his forma à materia diſſoluatur.

At quæ mors animę accidere poteſt, cùm ea ſimplex forma ſit, ac immaterialis? ſi æreæ tabulæ quadrangularis, aut triangularis figura inſculpatur, ea quidem vel corraſa, vel fuſa tabula deleri poteſt, cùm in materia exiſtat: ſiquidem ſola materia eſt, quæ formarum mutationem, ac multitudinem poteſt recipere. At verò ſi figura aut quadrangularis, aut orbicularis dari poſſet, quæ nulli materiæ inniteretur, ſed per ſe ſubſiſteret, ea ſanè nulla vi deleri, aut corrumpi poſſet, cùm à materia omnino eſſet ſeparata. Ita de rationali anima ſentiendum, quæ cùm ſit forma abſque materia ſubſiſtens, neque mutari, neque interire poteſt.

Amplius cùm animæ à materia ſeparatio puriorem, ac perfectiorem illam reddat, quomodo illius mors eſſe poteſt? animus namque quò magis contemplando à materialitate recedit, eò perſpicaciorem rerum intelligentiam aſſequitur: atque intellectus ipſe eò celeriùs cœleſtia contemplatur, quò longiùs à corporeis, ac terrenis rebus ſeiunctus eſt. Tandem tota mentis perfectio in ea ſita eſt, vt plenam à ſenſibilibus abſtractionem poſſideat. Hæc omnia Philoſophis perſpicua ſunt. Cùm igitur animæ à materia ſeparatio magis illius operationem, ac conſequẽter Eſſe perficiat, ac præſtantiora reddat (operatio enim eſſe naturã ſequitur, & perfectior operatio perfectiorem naturam declarat.) Sanè manifeſtum eſt, eam morte deleri non poſſe, quę morte maiorẽ ſibi perfectionem acquirit.

Quinta ratio.

Si anima cum corpore mortalis eſſet, ea defluente corpore paulatim difflueret, ac debilitato, debilitaretur. Quòd enim cum corpore deſinit, eò magis declinat, quò magis corpus ad interitum properat: ita fieret, vt

anima

anima ægroto corpore ægrotaret; ſeneſcente A ſeneſceret, ac dilabente corpore ipſa quoque dilaberetur. At non ſic ſe habet animus, quin etiam in ſeneſcente, ac valetudinario corpore vt plurimùm viget purior intellectus, ac prudentior mens: & quò magis graue corpus ad occaſum fertur, eò agilior animus plerumque perfectiora operatur. Quo pacto igitur animus cum corpore interire iudicandus eſt, qui corporis imbecillitate roboratur, ac illius declinatione attollitur?

CONFIRMATVR. Homini quidem ſenſus deficiunt, cùm corporei ſint, & à ſubiecta B illis materia crebris paſſionibus ſauciata defatigentur. At animus orbato oculorum lumine, cùm nullo labore defatigetur, acutiùs, quæ occulta ſunt, perſpicit; ac puriùs incorporea contemplatur. Senibus item ratio ac mentis vigor eò magis illuſtratur, quò magis corporeis ſenſibus deſtitutus animus ad diuinorum contemplationem ſe transfert, ita vt plerumque eò progrediatur, vt futura præuideat. Quid igitur? cur non potiùs corpus animæ, quàm animam corpori in morte ſubtrahi arbitramur? Corpora quidem perſpiciliorũ C inſtar, illorum occaſu confringuntur. Integer verò, ac immortalis animus, quaſi viſus poſt confracta perſpicilia, ac corporis occaſum manet. Hæc ex ipſius animæ origine deprompta argumenta facilè illius immortalitatem teſtantur. Nunc ex ipſa animæ natura aliqua petamus.

Rationes ex ſecunda claſſe ductæ.

SEXTA RATIO.

SIMPLICIVM nullus poteſt eſſe interi- D tus ac diſſolutio, ſed anima eſt ſimplex, ergo non poteſt interire, ac diſſolui. Igitur immortalis. Maior declaratur. Vbi nulla eſt rerum coniunctio, ac compoſitio, nulla ibi diſſolutio ac ſeparatio eſſe poteſt. Omnis ſiquidem reſolutio Phyſica, cùm ad nihilum pertingere non poſſit, quandoquidem breui omnes rerum naturæ perirent, ac corruerent: in aliquo ſimplici conſiſtit, quod immortale eſt, ac perpetuum: cùm in alias partes diſſolui non poſſit, vnde illi corruptio contingat. E Res quidem ex forma, materiáque compoſitæ, in materiam eámque primam, ac ſimplicem reſoluuntur: formæ quoque illæ, quæ ex materiæ potentia eductæ fuerant, in materiæ fomitem reducuntur. Atque hæc ſicut ingenerabilis, ita & incorruptibilis exiſtit. Porrò vbi natura opus ſuum, quod coagmentauerat, diſſoluit; & partes inter ſe compoſitas diſſocat, mox rerum interitus conſequitur: haud ſecus quàm dictio diſperſis huc, atque illuc literis, diſſipatur. Quapropter compoſitorum quidem interitus eſſe poterit, ſimplicium verò nullus.

MINOR probatur. Nam anima, vt ſæpè demonſtratum fuit, incorporea eſt, & immaterialis: quò fit, vt nullam materiæ compoſitionem admittat, ex qua illius corruptio oriri poſſit; quis enim narrare valeat, vnde & quibus ex partibus compoſitus ſit hominis animus? Non latus, non ſpacioſus eſt, neque figuram, neque magnitudinem habet, qua diuidi poſſit. Demum cùm immaterialis ſit, omnem corporeorum compoſitionem horret: vnde igitur diſſolubilis erit? Planè ſi contrariorum contrariam rationem, ac naturam eſſe opus ſit; cùm neceſſe ſit, quod compoſitum eſt diſſolui, id etiam neceſſe erit, quod ſimplex eſt, nunquam diſſolui.

SEPTIMA RATIO.

QVOD eſt, & nullam habet potentiam ad non eſſe; ſemper eſt; rationalis anima eſt, & non habet potentiam ad non eſſe, igitur ſemper eſt, & immortalis. Maior nota eſt, tamen declaratur. In corporalibus ſubſtantiis, quæ ex forma & materia componuntur, duplex potentia reperitur, vna quidem ad eſſe, altera ad nõ eſſe. Cùm enim vniuerſis ſubſtet materia ad omnes formas indifferens, res quælibet eſt in potentia ad non eſſe proprium, quod ex ſua forma habet; cùm ea poſſit corrumpi, paritérque eſt in potentia ad eſſe alterius formæ, quam illa materia poteſt ſuſcipere: materia enim quæ eſt ſub forma leonis, antea habebat potentiam ad non eſſe propriæ formæ, & ad eſſe formæ leonis, modò verò habet potentiam ad non eſſe leonis, & eſſe ignis: ita fit, vt quæ libet res compoſita æquè habeat potentiam tam ad eſſe, quàm ad non eſſe. Atque hinc rerum corporalium corruptio exoritur.

QVÒD verò rationalis anima nullam habeat potentiam ad non eſſe, quæ eſt minor, facilè probatur. Nam potentia ad non eſſe manat ex materia, quæ eſt mobilis ad omnes formas; item ex compoſitione oritur, quæ ad diſſolutionem ducit. Anima verò eſt immaterialis, & ſimplex forma per ſe ſubſiſtens. Quatenus igitur immaterialis eſt, & materiæ non innititur, non habet potentiam ad alias formas, quapropter ipſa ſola ſemper erit. Quatenus verò non eſt compoſita ex aliqua potentia materiæ; ſed eſt forma ſimplex ſine materia ſubſiſtens, nullam habet potentiam ad non eſſe, cùm nullo modo diſſolui poſſit; vt ſuprà declaratum fuit. Igitur vtroque modo anima erit immortalis.

ATQVI, dicet aliquis, anima ſaltem condita eſt, ergo habuit potentiam ad eſſe, & cùm non fuerit neceſſariò condita, neque ſit ens neceſſarium, habuit etiam potentiam ad non eſſe: non igitur anima caret potentia ad non eſſe. Fateor, animam præceſſit potentia tam ad eſſe, quàm ad non eſſe. At vbi-

nam erat illa potentia? an ea in anima fuiſſe creditur, quæ nondum erat? num in parte animæ? neque id ſanè; cùm ea ſimplex, ac tota ſimul effecta ſit. Quid? an ea in nihilo latuit? At quomodo eſſendi potentia in nihilo fundari poteſt, quod eſt ipſum non eſſe, niſi oppoſitum alterius contradictorij fundamentum eſſe velimus, & quod non eſt, aliquid conferre ad ipſum eſſe?

DICIMVS igitur illam potentiam tam ad eſſe, quàm ad non eſſe; quæ animam præceſſit, non in anima, ſed in ipſo immortali Deo animæ conditore extitiſſe; qua potuit illam iuxta placiti ſui leges & condere, & non condere. Cùm igitur illa non ex materia, ſed à Deo immortali ex nihilo condita ſit, perſpicuũ eſt, eã nullam naturalem potentiã habere ad non eſſe, ac proinde quod ad potentiam naturalem ſpectat, ſemper eſſe immortalem.

OCTAVA RATIO.

QVOD eſt eſſentia per ſe exiſtens, ſemper eſt, & immortale. Anima eſt eſſentia per ſe exiſtens: ergo ſemper, & immortalis eſt. Maior declaratur: quod conuenit alicui per ſe, id ab eo ſeparari non poteſt. Lineæ longitudo per ſe, ac ſuapte natura ineſt; eapropter à linea longitudo ſeparari nequaquam valet: ea enim ſublata ipſa etiam lineæ natura tolleretur. Eadem ratione calor igni, aquæ humiditas, Soli ſplendor, corpori trina dimenſio per ſe conueniunt: neque ab iis diuelli vllo modo queunt. Formæ verò eſſe, primò, ac per ſe conuenit: nam ſi cuique rei eſſe primò per formam competit, ſequitur ſanè, vt ipſa forma ſit per ſe totius eſſendi fons. Si enim non ſit per ſe, ſed ab alio; interrogabimus, an illud, per quod forma dicitur eſſe, ſit in genere formæ, vel materiæ? non materiæ (vt notum eſt) neque enim res per materiam, ſed per formam ſunt, ſine qua eſſe nunquam poſſent. Igitur erit in genere formæ. At redit quæſtio; An ea forma habeat eſſe per ſe, an ab alio? Ita rem ad infinitas quæſtiones produci opus erit, aut primum eſſe formæ tribuere, vt per ſe ſit.

CVM igitur eſſe per ſe, formæ conueniat, illud etiam omni formæ conuenire deberet, vt ſemper eſſet; nihil enim à ſeipſo diſcedit: cùm enim nihil intercedat inter ſe, & ipſum eſſe, quo à ſuo eſſe ſeparari poſſit; inde ſequitur, quòd neceſſariò ſemper eſſe debeat. Quæ igitur ratio eſt, quòd tot formæ indies pereant? Ea ſanè quæ in ſummo Conditore fuit, cùm duo formarum genera inſtituit, quoddam materialium, alterum immaterialium: materialibus quidem formis, quod proprium illis eſſet, illud eſſe contulit, vt materiæ inhærerent, neque alio modo per ſe exiſterent. Hæc itaque materialium formarum natura eſt, iis à principio A indita, vt ſuæ materiæ inhæreant, atque in hac inhærentia proprium eſſe conſtitutum habeant. Cùm verò non ſemper inhæreant ob materiæ appetitum, quæ ad nouas ſemper formas inhiat; inde formarum materialium interitus manat, cùm ab illo eſſe recedunt, quod à natura illis tributum fuerat.

AT verò immaterialibus formis ea natura à Deo collata eſt, vt non alij, quàm ſibi ipſis inhæreant: quapropter eſſe ſuum ſibi ſemper coniunctum habent, & quamuis corpora informent, iis tamen haud ita inhærent, vt ab iis aliquo modo pendeant, iis ſiquidem B inhærere, eſt illa viuificare, ac regere: quò fit, vt cùm per ſe ſine corpore ſubſiſtant, ac proprium eſſe à natura ipſa poſſideant, ipſum eſſe ſibi inſeparabile habeant: niſi quis ita inſaniat, vt eas à ſeipſis diſcedere exiſtimet.

ANIMA igitur cùm ſit forma immaterialis, ac per ſe ſubſiſtens, quandoquidem ſibi ſemper inhæret, ſemper eſt, & cùm à ſeipſa diuelli non poſſit, ſed eſſentia ſit per ſe exiſtens, cui eſſe ſemper coniunctum eſt, inde ſemper eſt immortalis.

NONA RATIO.

C RATIONALIS anima eſt eſſentia per ſe viuens. Ergo immortalis. Aſſumptum elucidatur. Quod per ſe, ac ſuapte natura eſt viuens, mortis imperio non ſubditur. Ea enim eſt contrariarum formarum natura, vt alia aliam ſuſcipere nequeat: ignis enim frigiditatem non ſuſcipit, vt ſimul ignis ſit, & frigidus, frigus etiam calori non coniungitur; ſiquidem idem non poteſt eſſe, & frigidum, & calidum: hac ratione cùm mors vitæ contraria ſit; quod per ſe eſt viuens, ac natura vitam ſibi coniunctam habet, mortem admittere nullo modo poteſt. Quapropter ſicut D ignis, cui calor per ſe competit, perpetuò eſt calidus: Ita cui per ſe vita competit, ſemper viuit.

PORRÒ animam rationalem eſſe eſſentiam per ſe viuentem perſpicuum eſt, primùm ex eo, quòd eſt cæterorum vita. Cùm enim animatum corpus cernimus, proculdubio illud ab anima viuificatum credimus: vel igitur anima per ſe illud viuificat, vel per aliud. Si per aliud, quæro num illud, per quod vita corpori præſtatur, ſit anima, aut corpus? non corpus (vt notum eſt) neque enim corpus per ſe vitam habet, ſed ab alio accipit. E Igitur erit anima. At iterum quæro, an ea per ſe vitam habeat, quam corpori præſtat; an per aliud quidpiam? ſi per ſe, tunc conſtat animam fontem eſſe totius vitæ, ac eſſentiam per ſe viuentem: ſin per aliud, redit prima quæſtio, ac in infinitũ protenditur. Quapropter neceſſe eſt, animam eſſentiam eſſe per ſe viuentem.

DEINDE totum quod eſt in anima, eſt

vita,

vita, ſi enim aliquid non vitale eſſet in anima, illud nequaquam pars animæ eſſet, cùm vitam non præſtaret; quòd ſi pars animæ eſſet, anima potiùs animatum quiddam, quàm anima dicenda eſſet. Fatendum igitur eſt totam animæ eſſentiam eſſe vitam, ac formam per ſe viuentem. Præterea anima cuicunque corpori aduenit, vitam largitur; & à quocunque recedit, vitam adimit; igitur per ſe habet, quod alteri tribuit, aut tollit. Tandem certiſſimo argumento id euinco: nam anima cùm corpori vitam præſtat, non id conſilio ſuo, aut intelligentia, aut appetitu efficit; ſed proprio ſuo eſſe, quod per corpus extendit, ac diffundit: quòd ſi ipſo eſſe, ideſt, naturali virtute ipſum corpus viuificat: teſtat, vt anima ipſa per eſſentiam viuat, ac eſſentia ipſius ſit propria vita vitalis.

QVO igitur pacto anima, quæ vitam ſibi intrinſecam ac inſeparabilem habet; mortem ſibi aduerſariam ferre poterit? quòd ſi non fert, ea profectò immortalis erit. Hoc olim argumenro vſus eſt D. Aug. in lib. de immortalite animæ. *Nam cùm animus* (inquit) *ſit per ſeipſum vita, non capit vita interitum, ſicut nec lux obſcuritatem, fortitudo imbecillitatem, veritas falſitatem: corpus autem in eo differt, quòd non à ſeipſo, ſed ab alio ſumit vitam, id eſt, ab animo. Nil mirum igitur, ſi illo recedente extinguitur, tanquam à vita deſeratur. Animus autem qui vitam per ſe habet, non poteſt extingui, quandoquidem nemo ſeipſum deſerat.* Eodem quoque vtitur Plato in Phædone.

Aug. lib. de immort. animæ.

Plato in Phædone.

AT obiiciet aliquis. Contrariæ qualitates non ſe inuicem ſuſcipiunt: at non propterea immortales ſunt, cùm ſe mutuò à ſubiecto fugent: neque enim calor idcirco immortalis eſt, quòd frigus nō ſuſcipiat; ſed frigus calorem poteſt expellere. Pari modo; anima mortē ſuſcipere non poteſt, cū fons vitæ ſit: at mortifera qualitas adueniens corpori, animam expellit, ac illius vitam corrumpit. At reſpondeo, formas ſimplices non cum materia, aut ſubiecto compoſitas hîc conſiderari. Quapropter ſi daretur calor in ſeipſo abſque ſubiecto ſubſiſtens, ita vt nihil præter calorem admiſtum haberet, hic à frigore expelli nullo modo poſſet: frigus enim in materiam ageret; neque enim aliter agere poteſt: at materia ab eo calore omnino ſeparata eſſet, quò fit, vt calorem expellere nullo modo poſſet, cùm in quod ageret, non haberet.

ITA nos de anima diſſerimus, quæ cùm forma ſimplex ſit, ac nulli materiæ permixta; idcirco eam aduerſaria ſibi morte perimi non poſſe dicimus, quòd nulla mortifera qualitas in eam, vtpote materiæ impermixtam, agere queat.

AT iterum inſtabit quiſpiam. Quemadmodum ignis, tametſi per ſe callidus ſit, haud tamen ſemper calet, niſi dum eſt: ita anima A licèt ſit per ſe vita, aut eſſentia per ſe viuens, non tamen per ſe ſemper viuit, niſi quandiu eſt. At non ſimile eſt de igne, ac de anima: ignis enim forma non eſt ſimplex, ſed compoſita cum materia, quare à contrariis pleriſque corrumpi poteſt, ac non ſemper eſſe: verùm ſi daretur ignis forma omnino ſimplex (vt ſuperiùs de calore diximus) & materiæ non permixta, ignis ille incorruptibilis eſſet, ſiquidem nullum haberet corrumpens. Anima verò eſt forma omnino ſimplex, ac immaterialis, ad quam nulla mortifera qualitas accedere poteſt, idcircò cùm per ſe viuat, B ſemper ac perpetuò immortalis viuit.

DECIMA RATIO.

EST Platonis in Phædone, elicitúrque ex ipſa animæ natura, quæ Deo ſimillima eſt, ex quo tandem immortalis concluditur. Hanc rationem latè proſequitur Porphyrius his verbis; in primo ad Boëthum. *Firmam certámque rationem eam Plato putauit, quæ à ſimilitudine aliquorum vim accepit: nam Deo immortali ſimilis anima eſt. Quomodo etiam ipſa ſicut exemplar ſuum immortalis non erit? Cùm enim duo quædam apertè opponantur, quærit cui op-* C *poſitorum adhæreat anima, qui optimus Demonſtrationis modus in his rebus inuenitur. Et quamuis à prima ætate vſque ad ſenectutem multa contra rationem faciamus peccantes: tamen quia verè rationali Deo in multis ſimilis anima eſt, rationalis eſſe ab omnibus creditur. Cùm igitur duo apertè opponi concedantur, immortalis videlicet, atque diuina natura, & terreſtris atque corruptibilis: dubitatur autem à nonnullis, cuius partis anima ſit: à ſimilitudine putauit Plato veritatem eſſe quærendam. Et quoniam non ſenſibili, & mortali corpori, ſed viuo, & immortali ſecundùm operationes ſimilis eſt. hinc ſimilitudinem etiam in ſubſtantia quandam habe-* D *re, ac inde immortalem eſſe ratiocinatur. Nam vt quæ irrationabilia ſunt, ſtatim à diuina ſubſtantia, cùm ſint caduca & inſtabilia, longè abeſſe videntur: ſic certè conſequens eſt, quæ operatione intelligēdi conueniunt, ea immortalitate quoque ſubſtantia conuenire. Quoniam enim ſubſtantia conueniunt: idcircò etiam operatione conueniunt. Fluunt enim à ſubſtantia operationes: ac quædam eius ſunt emanationes. Nam ſi ſimillima Deo anima eſt, quid opus eſt pluribus verbis ad demonſtrandam immortalitatem eius? Non enim diuinis operationibus vteretur, niſi etiam ipſa diuina eſſet. Nam & ſi cùm in* E *caduco mortalique corpore defoſſa ſit, continet tamen & viuificat illud, diuinam ſuam oſtendens ſubſtantiam, nec pondus corporis eam omnino deiicere poteſt: quomodo ſi è corpore liberabitur, aurea ſua ſpecies non præfulgeret? Aut quomodo ipſa immortalis non erit, cuius præſentia corpus non moritur?*

Porphy. in. 1. ad Boet.

HVIVS rationis vis in eo potiſſimùm ſita eſt, quòd ſimilitudo in operatione arguit ſimilitudinem in ſubſtantia: operationes enim quæ ſunt propriæ alicuius ſubſtantiæ, cùm à

principiis

Google

principiis illius fluant, naturam ipſius ſubſtantiæ inſinuant: quo fit, vt quoties duarum naturarum operationes ſimiles ſunt, optimè inde naturarum ſimilitudo concludatur. Anima igitur quæ pleraſque diuinas operationes ſibi vēdicat, velut intelligere, ratiocinari, libera voluntatis facultate vti, cùm iis Deo ſimillima ſit, etiam ſubſtantia ſimilis eſſe debet. Cùm verò Dei ſubſtantia immortalis ſit, quoque anima ipſa immortalis erit.

Rationes ex tertia claſſa petitæ.

VNDECIMA RATIO.

ANIMA intellectiua naturaliter, & conſtanti, ac ſolido appetitu immortalitatē affectat, ergo eſt immortalis. Probatur aſſumptum primò ratione. Nam intellectiua anima tā intellectu, quàm appetitu fertur in excellentiſſimum bonum naturæ, idque per ſe, ac conſtanter, & ſolidè. Hæc eſt euidens. Sed excellentiſſimum bonum naturæ eſt, eſſe ſemper. Nam cùm omne bonum fundetur in eſſe, vt docet Ariſt. 6. Metaph. palàm eſt, quòd quale erit eſſe, tale quoque erit bonum. Cùm igitur perfectiſſimum eſſe, ſit eſſe ſemper, vt habetur 2. de Cœl. tex. 17. quo loco docet Philoſophus; res tantùm habere de diuinitate, quantùm habent de ſempiternitate: manifeſtum eſt, eſſe ſemper, eſſe maximum ac excellentiſſimum naturæ bonum; ac proinde maximè expetendum.

Ariſt. 6. Metaph. *2. de Cœlo.*

SECVNDO, probatur ex communi omnium conſenſu: nemo enim adeò rudis & agreſtis animi eſt, qui cùm primùm ſibi ſuiipſius immortalitatē propoſitam audiat, mox ad illam expetendam naturaliter non feratur. Tertiò, experientia docemur, omnem hominum naturam, mortem intellectu apprehenſam ſummoperè exhorrere, neque à quopiam expeti poſſe, cùm inſenſiſſima ac ſola ſit naturæ hoſtis: hinc colligere licet, naturalem homini eſſe immortalitatis appetitum; cùm (Tullio teſte) nihil tam naturale ſit cunctis animantibus, quàm ſe ſuámque vitam, commodúmque tueri. Brutis quidem quę ſolo appetitu feruntur, id à natura inditum eſt, vt præſentis tantùm mortis damna naturaliter fugiant, neque aliud prætera quærant. At homini qui rationis, ac intelligentiæ eſt particeps, ea vis animo ineſt; vt non corporis, quod caducum ac periturum non ignorat; ſed animæ immortalitatem velut excellentiſſimum bonum affectet. Quarto, id etiam manifeſtatur ſigno. Nam plurimi libros conſcribunt, ſtatuas erigunt, filios procreant, eo conſilio, vt immortales, vel in hominum ore, vel in poſteritate viuant: atque adeò hic immortalitatis appetitus in hominum animis viget, vt ij ipſi qui nullam natura ſibi immortalitatem ineſſe credunt, eam ſibi arte & in-

Tullius.

A duſtria quærant. Quibus ſanè apertiſſimum eſt, homini à natura inditum eſſe, vt immortalis fieri cupiat.

INDE conſequentiæ veritas perſpicua fit. Nam ſi fruſtra hic appetitus non eſt homini datus, nefas enim eſt ſuperuacaneum aliquod naturæ impingere, cùm (vt habetur primo Phyſ.) Deus & natura nihil agant fruſtra: atque id præſertim maximis in rebus, vbi natura omnes vires ſuas exerit, fieri neceſſe eſt. Planè opus eſt, eum finem ſuum aſſequi, ad quem inſtitutus eſt.

Ariſt. 1. Phyſ.

B NAM tametſi pleraque in corporeis rebus inueniantur, quibus aliquis appetitus ineſſe videtur, quem aſſequi, natura ipſa vetante, prohibitum eſt: velut mulæ generandi, talpæ videndi appetitus, qui in iis effectum nunquam conſequuntur. At falsò iis hi appetitus tribuuntur; quis enim talpæ videndi appetitus eſſe poteſt, quæ à natura habet, vt non videat; neque vnquam oculorum officio functa eſt? aut quæ mulæ cupido generandi ineſſe creditur; quæ à natura generare prohibetur? Planè ſi hi appetitus naturales eſſent, C à natura proculdubio iis inditi eſſent: at quo pacto natura, quæ ad vnum determinatur, oppoſitos appetitus illis tribuere potuiſſet? nam cùm ab iis natura tum generandi, tum videndi potentiam ſuſtulerit, ac talis naturæ eſſe voluerit: illis potiùs non generandi, aut non videndi appetitus naturalis eſſe debet: qua igitur ratione oppoſitum appetitum illis contulit, qui illis naturalis eſſe poſſit? Quapropter ex his conſtat naturalem cuiuſque rei appetitum nūquam ſuo fine fruſtrari.

ANIMVS igitur cùm naturali hoc im-
D mortalitatis appetitu feratur, ſi fruſtra illi ineſſet, cur illi inditus eſſet? ſi mortalis eſſet, cur immortalitatem naturaliter expeteret? Æternitatem quidem, aut infinitatem animus ſibiipſi ea ratione non appetit; quòd ea ſuæ naturæ impoſſibilia videat. Neque enim quæ principio carent, aut finitæ naturæ terminos excedunt, animus comprehendere valet. Mens verò cùm in ſeipſa immortalitatem concipiat, intelligat, comprehendat, id ſanè pręſtare nō poſſet, niſi & ipſa immortalis eſſet.

E

DVODECIMA RATIO.

HOMO quilibet, animæ immortalitatem naturaliter ſibi vltrò perſuadet: igitur animam habet immortalem. Antecedens probatur. Homo ſiquidem naturaliter Religionem amplectitur, Deum colit, virtutes ſequitur, vitia fugit, atque horum naturaliter præmium aliquod poſt mortem ſe conſequuturum ſperat, niſi is vim naturæ inferat. Quis hinc immortalem animum eſſe non ſentiat? nemo enim tot in aquirenda gloria, domi, militiæ, diurnos nocturnóſque labores ſuſcipere vellet; ſi ea gloria iiſdem finibus, quibus

quibus vita, terminanda eſſet: nec immortalem ſibi gloriam poſt funera ſe adepturum ſperaret. Quis Dei Opt. Max. cultum, ac diuina tam ſedulò, ac ſollicitè curaret, vt ea cæteris omnibus rebus anteponat? Quis pro Religione tuenda, ad ſanguinem vſque decertaret? Quis virtutum ſtudia ita ſeriò ampleſteretur, vt vera ea animi ornamenta eſſe exiſtimaret? Quis tandem vitiorum fugam tam ſtrenuè proſequeretur, vt in ea maximum, ac diuturnum laborem impendat; niſi firma quædam, ac certa cuiuſque animo opinio hæreret, animum non morte deleri, ſed ad immortalem vitam migrare?

CONFIRMATVR præterea. Nam humanus animus velit, nolit, in immortalitatem fertur, dum futura cogitat, & quæ ſibi poſt mortem euentura ſunt, ignorat. Dum flagitiorum pœnas timet, aut poſt hanc meliorem vitam ſibi fruendam proponit. Hæc ratio potiſſimùm Tullium mouit, vt animam immortalem ſibi certò eſſe perſuaderet. *Itaque* (inquit) *cùm multis aliis de cauſis, virorum bonorum mentes diuinæ mihi, atque æternæ videntur eſſe: tum maximè quòd optimi, ac ſapientiſſimi cuiuſque animus ita præſentit in poſterum, vt nihil non ſempiternum ſpectare videatur.*

Orat. pro C. Rabirio.

STATVE tibi nefarium, ac flagitioſiſſimum hominem, qui toto vitæ ſuæ curriculo omnibus viis immortalitatis opinionem in ſeipſo delere ſtuduerit: ob id potiſſimùm, ne vllum ſcelerum ſuorum vindicem metueret: hunc ad extremum mortis periculum raptum intuere; quo pacto illum malorum ſuorum timor vrgeat; quàm miſerè illius animus ſuæ immortalitatis præſagus, anticipatione quadam naturæ flagitiorum ſuorum memoria excrucietur, quaſi non interire, ſed hinc tantùm recedere compellatur, vt alibi malorum ſuorum pœnas luat: at quo ſtimulo torquetur? non alio profectò, quàm quod ipſa animi natura, quæ eatenus obdormierat, nunc quaſi è graui ſopore euigilat: & eam quam omnibus modis opprimere curauerat, immortalitatem animo aperit. Quod ſanè præclarum eſt animi immortalitatis teſtimonium.

DECIMATERTIA RATIO.

ANIMVS rerum incorruptibilium, ac immortalium natura alitur, igitur ipſe eſt incorruptibilis, & immortalis. Aſſumptum patet. Animus enim alitur ratione, veritate, ſcientia, ac virtutibus, quæ incorruptibilia ſunt, quippe quæ nec loco, nec tempori, neque mutationi obnoxia ſunt, cùm fixa, & immobilia permaneant. Quòd enim religio curanda ſit, quòd vitia fugienda, quòd virtutibus incumbendum, hæc ratio immortalis dictat. Quòd præterea geminata vnitas binarium efficiat; quòd eadem ſit proportio

A quatuor ad ſex, velut duo ad quatuor; quòd ſi ab æqualibus æqualia demas, ea quæ remanent, ſint æqualia. Hæc ratiocinatio, hæc veritas planè immortalis eſt, quæ nec cum Euclide incœpit, nec cum tempore corrumpetur; ſed eadem vbique eſt incorruptibilis, ac perpetua. Ita de reliquis ſcientiis exiſtimandum eſt, quæ concluſiones æternæ veritatis ſibi vendicant: ita ſapientia, ita virtus quibus potiſſimùm mens alitur, cùm res diuinæ ſint, nulli temporum, aut locorum mutationi ſubiiciuntur, aut interitum patiuntur aliquando.

B HINC patet conſequentia: nam (teſte Philoſopho) ex eiſdem quis nutritur, ex quibus conſtituitur. Cibus enim, & alimentum cognata admodum eſſe debent ei, quod eſt alendum, vt in illius naturam facilè pertranſire poſſint. Ideircò enim terreſtria terreſtribus, aquatica aqueis, aërea aëreis, corporea tandem corporeis alimentis nutriuntur. Atque hæc quidem cùm corruptibilia ſint, corruptibilibus alimentis vtuntur.

AT quæ animi erit eſca? Ea ſanè quam ſemper eſurit, ac ſitit, qua parta gaudet, qua ſumpta expletur. Hæc verò incorruptibilium
C eſca eſt, qua animus ſaginatur. Hic cibus eſt, quo cœleſtes, ac ſempiternæ mentes aluntur. Si igitur incorruptibili alimento anima nutritur, quidni etiam ex incorruptibili conſtituatur? Alitur perpetuò animus veritate, præſertim diuinarum rerum, ea oblectatur, ea creſcit, ea perfectior fit. At quo pacto mortalis erit, ſi veritate paſcitur immortali?

CORRVPTIBILIS quidem venter cibum incorruptibilem non expetit, neque eo exſaturatur. Animus item corporeis alimentis non paſcitur; atqui ali illum neceſſe eſt, vt viuere poſſit. Nullàne alimonia indigebit
D animus? indiget ſanè, ſed incorruptibili, veritate ſcilicet, ratione, ſapientia; nullus enim his animo optabilior cibus eſſe poteſt. Is ergo cùm continuus animi cibus ſit, vel ipſe cibum in ſeipſum conuertat, vel is in ipſum æternum cibum conuertatur, animum efficit immortalem.

DECIMAQVARTA RATIO.

ANIMA pleraque incorruptibilia, ac immortalia recipit, ergo eſt incorruptibilis, & immortalis. Antecedens patet: nam animus recipit habitus ſcientiæ, fidei,
E qui per ſe ſunt incorruptibiles: nam licèt hi habitus, quatenus qualitates ſunt animo inhærentes, interdum deperdi poſſint; veritas tamen, quæ tum fidei, tum ſcientiæ habitibus ſubeſt, incorruptibilis eſt, & immortalis. Præterea animus recipit ſpecies intelligibiles rerum, quas abſtrahit à materia, & à corporeis, ac ſenſibilibus rebus, quæ idcircò incorruptibiles ſunt, quòd eſſe ſpirituale, & incor

incorporeum in animo ſibi comparant, mens denique cùm incorporea ſit, non niſi incorporea ac immaterialia recipere poteſt, quæ ſuapte natura incorruptibilia ſunt.

Ex quo infertur, animam eſſe incorruptibilem & immortalem: cùm enim receptum omne recipientis modo ſeſe accommodare debeat, & illius naturam ſequi illi opus ſit, à quo recipi debet: ſi quæ ab animo recipiuntur, incorruptibilia ſunt; planè neceſſe eſt ipſum animum natura incorruptibilem eſſe; vt ea recipere valeat, quæ præterquàm in ſubſtantia incorruptibili ſubſiſtere non poſſunt.

Confirmatvr. Ex intellectu intelligente, & re intellecta fit vnum, quandoquidem ſpecies intelligibilis, quæ eſt rei illius forma, inhæret menti; ac illã informat, atque ab ea mens perfectionem ſuam aſſequitur: forma verò rei menti inhærens vnum cum mente efficitur, quò fit, vt vnum fiat ex mente intelligente, & re intellecta: vnum inquam genere, quia perfectio, & quod perficitur, vnius proſus ſunt generis. Animus igitur cùm recipiendo ſpecies intelligibiles, quæ prout vniuerſales ſunt, incorruptibiles exiſtunt, cum iis vnum fiat, ac in eodem genere verſentur; inde apertè incorruptibilis euincitur, ac immortalis.

Decimaqvinta ratio.

Qvod per ſe mouetur, eſt immortale, & perpetuum: anima per ſe mouetur, igitur immortalis. Maior probanda eſt: ab ea enim tota res pendet, ea verò ita demonſtratur. Ibi eſt perpetuus motus, vbi primus motus reperitur. Primo enim motu ſublato, qui totius motus fons eſt, omnis alius motus areſcit, neque vltrà quicquam eſt, quod moueatur in natura; quapropter neceſſe eſt, id quod primò ac per ſe mouetur, ac cæteris motum præſtat, perenniter moueri, ac ſempiternum eſſe.

Præterea quod primò ac per ſe mouetur, id neceſſariò ſibi vendicat, vt per ſe vitam habeat, qua ſeipſum moueat, niſi enim per ſe viueret, per ſe moueri non poſſet. Immò opus eſt, vt ipſum ſibi ipſi, ac aliis ſit vita, vt ſeipſum ac cætera mouere poſſit. At quod ſibi ipſi eſt vita, ſemper viuit, neque vnquam deſinit viuere, cùm nunquam deſinat ſibiipſi eſſe vita; nunquam verò deſinit eſſe ſibiipſi vita, quia nunquam ſeipſum deſerit: nam ſi quod mouetur ab alio, tandiu mouetur, quandiu ſuo motori coniungitur. Quid de illo cenſendum eſt quod à ſeipſo mouetur? planè cùm idem ſit & motum & motor, nunquam motus ab eo diuelli poteſt; quin prius deſinet eſſe, quàm moueri, quapropter moueri nunquam deſinet. Sed cùm motum per ſe vita comitetur, vt dictum eſt, ſi tandiu illud

A viuere opus eſt, quandiu ſeipſum mouet, cùm ſemper ſeipſum moueat, neque à motu ab aliquo impediri poſſit, cùm ipſum totius motionis fons ſit, ſemper igitur viuit.

Porrò animam per ſe moueri exploratum eſt, cùm ea principium vitæ ſit, à qua omnes rerum motus pendent. Quòd ſi neget quiſpiam animam per ſe moueri, interrogo, per quid anima moueatur? eam ſanè vel ab alia anima, vel à corpore moueri opus eſt. Nemo à corpore moueri illam vnquam exiſtimabit, quandoquidem ea ſola eſt, quæ corpori vitam, ac conſequenter motum tribuit, qua B recedente corpus immobile, ac mortuum permanet; neque cenſendum eſt eam ab alia anima moueri, cùm inde ſequi neceſſe ſit, vt infinita animarum multitudo in vno homine ponenda eſſet. Neque enim vlla ratio perſuadet animam aliquam magis per ſe, quàm hãc moueri: quòd ſi nec vlla per ſe mouetur, vel ad infinitam animarum multitudinem, quæ naturæ inuiſa eſt, progrediendum erit, vel animam per ſe moueri fatendum eſt.

Anima igitur cùm motum, ac vitam ſibimet ſuppeditet, atque ea ſit rerum omnium natura, vt ſeipſas, quoad fieri poteſt, tu-C eantur; planè à ratione diſſentaneum eſt aſſerere, quòd ea ſemper ad vitalem ſuipſius motum ſeipſam non moueat, ac proinde nunquam interit.

Addo, quòd ſi anima id à natura habet, vt ſeipſam moueat (quod certiſſimum eſt) id verò quod natura inſitum eſt, neque vllius iuri ſubiaceat, neque ab vllo extingui poſſit, atque etiam ipſius animæ poteſtatem effugiat; ſanè perſpectum eſt, animam neceſſariò ſeipſam ſemper mouere; neque fieri poſſe, quin ſemper ſeipſam moueat: atque ad motum continuò ſibiipſi vitam adminiſtret; cùm ea D non ſit domina ſuæ naturæ, ex qua conſtituitur: ſed illi neceſſariò ſubiici debeat. Quapropter cùm perpetuò, ac neceſſariò ſibi motum vitamque ſuppeditet, neceſſariò etiam ac perpetuò immortalis erit.

Hvc ſpectaſſe videtur præclara illa D. Bernardi in Cant. Cant. ratiocinatio. *Vita* (inquit) *anima eſt, viuens quidem, ſed ſeipſa, & per hoc non tam viuens, quàm vita, vt propriè de ea loquamur. Inde eſt, quòd infuſa corpori viuificat illud, vt ſit corpus de vita præſentia, nõ vita, ſed viuens: in hoc autem gerit anima ſimilitudinem cum Deo: quòd non ſolùm eſt vita, ſed etiam viuificans: ſequitur etiam, quòd ſit immortalis,* E *quoniam cùm ipſa vita ſit, ſicut non eſt, qua cadat à ſe, ſic non eſt, quo cadat à vita.* D. Bernard. in Cant.

Decimasexta ratio.

Omnis forma quæ habet operationem incorruptibilem, eſt incorruptibilis, ſed anima habet operationem incorruptibilem; igitur ipſa eſt incorruptibilis & immortalis.

mortalis. Declaratur maior : operatio ſequitur naturam formæ, & qualis ea naturæ ſit, indicat; res enim ex propriis operationibus dignoſcuntur: neque vlla rei operario eſſe poteſt, quæ cum à natura fluat, naturam ipſam rei, talem eſſe, qualis operatio eius eſt, non demonſtret. Inde enim diſtinctas potentiarum naturas, ac virtutes ex illarum operationibus agnoſcimus. Neq; vlla alia ratio nobis relicta eſt, qua corporea ab incorporeis ſecernamus, quàm quòd diuerſas ab iis operationes fluere animaduertimus: atq; illas quidem, quæ corporeæ ſunt, & à corporeo organo fiũt, à corporũ natura fluere iudicamus; B quæ verò immateriales ſunt, & à corporeo organo ſeiunctę, incorpoream agentis naturã nobis indicãt. Hoc ipſum de incorruptibiliũ actionibus ſentiẽdum eſt, nam cùm operatio incorruptibilis proficiſci nõ queat pręterquã ab agente incorruptibili: planè quoties ea ab aliqua forma oriri cernitur, haud dubiũ quin ea forma incorruptibilis cenſenda ſit.

Arist. lib. 2. de Gener. animal. c. 3. Metaph. 12. Nunc minor probanda eſt. Quis inficiari audeat, quin anima operationem habeat incorruptibilem. Siquidem anima (teſte Ariſt. lib. 2. de Gen. animal. c. 3.) immaterialem operationem habet, cui nõ communicat corpus: C ob id quòd ſine illo ea eſſe poſſit; putà ipſum intelligere: & hoc ipsũ confirmat 12. Metaph. tex. 17. vbi id concludit: nihil prohibere, quominùs anima poſt corpus maneat: cùm actionem ſeparatam à corpore propriam ſibi vendicet; quam contemplationem eſſe dicit. Hęc quidem oſtendunt animũ, vnde intelligimus, nihil à corpore accipere, neque vllo eius inſtrumento ad intelligendum vti. Cùm enim remotis corporis ſenſibus, quò longiùs à corporum materia ſecedit, eò animus longè meliùs ſpeculetur, cuius rei teſtes ſunt Democritus, Homerus, ac plerique alij, qui oculorum D lumine orbati, eò clariùs animo cernebant; ac velut toti intus habitantes, occluſis ſenſuum feneſtris, nullo externarum rerum aſpectu auocari poterant, quò immaterialem animi operationem meliùs exercerent; quis humanum animum immaterialem atque incorporeum eſſe non iudicet?

At ſi animi operatio immaterialis eſt, & à corpore ſeiuncta; profectò & incorruptibilis eſſe cenſetur: cùm ea duntaxat corruptibilia ſint; quæ vel ex materia ſunt, vel à materia pendent (vt oſtendimus.) Videmus quidem ſæpè corporeas res E corrumpi ob id, quòd è materia fragili, commutabili, ac contrariorum actione obnoxia fuerunt conflatæ: ſed cùm in animi operationibus id ceſſet, quòd in iis corruptionis cauſa eſſe poterat; cæque ab omni materiæ contagione procul abſint, eas incorruptas manere opus eſt. Porrò incorruptibilis animi operatio animum ipſum incorruptibilem

A indicat: ſi enim cognitio, intelligentia, volitio, quæ immateriales animi operationes ſunt, nulli corporeo inſtrumento ſuffulræ, ex ſe incorruptibiles ſunt: quomodo non magis, mẽs, ingenium, ratio, ac demum humanus animus incorruptibilis erit, vnde illæ oriuntur? Quapropter optimè Ariſtoteles 2. de anima tex. 22. Arist. 2. de anim. intellectum ob ſeparatam illius à corpore operationem à vegetatiua ac ſenſitiua potentia diſtinctum prædicat, ſicut perpetuum à corruptibili.

Rationes ex quarta claſſe deſumptæ.

Decimaseptima ratio.

Quæ ex animi potentiis vim ad probandam illius immortalitatem ſibi cõparat, eſt. Mens intelligit infinita ſucceſſiuè: igitur & ipſa temporis duratione eſt infinita. Aſſumptum patet: nam vno genere cognito, mens infinita ſingularia, quæ generi ſubiiciũtur, ſub eo contineri cognoſcit; quicunque enim intelligit omne corpus eſſe mobile, is vniuerſa naturalia corpora, quæ propemodũ infinita eſſe poſſunt, mobilia eſſe intelligit: ita qui lineam longitudine conſtare nouit, innumeras hac ratione lineas agnoſcit. Mens præterea noua ſemper auidiùs appetit intelligere; neque vnquam intellectis ſatiatur: atque ignis inſtar, qui appoſito combuſtibili ſemper ac perpetuò ardet, ad noua ſemper intelligibilia, quæ illi nũquam deſunt, opportunè, importunè ſeſe extendit; atque inde ad infinitarum rerum intelligentiam diffunditur. Tandem ipſum quoque infinitum, quid ſit, agnoſcit, diſpicit, ac à finito diſcernit.

Cvm igitur mens infinitorum capax ſit, quæ vel ſub vno genere comprehendit, vel ſucceſſiuè intelligit; vel ſub quadam quidditate definit, quomodo eam tempore definiri exiſtimabimus? cur non potiùs infinita illi temporum duratio aſcribenda eſt, cuius ſpeculationi vix ipſa infinita tempora ſufficiunt; præſertim cùm illius appetitus, quo ad intelligendum fertur; nullis temporum præſcriptionibus terminari queat?

Anno, quis eam facultatem, quæ vniuerſos humanæ mentis conceptus, qui propè infiniti videntur, literis notare, exarare, diſtinguere nouit, vt nullo verborum ſtrepitu abſentes cõpellaremus; quæ tot artes, tot ſcientias, tot diſciplinas, quibus hominũ vita excoleretur, quas innumeras dixerim, ſeipſa inuenit, inueſtigauit, propoſuit: quæ perpetuas leges, quibus homines à vitiis deterrerentur, atque ad virtutes inſtruerentur, immobiliter ſanxit: tẽporalem ac cum corpore mortalẽ eſſe ſentiat? Sanè immortalem magis æquum eſt eam à nobis iudicari, quæ appetitu ad immortalia fertur.

Decimaoctava ratio.

MENS pleraque immortalia patit, ergo eſt immortalis. Patet aſſumptum: quid enim notius eſt, quàm intellectum inoumeras veritates parere, quæ immortales ſunt? generat enim hominem eſſe animal, eſſe rationalem, eſſe prouidum, eſſe intellectiuum, eſſe memorem, generat ſcientiarum principia, quæ æternæ veritatis ſunt, generat fidem, ſpem, charitatem, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, iuſtitiam, ac reliquarum virtutum choros; quos immortales ſpeculando efficit: & quod mirum maximè videri debet, ex corruptibilibus incorruptibilia gignit, cùm ea à materia abſtrahit, atque ad rerum incorruptibilium ac immortalium genus transfert.

PORRO ſi mens immortales fœtus gignit, quomodo ea mortalis dicenda eſt? Sanè nemo id concederet vnquam, vt quod mortale eſt, immortalis cauſa eſſe poſſit, aut immortale à mortali oriri, cùm enim toto genere differant, nihil inter ſe commune habere poſſunt. Quapropter ſicut temporale æterni cauſa eſſe non poteſt, nec finitum infiniti: ita nec immortale à mortali oriri poteſt. Superest igitur animam immortalem eſſe, quæ immortalia gignit.

Decimanona ratio.

ANIMVS de immortalitate diſputat, diuidit, definit, ac immortalia à mortalibus diſcernit: igitur eſt immortalis. Aſſumptum eſt clarum. Probatur illatio. Homo idcirco rationalis dicitur, quia ratiocinatione vtitur, qua rationalia ab irrationalibus agnoſcit, ac diſcernit; & de iis ratiocinando diſceptat: hæc enim efficere non poſſet niſi rationalis eſſet. Eadem ratione & animus, cùm mortalia, & immortalia intelligat, agnoſcat, ac mortale ab immortali ſecernat, meritò ac neceſſariò immortalis eſſe creditur: nam quo pacto immortalia concipere poſſet, niſi ipſe immortalis eſſet? aut quid animo prodeſſet, aut iucundum foret immortalia cognoſcere, ſi ipſe pondere ita mortalitatis premeretur, vt ad immortalium naturam ferri nullo modo poſſet? verùm cùm animæ nihil iucundius ac optabilius accidere poſſit, quàm immortalium rerum contemplatio: inde apertè immortalem illam cogimur fateri.

Plotinus. HÆC olim Plotini ratio fuit, qui animos idcirco ſempiternos, ac immortales eſſe docuit, quòd iis ſolis res æternæ ac immortales agnitæ eſſent, quæ ſenſibus, qui mortales ſunt, haud manifeſtantur: neque ab *Ariſtot.* ea diſſenſit Ariſt. qui eam facultatem, qua res ſempiternæ, & incorporeæ comprehenduntur, incorpoream ſempiternámque eſſe colligit.

AT ſi obiiciat quiſpiam; mentem æterna A quoque ac infinita contemplari, cùm tamen ipſa æterna, & infinita non ſit. Reſpondeo: quamuis mens de æternis ac infinitis diſputet, ac ea quodammodo contempletur, ea tamen per ſe non intelligit, aut comprehendit; cùm ea nullis terminis circunſcribantur: immò cùm in iis indagandis perſiſtit, mox confunditur; nec quicquam apertum valet apprehendere. At cùm animus aliquid immortale cogitat, id facilè per ſe apprehendit, cùm nihil prohibeat mentem, naturam quandam fixam, permanentem, ac perpetuò ſubſiſtentem ſibi agnoſcendam proponere. Manet igi- B tur hac ratione animum immortalem optimè ac ſolidè colligi.

Vigeſima ratio.

ANIMVS ex cunctis viuentibus ſolus Dei notitia fruitur: ergo ſolus eſt immortalis. Antecedens eſt notum. Probatur conſequens. Vnicuique animantium ea cognitio à natura data eſt, quæ maximè naturæ ſuæ congrueret, & ſuo vſui accommoda eſſe poſſet. Hinc bruta aurum & margaritas non agnoſcunt, quæ nihil eorum vſui proſunt, neque cæleſtia animo reuoluunt, cùm nihil illis cum cæleſtibus commune ſit, quibus omnia C terreſtria ac corporea ſunt.

ANIMVS verò ex eo quòd Deum agnoſcit, & in illius cognitionem ipſa duce natura perquàm auidè fertur, oſtendit, cognatam ſe cum Deo habere naturam: atque ad eum idcirco ſtudioſè tendere, eùm illius potiſſimùm cognitione alatur, atque vt eo aliquando frui debeat, conditus ſit. Hinc ſolus homo arrectum corporis ſtatum ad cœlum vergit, quaſi nihil illi cum terra; ac cæteris animantibus commune eſſe debeat; ſed ab ipſa natura ad cœlum Deúmque teuocetur, à quo immortalitatis ſemina naturæ ſuæ indita ac- D cepit. Corporea ac materiæ immerſa Deum non agnoſcunt, neque de eo ratiocinantur, aut aliquo appetitu ad Deum agnoſcendum feruntur. Animum igitur immortalem eſſe neceſſe eſt, qui Dei cognitionem animo haurit, ac illius immortalitatem velut ſibi cognatam, atque amicam mente complectitur.

ATQVE id magis confirmat, quòd is non modò Deum agnoſcere, ſed & colere ac diligere cupit: ad quæ cùm ipſo naturæ impulſu rapiatur, eo apertè demonſtrat, animam innatam cum Deo cognationem & ſimilitudinem habere: ac velut Diuinæ naturæ E conſanguineam eſſe, cùm dilectio ſit ſimilium in natura. Cùm verò animus intimo dilectionis vinculo Deo coniungitur, quid aliud efficit, quàm quòd ad Diuinæ naturæ conſortium accedit, & quadam ſui transformatione in Deum velut deificatur? vt teſtatur Pet. Epiſt. 2. cap. 1. his verbis. *Per cognitionem eius, qui vocauit nos propria gloria & virtute: per quem maxima & pretioſa donauit: vt per hæc efficiamini*

ciamini Diuinæ conſortes naturæ. Nam quemadmodum paruus ignis cùm maximo incendio ſeſe adiungit, in illud conuertitur, & aquæ guttula Oceano immerſa in Oceani naturam transfertur: ita animus Deo coniunctus, Dei quodammodo naturæ ſe immiſcet, dum vnum cum eo efficitur. Manet quidem per ſe Diuina, ac increata Dei natura, cùm ei creata natura coniungitur, impermiſta; neque humanam naturam quocunque dilectionis impulſu in diuinam tranſire vllo modo credimus: ſed cùm humanum animum hac vnitate cum Deo aſſociatum cernimus, id fieri nullo modo poſſe credimus, niſi animus ſociam immortalitatis cum Deo naturam ſibi inſitam habeat.

VIGESIMAPRIMA RATIO.

ANIMA intellectiua non eſt nata cum corpore, ſed nato corpore illi exteriùs aduenit, ergo non perit cùm corpore, igitur eſt immortalis. Aſſumptum eſt Ariſtot. 2. de Gen.animal.cap.4. vbi expreſsè docet, ſolam mentem genito corpore exteriùs ingredi, & ſolam diuinam eſſe: quod ex eo probat, quòd illius operatio non communicat cum actione corporea: quæ ſanè optima ratio eſt ad agnoſcendam animæ naturam: cùm enim animæ natura non niſi ex illius operationibus indagari valeat, ſi quæ animæ operatio ſe offert, quæ à corpore non pendeat, & à corporea natura omnino ſeiuncta ſit, planè inde optimè elicimus animæ naturam à corpore non pendere, neque cum corpore naſci; ſed aliunde extra corpus originem ſuam trahere.

Ariſt. 2. de Gener. animal.c.4.

CVM igitur ea ſola quæ cùm corpore orta ſunt, ac illius naturam ac eſſentiam conſequuntur, cum corpore occidant: qua ratione animus cum corpore interire credendus eſt, qui ab eo non pendet, neque ab illius principiis fluit? Quòd ſi is cum corpore nō occidit, quid illi mors corporis officere poteſt, quominùs immortalis poſt corporis mortem permaneat? mors enim tantùm corporum eſt, atque ea ſolummodò diſſoluit, quæ corporeis colligationibus ſociantur: cùm verò animus nullo corporeo vinculo teneatur, planè mortem non timet, quapropter meritò immortalis cenſendus eſt.

VIGESIMASECVNDA RATIO.

IN animo ineſt vis memoriæ, qua præterita velut immortalia efficit: igitur & ipſe animus eſt immortalis. Declaratur aſſumptum. Tantam eſſe innatam memorię capacitatem, vt omnium animus ſęculorum geſta, quę tum innumera, tum iamdudum elapſa ſunt, conſtantiſſimè retineat, omnibus exploratum eſt. Antiqua Mithridatis, Themiſtoclis, Cyneę, L. Scipionis Aſiatici, Metrodori Philoſophi exēpla prætereo, quibus tanta memoriæ facultas ac fœlicitas fuit, vt eorum quæ vel vidiſſent, vel audiſſent, vel legiſſent, aliquando nihil

A obliuiſci poſſe viderentur; an non admirandá ſunt, quæ à Philoſophis, Medicis, Oratoribus, Iuriſconſultis, Theologis præcepta traduntur, quibus exquiſitiſſimè vel ſingulas rerum naturas, vel corporum complexiones, ac propè innumera morborum genera, vel orationum fucos, ac lepores, vel innumerabiles legum, ac deciſionū nodos, vel tandem vaſtiſſima fidei Chriſtianæ myſteria indagare docent; quæ ſanè aliis tradere non poſſent, niſi ea ipſi perſpecta haberent?

QVID? quòd ipſi mechanicarum artium B artifices tot fabrilia inſtrumenta ſuo artificio accommodata habent, vt ea vix quiſquam enumerare queat? quibus tamen ita vti norunt, vt ne vnum quidem illis è memoria excidat. Tandem cùm mens præteritorum recordatur, quid aliud efficit, quàm quòd illa iam extincta ad vitam reuocat? Cùm verò ea ſemper in animo verſat, immortalem quodammodo illis vitam largitur.

HINC optimè conſequitur, vt animū perire minimè credibile ſit, qui iam extinctis rebus diuturnam, & immortalem vitam adC miniſtrat. Cùm enim ea vis à corpore proficiſci non poſſit, quæ præterita velut ad vitam reuocat, ac quadā immortalitate donat, reſtat vt nulla ei corporis mors obeſſe poſſit, quominùs ab omnibus immortalis haberi debeat.

VIGESIMATERTIA RATIO.

ANIMVS libera arbitrij in agēdo poteſtate fruitur: eſt igitur immortalis. Declaratur antecedēs. Liberè agere eſt innatam ſibi potentiam, ac libertatem tam ad agendū, quàm ad non agendum habere. Quę à natura D eligendi poteſtatem non habent; ſed ad vnum determinantur, non liberè, ſed neceſſariò ac naturaliter agunt. Animus verò idcirco liberè agere dicitur, quòd ſe ipſe non natura, ſed voluntate moueat ad agendum: quapropter liberum eſt ei tam agere, quàm non agere: Huius rei ea potiſſimū cauſa eſt, quòd animus in agendo iudicio vtitur, ac ratione: quò fit, vt de agendis priùs conſulat, poſtea iudicet, deinde eligat: cùm verò eligit; non naturæ, ſed iudicij regulam ſibi præſcribit.

FERTVR quidem voluntas à natura deE terminata ad ipſum commune bonum; neque conſtitutum ſibi hoc à natura obiectum aut mutare, aut tranſgredi poteſt: at cùm plura, ac innumera ſingularia bona ſub illo communi bono contineantur, ex iis quod melius, aut iucundius, aut vtilius, aut demum honeſtius ſibi bonum videtur, amplectitur. Quocunque igitur oblato voluntati bono, illud animus & reſpuere poteſt, & amplecti; cùm à nullo præterquàm à proprio iudicio determinetur; quo ſublato corruit omnis animi libertas. Hinc animus cùm iudiciū de rebus agēdis à nullo determinatū habeat, neceſſariò eſt

liber atq; inde illius immortalitas declaratur.

Nam quod mortale eſt, ac corpori alligatum, operatione libera ac ſoluta potiri non poteſt: ſiquidem à natura ipſa ad vnum determinatur: neque enim ſeipſam iudicio ac voluntate mouet: ſed potius à natura mouetur; natura verò ad vnum determinata, neque ſeipſam, neque cætera liberè mouere poteſt. Hinc bruta, natura impellente ad cibum feruntur, neque ab eo ſibi oblato, ſi eſuriant, abſtinere poſſunt. Hinc hirundines ad nidos eodem ſemper modo conficiendos, apes ad aluearia, ad telas araneæ, naturæ ipſis regula præfixa pelluntur: demum quæcunque à mortali natura pendent, vnum ac certum agendi modum ſibi præfixum habent, quem omnino mutare non poſſunt: quò fit, vt iis omnis prorſus adempta ſit agendi libertas.

Eo igitur ipſo quòd animus non vni agendi modo, vt cætera mortalia corpora, aſtringitur; ſed per infinitos penè ac omnes agendi modos liberè peruagatur: illum ſupra omnem mortalium rerum naturam extolli credendum eſt; cùm verò liber hic agendi modus tantùm immortalibus ſubſtantiis cõgruat: manifeſtum eſt animum inter immortales ſubſtantias eſſe collocandum.

VICESIMAQVARTA RATIO.

ANIMVS mortalia ſupergreditur, igitur eſt immortalis. Probatur aſſumptum: Animus corpori dominatur, ac illud ſibi ſubiicit: immò plerunque corpori aduerſatur. Is enim corpori alimenta præſcribit, vitæ ordinem inſtituit; oculos, manus, pedes ac cętera corporis membra, niſi ſub certa ſui arbitrij lege moueri vetat; ſenſuum operationes tam internas, quàm externas imperio regit, carnis impetus retundit, Venerem quaſi fræno coërcet, plerumque tandem odit corpus, extenuat, vigiliis macerat, ieiuniis domat, vt faćilè in perfectis viris cernitur: ac olim in Platone, ac cæteris inſignioribus Philoſophis viſum fuit, qui inſalubria loca domandi corporis gratia ſibi habitanda eligebant; vel virilia ſibi (vt Xenocrates) exuebant; quo libidinis incendią prorſus extinguerent; vel vt magi Perſarum, ac Ægyptij Sacerdotes, nec non Pythagorici Philoſophi à mero & carnibus abſtinebant, vt Venereas cupiditates eneruarent. Quis hæc à corporea ac mortali natura proficiſci vnquam exiſtimet? Quis tãtum animi imperium in corpus, tantam corporis erga animum obedientiam animo contemplatur, qui inde ea oriri non ſentiat, quòd animus ſupra omnem mortalium corporum naturam fertur: ac proinde eum immortali natura præditum non admiretur?

SANE quod mortale eſt, naturæ terminis clauditur: neque vllo modo ſibi aduerſari valet, alioqui ſponte ad ſui interitum propera-

A

ret; quod à rerum natura diſſentaneum eſt, quæ ſeipſas, quoad poſſunt, tuentur. Immortalem igitur naturam eſſe neceſſe eſt, quæ mortalibus omnibus poteſtate eminet; & naturę terminis ſupergreſſis, totam rerum naturam abſque vlla ſui corruptione ſuo imperio ſubiicit.

VIGESIMAQVINTA RATIO.

ANIMVS infinitorum eſt capax, igitur eſt immortalis. Declaratur aſſumptum. Nam bonum in communi eſt ſolum voluntatis obiectum, ſicut verum eſt obiectum intel-

B

lectus: at quemadmodum ſub vero communi innumera ac propè infinita vera includuntur, ad quæ intellectus ſe extendere valet: ita ſub communi bono infinita bona continentur, ad quæ diffundi poteſt voluntas. Cùm igitur intellectus in veris indagandis, nullis terminis contineatur, ſed ad nouas ſemper veritates, ac ſucceſſiuè infinitas inueſtigandas ſua met natura feratur: eodem ſanè modo & voluntas in bonis expetendis ad infinita pergit. Poteſt enim voluntas amare, & optare non tam infinita bona ſucceſſiuè, quàm ipſum infinitũ bonum intenſiuè: quatenus, ſcilicet, ipſum

C

infinitum bonum infinitis gradibus conſtare intelligit, ac ſine termino illud ſibi expetit.

IMMÒ cùm bonum commune ſit proprium voluntatis obiectũ; planè impoſſibile videtur voluntatem quieſcere, aut illius appetitum naturalem, qui in totum bonum fertur, expleri, quouſq; bonum omne, quod infinitum eſt, aſſequatur. Inde animi immortalitas apertiſſimè colligitur. Nam cùm is infinita bona ſimul in ſeipſo (cùm finitus ſit) capere non poſſit: illum tandiu viuere opus eſt, donec infinita bona ſucceſſiuè adeptus fuerit: at cùm infinita ſucceſſiuè bona non niſi immortali

D

vita haberi queant, inde immortalis animus concluditur.

Rationes ex quinta ac poſtrema claſſe exprompta.

DECIMASEXTA RATIO.

ANIMVS omnibus mundanis rebus eſt præſtantior, id Dei prouidentia ac ipſa rerum diſpoſitione poſtulantibus, quibus imperfectiora ad perfectiora ordinantur: igi-

E

tur eſt immortalis. Antecedens patet. Nemo enim vnquam Philoſophorum fuit, qui animum rebus omnibus, quæ in orbe verſantur, præſtantiorem ac ſuperiorem eſſe non iudicauerit: quod tum ex ipſa rationali vi, quæ animo inſita eſt, tum ex intelligẽdi facultate, tum ex pręteritorum memoria, tũ ex futurorũ prouidentia, tũ ex innato animi in res omnes imperio neceſſariò colligebãt. Cùm enim res omnes animi moderationi ſubiectas eſſe

cerne

cernerent, atque hunc eſſe rebus præſtitutum à natura ordinem animaduerterent, vt quæ excellẽtiori natura præditæ ſunt, cæteris tantùm dominentur: inde animum, velut omnium rerũ, quę in orbe ſunt, præſtantiſſimum, ac orbis miraculum optimè admirabantur.

Porro ex mundanis rebus nonnullæ incorruptæ videntur, qualia cœlum ac ſydera, eſſe putantur: quid? quòd eorum pleraque, quæ & videmus, & tangimus ad perpetuitatem tendere, ac velut immortalitate donati cernimus? An nõ Pyrenea iuga, ac Riphæos montes, Apenninum, Caucaſum, Olympum, ab initio condita eſſe exiſtimamus? Oceanum præterea, pelagus, Adriaticum ſinum, Tyrrhenum, atque inter flumina Iſtrum, Nilum, Euphratem, Gangem, Tanaim, Eridanum à principio effluxiſſe ac conſtitiſſe credimus? quæ ad perpetuas temporum viciſſitudines properarent, niſi illis ſuprema dies è cœlo immineret.

Qvæ cùm ita ſint, cur humanos animos, qui cœlo ſyderibus, montibus, pelago, fluminibus proculdubio nobiliores ſunt, morti velut corruptibiles adiudicamus? ſi cunctis hiſce mundanis rebus ſuperior ac eminentior eſt animus, cur iis manentibus ac fixis ipſe ſolus dilabitur? Nobiliſſimus igitur cùm omnium horum tum corruptibilium tum incorruptibilium ſit animus; is ſanè & incorruptibilis, & immortalis eſſe debet.

Vigesimaseptima ratio.

Animvs naturaliter appetit beatitudinem id eſt, ſtatum omniũ bonorum aggregatione perfectũ. Sed hic ſtatus eſt immortalis: igitur & animus. Maior nota eſt ex Philoſopho. Omnia enim bonum appetunt, atque eò magis appetitus creſcit, quò magis illud bonum apprehendunt: demum ſummus animi appetitus is eſt, qui ad ſummum ac perfectum bonum, qualis eſt beatitudo, aſſequendum fertur.

Minor etiam clara eſt duplici ratione. Prima, quia hic beatitudinis ſtatus, qui bonorum omnium copia perfectiſſimus eſt, inter alia bona etiam immortalitatẽ includit, velut omnium bonorum vinculum, ſine qua perpetua bonorum poſſeſſio haberi nequit. Altera eſt, quod hæc animorum beatitudo in hac vita comparari minimè poteſt, quæ ærumnis vndique referta eſt: vbi etiam animus cùm peregrinus ſit, propria bona non poſſidet: nam quo plures opes, honores, delicias, imperia, ac terrenarum rerum copiam animo auxeris, eò magis inſatiabilis euadit, cùm ea animi appetitum, qui æternorum eſt, extinguere nequeant.

Hinc illata conſequentia patet. Cùm enim humanus animus nullis huius vitæ bonis expleri poſſit, ſed vaſtiùs ad æterna, atque immortalia bona, quæ poſt hanc vitam parata ſunt, inhiet; quis illum hoc tanto naturæ appetitu fraudandum exiſtimet? qui cùm à natura illi inſitus ſit, nec fruſtra, nec inanis in eo eſſe debet: quò fit, vt eo poſt hanc vitam aliquando frui debeat: ſi tamen eo ſe per pietatis, ac cæterarum virtutum ſtudia dignum effecerit: inde luculenter animus immortalis colligitur, cùm occidente corpore ipſe nõ occidit: ſed ad immortalia bona, quæ modò ſummoperè expetit, iis tandẽ potiturus abit.

Vigesimaoctava ratio.

Hvic cognata accedat. Animus noſter non quieſcit niſi in immortali: igitur eſt immortalis. Manifeſtatur aſſumptum. Mens aliquo ſibi propoſito vero non quieſcit, ſed vlteriùs aliud verum inquirit, rurſúſque aliud, neque vnquam ſiſtit; quandiu aliquod verum noſcendum ſupereſſe credit; quouſque ad primum verum peruenerit, quod Deus eſt, omnium verorum immortalis veritas. Idem illi accidit aliquo bono propoſito, in quo nũquam ſiſtit, ſed ad maius ſemper bonum anhelat; donec primũ ac immortale bonũ attigerit, in quo tandem quieſcit. Huius ratio eſt: quòd ſicut primum ac ſummum verum eſt vltimus finis, ad quem intellectus tẽdit; ita primũ, ac ſummum bonum eſt vltimus finis voluntatis, ad quẽ pertingere cupit animus. Hac enim prima veritate, ac ſummo bono ab animo adeptis, ſtatim ab omni inquiſitione animus ceſſat.

Cvm igitur animus non quieſcat niſi immortali vero cognito, nec voluntas niſi immortali bono exaturetur; quandoquidem hi ſuo fine fruſtrari non debent: ſi enim vltimi finis conſequutio impoſſibilis eſſet, fruſtra & ſpecies, & actiones ſpeciei ad finem ſuum dirigerentur; & nulla rebus prouidentia ineſſet: reſtat vt animus aliquando ſuo fine potiri debeat. At quomodo animus fini ſuo immortali vniri, ac illo frui poteſt, niſi & ipſe immortalis ſit? Si immortalis tantùm veritas, quæ omnes veritates complectitur, ſola mentem implet; cur & ipſa mens immortalis non erit, quæ immortalis veritatis capax eſt? Sanè ſi immortale duntaxat, ac infinitum bonum, eo quòd ſolum omnia bona includat, animi appetitum ſatiare poteſt: malè de animo ſentiunt, qui mortalem illum eſſe volunt, perinde ac ſi appetitus, qui à natura manat, ipſum naturæ modum, ac terminos excedere valeret. Immortalis igitur animus erit.

Vigesimanona ratio.

Animvs quandiu eſt corpori alligatus nõ poteſt liberè operari, ergo dãdus eſt ſtatus, in quo liberè iuxta naturam ſuam operetur,

tetur, ſed hic ſtatus eſt extra corpus, igitur A animus cùm corpore non moritur, igitur eſt immortalis. Antecedens primæ conſequentiæ patet ex dictis Senecæ, ac aliorum Philoſophorum, qui corporis membra velut animi vincula, ac compedes eſſe exiſtimarunt: quibus is tenetur, ne liberè ſua operatione fungi poſſit. Sed cùm cuique rei libera ſuæ naturæ operatio eſſe debeat; alioqui fruſtra res illa eſſet, quæ ſua operatione finem ſuum conſequi non poſſet. Hinc rectò conſequitur dandum eſſe ſtatum, in quo libera animo ſit agendi facultas. Cùm verò hic ſtatus neceſ- B ſariò extra corpus collocari debeat; in quo animus à corpore liber & expeditus, nullo impedimento ſua actione fruitur; quis illum cum corpore interire ſentiat? Quòd ſi cum corpore non corrumpitur, quiſnam erit illius corruptioni locus? aut quomodo interire poterit, qui poſt mortem manet ſuperſtes?

Seneca.

DECLAREMVS hoc ipſum exemplo. Triplicem quodammodo eſſe hominem, vegetabilem, ſenſitiuum, & intellectiuum; cui etiam triplex vita reſpondeat, nimirum vita plantæ, vita animalis, ac vita hominis, com- C munis antiquorum ſententia fuit. Qui enim hominẽ in vtero matris adhuc incluſum contẽplaretur, primùm quidẽ ante illius animationem, nihil magis quàm plantam ſpectaret, cùm ei vegetatio duntaxat, ac plantæ vita à natura data ſit. Poſt infuſam animam, cùm nec dum ratione vtatur, ſed animalis tantummodò vita viuere videatur; quis in eo præterquàm animalis, & quidem imperfecti ſpeciem cernit, cui necdum perfectus ſenſus inſit? Attamen qui diligenter oculos, aures, manus, linguam, os, corporis diſpoſitionem, D membrorum ſtructuram inſpiceret, facilè ex habitu corporis animaduerteret eũ propterea natum non eſſe, vt ibi perpetuò incluſus permaneat, vbi nec videt, nec audit, nec ambulat, nec cæteras à natura ſibi datas facultates exercet.

ITA planè cùm hominem mente ac intellectu præditum intuemur; quo cœleſtia, ac ſuperna contemplari valet; memoria prætereà, qua omnium ſenſibilium ac intelligibilium ſpecies retinet; voluntate, qua corpori ac rebus omnibus imperat; atque omnes hu- E manos conatus deludit; vtpote quæ nec cogi poteſt, nec violari: ac cæteras à Deo illi impertitas animæ facultates animo reuoluimus, quæ corpori alligatæ, ac velut mancipatæ liberè actus ſuos exercere non poſſunt. Quis protinus apud ſeipſum non iudicet, animum huiuſmodi non ideo conditum eſſe, vt ſemper corpore occluſus permaneat; ſed illi liberiorem & excellentiorem ſtatum extra corpus reſeruari, in quo liberè actus ſuos exerceat, ac immortalis viuat?

TRIGESIMA AC POSTREMA RATIO

EX optima gubernatione vniuerſi deſumitur, quæ cùm omnium maximè ordinata eſſe debeat, ſine inordinatiſſima appareret, ſi anima cum corpore mortalis eſſet. Cùm enim ea ex duobus potiſſimùm elucere debeat, primò ex virtutum præmiis, deinde ex vitiorum pœnis: iis enim ſublatis omnem in vniuerſo ordinem peſſum ire neceſſe eſt. Si anima mortalis crederetur, planè & virtutum præmia, & vitiorum pœnæ omnino tollerentur.

SÆPISSIME enim videas hìc improbos, ac flagitioſos homines proſpero fortunæ flatu extolli, vt opibus, honoribus, deliciis, ac rerum omnium copia affluant, contrà probos, ac iuſtos ſępè malis deiectos, ac ærumnis confectos, quibus etiam natura videtur nocuiſſe naturalibus incommodis: quòd ſi nullus his poſt mortem ac tolerata mala, remunerationis ac pręmij: illis poſt iniuſtè potita bona, pœnæ, ac ſupplicij locus eſt, quid virtutum præmia expectanda ſunt? quid vitiorum ſupplicia timenda? An non illud Sardanapali Epitaphium eius ſepulchro inſculptum omnibus æquè probis ac improbis congrueret?

Sardanap.

Ede, bibe, lude, poſt mortem nulla voluptas.

Quis virtuti locus relictus eſſet, cùm virtus inhonorata nullo optimo fine potiretur; ſed ſimul cum vitio, morte animi iugulata, in eodem ſepulchro iaceret? Hæc ex animi mortalitate conſequi neceſſe eſt.

CONFIRMATVR: Nam cùm humanum genus tum propter imbecillitatem corporis, tum etiam propter inquietudinem animi, ac rerum omnium indigentiam, qua ſolùm inter animantia premitur; duriorem quàm cætera omnia animantia hìc vitam agat; ſi eandem ac communem cum iis illi viuendi metam natura præfixiſſet; certè nullum animal eſſet homine infœlicius, neque præſtantiorem hominum, quàm pecudum vitam eſſe exiſtimandum eſſet; ſed modis omnibus miſeriorem, cùm iis vitæ commodis careret, quæ bruta nullo labore ſibi à natura parata habent. At verò cùm fieri nequeat, vt homo, qui rerum omnium, quæ in orbe verſantur, præſtantiſſimus eſt; ac diuina ſibi inſculpta ſimilitudine propè ad Dei naturam accedit, quem etiam diuina religione proſequitur, omnium infœliciſſimus eſſe debeat. Sanè neceſſarium videtur, beatiorem poſt hanc illi vitam ſupereſſe, in qua & præmia virtutum illi expectanda ſint, & ſuprema fœlicitas ſperanda, quę immortalem ac omnium bonorum copia affluentem illi ſtatum pariat.

PRÆTER hæc Marſilius Ficinus de immortalitate animorum duodecim ſignis, quibus anima rationalis Deum imitari nititur, probat

Marſi. Fic. lib. 14. de immortalit. anim.

probat eam eſſe immortalem. Primò, quòd appetit primum verum, ac primum bonum. Secũdò, conatur omnia facere. Tertiò, conatur omnia fieri. Quartò, nititur ſuper omnia eſſe. Quintò, in omnibus eſſe: ſextò, ſẽper eſſe, ſeptimò, vbique eſſe: octauò, cunctis prouidere: nonò, iuſtè adminiſtrare: decimò, opulentiſſimè viuere: vndecimò, ſeipſam beatam intueri: duodecimò, quòd quatuor Dei virtutes aſſequi affectat, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam, prudentiam; quæ fusè ab eo tractantur per octo capita. Atque hæc de animæ immortalitate rationes ſufficiant. Nunc ad obiectiones diluendas accedamus.

Soluuntur obiectiones Atheiſtarum.

ARTICVLVS XI.

ADVERSVS animæ immortalitatẽ Atheiſtæ nonnulla tum ex Philoſophis, tum ex Scripturis argumenta colligunt; quæ nunc diluenda ſunt. Primò obiiciunt ex Ariſtot. primo de cœl. text. 124. peruulgatum illud axioma: Omne ortum occidere, & omne genitum eſſe corruptibile: ex quo inferunt genitos animos non immortales, ſed corruptibiles eſſe; quam obiectionem obiter ſuperiùs diluimus, cùm difficilia Ariſtotelis loca, quæ animorũ mortalitati fauere videbantur, explicaremus; vbi inter genitum, & productum, vel creatum diſtinximus, eam verò fuiſſe Ariſtotelis mentem declarauimus; vt de ſolo genito corpore, & iis quæ cum corpore generantur, non de aliis productis id ſentiat, præſertim cùm is animam non cum corpore genitam, ſed exteriùs aduenientem corpori, ac propterea à corpore velut immortale à corruptibili ſeiungẽdam eſſe docuerit. *Ariſtot. 1. de cœlo.*

ID verò magis confirmatur ex aliorũ Philoſophorum ſententia. Nam Plato Ariſtotelis magiſter, mundum quidem ortum affirmat, quem tamen nunquam interiturum eſſe credit: quòd ſi ab eo huius rei ratio exigatur, eam ad diuinam voluntatem refert. Credidit enim Plato diuinam voluntatem (vt par eſt) rebus omnibus, ac naturæ ipſi ita dominari, quemadmodum operi ſuo illius effector, ac patens: ita vt & naturæ leges condere, & conditas pro arbitrio mutare poſſit. Quamobrem quamquam mundum ſuapte natura diſſolubilem crediderit, eò quòd aliquando generatus, & factus à Deo fuerit: diuino tamen conſilio ac decreto perpetuò incolumem ac ſtabilem fore cenſuit, eò quòd nulli naturæ legi libera Dei voluntas adſtricta ſit, quæ ipſum perpetuum eſſe voluit. *Plato.*

HINC quàm piè ac religiosè Plato de Dei potentia ac volũtate ſenſerit, perſpicuum eſt: nam cùm is animos proprio dogmate incorruptibiles, ac ſuapte natura immortales eſſe

A docuiſſet: quos intra corporum naturam non includit, totam præterea corporeorum naturam, qua vniuerſum ſubſiſtit, tametſi ſuapte natura corruptibilem eſſe ſentiat, eam tamen ſola Dei voluntate, quæ naturę leges præſcribit, incorruptibilẽ eſſe credit: quod poſt eum tota Platonicorum familia, à qua nec ipſe Ariſtoteles ac Peripatetici diſſentiunt, conſtanter profeſſa eſt: licèt in eo Platonis ac Platonicorum ſententia minùs probetur, quod nimium de Dei voluntate, quæ illis haud certa eſſe poterat, præſumerent.

QVAPROPTER hinc primùm perſpi-
B cuum eſt, Ariſtotelicum hoc decretum non adeò inuiolabile eſſe, quin à diuina voluntate reſcindi queat; quæ animos quoquomodo genitos, aut creatos ex Philoſophorũ ſententia immortales poteſt efficere. Neque Ariſtotelis rationes, quas adfert libro primo de cœlo aduerſus Platonem quicquam nobis officiunt; iis enim duntaxat probare nititur contra Platonem, mundum ex partibus compoſitum poſſe in eas partes diſſolui; neque incorruptibilem eſſe, vt aſſerebat Plato: quòd ſi ait omnia nata neceſſariò aliquando diſſolui, & quod principium habuit aliquo tandẽ fine
C cõcludi debere; id de corporeis ac coagmentatis rebus dixiſſe exploratum eſt: cùm nullam ibi præterquàm de corporeis aç ſenſibilibus rebus mentionem faciat. Quapropter legem, qua omnia orta interitui adiudicat, non in animos, ſed in corpora tantùm latam eſſe cenſeo; à qua cùm libera omnino ac immunis anima ſit (quippe quam nulla compago diſſolubilem præſtat) perpetua ac immortalis permanet. *Ariſt. lib. 1. de cœlo.*

INSTAT rurſus Panætius apud Tullium; neminem eſſe, qui neget, quicquid natum ſit, interire: naſci autem animos. Idque duplici
D argumento confirmat. Primò, quòd ſimilitudo eorum quæ procreãtur, non ſolùm in corporibus, ſed etiam in ingeniis appareat, quod ſanè declarat animos cum corporibus naſci, ac proinde interire. Secundò, nihil eſſe quod doleat, quin id ægrũ eſſe quoque poſſit: quod autem in morbum cadat, id etiam interiturum, dolere autem animos. Huic duplici argumento reſpondet Tullius. Primo quidem; ſimilitudinem tantùm in corpore, non in animo exiſtere: quòd ſi liberi plerumque à parentibus procreantur, qui ingenio illis ſimiles videntur, id non aliunde vult accidere, quàm
E ex corporum cõſtitutione illis ſimillima, quæ animorum operationes nonnunquam ſimiles reddit. Magni enim refert quali in corpore animi collocati ſint: multa enim è corpore exiſtunt, quæ acuant mentem: multa quæ obtundant. Hinc enim Ariſtoteles omnes ingenioſos vult eſſe melancholicos, quæ Tullij reſponſio optima eſt, cùm omnem prorſus argumenti vim euacuet. *Tuſc. quæſt. lib. 1.*

ALTERI quoque argumento reſpondet. A Illud ex ignorãtia procedere, ignorant enim quæ ſit mentis natura. Quapropter duplicem is animi partem conſtituit: vnam, quæ mens dicitur, omni turbido motu ſemper vacantem: nec vllis doloribus, aut angoribus agitatam. Alteram, quæ ſenſitiua appellatur, in qua ægritudines, iræ, libidineſque verſantur. Hinc ad argumentum Panætij; cùm ait dolere animos, & ægros fieri, atque hinc ad interitum properare reſpondet Tullius: cùm de animorum æternitate agitur, non de ſenſitiua animi parte, quæ corpori alligata eſt, ſed de intellectiua, ac mente tantùm dici, B quæ immortalis eſſe iudicatur.

AT quoniam hoc loco Cicero videtur ſentire, ſolam mentẽ, ac intellectiuam animi partem, veram animam eſſe, ac ſolã immortalem: ſenſitiuam verò animam veram non eſſe, vel cum corpore interire. Cauendum eſt ne plures, ac diſtinctas animas in homine eſſe credamus, quarum hæ mortales, illæ immortales ſint, aut animam vnã partim mortalem, partim immortalem nobis ineſſe exiſtimemus; quandoquidem vnica duntaxat anima cuique homini immortalis adeſt, quæ tum intellectiuæ, tum vegetatiuæ, tum ſen- C ſitiuę officio fungitur. Quapropter cùm Tullius ſenſitiuam animæ partem mortalem eſſe affirmat, ita intelligendus eſt: vt non ſimpliciter, neque abſolutè, ſed ſecundùm aliquid interire ſentiat. Occidente enim homine cum eo vegetatio, ſenſatio, animatio intercunt, quæ ab anima fluunt: anima enim quæ antea corpori tum vegetationem, tum ſenſum, tum vitam præſtabat, ea præſtare deſinit. Demum officia omnia quæ anima per corpus exercebat, ea ſola pereunt; anima ipſa immortali exiſtente.

AT fortè obiiciet alter Panætius aduersùs D hanc Tullij reſponſionem. Animum non ſolùm quoad ſenſitiuam vim: verùm & quoad intellectiuam, tũ memoratiuam, tum etiam volitiuam, dolere, ægrum fieri, ac proinde interire poſſe. Aſſumptum probatur. Animus quandiu eſt in corpore, pleraque ſiniſtra intelligit ſibi accidere, quibus dolet: mens plura iniuſtè, ac impiè admiſſa memoratur, quæ luget: voluntas, plurima ſibi accidere nollet, quæ tamen illi aduerſa accidunt, atque his angitur. Mens verò corpore exuta cùm ad inferos proficiſcitur, plurimas tum intellectui, tum memoriæ, tum voluntati inflictas E pœnas perpetitur, quæ illam ægram reddunt, cùm verò ægritudo ad interitum viam ſternat: cur eam aliquando interire rectè haud ſentiri queat?

HVIC obiectioni partim ex Philoſophis, partim ex Theologis reſpondemus. Ac primò quidem duplicem ægritudinem diſtinguimus, quæ ex duplici dolore manat. Quoddam enim doloris genus eſt, quod oritur ex diuiſione continui: alterum quod naſcitur ex apprehenſione diſconuenientis. Primum quidem ad corpus, alterum ad animum pertinet. Hinc duplex ægritudo manat: prima corporis, ſecunda animi. Hoc igitur duplici dolorum, & ægritudinum genere conſtituto, quod ex his ad interitum ducat, intuendum eſt. Certè cùm mors ſit diſſolutio totius, ea ſola ægritudo mortalis cenſenda eſt, quæ ad totius diſſolutionem tendit: ea verò nemine diſcrepante eſt, quæ ex continui diuiſione contingit, quæ cùm propria corporum ſit, idcircò illa in ſua principia reſoluit. Quare alterum ægritudinis genus, quod ex apprehenſione diſconuenientis, ac horridi in animum inuehitur, à morte quidem liberum eſt, cùm nullam diſſolutionem patiar, pœnam tamen in animo generat. Hinc ad obiectionem reſpondemus; animum tam in corpore quàm extra corpus dolere poſſe: neque rectè ſenſiſſe Tullium cùm mentem, quę tres illas ſuperiores animæ vires complectitur; intellectiuam ſcilicet, memoratiuam, & volitiuam, ab omni dolore liberam, ac immunem ſenſit: cùm & vera ſcelerum pœnitentia non tam à ſenſu, quàm ab animo, ac mente proficiſcatur; & varias mens pœnas tam in corpore, quàm extra corpus ſuſtineat, quod non ſolùm ex fide, ſed ex ipſis Philoſophorum teſtimoniis diſcimus, qui impiorum animas ſuamet conſcientia ſcelerum vindice, in in corpore exagitatas, & poſt corporis diſceſſum inferorum pœnis excruciatas eſſe docent, vt in ſequentis ſymboli demonſtratione declarabimus. Niſi fortè Tullius (quod credibile eſt) animos eo ægritudinum genere, quo corpora ægrotare ſolent, atque inde ad interitum præparari, dolere non poſſe ſentiat, quod veriſſimum eſt.

SECVNDÒ obiiciunt. Anima eſt forma corporis, ſed corruptionem materiæ ſequitur corruptio formæ: ergo corruptionem corporis ſequitur animæ corruptio. Reſpondeo, duo eſſe formarum genera: quædam ſunt materiales formæ, quæ vel cum materia concurrunt ad rei eſſentiam conſtituendam; quales ſunt rerum corporearum formæ, quæ vel ex potentia materiæ educuntur, cuiuſmodi ſunt brutorum animæ, quæ brutis præſtant eſſe animal: vel ipſi compoſito inhærent, ſine quo omninò eſſe non poſſunt: vt ſunt accidentales formæ, quæ eſſe habent in compoſito. Atque hæ quidem formæ omnes, cùm materiales ſint, & à materia pendeant, abſque ea eſſe nequeunt, quapropter ea dilapſa, & ipſas dilabi oportet.

QVÆDAM verò ſunt immateriales, quæ nec cum materia coaleſcunt, neque de potentia materiæ educuntur, neque aliquo modo materia ipſa fulciuntur: ſed materiam ipſam

ipſam cum ſua forma compoſitam ſuſtinent, A ac regunt. Hæ igitur cùm per ſe exiſtant, & ſubſiſtentiam à corpore diſtinctam habeant, minimè cum corpore intereunt, aut corrumpuntur: ſed poſt illius corruptionem remanent immortales. Huiuſmodi eſt rationalis anima, quæ tametſi corporis ſit forma; tamen quia immaterialis eſt; neque à corpore pendet, idcirco neque ea cum corpore perit, ſed perpetuò ſuperſtes ac immortalis manet.

Obiicivnt tertiò. Anima triplici facultate prædita eſt, vegetatiua, ſenſitiua, ac intellectiua; ſed vegetatiua, ac ſenſitiua cum corpore intereunt, igitur & intellectiua; ne- B que enim maior eſt ratio, cur cæteris corruptis hæc integra remaneat. Huic obiectioni vtcumque modò reſponſum fuit; cùm vegetatiuam, ac ſenſitiuam vim ſecundum aliquid tantùm interire docuimus. Hic tamen vberiùs reſpondendum eſt ex Ariſtotele, & aliis Philoſophis; animæ facultates duplici inter ſe differentia laborare: quædam enim ſunt organicæ, quæ mediis corporeis organis operationes ſuas exercent: quemadmodum vegetatiua, ac ſenſitiua facultas, quæ ad agendum corpus velut inſtrumentum exigunt: neque ſine corpore quicquam age- C re valent. His quidem ſublato corpore ea actio adimitur, quam per corpus, ac in corpore moliebantur: perit ſiquidem in iis vegetatio, ac ſenſatio, haud tamen in iis vegetatiua, ac ſenſitiua vis vllo modo interit, ſed adhuc poſt corpus in anima remanet, quod inde perſpicuum eſt: nam ſi corruptum illud corpus animæ denuò reſtitueretur, facultates illæ rurſus in corpore vigerent, quod ſanè fieri non poſſet, ſi iam corruptæ eſſent.

Id haud ſecus accidit, quàm ſi tympaniſtriæ, quæ tympano ad ſonum edendum vtitur, tympano caſu ſibi ſublato careret: D nam ſonus quidem in tympano non ederetur: ars tamen tympani pulſandi, adhuc penes tympaniſtriam eſſet. Ita ſanè animus, cùm duas has facultates corpori ita alligatas habeat, vt illis abſque corpore vti non poſſit; ſublato per mortem corpore, perit quidem harum facultatum opus; haud tamen ipſæ facultates intereunt, ſed penes animam ſuperſtites remanent.

Aliæ verò animæ facultates ſunt, quæ ad agendum nuſquam corporeo organo in- E digent, velut intellectiua; ac volitiua vis, quæ à materia abſolutæ ſunt: neque enim aut intellectus, aut voluntas determinatum organum requirunt, quo vel hæc velit, vel ille intelligat. Hæ igitur cùm ita in corpore ſint, vt neque à corpore pendeant; neque vlli corporeo organo alligentur: conſtat eas non ſolùm quoad operandi vim, ſed etiam quoad ipſum actũ corrupto corpore remanere. Neque rectè ratiocinari eos, qui à prioribus illis facultatibus ad has inferunt; cùm illæ ad corporis perfectionem tendant tantummodò, ac proinde cum corpore, ſaltem quoad actum, exhauriri poſſint: hę ſummam hominis dignitatem, ac excellentiam conſtituant, qua & rationalis, & immortalis eſſe creditur.

Addo, quòd ſi fieri poſſibile eſſet, vt ſenſitiua ſimul ac vegetatiua, corporis occaſu corruerent; haud tamen intellectiua eorum caſo inuolueretur; cùm illæ corpus quodammodo ſequantur, hæc à corpore ſeiuncta ſit. Vt ſi aliquis ſimul vir bonus ſit, ac perfectus Orator: caſu autem ei lingua pręcidatur; haud tamen vir bonus eſſe deſinit, quamuis Orator eſſe deſinat, cùm Oratoris opus à lingua pendeat: non ita vitæ bonitas. Ita quamuis vegetatiua, ac ſenſitiua facultas, qua corpus viget, ſentit, mouetur, ab anima præcideretur; non tamen intellectiua facultas eſſe deſineret, quæ neque ab iis pendet, neque corpori ita eſt alligata, vt ſine eo eſſe non poſſit.

Obiicivnt quartò: intellectus non intelligit niſi per phantaſma, ac imaginem; ſed phantaſma non eſt ſine corpore: igitur intellectus non intelligit ſine corpore. Hinc ſequitus quòd extra corpus non intelligat: at ſubla- C ta propria operatione rei, rem ipſam tolli neceſſe eſt: cùm nihil otioſum natura patiatur. Ergo non datur anima intellectiua extra corpus ſubſiſtens.

Confirmatvr; nam cùm phantaſma nequeat à corpore ſeparari, ſi animus ſine phantaſmate non intelligit, ne ipſe quidem erit à corpore ſeparabilis.

Hoc argumentum nonnihil ſuperiùs attigimus. Hic verò, quoniam locus poſtulat, fuſiùs reſpondendum eſt. Nonnulli vt hoc argumentum ſoluant, fatentur ſponte ob Ariſtotelis auctoritatem, qui ſecundo de anim. *Ariſt. 2. de anim.* D ait, intelligentem oportere phantaſmata ſpeculari, animum ſine phantaſmate non intelligere: id verò illi tantùm accidere, quandiu iungitur corpori: at à corpore diſiunctum, phantaſmate non indigere, cùm proprium ac naturalem intelligendi modum tunc nanciſcatur. At hæc reſpõſio animi operationes nimis eneruat, ac minuit, cùm ei impropriam tantùm, ac velut violentam in corpore operationem tribuit. Præterea vim argumenti non euacuat, quæ animos hac ratione à corpore E inſeparabiles, ac mortales reddere conſendit.

Alii diſtinguũt inter ſubſtantiam intellectionis, & modum intelligendi: ſubſtantiam quidem intellectionis eſſe dicunt accidens immateriale ſoli animæ inhęrens abſque corporis coniunctione; modum verò, intelligere per phantaſmata. Modus verò cùm non variet ſubſtantiã rei, ſed illi ab extrinſeco adueniat, non tollit immaterialitatem actus. Quare cùm ſubſtantia intellectionis ſit abſque corporis commercio, ipſa intellectio immaterialis

rialis iudicanda eſt; non ex modo, qui mutabilis eſt, ſed ex ipſius intellectionis ſubſtantia.

At hæc ſolutio quamnis acuta ſit, haud tamen difficultate vacat; nam opponere poſſent modum hunc intellectionis eſſe intrinſecum ipſi intellectioni, neque ab ea vnquam poſſe ſeparari. Nam cùm intellectio ex obiecto & intellectu fiat; ſi obiectum ſit materiale, etiam ipſa intellectio materialis erit, cùm obiecti naturam ſequatur, à quo pendet. Præterea cùm neceſſe ſit potentiam moueri ab obiecto; ſi intellectus non poteſt intelligere abſqoe phantaſmate corporeo, ergo ſimpliciter ac abſolutè nõ poteſt intelligere, niſi moueatur à phantaſmate: igitur tota intellectio, quæ pendet à phantaſmate, erit materialis. Quapropter euaneſcet illa intellectionis immaterialitas. Immò cùm ex intellectu & obiecto intellecto vnum conficiatur: intellectus verò ab obiecto pendeat, ſi obiectum neceſſariò ſit materiale, neque illud vnquam mutari poſſit, neceſſariò etiam videtur conſequi ipſum intellectum eſſe materialem. Tandem qui immortalitatem animorum negant, negarent quoque ſubſtantiam intellectionis eſſe immaterialem, quod difficilè probari poſſet, ſi illis concederetur intellectum tantùm per phantaſmata obiecta intelligere.

Aliorvm reſponſio eſt: animam quandiu diſcit, aut aliquid diſcendũ exquirit, egere phantaſmate: omnis enim diſciplina teſte Ariſt. ex præexiſtenti ſit cognitione à ſenſibus decerpta. At poſtquam mens ſemel edocta eſt, non indiget ampliùs miniſtris ſenſibus; ſed ipſa nullo adiuta phantaſmate ſuas notiones proſequitur. Quæ ſolutio eſt Auicennæ in compendio de anima, & videtur eſſe Auerro in 3. de anim. text. 31. Themiſtij 3. de anim. c. 51. Simplicij libello de immortal. animæ, & Alberti in prologo de anima, explicantis verba illa Ariſt. ſi intelligere eſt, phantaſia, aut non ſine phantaſia, &c.

1. Poſter.

Auicenn. in comp. de an. Auerro. in 3. de anim. Themiſt. in 3. de anim. Simplic. in 3. de anim. Albert. in prol. de anima.

At hic reſpondendi modus nimis adhuc aduerſariis indulget, neque à primo diſcrepat; quandoquidem animum nunquam abſque phantaſmate ad quarumcunque rerum cognitionem procedere conniuet.

Qvamobrem optimè (meo iudicio) ij argumentum ſoluunt, qui duplicem animo intelligendi modum ſtatuunt, vnum quidem materialium ac ſenſibilium: alterum inſenſibilium ac immaterialium: neque enim æquum eſt, animum etiam pro hoc ſtatu, quo corpori coniunctus eſt, omnino propria operatione deſtitui; ne vllã præter corporis operationem habere non poſſe videatur. Primus quidem eſt per phantaſmata: alter per ſpecies ipſi animo innatas. Fateor ſanè animum hæc corporea, quæ ſubiiciuntur ſenſibus, ſine phantaſmate percipere non poſſe: ac tunc

A phantaſmatum vſum animo neceſſarium eſſe: cùm ipſa intelligibilia in phantaſmate reluceant. Deficiente enim ſenſu, à quo ſpecies ſenſibilium ad phantaſiam deferuntur, atque inde ab intellectu hauriuntur, proculdubio omnis ſenſibilium ſcientia ab animo arceturi atque hic eſt Ariſtotelis ſenſus, cùm omnem ſcientiam aſſerit ex præexiſtente cognitione fieri, & intelligentem neceſſariò phantaſmata ſpeculari; necnon intellectum ſine phantaſia eſſe non poſſe: de ſenſibilium enim cognitione agit; quæ neceſſariò à phantaſmate in intellectum inuehitur. Nunquam
B enim intellectus colorem definiet, niſi priùs ex phantaſmate colorem eſſe deprehenderit.

At verò incorporea & immaterialia, quæ nullo ſenſu capiũtur, neque aliquod ſui phantaſma, aut ſenſibilem imaginem habent, qua animum pulſent, atque ad ea intelligenda prouocent: num animum effugere exiſtimabimus? planè, cùm animus quotidie immaterialia, & abſtracta intelligat; quæ phantaſma non habent: alterum opus eſt intelligendi modum in eo ſtatui, quo hæc ſine phantaſmate intelligat, & agnoſcat: cùm verò
C omnem cognitionem per aliquam ſpeciem fieri neceſſe ſit: atque hanc incorporeorum ſcientiam aliunde quàm ex ſeipſo colligere nequeat: inde illi alterum intelligendi modum per ſpecies innatas meritò tribuimus, ſine quibus animus ea, quæ corpore vacant, percipere non valeret.

Prætereo pleraſque alias animi operationes, quæ ſine phantaſmate fiunt, quales ſunt iudicia intellectus, reflexio in ſuos actus, velle, nolle, & alia quamplurima, quæ à corporeo phantaſmate non pendent. Hæc ſolutio eſt expreſsè Alberti loco citato, quam in-
D ſinuant etiam Simplicius, ac Themiſtius in comment. in c. 7. lib. 3. de anim. vterque enim aſſerit practicum intellectum verſantem ſingularia, vti ſimulachris ſenſibilium: at verò is, qui ſimplicia tractat intellectus, vt eſt contemplatiuus non egere phantaſmate. Ex quo patet ſolutio ad propoſitum argumentum.

Simplicius ac Themiſt. in comment. in c. 7. lib. 3. de anima.

Obiiciunt quintò. Vnus eſt hominum ac iumentorum ortus ac interitus, vt patet Eccleſ. 3. vbi dicitur, *Hominum, & iumentorum ſimilis eſt interitus, & æqua vtriuſque conditio.* At iumentorum animæ cum cor-
E pore finem habent: igitur & hominum animæ eundem finem habere debent. Reſpondeo, hominum & iumentorum quoad corpus eundem eſſe ortum, ac principium: vtraque enim ex Elementis compoſita ſunt, & ex ſemine generantur: quamobrem, quòd ad corporis naturam ſpectat, eundem finem habent, ſcilicet, corporis diſſolutionem, ex qua illorum interitus manat.

Eccleſ. 3.

At ſi de animo agant, diuerſa prorſus res eſt: nam anima iumentorum (vt ipſa Scriptura teſtatur Leuit. 17.) in ſanguine eſt, id eſt, de potentia materiæ educta, neq; ab eodem principio, quo anima rationalis, manat, quæ à Deo immediatè fluit, vt declaratur Gen. 2. *Geneſ. 2.* Quare Eccleſiaſticus cùm æquam hominum, & iumentorum conditionem eſſe dicit, id nõ ad animum, ſed ad corpus refert: quo ſenſu pariter intelligenda ſunt, quę de pari illorum interitu concludit. Quapropter fruſtrà hominis animum inſtar iumentorũ interire ex hoc loco ſentiunt; cum hominis nuncupatione ipſa duntaxat exterior hominis figura, quę ſe in corpore exhibet, hic inſinuetur. B

Obiiciunt ſextò. Locus debet reſpondere locato, & è conuerſo. Animus collocatus eſt in corpore: ergo debet reſpondere corpori: ſed corpus eſt materiale: igitur & animus materialis eſſe debet, ac proinde mortalis. Confirmatur: nam omnis receptio fit per modum recipientis. Cùm igitur animus recipiatur in corpore, non poteſt recipi, niſi per modum corporis: quò fit, vt cùm nihil recipi poſſit per modum corporis, niſi ipſum ſit corporeum, quod ſe illi modo accommodet, C videtur ſequi ipſum animum corporeum eſſe. Hac enim ratione probari ſolet cœlum eſſe æternum, eò quòd habitaculum ſit æternarum ſubſtantiarum.

At hoc argumentum facilè diluitur. Ita enim animum in corpore eſſe affirmamus, vt illum corporum more ab eo circunſcribi, aut ſuſtineri, aut recipi omninò negemus. Etenim in corpore eſt velut corporis viuificator, tector, ac moderator. Et eũ immaterialis ſit, nullam quantitatem habet, qua pars parti, ac totus toti loco commenſuretur: quamobrem cùm in corpore recipitur, non corporis D modum ſequitur: ſed inſtar formæ immaterialis totum corpus immaterialiter peruadit, vitam confert, operationes tribuit, ac ſuo modo imperio regit, ac virtute tuetur.

Quod ſi mirum illis videatur, quod immateriale, ac immortale eſt, corporeo, ac mortali iunctum eſſe. Cur non magis diuinæ potentiæ vim ſuſpiciunt, quæ immortalem mentem, quæ diuinorum eſt particeps, cum mortali corpore, quod ex elementis concretum eſt, velut maximè diſtantia, admirabili E planè nodo tam ſapienter colligauit, vt ex iis vnam hominis naturam conflauerit.

Postremò quod obiiciunt: Animos, ſi immortales eſſent, nunquam fore, vt mortem perhorreſcerent, ſed potiùs ſuapte natura corporis mortem appetituros, vt eò liberiùs ſua immortalitate frui poſſent. Cùm verò animus tam ſuaui pacis, atque amicitiæ vinculo corpori copulatus ſit; quòd nunquã cuperet, ſi fieri poſſet, ab eo diſſociari, adeóque mortem exhorreat, vt extremum om- A nium terribilium eam eſſe exiſtimet: hoc certiſſimum argumentum eſſe volunt, eum non tam corporis, quàm propriam ſuipſius mortem pertimeſcere, ac propterea inde concludi illum cum corpore eſſe mortalem.

Id confirmant, tum ex Paulo, qui homines naturaliter mortem timere, neque corpore velle expoliari, ſed ſuperueſtiri immortalitate, nulla intercedente corporis morte docet in 2. Cor. 5. tum ex Chriſto, qui Matth. 26. mortem timuit, tum ex ipſo omnium conſenſu, qui mortem ſuper omnia timendam ſentiunt. *2. Cor. 5. Matth. 26.*

At nos totam hanc obiectionis molem B vnico verbo euertimus. Duplicem enim in homine appetitum agnoſcimus, naturalem, & rationalem. Fatemur quidem animum ob naturalem cum corpore colligationem, ac ſocietatem, naturaliter hoc naturæ vinculum appetere, ac illius diſſolutionem perhorreſcere, vnde corporis mors exoritur: nam ſi nullus huius diſſolutionis illum timor percuteret; nullo naturæ vinculo corpori aſſociatus videretur; à quo diſſolui non metueret. Præterea animus agnoſcit ſe eſſe corporis formam, cui intimè copulatur: quapropter haud mirum eſt, quòd ob antiquum, ac C naturale mutuæ viciſſitudinis vinculum ab eo ſeparari refugiat: nam vt docet Auguſtinus explicans illud Pauli 2. ad Cor. 5. *Nolumus expoliari. Vox* (ait) *natura eſt, confeſſio pœnæ: graue eſt corpus, & oneroſum; & tamen non libenter deſeritur. Pius enim mentis ratione diſſolui cupit, & eſſe cum Chriſto. Senſus autem carnis refugit, & recuſat. Hinc mortis horror naturaliter omnes inuadit, cùm ea compago diſſoluitur, quæ à Deo in hominis natura inſtituta fuerat, ad quam ipſe animus ipſo naturali appetitu ducitur.* *Auguſtin. 2. Cor. 5.*

D Eadem ratione, & Chriſtum morti proximum mortem timuiſſe haud mirandum eſt, cùm natura humana in ipſo proprio naturæ appetitu minimè deſtituta eſſet: quo ſanè fiebat, vt corporis diſſolutionem ipſo naturali appetitu refugeret: vt inde iuxta Damaſcenum lib. 3. Orthod. fidei c. 24. ſe veram hominis naturam induiſſe teſtaretur. Quamuis non deſint alij, qui Chriſtum mortem non metuiſſe affirment; ſed vel fugam mortis ſimulaſſe, vt hoſtem ad ſe alliceret, ac E proſterneret. Ita Epiphanius cenſet in Anchorato, vel vt exteros à mortis metu liberaret, vt ſentiunt D. Hilarius lib. 10. de Trinitate, & D. Hieronymus in Matthæum 26. Vel tandem non propriam, ſed malorũ mortem extimuiſſe, cuius ſententiæ ſunt D. Ambroſius in Luc. 22. & Auguſt. in Pſalmum 2. *Damaſcen.* *Epiphanius. Hilarius. Hieronym. Ambroſius. Auguſtin.*

At ſi rationalem animi appetitum ſpectamus, profectò non tam is corporis caſum metuit, quàm auidè ad illius diſſolutionem anhelat: inde enim ex piæ rationis penetralibus

Philip. 1. libus vox illa Pauli erumpebat, *Deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto*, quam etiam ipſe rationis appetitus omnibus depromendam docet, qui ſe graui hoc corporis tabernaculo preſſos ſentiunt, & animum ad ſuperna euolantem eo præpediri ingemiſcunt. Hîc multos commemorare poſſem pios, ac probos Chriſtianæ religionis viros, qui velut fauſtiſſimum ſupremum diem illum expectabant, quo libera illis è corporeis vinculis daretur exeundi facultás, tametſi inter ignes & equuleos vitæ finem ſibi præſcriptum ſcirent.

B HIC quoque rationalis appetitus pleroſque olim, vel pro patria, vel pro patriis legibus tuendis, vel alio honeſto bono vltrò mortem oppetere, ac in bello fortiter occumbere compulit; qui rectè geſtorum gloriam non in tumulo cum corpore incluſam, ſed cum animo perpetuò victuram ſperabant.

PORRO aliis pertimeſcendæ mortis cauſa eſt, quòd ſe iniquis facinoribus contaminatos cernunt: quibus ipſa facinora potiùs quàm mors metum incutiunt: ij enim cùm Deum ſibi in morte ſeueriſſimum ſcelerum ſuorum vindicem imminere ſentiant, idcirco mortem terribilem, atque amariſſimam

A ducunt. Nec ſanè fruſtra, cùm de iis exclamet Dauid, *Mors peccatorum peſſima*. Hinc Pſalm. 33. Chryſoſtomus hom. 64. in Matth. *In hora mor-* Chryſoſtom. *tis* (inquit) *iucunda bene acta vita memoria, quaſi tranquillitas poſt tempeſtatem veniens, conturbatam facilè animam conſolatur. Sed quoniam ſicut inſenſati vitam agimus, in decedendo ab hac vita proculdubio aberit. Nam qui vinctus propter ſua ſcelera fuerit, cùm ſoluitur, vt ad iudicium produci queat, tunc maximè tremit, tunc formidat, quando ad tribunal iudicii iam appropinquat; quando ad relationem rationum iam deuenit: idcirco terribiles viſiones narrare ſolent morituri,* B *quarum ſpeciem nullo modo ferentes, & lectulos plerumque ipſos magno iacentes impetu concutiunt, & toruis eos, qui adſunt, aſpiciunt oculis. Vel quia vi à corpore reſcinditur anima, vel quia ſpirituum ſpeciem ferre non poſſunt.*

HI verò ea ratione, qua mortem metuunt, animarum immortalitatem prædicant, cùm æterna ſibi ſupplicia parata pertimeſcunt. Quamobrem cunctis ea ratio ineunda eſt, vt deterſis peccatorum maculis animarum curæ ſollicitè incumbant, vt beata illarum immortalitate poſt corporis occaſum frui perpetuò valeant. Hæc de animorum immortalitate ſatis.

DEMONSTRATIO
TERTIA GENERALIS
TERTII SYMBOLI.

De futuro proborum, ac improborum ſtatu poſt mortem.

Præfatiuncula.

ANIMVM *non fruſtrà immortalem à Deo conditum eſſe, ſed cùm virtutis & vitij naturam compotem habeat; inde ad æterna poſt corporis mortem præmia, ſi virtutibus imbutus fuerit, euolare: ſin vitiis labefactatam mentem geſſerit, pœnis perpetuis reſeruari; omnium ſeculorum conſenſus conſtantiſſimè tradit: atque adeò huius rei fama per cunctas hominum mentes dilapſa eſt; vt naturæ vox potiùs, quàm hominum opinio credenda ſit: quapropter ſicut innata à principio animo veritas, ac inuiolabilis ipſe naturæ impetus; Deum & agnoſcere, & fateri cogit; ac præterea colere, à quo vitæ initium ſe accepiſſe intelligit; Ita poſt hanc diuiniorem quandam vitam, ac fælicitatem piis animis, ac Dei cultoribus relictam eſſe: contrà verò impiis Dei contemptoribus, & iis qui ſe humanis vitiis contaminarunt, paratum eſſe ſupplicium animo inſeruit. Hinc duplicem poſt corporis mortem eſſe animarum ſtatum docet vera Religio, proborum vnum, alterum improborum: vnde tertium tandem ac ſupremum contra Atheiſtas ſymbolum ſibi vendicat. Hæc verò cùm diſtinctè tractari debeant; priùs de piorum fælicitate agendum erit: de qua ſexdecim articulos demonſtrabimus.*

Primò, Certum piarum animarum ſtatum poſt mortem dari, in quo illæ ſummis bonis fruantur, demonſtratur ex Philoſophis contra Atheiſtas.

Secundò, Proponuntur, ac refelluntur variæ Philoſophorum opiniones de animarum beatitudine.

Tertiò, Explicatur vera ſententia de animarum beatitudine.

Quartò, Demonſtratur in quo vera beatitudo formaliter ſita ſit.

Quintò, Proborum aliquorum animas poſt mortem aliquandiu pœnis purgatorij detineri demonſtratur tam contra Atheiſtas, quàm Hæreticos, ex Philoſophis.

Sextò, Peccata quædam eſſe venialia, alia mortalia, demonſtratur contra Hæreticos.

Septimò, Aſſeritur Purgatorium ex teſtimoniis Scripturæ contra Hæreticos.

Octauò, Idem aſſeritur ex conſenſu Patrum, Conciliorum, ac publicarum facultatum.

Nonò, Idem aſſeritur ex Hebræorum teſtimoniis, & rationibus.

Decimò, Sanctorum animas ante extremum iudicium Dei viſione frui, demonſtratur contra nouos ſectarios.

Vndecimò, Idem aſſeritur teſtimoniis Patrum, & rationibus.

Duodecimò, Corporum reſurrectio demonſtratur ex Philoſophis contra Atheiſtas.

Decimotertiò, Eadem demonſtratur ex Scripturis contra Hæreticos.

Decimoquartò, Demonſtratur tertiò ex conſenſu Eccleſiæ.

Decimoquintò, Eadem demonſtratur quartò rationibus.

Decimoſextò, Demonſtratur gloria corporum.

Deinde de improborum ſtatu quatuor articuli explicabuntur.

Decimoſeptimò, Dari improborum ſtatum poſt mortem, in quo hi ſupremis malis aſſiciantur, demonſtratur contra Atheiſtas

Decimooctauò, Idem demonſtratur cont ra Hæreticos.

Decimononò, De loco & ſita inferni contra Hæreticos.

Vigeſimò, De veritate & numero pœnarum aduerſùs Hæreticos.

Quæ omnia ſuo quæque loco, ac ordine pertractabuntur.

De futura proborum fœlicitate.

Certum piarum animarum ſtatum poſt mortem dari, in quo illæ ſummis bonis fruantur, demonſtratur ex Philoſophis contra Atheiſtas.

ARTICVLVS PRIMVS.

ANTIQVISSIMAM, & omnibus ſæculis coæuam de futura bonorum vita, ac beatitudine famam per omnes homines delapſam fuiſſe, ipſa vetuſtiſſimorum Philoſophorum auctoritas fateri cogit: quos eò puriori veritatis luce illuſtratos credimus, quò propiùs à rerum ortu, atque ab ipſa orbis natiuitate abfuerunt.

ATQVE hic nobis velut in veſtibulo occurrit Mercurius ille ter maximus, qui primæ illius, ac venerandæ Ægyptiorum ſapientiæ, quæ olim clariſſimè in orbe floruit, velut Pater fuit. Sapientiſſimus itaque hic Philoſophus, non aliunde quàm ex puriſſima naturæ luce hauſta ſibi ſapientia, ex ipſa diuina ac pura animi natura, illius futuram beatitudinem venatur his verbis. *Vlteriùs* (inquit 1. cap. Pimandri) *id reſponde quid poſt Aſcenſionem futurum ſit. Primùm quidem* (Pimander ait) *in corporis materialis reſolutione, corpus in alterationem labitur: ſpecies quam antè habuerat inſenſibilis delitеſcit in poſterum: morum otioſus habitus dæmoni conceditur, atque demittitur; ſenſus corporei partes animæ facti, ſuos in fontes refluunt: aliquando in ſuos actus iterum ſurrecturi: iraſcendi & appetendi vires, in naturam conuertunt ratione carentem. Itaque reſiduum, tum per harmoniam recurrit ad ſupera. Primæ dehinc zonæ creſcendi pariter & decreſcendi officium reddit. Secundæ machinationem malorum, otioſúmque dolum. Tertiæ otioſam concupiſcentiæ deceptionem. Quartæ imperioſam atque inexplebilem ambitionem. Quintæ profanam arrogantiam, & audaciæ temeritatem, Sextæ occaſiones diuitiarum prauas, itémque otioſas. Septimæ zonæ mendacium inſitum. Tunc ſanè animus harmoniæ motiones exutus ad optatam naturam reuertitur; vim propriam habens: vnà cum iis, qui illic ſunt, patrem laudat: ipſi quoque in poteſtatum ſe numerum conſerunt; effectíque poteſtates Deo fruuntur: atque id ſummum bonum eorum, quibus cognoſcendi ſors cõpetit, Deum ſi licet fieri* Qui hęc Trimegiſti verba diligenter expendunt, quid ipſum naturæ lumen in Philoſopho homine

Merc. Trimeg. c. 1. Pimandri.

A potuerit, facilè admirantur; cùm ipſum proborum, & improborum ſtatum poſt mortem ita luculenter explicantem audiunt, vt ad ea, quæ fidei ſunt, propè accedere videatur. Primùm enim humani corporis in morte caſum deſcribit, quod in alteram formam, terræ nimirum à qua ortum fuerit, labi fatetur: perinde ac ſi illud Moſaicum doceret. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Corporis occaſum omnes corporis ſenſus ſequi deinde demonſtrat; haud ſecus quàm Sole occidente lux cum eo occidit, & orbi adimitur. At illud mirabile quòd nouam corporum reſurrectionem in

B poſterum futuram eſſe pronunciat, cùm ait. *Senſus corporei partes animæ facti ſuos in fontes refluunt, aliquando in ſuos actus iterum ſurrecturi.* An non idem eſt ac ſi diceret. *Credo quòd in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum:* quod olim Iob fide comprehendit. Neque id ſilentio prætereundum, quod corporis ſenſus velut partes animæ in corporis morte in animæ fontẽ refluere ait: id enim & aliàs nos declarauimus, cùm corpore decedẽte vegetatiuam ac ſenſitiuam vim in animo remanere docui-

Gen. 3.

Iob 19.

C mus; tametſi ipſa vegetatio ac ſenſatio defluerent. Et in poſterum fuſiùs etiã explicabimus.

AT grauiſſima ſimúlque admiranda ſunt, quæ de animæ beatitudine, naturæ tantùm, vt creditur, fretus auxilio ſcribit, quæ fidem æmulari videntur. Animam ſiquidem ſeptem illis vitiorum zonis ſuperatis, ſub quibus vniuerſa vitiorum acies, velut ſub ducibus militat, ceu triumphantem ac laureatam ad aſtra tectà euolare dicit; poſtquam à corporis har-

D monia, ac compoſitione libera, ſuæ naturæ relinquitur: id enim vbique diuinæ prædicant Scripturæ, quæ piorum ac iuſtorum animas, poſt mortem ad Deum conſcendere, ac laborum palmas geſtare, quibus tandem in cœlo coronandæ ſunt, tradunt.

QVID verò illic triumphantes ac coronatæ animæ agant; quid fœlicitatis naniſcantur, Chriſtiana potiùs, quàm Philoſophica ſapientia declarat. *Vna* (inquit) *cum iis, qui*

illic

illic ſunt; cum Angelis ſcilicet, cum Archangelis, ac beatis illis ſpiritibus cœlorum incolis. Patrem laudant, filium confitentur, Spiritum ſanctum adorant: ea enim beatarum illarum mẽtium laus eſt, quam explicat Eſa. 6. cùm cœleſtes illos Seraphim ita clamantes

Eſa. 6. audiuit, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* Hæc triumphantium animarum vox eſt, qua beata illa lætitia affecti, perpetuò Deum laudant. At quid ampliùs Dauid Spiritu ſancto afflatus de animarum beatitudine

Pſal. 83. explicauit, quàm hoc ipſum quod Pſ. 83. legitur? *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Sed non hîc Tri-

B megiſtus gradum animarum fœlicitati præfigit. *Ipſa quoque* (ait) *in poteſtatum ſe numerũ conferunt.* Angelorum, ſcilicet, ac poteſtatum cœtibus ſeſe immiſcent: ac poteſtatem à Deo in orbem accipiunt. An non id eſt, quod ait Io.

Apoc. 2. Apoc. c. 2. *Qui vicerit, & cuſtodierit vſque in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget eas in virga ferrea*, &c. Inſuper addit Mercurius, animas hac poteſtate donatas Deo frui: in quo ſumma animarum beatitudo ſita eſt: Deo enim frui eſt ſummum bonum, ſupremámque beatitudinẽ in ſeipſo poſſidere.

C Tandem eò hoc ſummum bonum, ac ſupremam animarum fœlicitatem tendere, ac in eo conſummari declarat; vt animus in Deum tranſeat, ac quodammodo deificetur, quod ex perfectę charitatis, & fruitionis vinculo illi cõtingit, quo Deo in cœlo cõiungitur. Quod

2. Cor. 3. poſt Mercurium Paulus 2. Cor. 3. fuſiùs explicauit, cùm ait: *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem, tamquam à Domini ſpiritu.* Hæc admirabilis planè Trimegiſtus ibi de animorũ beatitudine ſentit.

Nec minùs ſanè præclara, ac religioſa ſunt,

Mercurius in Aſclepio cap. 6. quæ in Aſclepio cap. 6. de eadem futura animæ fœlicitate commemorat his verbis. *Deum piè colendo, dignè & competenter, intróque Dei voluntati parentem; talem quo munere credis eſſe munerandum (ſiquidem cùm Dei opera ſit mundus, eiúſque pulchritudinem qui diligentia ſeruat, atque auget, operámque ſuam cum Dei voluntate coniungit, cum ſpecie, quam ille intentione diuina firmauit: adminiculo ſui corporis, diuina opere, curáque componit) niſi eo quo parentes noſtri munerati ſunt? quo etiam nos quoque munerari, ſi fuerit diuinæ pietati complacitũ, optamus piſſimis votis: vt emeritos, atque exutos humana cuſtodia, nexibus mortalibus abſolutos, natura ſuperiores partis, id eſt, diuina, puros ſanctáſque reſtituat.* Aſclep. *Iuſtè, & verè dicis* (ô *Trimegiſte*) *hæc enim merces piè ſub Deo, diligenter cùm mundo viuentibus: ſecus enim impiéque qui vixerint, & reditus denegatur in cœlum*, &c. En quàm apertè ac præclarè antiquiſſimus Philoſophus de æterna animarum fœlicitate diſſerit.

Pythagoras. Qvem non longè ſequutus eſt Pytha-

A goras, qui (teſte Iamblico) piarum animarum ex hac vita decedentium beatum ſtatum his verſibus celebrat:

Optima mens animi fac vt moderetur habenas,
Tum corpus linquens, tranabis ad æthera apertũ:
Immortalis eris Deus, ampliùs non mortalis.

Quibus ſummam animorum beatitudinem vt prior Trimegiſtus, ac omnis noſtra Theologorũ ſchola in beatifica illa animæ in Deũ transformatione collocat: neque enim exiſtimandum eſt Pythagoram, Trimegiſtum ac antiquiores illos Philoſophos, qui vnũ duntaxat Deũ aſſerebãt, Gentilitio errori de deo-

B rum pluralitate fauere voluiſſe, vt animas in Deorum numerum aſciri arbitrarẽtur: ſed ea priori ſenſu accipienda ſunt; vt de glorię, non naturæ deificatione exponantur. Quo ſenſũ etiam ipſe antiquiſſimus Hierocles ait: *Finem* Hierocles. *humanæ vitæ eſſe Deum facere ex homine*: quod tamen ita moderatur, *Vſquequò* (inquit) *fas eſt hominem fieri Deum*: quod fieri fas eſt, vel ex gratia transformationis, quæ ex perfecta Dei charitate oritur, vt Theologi exponunt, de qua Dauid Pſalmo 81. *Ego dixi dij eſtis*: vel ex Dei ſimilitudine, vt Philoſophis placet.

Neqve hæc adeò antiqua veritas Græ-

C corum ſapientiſſimũ ab Apolline iudicatum Socratem latuit: qui non ſolùm futuram poſt Socrates. mortem animorum beatitudinem docuit, ſed qui ad eam profecturi ſint, & qua via ea ſit adipiſcenda, expoſuit. *Nefas eſt* (inquit) *ad gentem diuinam aſpirare cuiquam, qui philoſophatus non fuerit, purúſque ex hac vita prorſus nõ abierit.* Hæc Socrates, qui eam veram eſſe Philoſophiam tantùm exiſtimabat, quæ ab omnibus prauis cupiditatibus animũ temperaret. Eapropter eos, qui ad diuinã illam cœlicolarum gentem properarent, huic primum Philoſophiæ operã nauare, atque in primis animi pu-

D ritati incumbere: & tandem, quod ait Paulus noſter, iuſtè, piè, ac ſobriè viuere in hoc ſæcu- Ad Tit. 2. lo volebat, expectantes futuræ beatitudinis ſpẽ. Quapropter hac ſe ſpe ita ſolabatur, vt & pręſentis vitæ iacturã parui penderet, & futurã corporis mortẽ nullatenus formidaret. *Dura* (inquit) *mors mihi videretur, niſi putarem me profecturum primùm ad Deos alios ſapientes, ac bonos: tum ad homines qui exceſſerunt è vita, longè his, qui nunc in terra morantur, meliores.*

Neqve prætermittenda ſunt Heſiodi, Pindarus. Heſiodus. Pindari, & aliorum vetuſtiſſimorum Poetarum ac Philoſophorum, qui Pythagoram ac

E Socratẽ præceſſerunt, teſtimonia: qui probos viros excedentes è vita maximos honores conſequi, fieríque Dæmones affirmabãt: quo nomine (teſte Platone in Cratylo) illos appel- Plat. in Cratylo. labant, qui ob vitæ probitatem ad ſuperos euecti humani generis cuſtodes efficiebãtur.

Hesiodo verò conſenſerunt Orpheus, Orpheus. Muſæus. Linus. Muſæus, Linus, & quotquot prioribus illis ſæculis carmine Philoſophiam texuerunt. Ex

quo iam colligere licet, antiquiſſimos quoſque Philoſophos communem, certámque de futura bonorum beatitudine ſententiam protuliſſe.

CÆTERVM Plato hanc à maioribus hauſtam diſciplinã vberrimè multis in locis proſequitur: *Plato lib. 10. de legib.* nam in primis lib. 10. de legibus piis animis fœlicem è corporibus tranſmigrationem in excellentiorem locum, ac meliorem vitam pollicetur. *Cùm* (inquit) *anima ſe virtute quadam diuina exornauerit, etiam locum excellentem, ſanctum commutabit delata in meliora regna.* Præclaras verò huius loci conditiones explicat in Axiocho. *Plato in Axiocho.* *Anima* (inquit) *à corpore ſoluta vadit, vbi nullus labor, nulla afflictiones, nulli gemitus, nulla ſenectus; ſed tranquilla quadam, & malorum exors vita, qua inconcuſſa quiete peragitur, & naturam contemplatur, & philoſophatur: non ad turbam, & theatrum; ſed ad florentem vndique veritatem.* Hæc Plato: à quibus haud diſſentiunt, quæ Ioannes de Beatorum ſtatu Apoc. 21. commemorat, *Apoc. 21.* cùm ait. *Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà.*

PORRO quibus ibi bonis ac voluptatibus fruantur, *Plato 10. de legib.* declarat 10. lib. de legib. quæ adeò magna ac ineffabilia eſſe dicit, vt omnium bonorum ac voluptatum cumulum, quibus in hac vita probi affici poſſunt, longè antecellant: nam plurimis iis enumeratis bonis quæ præclari homines hic conſequi poſſunt: protinus addit. *Hac nihil multitudine ac magnitudine ſunt pra iis, qua manet pios cùm exceſſerint:* ita vt Iſaiam potiùs ac Paulum quàm Philoſophũ imitatus eſſe videatur; qui Beatorum gloriam cunctis inexplicabilem prædicant. *Iſa. 64.* *Oculus* (ait Iſa.) *non vidit abſque te, qua praparaſti timentibus te.* *1. Cor. 2.* Tum Paulus. *Neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis aſcendit, qua praparauit Deus diligentibus ſe.*

CÆTERVM quàm fœlix animus euadat, qui purus è corpore migrat, & quibus liberetur malis in Phædone explicat his verbis. *Plat. in Phædone.* *Si quidem pura anima diſceſſerit, corporeum nihil ſecum trahens, vtpote qua nihil cum illo in vita lubens communicauerit; ſed fugerit illud, ſéque in ſe collegerit, tanquam ſemper id meditata; quod quidem nihil eſt aliud, quàm rectè philoſophari; mortémque reuera facilè meditari: an non hac eſt meditatio mortis? Eſt omnino. Anima igitur ſic affecta nónne ad ſibi ſimile diuinum abit; diuinum, & immortale, & ſapiens? quò cùm peruenerit, euadit fœlix, ab errore, ignorantia, timoribus, feriſque amoribus, cæteriſque humanis liberata malis: & quemadmodum de initiatis dici ſolet, reuera reliquum tempus vitam cum diis agit.* Vides quàm piè, ac religiosè Plato de neceſſario proprij corporis odio, quo ad beatam ac

A æternam vitam via ſternitur, cum Saluatore ſenſerit, qui apud Io. 12. ait, *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* *Io. 12.* Vides perfecti hominis vitam, qua ad cœlum pergitur, eſſe meditationem mortis, quod etiam probat Eccleſ. 7. cùm eam ſemper memorandam docet, *Eccleſiaſt. 7.* *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Vides tandem ornatam his virtutibus animam, mortalibus hiſce erroris ac ignorantiæ maculis deterſis, ab omni tum metu, tum perturbatione, ac demum cunctis huius vitæ malis liberam, diuinam ac beatam cum cœlicolis vitam degere.

B AT planè admiratione digna ſunt, quæ in beata illa patria beatorum deſcribenda is in Phædone commemorat: ita vt à D. Ioanne cœleſtem illam Hieruſalem metaphoricè depingente vix dignoſci queat. Ibi enim (vt plura paucis perſtringam) orbem illum cœleſtem, quem Beati incolunt; ingentem ac variis coloribus nobis depictum proponit, quorum tanta præſtantia eſt, vt hi noſtri colores vix illorum ſimilitudinem retineãt. Hinc rubere purpureum; illinc niueum ſplendidúmque cãdere; atque aliis pleriſque ac propè innumeris, nitidiſſimiſq; adeò mirificè exornari C recenſet; vt nihil vnquam tale apud nos aut formari, aut excogitari poſſit. Ibi autẽ & ſmaragdos, & iaſpides, & ſardios, & pyropos: tum omnis generis lapillos, qui apud nos in pretio habentur, ita vndique affluere, vt ex iis compacti mõtes perſpicui vndique exurgant, ſternantur viæ, conſtruãtur ædificia; denique cuncta hiſce lapillis, ac multò pulchrioribus etiam rebus effulgeant. Atque has gemmas noſtris hiſce terreſtribus, multò puriores ac excellẽtiores eſſe ait: cùm noſtrates putredine plerumque, ac ſalſugine attritæ, atque corruptæ appareãt; illæ integræ ac incorruptæ per- D petuò maneant. Cuncta verò auro fulgere, tẽpla, ædificia, plateas aureis vndique ſplendoribus corruſcare. Arbores præterea tanto loco dignas, floribus, ac fructibus ſemper onuſtas naſci. Illius autem beatæ Regionis incolas, Solem, Lunam, ſydera ſub pedibus intueri, ac vitam demum bonis omnibus affluentem ac fœliciſſimam agere ſcribit. Hæc, & alia multa Plato non fabulosè, vt aliquibus videri ſolet, ſed metaphoricè de Beatorum ſtatu commemorat: quo etiã modo D. Ioan- *Apoc. 21.* E nes cœleſtem illam Hieruſalem deſcripſit auro, gemmis vndique illuſtratam; vt ex iis rudes homines agnoſcerent, maiora ibi, atque ampliora quàm hîc eſſe repoſita bona; cùm ea omnia apud Beatos vileſcere audiant, quæ apud nos maximo in pretio haberi ſolent.

PORRO hanc Platonicorum omnium ac Pythagoreorum conſtantiſſimam fuiſſe ſententiam teſtatur Iamblicus, qui Pythagoreorum ac Platonicorũ dogmata accuratè proſequutus eſt; *Iamblicus de fine bonorum differens.* & ab iis hauſtam ſententiam his

verbis

verbis explicat, cùm de fine bonorum diſſerit. *Mors* (inquit) *non modò non eſt extimeſcenda pio, ſed multò magis etiam optanda. Aut enim pereunte anima cum corpore, fit omnium malorum reſolutio; aut ea remanente poſt diceſſum reſoluto corpore continget vita beatior: ſed quoniam eſt hoc poſtremum. Claret enim animam eſſe immortalẽ, certè nulla eſt alia via certa ſalutis, quàm vt optimam prudentiſſimámque vitam agamus. Nihil enim fert ſecum anima tendens ad alteram vitam, quàm probitatem vel improbitatem; qua plurimùm prodeſſe, aut obeſſe defuncto noſcuntur. Atque anima quidem melior cum Deo habitat, per cœli regiones beatas inuecta.* B Hæc Iamblicus tum ex Pythagoreis, tum ex Platonicis decerpta religioſè protulit; quæ ſanè Chriſtianam potiùs fidem, ac Religionem, quàm Ægyptiã redolẽt. Neque enim Chriſtiana Religio aliud magis fidelibus inculcat, quàm vt per bona opera atque inculpatam vitam æternam ſibi ſalutem compareni: idq; fide ſibi certiſſimum perſuadeãt, ea tantũmodò animam ſecum laturam, quæ hîc vel bona, vel mala corpori cõiuncta geſſerit.

VERVM quæ Plotinus de animorum beatitudine ſcribit, quos ea ratione beatos eſſe exiſtimat, quòd Deo coniunctiſſimi, ac C velut concentrici, in diuinam vnitatem tranſeant; adeò Euangelicam doctrinam attingunt, vt ea ex D. Ioan. c. 17. decerpſiſſe videatur, qui ſummam beatitudinis perfectionẽ in diuina hac vnitate collocat. *Vt omnes* (inquit) *vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te; & ipſi in nobis vnum ſint.* Ita Plotinus Enn. 6. lib. 9. c. 10. *Anima* (inquit) *cur in Deo non permanet? quia nondum hinc emigrauit omnino: erit cùm dabitur continuitas intuendi: cùm corpus nullo modo intuitum perturbabit: nam qui videt ſeipſum, fit ipſo viſus, ſi licet hæc duo quædam eſſe putandum videas, & viſum: neque vtraque vnum; tametſi ſermo hic videtur audentior: tunc nec propriè videt, nec* D *videns diſcernit, nec duo quædam imaginatur: ſed animus tunc tanquam alius effectus, euadit vnum, tanquam centrum cum centro coniungens.*

Ioan. 17.

Plotin. Enn. 6. lib. 9. c. 10.

CVM igitur exploratum ſit, Platonicos omnes, & qui Platonem præceſſerunt, Philoſophos vniuerſos in hoc dogmate de futura animorum fœlicitate conſpiraſſe. Nunc ad Ariſtotelem & Peripateticos venio; qui quò magis in præſenti hominis fœlicitate inquirenda, qua in hac vita frui poteſt, ſtudij inſumpſerunt; eò minùs de ea quæ poſt hanc vitam futura eſt, aut ſaltem obſcuriùs, E egerunt.

VERVM cùm Ariſtoteles non ſemel animarum immortalitatem (vt ſuperiùs demonſtratum fuit) profeſſus fuerit, animúmque à corpore ſeparatum exiſtere tradiderit, haud ſanè credendum eſt, eum nullum illis locum reliquiſſe, vt eò poſt corporis funera, recipiantur: ac perpetuò incolumes maneant. Cùm enim nihil ſit, quod alicubi non exiſtat:

A planè fruſtra animi immortales ab Ariſtotele dicerentur, ſi nullus illis poſt diſceſſum locus ſupereſſet. Neque adhuc immortalitatis animæ aſſertoribus, locum ſeiunctis animis aſſignaſſe ſat eſt, niſi eos in ea aut præmij, aut ſupplicij ſede collocent, quam viuentes in corpore animi ſibi ex priori vita vitiis, aut virtutibus imbuta compararunt: id enim & recta ratio, & diuina rebus indita prouidentia efflagitant. Vtrumque verò ſenſiſſe Ariſtotelem, & animis locum poſt diſceſſum relinqui, & piis præmia poſt vitam ſeruari, id potiſſimùm probat: quòd is Religionem, B pietatem, ac cæteras virtutes, quibus homines ad Dei cultum feruntur, non ſolùm plurimi facit, atque iis ornatos tanquam Deo ſimillimos, ac gratiſſimos commendat: ſed (quod maximè perpendendum eſt) eos à Deo remunerandos affirmat lib. 10. de Repub. cuius hæc ſunt verba. *Qui verò ſecundùm mentem operatur, eámque excolit optimè affectus, hunc diis gratiſſimum eſſe par eſt: nam ſi qua cura eſt rerum humanarum diis, vt videtur, vtique probabile fit, eos delectari re optima, ſibíque maximè propinqua. Eſt autem id mens. Qui verò hanc ipſam mentem diligunt, & ornant remunerari; C ceu qui curent, quæ ſibi grata ſint.* Hæc Ariſtoteles, qui tametſi hanc probis remunerationem poſt mortem futuram eſſe non dicat; id tamen omnibus iudicandum relinquit; cùm ea piis, qui toto vitæ curriculo menti excolendæ operam nauant, ante vitæ occaſum obtingere nequeat.

Ariſt. lib. 10. de Repub.

NAM ſi nulla poſt mortem piis hominibus remuneratio ſupereſſet, nulla beatitudo, nulla fœlicitas; quibus debitum virtuti præmium redderetur: quid virtutibus tam ſollicitè incumbendum eſſe diceret? quænam ſpes iis reliqua eſſet, qui omne ſtudium D operámque in excolenda mente conſumunt? Si Deus pios, ac cultores ſuos negligeret, ac nulla ſui cauſa perpeſſorum laborum habita ratione irremuneratos poſt mortẽ relinqueret; quid homines vltra Deum colerent? quid Religionis ſtudio vacarent? Optimè quidem Tullius: *Sin autem* (inquit) *dij, neque poſſunt nos iuuare, nec volunt, nec curant omnino: nec quid agamus, animaduertunt: nec eſt quod ab his ad hominum vitam permanare poſſit; quid eſt quòd vllos diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? In ſpecie autem ficta ſimulationes, ſicut reliquæ virtutes; ita pietas ineſſe non poteſt: cum* E *qua ſimul & ſanctitatem & Religionem tolli neceſſe eſt.* Quamobrem cùm Ariſtoteles Religionem, pietatem, ac reliquas virtutes, quæ humanum animum perfectum reddũt, ſummopere commendet; & iis exornatos à Deo aliquándo remunerandos fore doceat: ſanè exploratum eſt, immortalem animum ex Ariſtotelis ſententia ea ſibi præmia poſt corporis mortem vendicare.

Tull. lib. 1. de nat. Deo.

Qvod etiam non obſcutè confirmat in 1. Moral. Nicomach. cap. 11. vbi affirmat; cùm vir fœlix diem vltimum obierit; ea quæ poſteris, & amicis eius accidunt, ſi magna fuerint, valere vel illuſtriorem, vel obſcuriorem reddere fœlicitatem defuncti. Quod ſi ita eſt, igitur defunctis fœlicitas ſupereſt, qua fruantur: neque enim vel augeri, vel lædi poſſet defuncti fœlicitas; ſi ea omnino non eſſet. Eſt igitur ex Ariſtotelis ſententia, piis animis poſt hanc vitam fœlicitas: quem Peripateticos omnes deinde ſequutos fuiſſe manifeſtum eſt, qui cum Ariſtotele de animorum immortalitate rectè ſenſerunt.

1. Moral. Nicomach. cap. 11.

At Plutarchum quid de hac re ſenſerit, audiamus. Is quidem primùm priſcorum omnium Poëtarum, ac Philoſophorum communem ac conſtantem ſententiam fuiſſe refert: vt pios quoſlibet, qui ex hac vita deceſſiſſent, ſummis honoribus affectos crederent. Tum propriam ſententiam declarans in commentario. *De iis qui ſerò à numine puniuntur.* Ibi poſtquam longa oratione animas poſt corpus ſuperſtites, ac immortales, permanere perſuaſit; tandem optima ratione demonſtrat probis, improbíſque poſt mortem parata eſſe aut præmia, aut ſupplicia. *Vna igitur aiebam* (inquit) *eadémque ratione, & prouidentia Dei, & animæ humanæ permanſio ſtabilitur, neque poteſt relinqui altero ſublato alterum. Ergo animæ poſt mortem extanti magis probabile eſt, vel præmia vel pœnas reddi: vitam enim quaſi certamen quoddam obit, & certamine peracto conſequitur, quod meruit.* Hac ſanè, quam hîc affert Plutarchus de Dei prouidentia, nulla melior ratio afferri poteſt: nam cùm ad Dei prouidentiam pertineat res optimè diſponere, ac gubernare; probos ac iuſtos pleroſque eſſe conſtat, qui cùm morum probitati ſeduli incumbant, vitam tamen inter anguſtias, ac ærumnas degant; & frequenter inglorium vitæ finem ſortiantur. Contrà verò improbos multos, qui extremum ſpiritum inter voluptates effundant. His niſi animorum immortalitas ſupereſſet, aopræmia ac ſupplicia poſt mortem decernerentur; nimis præpoſterè ac inordinatè cum illis ageretur, nec vlla rebus prouidentia videretur ineſſe. Quapropter rectè concludit: *Quòd ſi ea luctatoribus ſpes eſt, vt qui fortiter ſeſe in certamine geſſerit, victoriæ præmium aquirat, ea profectò piis animis ſpes eſſe debet, vt quæ hîc in edomandis vitiis corporis damna ac labores paſſi ſunt, præmiis poſt obitum reſarciantur.*

Plutarch. in commen. De iis qui ſerò à numine puniuntur.

Hac enim ſpe probos mirum in modum in laboribus ſolari alibi tradit idem Plutarchus in commentario, *Non poſſe ſuauiter viui ſecundum Epicureos*, vbi ita ſcribit. *Quid cenſetis de bonorum expectatione, qui cùm vixerint piè & iuſtè, nihil poſt mortem mali, ſed bona pulcherrima, & diuiniſſima ſibi pollicentur? Primò omnium*

Plut. in commen Nō poſſe ſua viui ſec. Epic.

A *ſicut Athletæ non niſi peracto certamine, & parta victoria coronantur: ſic illi victoria vincendo impetrata præmia bonis poſt vitam dare iudicantes, mirum dictu eſt, quantùm huius ſpei gratia ſibi de virtute plaudunt.* En Plutarchum eiſdem ferè verbis vtentem, quibus & Paulus vſus eſt, ad futura bonorum præmia poſt mortem declaranda 2. ad Timot. 2. vbi ait: *Nam & qui certat in agone, non coronatur, niſi legitimè certauerit.*

Alio quoque argumento ad hoc ipſum confirmandum ibidem vtitur Plutarchus ex ipſa animi inexplebili capacitate petito. *Deinde* B (ait) *nemo vnquam eorum qui veritatis indagationi ac contemplationi fuêre dediti, cupiditatem ſuam in hac vita explent, per corpus tanquam caliginem, aut nubem humida ac perturbata vſus ratione. Sed auis inſtar ſurſum ſpectant, vtpote euolaturi hoc ex corpore, in magnum aliquem ſplendidúmque locum; animúmque à rebus caducis liberatum, facilem, expeditúmque reddunt, philoſophando vtentes pro mortis meditatione: adeò ingens aliquod & verè perfectum bonum exiſtimant eſſe mortem; quòd ab ea veram vitam ſit adepturus animus, qui hîc non rebus ipſis, ſed tanquam ſomniis rerum addicitur.*

C Qvid veræ Religioni cōmodius ab Ethnico Philoſopho explicari potuit: quàm cùm animum ab omnibus hiſce mundanis rebus ieiunum, auis inſtar ad ampliora bona extolli; ac iis cupiditate hærere pronunciat? hoc nimirum eſt quod ſacer ille Dauidis animus ſibi ipſi optabat cùm diceret. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?*

Pſal. 54.

Postremo in eo commentario qui *De facie in orbe Lunæ* inſcribitur. Beatarum animarum ſtatum ita deſcribit. *Quæ autem ſurſum euaſerunt, ac firmiter ſunt collocatæ: primùm* D *vt ſolemni certamine victores coronantur pennis, quæ conſtantiæ dicuntur, quia animæ vim brutam, & motibus vagis obnoxiam in vita rationi obſequentem, compoſitámque habuerint. Deinde viſus eorum radius eſt ſimilis. Circa animam autem ſurſum ſubleuatam, ſicut hic, quod circa Lunam eſt æthere, & ab eo vim quandam, robúrque vt ferrum candens aqua immerſum: quod enim rarum adhuc eſt & diffuſum, roboratur, fitq́; ſtabile, & pellucidum: ita vt à quauis exhalatione nutriatur.* Hæc Plutarchus: qui etſi multa de orbe Lunæ fabuletur, vbi animas reponi, ac in eo commorari vult, pleraque E tamen fidei conſentanea docet de animarum futura beatitudine.

Plut. in commen. De facie in orbe Lunæ.

Sed iam Tullium diſertè de animarum fœlicitate diſſerentem lubet audire, qui Tuſcul. quæſt. 1. lib. *Nunquam* (ait) *maiores illi noſtri ceremonias ſepulchrorum tanta cura coluiſſent, nec violatas tam expiabili religione ſanxiſſent: niſi hæſiſſet in eorum mentibus, mortem non interitum eſſe omnia tollentem, atque delentem:*

Tull. Tuſcul. quæſt. lib. 1.

ſed

Digitized by Google

ſed quandam quaſi migrationem commutationemq́ vitæ, quæ in claris viris ac fœminis dux in cælum ſolerei eſſe. Hæc præclara Tullij ratio eò efficaciorem perſuadendi vim ſibi comparat, quò magis antiquam pietatem, quæ omnium ſæculorum conſenſu probata fuit, quámque nemo inficiari poteſt, reſtem ſibi vendicat. Natura enim id pietatis ac officij in homine indidit, vt non modò familiarium aut domeſticorum; verùm etiam illorum, qui nobis ignoti ſunt, funera religioſè curemus, ſepulchra colamus, ſarcophagos exornemus. At quorſum id, ſi nulla defunctis vita ſupereſſet, ſi mors vniuerſa raperet, ac deleret? Hac enim ratione brutorum corpora per agros diſperſa, aut feris expoſita nulla religione deſpiciuntur: cùm nihil in iis immortale ſit, quod poſt corpus coli debeat. Immortales igitur animos cùm defunctis ineſſe credamus; eóſque beatiorem ac diuiniorem nunc, quàm cùm viuerent, vitam agere ſuſpicemur: tum maximè id naturæ velut voce nobis perſuaſum eſt, cùm defunctorum funera religione proſequimur.

At quid Seneca noſter? planè ita ſuauiter, ita abundè, ita piè de animorum beatitudine ſentit, vt Chriſtianæ potiùs fidei ac veritatis, quàm Philoſophiæ ſectator videatur. Is enim in lib. de breuit. vitæ piorum mortem non deflendam, eo quòd ad meliora tranſierint, ſed potiùs deſiderio proſequendam docet. Ita enim ſcribit. *Ne inuideris fratri tuo, quieſcit tandem liber, tandem tutus, tandem æternus eſt. Fruitur nunc aperto ac libero cælo; ex humili atque depreſſo in eum emicuit locum, quiſquis ille eſt, qui ſolutas vinculis animas beato recipit ſinu: & nunc liberè vagatur, omniáque rerum natura bona cum ſumma voluptate recipit.* Vides animos corpore decedẽtes perfecta (ſi pij ſint) beatitudine potiri: qui ſtatus eſt omnium bonorum aggregatione perfectus, vt Boëtius docet.

Seneca lib. de breuitate vita.

Boëtius.

At in lib. de conſolat. quid de animis proborum è vita migrantibus, ſentiendum ſit, quæ illorum via, quis ſtatus ſit, quæve fœlicitas eos maneat, declarat, cùm ait. *Faciliùs ad ſuperos iter eſt animis ab hac conuerſatione dimiſſis. Minùs enim fæcis ponderiſque traxerunt, antequam obducerẽtur, & altiùs terrena conciperent, leniores ad originem ſuam reuolant: & faciliùs, quicquid eſt illud, abſolutè transfluunt.*

Senec. de conſol.

Qvid fidei conuenientius dici potuit, quàm eos liberiùs animos ad cœlum conſcendere, qui omni culparum labe deterſa, ac rerum terrenarum cura expediti mentem ad cœleſtia tranſtuliſſent?

Tandem Epiſt. 102. adeò diſtinctè, dilucidè, ac copioſè patriæ illius cœleſtis, quæ beatorum ſedes eſt, fœlicitates deſcribit; vt vix aliud quippiam deſiderandum videatur. *Dies iſte*, ait, *quem tanquam ſupremum reformidas, æterni natalis eſt. Quid iſta ſic diligis quaſi tua? veniet, qui te reuelet dies: & ex commercio fœdi atque olidi ventris educat. Aliquando naturæ tibi arcana retegentur: diſcutietur iſta caligo, & lux vndíque clara percutiet. Nulla ſerenum vmbra turbabit. Aequaliter ſplendebit omne cæli latus. Dies & nox aëris infimi vices ſunt. Tunc in tenebris vixiſſe dices, cùm totam lucem & totus aſpexeris, quam nunc per anguſtiſſimas oculorum vias obſcurè intueris, & tamen admiraris illam procul. Quid tibi videtur diuina lux, cùm illam ſuo loco videris? Hæc cogitatio nihil ſordidum animo ſubſiſtere ſinit, nihil humile, nihil crudele.*

Sen. Ep. 102.

En Philoſophum ſolo (vt creditur) naturæ lumine imbutum, ſeſe (vt videtur) ſupra omne mortalium rerum curſum quaſi erigentem, & præclarè beatarum animarum ſtatum deſcribentem.

Postremò ne quid totius antiquitatis conſenſui deſit, quo hæc de animorum beatitudine veritas Atheiſtis perſpicua fiat. Huc Poëtarum teſtimonia etiam vocare lubet, qui tametſi cuncta penè fabulis inuoluerint, hanc tamen veritatem velut naturæ ipſius vocem conſtantiſſimè aſſeruerunt; licèt in ea aſſerenda Poëtarum licentia, qua pleraque fabuloſa miſcent, interdum vti ſoleant.

Nam ipſe imprimis Homerus antiquiſſimus Elyſium campum fingit, fortunatis nemoribus conſitum, ac cunctis voluptatum generibus refertum, vbi eorum animas qui honeſtè vixiſſent, ac præclara in corpore geſſiſſent, collocari, ac perpetuò iis voluptatibus frui cecinit hoc carmine.

Elyſium in campum mittent, extremáque terræ
Te ſuperi magni ſedem fortis Rhadamanti,
Illo vita loco facilè traducitur æuo.
Non ibi tempeſtas, non nix, aut frigus, & imber,
Sed Zephyri blandè ſpirant, auráſque ſalubres.

Homerus.

Quem poſteà imitatus Virgilius, hunc eundem Elyſium beatorum ſedem, vt prior Homerus eſſe affirmat his verſibus.

Fortunatorum nemorum, ſedéſque beatas.
Largior hîc campos æther, & lumine veſtit
Purpureo, Solémque ſuum, ſua ſydera norunt.
Hîc manus ob patriam pugnando vulnera paſſi,
Quíque Sacerdotes caſti, dum vita manebat.
Inuentas aut qui vitam excoluêre per artes,
Quíque ſui memores alios fecêre merendo.

Virgilius.

At Pindarus Homero vetuſtior, iis rebus quæ ſenſus oblectare videntur, iuſtorum beatitudinẽ deſcribit; vt faciliùs his quæ ſenſibus manifeſta ſunt, ſimpliciorum animos erudiat. Is ergo (Plutarcho teſte in conſolat. ad Appollon.) animorum beatitudinem his verſibus canit è Græco tranſlatis.

His nitor ingens Solis noctem diſſipat atram,
Eorum ſuburbana prata ſunt virentia;
Fructibus aureis, & thure prægrauantur arbores,
Partim equis, & palæſtra, partim ludunt calculis:

Pindarus.

Partim oblectantur & teſtudine;
Eis ſemper odorata vireſcit fælicitas:
Odor gratus, & amatus tota terra ſpargitur,
Super altaribus Diuûm redolet omnis ſuauitas.

Hæc Pindarus: cuius haud reddidi numeros, niſi è verbo à Græco tranſlatos. His etiam Lucanus poëta ſubſcribit, tametſi à prioribus de loco, ac domicilio beatorum diſſentiat; quod inter terræ, ac Lunæ meatus inſtat Plutarchi collocat. Nam dum locum deſcribit, quem Pompeij anima poſt obitum petiit; ita inquit.

Lucanus.

——— Sequitur conuexa tonantis,
Qua niger aſtrigeris coniungitur axibus aër:
Quódque patet terras inter, Lunæq; meatus
Semidei manes habitant, quos ignea virtus
Innocuos vita patientes ætheris imi
Fecit, & æternos animam collegit in ignes:
Non illic auro poſiti, nec thure ſepulti
Perueniunt. Illic poſtquam ſe lumine vero
Impleuit, ſtelláſque vagas miratur, & aſtra
Fixa polis, vidit quanta ſub nocte iaceret
Noſtra dies, riſítque ſui ludibria trunci.

Postremò ſi quis vniuerſæ philoſophiæ campos perluſtret, ac Philoſophorum omnium, qui aliquod ſibi inter Philoſophos nomen compararunt, ſententias euoluat; in hanc omnes ſententiam, velut in publicam naturæ vocem conceſſiſſe intelliget, debita iuſtis poſt mortem præmia ſupereſſe.

Proponuntur, ac refelluntur variæ Philoſophorum opiniones de animorum beatitudine.

Articvlvs II.

Iam hactenus ex Philoſophorum ſententia, ac totius Orbis conſenſu traditam a Maioribus de futura animorum beatitudine famam, in omnium mortalium mentes diſſeminatam accepimus: nunc quæ vera beatitudo cenſenda ſit, & qua ratione ea à falſa dignoſci queat, altiùs inueſtigandum. Tanta enim res eſt vera beatitudo, vt ea optimè conſtituta, optimè etiam vniuerſa diſpoſita ſint: nam in cæteris quidem rebus, ſi quippiam ignorari contingat, non plus incommodi affert, quàm quæque earum rerum eſt, in quibus aliquid ignoratur. At ſi ſummum bonum, ad quod vniuerſæ animi, ac corporis actiones ſpectare debent, ignoretur: ipſam quoque viuendi rationem, ac ſupremum hominis finem, ad quem is conditus eſt: demum beatam vitam ignorari neceſſe eſt, quæ in adeptione ſummi boni tota poſita eſt: vnde tot malorum ſeges erumpit, vt nullum prætetea ſit, quod homini bonum eſſe poſſit.

Porrò ſi rem ad Philoſophorum ſententias examinandam ducimus: inuoluta omnino, ac obſcura illius cognitio nobis ſeſe offert: nam ij ita diſſitis opinionibus in aſſignanda hominis beatitudine inter ſe pugnant, vt D. Auguſt. lib. 19. de Ciuit. Dei c. 1. octo ſupra ducentas, & octoginta de hominis fine, à Marc. Varrone collectas opiniones meminerit. Sex item à Plotino in libro de beatitudine enumerãtur. Sed iis omiſſis, quid celebriores Philoſophorum ſectæ de hac re ſenſerint, tantùm explicare ſufficiat. Atque vt hæ opiniones faciliori ordine proponantur; id in primis ſtatuendum eſt, cunctas Philoſophorum ſectas, quæ de ſuprema hominis beatitudine aliquid definire viſæ ſunt; cùm eam velut ſupremum bonum ſibi amplectendum conſtituerent, illam in aliquo bono collocandam conſenſiſſe. Cùm verò tria apud Philoſophos bonorum genera reperiantur. Quædam enim ſunt fortunæ bona, quæ vtilia vocant, vtpote quę ad hominum commodum, ac vtilitatem conferunt; cuiuſmodi ſunt rei familiaris copia, honores, opes, dignitates, ac ſimilia. Alia ſunt corporis bona, quæ iucunda, ac delectabilia appellantur, vt putà valetudo, robur, venuſtas, pulchritudo, voluptas, quibus humanum corpus delectatione afficitur. Poſtrema ſunt bona animi, quæ honeſta dicuntur, quibus imbutus animus honeſta quæque appetit: hæc verò non priùs homo aſſequitur, quàm ſcientiis, ac virtutibus, tum præclaris animi actionibus mẽtem ornatam gerat.

D. Aug. lib. 19. de Ciuit. Dei cap. 1.

Hinc cunctas Philoſophorum ſententias, quæ in ſummo bono conſtituendo olim inter ſe diſcrepare viſæ ſunt, tribus claſſibus agnoſcimus contineri. Prima claſſis eſt corũ, qui ſummum bonum in fortunæ bonis collocarunt: cuius præcipui ſectatores fuêre Periander Corinthius & Lycophron; qui ſupremum hominis bonum in opibus ac dignitatibus reponendum ſenſerunt. Secunda claſſis eorum fuit, qui in corporis bonis ſummum bonum eſſe exiſtimabant: in hac permulti fuerunt: inter quos enumerantur Milo Crotonienſis, qui fortitudinem ſummum bonum eſſe ſenſit. Orpheus qui ſub Narciſſi fabula ſummum bonum in pulchritudine conſtituit. Epicurei, maximè verò Ariſtippus, Eudoxus Gnidius, & Cyrenaici, qui voluptates ſibi ſummũ bonum eſſe perſuadebant. Ex eis etiam plerique ſanitatem, ac valetudinem corporis pro ſummo bono vſurpabant: inde ille Deos precabatur, vt illi eſſet mens ſana in corpore ſano.

Porrò hæ duæ claſſes ignobiliores Philoſophos continent. Tertia verò claſſis nobiliſſimos Philoſophos auctores habuit, qui in ſolis animi bonis, ac honeſtiſſimis actionibus ſummam hominis fœlicitatem collocarunt. Hi tamen etſi in eo conſpirarent, quòd ſummam

mam hominis fœlicitatem in ſolo animi bono reponendam cenſebant; in eo tamen aſſignando plurimùm inter ſe diſcrepare viſi ſunt. Stoici enim ſummum bonum in virtutibus ſitum eſſe exiſtimarunt. Peripatetici verò non in virtute, ſed in proba actione ex virtute prodeunte ſummum bonum repoſuerunt. Plato ideam boni ſummum bonum eſſe cenſuit. Herillus, Calcedonius, & Socratici plerique in ſcientia, Bias Prienæus in ſapientia beatitudinis ſummam collocarunt: atque hi quidem tametſi propiùs ad veram beatitudinem acceſſerint, perfectæ tamen beatitudinis cognitionem aſſequi minimè potuerunt. Quapropter æquum eſt, vt ſingulorum opiniones, quæ à vera animorum beatitudine aberrant, ſuo ordine refellamus, vt tandem vera beatitudo conſtitui poſſit.

PRIMÆ ergo claſſis auctores, qui opibus ac diuitiis beatitudinis ſummam contulerunt: quàm longiſſimè à veta fœlicitate diſtare, hoc ipſo euincuntur, quòd beatitudo eſt finis hominis, qui per ſe appetitur; opes verò, ac diuitias quis per ſe experendas doceat, cùm ob vitæ commoda, ac voluptates tantummodò comparentur? Neque enim quiſquam magnam auri copiam, ac pecuniarum vim, magni æſtimandam arbitratur niſi eam ad ſuum vſum conferat. Planè certum eſt beatitudinem eſſe ſummum hominis bonū, quo adepto quieſcit. At quis adeptis vnquam diuitiis contentus fuit? Quis Tantaleam diuitiarum ſitim omni rerum ac opum affluentia vnquam aut ſedauit, aut extinxit? cùm Alexander ille Macedo deuictis Regibus, ac toto terrarum orbe ſuo imperio ſubacto, rerum ſumma poritus, ad ampliora adhuc regna, ac nouos orbes inexplebili cupiditatis ſiti inhiaret, de quo ſcitè Poëta.

AEſtuat in fœlix anguſto limitè mundi.

D. Bernardus. AT ſi D. Bernardo credere par eſt: quid eſt aurum niſi terra rubra? quid argentum niſi terra alba? quod ipſa metallorum natura docet, quæ cùm è terræ viſceribus oriantur, illius quoque particulæ quædam ſunt, ex ipſa terra genitæ, ac coalitæ. At quid terra ignobilius? Profectò ſi rem diligenter inueſtigamus, & æqua lance perpendimus, ſola hominum opinione (vt ait Bernardus) ac ſolo errore ex pretioſa exiſtimari iudicabimus.

AT quid miſerabilius, quàm in iis ſummam fœlicitatem collocare, quæ aut igne conſumi, aut à tineis corrumpi, aut hoſtium furore à nobis auferri poſſunt; quæ tandem inconſtantis fortunæ ludibrio ſubiecta miſerum potiùs ac infœlicem, quàm beatum, ſi quando iis expoliari accidat, hominem reddunt? *Nolite* (inquit Saluator) *theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur.* Matth. 6.

PLANE ſi in opum affluentia beatitudo repoſita eſſet ſi profectò fœliciores eſſent, qui in iis aquirendis diligentiùs laborarent: cùm tamen eò miſeriores ſint, quò magis earum curis excruciantur, ac dilacerantur. Demum quo pacto vera beatitudo, quæ duntaxat proborum hominum eſt, ab iis manare poteſt, quæ tam malis, quàm bonis communia ſunt: quibus etiam plerumq; improbi magis, quàm pij potiuntur? qua ratione ab iis rebus vera beatitudo petenda eſt, quæ ad vitia potiùs, quàm ad virtutes impellunt: quæ animum ſolicitudinibus angunt; timoribus agitant, curis ac cogitationibus perturbant, & à vera prorſus beatitudine auertunt? Hinc Plutarchus libello de ſuperſtitione, eos venenati erroris redarguit, qui ſummum bonum in diuitiis ponunt. *Opinatur aliquis* (ait) *diuitias ſummum eſſe bonum: hic error venenatus eſt, animam depaſcitur, abalienátque, dormire non patitur: identidem extimulat, de ſaxis præcipitat, ſtrangulat, libertatem adimit.* Plutarch. lib. de ſuperſtit.

NEQVE his ſapientiores ſunt, qui ſummam fœlicitatem in honoribus ac dignitatibus ſtatuunt. Ægra ſanè fœlicitas, ac omnium rerum indiga, quæ ab hominum exiſtimatione pendet; quam ſi fortè perire caſu aliquo contingat, protinus tota beatitudo ruit: etenim cùm fœlicitas ſummum bonum ſit, firmum illud & ſtabile eſſe oportet, vt ne eripi quidem poſſit: vnde rectè Boëtius. Boëtius.

Quid me fœlicem toties iactaſtis amici?
Qui cecidit, ſtabili non erat ille gradu.

QVAPROPTER politici homines, & ij qui ciuili adminiſtrationi incumbunt: dum honores, ac dignitatum faſtigia ſibi pro fœlicitate ſtatuunt, incertæ ſe prorſus beatitudini committunt: quid enim incertius, quàm quod incertis vulgi ſtudiis decernendum relinquitur? quod leuiſſimæ arundinis inſtar, quod modò ſummis honoribus celebrat, ſtatim acerbiſſimis odiis proſequitur? Sanè nihil hac beatitudine miſerabilius, quæ inuidorum vndique calumniis patet; quæ innumeras ſecum fert ſollicitudines, pœnas, timores, pericula, anguſtias: & quò altiùs homines extollit, eò grauioribus caſibus parat. Vnde Poëta;

Tolluntur, caſu quò grauiore ruant.

QVID, quæſo, hac beatitudine indignius, quæ indigniſſimis ſæpiſſimè impenditur, quę non meliores, ſed deteriores homines facit: quæ nullam animis tranquillitatem, ſed cogitationum pugnas, ac perturbationes perpetuas indicit?

QVID plura? ſi hæc vera beatitudo eſt, cur homines beatos, ac ſui dominos non efficit? quid eſt quòd quantò pluribus dominamur, tantò pluribus inſeruire cogimur? Quare ex ea plura ſubimus pericula, pluribus negotiis implicamur; plures nobis hoſtes acquirimus. Planè ibi nulla eſt animi quies, nihil tu

hil tutum, nihil pacatum: ſed omnia partim acres curarum ſtimuli, partim iacturæ metus, partim rerum caſus, partim emergentia pericula ſibi rapiunt. Nulla ibi beatitudo eſſe poteſt. Quamobrem ea non in fortunæ bonis, ſed excellentioribus quærenda eſt.

VENIO ad ſecundæ claſſis auctores, qui ſummam fœlicitatem in corporis bonis repoſitam voluerunt. Hi certè grauiſſimè errarunt, nec veræ beatitudinis naturam animo attigerunt: quæ non fluxo aut labili, ſed perpetuo bono adhærere debet. Corporis robur ac fortitudinem Milo Crotoniates velut ſummum hominis bonum celebrauit; cùm eo homines bellatores celebrari, ac cæteris præſtare cerneret. At quale eſt hoc corporis bonum, vt in eo vera fœlicitas ſtatuenda ſit? Breue profectò ac labile, quod ſenio minuitur, morbo opprimitur, ac morte tollitur. Quis vnquam eam veram fœlicitatem eſſe cenſuit, quæ inter inſanos bellorum tumultus generatur, diſcordiis creſcit, hoſtium ſanguine nutritur, multos infœlices reddit, omni denique crudelitatis genere redundat? Iam nemo eſt, qui neſciat incertos ac ſæpiſſimè infauſtos bellorum exitus eſſe: & eos plerunque, qui maiori corporis robore prædıti videntur, aut hoſtium inſidiis, aut nefariorum conſpiratione infœliciter occumbere. Teſtis eſt Pompeius, teſtis Cæſar, & alij ferè innumeri, quos ſi beatos hac ratione prædicare volumus, quòd corporis fortitudine excellerint, ſanè beatiores Leones, Vrſos, Elephantos fateri cogimur, quos fortiores, ac maiori robore præditos natura eſſe voluit.

AT verò neque ij propiùs ad veram hominis beatitudinem acceſſerunt, qui corporis incolumitatem ſummum hominibus bonum conſtituerunt; cùm exploratum ſit corporis incolumitatem quandoque animo obeſſe, dum illum inſanis, ac belluinis cupiditatibus inflammat, libidinis faces accendit, & obeſæ carnis petulantia ad vitia pertrahit. Quare ea non modò optanda, ſed interdum etiam minuenda eſt, vt animus ad contemplandum promptior, ac liberior reddatur. Hinc de Platone legimus, eum inſalubrem Atticæ locum, quò corpus domaret, ſibi, & Academiæ habitandum elegiſſe. Xenocrates etiam Platonis diſcipulus virilia ſibi ad comprimendam libidinem exuſſit: & ante hos Ægyptij Sacerdotes, & ipſi Pythagorei Philoſophi, vt Venerem eneruarent, à vino & carnibus, & plerunque à cibo abſtinebant. Alios omitto, qui aut Magnæ matri, aut Saturno Sacerdotio fungebantur, ex quibus illi quidem ſeipſos caſtrabant, hi verò excarnificabant.

PORRÒ quid hac beatitudine labilius, quæ adeo fluxo corporis bono innititur; vt vix per horam illa frui vllus tutò poſſit? Quis

A enim ignorare poteſt, quot incommodis noſtra hæc corpora ſubiiciantur: quot morborum genera, quot calamitates, quot pericula, quot caſus illa quotidie interiùs, exteriùſque diſcrucient; vt vermiculus plerumque, herba, puluis, capillus illi vitam adimant: quid hoc noſtro corpore imbecillius, cui quælibet dies vitæ particulam rapit? quid illius incolumitate inſtabilius, quæ tenui filo pendens, ac mortis legibus adſtricta, vitæ quidem ſpem incertam habet, certiſſimæ autem mortis quotidie horrore agitatur?

B QVOD ſi hæc vera beatitudo eſt, cui non ſatius eſſet, cum planta, aut lapide naturam commutare, quæ nullis hiſce malis obnoxia ſunt, quàm humanam vitam quotidianis languoribus ac perturbationibus anxiam agere? Ex quo ſanè conſtat in corporis valetudine veram beatitudinem non eſſe quærendam.

Sed quid de iis dicendum eſt, qui ſummam hominis fœlicitatem in corporis pulchritudine repoſitam ſenſerunt? Planè non ſenum, ſed iuuenum hęc tantùm beatitudo eſt, quam etiam nec omnes iuuenes conſequi valent, ſed ij tantummodò, qui corporis venuſtate cæteris antecellunt. Huc igitur ſi ſenes primùm, qui diuturna rerum experientia edocti, canos rerum agendarum prudentia exornarunt, conuocarentur: tum ij qui quò minùs venuſtum corporis ſtatum à natura ſortiti ſunt, eò ſapientiorem animum à Deo acceperunt: atque ij poſtremò qui pro patria, aut Religione tuenda, vulnera, quibus aut mutilatum, aut deforme corpus illis redditum eſt, exceperunt: hi ſanè illatam ſibi iniuriam grauiter ferrent, cùm ab iis aquirendæ beatitudinis ſpes omnino tolleretur.

CVM verò corporis pulchritudo magis illius ſpectatores, quàm ipſum poſſidentem D oblectet, quis non potiùs eos beatos cenſeat, qui ex ea delectationem percipiunt, quàm qui illius poſſeſſores ſūt? Quare ſi aliqua beatitudo in pulchritudine ponenda eſſet, ea ad contemplatorem potiùs, quàm ad ipſum formoſum pertinere iudicanda eſſet.

PORRO Epicurus cuncta hæc tum fortunæ, tum corporis bona ſimul colligens, voluptatem ex his manantem verum ac ſupremum bonum eſſe ſibi perſuadet. Quæ vox pecudum magis, quàm hominum cenſenda eſt; ſiquidem hæc fœlicitas ad bruta magis, quàm ad homines pertinet. Ea enim corpo-

E ris voluptatibus liberiùs potiuntur, nullo pudore retrahuntur, nullo conſcientiæ ſtimulo exagitantur, quod homini contrà accidit; quem vel pudor, vel honeſtas, vel alia animi lex ſæpius impedit, ne totus tota voluptate fruatur. Fœlix ergo pecudum genus, quibus his voluptatibus frui liberum eſt. At contrà magna hominum infœlicitas, quos ipſa rationalis naturæ lex ab hac beatitudine conſe-

Digitized by Google

ſequenda deterret. At quomodo hæc beatitudo eſſe poteſt, quam ardor antecedit, comitatur ſuſpicio; pœnitentia ſequitur, vt vix vna, ac breuis voluptas ſit; quæ multis longíſque doloribus non comparetur?

At ſanè ridiculum eſt, quòd veram beatitudinem corporis ſenſus duntaxat tandiu oblectare volunt, quandiu corporis neceſſitas angit. Nam & vini pocula, couſq; ſuauitatem ſenſibus ingerunt, quouſque extinguatur ſitis, quæ corpus excruciat. Et dapibus tandiu delectari ſenſum cernimus, donec guſtus exaturetur. Quò fit, vt cùm omnis neceſſitas moleſtia quædam ſit, beatitudo vera eſſe non poſſit, quæ à neceſſitate nunquam ſeiuncta eſt. Sed de his plura Plutarchus contra Epicurum.

Postrema tandem claſſis eſt eorum, qui in animæ bonis ſummam fœlicitatem collocant: atque hi profectò in ſummo bono quærendo multò cæteris honeſtiùs ſe habuerunt; cùm & honeſta bona ſibi propoſuerint, & & propiùs ad id bonum, in quo vera fœlicitas ſita eſt, acceſſerint: tametſi nec hi veram fœlicitatem attigerint, quæ in hac vita perfecta inueniri minimè poteſt.

Porrò hæc claſſis nobiliores (vt diximus) Philoſophorum ſectas complectitur, Stoicos, Socraticos, Academicos, ac Peripateticos, qui cùm varia animi bona contemplarentur, atque iis variè animo afficerentur; inde etiam varias de beatitudine ſententias effinxerunt. Stoici præclaros animi habitus, ac ornamenta inſpicientes, quibus tranquillæ vitæ ſtatus comparari poteſt, beatitudinem in virtutum habitu poſuerunt. Peripatetici verò præſtantiſſimos animi actus potiùs ſpectantes, exactiſſimam in contemplatione, ac in proba animi actione ex virtute prodeunte fœlicitatem collocarunt. Ariſtoteles duplicem fœlicitatem ſtatuit, alteram ciuilem, alteram priuatam. Ciuilem quidem eam eſſe vult, quæ tum in regenda optimè familia, tum in Rep. egregiè adminiſtranda enitet; quam & pręclarum corporis habitum, & mediocrem externorum bonorum copiam, & diuturnitatem, ac proſperitatem vitæ comitari debere cenſet. Priuatam verò in contemplationis actione repoſitam habet. Socratici verò, & Academici veram, ac perfectam fœlicitatem in connexione ſummi boni, quod Deus eſt, eſſe decreuerunt: quæ ſententia colligitur ex Platone in Epinomide, vbi ait: animam dum corpori iuncta eſt, necti quidem poſſe cum ipſo ſummo bono: at non liberè, & conſpicuè, ſed obſcurè, & cum impedimento; nec diuturno tempore, ſed exiguo, ac proinde vix vllum, aut neminem in hac vita ſummo bono, quod in Dei contemplatione, & poſſeſſione ſtatuit, frui poſſe. Id verò in altera vita exactiùs, liberiùs,

Stoici.

Peripatetici.

Ariſtoteles.

Plat. in Epinom.

A intimiùs, ac diuturniùs illud aſſequi. Vnde ex Platone colligimus, primùm illum ſummam hominis fœlicitatem in perſpicua Dei cognitione, ac fruitione repoſuiſſe: deinde eam non in mortali hac, ſed in altera immortali vita eſſe quærendam; quæ ſententia cùm propè ad Catholicorum ſententiam accedat, de illa in ſequenti articulo agemus.

Nunc ad Stoicos redeamus, qui fœlicitatem in virtutibus poſuerunt. Hi etiam apertè hallucinati ſunt, cùm media, quæ ad beatitudinem ducunt, in ipſa beatitudinis ſede collocarunt: beatitudo enim finis eſt, qui id- B circo tranquilliſſimus eſſe debet, quòd eo animus nullis amplius perturbationibus concuſſus tandem pacatiſſimè frui opus ſit. At quis moralium virtutum actus vnquam ſine labore fuit, aut abſque negotio exerceri potuit? Labor quidem beatitudinem præcedit, labores enim propterea ſuſcipimus, vt optato otio aliquando fruamur, & cùm bella inter ſe ineant homines, hunc ſibi bellorum finem ſtatuunt, vt ex iis certa pax naſcatur. At cum beatitudine labor eſſe non poteſt. Etenim ſicut bello pax, otium negotio, ita bea- C titudini, quæ omninò quieta, & tranquilla eſſe debet, labor aduerſatur. Nemo enim vnquam, cùm beatitudinem maximè appetat, laborioſam eam ſibi fore optauit.

Accedat præterea, quòd virtus non ad ſeipſam, ſed ad animi tranquillitatẽ refertur. Idcirco enim præclari homines virtutibus ſtudent, vt iis effręnes vitiorum impetus, atque inſanas animi cupiditates, quæ mentem perturbant, coërceant; atque ita animi tranquillitate fruantur. At vera beatitudo cùm ſummum ſit hominis bonum, ad aliud bonum referri non poteſt, quod illo maius D ſit, ſiquidem illud ſummũ non eſſet. Quamobrem nullum adhuc in virtute perfectum bonum reperiri poteſt, in quo animus quieſcat, quod eſt beatitudinis proprium.

Cæterum ſi aliqua hîc beatitudo condonanda eſſet, ea potiùs illorum eſſe videretur, qui illã in perfecta animi tranquillitate, ac voluptate ex probis actionibus prodeunte repoſitã ſenſerunt. Cùm enim hæc per ſe appetibilia ſint, ac imperturbatam quietem ſecum in animum ferant; finis naturam vi- E dentur induere. Hæc tamen illis quoq; beatitudo denegatur. Quis enim eã animi tranquillitatem, & ex ea voluptatem aſſequi poteſt, quæ omnem tam perturbationem, quàm perturbationis motum expellat, nulliúſque rei prorſus indiga ſit? Cùm enim ſummum hominis bonum omnia bona in ſe claudat, atque (vt Boëtius ait) ſit ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus; quot bonorum cumulis tranquillum hunc animi ſtatum, ſi dari poſſet, priuari opus eſt: cùm tot naturæ neceſſitatibus ſubiiciatur, tot humanis calamita

Boëtius.

lamitatibus, ac morbis exagitetur, tot inſur-
gentibus vitiorum ſtimulis ſi non obruitur,
tamen perturbetur. Deus immortalis, quot
rerum indiga eſt hæc beatitudo, cibo, po-
tu, aëre, domo, familiaribus, domeſticis, igne,
aqua; demum iis omnibus indiget; ſine qui-
bus hominis vita conſeruari non poteſt. Quo
pacto igitur, cum tanta rerum inopia ac bo-
norum indigentia vera beatitudo ſalua po-
teſt conſiſtere?

Sed his omiſſis ad Peripateticos venio,
qui duplicem beatitudinem cum Ariſtotele
ponunt; ciuilem nimirum, ac priuatam. At-
qui in ipſo veſtibulo grauiter errant, cùm eo
ipſo quòd duplicem fœlicitatem hominis ſta-
tuunt, omnẽ prorſus fœlicitatem extinguãt.
Quis enim ignorat vnum ac ſupremum eſſe
homini bonum à natura conſtitutum, duo
verò omnino eſſe non poſſe? qui enim duos
fines in homine conſtitueret, planè hominis
naturam in fruſta diſſecaret. Cùm igitur vnus
ac ſupremus ſit hominis finis, ac vnum
ſummum bonum illius animo inſitum, vnica
etiam tantùm beatitudo eſſe debet, ad quam
tendat.

Frvstra igitur Peripatetici duplicẽ beati-
tudinem ſibi eſſe perſuadẽt, alterã politicam,
alterã domeſticam: cùm plures extremi fines
conſtitui nequeant, ſed vnus ſit omnium, &
vniuſcuiuſque finis. Vel ergo priuatam illam
beatitudinem ad publicam referant, vel pu-
blicam in priuata concludant.

Svnt qui Ariſtotelem excuſant, quòd
idcirco duplicẽ fœlicitatem aſſeruerit, quòd
hominem velut geminum ſibi propoſuerit,
publicum ſcilicet, & priuatum: illum vt ci-
uitatis partem, hunc vt hominis natura præ-
ditum: atque hinc geminam illi fœlicitatem
tribuiſſe ferunt: ciuilem quidem cum pru-
dentia, auctoritate, opibus, ac cæteris re-
bus abundat, quæ ciuilem Reipub. ſtatum
fœlicem reddere poſſunt, priuatam verò,
cùm libera ac imperturbata mente optimæ
contemplationi vacat.

At hoc fruſtra videtur pro Ariſtotele di-
ctum: nam ſi liceret homini multipliciter
cõſiderato, varios extremos fines proponere,
planè non duo tantùm, ſed multi ac ferè in-
numeri ij hominibus conſtituti eſſent, ac
proinde multæ ac innumeræ beatitudines
eſſe poſſent. Homo enim conſiderari po-
teſt, vt rationalis, vt intellectiuus, vt liber, vt
concupiſcibilis, vt iraſcibilis, vt ſenſitiuus,
præterea vt paterfamilias, vt belli Dux, vt
Princeps: cúmque innumeros homini ſtatus
aſcribere valeamus, iis ſi ſingulas fœlicitates
affingere volumus; iam fœlicitatũ numerus
non erit: neque aliquis extremus omnium
finis eſſe poterit: cùm omnes extremi eſſe
dicantur. Extremum verò hominis finem
vnum tantùm eſſe poſſe exploratum eſt.

A Quare qui geminam homini fœlicitatem
præſcribunt, aut omnem fœlicitatem tollunt;
aut alteram improprio nomine fœlicitatem
vocant. Quod planè ita de Ariſtotele cen-
ſendum eſt, qui cùm ciuilem fœlicitatem in
homine collocat, eam non niſi impropriam
fœlicitatem eſſe ſentit.

Atqve illud confirmat, quòd cùm ve-
ra ac perfecta fœlicitas non in alieno; ſed in
proprio bono duntaxat collocanda ſit, cùm
ciuilem fœlicitatem ſtatuit, eam non in pro-
prio, ſed in publico ciuitatis aut Reip. bono
reponendam ſentit.

B Civili ergo fœlicitate tanquam ſpuria
reiecta, quid de ea fœlicitate ſentiendum erit,
quam Peripatetici cum Ariſtotele in con-
templatione verſari volunt? Sanè haud me-
lius de illa, quàm de cæteris ſuſpicare licet,
cùm ignata prorſus ac cæca hæc fœlicitas ha-
beri debeat. Quis enim ignorat intellectum
ex ipſius Ariſtotelis ſententia pro hoc ſtatu
adeò imbecillem, & obſcurum eſſe; vt non
ſecus quàm oculus Noctuæ ad lumen Solis,
ad rerum contemplationem ſe habeat? Planè
cùm tot rerum naturas animus ignoret, cùm
tot cauſas obſcurè percipiat, cùm de tot pro-
C poſitis veritatibus dubitet, cùm nec ipſas re-
rum vltimas differentias attingat, ac, vt So-
crates aiebat, cùm vltimum ac ſupremum
noſtræ ſcientiæ ſit ipſum ignorare; atque vt
inſignis alter Philoſophus dixit: Hoc vnum
ſcio, quòd nihil ſcio. Et tandem vniuerſa
Philoſophia (Porphyrio teſte) ſit puta ac in-
certa rerum coniectura, quæ labili funda-
mento innititur, quænam iſta beatitudo eſt,
quæ cum ſumma rerum ignorantia coniun-
cta eſt?

Hinc etiam licet beatitudinem hanc
mendacij ac vanitatis arguere: nam cùm ea
D Philoſophi plerumque ſtatuant, ac definiant;
quæ vel ignorant, vel leui ſuſpicione ducti
de iis ambigunt, quis ea mendacij ac erroris
ſuſpicione libera exiſtimabit? Quot enim à
Philoſophis, cùm vel de Deo, vel de intelli-
gentiis, vel de rerum principiis, vel de animæ
origine, ac natura agunt; dubia ac inania pro-
feruntur? Cùm verò ea à contemplatione
proficiſcantur, quæ cùm circa ignota verſe-
tur, falſi ſuſpicione non vacat. Quis beati-
tudinem huiuſmodi contemplationi inni-
xam à mendacio ac errore vacuam ſibi per-
E ſuadeat? Quòd ſi nec ab ignorantia, nec ab
errore iſta beatitudo libera eſt, cùm ſummum
hominis bonum eſſe nequeat, quod indubiæ
ſcientiæ ac veritati ſemper coniunctum eſt:
ſanè nec beatitudo appellari debet.

Postremò ſi in actione contempla-
tionis ſumma fœlicitas collocanda eſſet, tan-
tùm viri ſapientes fœlices eſſent, qui contem-
plationi vacare norunt: rudes ac ignari ex-
cluderentur à fœlicitate; atque ita facultas
aſſe

aſſequendi ſummum bonum non æquè omnibus collata eſſet; neque ea hominis naturam (vt par eſt) ſed tantùm vel Philoſophorũ, vel ſapientium animas comitaretur. Immò nec ipſi ſapientes ſemper fœlices eſſent, cùm vel infirma corporis valetudine, vel aduerſis fortunæ caſibus, vel etiam quotidianis, ac neceſſariis rei domeſticæ curis, ac corporis neceſſitatibus à contemplatione plerumq; auocari ſoleant: ſed modò fœlices, cùm contemplationi vacant; modò non fœlices, cùm ab ea impediuntur, dici poſſent: ac beatitudinem nunc obſcuriorem, nunc illuſtriorem ſortirentur; cùm contẽplationis actio in vno magis, quàm in altero eluceat præclarior: atque ea vno tempore intẽſior, altero remiſſior, iuxta varias animi diſpoſitiones, appareat. Demũ cũ ea ſit ſummi boni ac ſupremæ fœlicitatis ratio, vt ea trãquilla, ac ſtabilis ſit, neq; ab animo auelli vllo modo queat. Planè contẽplatio quæ in actione poſita eſt, neque tranquilla eſſe poteſt, cùm actio motum ſemper comitetur; neque ſtabilis, cũ ea neque ab omnibus, neq; ſemper haberi poſſit; & facilè dilabatur. Quapropter ea minimè beatitudo nuncupãda eſt.

SVNT qui ſummam fœlicitatem cunctis naturæ bonis accumulatam ſentiant; atque in ea conſtituenda tum corporis, tum fortunæ, tum animi bona conſpirare velint: hi quidem de naturali beatitudine, quę à nobis in hac vita haberi poteſt, aliis longè meliùs ſentirent. Nam cùm beatitudo ſtatus ſit omnium bonorum cumulo perfectus, qui omnia naturæ bona ſimul ad eam conſtituendam vocarent, naturalem vtique beatitudinem efficerent: ſed cùm hæc beatitudo idea potiùs, quàm re apprehendi valeat (quis enim vniuerſa naturæ bona vnquam ita ſibi coniuncta habuit, vt nullum omnino deeſſet?) eàque hominis poteſtatem effugiat, quem totius naturæ dominum nemo iure exiſtimare poteſt: ea profectò nec beatitudo, neque ſupremum hominis bonum, quod in hominis poteſtate ſitum eſſe debet, ſed beatitudinis imago potiùs cenſenda eſt.

EX his perſpicuum eſt, ſupremæ quidem cuiuſdam beatitudinis opinionem in hominũ omnium animis ingenitam fuiſſe: atque ad eã inueſtigandam homines, non tam maiorum diſciplina, quàm ipſo naturæ impulſu commotos fuiſſe: ſed cùm in ea inuenienda natura nimis imbecillis eſſet, inde opinionum bellum inter Philoſophos exortum eſt, quo inter ſe conflictare cœperunt, dum quiſque beatitudinem in aliquo ſingulari bono conſtitutam tuetur.

NEQVE vlli mirum videri debet, tot olim inter ſapientiores de beatitudine diſſitas ſententias exortas fuiſſe: nam cùm ſummam fœlicitatem inter naturalia hominis bona quærerent, & veram beatitudinem, quæ à ſummo ac ſupernaturali bono petenda eſt, ignorarẽt: inde opinionum multitudine inter ſe diſcrepare, ac veram beatitudinem diſcerpere cœperunt, vt docet D. Aug. lib. 13. de Trinit. his verbis. *Mirum eſt autem* (ait) *cùm capeſcendæ ac retinendæ beatitudinis voluntas vna ſit omnium, vnde tanta exiſtat de ipſa beatitudine rurſus varietas, atque diuerſitas voluntatum? non quòd aliquis eam nolit, ſed quòd non omnes eam norint.*

D. Aug. lib. 13. de Trin.

AT illud maximè mirandum, ſeu potiùs deflẽdum eſt: quòd inter eos, qui veram beatitudinẽ norunt, ac inter Chriſtianos viuunt, plerique hac noſtra tempeſtate non deſint, qui veram beatitudinem adeò ſepeliant, vt in vanis hiſce ac caducis rebus, & plerumque in vitiis ipſis collocent. *Quorum* (inquit Paulus) *Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum.* Sanè alia huius rei cauſa aſſignari non valet, quã quæ à D. Aug. explicatur loco citato. *Vt enim eos quæque res maximè delectauit, ita in ea conſtituerunt vitam beatam:* quam etiam poſt Aug. inſinuat Boëtius de conſol. lib. 3. *Nam quòd quiſque* (inquit) *præ cæteris petit, id ſummum iudicat eſſe bonum.*

Philip. 3.

Aug. lib. 13. de Trin.

Boëtius de conſol. lib. 3.

ATHEISTIS verò id meliùs conſultum videtur, quò faciliùs omni ſe pœnarum metu liberent, ac liberiùs in omne flagitiorum genus præcipites ſe dent, omni etiam ſe beatitudinis ſpe, quam natura illis ingenuit, expoliare, de quibus ait Salomon Sap. 2. *Hæc cogitauerunt, & errauerunt; excæcauit enim illos malitia eorum. Et neſcierunt Sacramenta Dei, neque mercedem ſperauerunt iuſtitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarum.*

Explicatur vera ſententia de animorum beatitudine.

ARTICVLVS LII.

EXCVSSIS igitur falſis Philoſophorum opinionibus de ſumma hominis fœlicitate, nunc vera animarum beatitudo Atheiſtarum oculis proponenda eſt: vt eam animo intuentes, craſſam illam, ac palpabilẽ infidelitatis caliginem, in qua omnem futurã fœlicitatem ſepeliunt, velut illius luce illuſtrati detergant. At verò vt res tota clariùs ac faciliùs exponatur, nonnullis aſſertionibus quid de vera beatitudine ſentiendum ſit, aperiemus.

SIT igitur prima aſſertio. *Vera beatitudo perfectè in hac vita haberi non poteſt.* Hæc aſſertio eſt contra Ariſtotelem in primo Moral. Nicom. c. 10. & cæteros Philoſophos (Platonicis exceptis) qui hominem ante vitæ finem poſſe dici fœlicem exiſtimarũt. Quam ex antiquorum ſapientum primùm ſentẽtia probamus. Nam in primis Solon Athenienſium legiſlator, atque vnus inter ſeptẽ Græcię ſapientes enumeratus, neminẽ ante obitũ beatũ eſſe dicen-

Q dum

dum cenſuit, quod Crœſus opere patefecit; qui cùm Lydis imperaret, & ob auri copiam *Solon.* ſe fœlicem existimaret, à Solone irriſus fuit; ac paulò pòſt à Cyro captus, ac pyræ, vt combureretur, impoſitus, ter Solon exclamauit. *Sophocles in Tyndaro.* Quam Solonis ſententiam Sophocles approbauit in Tyndaro: vbi ait. *Nunquam oportet fœlicem existimare ſortem fortunati viri, priuſquam è vita migrauerit.* Eandem commendauit Euripides in Andromacha. *Euripid. in Andromacha.* *Nunquam* (inquit) *beatum appellaueris quemquam hominum, priuſquam videris vitæ extremum; quomodo è vita migrauerit.* *Simonides.* Neque ab his diſſentit Simonides, qui res humanas facilè mutari animaduertens: *Homo existens* (ait) *nunquam dixerit, id quod futurum ſit, ſic enim citiùs, quàm muſca, mutatio conditionis vitæ hominis.* *Dionyſius Tyrannus.* Quod reipſa ac verbis teſtatus eſt Dionyſius Tyrannus: cùm ait: *Nullum vnquam hominem mortalem beatum iudicari debere, antequam bene defunctum videris: mortuum enim, non viuentem laudare tutum eſt.* *Herod lib. 1.* Quare Herodotus libro primo, cuidam dictum fuiſſe recenſet, *Nondum beatum te appello, priuſquam bene vita defunctum te audiero.* His conſentanea ſunt, quæ leguntur *Eccleſ. 11.* Eccleſiaſt. 11. *Ante mortem ne laudes hominem quemquam.* Atque hi ea præſertim ratione fulciebantur, quòd nemo dū viuit, de ſua fœlicitate certus eſſe poſſit. Cum his conſentit Plato, *Plato in Epinom.* qui in Epinomide ſolā fœlicitatis vmbrā huic vitæ cōpetere poſſe existimauit.

At hoc ipſum rationibus confirmemus. *Plat. in Phædone.* Ac primùm ratione ex Platonis Phædone deſumpta: inquit enim Plato ibi, in hoc mortalium orbe contraria ita iuncta eſſe, vt nequeat homo vnum abſque altero recipere, delectationes abſque labore, delicias ſine luctu, fœlicitatem abſque miſeria: quod ipſa hominis natura indicat; qui enim humanam vitam inſpiciunt, tot calamitatibus obnoxiam, tot miſeriis implicitā, tot animi perturbationibus exagitatā vident; vt brutorū conditione infœliciorem vitam hominis iudicent; neque enim is corporis tantùm, ſed & animi doloribus angitur; nec tantùm præſentibus incommodis infeſtatur, ſed præteritis quoque & futuris malis perturbatur: vt propterea dixiſſe Ariſtotelem referat Stobæus ſermone 96. *Stobæus ſermone 96.* Quid eſt homo? Imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ ludicrum, iacturæ imago, inuidiæ & calamitatis trutina; reliquum verò pituita, & bilis.

Hinc facetè quidam ſe tunc ſolùm ab humanis malis curatum eſſe dicebat, cùm mentis compos non eſſet. Quapropter rectè *Boëtius de conſol.* Boëtius de conſolat. *Nemo eſt* (ait) *tam fœlix qui cùm dederit impotentiæ manus, ſtatum ſuum mutari non optet, ineſt enim in ſingulis, quod inexpertus ignores, expertus exhorreas.* Quis igitur fœlicem hunc vitæ ſtatum eſſe rectè iudicauerit, quem infœlicitas ſemper comitatur;

A ita vt quę homines fœliciora iudicant, ea illos infeliciores reddant? *Nunquam enim in honore ſine labore* (vt ait Bernardus) *nunquam in prælatione ſine tribulatione, nunquam in ſublimitate ſine vanitate quis eſſe poteſt.* Nullā igitur ibi perfecta fœlicitas eſſe poteſt, vbi infœlicitas locum occupauit, ac cum fœlicitate miſta, cum ea comes indiuidua degit.

Altera quoque ratio eſt; quòd hic orbis, vbi cuncta mortalia ſunt, ſummi boni locus eſſe non poteſt. Igitur perfecta fœlicitas in eo inueniri minimè valet. Aſſumptum multipliciter patet. Nam perfecta fœlicitas, in diuinorum atque æternorum primùm cognitione, deinde in pacatiſſima animi tranquillitate, ac pura voluptate; tum in ſolido ac conſtāti rerum ſtatu: demum in beata ac immortali vita, in qua ſummum bonū poſitum eſt, conſiſtit. At quis mortalē hunc orbē vmbram potiùs ac caliginē hominum animis, quā verā aliquam diuinorū cognitionem offundere nō videat? vbi (vt monet Plato) quaſi in antro ſolæ volitant vmbræ rerū; quas ignari homines non aſſueti intuentes, res ſerias inſpicere, ac veras rerum formas eſſe existimant.

C Quæ verò animo tranquillitas ineſſe poteſt, vbi cūcta perturbationibus plena, & aſſiduis mutationibus alterata, animū timoribus agitant, ſpe erigunt, ac mordacibus curis ac ſollicitudinibus diſcerpunt? Quæ vera voluptas ibi eſſe poteſt, vbi metu ac triſtitia afficiuntur animi: neque vlla voluptas reperitur, quæ labore comparata, cum dolore permiſta non ſit: quò fit, vt flentes vitam auſpicemur.

Quid? ſolidúmne ac conſtantem earum rerum ſtatum iudicabimus, quæ fluxa ac præpeti quadam inconſtantia labūtur, vt firmas in iis tantū miſerias, lubrica autem & inconſtantia, quæ fœlicitatis vmbram præferant, D rectè quiſque existimare debeat? Planè ſi ſummum bonum liberum à fortunæ caſibus eſſe debet; quis in hoc orbe ſummum bonum ac fœlicitatem quærat, qui in fortunæ manibus prorſus collocatus videtur? Tandem quis immortalem vitam inuenire credat, vbi nulla præterquàm mortis imago, ac vitæ vmbra verſatur?

Quod ſi acuratiùs humanam vitam contemplamur, nihil in ea præter inanem auram, fumum, ac vmbram intuebimur, qua in- E terdum ſub vitæ vmbra deluſi, certa ac intempeſta morte nos deceptos eſſe monemur. Fallitur ergo quiſquis in hoc orbe, vbi cuncta morti expoſita ſunt, vbi obſcura rerum diuinarum cognitio latet, vbi nulla animi tranquillitas, aut vera voluptas relicta eſt, vbi nihil ſolidum aut perpetuum manet: tandem vbi omnia citiſſimè vetuſtate aut ſenio confecta dilabuntur, veram ac perfectam fœlicitatem ſibi quærendam ſtatuit.

Sɪᴛ tandem poſtrema ratio. Summa fœlicitas competit animo, vel igitur animus mortalis eſt, vel immortalis. Non mortalis, quia ſummi boni non eſſet capax, quod in æternorum affectione ſitum eſt; debet enim ſummum bonum præſtantiſſimum eſſe, illud verò ſolum diuinum bonum eſt, & æternum, quod mortalia omnia bona excellit. Immortalis igitur animus ſit, oportet: vt ſummo bono frui poſſit. At quis æternum ac immortale bonum in hoc orbe conſtituat, vbi omnia mortalia ſunt & caduca? aut immortali animo aliquod horum bonorum; vel omnia ſimul, quæ mortalia ſunt, velut ſummom bonum ſtatuat? Quis denique ſummi & æterni boni adeptionem in qua perfecta ſœlicitas eſt, in hoc mortalis vitæ curſu, animo adhuc corpori alligato tribuat, quæ à pura, ac ſoluta mente tantùm comprehendi poteſt? Nulla ergo hic perfecta ſœlicitas eſt.

Sᴇᴄᴠɴᴅᴀ aſſertio. *Neceſſe eſt dari veram beatitudinem, tanquam finem vltimum rationalis creaturæ.* Quæ aſſertio multipliciter probatur. Primò, homo non mouetur niſi à fine, cùm ſit rationis compos, & ſui actus dominus; igitur neceſſe eſt dari finem à quo moueatur. Nam ſi nullus eſſet finis, nullus eſſet mouens principium, cùm exploratum ſit, finem eſſe primum in intentione mouens hominem ad operandum: at cùm finis vltimus magis per ſe moueat, quàm cæteri fines medij; ergo magis neceſſe eſt finem vltimum dari; hic autem alius non eſt, quàm ipſa ſummi boni conſequutio, ac beatitudo.

Sᴇᴄᴠɴᴅᴏ, quemadmodum in cauſis inuicem ſubordinatis non datur proceſſus in infinitum, à quo maximè natura abhorret, ſed iis ſtatus in vna prima cauſa præſcribitur, à qua cæteræ omnes pendent: id enim in cauſis mouentibus hac ratione probat Ariſtoteles dari primam cauſam mouentem, ne in infinitum abire contingat. Ita in finibus finitam quandam finium ſubordinationem ſtatuere neceſſe eſt, quæ tandem vno vltimo fine concludatur. Porrò hic vltimus finis eſt beatitudo.

Tᴇʀᴛɪᴏ, beatitudo ſummum bonum indiuiduè conſequitur. Sed neceſſe eſt dari ſummum bonum, ne per infinita bona diuagari contingat, ergo & beatitudinem dari opus eſt.

Qᴠᴀʀᴛᴏ, cunctis naturalis ineſt appetitus boni, & ſummi boni. Bonum enim eſt, quod omnia appetunt, neque in vno duntaxat bono, aut altero animus quieſcit, donec ad ſupremum bonum peruenerit, quod vniuerſa bona contineat. Sed quod naturale eſt, non poteſt eſſe ſruſtra. Deus enim & natura nihil ſruſtra operantur: ergo neceſſe eſt ſummum bonum poni, quo naturalis

A tandem illius appetitus expleri poſſit: at nihil aliud eſt beatitudo, quàm adeptio huius ſummi boni. Dari igitur beatitudinem neceſſe eſt, quæ in ſummo bono conſiſtit.

Qᴠɪɴᴛᴏ, ad diuinam prouidentiam & æquitatem ſpectat, velut ſingulare illius opus booos renumerare: ac iuxta meritorum rationē præmia conferre: ſed perfecta remuneratio non eſt abſque beatitudine. Qui enim mala omnia euitarunt, ac bonis omnibus inſudarunt, perfectum etiam omnium bonorum ſtatum merentur, quem beatitudinem dici- B mus: igitur ad perfectam bonorum remunerationem vera beatitudo requiritur.

Sᴇxᴛᴏ, ſi nulla eſſet beatitudo, fruſtra homines in acquirendis virtutibus laborarent: fruſtra vitia cohiberent; fruſtra Religionem, ac pietatem colerent; fruſtra tandem pro veritate, pro patria, pro Religione tuenda mortem oppeterent: cùm iis nullum præmium expectandum eſſet. Hæc autem cùm potiſſima ac maxima ſint ſapientum bona, quæ ſummum ex communi omnium conſenſu præmium exigunt: iis beatitudo, quæ eſt ſumma merces, debe- C tur. His accedat, quòd cùm omnium conſenſus vox naturæ putanda ſit, iſque conſtantiſſimè animorum poſt mortem beatitudinem teſtetur, profectò niſi eum vanum immeritò quis exiſtimet: veram piis animis poſt mortem beatitudinem aſſeruari credendum eſt.

Pᴏsᴛʀᴇᴍò anima eſt immortalis, ſicut probatum eſt. Animæ igitur ſtatus poſt corporis diſſolutionem, aut omnibus eſt miſer, aut non miſer, ſed fœlix; aut aliquibus miſer, quibuſdam verò fœlix. Si omnibus eſt miſer, ergo nulla eſt probo- D rum ac improborum differentia: neque bonis ſua bonitas prodeſt: quod humanis, nedum diuinis legibus repugnat; ſi nulli eſt miſer, ſed omnibus fœlix; idem ſequitur incommodum; improbis ſcilicet, ſuam improbitatem non nocere, ac ſceleſtos homines probis ac virtute præclaris æquari. Sin aliquibus miſer, aliis fœlix eſt, ea profectò ratio haberi debet: vt malis tantùm miſer, probis tantùm fœlix ſit. Ita fiet, vt malis infœlicitas, ac miſeria: probis fœlicitas, ac beatitudo poſt mortem ſuperſit.

E Tᴇʀᴛɪᴀ aſſertio. *Vera beatitudo non poteſt eſſe in bono creato, ac finito.* Quæ probatur. Primò, nam beatitudo eſt bonum perfectum, in quo hominis appetitus prorſus quieſcit. Nullum verò bonum finitum reperiri poteſt, quod hominis appetitum expleat: quocunque enim bono finito animo obiecto, ſemper voluntas in aliud fertur. Cuius ratio eſt, quia bonum creatum ac finitum eſt bonum particulare, quo adepto nunquam

quieſcit animus, ſed vltrà progreditur; donec ad vniuerſale bonum, quod vniuerſas boni rationes complectitur, pertigerit. Nulla igitur in bono finito vera beatitudo reperiri poteſt.

SECVNDO, beatitudo in ſummo bono duntaxat ſita eſt, ſed bonum finitum ſummum bonum eſſe non poteſt, cùm infinitum illo maius ſit, igitur in finito bono beatitudo eſſe non poteſt.

TERTIO, ſi beatitudo eſſet in aliquo bono finito, ea neceſſariò vel in bonis fortunæ, vel corporis, vel animi ſita eſſet: iis enim omnium bonorum, quæ finita ſunt, multitudo concluditur: ſed in nullo horum bonorum reponendam eſſe fœlicitatem ſuprà oſtendimus: non fortunæ, cùm ea non ſint in noſtra poteſtate, non corporis, ſiquidem cum corpore corrumpuntur: non animi tandem, cùm vera beatitudo extra animum quærenda ſit, nihil enim ſeipſum beat: igitur beatitudo non eſt in bono finito.

QVARTO, beatitudo eſt vltimus finis rationalis naturæ: ſi ergo aliquo bono finito homo beatificaretur, ſequeretur aliquod bonum finitum eſſe finem hominis. Sed conſtat omne bonum creatum ac finitum eſſe ſingure ac participatum, ac proinde imperfectum. Finem verò ac obiectum humanæ voluntatis eſſe bonum vniuerſale ac perfectum: igitur nullum bonum finitum poteſt eſſe finis vltimus hominis, quòd ſi non poteſt eſſe finis, planè neque illum beatificare poteſt.

QVINTO, ac poſtremò, beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, quod omnium hominum ſententia ac cenſenſu receptum eſt, qui in beatitudine omnia bona ſe habere expectant. At in bono creato hic ſtatus reperiri non poteſt, quandoquidem nullum bonum creatum eſt, quod omnia bonorum genera contineat. Ex iis patet veram beatitudinem in bono finito collocari non poſſe.

QVARTA aſſertio. *Vera beatitudo eſſe non poteſt præterquàm in bono infinito.* Hæc ſicut etiam prior aſſertio vniuerſos Philoſophos perſtringit, qui ſummam hominis fœlicitatem in variis humanis ac finitis bonis collocarunt. Huius autem aſſertionis demonſtrationem non à fide, aut Scripturis, à quibus modò propter Atheiſtas (vt à nobis fieri ſolet) abſtinemus, ſed à principiis ipſius naturæ hauſtam proponimus.

PROBATVR igitur primò. Illa eſt vera beatitudo omnium conſenſu, cui nullum bonum deeſt: ſed ei omnia bona ſuppetunt. Maior hæc nota eſt. Neque enim is ex hominum ſententia verè ac perfectè beatus cenſendus eſſet, quem alicuius boni inopia

A angeret. Hinc illud prouerbium ortum eſt; *Nemo ex omni parte beatus*, cùm nemo hîc ita bonis abundare valeat, quin aliquid ipſi deſit. At ſoli bono infinito nullum omnino bonum deeſt. Nam cùm illud infinitum ſit, cui nullum bonum addi poteſt, illud profectò omnium bonorum copiam includit: igitur in hoc ſolo bono infinito vera beatitudo quærenda eſt.

SECVNDO, beatitudo eſt bonum perfectum hominis appetitum ſatians. Id notum eſt. Is enim ſolus beatus eſt, qui habet quicquid vult; vt docet Aug. is verò qui boni ali-
B cuius, quod appeteret, indigentia laboraret, haud beatus dicendus eſſet: cùm aliquid appeteret, quòd non haberet. At ſolum bonum infinitum implet hominis appetitum, cùm illud bonum vniuerſale contineat, quod integrum eſt voluntatis obiectum: extra quod voluntas nihil appetit. Igitur in ſolo bono infinito beatitudo reponenda eſt.

TERTIO, ſicut ſe habet intellectus ad verum, ita voluntas ad bonum: ſed intellectus non quieſcit, donec ad primùm verum peruenerit, quod omnium veritatum rationes contineat: ita voluntas nullo bono
C contenta eſt, quouſque primum bonum aſſequuta fuerit, quod omnium bonorum naturas comprehendat. Ipſum autem non poteſt eſſe niſi infinitum bonum. Ipſa igitur voluntatis humanæ beatitudo non niſi ab infinito bono pendet.

QVARTO, beatitudo omnia bona continere debet, cùm ſit ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, ſed ſolum bonum infinitum omnia bona comprehendit: nam ſi aliquod bonum in eo non contineretur, illud infinitum non eſſet, cùm illud bonum illi addi poſſet, quod cum infiniti
D natura pugnat, cui nihil prorſus adiungi valet. Ergo in ſolo bono infinito eſt beatitudo.

QVINTO, finis debet proportionari rei quæ eſt ad finem, ſaltem quoad appetitus naturam: cùm igitur hominis animus ſit immortalis, ac infinitæ durationis, ac capacitatis (vt aliàs probatum eſt) ac proinde capax immortalis ac infiniti boni; inde conſtat eum non poſſe, niſi in immortali ac infinito bono quieſcere. At hic finis eſt beatitudo, ad quam hominis natura per ſeipſam tendit. Igitur beatitudo non eſt niſi in infinito
E bono.

SEXTO ac poſtremò, vera beatitudo in eo tantùm bono reponenda eſt, quo nullum maius bonum excogitari poſſit. Hæc enim omnibus de beatitudine innata eſt opinio, vt ea nihil melius aut præſtantius ſit. Sed ſolo infinito bono nullum eſt maius bonum, igitur in ſolo infinito bono vera beatitudo eſt collocanda.

QVIN

QVINTA aſſertio. *Vera beatitudo duntaxat eſt in adeptione ſummi, ac infiniti boni, quod eſt Deus Opt. Max.* Hæc aſſertio eſt Platonis, ac Platonicorum omnium. Illum enim beatum Plato pronunciat in ſexto & ſeptimo de Repub. qui boni ideam in ſeipſo aſſequutus eſt. At quoniam hæc Platonis idea plurimas ab Ariſtotele vmbras paſſa eſt, qui in 2. Moral. Nicomachiorum variis rationibus eam conatur euertere, propterea quæ ſit hæc idea boni ex ſententia Platonis explicandum eſt.

Plato 6. & 7. de Rep.

IDEÆ nomen apud Platonem tripliciter vſurpatur. Primùm, pro eminente quadam fœcunditate: ſecundò, pro forma vel exemplari: tertiò, pro ſimilitudine ac notione quadam communi animo concepta. Primo modo ideam vſurpat Plato, dum Deum affirmat omnium bonorũ ideam eſſe, id eſt, omnium bonorum genera in ſe quadam virtutis eminentia continentem, ac producentem; eo planè modo quo vnitas numerorum idea dici poſſet, quæ virtute omnes numeros includit, & quadam fœcunditate parit: ita Deus cùm ſit ipſa vnitas fœcunda, ad quam omnes rerum numeri referuntur, bona omnia eminenter in ſeipſo complectitur, atque ex ſe gignit. Pro forma vel exemplari à Platone ſumitur, cùm is rerum formas in mente diſtinctas ponit, quibus mens ad actionem inſtruitur: hac enim ratione ideam boni in mente ſtatuit diſtinctam ab idea pulchri, cæteriſque ideis. Demum hæc idea accidens eſt animo inhærens, qua intellectus ad rerum cognitionem vtitur. Tandem pro ſimilitudine apud eum idea accipitur, cùm frequenter res ipſas intellectas, ac communes animi notiones, quæ rerum ſimilitudines in anima gerunt, ideas nuncupat, vt in Phedro, & Philebo.

ALIA ideæ nuncupatio eſſe poſſet: at non ex Platonis ſententia; ſi idea in mente ab omnibus formis ſeparata collocaretur; veluti idea pulchri ab omnibus pulchris, idea boni ab omnibus bonis; atque ea non ex rebus flueret, ſed ab ea res potiùs elicerentur. Hoc idearum genus Ariſtoteles Platoni imponit, ac velut Platonicum dogma omnibus machinis oppugnat in 1. Mor. Nicomach. At immeritò ſanè, cùm nullum aliud prætorquàm triplex illud idearum genus à nobis relatum Platoni agnitum fuerit, neque vnquam huius quartæ ideæ meminerit: quapropter tota illa Ariſtotelis rationum ſtrues, cùm nihil ad Platonis ideam pertineat, facilè euaneſcit.

Ariſt. 1. Mor. Nicomach.

PRÆTEREA cùm Plato boni ideam ſtatuit, & in illius adeptione ſummam totius beatitudinis humanæ collocat, hanc boni ideam non pro affectione, ac perfectione, quæ in nobis recipitur (vt putat Ariſtoteles) ſed pro obiecto externo vſurpat, quod eſt ipſe Deus. Nam vt ex priori idearum diſtinctio- A ne, quam ex mente Platonis propoſuimus, manifeſtum eſt, idea boni, vel ſummum bonum bifariam ſumi poteſt: primò, pro obiecto ipſo, in quo ſummum bonum eſt poſitum, vel pro affectione ac perfectione boni nobis inhærente. De idea boni, vt perfectio animi interna eſt, agit Plato in Phedro præſertim, & in Philebo, vbi ſummum bonum in ſapientia conſtituit, cuius prudentia comes eſt, & actio pediſſequa, ex quibus tandem gaudium naſcitur. Hæc cùm ſummo bono ab Ariſtotele conſideratq; reſponderet, ſi minùs illi probaretur, impugnan- B da erat, quàm tamen integram reliquit. At cùm Plato ideam boni tanquam obiectum in ſexto & ſeptimo de Repub. à quo animi beatitudo flueret, conſideraſſet, eámque à mente diſtinctam ac ſeparatam propoſuiſſet, ratus Ariſtoteles, Platonem de mentis interna idea agere, cùm Platonis mentem ac ſententiam aſſequutus non fuiſſet, illud idearum genus velut vanum, ac commentitium oppugnare cœpit.

PLATO igitur cùm in idea boni ſummam fœlicitatem conſtituit, ſanè beatitu- C dinem in Deo tantummodò quærendam cenſet; quem noſtræ beatitudinis obiectum ſolùm eſſe docet, à quo bonorum omnium fons in nos manat: ita enim ait in ſexto de Repub. *Arbitror in ordine ipſo intelligibili, boni ipſius ideam ſupremam exiſtere, vixque videri: ſi autem viſa fuerit, aſſerendum eam omnibus omnium rectorum, atque bonorum cauſam eſſe: cùm ipſa in loco viſibili lumen creauerit, luminiſque auctorem: in ipſo verò intelligibili regnet ipſa, veritatémque, & mentem protulerit: quam noſſe neceſſe ſit omnem quicunque ſana mente, quicquam vel priuatè, vel publicè eſt acturus*, &c. Et in 6. Dia- D log. *Boni idea* (inquit) *eſt maxima diſciplina, qua quidem & iuſta, & alia ſi vtantur, vtilia & conducibilia fiunt: atque hoc me dicere fermè velle ſcito; & id præterea, quòd ipſam non, vt ſatis eſt, cognoſcimus. Si verò eam neſcimus, & ſine ea cætera quàm maximè nouerimus; ſcita nullam ex eis in nos vtilitatem redundare, veluti neque prodeſſet nobis quicquam, quod ſine bono poſſideremus.* Quod etiam confirmat Alcibiade ſecundo.

Plato 7. de Rep.

EN, quàm apertè Plato ideam boni, vel ipſum Deum, vel ipſius Dei cognitionem eſſe ſentit, cùm ei diuina omnia tribuit. Primùm E enim in ordine rerum intelligibilium, ac immaterialium ſupremam vocat: quod perinde eſt, ac ſi diceret, ipſam ſupremam naturam intellectualẽ eſſe. Deinde inuiſibilẽ homini proponit; quod Dei ipſius attributũ eſſe noſcitur: qui etiam inuiſibilis propterea à D. Paulo aſſeritur, quòd omnẽ humanã intelligentiã excedat. Tũ verò in illius viſione omniũ bonorum fontem, ac originẽ latere affirmat; quod de viſione illa cœleſti ac beata intelligendum eſt, de qua ait Saluator apud

Io. 17.

Io. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum.* Cùm verò hæc viſio animæ non contingat, niſi per aliquod lumen à Deo in animo creatum, à quo ad diuinum & increatum illud lumen intuendum extollatur, de quo ait Dauid. *Et in lumine tuo videbimus lumen*, quod à Theologis noſtris lumen gloriæ nuncupatur: atque eo duce ac miniſtro animus ad inuiſibile Dei lumen contemplandum diſponitur: hinc Plato, ideam boni in loco viſibili (animo videlicet) lumen creare affirmat. Haud tamẽ exiſtimo Platonẽ lumen illud creatum glorię attigiſſe, quod Theologi noſtri clariori fidei lumine præditi docuerũt.

Porrò quod ibi addit ipſam boni ideam in ipſo intelligibili regnare, & veritatem, & mentem ex ſe proferre: fortè abditiſſimum his verbis Trinitatis myſterium Plato inſinuare voluit, quæ totius gloriæ, ac beatitudinis eſt obiectum. Quid enim eſt ideam boni vtrumque & veritatem & mentem ex ſe proferre, pręterquã Patrem, veram perſonam, Filiũ, ſcilicet, ac Spiritum ſanctum, cum filio ex ſui ſubſtantia producere? nam tametſi nomina non explicauerit Philoſophorum more, rem tamen tenuiſſe videtur. Regnat igitur Pater velut idea boni (ipſi enim bonitas tribuitur) in tota intellectuali natura, ſiue intellectualem naturam, diuinam ipſam intelligas; quandoquidem ipſe eſt cæterarum diuinarum perſonarum principium; cuius ſubſtantia ac natura cæteris communicatur, ac in eis viget. Siue intelligibilem naturam, pro humana, vel Angelica vſurpes, quibus diuina natura ſupereminet, ac beatitudinem confert. Demum vides quàm perſpicuè de diuina natura hîc loquatur, cùm illius cognitionem ita neceſſariam eſſe dicit; vt ſine ea cæterarum omnium rerum cognitionem homini ne quidquam prodeſſe ſentiat. Quod non tam fidei, quàm Philoſophiæ notum eſt de ſolo Deo dici poſſe: qui cùm ſit prima rerum cauſa, ac omnium finis, eo ignorato omnem tum rerum veritatem, tum ſupremum finem ignorari neceſſe eſt. Quamobrem in hac Dei viſione ac connexione veram ac totam hominis fœlicitatem docet conſiſtere.

Plato in Phæd.

Qnod etiam clariùs explicat in Phædone, cùm animam à corpore ſolutam (ſi pura diſceſſerit) ad Deum abire, atque illius luce ab errore omni & ignorantia illuſtrari, ac tandem illius coniunctione fœlicem euadere affirmat. Et in ſexto de Rep. ait, hominem ſapientiæ ſtudioſum nunquam quieſcere, quovſque propriàm cuiuſque naturam ſua animi vi attigerit: *quia* (inquit) *cùm adhæſerit, ſéque ei, quod verè eſt, miſcuerit; atque inde reuerà intelligentiam, veritatémque genuerit: cognoſcet vtique verum, veréque viuet, atque aletur.* Hæc pro Platone dicta ſint.

Plato 6. de Rep.

Cæterùm hanc Platonis ſententiam tuetur Plotinus Ennead. 6. lib. 9. c. 10. vt ſuprà declaratum fuit: vbi ſupremum hominis bonum in vnitate cum Deo collocat. Ac eandẽ prior tradiderat Mercurius Trimeg. tum in 1. cap. Pimãdri, tum etiam in 4. quòd *Crater* ſiue *Monas* inſcribitur, vbi animas Dei intuitu, ac perfecta cum eo vnione fœlices, ac beatas decernit. *Quicunque verò* (ait) *Dei natura fulti ſunt, ò Tati ſecundùm operum comparationem, pro mortalibus immortales habentur, intelligentia ſua cũcta cõplexi quæ in terra ſunt, & quæ in mari, & ſi quid eſt, præter ea ſupra cælum. Atque adeò ſeipſos erigũt, vt ipſum quoque bonum intueantur. Quod ſanè cùm perſpiciunt, eam qua hîc veſcimur vitam, miſeriam quandam arbitrantur, deſpiciẽtes vtique, tum etiam corporea ad vnum ſolum feruntur.* Idem etiam confirmat in Aſclepio.

Plotinus Ennead. 6. l. 9. c. 10.

Merc. Trimeg. in Pimand. c. 1. & 4.

Probatur verò hæc noſtra aſſertio nonnullis rationibus. Prima ratio ſit. Quòd Philoſophis exploratũ eſt, rẽ nullam alibi quã in propria cauſa poſſe quieſcere. Ab ea enim pẽdet, cõſeruatur, & regitur. At perſpicuum eſt, Deum ſolam ac propriam animæ cauſam, ac ſummum opificem eſſe, à quo tam in eſſe, quã in conſeruari pendet. Neque enim anima ſeipſam, aut genuit, aut cõdidit, aut aliquo modo ſui ipſius cauſa eſſe potuit; cũ omnino abſurdum ſit, idem à ſeipſo cauſari; ſequeretur enim idem eſſe & cauſam, & effectum reſpectu eiuſdem, tum à ſeipſo diſtingui. Aliam igitur animę cauſam, nempe Deum ipſum agnoſci opus eſt, qui cùm immortalis ac omnipotens ſit, ſolus quoque animam immortalem condere potuit. Cùm ergo effectus ſemper ad propriam cauſam tendat, Deus verò propria animæ cauſa exiſtat, inde conſtat eam in ſolo Deo poſſe quieſcere, ac beatitudinẽ cõſequi.

Secunda ratio. Idem eſt finis alicuius rei ac ſuum principium. Mixta enim quæ ex elementis componuntur, in eadem reſoluuntur: & quilibet effectus naturaliter ad originẽ ſuã, vnde eductus eſt, trahitur. Ea enim eſt à natura principio indita vis, vt ad ſe ſuos partus alliciat. Deus ergo cùm (vt notum eſt) animæ principium ſit & origo, vtpote quæ ab eo condita eſt, vt illuſtriores Philoſophi ſentiũt: illam etiam occulta quadam ac naturali virtute ad ſeipſum tãquam ad finem compellit; quò fit, vt cùm anima in fine duntaxat, quod illi optimum eſt, quieſcat: hinc manifeſtum ſit animam in ſolo Deo eſſe beatam.

Tertia. Anima ad Deum naturaliter tanquam ad optimũ tendit, quod vel ex eo colligitur, quòd ſicut ea Dei prolepſim, ac cognitionẽ, ita illius Religionem ſibi innatã habet. Igitur ea nec quieſcere, nec beari poteſt, quouſque Deũ perfectè aſſequuta fuerit. Sed perfecta Dei aſſequutio abſque beatitudine haberi non poteſt: ergo anima quouſque Deum adepta fuerit, beata eſſe non poteſt: beatitudo igitur non eſt niſi in ſolo Deo.

Qvar

Digitized by Google

QVARTA. Summum ens & ſummum bonum ad inuicem conuertuntur. Id patet ex boni & entis conuerſione à Philoſophis tradita: ſed Deus eſt ſummum ens, igitur quoque eſt ipſum ſummum bonum, ſed in ſummo bono tantùm eſt vera beatitudo, ergo ea tantùm eſt in Deo.

QVINTA. Animus humanus appetit beatificari in bono vniuerſali, perpetuo, ac immutabili. Patet de bono vniuerſali, quia id eſt obiectum voluntatis, quo adepto quieſcit voluntas. Clarum eſt etiam de bono perpetuo, quia cùm animus immortalis ſit, expleri non poteſt niſi immortali bono. Denique perſpicuum eſt de bono immutabili, quia cùm bonum mutabile irrequietum ſtatum indicet: animus verò quieſcendo ſit beatus; inde bonum immutabile appetit, vt nunquam beatus eſſe deſinat. Accedat quòd beatitudo in vltimo fine ſita eſt: at finis vltimus eſt incommutabile animi bonum: hinc animus dum ſummam fœlicitatem in finis conſequutione quærit, immutabile bonum expetit. At vbinam vniuerſale, perpetuum & incommutabile bonum, præterquàm in Deo reperire poteſt, in quo ſunt omnes rationes boni? Deus namque eſt ipſum vniuerſale, & infinitum bonum, quod vniuerſa bona complectitur, vt habetur Exod. 33. *Veni, & oſtendā tibi omne bonum.* Eſt quoque perpetuùm, & æternum nulli omnino corruptioni obnoxium, cùm Deus ipſe æternus ſit ac immortalis; vt ait Paulus Tim. 1. *Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili, ſoli Deo honor, & gloria.* Eſt tandem immutabile, quòd nulla vnquam rerum viciſſitudine minui, aut mutari poteſt: vt ait Iacobus epiſt. c. 1. *Apud quem non eſt transſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* Inde igitur apertiſſimè conſtat veram, ac perfectam beatitudinem tantùm in Deo quærendam eſſe.

HIC tamen moneo, bifariam poſſe beatitudinem conſiderari. Primò, vt ipſum ſummum bonum eſt, quo beati efficimur. Secundò, vt eſt ipſa delectatio, aut voluptas ſummi boni, quæ in animo ex aſpectu ac poſſeſſione illius exoritur. Primo modo Deus eſt ipſa hominis beatitudo obiectiua: cùm ipſe ſit ipſum ſummum bonū; quo beatificatur animus; atque hoc ſenſu beatitudinem hoc loco intelligimus, cùm beatitudinem ab omni re creata penitus auellimus, & in increato tantùm bono collocamus. Altero modo beatitudo eſt aliquid creatum bonum, cùm delectatio illa & voluptas, quæ ex aſpectu ſimul & poſſeſſione ſummi boni in animo relinquitur, tunc primùm in eo creatur cùm beatus eſſe incipit. Quapropter beatitudo ita conſiderata non eſt Deus, ſed Dei duntaxat donum creatum.

PORRO licèt rudes ac ignari homines, qui propria tantùm commoda ſpectant, bea-

A titudinem hoc ſecundo modo conſideratam amplectantur, & in guſtu ac voluptate ſummi boni potiſſimùm collocent, perfectiores tamen, & qui meliùs de vera beatitudine iudicant, magis ipſum ſummum bonum viſum ac dilectum, quàm illius delectationem animo conceptam, veram fœlicitatem eſſe ſentiunt.

HIS ergo teſtimoniis ac rationibus conuicti Atheiſtæ videant, qua ratione beatitudinem è medio tollant. Reſipiſcant igitur, & ad ſeipſos redeant, certámque piis ac probis hominibus paratam poſt mortem eſſe fœli-
B citatem, quàm certiſſimè ſibi perſuaſum habeant.

Demonſtratur in quo vera beatitudo formaliter conſiſtat.

ARTICVLVS IV.

DIXIMVS hominis fœlicitatem in eo conſiſtere, vt animus perfectè nectatur cum Deo tanquam ſupremo ſuo bono, ac vltimo fine; quod cùm animus in hac vita, quandiu corpori eſt alligatus, adipiſci mini-
C mè queat, ob imperfectum illius ſtatum, quo à præſtantiſſima ſua actione impeditur, & peregrinus adhuc in via verſatur, in qua quidem cùm ad Deum velut ſupremum finem appetitu properet, quàm reipſa nec dum complexus eſt, id ſolùm poſt diſſolutionem aſſequi ſperat. Hinc quæſtio inter ſapientiores vertitur: Quodnam illud ſit, quod animum perfectiſſimè Deo coniungat, ac beatum reddat; num cognitio, an affectio ſit? hæc enim duo certatim videntur ſibi primatum in hominis fœlicitate vendicare velle.

CELEBRIS eſt hæc quæſtio inter illuſtriores Theologos, nedum Philoſophos. Nam D.
D Thom. in 4. diſt. 49. q. 1. & 1. 2. q. 3. art. 4. cenſet beatitudinem præſertim in actu intellectus, ac clara Dei cognitione exiſtere; quem ſequuntur omnes Thomiſtæ, & Durand. in 4. diſt. 49. q. 4. Et ex Philoſophis huic ſententiæ videtur fauere Ariſtoteles; qui in primo & decimo Moral. ſummum hominis bonum in contemplatione collocat, quæ ad intellectum pertinet; tametſi is non alterius quàm huius tantùm vitæ fœlicitatem propoſuerit: at veriſimile eſt, ſi is alterius vitæ fœlicitatem definiſſet, eam non in alterius poten-
E tiæ, quàm intellectus actu fuiſſe repoſiturum; cùm in eo ſummam huius vitæ fœlicitatem collocaſſet.

D. Thom. Durand. Ariſtotel.

CONTRA verò Scotus, ac Scotiſtæ vniuerſi in 4. diſt. 49. q. 1. ſummam fœlicitatem contendunt in actu voluntatis conſiſtere, quo beati Deum clarè viſum diligunt, ac beata illa dilectione, quæ fruitionem parit, Deo ſtrictiſſimè connectūtur. Cui aſſentiunt Gabriel.

Scotus in 4. Gabriel.

Q 4 ſupplem.

Maior. Richard. Plato. Plotinus. Trimegiſt.

ſupplem.quæſt. 2.art. 3.dub. 1. Maior eadem diſt 49.quæſt. 5.& nonnihil Richardus ead. diſt.art.1. quæſt. 7. Atque inter Philoſophos huic ſententiæ videtur magis fauete Plato in Phædone, & in 7. & 10. de Rep. Plotinus Enn.6. lib. 9. c. 10. & Mercur. Trimeg.1.cap. Pimand. qui ſummam hominis fœlicitatem tunc otiri cenſent, cùm animus perfectè Deo fruitur, ac eidem affectione connectitur.

D. Bonau. Richard.

Svnt alij, inter quos ſunt D. Bonau. in 4.eadem diſt. q. 5. & Richard. ibidem art. 1.q.6.qui beatitudinem in vtroque actu tam intellectus, quàm voluntatis collocant; & tunc hominem perfectè beatum fieri cenſent, cùm Deum videt, & eo viſo fruitur. Prior vtraque ſententia ſuis rationibus priùs diſcutienda erit, deinde quid de hac controuerſia, quæ innumeras altercationes parit, ſentiendum ſit, candidè aperiam.

Rationes primæ ſententiæ in duplici via verſantur. Quædam enim ea via incedunt, vt beatitudinem potiùs in actu intellectus, quàm in actu voluntatis ſitam eſſe hac ratione contendant: quòd intellectus priùs, ac magis ſummum bonum apprehendat, & aſſequatur, quàm voluntas. Aliæ verò ea ratione beatitudinem ad intellectum pertinere demonſtrant, quòd ea nobilior, ac præſtantior potentia ſit, quàm voluntas.

D. Thom. p. 1.q.3.art.4.

Prima ratione ita vrget D. Thom. p. 2.quæſt.3.art. 4.in corp. quæſt. Voluntas per ſe non tendit in finem, neque in ſummum bonum, aut obtinendum, aut iam obtentum; niſi adminiculo alterius potentiæ. Ergo voluntas per ſe, aut ſuomet actu, non aſſequitur ſummum bonum. Cùm verò beatitudo eſſentialis ſit aſſequutio ſummi boni: igitur ea ad actum voluntatis formaliter non pertinet. Aſſumptum probatur à D. Thom. duobus modis. Primò, nam actus voluntatis circa finem, vel eſt ipſum deſideriũ finis adhuc abſentis; vel delectatio in fine iam præſenti, in quo quieſcit. Vterque actus finis præſentiam requirit, tametſi diuerſimodè: nam deſideriũ ita finis præſentiã exigit, vt eo tantùm cognito cõtentũ ſit. Quies verò, ac delectatio præſentem finẽ ita amplectitur, vt eo etiã fruatur, ac in eo conquieſcat; hanc verò finis præſentiam nullo modo ex ſe habere poteſt voluntas, niſi ea illi ab intellectu adminiſtretur. Secundò, quia ſicut finem rei ſenſibilis, velut pecuniæ non aſſequimur per voluntatis actum, ſed per præſentis pecuniæ apprehenſionem, qua habita delectamur. Ita finis rei intelligibilis, qui eſt beatitudo, voluntate non attingitur, ſed intellectu tantummodò, quo illa præſens efficitur, ac apprehenditur: qua apprehenſa voluntas delectatur, & quieſcit.

Secvnda ratio habetur in reſp.ad 2.ibid. Primum obiectum voluntatis non poteſt eſſe actus voluntatis; ſicut nec primum obiectum viſus eſt viſio: ſed aſſequutio ſummi boni, quæ eſt ipſa beatitudo eſſentialis, eſt primum obiectum volũtatis, ergo illius actus eſſe non poteſt.

Caiet. in lit. art.4.

Tertia ratio eſt Caietani in litera art.4. Amor (inquit) abſtrahit ab habito, & non habito obiecto: cùm ſit vtriuſque. Id patet de amore amicitiæ, & concupiſcentiæ: item de actu charitatis, qui eiuſdem eſt ſpeciei in via, & in patria: ſed amor eſt actus voluntatis in beatitudine quieſcentis. Igitur actus voluntatis non eſt conſequutio obiecti beantis, ac proinde non eſt beatitudo formalis.

Qvarta ratio altera via incedit: ac nobilitatis principatũ intellectui potiùs, quàm voluntati cedendum contendit: atque vt intelligatur quo fundamento hæc, ac cæteræ rationes, quæ ſubiicientur, præſertim innitantur; illud vtrique ſententiæ commune eſt: beatitudinem eſſentialem in nobiliſſimo actu nobiliſſimæ potentiæ eſſe collocandam. Quapropter eo de vtrauis animi potẽtia demonſtrato, inde facilè conſtaret, cui potentiæ primò, ac per ſe formalis beatitudo competeret.

Probatvr igitur intellectũ voluntate eſſe nobiliorem. Nam ea eſt nobilior potentia, quæ cæteras potentias velut regula dirigit: ſed talis eſt intellectus reſpectu voluntatis. Ergo intellectus eſt voluntate præſtantior. Maior patet, minor probatur: nam voluntas per ſe eſt cæca quædam potentia, quæ nihil prorſus operari poteſt, niſi intellectum ducem habeat. Inuiſa enim (vt ait Auguſtinus) amare poſſumus, incognita nequaquam. Præterea actus voluntatis, cùm ad aliquod obiectum fertur, ad illud moueri non poteſt, priuſquam intellectus illud ei obiectũ oſtenderit. Cùm igitur voluntas beatitudinem amare non poſſit, aut ea frui, niſi priùs intellectus ei beatitudinem oſtenderit: inde patet in intellectu primò, ac principaliter beatitudinem eſſe collocandam.

Aug.

Qvinta ratio. Actus ille eſt nobiliſſimus, ad quem diſponit nobilior habitus, ſed aliquis habitus intellectus eſt nobilior quocunque habitu voluntatis, ergo actus qui ex eo habitu conſurgit, erit nobilior quocunque voluntatis actu. Minor patet ex Ariſtot. 1.Metaph. vbi ait ſapientiam eſſe nobiliſſimum habitum; quod etiam repetit 6. & 10. Ethic. Cùm igitur nobiliſſimus ſit intellectus actus; cõſtat in eo beatitudinẽ reponi debere.

Ariſt.1.Met. Ethic. 6. & 10.

Sextò, illud eſt præſtantius, quod ſine alio eſt perfectius, ac eligibilius; ſed intellectio ſola eſt perfectior, & eligibilior voluntate ſola: ergo intellectio ſola, quæ eſt actus intellectus, eſt præſtantior volitione ſola, quæ eſt actus voluntatis. Minor probatur; nam intellectio ſola eſt actus perfectus, neque alio

ad ſui

ad ſui conſtitutionem indiget, quàm ipſo obiecto: at volitio non ſolùm obiecto indiget, ſed etiam ab intellectu pendet, à quo obiectum ſibi demonſtrari expectar. Ergo beatitudo formaliter in intellectu conſiſtit, tanquam in nobiliori potentia, cuius actus omnium aliarum potentiarum actum nobilitate antecellit. Hæ ſunt primæ partis rationes.

ADVERSAM partem tuetur Scotus his rationibus, ex eodem duplici capite, quo prior ſententia hauſerat, depromptis.

PRIMA ratio. Natura intellectualis non eſt beata, niſi per operationem, per quam attingit ſummum bonum immediatè, ſed ea per ſolam operationem voluntatis immediatè ſupremum bonum attingit: igitur per ſolam voluntatis operationem eſt beata. Maior nota eſt. Minor probatur. Nam voluntas attingit Deum ſub ratione boni. Intellectus verò tantùm ſub ratione veri. Igitur cùm beatitudo in ſummo bono, non in ſummo vero poſita ſit, voluntas immediatiùs quàm intellectus beatitudinem attingit: quapropter in ea potiùs, quàm in intellectu formalis beatitudo reponenda eſt.

SECVNDA. Actus intellectus ordinatur ad actum voluntatis, non econtrà, cognitio enim ordinatur ad amorem. Nam, vt ait Anſelmus lib. 2. *Cur Deus homo. Ordo peruerſus eſſet velle amare, vt intelligeret.* Et Auguſtinus hominem ait à Deo conditum fuiſſe, vt ſummum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando poſſideret, poſſidendo frueretur. vbi actum intellectus ad voluntatis actum ordinat. Cùm igitur actus voluntatis ſit finis, actus verò intellectus ad eum velut ad finem ordinetur, planè viſio non erit mentis creatæ beatitudo, ſed amor ac fruitio diuinitatis viſæ.

Anſelm. lib. 2. Auguſt.

CONFIRMATVR: quia mens cupit videre Deum, vt ipſum diligat; non autem vult diligere, vt ipſum videat, & ſic dilectio eſt finis. Beatitudo verò cùm in fine tantùm reponenda ſit, conſtat quòd ea non in viſione, ſed in dilectione ac fruitione Dei viſi tantùm conſiſtat.

TERTIA. Beatitudo eſt id quod maximè appetimus, atque in eo potentiæ actu reponenda eſt, quo illud attingimus; ſed ſummum bonum eſt illud, quod maximè appetimus; atque illud non alio quàm voluntatis actu attingimus, igitur ſolo voluntatis actu beatificamur.

CONFIRMATVR. Nam voluntas magis appetit ſuam perfectionem intrinſecam, quàm perfectionem intellectus: intrinſeca autem voluntatis perfectio in ſuo actu, non in actu intellectus poſita eſt. Igitur cùm voluntas appetit ſummum bonum, in quo eſt beatitudo; non intellectui, ſed ſibi illud appetit. Ergo vt expleatur voluntatis appetitus, ne-

A ceſſe eſt beatitudinem in actu voluntatis collocari.

QVARTA ratio ex ſecundo capite, quod potentiarum nobilitatem intuetur, depromitur. Beatitudo eſt ſummus actus ſummæ potentiæ, ſed actus, qui eſt charitas perfecta, ac Dei fruitio, eſt ſummus actus, qui ex ſumma potẽtia manat, quæ eſt volũtas: igitur in charitate ac Dei fruitione tantùm reponenda eſt beatitudo. Minor probatur, quia charitas ex Paulo eſt omnium virtutum præſtãtiſſima. 1. Cor. 13. *Horum autẽ maior eſt charitas*: igitur & præſtantiſſimus erit illius actus qui à volun- *1. Cor. 13.*
B tate oritur, quæ eſt nobiliſſima potentia.

QVINTA. Voluntas intellectu præſtantior eſt, igitur in voluntate, non in intellectu formalis beatitudo collocanda eſt. Antecedens prob. multipliciter. Primò, voluntas mouet intellectũ, ergo eſt perfectior. Secundò, voluntas ab intrinſeco eſt libera. Intellectus ſolùm eſt liber participio voluntatis. At omnis potentia libera longè naturali potentia præclarior eſt: cùm illa ſit ad oppoſita, hæc verò non, vt docet Ariſt. 9. Metaph. Tertiò, ſola voluntas eſt, ex qua oritur meritum beatitudinis, igitur ea ſola præſtantiſſima eſt, in *Ariſt. 9. Metaph.*
C qua hominem beatificari oportet.

SEXTA. Illud eſt melius, & præſtantius, cuius oppoſitum eſt deterius. Sed oppoſitum charitati, videlicet odium Dei, eſt deterius, quàm Dei ignoratio, quæ Dei cognitioni opponitur: igitur præſtantior eſt actus charitatis, qui à voluntate manat, quàm diuinæ cognitionis, qui ab intellectu proficiſcitur. In eo igitur præſertim ponenda eſt beatitudo.

CONFIRMATVR: nam Deum amando meliores reddimur, quàm Deum cognoſcendo. Qui enim Deum agnoſcit, nihil ea cognitione Deo tribuit, qui verò illum amat,
D & ſe, & cuncta, quæ habet, in Deum transfert.

PRÆTER hæc vtraque opinio diuina ſibi teſtimonia arrogat. Pro prima opinione eſt locus Ioannis 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum verum*, &c. Quem locum Aug. lib. 1. de Trinit. c. 8. de beatitudine explicat, item 14. *Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.* Igitur in viſione Patris eſt tota ſufficientia, & beatitudo. Præterea Pſ. 16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* At cùm apparitio fiat intellectui per præſentiam ſummi boni, ſequitur in illius viſione eſſe beatitudinem. His addi poteſt locus ille Io. 1. ep. c. 3. *Cùm apparuerit ſimi-*
E *les illi erimus*: & pleraque alia.

Io. 17. *Aug. lib. 1. de Trin. c. 8.* *Pſal. 16.* *Io. 1. epiſt. cap. 3.*

PRO ſecunda opinione afferuntur etiam plurima Scripturarum loca. Pſ. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Matth. 25. *Euge ſerue bone & fidelis intra in gaudium Domini tui.* Luc. 22. *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam.* Io. 16. *Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.*

Pſal. 35. *Matth. 25.* *Luc. 22.* *Io. 16.*

Apoc. 2.

Apoc. 2.

Apoc. 2. *Vincenti dabo manna abſconditum.* Porrò hæc Scripturarum teſtimonia, quæ beatitudinem in gaudio ac voluptate collocant, eam etiam ad voluntatem pertinere affirmant. Atque hæ potiſſimæ rationes ſunt, quibus vtraque ſententia innititur.

Ego quid de hac quæſtione, quæ ſanè difficillima videtur, ob graues hinc inde congeſtas rationes, ſentiendum iudicem; nonnullis concluſionibus explicabo.

Prima concluſio. *Beatitudo formalis, ſeu eſſentialis non poteſt adæquatè in ſola operatione intellectus conſiſtere.* Quæ concluſio eſt contra primam ſententiam, quæ totam beatitudinis eſſentiam in Dei viſione, quæ eſt actus intellectus, collocat. Declaratur primùm concluſio. Beatitudo bifariam poteſt conſiderari: primùm, collectiuè, vt eſt aggregatum quoddam ex omnibus tam accidentalibus, quàm eſſentialibus bonis, quæ ad beatitudinem tum eſſentialem, tum accidentalem conſtituendam concurrunt. Hoc modò Boëtius 2. de conſol. eam ita deſcribit. *Beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus.* Et Tullius lib. 5. Tuſcul. quæſt. *Exiſtimo beatos* (inquit) *qui ſunt in bonis omnibus, nullo adiuncto malo.* Neque ab hoc ſenſu videtur abhorrere D. Aug. 13. de Trin. c. 6. & 7. cùm ait. *Beatus eſt, qui habet quicquid vult, & nihil mali vult.* Secundò, formaliter & eſſentialiter, ita vt nihil ei inſit, quod non ſit de eſſentia beatitudinis. Hinc formalis ea beatitudo eſſe dicitur, quæ per ſe hominem perfectè cum Deo coniungit, eáque ſola nullo aut detracto, aut adiuncto, ad hominem beandum ſufficit; quam Theologi communiter in adeptione ſummi boni conſtituunt.

Boetius 2. de conſol.

Tull. lib. 5. Tuſc. quæſt.

Aug. 13. de Trini. c. 6.

Hoc explicato probatur cõcluſio prima, & ſecunda ratione ſecundæ ſententiæ. Iis enim demonſtratur intellectum per ſe non ſufficere ad conſequutionem ſummi boni; tum quia per ſe non apprehendit, neque attingit ſummum bonum, cùm illud non attingat ſub ratione boni; ſub qua videtur eſſe formale obiectum beatitudinis, ſed tantùm ſub ratione veri: quapropter indiget voluntate, quæ cùm ſola illud ſub ratione boni amplectatur, intellectum ad ſummi boni amplexum ducit. Tum etiam quia intellectus ad voluntatem tanquam ad finem ordinatur: idcirco enim datus eſt homini intellectus, vt ſummum quidem bonum intelligat, at intelligendo volũtatem ad dilectionem illius pertrahat (vt ait Aug.) vtque voluntatis dux ſit, atque illam iuxta proprias ac innatas ſibi rationis regulas ad operandum dirigat. Quapropter licèt intellectus ad eliciendum proprium ſpeculationis actum, voluntate (niſi fortè illius aſſenſu) non indigeat: indiget tamen ad ſummum bonum aſſequẽdum. Nunquam enim intellectus abſque volũtatis actu,

A quo ipſa ſummum bonum velit ac proſequatur, illud ſpeculando adipiſci poterit. Cùm verò intellectus ſuo actu ſummum bonum ſine voluntate conſequi nullo modo queat: quomodo illud ſine voluntatis actu attingere valebit? Intellectus enim cùm ſummum bonum vel cognitione, vel viſione, quæ clara cognitio eſt, ſibi præſentem habet, illud tantùm voluntati amplectendum oſtendit; id ſiquidem muneris tantummodò intellectui præſcribitur, præter quod nihil ſibi arrogare poteſt. Ita fit, vt non priùs intellectus Dei viſione beatus eſſe valeat, quàm voluntatis conſenſus acceſſerit, ac Deum viſum amplexata fuerit. B

Detur namque (vt exemplo vtar) aliquis intellectus, cui ſummum bonum in viſione ſit præſens, illúdque renuat voluntas; id licèt in patria propter efficacem voluntatis determinationem, & in bono confirmationem contingere nequeat: tamen ex potentiarum natura, quæ diſtinctos actus habent; tum ex ipſius voluntatis libera poteſtate, quæ hanc ſibi naturaliter virtutem inſitam habet; vt quoſcunque intellectus actus ſuæ poteſtati relictos poſſit tenuere; illud dari non repugnat: quod, frequenter modò accedere ſolet, cùm oblatum ſibi ab intellectu aliquod bonum, atque adeò ipſum ſummum bonum, volũtas ſæpe reſpuit: quò fit, vt etiam pro illo ſtatu ſua libertate vti poſſit, niſi ab extrinſeco Dei dono libertas in malum vincitetur. Quæro an intellectus ea viſione ſummi boni renuente voluntate eſſet beatus? Si id affirmetur, ſanè abſurdiſſimum ſequi neceſſe eſt, beari, ſcilicet, intellectum non beata voluntate: neque enim voluntas nolens beata eſſe valet, cùm ad beatitudinem voluntatis illius ſatietas neceſſaria ſit, quæ ſanè correret, ſi beatitudo illi inuitæ contingeret: quandoquidem ea ſatiari minimè poſſet: cùm ſatietas inde oriatur, cùm id quod maximè appetitur, habetur. Immò cùm inuitæ voluntati beatitudo contingeret, ea potiùs miſera & infœlix cenſenda eſſet; cùm id ſibi, quod nollet, accideret: intellectus verò cùm neque volens, neque nolens ſit; neque vlla prætetquàm voluntatis libertate ad beatitudinem feratur: quò fit, vt neceſſariò ea intellectus nolit, quæ voluntas reſpuit; quomodo is renuente voluntate, nolens beatus eſſe poteſt? C D

Si verò (vt par eſt) negetur intellectum non aſſentiente voluntate beari poſſe. Igitur in ſolo actu intellectus beatitudo haud collocari debet. Atque huc ſpectant illa Auguſtini & Anſelmi dicta, quæ ibi commemorauimus, quibus intellectum ad voluntatem ordinari affirmant. E

Respondent nonnulli, practicũ tantummodò intellectum ad voluntatem ordinari, non autem ſpeculatiuum: nam tunc ſolam volun-

volũtatis actionẽ videri aiunt eſſe finẽ intellectus cũ practicus intellectus in gratiã volũtatis operatur. Eum verò practicum intellectum dicunt, qui ad alterius potentiæ operationem ſe extendit. At non ſic ſpeculatiuus intellectus, cuius finis ipſa duntaxat ſpeculatio eſt, ac cognitio rerum, quem voluntate nobiliorem eſſe iudicant, ac præſtantiori actu præditum eſſe.

At quicquid ſit de maiori vtriuſque potentiæ nobilitate; ſi rem rectè, ac diligenter expendant, aduertent profectò, intellectum in homine vnicum tantùm eſſe, ac pro diuerſo operationum ſtatu, nunc practicum, nunc ſpeculatiuum fieri: neque id liberum eſſe intellectui, vt aliquando practicus, interdum ſpeculatiuus fiat; ſed id à voluntatis imperio pendere, quæ diuerſos illi operationum fines præſcribit: cùm enim vel ſciẽtiam, vel rerum cognitionem illi tanquam finem proponit; tunc ſpeculatiuum efficit; cùm verò illius ſpeculatione ad hauriendum dilectionis actum vtitur, practicum præſtat. Ità fit, vt tam practicus, quàm ſpeculatiuus intellectus à voluntate pendeat.

At qua operatione intellectus ſummum bonum attingat, practicáne, an ſpeculatiua? Dicent, ſpeculatiua tantùm actione illud apprehendere, ac ea beatum fieri. At ſanè in id incommodi incidunt, vt hominem naturali tantùm actione, non libera beatum fieri exiſtiment: nam actio ſpeculatiui intellectus ſi à voluntate ſeiuncta ſit, merè naturalis eſt: cùm ab ea potentia fluat, quæ per ſe non liberè, ſed naturaliter tantùm operatur. Huiuſmodi verò eſt ſpeculatiuus intellectus: qui idcirco naturalis potentia cenſenda eſt, quòd præciſo voluntatis actu, ac imperio, is haud ſecus quàm cætera naturalia agentia, naturaliter, & neceſſariò operetur. Oblato enim ſpeculatiuo intellectui (qualem ſcilicet hi ſibi fingunt à voluntate ſecluſum, ac ſibi ipſi relictum) aliquo ſpeculabili obiecto, non poteſt is obiectum illud reſpuere, aut circa illud intelligendo non operari: qua enim ratione illud reſpueret, cùm nulla ex ſe libertate fruatur, qua ad oppoſita ferri valeat? Quòd ſi liberè interdum intellectus nũc iſtud, nunc illud obiectum ſpeculari videatur; id non propria, ſed aliena voluntatis libertate præſtat: quæ cùm ſola libera ſit, intellectum ad diuerſa obiecta intelligenda propellit.

At quis hominem naturali, ac neceſſaria actione vnquam beari exiſtimet? Eadem enim ratione brutis quoque, quæ naturali, ac neceſſaria tantùm actione feruntur, ſi ea immortalitate animæ donarentur, ad beatitudinem aditus pateficeret: quod tamen haud concedendum eſſet: nam tametſi bruta animam immortalem nacta eſſent, cùm nulla animi libertate fruerentur, ad beatitudinis

A præmia aſſequenda prorſus inhabilia forent.

Accedat, quòd cùm beatitudo bonorum tantummodò præmium ſit, ea attingi non poteſt niſi per modum præmij. Præmium verò cùm meriti ſit comes; neceſſariò quoque haud ſecus, quàm meritum, liberam hominis poteſtatem exigit, quæ præmij capax ſit. At ſpeculatiuus intellectus cùm non libera, ſed naturalis tantùm potentia ſit; neque meritum, neque præmium ſuapte natura ſibi vendicet, quo pacto ad beatitudinem ſolus euolare, aut illam per ſe attingere abſque voluntate valet? niſi id fruſtrà

B ſibi effingere velint, beatitudinem immeritis conferri, à quo tota Theologia abhorret. Cùm igitur ſpeculatiuus intellectus à merito beatitudinis arceatur, planè ignoro qua ratione, aut quo iure præmium ipſum ſibi arrogare audeat, niſi id ſibi ex voluntatis dono erogetur. Ex his igitur patet intellectum ſpeculatiua tantùm operatione beatitudinem attingere non poſſe.

Fateri igitur illos neceſſe eſt, qui beatitudinem potiſſimùm intellectui deferunt, illum practica operatione ad ſummum bonum tendere, neque alia actione illud aſſe-

C qui poſſe: quibus & ego lubens aſſentior: quandoquidem practicus intellectus, cùm ad actum voluntatis ordinetur, ac illum velut finem ſubalternum, ac medium reſpiciat, quo ſolo ſummum bonum aſſequi poteſt; ac præterea vterque & intellectus, & voluntas viciſſim ſua munera obeant, ac mutua obſequia ſibi præſtent: intellectus quidem dum ſe voluntati ducem exhibet, voluntas verò dum intellectum ad beatitudinis meritum, ac præmium vocat: inde manifeſtum eſt, ſolum intellectum per ſe ſummum bonum non attingere, ſed tantùm cum voluntate con-

D iunctum: ac idcirco voluntate indigere, quòd ſine illa is ad beatitudinis præmium euolare non poſſit.

Atque id magis ex eo confirmatur, quòd actus intellectus practici eſt à voluntate imperatus: quò fit, vt voluntas in eo intellectus actu includatur. Hinc cùm actus practici intellectus ſine voluntatis actu eſſe non poſſit, perſpicuum eſt intellectum non propria duntaxat operatione, ſed actu voluntatis aſſentientis, ac imperantis ſuffultum beatitudi-

E nem attingere.

Præterea cùm beatitudo ſit præmium creaturæ rationalis, quæ ex intellectu, & voluntate tanquam ex eſſentialibus ſibi potentiis conſtituitur: qua ratione eã magis intellectui quàm voluntati deberi cenſendum eſt? Certè ſi ſeuera de hoc ratio ineunda eſſet, ea priùs voluntati, quæ libera eſt, atque illam ſuo actu meruit, quàm intellectui conferenda eſſet: vt præmium merito reſponderet, ac ius ſuum cuique redderetur: id enim

& ratio

& ratio, & æqua iuſtitiæ diſtributio exigit, vt præmia operariis reddantur, iuxta Chriſti (*Matth. 10.*) præceptum, *Voca operarios, & redde illis mercedem ſuam*: quapropter voluntati priùs, quæ beatitudinem ſuo opere ſibi, & aliis meruit, præmium illud reddendum eſſet; tum intellectui, vt voluntatis miniſtro ac cooperatori: neque enim iotellectui ea ratione præmium debetur, quòd Deum agnoſcat, alioqui etiam dæmonibus maiora præmia deberentur, qui Deum perſpicaciùs; quàm quilibet humanus intellectus, cognoſcunt: ſed cùm tunc ſolùm præmium ſibi reddi mereatur, çùm vel illud optimo volũtaris imperio præſtat: vel Deum idcirco curat agnoſcere, vt voluntatem ad illius dilectionem excitet; hinc præmium iotellectui deberi cernimus, velut à voluntate manans; cùm vel illius recto iuſſui obtemperat, vel ei ad beatitudinem famulatur.

Addo, quòd ſi eſſentialis beatitudo io ſolo actu intellectus poneretur; ſequeretur totum meritum eſſentiale in fide repoſitum eſſe debere, ac proinde eam ſolam ad beatitudinem aſſequendam ſufficere; cùm ei duntaxat præmium eſſentiale reddendum eſſet; quod apertæ hæreſi videtur fauere. Confirmatur; nam viſio tanquam præmium ſucce-(*1. Cor. 13.*)dit fidei merito, vt teſtatur Paulus 1. Cor. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.* (*D. Bern. ſer. 38. in Cant.*) Quem locum D. Bern. ſerm. 38. in Cant. explicat de cognitione Dei, quæ io via per fidem habetur, & de viſione quæ illi io patria (*Aug. in Euang. Ioan. tract. 111.*) ſuccedit. At perſpicuè D. Aug. io Euang. Io. tract. 111. ex illis verbis c. 17. *Vt videant claritatem meam, quam dediſti mihi*, colligit viſionem, quæ eſt in patria, eſſe fidei præmium. *Vt videant, dixit* (ita ait Aug.) *non vt credant, fidei merces eſt iſta, non fides. Si enim fides in epiſtola ad Hebræos rectè definita eſt, conuictio rerum quæ non videntur, cur non merces fidei definiatur viſio rerum, quæ credita ſperabantur?* Idem etiam (*Aug. in Pſ. 58. & 109.*) ſæpe repetit in Pſalm 58. & 109. *Quod videre* (inqoit) *nondum poſſumus, ſaltem credamus, vt credendo quod non videmus, etiam videre mereamur.*

Iam ſi præmiom eſſeotiale eſt in ſola Dei viſione, cùm meritum viſioois ſit in ſola fide, ſequitur planè meritum eſſeotiale in ſola fide conſiſtere; ac proinde eam ſolam ad vitam æteroam comparandam ſufficere, quod vniuerſa Catholica fides repellit.

Postremo ſi eſſentialis beatitudo io ſola intellectus operatione ſita eſſet, ſequeretur, fruitionem, quæ charitatis eſt præmium, ad beatitudinis eſſeotiam ooo pertingere: ſed accidentalem tantùm mercedem eſſe, ac proinde dilectionem Dei, quæ fruitionem meretur, cùm accidentale duntaxat meritom ſit, ad æternam beatitudioem conſequendam A minimè neceſſariam eſſe: qui eſt apertiſſimus error, apertè cùm Scriptura pugnans, quæ in dilectione eſſentiale meritum conſtituit, vt patet Luc. 10. *Magiſter quid faciendo vitam æternam poſſidebo? at ille dixit ad eum. In lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis? Ille reſpondens dixit; diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, &c. Dixit illi. Rectè reſpondiſti: hoc fac & viues.* (*Luc. 10.*) Et Matth. 22. *In his duobus mandatis tota lex pendet, & Prophetæ.* (*Matth. 22.*)

Confirmatur: nam cùm ab alicuius rei eſſentia, ea integra ac ſalua, omne illud B præſcindi queat, vel ſaltem tolli non repugnet, quod illius eſſentiam non conſtituit; præſcindatur igitur fruitio, quæ eſt perfecta Dei dilectio, à ſuprema illa beatorum fœlicitate: oum beatitudo ſine Dei dilectione cooſiſtere poterit? cùm ea omnis beatitudinis fons, & origo ſit (teſte Ioanne ep. 1. c. 4.) (*1. Io. 4.*) *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Quo pacto Dei dilectio velut accidentale præmium à beatitudine excludi poteſt, cùm beatitudo ipſa formalis ſine perfecta Dei dilectione ne quidem excogitari poſſit? cuius rei teſtis eſt Io. ep. 1. (*1. Io. 3.*) C c. 3. *Qui non diligit, manet in morte*: nam ſi vbi nulla eſt dilectio, ibi eſt mors, ſublata à formali beatitudioe Dei dilectione, ea oon beatitudo, ſed mors potiùs dicenda eſt. Demum cùm Paul. 1. Cor. 13. dicat; charitatem nunquam excidere, ſed magis in beatis perfectam fieri, ac perpetuò manere: (*1. Cor. 13.*) quomodo ea accidentalis beatitudo eſſe poteſt, quæ ſuapte natura nuoquam poteſt excidere, ſed perpetua io beatis manet, tanquam intima ac eſſentialis voluntatis perfectio?

Hæc igitur cùm ad beatitudinem comparaodam à Deo via homioibus relicta ſit, vt D Deum toto corde diligant, ac io Dei dilectione totius beatitudinis meritum poſitum ſit, vt teſtatur Chriſtus apud Io. c. 14. *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* (*Io. 14.*) Atque hæc quoque intima, ac eſſentialis omnium diuinorum præceptorum medulla ſit, qua ſola ad vitam æternam nobis aditus recluditur. Hæc deoique à Paulo vinculum totius perfectionis tam humanæ, quàm cœleſtis celebretur; quo ſoloto nulla, neque in cœlo, neque in terris perfectio reliqua eſt. Quis illam à beatitudiois eſſentia arcere audeat; aut ſioe E illa homioem beari poſſe exiſtimet?

Ex his igitur perſpectũ ſit, in ſola intellectus operatione formalem ac eſſeotialem hominis beatitudinem ooo poſſe cooſiſtere.

Porro, argumenta primæ ſeoteotiæ, quæ oegotium oobis faceſſere videntur, facilè diluuotur. Primum argumentum nihil contra cooclusiooem noſtram molitur: probat enim tantùm voluntatem per ſe ſine intellectu

ſummum

ſummum bonum attingere non poſſe, cui & ego aſſentior: cùm id ſequentem noſtram concluſionem magis confirmet.

Secundum etiam parum ad nos attinet; præterquàm quòd actum voluntatis à beatitudine omnino expellit. At reſpõdetur, primum ac proprium obiectũ voluntatis non eſſe conſequutionem ſummi boni, ſed ipſum bonum in vniuerſaliſſima ſui ratione ſumptum, quod ad creatum & increatum bonum extenditur. Aliud enim eſt bonum ipſum, & aliud aſſequutio boni: bonum enim quatenus eſt obiectum voluntatis, eſt quoddam abſtractum ab omnibus bonis: at conſequutio boni actionem voluntatis in concreto inſinuat: quæ non poteſt eſſe obiectum voluntatis: ſecus enim voluntas ſuammet actionem ſibi pro obiecto vendicaret, vt probat argumentum: quare non ſequitur aſſequutionem ſummi boni ad voluntatis actum non pertinere; cùm voluntas in ea omnia agere poſſit, quæ ſub obiecto ſuo continentur, vt eſt beatitudo, quæ quatenus ſummum bonum includit, cadit ſub obiecto voluntatis.

Ad tertium Caietani dicimus. Quòd ſi intelligat ſolùm amorem in patria beatitudinem non attingere, eidem aſſentimur. Si verò amorem à beatitudine eſſentiali ea ratione velit excludere, quòd amor tam appetentis animi ſit, quàm poſſidentis: ac propterea à complexu beatitudinis ſit excludendus. Dicimus, amorem alio modo ſe habere in appetente beatitudinem, quàm in poſſidente: nam in appetente ſe habet per modum deſiderij & appetitus; ſed in poſſidento per modum quietis. Cùm verò ſe habet per modum appetitus, ad beatitudinis complexum tendit: quò fit, vt amor non per ſe, ſed tantùm per accidens ab habito, & non habito abſtrahat: quatenus ſcilicet non habet obiectum beatitudinis præſens. At licèt pro hoc ſtatu à beatitudine abſtrahat; haud tamen à deſiderio beatitudinis: quapropter etſi pro hoc ſtatu, quandiu per modum appetentis ſe habet, beatitudinem non attingat; tamen pro ſtatu patriæ, cùm amor per modum quieſcentis ſe habebit, ad eum beatitudinis conſequutio proculdubio ſpectabit; cùm amor niſi re habita quieſcere non poſſit, & amoris quies in beatitudine, priùs illius adeptionem præſupponat.

Neque obſtat amoris actum tam in via, quàm in patria eiuſdem eſſe ſpeciei, nam cùm actus viæ, qui eſt appetitus, ad actum patriæ tendat, qui eſt beatitudinis adeptio; planè tandiu imperfectus eſt, quoad in actum comprehenſionis mutetur, ad quem beatitudinis conſequutio pertinet.

At verò idem obiici poſſet Caietano. Cognitio abſtrahit ab habito, & non habito A obiecto, vtriuſque enim eſſe poteſt, vt patet de cognitione Dei per ſpeculum, quæ habetur in hac vita: & cognitione faciei ad faciem, vel viſione quæ in altera ſeruatur; hos verò actus nemo eiuſdem ſpeciei eſſe ignorat, atque ab eodem intellectu procedere. Cùm igitur cognitio ſit actus intellectus abſtrahentis ab habito, & non habito obiecto, id eſt, à Deo vel clarè, vel non clarè ſed obſcurè viſo; ſequeretur actum intellectus non eſſe conſequutionem obiecti beantis, ac proinde in eo beatitudinem formalem reponendam non eſſe.

B Cæteras rationes, quæ probant intellectum eſſe præſtantiorem voluntate, ac propterea in ea primò beatitudinem collocandam eſſe, eatenus admittimus, quatenus voluntatem à formali beatitudine non excludunt. At nec ſimpliciter concedimus beatitudinem præcisè & adæquatè in actu nobiliſſimo nobiliſſimæ potentiæ collocandam eſſe, vt infrà in tertia concluſione demonſtrabimus: ſed in iis nobiliſſimis actibus, ſine quibus eſſentialis beatitudo haberi non poteſt. Quamobrem cùm hæ rationes nihil ampliùs ſibi vendicent, quàm intellectum præ- C ſtantiorem eſſe voluntate, quicquid de hac quæſtione ſit, quæ ad nos non pertinet, eas ſuæ veritati relinquimus. Ex his patet probatio noſtræ concluſionis.

Secunda concluſio. *Beatitudo formalis ſeu eſſentialis præcisè, & adæquatè in ſola operatione voluntatis eſſe non poteſt.* Hæc concluſio eſt contra ſecundam ſententiam, quæ beatitudinem formalem in actu voluntatis præcisè & adæquatè docet conſiſtere. Quam concluſionem egregiè probãt prima & quarta ratio primæ ſententiæ; quæ ſanè mihi ad hoc demonſtrandum inuictæ ac irrefraga- D biles videntur. Illæ ſiquidem demonſtrant voluntatem per ſe ad ſummum bonum ſine ope intellectus moueri non poſſe, quod profectò veriſſimum eſt, nec ab vllo negari poteſt, qui voluntatis naturam non ignorat.

Hæc enim duo tanquam certiſſima ac exploratiſſima ſupponi debent. Primum, voluntatem, ſicut & cæteras potentias ab aliquo obiecto moueri oportere: nec vnquam ſine obiecto ad agendum moueri. Nam cùm id omnibus potentiis commune ſit, tum maximè rationalis potentia ſuo obiecto indiget, E à quo ad agendum excitetur, cùm ea non niſi propter finem agat: finis verò primum omnium in mente locum ſibi vendicet, à quo mens ad agendum impellitur, quo ſublato omnis prorſus mentis actio interiret. Qui enim fieri poſſet, vt voluntas, quæ vniuerſale bonum ſibi pro obiecto conſtitutum habet, ad aliquod bonum appetẽdum moueretur, ſi nullum ei bonum obiiceretur, quod ap-

peteret? Licèt enim voluntas ad omnia obiecta libera ſit, neque ab aliquo obiecto cogatur, ſed omnia æquè eligere ac reſpuere valeat; in quo à cæteris potentiis diſtat, quæ à proprio obiecto determinantur: ea tamen ad aliquod bonum appetendum moueri non poteſt, niſi ab eo illius appetitus excitetur.

Alterum eſt. Voluntati ſuum obiectum notum eſſe debere, vt ab eo excitari poſſit. Si enim bonum aliquod voluntati obiectum fuerit, quod illi omnino ignotum ſit; quomodo illud ad ſe appetendum voluntatem alliciet? cùm voluntas ad ignotum ſibi bonum non feratur, neque ignota animum pulſent, aut ad illum peruenire valeant; vt ſæpè ex Auguſtino probauimus. Quapropter bonum obiectum volũtati præſens ac notum eſſe debet, vt ab eo voluntas ad illud appetendum poſſit moueri. Hæc igitur duo ad excitandum beatitudinis appetitum voluntati neceſſariò ineſſe debent. Beatitudo obiecta, ac ipſius beatitudinis notitia.

Porrò nulli dubium eſt voluntatem vtraque hac virtute orbatam eſſe: ea enim imprimis per ſe beatitudinem, quæ altiſſimè latet, inueſtigare non poteſt, cùm ſuum non ſit obiecta inueſtigare, ſed oblata tantùm aut amplecti, aut reſpuere. Nam tametſi ea intellectui imperare poſſit, vt obiecta inueſtiget; attamen inueſtigatio ad intellectum, non ad voluntatem pertinet. Deinde cùm voluntas nulla cognoſcendi facultate prædita ſit, ſed naturali prorſus cœcitate laboret: beatitudinem licèt obiectam per ſe neque videre, neque agnoſcere valet: neque enim agnoſcere; ſed velle, aut nolle ad voluntatis actus pertinent: quò fit, vt ad proprium actum eliciendum, quo beatitudinem vel appetere, vel amplecti poſſit, intellectus auxilio indigeat, qui beatitudinem illi velut ſummum bonum appetendum proponat, ac præſens amplectendum obiiciat. Hoc enim duplex eſt intellectus munus, primum vt Dux voluntati ad beatitudinem ſit, tum vt illius velut oculus ſit, quo obiectam beatitudinem cernat, ac proſequatur.

Ex quo tandem duo perſpicua ſunt: Vnum quidem, voluntatem per ſe, abſque intellectu, neque ad ſummum bonum, neque etiam ad proprium obiectum tendere poſſe; cùm illud ipſi ignotum ſit, ac propterea intellectus ope indigere, quò ſummum bonum illi præſens fiat. Alterum, quòd ea ſummum bonum amplecti non poteſt; niſi adiunctum ſibi intellectum habeat, à quo de veritate, ac præſentia ſummi boni ea certior fiat. Neque enim obiicere valent voluntatem ſemel ab intellectu ad ſummum bonum agnoſcendum illuſtratam, ſemper deinceps illud agnoſcere; neque vlla intellectus luce amplius in-
A digere: cùm enim voluntas tam in appetitu quàm in adeptione ſummi boni proprias, & naturales tenebras patiatur, neque vllius illuminationis capax ſit, vtpote quæ omnis cognitionis, ac intelligentiæ facultate caret; prævio ſemper intellectu, velut duce indiget, qui & ſummum bonum illi appetendum dictet, & præſens ſibi amplectendum teſtetur.

Havd alioqui ſanè quàm ſi cæcus quiſpiam viæ duce ſibi adhibito ad conuiuium ſibi paratum pergeret. Is cùm omni videndi potentia penitus orbatus ſit, non ſolùm ad carpendam viam ductore ſuo indiget, ſed B etiam cùm præſens conuiuio fuerit, ab eo inſtrui debet, quas ſibi epulas conciliare oporteat, vt iis veſci poſſit. Dux quidem, neque viam, neque epulas cæco oſtendit, quas attingere debeat, cùm eas cæcus videre nequeat: at quò via carpenda, aut quæ epulæ eligendæ ſint, dictat. Quis cæco ſufficere exiſtimet ſemel ab illo de conuiuio ſibi parato audiiſſe; niſi illius quoque ductu, ac diſciplina tum ad viam capeſcendam, tum ad cibos ſibi miniſtrandos, vtatur?

Ita omnino de voluntate ſentiendum C eſt, quæ cùm cæca quædam potentia ſit, intellectũ cunctorum ſuorum actuum ducem ſortita eſt, à quo quid ſequendum, quid fugiendum, quid amplectendum, quidue reſpuendũ illi ſit, inſtruitur. Is ſummũ bonum, ac beatitudinẽ, velut quaſdam cœleſtis conuiuij epulas voluntati appetendas proponit, probat, commendat: qua via ad eas incedendum ſit, dictat, ducit. Tandem beatitudinis epulas præſentes eſſe docet, veritatem teſtatur. Num voluntati ſatis erat, quòd ſemel ab intellectu ſummum bonum ſibi appetendum propoſitum fuiſſet? An non ea ſemper cæca D potentia eſt, quæ nec ſummum bonum agnoſcit: nec iter, quo ad illud properandum ſit, vllatenus perſpectũ habet? At quis illam tandem, cùm iam ad patriam peruenit, præſens ſummum bonum eſſe docet? quis illius veritatem ac immenſitatem ipſi teſtatur? quis in eo ſibi quieſcendum dictat? Hæc planè omnia ſolus intellectus præſtat.

Neqve leuiter exiſtimandum eſt, voluntatis aliam eſſe naturam in patria, quàm priùs in via fuerit: atque hîc quidem cæcam E eſſe, illîc videntem & oculatã fieri. Hæc enim cæca prorſus ſpeculatio eſt, nulli rationi, aut veritati innixa: neque enim animarum cùm ad cœlum pergunt, natura mutatur, ſed tantùm, iuxta prioris conditionis rationem perficitur. Intellectus quidem qui lucis eſt capax, cùm in corpore caligaret, illîc altiſſimè illuſtratur; haud tamen libertatem acquirit, quæ priùs ad illius naturam non ſpectabat. Voluntas quoque cùm boni capax ſit, cùm hîc ad bonum eligendum imbecillis eſſet, tunc fortiſſima euadit, vt bonum

Digitized by Google

num ſemel apprehenſum nunquam deſe-
rat : haud tamen intelligentiam, quæ ſuæ na-
turæ propria non eſt, aliquo dono ſibi ven-
dicat : ſemper enim cæca remanet, cùm eam
à Deo naturam acceperit. Ita fit, vt cùm per
ſe neque ſummum bonum appetere, neque
apprehendere ſine ope intellectus vnquam
valeat, in ea ſola aut illius operatione forma-
lis beatitudo reponenda non ſit.

ACCEDAT & alia ratio, quòd fruitio
quodammodo à viſione cauſatur : quò fit, vt
ipſa voluntatis beatitudo ab intellectus bea-
titudine pendere videatur. Conſequentia
patet. Nam intellectus prior natura eſt in glo-
ria quàm voluntas; ex quo deinde in volun-
tatem beatitudo manat : quod ipſa tum ra-
tio, tum Theologorum ſententia docet. Nam
cùm exploratum ſit, actus volũtatis in via, ac
in patria eiuſdem naturæ eſſe debere, vt pro-
batum fuit, ſi actus voluntatis in via pendet
ab actu intellectus, qui præcognitione actum
voluntatis anteuertit, ergo ab eodem quoque
pendere debet in patria : igitur actus gloriæ,
qui eſt in volũtate, ab actu præuio gloriæ, qui
eſt in intellectu, pendere debet. Intellectus
enim naturæ ordine priùs Dei gloriam videt,
quàm illam amplectatur voluntas. Hinc vi-
ſio Dei qua intellectus beatur, priùs eſt in in-
tellectu, quàm fruitio, qua beata eſt volun-
tas, in ipſa voluntate exiſtat. Quandoquidem
ab intellectu ſummum bonum intuente, ac
illud voluntati offerente, in ipſam volunta-
tem amplexantem fruitio manat: ex quo per-
ſpicuum eſt, priùs in intellectu, quàm in vo-
luntate beatitudinem eſſe.

CONFIRMATVR ex Theologorum ſen-
tentia, qui beatitudinis ordinem deſcriben-
tes, primùm docent lumen gloriæ, quo intel-
lectus ad increatum ac diuinum lumen ad-
ſpiciẽdum extollitur; priùs in intellectu crea-
ri, à quo deinde Dei viſio, velut è linea in in-
tellectum deſcendit. Poſtremò voluntas Dei
gloria, ad quam ab intellectu vocatur, fœli-
citer inebriatur, ac in ſummi boni amplexu,
ac fruitione quieſcit. Ex quo duo colligun-
tur. Primum, totius gloriæ fontem ac princi-
pium ab intellectu oriri, ſine quo voluntas
fruſtrà beatitudinem expectaret. Secundum,
voluntatis beatitudinem præuiam intellectus
beatitudinem ſuſpicere ac præſtolari, vt ea
quoque beata voluntas eſſe poſſit. Vnde tan-
dem tertium colligimus; formalem ſcilicet,
ac eſſentialem beatitudinem non in ſola vo-
luntatis operatione collocari, quæ ab intel-
lectu eſſentialiter dependet.

I n verò vt clariùs pateat; ponamus viſio-
nem illam, quæ eſt in intellectu beati, qua
intellectus eſt formaliter beatus, eſſe tantum-
modò accidentalem beatitudinem : fruitio-
nem verò, quæ eſt in voluntate, iuxta ſecundæ
ſententiæ placitum, ſolam eſſentialem beati-

A tudinem eſſe. Quandoquidem non repugnat
eſſentiam rei à cunctis tam cõmunibus, quàm
propriis accidentibus ſeiunctam, ſaluam ac
integram permanere; cùm ea ad eſſentiam
non pertineat. Præſcindatur ab eſſentiali bea-
titudine Dei viſio tanquam accidentale præ-
mium. Quæro num beatitudo poſſit abſque
Dei viſione integra conſiſtere? id ſanè nemo
vnquam fieri poſſe ſentiet : nam cùm Dei vi-
ſio totius beatitudinis fons ſit & origo, quæ
beatitudinem in totam animam introducit,
ſanè conſtat ea ſublata omnem prorſus vo-
luntatis beatitudinem perire: neque enim vo-
B luntas alia ratione beatitudinem aſſequitur,
quàm cùm ab intellectu Dei viſione illuſtra-
to eam ſibi præſentem eſſe intelligit : quò fit,
vt voluntatis beatitudo, cùm ſit fruitio Dei
viſi, actum intellectus in ſua formali ratione
includat; ac proinde viſio ad eſſentialia beati-
tudinis præmia referri debeat.

I n præterea cõfirmant ipſa tum Theolo-
gorum poſitio, tum Scripturarũ veritas. Cur
enim Theologi viſionem inter ſubſtantialia
præmia connumerarent, ſi in ea accidenta-
lis tantùm beatitudo ſpectanda eſſet? qua ra-
tione Chriſtus in ea vitam æternam colloca-
C ret Io. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te* *Io. 17.*
Deum, &c. Quem locum ſæpiſſime D. Aug. de *Auguſt.*
beata Dei viſione interpretatur, ſi ea ad bea-
titudinis eſſentiam non pertineret? Dicent
initiatiuè, ac per modum principij id intel-
ligendum eſſe, his & ego aſſentior. Nam prin-
cipium eſt de eſſentia, ac intrinſecum illi, cu-
ius eſt principium, ſicut principium numeri
eſt de eſſentia numeri. Præterea cùm nemo
ignoret, vitam æternam, quoties in Scriptu-
ris memoratur, eſſentialem beatitudinem in-
ſinuare, cùm vita æterna Dei viſioni à Scri-
pturis tribuatur, quis illam ab eſſentiali bea-
D titudine audeat repellere? Denique cur viſio-
nem in dilectionis præmium Chriſtus ſuis
amatoribus polliceretur Io. 14. *Si quis diligit* *Io. 14.*
me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, &
manifeſtabo ei meipſum. Quo ſanè apertè de-
claratur viſionem inter eſſentialia præmia
conſtituendam eſſe, cùm dilectioni non niſi
eſſentialis beatitudo debeatur.

POSTREMO ſi eſſentia beatitudinis tan-
tummodò in voluntate includeretur, plera-
que incommoda ſequerentur. Primum, ſo-
lam voluntatem poſſe eſſe beatam non bea-
to intellectu, quod omnino impoſſibile eſt,
E ac repugnat ex natura rei, vt ſuperiùs pro-
batum eſt : cùm priùs opus ſit intellectum
ex Dei viſione beatum fieri, quàm volun-
tatem ex fruitione, ea potiſſimùm ratio-
ne, quòd voluntas tam in appetenda, quàm
in aſſequenda beatitudine ab intellectu pen-
deat.

SECVNDVM; ſequeretur animam ſimul
& ſemel fœlicem & infœlicem, beatam ac

miſeram eſſe poſſe, ſi præciſa ac ſublata intellectus beatitudine, quæ tantùm accidentalis eſſet, ſola voluntas eſſentiali fœlicitate gauderet, eſſet enim voluntate beata, intellectu non beata.

Tertium ſequeretur incommodum, animæ eſſentiam totam in ſola voluntate includi, cùm ei ſoli eſſentialis beatitudo competeret, ac proinde intellectum ad animæ eſſentiam non pertinere, ſed illius ſolùm accidens eſſe. Nam cùm eſſentialis beatitudo totam animæ eſſentiam peruadere debeat: ſi ea eſſentialiter tantùm in voluntate conſtituitur: ſequitur profectò animæ eſſentiam totam ac præciſè in voluntate incluſam eſſe.

Qvartvm, cùm beatitudo formalis rationalis creaturæ præmium ſit, ſi ea ad voluntatem tantùm eſſentialiter pertineret, ſequeretur, rationem quæ hominis naturam conſtituit, à formali beatitudine arceri; cùm ea ad intellectum, non ad voluntatem ſpectet.

Qvintvm, cùm formalis beatitudo iis potentiis debeatur, quæ eſſentialiter ad hominis ſalutem, ac beatitudinem adipiſcendam concurrunt: ſi ea duntaxat voluntati tribueretur; ſequeretur ſolam voluntatem hominis ſalutem operari, quod ſanè falſum eſt; cùm perſpicuum ſit voluntatem ſecluſa ope intellectus nihil operari poſſe, vt probatum fuit; nam cùm ſolus intellectus ratione ac iudicio polleat, is ad bonum eligendum neceſſariò cum voluntate debet concurrere.

Sextvm, ac poſtremum, ſi eſſentiale beatitudinis præmium tantùm voluntati deberetur, ſequeretur totum meritum eſſentiale in voluntate ſitum eſſe, ac proinde fidei vel nullum, vel accidentale tantùm meritum relinqui; quod cùm ſimpliciter ſaluti ac beatitudini adipiſcendæ neceſſarium non ſit, ab iis nullo periculo ſecludi poſſet. Quod ſanè in maximum fidei inconueniens ducit: inde enim ſequeretur, fidem neque ad ſalutem, neque ad beatitudinem conſequendam neceſſariam eſſe; quod Atheiſticam impietatem redolet.

Confirmatvr. Nam ſicut viſio fidei, ita fruitio charitatis eſt merces. Si igitur ſola fruitio eſt præmium eſſentiale, cùm meritum fruitionis ſit in ſola charitate, ſequitur meritum eſſentiale in ſola charitate conſiſtere; nec ad fidem vllo modo pertinere; ac proinde eam ſolam ad ſalutem ac beatitudinem ſatis eſſe. Quod cum tota Scriptura pugnat, ac præſertim cum D. Paulo, qui ſine fide nec ipſam charitatem Deo placere poſſe docet. Id tandem totam fidei neceſſitatem, quam Scripturæ tantopere commendant, prorſus euertit. Quapropter ex his manifeſtum eſt, eſſentialem beatitudinem in

A ſola voluntatis operatione præciſè & adæquatè non eſſe collocandam.

Ad primam rationem patet reſponſio ex dictis: negatur enim, naturam intellectualem ſummum bonum immediatè attingere poſſe per operationem voluntatis, ſed tantùm media operatione intellectus, qua ipſum ſit præſens voluntati. Et ad confirmationem dicitur, quòd ratio illa boni, qua voluntas ſummum bonum attingit, non variat ſubſtantiam beatitudinis, ſed tantùm adeptionis modum, eadem ſemper beatitudinis ſubſtantia ſub vtroque manente. Beatitudo nam-

B que voluntati ſe offert tanquam ſummum bonum: intellectui verò tanquam ſummum verum: quapropter licèt in ratione boni voluntas priùs attingat beatitudinem, immò fortè ſola attingat; tamen in ratione veri priùs intellectus beatitudinem aſſequitur, quàm voluntas; quò fit, vt vtraque potentia immediatè beatitudinis ſubſtantiam ſub formali ſua ratione attingat.

Sed prætetea dico rationem illam boni, ſub qua voluntas beatitudinem attingit, à ratione veri, qua intellectus ſummum bonum apprehendit, pendere: neque enim vo-

C luntas ſummum bonum attingeret niſi illud verum eſſe, intellectu dictante, agnoſceret; quò fit, vt vel vtraque potentia immediatè beatitudinem attingat, vel ſi prioritas conſtituenda eſſet, ea intellectus eſſe videatur, qui priùs ſubſtantiam beatitudinis ſub formali ſua ratione complectitur.

Secvnda ratio noſtræ ſententiæ fauet potiùs quàm officiat. Probat enim intellectum in adeptione beatitudinis à voluntate ſeparari non poſſe.

Ad tertivm dico, beatitudinem non ſimpliciter, aut quocunque modo, ſed tan-

D tùm cognitam ab intellectu eſſe id, quod maximè appetimus: ac propterea eam priùs ab intellectu, quàm à voluntate viſione attingi.

Et ad confirmationem; cùm dicitur voluntatē ſui actus perfectionem magis, quàm intellectus appetere: ſecus potiùs dicendum videtur, voluntatem maiorem intellectus perfectionem appetere debere, cùm ex ampliori intellectus perfectione amplior illi gloriæ cumulus accedat: cùm perſpectum ſit, voluntatem eò maiori gloriæ voluptate frui, quò ampliori lumine, ac illuſtriori Dei viſio-

E ne intellectus perfunditur. At dicimus voluntatis appetitum cùm ab intellectus conſilio, ac ratione fluat, potiùs bonum totius, quàm ſuam ipſius perfectionem appetere.

Cæteræ rationes, quæ voluntatē intellectu nobiliorem eſſe contendunt, haud aduerſum nos pugnant, qui maximam illam beatitudinem, ſcilicet, in nobilioris potentiæ actu reponendā eſſe haud ſimpliciter admittimus.

Tametsi

Tametſi iis reſpondere poſſet, voluntatem A & intellectum ferè in omnibus ſe habere ſicut excedentia & exceſſa: ac propterea voluntatem quidem in eo quòd libera eſt, quòd meretur, quòd cæteras potentias mouet, excellere: intellectum verò ea ratione, qua voluntatem cognitione anteit, qua conſulit, qua iudicat, qua dirigit, qua rationalem hominem efficit, antecellere.

Ad testimonia Scripturarum tam pro prima, quàm pro ſecunda ſententia. Dico Scripturam ſub varia conſideratione beatitudinem accipere. quandoque enim eam in intellectus operatione conſtituit: vt in B teſtimoniis primæ ſententiæ; interdum in actu voluntatis docet conſiſtere; vt in teſtimoniis ſecundæ ſententiæ. Porrò cùm beatitudinem intellectui tribuit, voluntatis actum non excludit; vt conſtat ex teſtimoniis, quæ pro hac ſententia citantur; in quibus nulla dictio excluſiua voluntatem à beatitudine ſecludit: nam teſtimonium illud Ioan. 14. *Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis*; nihil prorſus ad beatitudinem ſpectat: cùm ibi non de beatitudine, ſed de fide vnius diuinitatis agatur: vt ex verbis Chriſti facilè declaratur, quæ Philippo dixit. *Quomodo tu dicis, oſtende nobis Patrem, non credis quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Cætera vtriuſque partis teſtimonia interdum intellectui, quandoque voluntati beatitudinem deferunt, vt eam in harum potentiarum altera præcisè non conſiſtere doceant: vti modò in ſequenti concluſione demonſtrabimus.

Tertia Concl. *Beatitudo formalis ſeu eſſentialis in vtroque actu tam intellectus, quàm voluntatis adæquatè conſiſtit.* Quæ concluſio eſt D. Bonauent. in 4. diſt. 49. p. 1. quæſt. 5. Richardi diſt. 49. artic. 1. quæſt. 6. Gabriel. D Biel. quæſt. 2. Maioris quæſt. 5. Hugonis Victorini in comment. ſuper c. 7. Dionyſ. Areopag. de cœleſti Hierarch. Et hanc ex recentioribus tuetur Gregor. de Valentia in prima ſecundæ, diſput. prima; quæſt. 3. puncto 4.

D. Bonau. Richard. Gabriel. Biel. Maior. Hugo. Vict. Dionyſ. Areopag. Gregor. de Val.

Probatvr primò ex ſententia Philoſophorum, ac primùm Mercurij Trimegiſti, qui de animorum beatitudine diſſerens in Pimandri cap. 1. in eam vtrumque & intellectus, & voluntatis actum conſpirare tradit; E cùm animas & Dei præſentia, & illius fruitione beatas eſſe ſentit. *Tunc ſanè animus* (ait) *harmoniæ motiones exutus in optatam naturam reuertitur, vim propriam habens; vnà cum iis, qui illic ſunt, Patrem laudant: ipſi quoque in poteſtatum ſe numerum conferunt, effectique poteſtates Deo fruuntur, atque id ſummum bonum eorum quibus cognoſcendi ſors competit, Deum ſilicet fieri.* Hæc Trimegiſtus, ex quo vides animos corporibus exutos, non alia ratione quàm Deum, & agnoſcendo & fruendo, qui actus ad vtramque intellectus & voluntatis potentiam ſpectant, ſummum bonum attingere.

Mercur. Trimeg. in Pimand. c. 1.

Neqve ab eo Plato diſſentit, qui tum in Phædone, tum in Philebo cenſet mentem duplici ratione Deo fœliciſſimè côniungi: per affectum ſcilicet, & cognitionem. Affectum quidem vult ciuilium ac purgatricium virtutum perfectione ad diuinam vnionem præparari; ac præſertim pietate, ac Religione in Deum: quò fit, vt in Epinomide nullam Religione, pietatéque in Deum maiorem virtutem agnoſcat. Cognitionem verò per aſcenſum ad ideas perfici tradit, per quas ad ipſum vnum mens conſcendit, ac cum eo vnitur. Neque mihi modò ſenſus Platonis explicandus eſt, quid per purgatrices virtutes, quidue per conſcenſum ad ideas intellexerit; cùm in iis tantùm animi præparationem conſtituerit: id verò noſſe ſufficiat, Platonem in vtroque actu beatitudinem conſtituere.

Plato. *In Epinom.*

De Ariſtotele quid dicam, non habeo; cùm is præſentis tantùm vitæ fœlicitatem ſibi contemplandam propoſuerit: at ſi ex hac eius fœlicitate, quid de altera fœlicitate ſenſiſſet, licet conijcere; profectò cùm is C vtrumque actum tum intellectus, tum voluntatis ad præſentem fœlicitatem ſpectare ſenſerit, indubiè idem de alterius vitæ fœlicitate iudicaſſet. Duplicem enim is beatitudinem, ac fœlicitatem (vt ſuperiùs demonſtratum fuit) eſſe docet, alteram quidem in intellectu collocat: alteram verò in voluntate ſitam eſſe affirmat. Illa ſummum bonum ſpeculatiuum reſpicit, hæc ad ſummum bonum morale refertur: quapropter animum quoad ſpeculatiuam potentiam ſapientia perfici exiſtimat: moralem verò potentiam per affectum ac morales virtutes Deo coniungi docet. Hinc Ariſtotelis ſenſum aſſequimur, quo declarari voluit, vtrumque actum & intellectus, & voluntatis ad perfectam animi beatitudinem concurrere. Quod tandem apertè docet 10. Ethic. cap. 7. vbi voluptatem cum ſapientia fœlicitati admixtam eſſe docet. Ibi enim ita inquit, *Arbitramur præterea fœlicitati voluptatem mixtam eſſe oportere. Iucundiſſima autem operationum virtutum eſt ea haud dubiè, quæ per ſapientiam prodit*: quò fit, vt cùm ſapientia ad intellectum, voluptas ad voluntatem ſpectet, ex quo ſimul in fœlicitate conſpirent, nec Ariſtoteles ipſe à nobis diſſentiat.

Ariſtoteles. *Ethic. 10. c. 7.*

Secvndo, probatur auctoritatibus Scripturæ, ac primùm communibus; plurima enim Scripturarum loca beatitudinem in intellectu, plurima etiam in voluntate collocant: vt ſuperiùs viſum fuit: at qua ratione conciliari poſſunt, niſi in iis coniunctis beatitudo collocetur? nam cùm vna ac irre-

fragabilis ſit Scripturarum veritas, ea diuerſimodè ſe habere non poteſt: quamobrem eam partialiter duntaxat de beatitudine iis locis egiſſe credendum eſt; vt ex omnibus ſimul collectis integra beatitudo colligeretur.

TERTIO, ſingularibus illis Scripturarum auctoritatibus probāda eſt, quæ ſimul vtrumque actum intellectus & voluntatis in beatitudine aſſociant. *Pſal. 33.* Ita Dauid Pſal. 33. ait, *Guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus.* Guſtus enim ad voluntatem, viſus ad intellectum refertur; quare Auguſtinus in Soliloquiis *Aug. in Soliloquiis.* hunc locum ad vtriuſque beatitudinem *B* transfert. *Guſtate,* inquit, *& videte quoniam ſuauis eſt Dominus. Hac eſt enim illa beatitudo Domine Deus noſter, quam expectamus daturum te nobis, pro qua mortificamur tota die, vt in tua vita tibi viuamus.* *Pſal. 35.* Idem Dauid Pſal. 35. cœleſtis beatitudinis præmia deſcribens ait: *Torrente voluptatis tua potabis eos, quoniam apud te eſt fons vitæ; & in lumine tuo videbimus lumen.* Vbi duo hæc in beatitudine coniungit, voluptatem, & viſionem: vt duplicem voluntatis & intellectus actum in beatitudine concurrere inſinuet; vnde Aug. in hunc locum. *Vnde curtis* (ait) *tantus torrens voluptatis eius: quoniā apud te eſt fons vitæ, inquit. Et in lumine tuo* *C* *videbimus lumen. Hic aliud eſt fons, aliud lumen, ibi non ita: ſed fons eſt Deus, quia ſatiat ſitientes, lumen, quia illuminat cæcos.* Præterea Salomon Sap. 3. de cœleſtibus præmiis agēs inquit. *Qui confidunt in illum, intelligent veritatem, & fideles in dilectione acquieſcent illi.* Porrò intelligere veritatem eſt actus intellectus Deum iam videntis: acquieſcere verò in dilectione ad ſolam voluntatē ſpectat Deo fruentem. Item *Sap. 5.* Sap. 5. *Iuſti autem* (ait) *in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio eorum apud altiſſimum.* Merces iuſtorum meritis debetur, *D* quæ potiſſimùm à voluntate fluunt, cogitatio verò beatorum intellectum *Eſa. 60.* in Dei viſione detinet. Accedat etiā Eſa. 60. qui de beatorum fœlicitate loquens, *Erit tibi* (ait) *Dominus in lucem ſempiternam, & complebuntur dies luctus tui.* Quid lux intellectui fulgens præterquàm viſionis præmium inſinuat? quid luctus à corde fugandus, ac conſequenter præcordia voluptate exuberantia aliud declarant, quàm voluntatem Dei fruitione fore inebriandam? quid tandem hæc ſimul connexa oſtendunt, præterquàm formalem beatitudinem in vtroque & intelle- *E* ctus, & voluntatis actu reponi debere?

QVARTO probatur teſtimoniis Patrum, *Dionyſ. Areop. lib. de diu. nom. c. 1.* ac primùm Dionyſij Areop. qui lib. de diu. nomin. c. 1. de beatorū ſtatu verba faciens, ita beatitudinem in vtroque harū potentiarum actu concludit, vt beatos, & Deum contemplando frui, & fruendo contemplari doceat. *Tunc verò* (inquit) *quando incorruptibiles, im-* *A* *mortaléſque facti erimus, & ad imaginem Chriſti beatiſſima dignati requie, ſemper* (*vt ſcriptum eſt*) *cum Domino erimus, viſibili quidem ipſius diuina præſentia caſtiſſimè contemplando fruentes, lucidiſſimis nos circumfulgente luminibus,* &c.

IDEM ſentit Gregorius Nazianz. qui Iamblico 15. vtrumque actum in beatorum fœlicitate connectit. *Gregor. Nazianz. Iamblic. 15*

Fœlicitas quid? viuere beatum, quid &
Cœleſte regnum? viſio ſummi Dei,
Et cum beatis huic gloriam dare Angelis.

Vides fruentis voluntatis effuſionem in Dei gloriam, cum viſione in beatis coniunctam *B* eſſe: atque ex his cœleſtem fœlicitatem conflari.

CÆTERVM D. Aug. vt indiuiſam in his actibus beatitudinem conſiſtere doceat, eam modò intellectus, modò voluntatis actui tribuit: quaſi horum alterum commemoraſſe ſufficiat: vt ſimul vtrique indiuiſè coniuncti intelligātur, & vnius appellatione alter velut accerſitus accedat. Nam ſuper Gen. q. 114. *Aug. ſuper Gen. quaſt. 114. & lib. 7. de Trini. c. 8.* beatitudinē intellectui aſcribit cùm ait, ſummam mercedem eſſe viſionem. Et lib. 7. de Trin. c. 8. cùm locum illum Io. 17. *Hac eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum,* &c de beatitu- *C* dine explicat. At verò lib. 1. de doctrina Chriſtiana c. 32. eam voluntati adiudicat. *Lib. 1. de doct. Chriſtiana, c. 32. lib. 8. de Ciu. Dei, c. 9.* *Summa* (inquit) *merces hac eſt, vt Deo fruamur.* Et lib. 8. de Ciu. Dei c. 9. *Quiſquis* (ait) *ergo fruitur eo quod amat, verúmque & ſummum bonum amat. Quis eum beatum niſi miſerrimus neget?*

SED vt clariùs pateat Auguſtinū in hanc ſententiam conſpirare; vix vnquam is poſt hæc loca de beatitudine tractat, quin ſimul vtriuſque potentiæ actum velut beatitudini eſſentialem coniungat. Nam in lib. de ſpiritu *Lib. de ſpiritu & anim.* & anima (ſi tamen is liber eſt Auguſtini) perfectam beatitudinem deſcribens ait: *Omnes* *D* *cognoſcunt Deum ſine errore, vident ſine fine, laudant ſine fatigatione, amant ſine faſtidio: ſemper vident, & ſemper videre deſiderant; tam deſiderabilis eſt ad videndum: ſemper amant, & ſemper amare deſiderant; tam dulcis eſt ad amandum. In hac delectatione requieſcunt pleni Deo, adhærentes ſemper beatitudini ſunt beati.* Idem interiecta pagina confirmat. *Deus erit* (ait) *finis deſideriorum noſtrorum, quem ſine fine videbimus, ſine faſtidio amabimus, ſine fatigatione laudabimus.* Vides Auguſtinum vbicunque de beatitudine agit, æquè vtrumque actum coniungere. Idem præſtat in libro Soliloq. vbi vo- *Lib. Soliloq.* *E* luntatis ſatietatē cum diuina viſione in beatis connectit his verbis. *O fons vitæ, vena aquarum viuentium, quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ de terra deſerta, inuia & inaquoſa, vt videam virtutem tuam, & gloriam tuam, & ſatiem ex aquis miſericordiæ tuæ ſitim meam?* Tum paulò pòſt. *O gaudium ſuper gaudium, gaudium vincens omne gaudium, extra quod non eſt gaudium: quando intrabo in te, vt videam Dominum meum,*

meum, qui habitat in te? Vbi nota Auguſtinum ita fruitionis gaudium cum viſione commiſcere, vt ferè nihil inter ea diſcernat, ſed ex his vnam beatitudinis eſſentiam conſtituat: *Lib. 10. confeſſ. 23.* quod apertè declarat in lib. 10. Confeſſ. cap. 23. vbi beatitudinem formalem definiens ait. *Beata quippe vita eſt gaudium de veritate.* Gaudium ad voluntatis fruitionem: veritas ad intellectus viſionem refertur. Quod perinde eſt, ac ſi diceret; beatitudinem in eo conſiſtere, vt quis veritatem æternam videndo gaudeat, & gaudendo videat, vt prior Dionyſius indicauerat. Cùm igitur D. Auguſtin. beatitudinem formalem per gaudium, & veritatem definit, id ſanè annuit, neque gaudium ſine veritate viſa; nec veritatem viſam abſque gaudio in beatitudine eſſe poſſe.

Cyprian. lib. 4. epiſt. 6. At præter Auguſt. eſt etiam Cyprianus, qui beatitudinem in vtraque operatione collocat Epiſt. lib. 4. Epiſt. 6. *Quæ erit* (inquit) *gloria, & quanta lætitia admitti, vt Deum videas; honorari vt cum Chriſto Domino Deo tuo ſalutis, ac lucis æternæ gaudium capias?* Vbi vides Cyprianum viſionem cum gaudio, gaudium cum luce miſcere, vt ex vtriſque compactam beatitudinem eſſe declararet. Quod etiam apertiùs explicat, *De Chriſti Aſcenſ.* de Chriſti Aſcenſ. exponens verba illa Pſ. 149. *Exultabunt ſancti in gloria. Exultabunt ſanè* (inquit) *ſancti in gloria, videbunt Deum, & gaudebunt, lætabuntur, & delectabuntur, & fruentur gloria, & in fœlicitate iucundabuntur æterna.* Quaſi id annuere voluerit Cyprianus; viſionem illam ſine gaudio eſſe non poſſe, velut indiuiduo illius comite: gaudium verò ex viſione, velut ſibi intrinſeca conſurgere; atque vtrumque in vnam beatitudinis ſubſtantiam confluere.

D. Greg. homil. 21. in Ezechiel. Cæterum D. Greg. Hom. 21. in Ezechiel. apertiſſima ratione demonſtrat viſionem intellectus, & voluntatis dilectionem in formali beatitudine ſeiungi non debere: eò quòd viſio dilectionem perficiat, perfecta verò dilectio viſionem comitetur. Ita enim ſcribit: *Deum in hac vita ſancti tantùm diligere non poſſunt, quantùm debent, quia adhuc non valent videre, quem diligunt; & menſura amoris minor eſt, vbi adhuc menſura minor eſt cognitionis. De hoc amore, qui hìc incipitur, vt ex viſione Domini in æterna patria perficiatur, rectè Eſaias loquitur.* *Iſai. 31.* *Viuit Dominus, cuius ignis eſt in Sion, & caminus eius in Hieruſalem; plus eſt autem caminum eſſe quàm ignem; quia eſſe ignis & paruus poteſt: in camino autem vaſtior flamma ſuccenditur. Ex amore ergo Domini in Sion ignis, in Hieruſalem caminus: quia hìc amoris eius flammis aliquatenus ardemus, vbi de illo aliquid contemplamur: ſed ibi plenè ardebimus, vbi illum plenè videbimus, quem amamus.*

D. Ioan. Damaſc. lib. 4 de fid. c. 28. His aſſentit D. Io. Damaſc. Orthod. fid. lib. 4. c. 28. vbi cenſet iuſtos tunc beatos fieri cùm Deum vident, & ex Dei viſione ſum-

A mam voluptatem capiunt. Atque idem tradit Eucher. Gallus lib. 3. in libros Regum, vbi *Eucher. lib. 3. in lib. Reg.* Sanctorum beatitudinem in eo collocat, vt diuinæ præſentiæ claritate imbuti Deum ex toto corde diligant.

Angelomus. Angelomvs verò optimo argumento, in iis beatitudinem in patria reponendam concludit, quæ hìc ſanctam ac optimam vitam conſtituunt: quapropter cùm hìc quilibet fide ac charitate vitę perfectionem attingat: planè conſequens eſt, vt ibi viſio, ac fruitio, quæ fidei ac charitati ſuccedunt, Sanctorum beatitudinem conſtituant. *In præſenti*
B *Eccleſia* (inquit) *talem nos ingredi, ac ducere vitam neceſſe eſt, in qua dilectionem Dei, & proximi per fidem & operationem, per patientiam & benignitatem ſeruemus. In futura autem vita, Deum & proximos in luce æterna beatitudinis videbimus: eadem vtique dilectione genuina abſque vllo prorſus labore, immò magna multitudine diuinæ dulcedinis fruemur.*

Hugo Vict. lib. 7. in Dionyſ. de cœleſt. Hierarch. c. 7. At Hugo Victorinus apertè in hanc ſententiam concedit lib. 7. in Dionyſ. de cœleſt. Hierarch. c. 7. vbi ita ſcribit, *Quàm beatæ contemplationes, vbi in ſummo bono cuncta videntur: vbi videre & habere; amare & guſtare bonum*
C *idem eſt: vbi non videtur niſi veritas, non amatur niſi bonitas. Duo ſunt enim cognitio, & amor. Alterum ad illuminationem pertinet, alterum ad refectionem: cognitio illuminat, dilectio ſatiat: cognitio veritatis: amor bonitatis. In his beatitudo conſtat; cognoſcere, & amare bonum.*

D. Bernard. de Meditat. c. 4. Cvi per omnia ſubſcribit D. Bernardus de Meditatione c. 4. *Præmium* (inquit) *eſt videre Deum, viuere cum Deo, eſſe cum Deo, eſſe in Deo, qui erit omnia in omnibus, habere Deum, qui eſt ſummum bonum.* Et paucis interiectis. *Videbit Deum ad voluntatem, habebit ad voluptatem, fruetur ad iucunditatem. In æternitate vigebit, in*
D *veritate fulgebit, in bonitate gaudebit. Sicut habebit permanendi æternitatem, ſic cognoſcendi facilitatem, & requieſcendi fœlicitatem.* Demum poſt pauca. *In illo* (inquit) *clarificatur intellectus, & purificatur affectus ad cognoſcendam & diligendam veritatem: & hoc eſt totum bonum hominis: noſſe ſcilicet, & amare creatorem ſuum.*

Guill. Aluern. de retributionib. Sanct. c. 1. Porrò Guillelmus Aluernus de retributionib. Sanctorum c. 1. ex ſua & Auguſtini ſententia eſſentialem beatitudinem animæ in fruitione ac intelligentia collocat. Ibi enim citans Auguſt. ait. *Tanti fecit Deus animam rationalem, vt ex beatitudine illius, non beatitudo, quæ fruentis & intelligentis eſt propria: ſed*
E *ſanitas incorruptionis in inferiorem naturam, id eſt, corpus redundet. Tota ergo beatitudo, quæ ſanctis promittitur; animarum eſt ſic fruentis & intelligentis propria: ſola autem anima fruens, & intelligens eſt.*

Hugo Pratt. de Euang. Dom. Reſurrect. Postremò (vt cæteros Patres taceam) Hugo Prattenſis hanc ſententiam apertè tradit de Euang. Dom. Reſurrect. *Nunc videamus*

Google

deamus (inquit) *in quo principaliter conſiſtat, beatitudo, & cuius ſit, ſcilicet animæ, vel corporis, &* A *quæ ſint dotes corporis. Ad quod dicendū quòd beatitudo conſiſtit principaliter in cognoſcendo, & amando Deum, & poſſidendo. Et ideò beatitudo erit in anima, quæ Deum per eſſentiam cognoſcet, & non per aliquam ſimilitudinem, & ipſum perfectè amabit, tanquam ſummum bonum: & perfectè poſſidebit in ſe, tanquam proprium, & intrinſecum bonum.*

Bened. 12. in extrauag.

Qvintò, probatur ex conſenſu Eccleſiæ, extat enim extrauagans quædam Benedicti duodecimi quæ incipit. *Benedictus Deus.* In qua Pontifex definit purgatas iuſtorum B animas non expectato extremi iudicij die in cœlum recipi, ac ibi diuinam eſſentiam tum videre, tum illa frui: vbi etiam illud addit, his duobus actibus animas verè eſſe beatas.

And. Vega l. 7. in Conc. Trid. cap. 3.

Hinc Andreas Vega lib. 7. in Concil. Trid. c. 3. haud dubitat aſſerere id à Pontifice eſſe definitum, quòd beatitudo non ſit ſola viſio, aut ſola fruitio; ſed vtrumque ſimul.

Id etiam patet ex Catechiſmo Romano totius Eccleſiæ conſenſu compilato, & approbato: vbi in explicatione illorum verborum ſymboli. Credo vitam æternam, ita ſcribitur. Solida beatitudo, quam eſſentialem C communi nomine licet vocare, in eo ſita eſt, vt eum videamus, eiúſque pulchritudine fruamur; qui eſt omnis bonitatis fons, & principium.

Postremò ſupereſt, vt hanc ſententiam rationibus veram eſſe demonſtremus. Sit igitur prima ratio. Virtus quæ per aliquos actus mouetur ad terminum per eoſdem in termino debet quieſcere: ſed anima per actus voluntatis, & intellectus mouetur ad Deum, ergo per eoſdem actus in Deo debet quieſcere. Cùm verò beatitudo ſit perfecta animæ quies in Deo: igitur in vtroque actu beatitu- D do debet conſiſtere.

Maior patet. Nam ſi duo ſimul ad eandem metam vno motu concurrant, ea adepta ambo ſimul neceſſariò quieſcunt: cùm vterque metam ſit conſecutus: atque idem vtriuſque actus, quo metam adepti ſunt, in meta quieſcit.

Minor nota eſt. Currunt enim intellectus, & voluntas vno motu ad Deum tanquam ad metam, ac finem vltimum. Cur igitur eo adepto in eadem eſſentiali beatitu- E dine vterque quieſcere non debet; cùm eſſentiale beatitudinis præmium, non vni magis, quàm alteri currenti debeatur?

Confirmatvr: nam finis intellectus, & voluntatis re idem eſt, ratione tantùm diuerſificatus: vtriuſque enim finis eſt Deus, quem intellectus proſequitur ſub ratione veri, voluntas verò ſub ratione boni. Quapropter cùm eſſentialis beatitudo ſit ipſius finis adeptio, rationis autem diuerſitas, qua ad Deum feruntur, fini tantùm accidentalis ſit. Vno eſſentiali amborum exiſtente fine, vna ac eſſentialis vtriuſque beatitudo eſſe debet: quæ in vtriuſque actu conſiſtat.

Secvnda ratio. Formalis beatitudo ea eſt, qua homo ſecundùm omnem potentiam, qua Deo immediatè vnibilis eſt, Deo vnitur: ſed homo non tam ſecundùm intellectū, quàm voluntatem Deo immediatè eſt vnibilis, ac ei vnitur: ergo ſecundùm vtramque potentiam eſt formaliter beatus.

Maior eſt nota. Quandoquidem eſſentia beatitudinis in eo ſita eſt, quòd homo immediatè Deum velut ſummum bonum attingat. Deum autem attingere non poteſt, niſi ei ſecundùm omne, quo ipſi immediatè vnibilis eſt, vniatur.

Minor verò notiſſima eſt. Siquidem tam intellectus in clara viſione Dei, quàm voluntas in illius complexu, ac fruitione immediatè Deo vniuntur. Intellectus quidem cùm diuinam claritatem, ac veritatem in ſe recipit, de qua Paulus 2. Cor. 3. *Nos gloriam Domini ſpeculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu.* Voluntas verò, dum perfecta charitate ſeipſam totam in Deum transfert; vnde eſt illud Pauli ad Galat. 2. *Viuo autem, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Et tritum illud Auguſtini. *Cibus ſum grandium, comede me. Non ego mutabor in te, ſed tu mutaberis in me.*

2. Cor. 3.

Ad Gal. 2.

Auguſtin.

Tertia ratio. Beatitudo formalis eſt finis naturæ rationalis, vt ait Aug. lib. 10. conf. cap. 23. *Beata vita eſt gaudium de veritate. Hoc eſt enim gaudium de te, qui veritas es, Deus illuminatio mea. Hanc vitam beatam omnes volunt.* Sed natura rationalis vtramque potentiam, intellectum ſcilicet, & voluntatem includit. Igitur beatitudo formalis ſecundùm vtramque potentiam eſt naturæ rationalis finis.

Aug. lib. 10. confeſ. c. 23.

Maior præter Auguſtini teſtimonium probatur. Nam ſummum bonum eſt illud, quod rationalis natura maximè appetit tanquam finem: ſed in adeptione ſummi boni formalis beatitudo conſiſtit, cùm ipſa ſit finis in quo rationalis natura quieſcit.

Minor per ſe nota eſt. Neque enim rationalis ea natura dici poſſet, quæ vel intellectu, vel voluntate careret: qua aut ratione, aut libera actione vti prohiberetur: vel rationi libertas, vel libertati ratio ſubtraheretur: quò fit, vt in vtraque potentia formalis beatitudo collocanda ſit.

Qvarta. Gloria eſſentialis id totum perficere debet, quod à gratia eſt diſpoſitum: ſed intellectus, & voluntas à gratia in ſtatu viæ diſponuntur; ergo in ſtatu patriæ vtraque à gloria eſſentiali perfici debet.

Maior demonſtratur. Quia gloria eſt

gratia

gratia conſummata: & cùm gratia hominem ad gloriam præparet, ibi gloriæ infuſio eſſe debet, vbi fuerat gratiæ præparatio.

MINOR per ſe patet. Nam gratia cùm toti animæ infundatur, intellectum ſimul ac voluntatem ad gloriam diſponit. Intellectum quidem per habitum fidei ad viſionem diſponit; voluntatem verò per habitus ſpei, & charitatis ad fruitionem præparat. Igitur in vtroque gloria eſſentialis reponi debet.

QVINTA. Formalis beatitudo in iis potentiis ſimul collocari debet, per quas ſimul tantùm coniunctus homo ad Deum conuertitur. Sed homo per intellectum, & voluntatem coniunctim ſeipſum ad Deum conuertit. Igitur in vtroque formalis beatitudo debet collocari.

MAIOR probatur. Quandoquidem per eaſdem potentias homo finem ſuum attingit, ac Deo coniungitur, per quas ad eundem conuertitur.

MINOR nota eſt. Nam homo per fidem, ſpem, & charitatem non ſeorſim, ſed ſimul ſumptas Deum apprehendit, qui ſunt vtriuſque potentiæ actus.

SEXTA. Beatitudo formalis in præſtantiſſimo actu collocari debet, ſed præſtantior eſt actus intellectus cum voluntate coniunctus, aut voluntatis adiuncto actu intellectus, quàm actus ſinguli ſeorſim. Igitur in vtroque actu formalis beatitudo eſt collocanda.

MAIOR ex vtriuſque ſententiæ poſitione nota eſt.

MINOR verò probatur. Etenim actus vtriuſq; potentiç ſi ſeorſim expendantur, ſunt imperfecti. Patet primũ de actu intellectus: intellectus enim ſine voluntate, vel non intelligit, vel ſi intelligit, id ſine voluntate non præſtat: quandoquidem ſi homo intelligit, planè vult intelligere; neque enim intelligit non volens: at velle non ad intellectum, ſed ad voluntatem pertinet. Præterea intellectus non intelligit abſque voluntatis aſſenſu; quò fit, vt quodammodo in agendo à voluntate pendeat. Demum cùm intellectus ſit potentia per ſe naturalis, non habet actum liberum, ac proinde imperfectum: cùm libertas ſit de perfectione rationalis naturæ. Addo tandem, intellectum per ſe nullam habere tendentiam rationalem ad finem: cùm non ſit potentia libera, ad quam tantummodò finis electio ſpectat: quapropter cùm ex ſe finem ſibi eligere non poſſit: ſanè conſtat quòd nec ipſum finem vlla vi ex ſe attingere valeat: ac proinde ex ſe reſpectu finis imperfectum actum habeat.

PATET etiam de voluntate. Nam voluntas cùm per ſe cæca ac irrationabilis quædam potentia ſit, ab ea cæcum quoque ac irrationabilem actum proficiſci neceſſe eſt, niſi ab intellectus conſilio ac ratione dirigatur. Voluntas præterea finem ſuum non agnoſcit, niſi ab intellectu illuſtretur, quò fit, vt illum quatenus agnitum non habet, ſine intellectu, neque proſequi, neque attingere valeat. Hinc patet vtriuſque potentiæ actus ſigillatim ac ſeorſim conſideratos, ex ſe in ordine ad beatitudinem claudos, ac imperfectos eſſe.

QVÒD verò hi actus ſimul copulati perfectum ac præſtantiſſimum actum reddant: manifeſtum eſt. Velle enim, qui eſt voluntatis actus, tunc præſtantius eſt, cùm eſt rationabile, intelligere quoque perfectionem actus gradum ſibi vendicat, præſertim in ordine ad beatitudinem, quando eſt voluntarium, & ad Dei dilectionem tendit, quàm cùm ad nudam ſpeculationem vergit. Præterea cùm fides ſine charitate mortua ſit, charitas verò ſine fide, neque cõſiſtere, neque Deo placere queat; vtraque verò ſimul copulata perfectum hominem reddat, manifeſtum eſt, præſtantiorem eſſe vtriuſque potentiç actum ſimul coniunctum, quàm ſeorſim diſperſum. Poſtremò, præſtantiſſimus actus ille iudicandus eſt, quo poſito ſtatim ſequitur gratiæ infuſio. At gratiæ infuſio in iuſtificatione hominis non ſequitur ſolum actum fidei à charitate ſeiunctum, neque ſolum actum charitatis à fide ſecluſum; ſed vtrumque ſimul. Fide enim ſpe & charitate iuſtificamur, vt ait Auguſt. de verbis Apoſtoli Serm. 22. & Ignatius Epiſt. ad Epheſios. *Principium* (inquit) *vitæ fides, finis eiuſdem charitas. Hæc autem duo quoties in vnum coëunt, Dei hominem perficiunt.* Cur igitur in hoc præſtantiſſimo actu ex duabus potentiis mixto formalis beatitudo collocanda non erit, cùm in eo gratia, quæ eſt inchoata beatitudo, nullo diſcrepante locum ſibi vendicet?

Aug. de verbis Apoſtol. Serm. 22. Ignatius Epiſt. ad Epheſios.

SEPTIMA. Beatitudo formalis eſt finis omnem rationalis naturæ appetitum ſatians: ſed appetitus rationalis naturæ expleri non poteſt; niſi illa vtriuſque potentiæ intellectus, ſcilicet, & voluntatis actu Deum complectatur. Ergo non niſi per vtriuſque potentiæ actum formaliter beata eſſe valet.

MAIOR prob. ex teſtimonio Pſal. 16. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua:* & Pſal. 41. *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Quæ verba exponens D. Auguſtin. in Pſal. 41. *Hoc eſt* (inquit) *quod ſitio; venire, & apparere: ſitio in peregrinatione, ſitio in curſu, ſatiabor in aduentu.* Præterea eſt natura finis, vt eo adepto ceſſet appetitus, ſicut contacta meta ceſſat currentium motus.

Pſalm. 16. Pſal. 41. Auguſt. in Pſal. 41.

MINOR probatur primò teſtimonio Auguſt. lib. 10. Confeſſ. cap. 23. *Cùm inhæſero tibi* (ait) *ex omni me, nuſquam erit mihi labor, & dolor: &*

Aug. lib. 10. Confeſſ. cap. 23.

lor: & viua erit vita mea tota plena te. Vbi aduerte Auguſtino non ſufficere vt Deo, ſolo intellectu, vel ſola voluntate inhæreat: ſed ex ſe toto optat inhærere: vt hominis appetitum nunquam expleri indicet; donec intellectu ac voluntate Deum complectatur.

Ratione præterea demonſtratur. Intellectus enim nunquam rerum cognitione ſatiatur, donec ad ipſum rerum fontem, ac principium peruenerit; eúmque ſtatum obtinuerit, in quo Deum extra creaturarum vmbras, ac veſtigia claré perſpiciat: quod aſſequi non poteſt, quouſque ad ſtatum beatitudinis pertigerit, vt ait Paulus 1. Cor. 13. *1.Cor.13.* *Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.* Voluntas verò eóuſque inquieta eſt, donec in Deo dilecto conquiſcat, vt teſtatur Dauid Pſalm. 12. *Pſal. 12.* *Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum?* Hinc Auguſt. *Auguſt.* *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* de vtraque verò potentia ſimul coniuncta ait Dauid in Pſal. 41. *Pſal. 41.* *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Ex quo patet, vtrumque actum & intellectus, & voluntatis in formali beatitudine copulari debere.

Octava. Brauium eſſentiale iis debetur, qui currunt; atque illud complectuntur: iuxta Paulum 1. Cor. 9. *1.Cor. 9.* *Sic currite, vt comprehendatis:* & 2. Timot. 4. *2.Timot.4.* *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Sed tam intellectus, quàm voluntas ad Deum currunt, qui eſt eſſentiale beatitudinis brauium, ac illum comprehendunt (vt ſuperiùs demonſtratum eſt:) intellectus quidem ſub ratione veri, voluntas ſub ratione boni. Igitur vtrique eſſentiale beatitudinis præmium debetur.

Nona ratio. Præmium eſſentiale ipſo iure operaroribus debetur, vt patet ex ſententia Chriſti Matth. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem ſuam:* ſed æquè intellectus, ac voluntas in aſſequenda beatitudine laborant, ac operãtur: intellectus cognoſcendo, volũtas amãdo: igitur illis ipſo iure præmiũ eſſentiale reddi debet. Cùm verò præmium eſſentiale ſit ipſa formalis beatitudo: ergo tam intellectus, quàm voluntas æquè in formalem beatitudinem ſibi ius adeptum habent.

Decima ratio. Vbicunque meritum eſſentiale reperitur, ibi ex iuſtitia præmium eſſentiale ſuccedere debet. Sed meritum eſſentiale tam in intellectu, quàm in voluntate collocatur: igitur in vtroque & præmium eſſentiale ſuccedere debet: præmium verò eſſentiale eſt ipſa beatitudo formalis (vt dictum eſt:) ergo vtrique formalis beatitudo ineſſe debet.

Maior probatur. Nam ſicut præmium

A reſpondet merito, ita præmium eſſentiale merito eſſentiali reſpondere debet: quapropter ex iuſtitia, merito eſſentiali præmium eſſentiale conferri debet.

Minor prob. Nam homo Deum & intelligendo, & amando meretur. Intelligendo enim, & credendo fidem parit, quæ maximum apud Deum meritum ſibi vendicat: vnde Gen. 15. *Gen 15.* *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam:* & Paulus ad Gal. 2. *Ad Gal 2.* *Et nos in Chriſto Ieſu credamus, vt iuſtificemur ex fide Chriſti:* & cap. 3. *iuſtus ex fide viuit.* Diligendo verò charitatem generat, qua Deum promeretur, B vt teſtatur Ioan. Epiſt. 1. cap. 4. *1.Ioan. 4.* *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Quamobrem tam intellectui, quàm voluntati præmium eſſentiale ex iuſtitia reddi debet. Intellectui quidem ob fidei meritum Dei viſio; voluntati verò in charitatis remunerationem ipſa Dei fruitio. Neque verò exiſtimandum eſt duplicem nos beatitudinem formalem conſtituere: quæ vnica eſſe debet; ſed duplicem tantùm vnius beatitudinis partem diſtinguimus, iuxta diſtinctum potentiarum numerum, quæ formali beatitudine frui debent.

C Vndecima. Si formalis beatitudo in altera tãtùm harum potentiarum poneretur, omnia illa incommoda ſequerentur, quæ ſuperiùs in confutatione vtriuſque oppoſitæ ſententiæ commemorauimus: ac præter illa alia quoque accederent. Primùm, quòd beatitudo eſſentialis totam animæ eſſentiam non peruaderet: cùm vel intellectus, vel voluntas à formali beatitudine excluderetur. Secundùm, quòd vel intellectus, vel voluntas ad animæ eſſentiam non pertinerent: ſi eſſentialis beatitudo, vel in ſolo intellectu, vel in ſola voluntate maneret. Tertiò, ſequeretur D de poſſibili, quòd aliquis poſſet eſſe beatus; qui vel Deum non agnoſceret, vel non diligeret: immò qui Deum oderit. Quod patet; cùm Deus poſſit viſionem abſque dilectione, immò cum ſuo oppoſito, odio ſcilicet, conſeruare; nec id ex natura rei fieri repugnet. Poſſet enim Deus ſeipſum oſtendere damnato, ita vt omnes veritates, quæ de Deo à beato concipi poſſunt, claré intueretur: nec tamen Dei odium deponeret; id enim non implicat fieri, cùm actus omnino ſint diſtincti; nec vnum ab alterius eſſentia pendeat: E Deus verò omnia illa ab aliquo ſeparare queat, quæ ad illius eſſentiam non pertinent. Ita fieret, vt is ex viſione Dei beatus eſſet, ex odio verò damnatus. Eadem ratione fieri poſſet, vt Deus à beato actum viſionis ſuſpenderet, ac ſolam fruitionem relinqueret; atque is tunc nec beatitudinem agnoſceret, nec ſummum bonum præſens videret; quo tamen frueretur. Quæ omnia quàm abſurda, atque ab ipſa veritate diſſentanea ſint, quiſque facilè

facilè perſpicere poteſt. Quamobrem certum eſt formalem, ac eſſentialem beatitudinem in vtrque, & intellectus, & voluntatis actu ſimul collocandam eſſe.

Dvodecima ratio, ac poſtremà ſit. Quandocunque duo agentia inuicem ſubordinata, eundem finem attingunt, & lis eſt, quodnam illorum principaliùs, aut perfectiùs finem attigerit; cùm lis circa finem non verſetur, quem vtrumque aſſequutum eſt; ſed tantùm actuum perfectionem reſpiciat: ſatius eſt, ad dirimendam litem vtrique ſuam actus perfectionem, quæ cuique propria eſt, tribui, quæ ſanè alia maior, aut minor eſſe non B poteſt: cùm alterum alteri ſubordinatur; & vtraque ad eundem finem aſſequendum mutua ſibi obſequia præſtant. Vel cùm minima hæc quæſtio iudicari ſoleat, ea potiùs ſilentio ſepelienda eſt, ne certa illorum pax incertis aliorum iurgiis perturbetur.

Ita cùm intellectus, & voluntas eundem beatitudinis finem, Deum ſcilicet, licèt diuerſo curſu ſimul attingant (vt aliàs demonſtratum fuit) & controuerſia ſit, quis illorum principalioti, ac perfectiori actu illum attigerit. Planè ita componenda lis eſt, vt primùm nulli beatitudinis aſſequutio de- C negati debeat; quam vterque aſſecutus eſt. Deinde ſua vtrique potentiæ nobilitas, ac perfectio, quam iure naturæ ſibi vendicat, ſeruanda eſt: quòd ſi de iis quæſtio oritur, ea vel ex affini, ac conſanguinea illarum nobilitate; vtpote quæ ex vna animæ eſſentia prodeunt: quò fit, vt æquè nobiles vtriuſque potentiæ actus cenſeri debeant; vel ex mutua illarum ſubordinatione, quæ viciſſim ſibi in adipiſcenda beatitudine obſequuntur; ex qua oritur, vt interdum alia aliam excedat, ac viciſſim ab ea excedatur; lis ſedanda eſt. Vel tandem cùm hæc minimi ponderis D quæſtio ſit; neque ad beatitudinis eſſentiam, quam vtraque iam adepta eſt, pertineat, ea potiùs omittenda eſt: ne dum illæ certa, ac inuiolabili inter ſe pace fruuntur, vana, ac immortalia inter nos bella excitemus.

Qvarta concluſio. *Non repugnat rationi, formalem, ſeu eſſentialē beatitudinem in mixto ex vtraq; potentia actu collocari.* Probatur concluſio primò ex teſtimoniis Scripturarum, & Patrũ auctoritatibus, tũ rationibus quas nuper adduximus pro hac ſententia, quæ probãt E hanc ſententiam rationi conſentaneam eſſe.

Præterea ſecundò. Quemadmodum non repugnat dari actum liberi arbitrij, qui eſt actus mixtus ex intellectu, & voluntate, vt patet ex ipſo nominis etymo; in quo libertas ad voluntatem, arbitrium ad intellectum refertur: quo iuſtificationem aſſequimur, quæ medium eſt ad beatitudinem: ita haud diſſentaneum eſt à ratione, dari actum ex vtraque potentia mixtum, quo beatitudinem A adipiſcamur. Actus enim, qui ad media adipiſcenda ordinatur, fini etiam comparando accommodari debet, cùm adeptio finis ad eundem potentiæ actum ſpectet, à quo pendet conſequutio mediorum. Quapropter cùm ad iuſtificationis gratiam, quæ ad beatitudinem, velut medium diſponit, acquirendam; mixtus neceſſariò liberi arbitrij actus exigatur. Cur idem mixtus actus obtinendæ beatitudini, quæ iuſtificationis finis eſt, denegari debet?

Tertiò, cùm finis ad totius perfectionem ſpectet, is ſanè non ſingulari vnius tan- B tùm partis; ſed totius actu comparari debet. At beatitudo eſt totius hominis finis vltimus; quo totus homo perficitur, ac beatus efficitur (de corporis enim beatitudine, quæ ex animæ tantùm beatitudine redundat, hîc non agimus:) igitur beatitudo non ſolo, ac ſingulari intellectus, aut voluntatis, ſed mixto harum potentiarum actu debet comparari.

Qvartò, iuſtitia formalis, qua beatitudinem attingimus, ex pluribus actibus, tam intellectus, quàm voluntatis, eſt mixta: neque enim iuſtus eſt, niſi qui rectè credit, rectè C ſperat, rectè diligit. Hinc Auguſtinus de verbis Apoſtoli ſerm. 22. *Domus Dei* (inquit) *credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur.* Cùm igitur trium harum virtutum fidei, ſcilicet ſpei, & charitatis actus, Chriſtiani hominis iuſtitiam conſtituant, quæ ad beatitudinem diſponit; planè beatitudo formalis, quæ formali iuſtitiæ reſpondet, non vno, ſed pluribus actibus mixtis comparari debet.

Aug. de ver. Ap. ſer. 22.

Qvintò, beatitudo, vt deſcribitur à Boëtio lib. 3. de conſol. & ab omnibus probatur, eſt ſtatus omnium bonorum aggregatio- D ne perfectus: ſed cùm omnium bonorum aggregatio intellectus, ac voluntatis ſimul bona complectatur: quæ ſimplici actu haberi non poſſunt, ergo neceſſarius eſt actus mixtus, in quo eſſentialis beatitudo conſiſtat.

Boëtius l. 3. de conſol.

Sextò, beatitudo ex Anſelmo in libro de beatitudinibus, eſt ſufficientia omnium commodorum omni indigentia remota, vbi beatitudinem in nullo ſolo bono vult conſiſtere, putà non in ſola Dei viſione, aut fruitione, ſed in vtroque collectiuè. Sed ea in iis E collectiuè eſſe non poteſt, niſi mixto horum actu paretur. Igitur ex Anſelm. ſentẽtia nõ repugnat beatitudinẽ in actu mixto collocari.

Anſelm. l. de beatitudin.

Qvòd ſi obiiciant, tam Boëtium, quàm Anſelmum beatitudinem, non quoad ſuum formale, ac eſſentiale: ſed velut aggregatum ex omnibus tam accidentalibus, quàm eſſentialibus bonis propoſuiſſe. Id tametſi verum eſſe poſſit: attamen negare non debent intrinſecam appetitus ſatietatem, quæ rationalis natura. Deo velut ſupremo fine

fiui

ſtui optat, ad formalem beatitudinem ſpectare: quapropter cùm duplex hic appetitus in animo ſit; quorum alter ab intellectu, alter à voluntate fluit: atque is ad duplicia bona inhiet; intellectus quidem appetitus ad bona viſionis, voluntatis verò ad bona fruitionis: horum bonorum altero à beatitudine ſublato, ſtatim formalis beatitudo ruit, quæ cùm vtriuſque appetitum explere debeat, ad vtrũque neceſſariò debet extendi: quò fit, vt haud malè tum Boëtius, tum Anſelmus explicari poſſint, quòd ij omnium bonorum, aut commodorum nuncupatione eſſentialia tantùm beatitudinis bona, quæ vtrique potentiæ debentur; à quibus cætera accidentalia deinde pendent, intellexerint.

D. Thom. 1. 2. q. 3. art. 8. in corp. quæſt.

Septimo, ſi repugnaret beatitudinem formalem ex actu mixto intellectus & voluntatis conſurgere, id eſſet maximè (vt arguit Scotus in 4. diſt. 49. q. 3.) quòd ſicut beatitudo obiectiua eſt vna numero, quæ eſt ipſe Deus: ita beatitudo formalis, quæ eſt ipſius adeptio, vnica operatione conſiſtere debet. At labile eſt argumẽtum Scoti. Nam ſi Deus ſub Deitatis tantùm conceptu vtriuſque potentiæ beatificandæ eſſet obiectum, bene argueret Scotus; tunc enim neceſſariò ſequeretur vnicum obiectum vnica tantùm operatione attingi debere: modò cum ſub duplici ratione Deus tum intellectui, tum voluntati comprehendendus ſeſe offerat; intellectui ſub ratione veri, voluntati ſub ratione boni: atque intellectus ad Deum tanquam ſummum verum, voluntas tanquam ad ſummum bonum tantùm feratur: inde fit, vt duplici etiam potentiarum actu attingi debeat: quapropter non vrget argumentum Scoti; neque répugnat formalem beatitudinem in actu mixto collocari.

Scotus in 4. diſt. 49. q. 3.

Octavo, ſi repugnaret formalem beatitudinem eſſe in actu mixto, id ea ratione fortè contingeret quam inculcant D. Thom. in 4. diſt. 49. q. 1. art. 1. in reſp. ad 2. & Durand. quæſt. 4. num. 12. quòd beatitudo formalis, cùm ſit operatio optima ac præſtantiſſima, ea ex pluribus actibus, qui ſpecie differunt (notum enim eſt intellectus & voluntatis actus differre) conſtare non poteſt; quãdoquidem ea quæ ſpecie differunt æqualis perfectionis eſſe non poſſunt, cùm ſint ſicut numeri (vt teſtis eſt Ariſt. 8. Metaph.) Ergo videtur in operatione mixta formalem beatitudinem reponendam non eſſe.

D. Thom. in 4. diſt. 49. q. 1. art. 1. Durand. q. 4. n. 12.

Ariſt. 8. Methaph.

Sed id non impedit, quandoquidem ea operatio præſtantiſſima dicitur, cui ad finem conſequendum nihil deeſt: modò conſtat operationem mixtam ex intellectu & voluntate, ſolam ad ſummum bonum conſequendum ſufficere, vt ſuperiùs probatum fuit. Nam actus intellectus, qui eſt viſio, per ſe perfectè finem totius non aſſequitur, neque

A voluntatis appetitum ſatiat, quæ ſola fruitione expletur. Neque enim, vt ait D. Thom. 1. 2. quæſt. 3. art. 8. in corp. quæſtionis homo perfectè beatus eſſe poteſt, quandiu reſtat ſibi aliquid deſiderandum, & quærendum: quapropter is ad fruitionem refertur, cum qua tunc perfectè beatum hominem reddit. Fruitio verò, quæ eſt voluntatis operatio, cùm neceſſariò præſens obiectum expetat, viſione intellectus neceſſariò indiget: qua ſummo bono præſente frui poſſit. Sola igitur operatio ex vtraque potentia mixta præſtantiſſima eſt, cùm ea ſola totum hominis finem attingat. B

D. Thom. 1. 2. q. 3. art. 8.

Quod verò aſſumunt, operationem ex pluribus ſpecie differentibus mixtam, ea ratione præſtantiſſimam eſſe non poſſe, quòd operationes illæ æqualis perfectionis eſſe nequeant; facilè diluitur. Nam id verum eſſe fatemur in iis operationibus, quæ inter ſe diſſitæ nulla ſubordinatione ſibi inuicem cohærent: at non ita in operatione mixta, quæ ex pluribus ſibi inuicem ſubordinatis operationibus, licèt hæ ſpecie differant, conſurgit: quarum vnaquæque ſeorſim ſumpta ad finem conſequendum non ſufficit; hæc enim C proculdubio qualibet illarũ ſeorſim ſumpta perfectior, ac præſtantior eſt: cùm ea ſola finem attingat. Mixta enim operatio duplicìter poteſt referri. Primò, ad quamlibet operationem ſingularem, quæ per ſe ad finem aſſequendum ſufficit, nec alteri ſubordinatur: ita mixta operatio qualibet ſimplici operatione eſt imperfectior. Secundò, ad ſingulares operationes ſibi inuicem ſubordinatas poteſt referri, quæ coniunctim tantùm, non ſeorſim finem attingunt. Hoc modo mixta operatio qualibet ſingulari huiuſmodi actione perfectior eſt, ac præſtantior. Quare cùm talis ſit D operatio mixta ex intellectu & voluntate, qua ſola finem, ac ſummum bonũ attingimus (vt probatum eſt) ea præſtantiſſima cenſenda eſt.

Postremò, ſi actus mixtus formali beatitudini repugnaret, id ea tandem ratione eueniret, quòd, vt cenſet Scotus loco ſuperiùs citato, res omnes vnica operatione finem ſuum aſſequuntur. Adde etiam ſi lubet, quòd cùm vnus ſit finis, vnica etiam operatione debet comparari. At hæc ratio refellitur. Pleraque enim non vno, ſed pluribus actibus finem adipiſcuntur. Nautæ non vno, ſed diuerſis plurium impellentium motibus nauem E in portum compellunt: qui finis eſt ab iis intentus. Exercitus quoque Imperator cùm ſigna cum hoſte confert, non vno actu; ſed pluribus, atque iis ſpeciè differentibus victoriæ coronam, quæ illius finis eſt, conſequitur: ad eam enim comparandam cõſilio, arte, potentia vtitur. Quapropter cùm beatitudo tum cum portus tranquillitate, tum etiam cum victoriæ corona à D. Paulo comparetur; nam

Heb.

Heb. 6. Heb. 6. *Fortiſſimum* (inquit) *ſolatium habeamus qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut ancheram habemus animæ tutam, ac firmam*: & 2. ad Tim. 4. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Haud mirum eſt, quòd in ea aſſequenda plures potentiarum actus concurrant.

2. Tim. 4.

Refellitvr etiam aſſumptum. Nam quamuis vnus ſit finis totius hominis, nempe Deus Opt. Max. in cuius adeptione formalis beatitudo conſiſtit, plurium tamen potentiarum operatione is hunc finem aſſequitur: quò ſit, vt vnica tantum, ac ſingulari operatione illum aſſequi non poſſit. Verùm tametſi harum potentiarum actus inter ſe diſtincti ſint, cùm tamen ſibi inuicem ſubordinentur, ac ſe mutuò in beatitudine comparanda iuuent, quandoquidem ex Philoſophi ſententia, quādo vnum propter alterum, illud tantùm eſt vnum. Planè conſtat, hos actus in quandam vnitatem conſpirare, ac velut vno actu ex intellectu, & voluntate conflato beatitudinem comparari.

Ex his igitur ſatis probatum ſit, formalem beatitudinem in vtroque & intellectus, & voluntatis actu collocandam eſſe.

Proborum aliquorum animas poſt mortem aliquandiu pœnis purgatorijs detineri, demonſtratur ex Philoſophis contra Atheiſtas.

Articvlvs qvintvs.

Qvoniam de proborum beatitudine agitur, hîc opportunus nobis ſeſe offert locus, in quo tam contra Hæreticos, quàm Atheiſtas diſcutiendum eſt; An hominum proborum animæ, poſtquàm è corpore deceſſerunt, rectà in cœlum ferantur; an priùs aliquo loco detineātur; vbi contractas ex humana fragilitate ſordes abluant. Cùm enim proborum hominum duo ſint genera: vnum quod iuſtitiæ abundantia, ac virtutum cumulis, vel profuſo pro Chriſto ſanguine culparum maculas, ſi quas ſibi inhærentes habuit, priuſquam è vita migraret, abſterſit: alterum verò quod quamquam ſufficientem ſibi ad ſalutem iuſtitiam, ac probitatem comparauerit, peccatorum tamen ſordes, quas aliquando in corpore paſſum eſt, ante corporis diſſolutionem perfectè non eluit. Hoc licèt ad imperfectum proborum genus ſpectet, è proborum tamen numero ſecludi haud fas eſt; cùm hi tametſi nondum perfectè expiati in Domino mortui fuerint; quibus ex Chriſti ſententia beatitudo debetur. *Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur.*

Apoc. 14.

Cæterum ſi quæ hinc planè expiatæ decedunt, deinceps expendendum eſt, an illæ ſtatim Dei viſione fruantur, ac perfecta beatarum animarum præmia aſſequantur. Vtrumque enim tam Atheiſtę, quàm Hæretici negant. Quapropter cùm vterque hic locus celebris ſit, potiſſimùm aduerſus Hæreticos, de illo duplex demonſtratio inſtituenda eſt. Ac prior erit, quam primo loco propoſuimus.

Hæretici, velut Atheiſtarum affines, ac propinqui, cùm proborum hominum beatitudinem, quam nimis apertè Scripturæ teſtātur, delere nō poſſint; quippe qui non Atheiſtæ, ſed Religioniſtæ videri volunt, eam ſcelerum maculis contaminare, ac impuris hominum gregibus polluere ſtudent: dum omnem peccatorum poſt mortem purgationem tollunt, ac purgatorium ignem, ac cæteros à Deo præſcriptos purgationis modos, quibus peccatorum maculæ expiantur, prorſus euelluͭt; ac impuras & inquinatas ſordibus animas cœlum contendere volunt: quò impuram, ac contaminatam beatitudinis faciem hominibus offerentes, illos tacito ac diabolico quodā aſtu à beatitudinis fide tandem reuocent, & in Atheiſmi abyſſum detrudant.

Hæresis hæc primùm ab Arrianis ortum duxit. Aërius enim presbyter Arrianus (vt teſtes ſunt Epiphanius, Auguſtinus, Iſidorus, & Damaſcenus, vbi de Aëtianis agunt) docuit viuentium ſacrificia, orationes, & ieiunia defunctis nihil prodeſſe, quaſi nulli defuncti eſſent, qui iis ſuffragiis indigerent. Quam deinde velut propriam educarunt Armeni, Petrobruſiani, Henriciani, Waldenſes, Albigenſes, Flagellantes, Wicleſuiſtæ, Piggardi, ac demum Græci, ac Moſcouitæ referente Guidone de Armeniorum, Græcorum, ac Rhutenorum erroribus. D. Bernardo ſerm. 66. ſuper cant. Petro Cluniacenſi Epiſt. ad omnes Epiſcopos, Eymerico tract. 2. q. 14. Ænea Syluio Hiſtoriæ Bohemiæ c. 38. Cæſario Heiſterbachio lib. 5. c. 11. Bernardo Lutzemb. de Hæreſi Albig. & Flagellantium.

Aërius. *Guido.* *D. Bernard.* *Petrus Cluniac.* *Eymericus.* *Æneas Syl.* *Cæſar. Heiſterb.* *Bernard. Lutzemb.*

Postremò eidem nupſerunt Martinus Lutherus Epiſt. ad Waldenſes, & lib. de Miſſa priuata: Zuuinglius Epitcherefi de Canone Miſſæ, Petrus Martyr ad cap. 3. prioris ad Corinth. Ioan. Caluin. lib. 3. Inſtitu. cap. 5. §. 6. Henricus Bullingerus Decadis 4. ſerm. 10. Beza & alij Caluiniſtæ & Lutherani.

Martinus Lutherus. *Zuuinglius.* *Petrus Mart.* *Io. Caluin.* *Henric. Bulling.* *Beza.*

Hæc igitur primùm Philoſophorum teſtimoniis, deinde Scripturarum oraculis, tum Patrum auctoritatibus, ac Conciliorum definitionibus: demum Hæbreorum dictis, ac rationibus teſellenda eſt.

Primvm igitur antiquiſſimam, ac per omnes ferè nationes velut naturæ vocem diffuſam eſſe Purgatorij famam, quo animæ vel leuiorum delictorum nondum ſordibus

S eluræ,

eluta, vel grauiorum necdum maculis omnino abſterſis, poſt mortem purgantur, vetuſtiſſimorum Philoſophorum teſtimonia declarant. Nam Mercurius Trimegiſtus Ægyptiacæ ſapientiæ pater: quo neminem inter prophanos Scriptores priorem ſcripſiſſe didicimus; is impuras animas non tam legum humanarum pœnis, quàm dignis poſt mortem à Deo ſupplicijs expiari tradit in Aſclepio c. 10: vbi Aſclepius à Trimegiſto quærit. *Non ergo (Trimegiſte) hominum delicta ſola humana lege puniuntur.* Trim. *Primò enim ô Aſclepi terrena omnia quæ ſunt, mortalia ſunt: tunc ea etiam quæ ſunt ratione corporali viuentia, & à viuendo eadem corporali lege deficientia, ea omnia pro vitæ meritis, aut delictis pœnis obnoxia, tanto poſt mortem ſeuioribus ſubijciuntur, quanto multa forſitan fuerint celata dum viuerent: præſcia enim rerum omnium diuinitate reddentur perinde (vt ſunt) pro delictorum qualitatibus pœna.* Vides Trimegiſtum id vel à maioribus traditum, vel naturæ lumine compertum habere; vt nullum abſque ſupplicio ſcelus inultum remaneat, atque ea poſt mortem hominum delicta pœnis expiari, quæ hinc legum ſeueritate impunita cum iis deceſſerunt. Quod ſanè Atheiſtis primùm, qui animas poſt mortem nullis pœnis affici exiſtimant terrorem incutere debet: cùm huius diſciplinæ, quam hic tradit Mercurius, veritas ab eadem naturæ voce erumpat, quæ homines Dei prouidentiam docuit.

Merc. Trimegiſtus in Aſclep. cap. 10.

Plat. in Phædone.

Poſt ipſum Plato in Phædone, poſtquam & præmia virtutum, & vitiorum ſupplicia ad alteram vitam potiſſimùm pertinere docuit: ibíque vnumquemque proprium iudicium ſubire; tria hominum genera ſtatuit, qui ad iudicium vocantur. Vnum eorum, qui ſanctè honeſtéque vixerunt. Alterum eorum, qui inſanabilia peccata admiſerunt. Tertium eorum, qui medio quodam modo vixerunt. Primos ait ſtatim ad inſulas beatas tranſmitti. Secundos verò in Tartarum perpetuò cruciandos demergi. Poſtremos tandem, vbi datis iniuſtè factorum pœnis purgati ſunt, abſolui & benefactorum præmia ferre. Hos verò poſtremos adhuc in duas claſſes diſtinguit. Prima iis conſtat, qui leuia ac ſanabilia peccata commiſerunt, quæ nos venialia dicimus: qui faciles pœnas luunt. Altera eos complectitur, qui licèt magnis ac inſanabilibus ſceleribus ſeipſos contaminauerint, eos tamen ante obitum ſcelerum pœnituit, quos acrioribus ſupplicijs excruciari in Tartaro dicit: at denique finem malorum impetrare. Hæc omnia pertractat Plato in Phædone his verbis.

Qvando *in eum locum defuncti peruenerint, quò dæmon vnumquemque perducit: primò illic iudicantur, & qui honeſtè ſanctéque, & qui aliter vixerint. Itáque quicunque in vita quodammodo tenuiſſe medium quoddam comperiuntur, ad Acherontem profecti, vehiculis quæ vnicuique adſunt conſcenſis in paludem perueniunt Acheruſiam: ibíque habitant, purganturque pœnis dantes iniuriarum; rurſúſque pro merito ſinguli benefactorum præmia reportant. Qui verò ob ſcelerum magnitudinem inſanabiles eſſe videntur, quaſi videlicet ſacrilegia multa & magna, vel cædes iniquas, vel alia horum ſimilia perpetrauerint; hos omnes conueniens ſors mergit in Tartarum, & inde nunquam egrediuntur. Quæ autem ſanabilia quidem peccata, ſed ingentia commiſerunt: veluti ſi qui contra patrem vel matrem irati, per vim aliquid fecerint, ſed pœnitentia ducti, eos in cætera vita coluerint: vel qui ſimili quodam pacto fuerint homicidæ, eos in Tartarum quidem neceſſe eſt cadere; ſed ibi per annum commorati à fluctu eiiciuntur; homicidæ quidem per Cocytum, parentum verò violatores per Pyriphlegetontem: poſtquam verò ab his delati fluminibus ad paludem Acheruſiam peruenerint; clamant illic, vocitántque eos, quos vel necauerunt, vel iniuriis affecerunt; ſupplicitérque rogant, atque deprecantur, vt eos permittant ingredi in paludem, ibíque recipi: ac ſi impetrauerint, penetrant illuc, finémque malorum accipiunt.*

Hinc nonnulla licet ex Platone colligere, quæ maximè fidei noſtræ conſentanea ſunt, tametſi in his nonnulla fabuloſa miſceat: Primum, defunctorum animas ſtatim poſt mortem ad iudicium vocari, ac præmia, vel ſupplicia referre. Secundum, quædam ſanabilia, quædam verò inſanabilia peccata eſſe, quæ defunctorum animas ſequuntur; quæ nos alio nomine mortalia, ac venialia appellamus. Tertium, eos qui inſanabilia vel mortalia facinora perpetrarunt, atque in iis deceſſerunt, in Orcum demergi, vnde nunquam egredi poſſint, perinde ac ſi illud prædicaret, *in inferno nulla eſt redemptio.* Quartum, ſanabilia, vel venialia delicta pœnis poſt mortem purgari: quibus expiatis à pœnis abſoluuntur, & ad præmia euolant. Quintum, poſt lethalium culparum pœnitentiam culpæ reliquias, ac reatum adhuc in anima purganda remanere. Quibus tandem ex Platone conſtat pœnas purgatorias dari oportere.

Hoc ipſum in Gorgia confirmat: vbi iterum inſanabilium, ac ſanabilium peccatorum diſtinctionem commemorat: qua probat æternas, ac temporales purgatorias pœnas pro delictorum diuerſitate apud inferos poſt mortem decerni. *Qui enim* (inquit) *apud Deos & homines ita dant pœnas, vt vtilitatem inde aliquam referant; hi ſunt, qui peccata ſanabilia commiſerunt quibus dolor cruciatúſque prodeſt, & apud homines, & apud inferos: non enim aliter poteſt quis ab iniuſtitia liberari.* Optima ſanè ratione: nam quo pacto ij à leuioribus peccatis liberari valent,

lent, qui in his extremum diem obierunt: niſi iis poſt deceſſum aliqua pœna ſtatuatur, qua illa purgare, ac expiare queant? in quo nec minùs pia, ac vera ſunt, quæ de damnatorum pœnis ſubdit. *Qui autem extrema iniuſtitia detinentur, ac propter eiuſmodi delicta ſunt inſanabiles, ex his exempla ſumuntur: ipsíque nullam vtilitatem inde reportant; vtpote qui ſanari non poßint: ſed proſunt duntaxat aliis per exemplum.*

Plutarchus.

His aſſentit Plutarchus, qui de iis qui ſerò à numine puniũtur agens: triplex defunctis ſuppliciorum genus conſtituit. Primum mite iis, qui leuiora flagitia perpetrarunt. Secundum acerbius iis, qui grauiora commiſerunt. Tertium grauiſſimum ac perpetuum iis, qui prorſus inſanabiles è vita deceſſerunt: in quo nec à priore Platone, nec à fide diſſentit, quæ triplicem hanc pœnarum menſuram iis reddendam ſcit, qui hinc cum peccato decedunt. *Quoſdam enim* (ait) *ſtatim in corpore, & per corpora plectendos pœna velox arripit, miti quadam ratione; & quæ multa omittat expiationis indigentia. Quorum verò malitia operoſiorem efflagitat medicinam, eos genius poſt mortem iuſtitia tradit. Prorſus autem inſanabiles iuſtitia repellente tertia & ſæuiſſima Adraſtea adminiſtrarum Erynnis hinc inde vagantes, atque fugientes curſu adſequens miſerabiliter, atque immaniter vniuerſos abolet; ínque locum demergit, qui nec cerni oculis, neque viſu adiri poteſt.*

At in eo Commentatio, qui *de facie in orbe Lunæ* inſcribitur: eandem ſententiam confirmans, ait: *Impiæ enim & intemperantes flagitiorum pœnas luunt: piæ certum tempus, quantùm ad luſtrandum & corporis, vt pote malæ cauſæ pollutiones abolendum ſufficit, in aëris puriſſima parte degunt: quam prata ditis appellant: deinde veluti ab exilio in patriam reductæ gaudium deguſtant.*

Tull. in conſo. de obitu filiæ.

Hanc ſententiam velut à maioribus acceptam Tullius etiam tradit, tum in conſolatione de obitu filiæ, vbi ſeipſum ita conſolatur. *Non omnibus iidem ſapientes arbitrati ſunt eundem curſum in cælum patere: nam vitiis & ſceleribus contaminatos deprimi in tenebras, atque in cœno iacere docuerunt: caſtos animos, puros, integros, incorruptos: bonis etiam ſtudiis atque artibus expolitos leui, & facili lapſu ad Deos, id eſt, ad naturam ſimilem ſui peruolare.* Tum in Somno Scipionis & Tuſculanis quæſtionibus, vbi eorum animos, qui ſe voluptatibus dederant, eorúmque ſe quaſi miniſtros præbuerunt, & libidinum impulſu iura Deorum, & hominum violarunt, è corporibus elapſos circum terram volutari, nec in cœlum niſi purgatos, ac multis temporibus exagitatos reuerti, diſertiſſimis verbis tradit.

Tullius in Somno Scipionis.

Id tandem ex Philoſophis poſtremus Seneca diſertè fatetur in lib. de Conſolatione ad Martiam. *Integer* (inquit) *ille ſpiritus, nihílque terris relinquens fugit, & totus exceßit; & paululùm ſupra nos commoratus, dum expurgat vitia, ſitúmque omnis mortalis æui excutit: deinde ad excelſa ſublatus inter fœlices currit animas.*

Seneca de Conſol.

Cæterum Poëtis id commune fuit pœnas, vel temporales, vel perpetuas pro delictorum grauitate ac magnitudine defunctis ſtatuere. Idcirco namque inferos Poëtico more deſcribentes; primum velut regnum probè adminiſtratum illud eſſe ſibi perſuadebant, in quo Pluto Rex inferorum ſederet: cui Tartarea illa loca, ac nigri habitatores obtemperarent: iudices conſtituti erant Æacus, Rhadamantus, & Minos; qui animarum illuc confluentium facta diligentiſſimè examinarent; Cerberus triceps inferorum cuſtos adhibebatur: nauita Stygiæ paludis Charon: ſpeculatrices, ac vindices ſcelerũ, ac ſuppliciorũ miniſtræ, furiæ Alecto, Tiſiphone, Megera; purgatricia flumina illis erant Phlegetõ, Cocytus, Lethes, Acheron: quibus animæ diu purgatæ ex Iudicum ſententia tandem à pœnis abſoluebantur. Qui etiam multa de inferorum pœnis leuioribus ac grauioribus diſſerunt, vt inter alios teſtis eſt Virgilius 6. Æneid. cùm ait.

Virgilius Æneid. 6.

Ergo exercentur pœnis, veterúmque malorum
Supplicia expendunt: aliæ penduntur inanes
Suſpenſæ ad ventos, aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

At verò nemo exiſtimet, nos hæc idcirco à Philoſophis teſtimonia petere, quaſi ex iis Purgatorij fidem ſolidè conſtruere velimus, aut iis ita inhærere, vt inſulſas etiam illorum fabulas, quibus hanc ſententiam (præſertim Poëtæ) explicare ſolent, propoſitum ſit, neque enim aut Philoſophorum auctoritate, aut Poëtarum fabulis indiget Catholica fides: ſed cùm omnium conſenſus naturæ vox putanda ſit; idcirco antiquorũ Philoſophorum teſtimoniis agimus, vt Purgatorij fidem non inanem, vt Athei exiſtimant, neque nouam, vt Hæretici imponunt: ſed antiquis ſolidam, ac conſtantem fuiſſe velut à natura profectam demonſtremus. Quòd ſi prophani ſcriptores in ea explicanda fabulas miſcent; fabulas reiicimus; ac ſolidam tantùm veritatem amplectimur, qua aliquos poſt mortem pœnis purgari docent.

Peccata quædam venialia eſſe, alia mortalia demonſtratur contra Hæreticos.

Articvlvs VI.

Qvoniam verò de venialium, ac mortalium peccatorum diſtinctione, ex qua Purgatorij potiſſimùm veritas conſtituitur, non nihil ex Philoſophorum ſententia attigimus:

mus:ſanè locus poſtulat, vt eandem non tam ex naturæ voce hauſtam, quàm diuinis teſtimoniis, ac Sanctorum Patrum auctoritatibus, demum Eccleſię conſenſu roboratam aduerſus Hæreticos demonſtremus: pręſertim cùm ij huc omne ſtudium laborem, ac diligentiam conferant, vt illius veritatem altè hominum animis inſidentem auellant, quò faciliùs de purgatoriis pœnis triumphare valeant.

DEMONSTRATIONEM igitur ab ipſa Dei voce exordientes; quædam eſſe venialia peccata, quæ pœnam merentur, non quidem æternam, ſed temporalem tantummodò explicat Chriſtus apud Matthæum cap. 5. his verbis. *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri ſuo Racha: reus erit concilio. Qui autem dixerit: Fatue: reus erit gehennæ ignis.* His verbis tres peccatorũ gradus Chriſtus diſtinguit: qui illa triplici reatus diſtinctione ſignificantur. Primus, & ſecundus gradus ad veniale tantùm peccatum pertinent. Tertius ad mortale: quod hac ratione deducitur. Primùm enim ait, eum qui fratri ſuo iraſcitur, reum fore iudicio: id eſt, qui ita leuiter iraſcitur, vt in nullam iracundiæ vocem erumpat, reus quidem eſt, ſed iudicio duntaxat. Quia ſcilicet, (vt explicat Auguſt.) aliquid inordinatè commiſit, per quod iuſtè in iudicium Dei adduci poteſt, vt illius cauſa examinetur. Secundò, is qui in fratrẽ ſuum ita iraſcitur, vt murmur ac vocem nihil ſignificantem, non tamen apertũ conuicium ab ore depromat: quod vox *Racha* iodicat; grauiùs quidẽ peccat, ac reus à Chriſto iudicatur, ſed tantùm concilio: quia ſcilicet, quãquam eius culpa certa ſit, incertum tamen, & ambiguum eſt, quanta pœna plecti debeat: quapropter concilio indiget, vt illi pœnę menſura ſtatuatur. Tertiò, qui ira in fratrem iracũdia mouetur, vt aperto illum conuicio inuadat; reus gehennæ ignis, id eſt, inferni; ac æterni ſupplicij à Chriſto iudicatur, vt exponunt Auguſtin. Chryſoſtomus, & Theophylactus.

Matth. 5.

TOTA hæc huius loci explicatio eſt Auguſtini lib. 1. de ſerm. Domini in monte c. 19. vbi ita ſcribit: *Gradus ſunt in iſtis peccatis: primò vt vnuſquiſque iraſcatur, & motum retineat corde conceptum. Iam ſi extorſit vocem non ſignificantem aliquid, ſed animi motum ipſa eruptione teſtantem: plus eſt, quàm ſi ira ſurgens ſilentio premeretur: ſed adhuc plus eſt, ſi etiam verbum proferatur, quod iam certam vituperationem deſignat.* Tum poſt pauca. *Vide etiam nunc tres reatus, iudicij, Concilij, & Gehennæ ignis: in quibus quoſdam gradus factos admonet à leuioribus ad grauiora. Nã in iudicio adhuc defenſionis locus datur: ad Concilium autem pertinere videtur ſententiæ prolatio; quando inter ſe iudices conferunt, quo ſupplicio damnare oporteat. In gehenna verò ignis certa eſt damnatio, & pœna damnati.* Ex quo loco ita arguo. Si in peccatis is graduum ordo ex Chriſti ſententia ſtatuitur, vt aliqua leuiora ad gehennæ ignis pœnam non pertingant: ſed peccantem hominem tantum vel iudicij, vel cõcilij reum efficiant. Alia verò quæ grauiora ſunt, æterni ignis ſupplicio adiudicent: an non hunc apertè venialium, ac mortalium peccatorum diſtinctionem doceri animaduertunt; cùm leuioribus peccatis pœnam quidem, quæ reatus nomine exprimitur, ſed temporalem decerni audiunt: mortalibus verò perpetui ignis gehennam adiudicari Chriſto ipſo Doctore addiſcunt?

Aug. lib. 1. de ſerm. Domini in mõte c. 19.

PRÆTEREA apud eundem Matthæum cap. 7. Chriſtus Phariſæos arguit his verbis. *Quid tu vides feſtucam in oculo fratris tui: trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras?* Vbi Chriſtus feſtucæ nomine leuia, ac venialia peccata indicat: trabis verò appellatione lethalia tãtùm inſinuat, vt docet Chryſoſtomus homilia 24. in Matthæum, vbi locum hunc ita explicat. *Videtur* (inquit) *mihi etiam Iudæos notare, qui de paruulis omnino culpis accuſatores, amariſſimi proximorum eſſent: ipſi nihilominus ſua, nec maxima quidem crimina cohibebant: quod etiam in fine Euangelij Dominus exprobrat. Alligatis* (inquit) *onera grauia & importabilia; ipſi autem digito non vultis ea mouere.* Quem ſenſum etiam proſequitur D. Hieronymus ad caput 7. Matth. *Quid vides* (inquit) *feſtucam*, &c. *De his loquitur, qui cùm ipſi mortali crimine teneantur obnoxij: minora peccata fratribus non concedunt; culicem liquantes, & Camelum glutientes.*

Matth. 7.

Chryſ. hom. 24. in Matt.

Matth. 23.

Hieron. ad c. 7. Matth.

ACCEDAT & alter locus apud eundem Matthæum c. 12. vbi Dominus de verbo omni otioſo ac leuiter prolato rationem eſſe exigendam affirmat. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Nemo hominem ob vnicum verbum riſu dignum, vel leuiter dictum, æterno ſupplicio interimendum eſſe vnquam exiſtimauit: cùm in id haud rarò homines quoque iuſti, ac perfectiores incidant: de hoc namque peccatorum genere ait Sapiẽs Prou. 24. *Septies enim in die cadet iuſtus, & reſurget.* Cũ verò Chriſtus illud ad iudicium reuocãdum, ac minimè inultũ remanſurum eſſe admoneat (quod priùs de leuioribus iræ gradibus dixerat) illi ſanè non æternam, ſed temporalem tantùm pœnã deberi exploratũ eſt, qua illud expiari valeat.

Matth. 12.

Prou. 24.

AT apertiſſimè Ioan. Epiſt. 1. cap. 5. hanc de venialibus, ac lethalibus delictis diſtinctionem tradit, his verbis. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem; petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis.* Hoc loco Apoſt. duo peccatorum genera diſertè tradit, quædã, quæ non ſunt ad mortem, id eſt, quæ hominẽ ad mortem non condẽnant; vt vertit Syrus interpres; nam pro eo quod Græca lectio

1. Ioan. 5.

ctio habet, ἁμαρτίας μὴ πρὸς θάνατον, Syriaca verſio legit. *Peccatum, quod non condemnat ad mortem.* Alia verò, quæ ſunt ad mortem, id eſt, quæ hominem æternæ mortis exitio inuoluunt: peccata non ad mortem ea ſunt, quæ tametſi in ſe inordinatum aliquid habeant: ipſa tamen ab vltimo fine non auertunt, neque à Deo ſeparant; quapropter venialia à Theologis nuncupantur. Atque hæc quidem facilè Eccleſiæ oratione ac ſuffragiis à Deo condonari Apoſtolus docet: peccata verò ad mortem, quæ nos mortalia appellamus, omnino à Deo expellunt, ac proinde hominem ad æternam mortem ducunt: quò fit, vt illa ægriùs ac difficiliùs ob ſummam peruerſitatem, ac finis deordinationem à Deo dimittantur. Atque ita locum hunc explicat D. Hieron. contra Iouinian. lib. 2. c. 16. his verbis. *Sunt* (inquit) *peccata leuia, ſunt grauia. Aliud eſt decem millia talenta debere, aliud quadrantem. Et de otioſo quidem verbo, & adulterio rei tenebimur: ſed non eſt idem ſuffundi, & torqueri; erubeſcere, & longo tempore cruciari. Putas noſtrum eſſe quod loquimur? audi Apoſtolum Ioannem. Qui ſcit fratrem peccare peccatum non ad mortem,* &c. *Cernis, quòd ſi pro peccatis minoribus deprecemur, impetremus veniam: ſi pro maioribus, difficilis impetratio ſit, & inter peccata, & peccata magnam eſſe diſtantiam.* Quam expoſitionem confirmat quoque Auguſtinus in Enchiridio c. 71. vbi ita ſcribit. *De quotidianis breuibus, leuibúſque peccatis, ſine quibus hæc vita non ducitur: quotidiana fidelium oratio ſatisfacit.*

S. Hier. lib. 2. cont. Iouinian. c. 16.

S. Auguſt. in Enchirid. c. 71.

Hoc ipſum idem Ioannes cap. 1. non obſcurè ſignificauerat, cùm dixiſſet. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt:* tum paulò pòſt; *Si dixerimus, quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & verbum eius non eſt in nobis.* Cui addi poſſunt illud Prou. 24. *Septies enim in die cadet iuſtus, & reſurget;* & illud Iacobi c. 3. *In multis offendimus omnes:* ac etiam illud Eccleſiaſt. 7. *Non eſt enim homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Cuncta enim hæc teſtimonia declarant, aliquod eſſe leuiſſimum peccatorum genus, ſine quo præſens vita non agitur; quod à grauioribus, ac lethalibus delictis reipſa diſcerni debet: nam cùm eo ſæpe iuſti cadant, neque propterea iuſtorũ nomen amittant: inde exploratum eſt, in eo grauioſa ac mortalia peccata, quibus homo impius efficitur, minimè contineri: nam quod poſtremò teſtimonio Eccleſiaſtæ aſſeritur, non eſſe hominem iuſtum in terra qui faciat bonum, & non peccet, non tam quæ hactenus dicta ſunt, extenuat: quàm etiam magis confirmat. Neque enim iuſtos omnes è terrarum orbe expellit: ita vt nullus in eo iuſtus reperiri queat: ſed quicunque in eo iuſti ſunt, eorum neminem à leuioribus, aut leuiſſimis abſque ſpeciali Dei priuilegio culpis abſtinere poſſe, ſaltem collectiuè pronunciat, quod definitum habetur in Concilio Mileuitano, hoc canone. *Item placuit; quod ait ſanctus Ioannes Apoſtolus. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. quiſquis ſic accipiendum putauerit, vt dicat propter humilitatem oportere dici nos habere peccatum, non quia verè ita eſt; anathema ſit:* quod Decretum poſteà refricauit ſancta Synodus Tridentina ſeſſio. 6. can. 23. his verbis. *Si quis hominem ſemel iuſtificatum dixerit poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, niſi abſque ſpeciali Dei priuilegio; quemadmodum de beata Virgine tenet Eccleſia; anathema ſit.*

1. Ioan. 1.

Prou. 24.

Iacob. 3.

Eccleſiaſt. 7.

Concilium Mileuitan.

Conc. Trid. Seſſ. 6. can. 23.

Præterea Matth. 6. cùm Dominus orare quemlibet, tametſi iuſtum & ſanctum, Patrem iubet. *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris;* planè neminem, quantumlibet iuſtum, ab his leuiſſimis maculis liberum prædicat: cùm tamen pleroſque à mortalibus culpis idemmet immunes pronunciauerit, velut Ioan. Baptiſtam, Nathanaëlem, de quo ipſemet Chriſtus teſtatur Io. 1. *Ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt.* Apoſtolos omnes (præter vnum Iudam) vt conſtat Io. 13. ex illis verbis: *Et vos mundi eſtis, ſed non omnes;* ac pleroſque alios Scripturæ ab his grauioribus peccatis vendicent, quos paſſim iuſtos appellant.

Poſtremò duo loca accedant, quæ apertè hanc venialium, ac mortalium peccatorum differentiam indicant. Primus eſt Iacobi c. 1. vbi aliquod peccatum imperfectũ eſſe dicit, quod cõcupiſcentia in animo parit: & tamen peccato conſummato, ac mortem generante minus eſt; aliud verò peccatum conſummatũ eſſe docet, quod mortem generat. *Vnuſquiſque* (inquit) *tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus. Cõcupiſcentia vero cũ conceperit, parit peccatũ: peccatum verò cùm conſummatum fuerit; generat mortem.* Ordinẽ hoc loco, ac progreſſum Apoſtolus in peccato ſtatuit. Primùm namque tẽtatio à concupiſcentia excitatur, quæ ſenſum ad delectationẽ titillat: porrò huic tentationis motui nullum adhuc peccatũ adeſt; cùm non tentatio, ſed in tentationem cõſenſus ad peccatũ pertrahat: concipit deinde concupiſcentia in animo peccatum; cùm inſurgentes tentationis motus ſtatim in animo non comprimuntur; ſed in his coërcendis negligentiùs, quã par ſit, ſe habet animus: at hæc culpa venialis eſt, non mortalis: quandoquidem totus animus apertè, aut perfectè in peccati motum non conſentit: quò fit, vt is motus imperfectè voluntarius cenſeatur. Denique peccatũ conſummatur, ac tunc generat mortẽ, cùm totus animus plenè, atque perfectè in peccatum cõcedit; & integro aſſenſu tentationi ſuccũbit. Ex hoc Apoſtoli diſcurſu perſpicuũ ſanè eſt, venialem culpam à mortali ſecerni debere.

A ALTER locus eſt apud D. Paulum 1. Cor. 3. vbi leuioribus peccatis poſt mortem purgationem indicit, qua abſoluta homini ſalutem pollicetur. *Si quis* (inquit) *ſuperæd ficat ſupra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus manſerit quod ſuperædificauit, mercedem accipiet: ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur. Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Origenes (*Origenes.*) hom. 12. in Hierem. Ambroſ. (*Ambroſius.*) in Pſalmum B 118. ſerm. 10. Hieronymus (*Hieronym.*) lib. 2. aduersùs Iouinianum. Auguſtinus (*Auguſtinus.*) lib. 21. de Ciuitat. Dei c. 26. Gregorius (*Gregorius.*) lib. 4. Dialogorum c. 39. Beda (*Beda.*) in Pſalmum 37. & alij, ita locum hunc exponunt, vt per aurum, argentum, lapides pretioſos, ipſa perfectorum opera, quæ ſuapte natura digna ac laudabilia ſunt, intelligãt, quæ in iudicio futuro præmium, ac mercedẽ promerebũtur: per ligna verò, fœnum, ſtipulã ipſa leuiora peccata, ac opera inutilia ſignificari velint, quæ in particulari cuiuſque hominis iudicio examinanda, ac purganda erunt: C atque ea quamuis nonnullum pœnæ detrimentum allatura ſint, cùm ad ea expurganda anima ignis ardoribus ſubiicietur: attamen (vt apertè Apoſtolus inſinuat) illa poſt purgationem non impedient, quin homo æternam ſalutem conſequatur. *Ipſe autem ſaluus erit* (ait) *ſic tamen quaſi per ignem.*

IN hac doctrina de venialium, & mortalium peccatorum differentia, cum Scripturis vniuerſi Patres conſpirant. Nam Origenes cùm de venialibus delictis loquitur, ea vel minuta, vel minima appellat, vt conſtat ex D hom. 35. in Lucam (*Origen. hom. 35. in Luc.*) vbi ſic ait. *Vnuſquiſque pro qualitate & quantitate peccati diuerſæ mulctæ ſententiam expendit. Si parum eſt, quod peccas; ſerieris damno minuti, vt Lucas ſcripſit, vt verò Matthæus, quadrantis; veruntamen neceſſe eſt hoc ipſum, quòd extitiſti debitor, ſoluere. Non enim inde exies, niſi & minima quæque perſolueris.* Hoc loco Origenes ex ipſis diuini verbi fontibus aduersùs Hæreticos venialium, ac mortalium peccatorum differentiam haurit: tum ex Lucæ c. 12. tum ex Matthæi 5. (*Luc. 12. Matth. 5.*) quibus locis Chri- E ſtus aſſumpta parabola creditoris ac debitoris ait. *Dico tibi: non exies inde, donec nouiſſimum minutum reddas;* vel vt eſt apud Matthæum, *donec reddas nouiſſimum quadrantem*, ibi enim minutum, vel quadrantem cum veniali peccato comparat.

CHRYSOSTOMVS (*Chryſoſt. in Matth.*) verò in Matthæum ex eodem Matthæi loco hanc peccatorum differentiam colligit his verbis. *Vel ſiquidem in hoc ſæculo ſi pacem feciſſes, etiam grauiſſimi operis poteris accipere indulgentiam: ſi autem ſemel condemnatus fueris, miſſus in carcerem non ſolùm de grauibus peccatis; ſed etiam de verbo otioſo, quod poteſt ſignificari per quadrantem, exigentur à te ſupplicia.*

CÆTERVM Gregorius Nazianzenus in carmine ad virgines (*Greg. Nazianz. in Carm.*), hanc peccatorum diſtinctionem præclarè tradit.

——— *qui paruis* (inquit) *obuius ibit,*
Is nunquam præceps ſcelera in grauiora feretur.

D. HIERONYMVS (*D. Hieron. in c. 9. Ezechiel.*) in caput 9. Ezechielis eandem doctrinam aduerſus Stoïcos tuetur, vbi in illud; *Iniquitas Iſraël & Iudæ magna eſt nimis valde*, ita ſcribit. *Hinc diſcimus, non vt plerique æſtimant, & maximè Stoici paria B eſſe peccata: ſed vel magna vel parua; & pro qualitate, menſuráque peccantium diuerſitatem eſſe iudicij punientis.* Atque eandem confirmat in Epiſtola ad Celantiam (*Epiſt. ad Celantiam.*). *Stoicorum* (inquit) *eſt peccatorum tollere differentiam; & delicta omnia paria iudicare: neque vllum inter ſcelus & erratum diſcrimen facere. Nos verò etſi multùm inter peccata diſtare credimus, quia & legimus; tamen ſatis prodeſſe ad cautionem dicimus, etiam minima pro maximis cauere.* Planè ſi Hieronymus in hæc noſtra tempora incidiſſet, haud illi opus fuiſſet aduerſus Stoicos pro venialium, ac mortalium peccatorum differentia pugnare: cùm Lutheranos, ac Caluinianos, Stoicorum hæredes ac ſucceſſores haberet; qui Gentilitium hunc errorem, ac in Stoicis damnatum rurſus in orbem Chriſtianum reuocarunt.

D. AVGVSTINVS (*D. Aug. Enchirid. c. 71. de Spiritu & lit. c. 36. Serm. 41. de Sanct.*) totus paſſim in hanc doctrinam ſeſe effundit, tum in Enchiridio capit. 71. tum in libro de Spiritu & litera cap. 36. Demum Serm. 41. de Sanctis ita ſcribit. *Illo tranſitorio igne, de quo dixit Apoſtolus. Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem, non capitalia, ſed minuta peccata purgantur.* Tum paulò infrà. *Quibus peccatis* (de venialibus agit) *licèt occidi animam non credamus: ita tamen eam veluti quibuſdam puſtulis, & quaſi horrenda ſcabie replentes deformem faciunt, vt eam ad amplexus illius ſponſi cœleſtis, aut vix, aut cum grandi confuſione venire permittant.* Cum Auguſtino & cæteri Patres, nec non generalia Concilia conſentiunt, quæ tum Purgatorium, tum ſuffragia pro defunctis velut Apoſtolicam doctrinam tradunt; quorum teſtimonia inferiùs adducentur.

TANDEM hanc peccatorum venialium, ac mortalium differentiam ipſa ratio cogit fateri. Nam quædam eſſe peccata, quæ charitatem nõ extinguunt, neque hominem à Deo auertunt, id in primis declarat, quòd ea in iuſtis haud rarò reperiuntur, vt ex variis Scripturæ locis demonſtrauimus, qui tamen ob illa à iuſtitia, vel à charitate non excidunt: quis enim hominem ob ſolum ſcurrilitatis actum, aut inordinatum riſum, vel ob breuem temporis iacturam, verbum iocoſum, atque aliud huiuſmodi ſtatim à Dei gratia exciſum iudicet? ac proinde æternis ſuppliciis mancipan

cipandum arbitretur? Ea tamen peccata eſſe nemo iure inficiari poteſt: cùm actus illi nonnullum bonitatis defectum patiantur; ex quo mali rationem induunt. Nam cùm actus humani à bonitate finis potiſſimùm bonitatem ſuam nanciſcantur: iis profectò minùs bonitatis ineſſe oportet, qui magis à fine abſunt: ex quo ea mortalia peccata eſſe colligimus quæ prorſus hominem à fine, qui eſt Deus Opt. Max. abducunt: atque alterum ei finem præſcribunt: vt ait Auguſtinus cùm ſummam eam peruerſitatem appellat, quæ fruitur vtendis, & vtitur fruendis, id eſt, quæ à ſupremo fine reuocat. Venialia verò ea tantùm agnoſcimus, quæ à fine quidem non abſtrahunt, ſed vel ab eo hominis animum paululùm deflectunt: vel ſaltem ad finem non tendunt: quapropter cùm hi actus minimè ad Deum referantur, aut referri valeant: inde mali eſſe iudicantur, quandoquidem ea bonitate, quæ illis à fine ineſſe debet, expoliantur.

ALTERA quoque ratio ſit; quòd ſicut in rebus humanis datur magnum & paruum, graue, & leue: atque alia quidem facinora morte; alia verò reprehenſione, aut leui pœna tantùm digna ſunt: cur idem & in diuinis legibus fieri haud exiſtimare debent? Vulnera quidem quandoque grauiùs, interdum leuiùs infliguntur: amicum nonnunquam grauiter, aliquando incautè ac in re leuiſſima lædimus: primum certè amicitiam diſſoluit: alterum verò nullam amicitiæ ſoluendæ iuſtam cauſam præbet. Amabo quî fieri exiſtimas, vt omnia crimina non æquè capitis pœna plectantur; ſed alia pecuniæ mulcta, alia ſola carceris detentione: alia tandem leui tantummodò pœna compenſentur? Planè ſi iura integra, ac ſarta tecta eſſe vis; id fateri oportet, nŏn æquam eſſe omnium delictorum menſurām, ſed aliqua quidem grauiora eſſe, alia leuiora, quæ vel grauioribus vel leuioribus pœnis, puniri debeant: ita vt ſecundùm menſuram delicti, ita ſit plagarum modus.

QVÆSO, ſi puer, qui tibi vnicus eſt; cùm primùm iudicio, ac arbitrio potitur, pomum, aut obolum tibi fortè furetur: num ſtatim capite plectendum, aut fune ſuſpendendum, aut morte alioqui dignum eſſe cenſes? Id ſi iudex vel Magiſtratus in ipſum moliri contenderet; an non protinùs maximis vocibus iniuſtum ac ſanguinarium prædicares, qui in leuiſſimum crimen tam aſperè nulla iuris lege ſeruata animaduerteret?

EQVIDEM hæc Lutheranorum, & Caluiniſtarum crudelitas, ac tyrannis eſt, qui vniuerſa hominum peccata, tametſi leuia ſint, morte damnāt; ac vniuerſum humanum genus noua ſanguinaria lege, ob leuiſſima quæque crimina præter Dei legem patrata æter-

A næ mortis ſupplicio adiudicant: quo ſanè omnium tum humanarum, tum diuinarum legum ordinem ac iuſtitiam euertunt: quæ leuioribus quibuſque maculis leuiores pœnarum gradus adſcribunt. Quòd ſi id negare non audent, ſibi perſuaſum habeant; voluntaria hominum peccata non omnia mortalia eſſe, ſed nonnulla venialia, vtpote leuiora, reperiri; quæ quidem à Deo poſt mortem aliqua pœna temporali plecti debeant, ſed minimè æternæ mortis ſupplicium mereantur.

VERVM quàm iniquè hîc ſe gerat Cal-
B uinus, facilè perſpici poteſt; cùm nullo Dei verbo, nulla Patrum auctoritate, nullo denique teſtimonio fretus, cuncta hominum peccata mortalia eſſe affirmat in Inſtit. lib. 3. c. 4. §. 28. *Caluin. Inſt. lib. 3. c. 4. §. 28.* Attamen ne nimis temerè videatur Gentilitium Stoicorum errorem, abſque Scripturarum auctoritate in Chriſtianum orbem vocare; Paulum ad Rom. 6. ſibi in patronum acceſſit dicentem. *Ad Rom. 6.* *Peccati ſtipendia mors.* Hinc infert Caluinus; igitur peccata omnia ſunt mortalia. At doloſè arguit Caluinus ab originali peccato, de quo hîc agit Paulus ad veniale. Paulus enim hoc loco (vt
C ipſe textus indicat) de illo peccato loquitur, à quo per Baptiſmum Romani fuerant liberati: nam cùm toto hoc capite de gratia Baptiſmi diſſeruiſſet, tandem in fine capitis his verbis concludit. *Nunc verò liberati à peccato; ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam: Stipendia enim peccati, mors.* Vbi apertè de Baptiſmi ſanctificatione, de qua toto capite egerat, hæc verba concludit. At nemo ignorat Baptiſmum ad originalem potiſſimùm, tum etiam ad mortalem culpam tollendam inſtitutum eſſe: quò fit, vt cùm originalis
D culpa ſuapte natura mortalis ſit; mortale verò peccatum æterna morte mulctetur; rectè illi Paulus mortis ſtipendia adſcribat. Quòd præcedenti capite apertiùs declarauerat, cùm dixerat. *Propterea ſicut per vnū hominē peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.* *Rom. 5.* Vides Caluine Paulum de originis peccato potiſſimùm agere, cuius ſtipendia mortem eſſe docet, quæ in omnes homines ob vnius peccatum propagata fuit, ac tandem Chriſti Baptiſmo fugatur.

QVAMQVAM verò Apoſtolus hoc lo-
E co de originali peccato potiſſimùm agat: nihil tamen impedit, quominùs de cæteris mortalibus peccatis, quæ illud primum ſubſecuta ſunt, quæque mortis ſtipendia comitantur, ipſum agere credamus. Attamen in his veniale peccatum haud contineri, inde exploratum eſt, quòd ei infirmitas tantummodò non mors in ſtipendium cædit, vt docet Auguſtinus ſerm. 41. de Sanctis; *Aug. ſerm. 41. de Sanctis.* vbi pec-

cata venialia cum puſtulis, ac ſcabie comparat.

A

Verum ſi omnia peccata æquè mortalia ſunt, quid eſt Caluine, quòd ea fidelibus omnia in venialia commutata cenſes? num ea ob fidem, quam in homine reperiunt, naturam mutant, vel ad fideles accedere non audent? En temeratiam protſus rationem, quam ſibi Caluinus attogat loco ſuprà citato. *Non quia* (inquit) *non mortem mereantur; ſed quia Dei miſericordia nulla eſt condemnatio iis* (teſte Paul. Rom. 8.) *qui ſunt in Chriſto Ieſu, quia non imputantur, quia venia delentur.* Planè cùm tot loca inter Pauli epiſtolas Caluino

B

obuia eſſent, quæ fures, fornicatores, homicidas, maſculorum concubitores, ac cæteros huius farinæ homines, licèt Chriſtianos, ac fideles, à Dei regno expellunt: atque eos ſibi ipſis damnationem acquirere, qui Dei ordinasioni reſiſtunt; necnon luxurtiantes viduas ſub eadem damnationis ſententia comprehendi, apertè doceant: quid eſt, quòd his clauſis (vt aiunt) oculis prætetitis, huic vni loco ita adhæret, vt teluctantem violenter ad ſuum errorem trahat? Quid enim Paulus minùs hoc loco cogitauit, quàm hæreticum Caluini errorem fouere; aut omne à

1. Cor. 6. Rom. 13. 1. Tim. 5.

C

fidelibus damnationis periculum arcere?

Expendatur litera Pauli, ac tunc perſpiciet Caluinus, niſi id nimis ſerò illi contingeret, quo ſenſu dixerit Paulus, nihil eſſe damnationis iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu. Omitto nonnullos, qui Paulum hoc loco de abrogatione legis Moſaicæ agere exiſtimant: qui fortè haud malè ſentiunt: nam cùm Paulus præcedenti capite ſatis diffusè de operibus legis Moſaicæ diſſeruiſſet, quam legem mortis appellauerat, eò quòd vel aliquando moritura eſſet, ac per Chtiſti legem antiquanda: vel quòd ea mortem tantummodò, non vitam operaretur, quatenus omnia ſub maledicto concludebat: atque eam tandiù

D

ſua inobſeruantia hominibus damnationem attuliſſe docuiſſet, quoad ſuperueniēte Chriſti fide ipſa penitus interiret. Huc enim ſpectat metaphora illa ibi ab Apoſtolo adducta de muliere, quæ viro ſuperſtite illi ſubiecta eſt, eo verò mortuo ſoluta eſt à lege viri: quam deinceps declarans ait. *Cùm enim eſſemus in carne*, id eſt, in lege carnali, *paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti.*

Rom. 7.

E

At Chriſti lege diſſeminata, veluti priori illa Moyſi lege defuncta, ab ea mortis damnatione, quam lex illa comminabatur, homines ſolutos eſſe prædicat. *Nunc autem* (inquit) *ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur: ita vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate literæ.* Vides vetuſtati literæ legis Moſaicæ, nouitatem ſpiritus legis Euangelij opponi: quò fit, vt nulla iis ampliùs damnatio immineret, qui priora ea legis antiquatæ opera non perficerent. Cùm igitur hæc præcedenti capite Apoſtolus docuiſſet, in huius capitis initio, quaſi priùs dicta Epilogo concludens. *Nihil ergo* (ait) *damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundùm carnem ambulant.* Rom. 8.

Atque vt hæc de veteris legis abrogatione dicta confirmet, cauſam ſubnectit, quā præcedenti capite inſinuauerat, dicens. *Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati, & mortis*: nam quamquam lex vetus abſolutè, ac ſimpliciter lex peccati appellari non poſſit, quæ bona eſt, atque à Deo tradita: eatenus tamen lex peccati dici potuit, vel quòd ea peccatum quidem oſtenderet, non deleret; vt ſæpè Paulus docet. Vel Rom. 7.
quòd ea materiam peccato adminiſtraret, quod tamen ſua imbecillitate expellere non poſſet: quod idem Apoſtolus indicat cap. 5. Rom. 5.
cùm ait: *Lex autem ſubintrauit, vt abundaret delictum*: tum c. 7. *Nam peccatum occaſione accepta per mandatum ſeduxit me, & per illud occidit.* Rom. 7.
Vel denique quòd ea per ſui tranſgreſſionem peccatores conſtituere, haud tamen iuſtificare valeret, vt Paulus apertè tradit in epiſt. ad Hebr. c. 10. *Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtiis, quas offerunt indeſinenter, nunquam poteſt accedentes perfectos facere*: & infrà *Impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum, & hircorum auferri peccata.* Hebr. 10.

Attamen communior Patrum expoſitio, quæ huic loco adhiberi ſolet, hæc eſt: Paulum hoc loco ab iis tantùm damnationem excutere, qui nō ſolùm in Chriſto ſunt, ac Chriſtum per fidem induerunt: ſed etiam, qui non ſecundùm carnem ambulant, ſed carnem cum vitiis crucifigunt: hæc enim duo ſimul in hoc Pauli teſtimonio iuncta ſunt: ait namque. *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundùm carnē ambulant.* Quæ ſententia optimè connectitur vltimis præcedentis capitis verbis: quibus Apoſtolus docuerat hominem per gratiam Chriſti à legis membrorum imperio, ac captiuitate liberari: ex quo conſequitur, vt ij qui ſunt in Chriſto, id eſt, Chriſti gratiam, per quam legi membrorum contradicere, ac inſurgentes concupiſcētias ſibi ſubijcere valent, acceperunt: nihil habeant propter quod iuſtè à Deo damnentur; modò rectè eo gratiæ dono vtantur, & carnis cupiditates doment, ac vitia coërceant; quandiu namque ſecundùm carnem non ambulant; neq; carnis, quæ ſpiritui aduerſatur, deſideria perficiunt; ſanè nihil damnatione dignum in ſe ipſis gerunt: mors enim & damnatio carnem, ac carnales concupiſcentias ſequuntur, vt teſtatur Paulus hoc eodem capite. *Si enim* (inquit) *ſecundùm carnem vixeritis, moriemini.*

Atqui

At qui in ſpiritu ambulant, ac ſpiritu facta
carnis mortificant, quæ omnium vitiorum
fons eſt, & origo: eodem recte procul dubio
viuunt; quò fit, vt damnationem non per-
timeſcant.

D. Aug. lib. 1. contr. 2. epiſt. Pelagian.

HANC expoſitionem tradit Auguſtinus
lib. 1. cont. 2. epiſt. Pelagian. *Nulla ergo* (in-
quit) *condemnatio eſt nunc iis, qui ſunt in Chri-
ſto Ieſu. Non enim damnatur, niſi qui concupiſcen-
tia carnis conſentit ad malum.*

D. Hieron in Comment. in c. 8. epiſt. ad Rom.

HIERONYMVS in Comment. in c. 8.
epiſt. ad Rom. eandem docet his verbis. *Ni-
hil ergo damnationis*, &c. *Hic Apoſtolus nihil in
illis damnatione dignum eſſe ait, qui carnis opera*
crucifixerunt.

D. Io. Chryſoſt. hom. 13. in epiſt. ad Rom.

HANC ipſam tuetur D. Io. Chryſoſtom.
homi. 13. in ep. ad Rom. *Deinde adiunxit: nul-
la ergo* (inquit) *condemnatio iis qui in Chriſto
ſunt; poſtea quoniam obſiſtebat illi, multos eſſe,
qui vel à Baptiſmo peccarent, propterea ad illud
vrgens properat; nec ſimpliciter ait, iis qui in Chri-
ſto ſunt: ſed iis qui non iuxta carnem ambu-
lant, declarans quicquid id eſt, noſtra ignauia
opus eſſe.*

EX vtraque expoſitione ſatis conſtat, Cal-
uinum malè ſibi hunc Pauli locum arripuiſ-
ſe, quo ſuam hæreſim defenderet; cùm eo po-
tiùs illam oppugnet, ac proſternat: cùm enim
(Apoſtolo teſte) nulla iis damnatio ſit, qui
in Chriſto per fidem ac charitatem exiſten-
tes, non ſecundùm carnem; ſed iuxta ſpiri-
tum ambulant: planè ſequitur; quòd ij qui
ſecundùm carnem ambulant, ſibi damnatio-
nem acquirant (vti ſuprà ex eodem Apoſto-
lo probauimus) ac proinde lethali ſe peccato
aſtringant; quòd tandiu illos æternæ damna-
tionis reos præſtare opus ſit, quandiu iter ad
ſpiritum non arripiunt, ac ſpiritu facta car-
nis non mortificant. Quonam igitur illa mor-
talium delictorum in venialia metamorpho-
ſis euaſit? Sed de his alibi fuſiùs Deo præ-
ſtante agemus.

*Aſſeritur Purgatorium ex teſtimoniis Scri-
pturæ aduersùs Hæreticos.*

ARTICVLVS SEPTIMVS.

NVNC igitur ad Scripturarum teſtimo-
nia accedamus, quæ pœnam purgato-
riam iis poſt mortem decernunt, qui hunc ve-
niali aliqua peccatorum labe polluti deceſſe-
rint, vel mortalium maculas needum perfe-
ctè eluerint. Id in primis traditur 1. Reg. 2.
illis verbis: *Dominus mortificat, & viuificat,
deducit ad inferos, & reducit:* vbi primùm
Hebræorum doctorum qui ante Chriſtum
natum extiterunt, teſtimonia proferemus; qui
hunc locum de Purgatorio explicant.

1. Reg. 2.

Simeon Rabbi. Rakanati.

PRIMVM, à R. Simeone in libro Zoar,
& apud Rakanati Comment. Leuit. 21. locus
A hîc de Purgatorio exponitur: vbi duplicem
locum in inferno conſtituit: primum eorum,
qui ſempiterno exitio deſtinati perpetuas pœ-
nas luunt, neque inde vnquam aſcendunt.
Alterum eorum, qui peccata quidem com-
miſſa ſuppliciis expiant, at inde tandem poſt
aliquod tempus educuntur, Deo illos ab in-
feris reuocante. Quod etiam expreſsè habe-
tur in tractatu Ruſch Haſchana cap. 1. pag.
216. his verbis. *Tria hominum genera ſiſtentur
in iudicio. Perfectè iuſti, omnino impij, & me-
diam ſortem tenentes. Primi ad vitam futuri ſæ-
culi ſubitò ſcribuntur, & obſignantur. Secundi
B perinde ad gehennam, iuxta Danielis verba; mul-
ti ex dormientibus, &c. Medij quorum paria ſunt
merita, & demerita, deſcendunt in gehennam,
ibique expectantes clamant, & aſcendunt quem-
admodum ſcriptum eſt. Et adduxi tertiam partem
ad ignem, ibique expurgant eos, vt purgatur ar-
gentum; & probant eos, vt probatur aurum. De
iiſdem Anna. Dominus mortificat & viuificat, de-
ducit ad inferos, & reducit.*

Ruſch Haſchana.

Daniel 12.

Zachar. 13.

1. Reg. 2.

HOC ipſum iiſdem ferè verbis docet
Schola Schamai. Ac præterea auctor Cate-
næ Hebræorum in libros Regum, hunc lo-
cum explanans ait. *Dominus mortificat, & vi-
C uificat, deducit ad inferos, & reducit. Mortifi-
cat, nimirum impios, viuificat iuſtos; deducit ad
inferos ad certum aliquod, ac definitum tempus;
poſtea verò reducit, & aſcendere ex eo loco facit.
Pedes piorum ſuorum cuſtodiet à ſupplicio, & tor-
mentis. Impij in tenebris ſilebunt, vel excinden-
tur; ſub Angelo nimirum, cui nomen eſt Dumah;
at nullus eſt, qui manus Domini poſſit effugere:
hoc enim eſt quod ſequitur; quia non in fortitudi-
ne præualebit vir.*

Schola Schamai. Auctor Catenæ Hebræor.

TANDEM auctor libri Schem Zob tra-
ctatu quinto de pœnitentia. *Quoniam omne
opus adducet Deus in iudicium: ſunt* (inquit) *qui
D pro ſuis quiſque iniquitatibus iudicantur, & pu-
niuntur per multas generationes; cuiuſmodi ſunt
Hæretici, & Epicurei; quiq; ſuo exemplo mul-
tos ad peccandum inducunt, & omni pudore de-
poſito palàm peccare non verentur: vt qui impu-
denter contra veritatem, & conſcientiam legi con-
tradicit. Hi omnes deſcendunt in puteum corru-
ptionis, & pro menſura ſcelerum ibi puniuntur, &c.
Sunt qui ad finem vſque integri anni puniuntur;
poſtea aliquantò ſuperiùs aſcendunt, & habitant
inter iuſtos, ac de iis quidem ait Anna. Dedu-
cit ad inferos, & reducit. Væ autem illi qui plus
corpori, quàm animæ indulget. Eſt ergo ei qui po-
E tis eſt facere pœnitentiam ponderandum, locum
eſſe pœnæ, & ſuppliciis deſtinatum.*

Auctor libri Schem Zob tract. 7. de pœnit.

CONSTAT igitur ex Rabbinorum ſen-
tentia locum hunc de purgatoriis pœnis poſt
mortem eſſe intelligendum. Quibus & ipſa
ratio adſtipulatur: nam cùm inferorum no-
mine ipſe gehennæ locus intelligendus ſit, in
quo animæ ſuppliciis afficiuntur, vt patet
cùm ex ipſa Hebræorum expoſitione, tum ex
Hebræa

Hebræa dictione שאול *ſcheol*, quæ infernum ſignificat, ac locum pœnarum: quapropter Septuaginta verrunt, *Deducit ad infernum, & reducit.* & Paraphraſis Chaldaica R. Ionathæ ita locum ediſſerit, *Deſcendere facit ad infernum, etiam futurus ad inducere faciendum ad vitas ſæculi.* Ac prætetea ex multis Scripturæ locis colligitur vocem *ſcheol*, non ſepulchrum (vt falsò exiſtimat Pagninus) ſed vaſtam inferni voraginem ſignificare; vbi animæ includuntur, quæ peccatorũ pœnas luunt: dictio namque, quæ ſepulchrũ ſignificat apud Hebræos, eſt קבר *keuer*, vt manifeſtum eſt: nam quoties in Scripturis ſepulchrum nominatur, hæc dictio apponitur, non *ſcheol*; vt Exod. 14. *Forſitan non erant ſepulchra in Aegypto.* Hebraicè קברים *keuarim.* Deuteron. 34. *Et non cognouit homo ſepulchrum eius*, קברתו *keuratou.* Pſalm. 87. *Sicut vulnerati dormientes in ſepulchro*, קבר *keuer.* Iſa. 22. *quia excidiſti tibi hîc ſepulchrum*, קברו *keuerou*: ac paſſim vbi apud nos legitur *ſepulchrũ*, apud Hebræos habetur *keuer*: Quòd verò *ſcheol*, infernum indicet eo ſenſu, quo infernus locus pœnarum dicitur: perſpicuum eſt ex pluribus Scripturæ locis, in quibus hæc vox *ſcheol* legitur, quæ de loco pœnarũ duntaxat explicari poſſunt. Velut Deut. 32. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima*, vel vt alij legunt, *vſque ad infernum inferiorem.* Ibi habetur *ſcheol*, nec dubitari poteſt, quin hîc infernus locũ pœnarum indicet, neque enim ignis à Dei furore ſuccenſus in ſepulchro, vel in aliâ fouea, aut voragine ardet, præterquàm in eo loco, vbi animæ includuntur, ac pro delictis puniuntur. Ita cum Iob. c. 11. ait: *Excelſior cælo eſt, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognoſces?* Sanè exploratũ eſt cùm cœlum inferno comparat, ibi non de ſepulchro, ſed de animarum inferno agere, & ibi legitur *ſcheol.* Præterea Dauid Pſalm. 17. cùm ait: *Dolores inferni circundederunt me*, Hebraicè *ſcheol*, & Pſ. 48. *Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos*: ibi eadem dictio (*ſcheol*) habetur: & Sap. 5. *Talia dixerunt in inferno* (*ſcheol*) *ij, qui peccauerunt*: quis hiſce, ac aliis innumeris locis infernum pro ſepulchro, aut fouea vſurpari poſſe exiſtimet?

Deut. 32. — Iob. 11. — Pſalm. 17. & 48. — Sap. 5.

Porro quamuis inferni nomen arctè ſumptum pro ſolo damnatorum loco ſubterraneo apud nos vſurpari ſoleat; tamen ampliori ſua ſignificatione etiam ad Purgatorium ſe extendit; cùm is locus etiam ſubterraneus ſit; tametſi ab inferno diſtinctus: id ex prioribus Hebræorum expoſitionibus facilè patet, qui duplicem in inferno locum conſtituunt, vt viſum fuit ſuperiùs.

Cvm igitur in propoſito teſtimonio inferorum nomine infernus ipſe deſignetur; ſi in arcta ſua ſignificatione ibi infernus acciperetur, quomodo ab eo Deus homines reducere diceretur, cùm ex inferno nulla ſit redemptio, neque illuc ſemel delapſæ animæ vnquam à pœnis liberentur, aut ad meliorem vitæ ſtatum reuocentur? Quapropter neceſſe eſt, ibi inferorum vocabulo locum Purgatorij apertè inſinuari; vnde tandem poſt abſterſas peccatorum ſordes, purgatæ animæ educantur.

Secvndvm teſtimonium eſt Dauidis Pſal. 85. *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori.* vbi Dauid duplicem inferni locum conſtituit: vnum in ſuperiori, alterum in inferiori parte collocatum: neque is à ſuperiori, ſed tantùm ab inferiori inferno ſe Dei miſericordia erutum teſtatur. Porrò quis ſit infernus ſuperior, quiſve inferior, ex Hebræorum interpretatione, ac expoſitione facilè colligere licet; inferni ſuperioris nomine locum Purgatorij, inferioris verò damnatorum locum ſignificari. [Pſal. 85.]

Nam apud Rakanati Comment. Leuit. 21. *Dic ad ſeniores*; ita legitur: *Eſt in gehenna ima quadam, & profunda manſio cæteris omnibus inferior; quæ aliam, & ea aliam rurſus habet ſupra ſe, vocatúrque Haiaphta. Ecquid eſt Haiaphta? Duplex ſeu duplicatum, iuxta illud Exod. Quadrangulum erit duplex: vbi Chaldæus. Quadrangulum erit Hiſ. Ecce ergo ab Hiſ ductum Haiaphta duplicatam rem ſignificat: vocatúrque ea manſio infernarum, ſcilicet, partium infernus. Scheol tachthyot. Tachit, vocatur terra ſubterranea, éſtque manſio ima, idcirco Scheol (qui vnus eſt locus inferis tellure ſub ima) vocatur Abadon, de quo ſcriptum eſt Scheol & Abadon, id eſt, infernus & perditio coram Domino. Nec verò omnes illæ manſiones duplicatæ ſunt: ſed hæc vna. Illud enim traditum eſt, qui deſcendit in Abadon, qui ima tellus ſeu infernus inferior dicitur, nunquam aſcendere. Eiuſmodi autem ſunt, qui in ſempiterno exitio plus cæteris exiſtunt, id eſt, extremè omnino funditúſque perierunt, &c. Sed quomodo dicitur; de ventre inferi clamaui, & exaudiſti vocem meam. Rurſus deducit ad inferos & reducit? Reſpondeo, hîc quidem infernus, illîc verò inferior intelligendus eſt. Itaque conciliamus vtrumque locum, hoc quidem conuenit, huic illud non conuenit.*

Rakanati. — Exod. 36. — Prou. 15. — Pſal. 129. — 1. Reg. 2.

Vides primùm ex hoc commentario duplicem infernum doceri. Inferiorem, qui in ima telluris parte ſitum eſt; ac ſuperiorem, qui ſupra illum collocatur. Deinde inferiorem illam inferni manſionem *Abadon* vocari, vel *ſcheol tachthyot*; alterum ſuperiorem *ſcheol* ſimpliciter, vt hinc illorum error euincatur, qui *ſcheol* pro ſepulchro vſurpant. Tandem ex inferno inferiori neminem vnquam aſcendere, cùm ibi ſempiterno exitio, qui illuc pergunt, inuoluantur: à ſuperiori verò aliquando tandem purgatos euadere.

Atqve hanc fuiſſe omnium Hebræorum ſententiam teſtatur auctor libri *Abeath*, [Auctor libri Abeath, Rochel partic. 2. lib. 2.]

Rochel

Rochel partic. 1. *lib.* 2. vbi Hebræorum doctrinam velut exponens. *Scito* (inquit) *gehennam nihil aliud eſſe, quàm ignem quendam leuem, atque ſubtilem; qui ob miram ſubtilitatem animas poteſt exurere. Verumenimuerò ipſæ animæ* (ait Scriptura) *omnes ex igne exibunt, atque eas, quæ peccarunt, ignis abſumet, atque deuorabit. Hæ namque ad gehennam inferiorem mittuntur, & iuxta iniquitatem ſuam ibi puniuntur. Eſt & iuſti anima, in qua ex peccato aliquid eſt ſordium relictum: huius ſpiritus hoc igne lauatur, dealbatur, mundatur, purgatur: innocénſque, purus, mundus; & lotus ad locum gehennæ ſuperiorem aſcendit; non aliter vt qui ſeipſum aqua purgat, & abluit, quo mundus ſit.*

PATET igitur quo ſenſu Dauid dixerit animam ſuam ex inferiori inferno erutam eſſe. Eo enim inſinuare voluit; primùm geminum eſſe locum in inferno; ſuperiorem ſcilicet, ac inferiorem; ac in ſuperiori quidem animas igne ablui, ac purgari; in inferiori verò damnatorum animas flammis perpetuis deuotari; poſtea verò, ſe ab inferno inferiori erutum eſſe, non quidem quòd illum damnatorum locum iam ingreſſus eſſet, aut illorum pœnas ſuſtinuiſſet; ſed quòd Deo benignè cum ipſo agente, à perditione ſeruatus fuerit, vel damnationis ſententiam, quam ob peccata ſua meruerat, effugerit.

Pſal. 49.

TERTIVS locus eſt Pſal. 49. *Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cùm acceperit me.* Vbi Hebraicè legitur שאול *ſcheol*, quo vocabulo iam diximus infernum, vel purgatorium ſignificari. Quòd verò hîc purgatorij locum indicet, patet primùm eadem ratione, qua in ſuperiori teſtimonio exponendo vſi ſumus: neque enim ab inferno, qui eſt damnatorum locus, alicuius anima à Deo redimitur: cùm eas immutabilis Dei ſententia ibi perpetuis flammis exurendas adiudicauerit: reſtat igitur, vt cùm Dauid hac ſpe ſeipſum ſoletur, vt egreſſam aliquando animam ab inferorum poteſtate, cui fortè ſe ſubiiciendum timebat, eripiendam crederet; de purgatorijs hîc pœnis, & loco agat. Id deinde confirmatur ex expoſitione Rabuenaki in Pſal. 49 *Ait autem Pſaltes* (ait) *veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi, quaſi dicat. Redimet, & ſeruabit me, ne eò deſcendam: atque adeò ſi ob admiſſum peccatum eò venero, ipſe pro ſua miſericordia, poſt aliquod tempus liberabit me, quoniam me ad ſe ſuſcipiet.*

Rabuenaki.

Zachar. 13.

QVARTVS locus eſt Zachar. 13. *Et ducam tertiam partem per ignem, & vram eos, ſicut vritur argentum, & probabo eos ſicut probatur aurum* Quem locum auctor Catenæ Hebræorum ad c. 13. Zachariæ ita exponit. *Tria ſunt hominum genera. Vnum extremè impiorum, alterum omninò iuſtorum. Tertium, qui medium locum tenent. Perfectè iuſti cùm moriuntur, ſubitò*

Auctor Catenæ Hebr. cap. 13.

A *atque momento ſcribuntur in libro vitæ, & ſigillo veluti obſignantur, adducuntúrque ad hortum voluptatis, id eſt, vitam futuri ſæculi, de qua ſcriptum eſt. Quàm multa eſt bonitas tua; quam abſcondiſti diligentibus te! Oculus non vidit Deus abſque te. Hæc enim eſt merces præmiúmque iuſtorum. Impij ſubitò etiam in gehennam detruduntur, ibique torquentur. Qui medium tenent locum item ad inferos in morte deſcendunt: ibi tamen anhelantes eiulantur, expectántque exire ad locum quietis, & refrigerij. Summum enim duodecim menſes ſunt in tormentis, cùm impij in multas generationes torqueantur.* Hæc auctor Catenæ; B cui per omnia aſſentit ſchola Schamai, quæ iiſdem ferè verbis locum hunc interpretatur, vt ſuperiùs viſum fuit. Eandem expoſitionem huic loco adhibet R. Alpheſi in tractatu Roſch Haſchana cap. 1. vbi etiam hoc ipſum confirmat ex ſententia domus Hillel. his verbis. *Peccatum eorum, qui præuaricatores Iſraël dicuntur, quòd deſcendant in gehennam, ibique menſes duodecim pœnas luant, & poſtea expectantes gemunt, & murmurant, eiulantur, & aſcendunt. Quemadmodum ſcriptum eſt. Et adduxi tertiam partem ad ignem, &c. At Hæretici* C *& Epicurei, quiq; legem Moyſis, & reſurrectionem mortuorum negant: & cùm peccarent ipſi, multos etiam ſuo exemplo ad peccatū induxerunt (vt Ieroboam filius Nabath) deſcendunt in gehennam, & per infinitas generationes ibi puniuntur.*

Schola Schamai.

R. Alpheſi

Dom. Hillel

Ex tot igitur Hebræorum Rabbinorum ſibi conſentientium ſententia patet, locum hunc de Purgatorio eſſe intelligendum.

QVINTVS locus eſt apud Daniel. cap. 7. *Fluuius igneus, rapidúſque egrediebatur à facie eius.* Haud fruſtrà Daniel igneum fluuium flammarum vndis vndiq; tumentem, à Dei conſpectu manare aſpexit; eo planè tempo- D re, quo iudicium ſedit, & libri aperti ſunt. Quid enim cuiq; in iudicio expectandum eſt; quàm præter illis ſi qua curabilia admiſerunt peccata, igneo illo pœnarum flumine expurganda eſſe; donec inde lota, ac munda anima egrediatur? Atque hunc eſſe horum verborum ſenſum declarat R. Simeon in Zoar his verbis. *Hic fluuius igneus deriuatur, & prorumpit à conſpectu Dei, & decies centena millia Angelorum ipſum circunſtant. Iudicium ſedit, & libri illîc aperti ſunt. Nimirum libri aperientur: & tunc abluuntur animæ in eo flumine* E *igneo à ſordibus ſuis, quibus coinquinatæ fuerant in mundo inferiore.* Hæc R. Simeon.

Daniel. c. 7.

R. Simeon

QVEM ſenſum proſequitur quoque Eucherius Lugdun. hom. 3. de Epiphan. *Hæc pœna* (inquit) *illis manebit, qui amiſſo & non ſeruato Baptiſmo in æternum peribunt: ad quos dicetur, vt eant in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius. Hi verò qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, ad quos ſermo Dei dirigitur, quòd non exeant inde, donec reddant nouiſſimum quadrantem; per fluuium igneum, de* quo

Eucher Lugdun. hom. 3 *de Epiphan.*

Matth. 5.

Digitized by Google

Dan. 7.

quo propheticus ſermo commemorat; & fluuius rapidus qui currebat ante eum, per vada feruentibus globis horrenda tranſibunt.

Iſa. 4.

SEXTVS locus habetur Iſa. 4. *Quia abluet Dominus ſordes filiorum, & filiarum Sion, & ſanguinem Ieruſalem expurgabit de medio eius, in ſpiritu iudicij, & ſpiritu ardoris.* Iuxta Septuaginta: quænam hæ ſordes ſint, quæ filiis ac filiabus Sion inhærent, quas ablui neceſſe ſit? Planè ex omnium expoſitorum ſententia exploratum eſt, iis peccata intelligi debere, quibus animæ ſordeſcunt, ac labefactantur: at quænam iſtæc purgatio eſt, quam gemino hoc ſpiritu, iudicij ſcilicet, & ardoris Deus B in iis exercere debet? Alij quidem, vt Chryſoſtom. hom. de Spiritu ſancto, hoc duplici ſpiritu, duo Spiritus ſancti dona ſignificari putant, quibus fideles Baptiſmo abluti, ſpiritum iudicij primùm accipiunt; quo mentis tenebras purgant, tum aduſtionis & ardoris, id eſt, ſpiritum caſtigationis, quo Dei amore feruentes carnem caſtigant: at D. Baſilius geminum hunc iudicij & ardoris ſpiritum ad diuinam vindictam, quæ per purgatorium ignis ardorem animarum poſt mortem ſordes abſtergit, disertè refert; ad c. 4. Eſaiæ, vbi explicans hæc verba ait: *Quia abluet Dominus ſordem filiorum, &c. Perſpicuè atteſtantur hæc prædicta eſſe Ioanni dicenti de Domino, quia ipſe eſt, qui vos baptizabit Spiritu ſancto, & igne. De ſeipſo autem (Ego quidem vos baptizo in aqua ad pœnitentiam) & illud (de ſpiritu in regenerationem) quinetiam tacitè innuit duas eſſe ſpecies Baptiſmatis, ne quando ad ternionem vſque progrediatur Baptiſma. Illud quidem expurgatio fuit ſordium: hoc autem ipſa eſt regeneratio per Spiritum ſanctum, idque examen fit per ignem iudicij. Itaque ablutio quidem illa pro tali depoſitione peccati accipitur: hoc autem in ſpiritu iudicij, & ſpiritu ardoris ad eam refertur probationem, ſiue D examen, quod per ignem fiet in ſæculo futuro.* Et paulò pòſt. *Illi quidem rudes prorſus, & inſcij diuinorum dogmatum, qui priuſquam eruditi eſſent Dei verbum, peccarunt; opus habent aſpergine aquæ, vt eluantur. Qui verò poſt acceptam vitæ notitiam conſultò ac ſtudio ſeipſos reddunt obnoxios ſanguini, vtique tales opus eſt purgari per ignem.* Atque hunc ſenſum amplectitur etiam Auguſt. lib 20. de Ciu. Dei c. 25.

Chryſ. hom. de Spiritu ſancto.

D. Baſilius ad caput 4. Eſaiæ.

Ioan. 1.

Aug. lib. 20. de Ciu. Dei cap 25.

Tob. 4.

SEXTVS locus eſt Tobiæ 4. *Panem tuum & vinum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus.* Haud credendum eſt ſanctum virum Tobiam E cùm ſe moriturum crederet, filium vanam illam Paganorum ſuperſtitionem docere voluiſſe, qua detenti ſuper mortuorum ſepulchra cibos ſtatuebant: quaſi mortui corporalibus adhuc alimentis egerent, ac veſcerentur. Hic igitur horum verborum ſenſus eſſe debet, vt in ſepultura piorum pauperes cibis reficiantur, vt ij pro illorum ſpiritibus ad A Deum preces fundant; vt ſi qua fortè pœna illos purgatoria detinet, citiùs abſoluantur. Atque hunc eſſe horum verborum ſenſum declarat Auguſt. ſerm. 22. de verb. Apoſtoli. *Pompa funebris* (ait) *agmine exequiarum, ſumptuoſa diligentia ſepulturæ, monumentorum opulenta conſtructio, viuorum ſunt qualiacunque ſolatia, non adiutoria mortuorum. Orationibus verò ſanctæ Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, & eleemoſynis, quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adiuuari; vt cum eis miſericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt: hoc enim à Patribus traditum vniuerſa obſeruat Eccleſia.*

Aug. ſerm. 22. de verb. Apoſt.

IDEM docet Chryſoſt. hom. 32. in Matth. 5. *Cur* (inquit) *poſt mortem tuorum pauperes conuocas? cur Presbyteros, vt pro eis velint orare, obſecras?* Huc tandem ſpectat illud Eccleſiaſtici 7. *Gratia doni in conſpectu omnis euentus, & mortuo nō prohibeas gratiam.* Gratia enim quæ mortuo prohiberi non debet, eſt vel eleemoſyna, quæ in eius ſolatium ac pœnarum alleuiationem pauperibus erogatur, vel orationes, vel ſacrificia pro illo oblata.

Chryſoſt. homil. 32. in Matth. 5.

Eccleſiaſt. 7.

OCTAVVS, legitur 2. Machab. c. 12. his verbis: *Vir fortiſſimus Iudas collatione facta duo- C decim millia drachmas argenti miſit Hieroſolymā, offerri eas ibi pro peccatis mortuorum.* Vbi tandem pia illa definitione Scriptura Purgatorium eſſe concludit. *Sancta ergo* (inquit) *& ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.* Qui locus inter alia veteris teſtamenti loca celebris eſt: tametſi illum Hæretici eneruare conentur, non alia ratione, quàm quòd Machabæorum libros è numero Canonicorum expungūt. At Machabæorum libros verè canonicos eſſe, ac ſacræ Scripturæ partem alibi apertè demonſtrabimus: modò Hæreticis ſufficiat D. Aug. hunc locum D ad Purgatorij confirmationē afferre in lib. de cura pro mortuis agenda c. 1. *In Machabæorum libris* (ait) *legimus oblatum pro mortuis ſacrificium: ſed etſi nuſquam in veteribus Scripturis omnino legeretur: non parua tamen eſt vniuerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, auctoritas*: Vbi vides Auguſtinum libros Machabæorum inter Scripturas Veteris Teſtamenti referre. Damaſcenus etiam oratione de defunctis eodem teſtimonio vtitur ad idē probandum; quo prior Bachiarius Auguſtino contemporaneus quoque vſus fuerat epiſt. ad Ianuarium de lapſis recipiendis.

2. Machab. 12.

Aug. in lib. de cura pro mortuis agenda, cap. 1.

Damaſcenus oratione pro defunctis.

Bachiarius epiſt. ad Ianuar.

E HÆC de Veteris Teſtamenti teſtimoniis. Porrò ex nouo Teſtamento plurima ſe ſe nobis loca offerunt, ex quibus pauca tantùm delibare lubet. Quapropter ſit.

Matth. 5. Luc. 12.

NONVS locus qui legitur Matt. 5. & Luc. 12. *Eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dum es cum eo in via, ne fortè tradat te aduerſarius iudici, & iudex tortori, & mittaris in carcerem. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouiſſimum*

Digitized by Google

num quadrātem. Alij alias huic loco expoſitiones adhibent; ſed omnium grauiſſima eſt quã tradunt Tertull. lib. de anima c. 17. Cyp. lib. 4. Ep. 2. Origen. hom. 35. in Lucam. Euſeb. Emiſſenus hom. 3. de Epiphania. D. Amb. in c. 12. Lucæ. Hieron. in c. 5. Matth. Athanaſ. lib. quæſt. ad Antiochum Principem q. 6. D. Aug. lib. 21. de Ciuit. Dei c. 13. D. Bernardus ſerm. de obitu Huberti. Hi enim cùm omnes in eo conueniant, quòd quadrantis nomine vniuerſum pœnæ poſt mortem exoluendæ debitum intelligãt, quod homines dum hîc viuerent, ob leuiora, ac venialia peccata contraxerunt: hinc proinde neceſſariò docent carcerem ipſum eſſe Purgatorij locum; tortorem, purgatorium ignem; iudicem Chriſtum; aduerſarium Dei legem, ac præcepta; viam, huius vitæ curſum; conſenſum, legis obſeruantiam vel pœnitentiam: vnde Tertull. loco citato. *Ne te* (inquit) *vt fraudatorem, vt pacti tranſgreſſorem iudici Deo obiciat, & iudex te tradat Angelo executionis, & ille te in carcerem mandet infernum: vnde non dimittaris, niſi modico quoque delicto mora reſurrectionis expenſo.* Tum Cyprianus lib. 4. Ep. 2. *Aliud* (inquit) *eſt ad veniam ſtare, aliud ad gloriam peruenire: aliud miſſum in carcerem non exire inde, donec ſoluat nouiſſimum quadrantem: aliud ſtatim fidei & virtutis accipere mercedem: aliud pro peccatis longo tempore cruciatũ emendari, & purgari diu igne, aliud peccata omnia paſſione purgaſſe.* Ac Origenes hom. 35. in Lucam. *Quæ lex eſt* (inquit) *carceris iſtius? non egredior ex eo, neque me exactor patitur exire, niſi debitum omne perſoluero. Non habet exactor poteſtatem, vt mihi ſaltem quadrantem, vel minimam portionẽ valeat concedere.* Ita etiam Athanaſ. loco citato. *Dicitur etiam* (inquit) *conſcientia aduerſarius: nam occultè nos in corde noſtro redarguit, coërcet à malo, & ſi ſimus inobedientes, tandem nos ad Dei tribunal ſiſtit, vbi & pœnas dabimus, tum enormium peccatorum, tum etiam leuiorum & minimarum.* Inde etiam Hieronymus ait. *Hoc eſt quod dicit: Non egredieris de carcere, donec etiam minuta peccata perſoluas.* Et ipſe Auguſt. lib. 2. quæſt. nou. & vet. teſtam. q. 23. *Dominus ergo* (inquit) *peccatorem alloquitur, vt conſentiat mandatis, quæ illum inobedientem condemnant; vt ſubiciat ſe voluntati eorum; fiat ex inimico amicus; quia & contemptor legis inimicus eſt eius; voluntati enim eius reſiſtit. Ideóque hortatur peccatorem, vt bene agendo reconciliet ſibi legem, ne lex illum apud Deum iudicem accuſet; iudex verò illum tandiu ignibus torquendum tradat, quouſque vniuerſam vſque ad minimum teruncium, peccatorum ſummam perſoluat.* Idem & alij habent, quos ſuprà citauimus. Ex quibus perſpectum eſt communiſſimam hanc eſſe Patribus expoſitionẽ, vt ex hoc Matthæi loco, tanquam validiſſimo teſtimonio, futuras poſt mortem Purgatorij pœnas confirment.

Tertullian. S. Cyprian. Origenes. Euſeb. Emiſſen. S. Ambroſ. S. Athanaſ. S. Auguſt. S. Bernard. — *Tertull. lib. de anima c. 17.* — *Cyprian. lib. 4. Epiſt. 2.* — *Origen. hom. 35. in Luc.* — *Athan. lib. quæſt. ad Antioch. q. 6.* — *Hier. in com.* — *Aug. lib 2. quæſt. nou. & vet. teſtam. quæſt. 23.*

Matth. 12. DECIMVS locus habetur Matth. 12. vbi A Chriſtus de peccato in Spiritum ſanctum agens, ait. *Quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur illi; qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei; neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Hoc loco Chriſtus duplex ſæculum diſtinguit, in quo peccata remitti poſſunt præſens, ſcilicet, & futurum. De præſenti notum eſt Io. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis.* *Io. 20.* Et ep. 1. c. 1. *1. Io. cap. 1.* *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra.* Pœnitẽtia enim peccata delentur, quandiu viuimus; nec vllum adeò graue peccatum eſt, quod hîc pœ- B nitudine ac perfecta illius coram Sacerdote confeſſione expiari non valeat. De futuro ſæculo dubiũ eſſe poterat, num ibi aliqua peccata remitterentur, quæ hîc remiſſa non eſſent? At Chriſtus omnino dubium tollit, cùm hoc loco ait, hoc peccati genus, quod in Spiritum ſanctum perpetratur (quod ex communi Theologorum ſententia eſt ipſa impœnitentia finalis) neque in hoc, neque in futuro ſæculo remittendum fore. Quamobrem cùm id exploratũ ſit; in inferno nullã peccatorum remiſſionem expectari debere: planè opus eſt aliquẽ in futuro ſæculo locũ aſſignari, in quo C poſt expurgationem peccatorũ remiſſio fiat: atque is eſt, quẽ Patres Purgatoriũ appellant.

ATQVE hunc Matthæi locum ita explicandũ eſſe grauiſſimi Patres ſenſerunt. Nam (vt arguit D. Aug. lib. 21. de Ciu. Dei c. 24.) *Aug. lib. 21. de Ciu. Dei cap. 24.* *Neque de quibuſdam veraciter diceretur, quòd non eis remittantur, neque in hoc ſæculo, neque in futuro, niſi eſſent, quibus etſi non in iſto, tamen remitterentur in futuro.* Idem ſentit D. Gregorius lib. 4. dialog. c. 39. *Gregor. lib. 4. Dialog. c. 39.* *Qualis* (ait) *hinc quiſque egreditur, talis in iudicio præſentatur. Sed tamen de quibuſdam leuibus culpis eſſe ante iudicium purgatorius ignis credendus, pro eo quod ve-* D *ritas dicit. Quia ſi quis in ſancto Spiritu blaſphemiam dixerit, neque in hoc ſæculo remittetur ei, neque in futuro. In qua ſententia datur intelligi, quaſdam culpas in hoc ſæculo, quaſdam verò in futuro poſſe laxari. Quod enim de vno negatur, conſequens intellectus patet; quia de quibuſdam conceditur.* Præterea Iſidorus Hiſpal. de offic. Eccleſiaſt. lib. 1. c. 18. *Iſid. Hiſpal. de off. Eccleſiaſt. lib. 1. cap. 18.* non ſolùm in huius loci expoſitione cum prioribus cõſentit, ſed hanc communem, & antiquam ſemper fuiſſe Eccleſiæ interpretationem ab Apoſtolis traditam docet. *Sacrificium* (inquit) *pro fidelium defunctorum requie offerri, vel pro iis orare, quia* E *per totum hoc orbem cuſtoditur; credimus, quòd ab ipſis Apoſtolis traditum ſit. Hoc enim vbique Catholica tenet Eccleſia; quæ niſi crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorũ ſpiritibus, vel eleemoſynam faceret, vel Deo ſacrificium offerret. Nam cùm Dominus dicat. Qui peccauerit in Spiritum ſanctum, nõ remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro: demonſtrat quibuſdam illîc dimittenda peccata, & quodã purgatiuo igne purganda.*

Beda. Bernard. Pet. Clun. Rabanus. Hoc ipſum tradit Beda in cap. 3. Marci. D. A Bernard. hom. 66. in Cantica. Petrus Cluniacenſ. Ep. cont. Petrobuſianos. Rabanus lib. 2. de Inſtit. Cleri. demum ferè omnes Patres in hac huius loci explanatione conſpirât.

Caluin. NEQVE huic loco quicquam officit Caluini cauillus: quo contendit hîc nullam Purgatorij mētione fieri, eo quòd ea remiſſio de culpa, non de pœna intelligatur. Quòd ſi de ſola culpæ remiſſione agit locus ille, quid ad Purgatorium? Multùm ſanè, Caluine, ad Purgatorium ſtatuendum valet hic locus, licèt de ſola culpæ remiſſione ageret: neque enim vnquā culpa aut in præſenti, aut in futura vita abſq; pœna remittitur. B Quæ enim in hac vita relaxatur, ieiuniis, eleemoſynis, lacrymis, animi contritione, ac tandem pœnitentia eget, qua expietur: nam tametſi ea ex Chriſti merito condonetur; ad promerendum tamen Chriſti meritum neceſſarius eſt cordis dolor, oris confeſſio, quæ confuſionem parit; animi anguſtia, ac pœnitudo; quæ maxima eſſe debet: ac tandem emendationis propoſitum, quod ſummæ pœnæ loco ducitur. Hinc conficitur, culpam quoque in altera vita abſque pœna non dimitti: ne meliorem impœnitentium animarum poſt mortem ſtatum cogamur confingere, C atque à Paulo diſcrepare, qui de futuro illarum ſtatu diſſerens ait. *Heb. 10.* *Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.*

VERVM cùm iis, qui hîc delictorum licèt leuiorum internam pœnitentiam neglexerunt, ea in altera vita ad peccatorum remiſſionem prodeſſe non debeat: quod non obſcurè Paulus declarauit ad Hebræos ſcribens c. 10. *Ad Heb. 10.* cùm ait. *Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia*; quod de alterius vitæ iudicio procul dubio intelligendum eſt, in quo tam improbis, qui in mortali, quàm probis, D qui in ſolo veniali peccato impœnitentes decedunt, nulla interioris pœnitentiæ hoſtia relicta eſt, qua ſola propria peccata expiare queant: ſed tantùm (vt idem Paulus ſubiungit) *terribilis quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio*: hinc colligas illas licèt veniales igne, ac cæteris pœnis à Deo inflictis expiandas fore credendum eſt: quæ quidem (vt ait Paulus) Dei aduerſarios, ac damnatos conſumpturæ ſunt, ac perpetuò excruciaturæ. His verò qui venialium tantùm delictorum rei E ſunt, ad peccatorum expiationem proderunt.

AT verò nihil vrget, quo fateri cogamur Chriſtum hoc loco de culpa, non de pœna agere: cùm enim dicat, *Qui dixerit verbum in Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro*: de pœna id potiùs dixiſſe credendum eſt, quàm de culpa: præſertim cùm grauiora peccata nondum perfectè expiata, in futuro ſæculo non quoad culpam, ſed tantùm quoad pœnam remittantur.

QVOD verò rurſus obiicit, hunc eſſe horum verborum ſenſum. *Qui oblatam ſpiritus lucem deſtinatò extinguere conatus fuerit: neque in hac vita, quæ peccatoribus ad conuerſionem data eſt, veniam conſequetur; neque vltimo die, quo regnū cæleſte omnibus ſcādalis repurgabitur.*

AT hoc eſt, quod à Caluino quærimus quod ille omninò reiicit: ſi aliquod peccatum in iudicio non remittitur, ergo alia quędam peccata ſunt, quæ remitti poſſunt. Valet enim conſequentia ex Dialecticis, quod enim de vno tantùm negatur, de pluribus affirmari poteſt; & ex Philoſophorum, præſertim Platonicorū, ſententia inſanabilia peccata à Deo poſt mortem non curantur, quam tamen curationem ſanabilia aſſequuntur. Cū igitur aliqua peccata in iudicio remiſſibilia ſint, ea ad remiſſionem Purgatorio igne indigent. Quid ad hoc Caluinus?

AT hîc etiam rurſus hallucinatur, quòd futurum ſæculum iudicium vniuerſale interpretatur, quaſi idem ſit futurum ſæculum, ac vniuerſale iudicium; vel Deus ante vniuerſale iudicium, nemini peccata remittat. Vtrumque apertè abſurdum eſt: nam multa de futuro ſæculo dicuntur, quæ ad vniuerſale iudicium non ſpectant: nam in altero ſæculo animæ ſunt corporibus exutæ, iudicium expectant, corporum reſurrectionem præſtolantur, & alia quamplurima, quæ prohibent futurum ſæculum pro iudicio vſurpari. Quapropter futurum ſæculum alterius vitæ ſtatum obuia interpretatione inſinuat, cùm animæ corporibus exutæ, ad particulare Dei iudicium adducuntur, in quo iuxta ea, quæ in corpore geſſerunt (vt teſtatur Paulus) à Deo iudicantur; atque iis quidem, qui in Spiritum ſanctum peccarunt, & illius lucem in ſeipſis extinxerunt, ignis æterni pœnam nunquam remiſſibilem, cæteris verò qui leuiùs deliquerunt, temporale tantummodò, ac remiſſibile ſupplicium decernit. Atque hunc eſſe genuinum horum verborum ſenſum, tum ex Patrum conſenſu, tum etiam ex ipſa litera facilè perſpici poteſt.

VNDECIMVS locus eſt apud eundem Matt. c. 12. *Matth. 12.* *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Si locum hunc ritè expenderent aduerſarij, apertè intuerentur, ita neceſſariò Purgatorias pœnas ſtatuendas eſſe; ſicut neceſſe eſt omnium peccatorum examen in Dei iudicio fieri: nam cùm duplex Dei iudicium fieri debeat, vnum quidem particulare in vniuſcuiuſque obitu; de quo Paul. Rom. 14. *Rom. 14.* *Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti: ſcriptum eſt enim, viuo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo: itaque vnuſquiſque noſtrûm pro ſe rationem reddet Deo.* Quod etiā indicant illi diuitis Epulonis cruciatus, ante iudicium

vniuerſale

vniuerſale illi in inferno inflictus; ac Lazari A quies in ſinu Abrahæ, quæ ſine particulari Dei iudicio fieri haud potuerunt. Alterum poſt vniuerſalem corporum reſurrectionem: ſanè conſtat in particulari mortis iudicio cuique rationem reddendam eſſe, tam de maximis flagitiis, quæ hîc perpetrauerit, quàm de minimo verbo otioſo, quod ab eo elapſum fuerit. Cùm igitur omne verbum otioſum culpa non vacet; culpa verò ad ſui expiationem pœnæ ſolutionem exigat. Hinc perſpectum eſt, quicunque pro verbo otioſo ſibi elapſo, in die iudicij reddendæ ratiõi obnoxius eſt, ad culpæ expiationem poſt iudicium B teneri, ac proinde purgatoriis pœnis ſubiici debere. Hoc teſtimonio ad Purgatorij confirmationem vtitur Sixtus Pont. de malis doctoribus, & operibus fidei. *Dicam* (inquit) *nempe de illo, qui otioſi ſermonis reus eſt.* (*Pro omni ſermone otioſo, quemcunque dixerit homo, reddet de eo rationem in die iudicij.*) *Quæ extra iudicij examinationẽ culpa eſſe iam poſſit, penitus non inuenio: quãdoquidem nec otioſi ſermonis noxam inultã fore præſcribitur.* Atque huc ſpectat

Sixtus de malis Doctor. & oper. fidei.

DVODECIMVS locus, qui legitur apud eundem Matth. 5. *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio, qui autem dixerit fratri ſuo, Racha,* C *reus erit Concilio: qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Quo loco Chriſtus tria pœnarum genera explicat, iuxta triplicem delicti grauitatem, quæ in altera vita exercenda ſunt. Minima grauitas quæ in hoc delicto attenditur, quod contra proximum militat, eſt iracundiæ motus, maior; cùm foras in perturbatum vocis ſonum erũpit; maxima cùm iam palàm in contumelias ſe extendit. Primus delicti gradus leue iudicium efflagitat, quo leuiori pœna mulctetur: quapropter qui iraſcitur tantùm fratri ſuo, nec in ampliorem gradum ira ſe extendit, reus duntaxat erit benigD nioris iudicij. Secundus verò delicti gradus, cùm grauior ſit; grauiorem etiam pœnam exigit: quare is reus concilio dicitur: Dei enim diſcuſſione dignus eſt, num delictum illud gehennam mereatur, quod in exteriorem turbationem, ac incompoſitas voces erupit? Tertius tandem cùm grauiſſimus ſit, nulla exploratione, ſed Dei tantùm ſententia indiget; quæ æterna pœna illud dignum eſſe pronunciet.

Matth. 5.

IAM verò exploratum eſt, quempiam ad primum duntaxat delicti gradum pertingere poſſe, alterum verò ad ſecundum, qui vl- E terius non progrediantur: atque hi cùm mortalem culpam non attingant, perpetuis ſuppliciis haud affici debent: hos igitur temporalibus pœnis mulctari opus eſt, cùm rei ſint tum iudicio, tum cõcilio. Ita hunc locum exponit D. Aug. lib. 1. de ſerm. in monte cap. 19. Sixtus de malis doctoribus & operibus fidei. & alij quos ſuprà enumerauimus.

August.
Sixtus.

DECIMVSTERTIVS locus eſt 1. Cor. 3. *Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Quis huius loci ſenſus ſit, optimè declarat Illuſtriſſimus Bellarminus aptiſſima ſanè ſimilitudine ab Apoſtolo hoc loco petita, duorum Architectorum: quorum vnus ex auro, argento, gemmis, marmoreis ac Pariis lapidibus firmam ac ſtabilem domum conſtruit, quæ ignis voracitatem haud metuit. Alter verò ſuper eodem lapideo fundamento domum, more pauperum ex ligneis tabulis, fœno, ac ſtipulis tectam erigit. Porrò ſi vtrique domui ignis ſupponatur. Prior quidem domus ab igne lædi non poterit, neque ſi Architectus in domo fuerit vllum ab igne detrimentum patietur, poſterior verò tota in flammas exurget; & breuiſſimo tempore conſummabitur: nec vlla Architecto intus manenti ſpes euadendi eſt, niſi per ignem grauem iacturam patiatur.

1. Cor. 3.

Bellarmin.

QVOD ſi quæratur, qui ſint Architecti, quid aurum, argentum, lapides pretioſi, fœnum, ſtipula, ex quibus vtraque domus ædificatur, quid ignis, quo omnia probari debent: breuiter ſingula perſtringentes cum Bellarmino dicimus. Architectos ac ſuperædificantes ex Apoſtolo hîc omnes Chriſtianos dici, qui ſupra Chriſti fidem velut fundamentum varij generis opera ædificant, vt cenſet D. Auguſt. lib. de fide & oper. cap. 16. & in Enchirid. cap. 68. nec tantùm Doctores ac Prædicatores Euangelij hoc loco intelligendos eſſe, cùm hîc non de horum duntaxat, ſed de vniuſcuiuſque examine in iudicio præſtãdo ab Apoſtolo mentio fiat, vt notum eſt ex illis verbis Apoſtoli, *Vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit.* Igitur non de Doctoribus, aut Prædicatoribus tantummodò: ſed de vniuſcuiuſque opere, ac ædificatione mentio fit ab Apoſtolo. Idem ſentiunt Chryſoſt. Theodor. Theophylact. Oecum. & alij.

Aug. lib. de fide & oper. cap. 16. in Enchirid. c. 68.

Chryſoſt. Theodor. Theophylact. Oecumen.

AVRVM verò, argentum, lapides pretioſi, perfecta opera ſunt, quibus pretioſam animæ domum efficimus, ac veluti conſtruimus, iuxta illud Pauli 1. Corint. 14. *Qui loquitur lingua, ſemetipſum ædificat.* Fœnum, & ſtipula, & ligna ſunt leuiora peccata, quæ eidem Chriſtianæ fidei fundamento innituntur. Quem ſenſum latè proſequitur Origenes hom. 25. in Numeros: & apertiùs in hom. 6. in Exod. *Triplex* (inquit) *bene agendi via eſt, cùm vel opere, vel cogitatione, vel verbo boni aliquid agitur. Hoc enim ſignificat & Apoſtolus cùm dicit. Qui autem ædificat ſupra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos; triplicem bonorum indicans viam: & ſubiungit nihilominus triplicem etiam malorum cùm dicit. Ligna, fœnum, ſtipulam.* Hunc etiam ſenſum amplectitur D. Aug. in Pſ. 37.

1. Cor. 14.

Origenes homil. 25. in Numeros, & homil. 6. in Exod.

August.

QVID poſtremò per ignem ſignificetur,

cùm Apoſtolus ait: *Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Communis eſt Patrum ſententia; hoc loco Purgatorium ignem inſinuari. Ita locum explicat Origen. hom. 25. in Num. & hom. 6. in Exod. vbi habet hæc verba: *Idcirco qui ſaluus fit, per ignem ſaluus fit; vt ſi quid fortè de ſpecie plumbi habuerit admixtum, id ignis decoquat, & reſoluat, vt efficiantur omnes aurum bonum.* Et poſt pauca. *Veniendum eſt ergo omnibus ad ignem, veniendum eſt ad conflatorium. Sedet enim Dominus, & conflat, & purgat filios Iuda.* Eadem etiam repetit in hom. 8. in Leuit. & hom. 12. in Hierem. Tandem in ep. ad Rom. c. 14. de eadem ignis purgatione agens. *Verùm hæc ipſa purgatio* (ait) *quæ per pœnam ignis adhibetur, quantis temporibus, quantiſue ſæculis de peccatoribus exigat cruciatus, ſolus ſcire poteſt ille, cui pater omne iudicium tradidit.*

Origenes.

A

D. Ambroſ. D. AMBROS. in hunc Pauli locum, eodem quoque modo illum exponit. *Ideo autem dixit* (ait) *ſic tamen quaſi per ignem, vt ſaluus hac non ſine pœna ſit: quia non dixit, ſaluus erit per ignem, vt merito ſuo ab igne non combuſtus, ſaluus fiat examinatus per ignem: ſed cùm dicit. Sic tamen quaſi per ignem, oſtendit ſaluum quidem illum futurum, ſed pœnas ignis paſſurum; vt per ignem purgatus fiat ſaluus: vt non ſicut perfidi æterno igne in perpetuum torqueatur.* Idem habet in Pſal. 36.

B

Aug. ad Pſ. 37. EANDEM interpretationem adhibet D. Auguſt. ad Pſal. 37. *In hac vita* (inquit) *purges me, & talem me reddas, cui iam emendatorio igne non ſit opus, propter illos qui ſalui erunt, ſic tamen quaſi per ignem. Quare? niſi quia ædificant ſuper fundamentum ligna, fœnum, ſtipulam. Si ædificarent autem aurum, & argentum, & lapides pretioſos, de vtroque igne ſecuri eſſent, non ſolùm de illo æterno, qui in æternum cruciaturus eſt impios; ſed etiam de illo, qui emendabit eos, qui per ignem ſalui erunt.*

C

Baſilius ad cap. 9. Eſa. EODEM modo locum de Purgatorio igne explicat Baſilius ad cap. 9. Eſa. exponens illa verba: *Et erit populus ab igne aduſtus,* &c. *Non omnimodam* (inquit) *internecionem, & exterminium comminatur; ſed innuit expurgationem, iuxta Apoſtoli ſententiam. Quia ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſaluus fiet, ſic tamen quaſi per ignem.* Ita quoque locum interpretantur Procopius in 6. c. Eſa. Cæſarius Arelat. hom. de his verbis Apoſtoli, Oecumenius in hunc locum, & Theodoretus, cuius verba refert Gagneius, & citat D. Thom. opuſculo primo cont. Græcos. Rupertus in 3. cap. Gen. Anſelmus. Tandem Concil. generale Florentinum ſub Eugenio 4. ex hoc Pauli teſtimonio argumentum ad Purgatorium confirmandum ſumit.

Procopius. Cæſar. Arelat. Oecumen. Theodoret. Rupertus. Concil. Florent.

D

E

HIS verò aperta ratio ſuffragatur: nam cùm hoc loco Apoſtolus apertè de particulari vniuſcuiuſque iudicio agat, vt ſuperiùs probatum fuit; atque eum qui ligna, fœnum, ſtipulam fundamento fidei ſuperædificauerit; hoc eſt, pleraque leuia facinora, quæ charitatem non obruunt, ſalua fide admiſerit; haud ſecus quàm per ignem, ſaluum fieri poſſe doceat: inde manifeſtum eſt, Purgatorium ignem poſt mortem, ad leuiores peccatorum maculas abſtergendas, ac expurgandas ex hoc Apoſtoli loco probari.

Caluin. HINC perſpicuum eſt, quàm inepta ſit Caluini expoſitio, qui hunc ignem nihil aliud Paulo eſſe contendit, quàm Spiritus ſancti examen: at quamuis Spiritus ſanctus nonnunquam in Scripturis ignis vocetur: is tamen ſenſus vel ex prioribus, vel poſterioribus verbis, vbi de Spiritu ſancto agitur, manifeſtus fieri ſolet: hîc verò cùm nulla de Spiritu ſancto mentio fiat, qua ratione ignem pro Spiritu ſancto ſumendum oſtendit? niſi id ſibi perſuadeat, quoties de igne in Scripturis mentio fit, toties Spiritum ſanctum intelligi; quod non tam ridiculum, quàm impium eſt ſuſpicari, cùm hac ratione ipſe quoque infernus ignis Spiritui ſancto adſcribi poſſet: quo ſanè non caſtigarentur, ſed perficerentur damnati. Quis verò non apertè videat, cum hîc de die Domini, de igne, de operum probatione, & examine, de exuſtione, de præmiis, de pœnis, de ſalute per ignem adipiſcenda à Paulo agatur; ignem de Spiritu ſancto exponi non poſſe?

Ioan. 5. Actor. 17. ID verò confirmat, quòd iudicium tam cuiuſque particulare, quam omnium vniuerſale, non Spiritui ſancto, ſed filio vbique in Scripturis adſcribitur. Ioan. 5. *Pater omne iudicium dedit filio, quia filius hominis eſt.* Act. 17. *Eo quòd ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in æquitate, in viro, in quo ſtatuit fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum à mortuis.* Atque hoc ipſum profitentur Apoſtoli in Symbolo. *Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos.* Hinc cùm hæc operum examinatio, non à Spiritu ſancto; ſed à filio exerceri in iudicio debeat, ea ſanè Spiritui ſancto aptari minimè debet.

Symbolum Apoſt.

Iſa. 66. Ioël 2. Malach. 4. ACCEDAT tandem, quòd commune Scripturis eſſe videtur, cùm de iudicio agunt, ignem cum die Domini coniungere, quem tamen non Spiritum ſanctum; ſed vindictæ ignem eſſe conſtat: ita Iſa. 66. *Ecce Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadriga eius, reddere in indignatione furorem ſuum, & increpationem ſuam in flamma ignis, quia in igne Dominus diiudicabit.* Ioël 2. *Venit dies Domini,* &c. *Ante faciem eius ignis vorans.* Malach. 4. *Ecce enim dies veniet ſuccenſa quaſi caminus.* Quis verò ibi pro igne Spiritum ſanctum intelligat? Porrò ſi hæc loca, quæ diem Domini in igne aduenturum eſſe affirmant, ad Spiritum ſanctum transferri minimè valent: qua licentia Caluinus hunc Pauli locum, in quo de

de particulari iudicio in igne Purgatorio reuelando agitur, de Spiritus ſancti flamma, quæ ad perfectionem, non caſtigationem datur, explicare audet?

Svnt quidem inter Catholicos Scriptores noſtræ tempeſtatis, qui tametſi hunc locum de Purgatorij igne exponant: attamen diem Domini, de quo hîc agit Apoſtolus, non pro particularis, ſed pro vniuerſalis iudicij die accipiendum eſſe contendunt: ex quo plures ignis acceptiones præter neceſſitatem, vt videtur, multiplicare coguntur: nam primo loco de igne conflagrationis exponunt, quod legitur, *Quia in igne reuelatur.* Tum de igne iudicij explicant, quod ſubditur. *Vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit:* demum de Purgatorio intelligunt, quod poſtremò dicitur. *Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem:* quod ita explicant, dũmodo, ſcilicet, trãſierit.

At primùm quod ad diem Domini attinet, de quo hîc agit Apoſtolus, videtur primùm ipſe Paulinus textus pro particularis potiùs, quàm vniuerſalis iudicij die militare, præſertim ipſa verborum ſerie: in eo ſiquidẽ primò dies Domini proponitur in igne reuelandus, illis verbis; *dies Domini declarabit, quia in igne reuelatur.* Deinde operum examinatio, quæ per ignem fieri debet, poſterioribus. *Et vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit.* Poſtea probatio ignis miniſterio exercenda aliis ſequentibus. *Si cuius opus manſerit*, &c. *Si cuius opus arſerit*, &c. Tandem ſalus per Purgatorium ignem aſſequenda poſtremis illis verbis. *Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamẽ quaſi per ignem.* Horum verborum ſeries, quę non facilè euerti debet, cùm ex ea valida nonnunquam à Patribus argumenta capiãtur ad Scripturarũ veritatem declarandam; ſi integra, ac ſarta tecta (vt par eſt) ſeruetur, ad particularis, non autem vniuerſalis iudicij diem ſponte ducit: neque enim operum examinatio, probatio, Purgatorius ignis, ſalus electorum vſque ad extremi iudicij diem differri, aut poſt eam effici debent, cùm hæc in cuiuſque morte particulari Dei iudicio vnicuique contingant. Quapropter nonnullis videtur veram huius loci explanationem hanc eſſe, vt Paulus primo loco diem præcedere declaret, in qua vnuſquiſque particulari Dei iudicio ſiſti debet. Deinde operum probationẽ, examen, purgationem, Purgatorio igni perficiendam ſubiiciat: denique ſalutem poſt purgatorij ignis examen conſequendam proponat: quæ omnia hoc ordine, quo ab Apoſtolo diſpoſita ſunt, intelligi debent.

Neqve euincunt oppoſita argumenta ex frequenti acceptione diei Domini pro die iudicij vniuerſalis ex Scripturis petita. Nam plerumque etiam apud Paulum dies Domini pro die iudicij particularis vſurpatur, vt hac ipſa Epiſtola ſuperiùs cap. 1. *Qui confir-*A *mabit vos ſine crimine, vſque in finem, in die aduentus Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Tum infrà c. 5. de fornicario ſatanæ tradendo ait, *Vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti:* quæ loca de die particularis iudicij intelligenda ſunt, cùm exploratum ſit, in die particularis iudicij vniuſcuiuſque ſalutem decerni: neque inſolitum eſt apud Scripturas, diem aduentus Domini pro die prioris aduentus ad particulare iudicium ſumi; vt Io. 31. *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te?* vbi apertè Chriſtus de primo ſuo aduentu in morte Ioannis loquitur.

Io. 31.

B In hanc ſententiam conſpirat Origenes hom. 12. in Hierem. vbi hoc Pauli teſtimonium de particulari iudicio in morte vniuſcuiuſque videtur interpretari his verbis. *Si enim poſt fundamentum Ieſu Chriſti non ſolùm in tuo corde aurum, & argentum, & lapidem pretioſum (ſi tamen habes aliquid auri & argenti) ſuperædificaueris: verùm & ligna, fænum, & ſtipulam: quid tibi vis fieri, cùm anima ſeiuncta fuerit à corpore? vtrumnam ingredi vis in ſancta cum lignis tuis, cum fæno, & ſtipula, vt polluas regnum Dei?* & poſt pauca. *Quid igitur ſequitur, niſi vt primùm propter ligna ignis ti-*C *bi detur, qui conſumat lignum, fænum, vel ſtipulam?* Eandem explicationem tradit S. Ambroſius in hunc locum, Beda in Pſalmum 37. ita ſcribit. *Corripiantur in ira Dei, qui Chriſtum fundamentum habent, ſed non tantùm aurum, argentum, lapides pretioſos ſuperædificant, ſed etiam intermiſcent ligna, fænum, ſtipulam, id eſt, committunt quadam venialia peccata grauiora, & leuiora: & ideo neceſſe eſt, vt hi tales in ira corripiantur, id eſt, in Purgatorio igne, nunc interim ante diem iudicij puniantur.* Gloſſa ordinaria in eandem ſententiam venit. *Hic dies* (inquit) *eſt hominis pro nutu ſuo agen-*D *tis; ſed in iudicio, vel in morte cuiuſque dies eſt Domini ſecundùm merita iudicantis.* Nicolaus Lyranus quoque explicans hæc verba, *Dies enim Domini*, &c. *Veniet* (inquit) *Dominus ad iudicium cuiuſlibet in particulari in die mortis ſuæ.* Caietanus, & alij hanc interpretationem adhibent.

Origen. hom. 12. in Hierem.

S. Ambroſ. Beda in Pſ. 37.

Nicola. Lyran.

Accedat tandem quòd poſita priori ſententia ægrè videtur Purgatorium deduci poſſe ex hoc loco Pauli: cùm tamen ferè vniuerſi Patres Purgatoriũ ignem ex eo colligant. E Id patet primùm ex ſerie verborum huius Paulini textus priùs explicata; nam ſi dies Domini pro die iudicij vniuerſalis accipienda eſſet, ſequeretur quòd operum examinatio tantùm poſt vniuerſale iudicium fieri deberet: neque vllus ante illud Purgatorio igni locus eſſet, per quem ij qui ligna, fœnum, ſtipulam fidei ſuperædificarunt, ſalui tandem eſſe poſſent; neque poſtea futurus eſſet, cùm nullus poſt vniuerſale iudicium præterquàm æternus ignis reprobis relictus

ſit. Idem conſtat ex interpretatione, quam illis poſtremis verbis adhibent. *Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen, quaſi per ignem*; qua ad purgatorium ex hoc Pauli teſtimonio confirmandum, coguntur futurum tempus in textu expreſſum ad præteritum reuocare; cùm ita explicant: *Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem, ſcilicet, tranſierit.* Quæ expoſitio, vt Patribus ignota, ita etiam coacta videtur, cùm in textu non legatur: *ſi,* ſed, *ſic*, quæ vox poſteriora verba cum ſuperiori verbo futuri temporis coniungit, non cum præterito, quod ſubaudiri non poteſt, niſi ſimul cum eo addatur coniunctio, *ſi*, vel *dummodò*; quapropter veriorem, ac textui germaniorem hanc ſententiam exiſtimant, quæ diem Domini pro die particularis iudicij accipiendam ſentit; cùm nullas huiuſmodi patiatur difficultates, & magis Paulino textui ſit obuia.

A

B

Qvod verò ad varias ignis acceptiones pertinet, quas prior ſententia profert; cùm primò de igne conflagrationis, tum de igne iudicij, demum de igne purgatorio locum Pauli intelligendum ac diſtinguendum cenſet: planè nonnihil coactum videtur quòd iis Paulus tam paucis verbis tam varios de igne ſenſus explicare voluerit; cùm vnus Paulo tantùm ſufficiat, & omnes ab vno ſenſu rectè contineri valeant, ſi dies ille Domini pro die particularis iudicij ſumatur: quò fit, vt ſatius videatur, pluribus, ac non neceſſariis ſenſibus omiſſis, vno ſenſu, ignem hunc explicari: neque enim toto hoc teſtimonio alium ignem docere videtur Paulus, quàm qui ad particulare vniuſcuiuſque, qui probandus eſt, iudicium ſpectat: ipſum nimirum Purgatorium ignem.

C

Qvod verò hæc videatur eſſe Pauli mens, inde conijcitur, quòd toto hoc teſtimonio Paulus de Purgatorio igne agit: quapropter ſicut diem Domini de particularis iudicij die exponendam ipſo verborum ordine dictat: ita ignem de Purgatorio igne interpretandum relinquit, qui tum in particularis iudicij die iis reuelari debet, qui eo examinandi ſunt; quo etiam omnium opera probanda ſunt; quo denique poſt purgationem ſalus ab electis captanda eſt. Ex quo ſuperuacaneum videtur tot diſtinctas ignis acceptiones ponere, cùm vna Purgatorij ignis acceptio Paulo abundè ſufficiat.

D

At illud videtur maximè obſtare, quod hæc opinio obijcit: nam cùm Paulus in hoc teſtimonio affirmet vniuſcuiuſque opus ab igne probandum eſſe: ſi id de igne Purgatorio intelligendum eſſet; ſequeretur, omnia opera perfecta iuſtorum Purgatorij ignis probatione indigere: ac neminem licèt ſanctiſſimum, ad cœlum poſſe conſcẽdere, niſi priùs Purgatorio igne probatus fuerit: quod tamen haud verum eſt; cùm ſancti viri, ac præſertim

E

A Infantes, qui cum Baptiſmo decedunt, ac martyres mox defuncti, ad cœlum euolent, neque vllo Purgatorio igne indigeant.

At iſthæc obiectio facilè diluitur ab ipſo Paulo, qui in hoc ipſo teſtimonio duplex probationis genus inſinuat, quod etiam frequens eſt apud Scripturas Primum, quod per purgationem fit; ita probantur fœnum, lignum, ſtipula apud Paulum, cùm exuruntur. *Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur.* Alterum, quod fit per ſolam manifeſtationem: ita apud eundem Paulum probantur aurum, argentum, lapides pretioſi: atque hoc modo

B probare eſt probatum oſtendere. Si cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit mercedem accipiet. Hoc modo & Tobias probatus fuit adhuc viuens. Tob. 12. *Quia acceptus eras Deo, ideo neceſſe fuit vt tentatio probaret te*, id eſt, probatum oſtenderet. Dauid Pſalm. 16. *Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.* Zachar. 13. *Probabo eos, vt probatur aurum.* Hoc probationis genere omnia opera etiam iuſtorum ſanctiſſima probantur ab igne Purgatorio, dum is nihil omnino in his excoquendum ac exurendum reperit: ſed probatiſſima

Tob. 12.

Pſal. 16.

Zachar. 13.

C oſtendit.

Hic igitur videtur eſſe Pauli ſenſus, cùm ait, vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit, vt ij qui ligna, fœnum, ſtipulam accumularunt; ac venialibus peccatis fidem ſuam aſperſerunt, primo probationis genere ab igne exurantur, & expurgentur. Qui verò aurum, argentum, lapides pretioſos, præclara ſcilicet opera fidei ſuperædificarunt, hoc ipſo quòd Purgatorius ille ignis ea minimè exurere queat, probatiſſimi declarentur. Ita locum hunc explicat Lyranus. *Quale ſit* (inquit) *ignis probabit, id eſt, manifeſtabit.*

Nicol. Lyran.

D Hæc pro hac ſecunda ſententia dicta ſint: nam quòd ad priorem ſententiam ſpectat, cùm ea grauiſſimorum virorum ſit, ſanè ſua probabilitate non caret; cuius fundamenta videri poſſunt apud Illuſtriſſimum Bellarminum de Purgatorio lib. 1. c. 4. quapropter cùm vtraque bona ſit, vtramque etiam quiſque tutò amplecti poteſt.

Robert. Bellarm.

Decimvsqvartvs locus eſt ad Philip. 2. vbi ita legitur. *In nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtiũ, terreſtriũ, & infernorum.* Quid cœleſtium, ac terreſtrium nomine Paulus inſinuet, perſpicum eſt. Angelos enim ac homi-

Ad Philip. 2.

E nes indicat, qui tum cœlum, tum terram incolunt; at quid inferorum nomine ſignificare velit, apud Hæreticos, non apud Catholicos eſt dubium: cùm enim Paulus hîc de gratuito cultu, ac adoratione Chriſti agat, quæ ex charitate manat, certum eſt damnatos primùm excludi, de quibus Dauid Pſal. 6. ait: *In inferno autem quis confitebitur tibi?* neque id de Patrum aut puerorum limbo intelligi poteſt,

cum

cùm prior iam in Chriſti morte deſtructus fuiſſet, cùm inde ſanctos illos Patres liberauit: alter cultu charitatis careat. Quapropter ſupereſt, vt infernorum nomine, ij qui in Purgatorio laborant, proculdubio accipi debeant. A

Caluinus Inſtit. lib. 3. c. 1. §. 8. — AT Caluinus Inſtit. lib. 3. c. 5. §. 8. conatur hoc teſtimonium ea ratione eneruare, quòd verus Dei cultus, ac pius, in geniculatione non conſiſtat, nec per eam deſignetur; ac propterea Paulum in hoc teſtimonio ſupremam Chriſti maieſtatem tantùm inſinuaſſe, quam & dæmones ipſi velint, nolint, agnoſcunt; atque in ſui præſidium illud Rom. 14. vocat. *Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti: Scriptum eſt enim; viuo ego, dicit Dominus: quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* (Rom. 14.) B

AST hallucinatur Caluinus cùm genuflexione pium Dei cultum haud ſignificari exiſtimat: quæro namque ab illo, num pium Deo cultum exhibuit Micheas cùm ait c. 6. *Quid dignum offeram Domino? curuabo genu Deo excelſo.* Stephanus cùm Actor. 7. *poſitis genibus clamabat, Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum:* Petrus cùm Actor. 9. ponens genua orauit, & Tabitham à mortuis ſuſcitauit. Paulus cùm Actorum 20. poſitis genibus orauit cum omnibus maioribus natu, qui ex Epheſo aderant: & Epheſ. 3. cùm ait. *Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrē Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Id cùm inficiari nequeat Caluinus, cur geniculationem à pio Dei cultu ſecludit? (Michea 6. — Actor. 7. 9. 10. — Epheſ. 3.) C

AT obiiciet alter fortè pro Caluino, tametſi geniculatio pium Dei cultum indicare valeat, haud ſemper tamen neceſſariò cum pio cultu coniunctam eſſe; quò fit, vt ea dæmones, ac damnati vti poſſint, & debeant, tametſi Dei odium in pectore geſtent. Planè licèt dubium ſit, an Latriæ cultus, qui per geniculationem Deo exhibetur, à pio cultu diuelli poſſit; & num dæmones ac damnati Deo latriæ cultum exhibeant, qui Deum perpetuis blaſphemiis inſequuntur. Demus tamen Caluino, quod nulla ratione ſibi vendicat, geniculationem ſine pio cultu eſſe poſſe. Hic tamen negare non poteſt Paulum in hoc teſtimonio vtrumque & pium, & latriæ cultum coniungere, quod duplici ratione euinco. D

PRIMA ratio eſt. Nam (vt Paulus hic apertè teſtatur) Chriſto ob ſummam humilitatem, ac obedientiam, quam Patri in cruce exhibuit, & latriæ cultus, & diuinus honos, ac tandem rerum omnium ſumma delata eſt: neque exiſtimandum eſt, hæc illi imperfectè tradita eſſe; cùm enim Pater omni gloria & honore filium ſuum coronare voluerit; non tam externum, quàm internum, ac pium latriæ cultum in eum conferre voluit; quo creaturæ omnes illi perfectè ſubiicerentur: neque enim ea perfecta ſubiectio cenſeri debet, quæ exteriorem tantùm ſeruitutem exhibet, omni prorſus animi pietate vacuam. Quapropter cùm Paulus in hoc teſtimonio perfectam Chriſto in omnem creaturarum naturam collatam poteſtatem, ac earum ſubiectionem declarare voluerit; haud dubium eſt, quin vtrumque ſimul & externum, & internum, ac pium latriæ cultum copulauerit. E

ATQVE id magis confirmatur ex teſtimonio Ioan. Apoc. 5. qui poſtquàm Agnum illum, quo Dei Filius ſignificabatur, ante Dei conſpectum occiſum apparuiſſe, & de manu ſedentis in throno librum tuliſſe vidit, ſtatim millia millium, ac totā cœleſtium ſpirituum multitudinem in eas voces prorupiſſe audiuit. *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Et omnem creaturam, quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo, omnes audiui dicentes. Sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum.* Quæ verba cùm Pauli teſtimonio exactè reſpondeant, illius magis ſenſum explicant. (Apoc. 5.)

QVIS verò non videat, cùm cœleſtes ſpiritus Dei filio ob ſummam mortis humilitatem, Diuinitatem (quo nomine diuinus latriæ cultus inſinuatur) tum honorem, tum gloriam, tum benedictionem deferunt, iis non modò externum, ſed internum etiam, ac pium cultum contineri? Quid enim honor, quid gloria, quid benedictio præterquàm pium Dei cultum præ ſe ferunt? Cæterùm cùm omnes creaturæ, tam eæ quæ in cœlo ſunt, quàm quæ ſuper terram, & ſub terra verſantur, idem repetant, ac perfectum latriæ cultum Chriſto tribuant: quæ omnia Paulus in illo teſtimonio comprehendere voluit; inde ſanè manifeſtum eſt, Paulum non de ſolo externo cultu; ſed etiam de interno, ac pio, hoc propoſito teſtimonio locutum fuiſſe: ac proinde per infernos non dæmones, aut damnatos; ſed eos qui in Purgatorio degunt, eſſe intelligendos.

ALTERA ratio eſt, quæ allatum à Caluino Pauli teſtimonium euacuat. Nam tametſi ex geniculatione certum veræ pietatis argumentum hauriri non poſſet: tamen ex oris laude, & benedictione neceſſariò illud colligi debet: quæ certè dæmonibus aut damnatis nullo modo conuenire poteſt, teſte Pſalmographo Pſalm. 115. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum.* Porrò hæc oris laus, & benedictio apertè in vtroque Pauli teſtimonio; tam noſtro, quàm eo, quod à Caluino citatur, appatet: vtrobique enim poſtquàm Paulus omne genu Dei Filio flectendum eſſe dixit; protinus (Pſal. 115.)

nus addit. *Et omnis lingua confitebitur Deo*, ad A Rom. 14 quod erat teſtimonium à Caluino citatum, & in noſtro ad Philipp. 2. *Et omnis lingua confiteatur:* & huius rei cauſam reddens. *Quia* (inquit) *Dominus noſter Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Hæc autem linguæ omnis confeſſio, ſiue laudatio (vt explicat Auguſtinus) & frequentiſſimum eſt in ſacris literis, vt patet ex Pſ. 110. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo*: & Pſal. 144. *Confiteantur tibi omnia opera tua:* Et Matth. 11. *Confiteor tibi Domine Rex cæli, & terræ*; & alibi paſſim, cùm ad pium cultum pertineat, ſanè aliis accommodari non poteſt, præterquàm iis, qui in Pur- B gatorio igne Deum iudicem laudant: quò fit, vt vterque Pauli locus noſtræ Purgatorij veritati confirmandæ deſeruiat, ex quo Caluinus venenum, quo Purgatorium inficeret, ſe hauſiſſe ſperabat.

Ad Rom. 14. *Ad Philip. 2.* *Pſal. 110.* *Pſal. 144.* *Matth. 11.*

Accedat tandem & alia ratio. Nam ſi Caluinus inficiari non poteſt, quin Paulus cùm in hoc teſtimonio de cœleſtibus, ac terreſtribus loquitur, iis perfectum latriæ cultum ex externo, & interno conſtantem tribuere voluerit; qua ratione credendum eſt, cùm de inferis agit, eos à pio cultu excludere C voluiſſe? Conſtat igitur ex hoc teſtimonio Purgatorium apertè probari.

Plvrima alia loca afferri poſſunt, velut 1. Cor. 15. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt: vt quid baptizantur pro illis?* Quorum verborum ſenſus eſt, ſi nulla reſurrectionis ſpes circa eos, qui mortui ſunt nobis relicta eſt, quid fruſtrà ij, qui piè pro mortuis pœnitentiæ opera exercent; ieiuniis, ac vigiliis ſe affligunt, ac lacrymarum imbre velut Baptiſmo ſeipſos in oratione perfundunt, vt defunctis opem ferant, hęc pro illis præſtant: hoc teſtimonio ita expoſi- D to vſi ſunt antiqui Patres, Ephrem in ſuo teſtamento, Petrus Cluniacenſis lib. contra Petrobruſianos, Hugo Victor. Dionyſius Carth. Gagneius in hunc locum Pauli; velut etiam locus ille Actor. 2. *Quem Deus ſuſcitauit, ſolutis doloribus inferni, iuxta quod impoſsibile erat teneri eum ab illis.* Quem locum ad Purgatorij confirmationem referunt D. Auguſt. epiſt. 99. ad Euod & lib. 12. Gen. c. 33. & Epiphan. in hæreſi Zatiani: quaſi id voluerit Lucas aſſerere Chriſtum in Reſurrectione vniuer- E ſos liberaſſe, qui in Purgatorio cruciabantur, cùm id de damnatis intelligi non poſſit, neque de Patribus in limbo clauſis, qui nullum dolorem patiebantur. Sed hactenus de Scripturarum teſtimoniis.

1. Cor. 15.

Idem aſſeritur ex conſenſu Patrum, Conciliorum, ac publicarum facultatum.

Articvlvs VIII.

Commvnis de Purgatorio eſt Patrum fides, ne vno quidem diſcrepante: A eorum enim, qui de Purgatorio aliquid egerunt, ſiue is Græcus, ſiue Latinus pater fuerit; nullus omninò reperitur inter Orthodoxos enumeratus, qui Purgatorij fidem quoquomodo aut negauerit, aut impugnauerit. Cæterùm ab ipſis Apoſtolorum temporibus, hæc Purgatorij fides à Patribus diſſeminari cœpit, qui hoc ipſo, quòd ſuffragia defunctis impendenda eſſe docuerunt, eo apertè ſtatuerunt aliquem poſt mortem eſſe locum Purgatorij, in quo defunctorum animæ ob leuiora peccata detinerentur; quouſq; Deo perfectè ſatisfeciſſent, quas viuorum poſſe B ſuffragiis ſubleuari crediderunt.

Hæc fides primùm ab Apoſtolis tradita eſt in Liturgiis, quibus ipſi olim vſi ſũt. Nam Liturgia Iacobi ita precatur. *Fac Domine, vt oblatio noſtra grata, & accepta ſit, per ſpiritum ſanctificata in propitiationem peccatorum noſtrorum, & eorum quæ populus per ignorantiam admiſit, & in requie animarum eorum, qui ante nos obdormierunt.*

Litvrgia Petri. *Memento Domine famulorum, famularúmque tuarum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis.* C *Ipſis Domine, & omnibus in Chriſto quieſcentibus locum refrigerij, & pacis indulgeas, deprecamur.*

Litvrgia Marci. *Animabus patrum, & fratrum noſtrorum, qui antea in Chriſti fide obdormierunt, dona requiem Domine Deus noſter.*

Litvrgia Matthæi. *Memento Domine dormientium Principum, Pontificum, Regum noſtrorum, & omnium in recta fide quieſcentium.*

Litvrgia Andreæ. *Adhuc offerimus tibi rationabile hoc obſequium pro fidelibus dormientibus, pro fratribus, ac ſororibus noſtris.*

Porrò Clemens Petri diſcipulus epiſt. 1. *Clem. Rom. epiſt. 1.* D teſtatur quotidianam Petri prædicationem inter cætera diuina mandata hanc fuiſſe; vt diligenter mortuorum exequias peragerent, próque iis orarent, ac eleemoſynas profunderent. Et lib. 8. Apoſt. Conſtit. cap. 41. id ab *Lib. 8. Apoſt. conſt. c. 41.* Apoſtolis inſtitutum eſſe narrat, ac illud fidelibus commendat his verbis. *Oremus pro fratribus noſtris, qui in Chriſto requieuerunt, vt Deus ſummæ erga homines charitatis, qui animam defuncti ſuſcepit, remittat ei omne peccatum voluntarium, & non voluntarium; & propitius, ac beneuolus ei factus, collocet eum in regione piorum.*

E Dionysivs Areop. Eccleſ. Hierarch. c. 7. *Dion. Areop.* parte 3. *Precatur oratio illa* (inquit de precatione Antiſtitis in exequiis defuncti) *diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admiſſa peccata defuncto, eumq; in luce ſtatuat, & regione viuorum.*

Tertullian. Tertvllianvs paſſim lib. de corona militis ſub initio, & de exhortatione caſtitatis, tum libro de Monogamia, circa medium, ſuffragiorum pro defunctis meminit. *Pro anima eius oret* (ait in lib. de Monogam.) *& refrigerium*

rium interim adpoſtulet ei, & in prima reſurrectione conſortium, & offerat annuis diebus dormitionis eius.

Origenes.

ORIGENES in eandem fidem conſpirat, vt hom. 12. in Hierem. & lib. 8. in Epiſt. ad Rom. c. 11. cuius verba nuper citauimus in ſuperiori demonſtratione.

Euſeb Alex. hom. de Dominica.

EVSEBIVS Alexandrinus Homil. de Dominica hanc Purgatorij fidem probat, cùm ſacrificium pro iis offerendum tradit. *Memento* (ait) *in oblatione parentum, & fratrum, qui iam è vita exceſſerunt: hoc enim faciendo magnam requiem defunctis concilias.*

Euſeb. Caſar. lib. 4. de vita Conſt.

PORRÒ Euſebius Cæſarienſis lib. 4. de vita Conſtantini, teſtatur pro illius anima Liturgias, arcanáque Miſſarum ſacrificia oblata fuiſſe. *Corpus* (inquit) *ter beatæ animæ Apoſtolorum nomine* (quod in eorum ſepeliebatur templo) *fuit glorioſum, populóque pio comitatum, diuiniſque cæremoniis, & Liturgia myſtica ſine arcano illo ſacrificio dignum habitum, ipſum denique communione precum, quas ſancti fundebant homines, fruebatur*; quod latiùs deſcribit Nicephorus Calliſtus lib. 8. c. 55.

Nicephorus lib. 8. c. 55.

Athanaſius in oratione, De iis qui dormiunt.

ATHANASIVS verò in oratione *De iis qui dormiunt.* Eccleſiæ conſuetudinem, qua preces, ac ſacrificia pro defunctis offert, ex Apoſtolico dogmate ortũ ducere apertè docet, his verbis. *Vniuerſa enim hæc Apoſtoli illi (ſic dixerim) diuiniloqui, atque diſcipuli ſua per ſacrificia Deum placantes, Patréſque Spiritu ſancto afflati, diuini illius numinis (quantùm datur) participes, atque extatica illius virtutis eximiè compotes, diuino ore, vti Deo gratum eſt, & ſacrificia ſiue Miſſarum oblationes, & preces & Pſalmorum cantum anniuerſariáſque defunctorum memorias præceperunt obſeruandas.* Non igitur ſunt dæmonum inuenta, quæ de Miſſarum oblatione, & Purgatoriis pœnis à Catholicis aſſeruntur, vt nobis impingit Caluinus, & confeſſio fidei Caluinianorum art. 14.

Baſil. in c. 6. Iſa.

D. ETIAM Baſilius inter Græcos Patres præcipuus, Purgatorium ignem ex 6. cap. Eſaiæ colligit, vbi illa verba explicans. *Et in manu habebat carbonem. Reuera* (inquit) *quoniam ritus ille, quo apud Iudæos Deus colebatur, ſubſeruiebat exemplari, & vmbræ cœleſtium: cæleſte quoddam inſinuare intelligendum eſt altare illud; nempe locum luſtrandis animabus accommodatum, è quo ignis ille purificatiuus per eas virtutes eximia ſanctitate proditus elicitur.*

Cyrillus.

AT Cyrillus diſerta ſimilitudine ipſas purgatorias pœnas proſequitur, ac defunctis pia ſuffragia prodeſſe docet his verbis Catecheſi 5. Myſtagogica. *Scio enim* (ait) *multos dicere, quid iuuat animam in peccatis ex hoc mundo decedentem, etiamſi in hoc ſacrificio mentio illius fiat? An enim ſi rex aliquis, eos à quibus offenſus eſt, in exilium pepulerit: poſtea verò illorum propinqui coronam aliquam conficientes pro his, qui ſunt in ſupplicio, exulibus eidem offerrent;*

Cathecheſi 5. Myſtag.

nónne condonationem aliquam ſuppliciorum ipſis dederit? Ad eundem modum & nos pro defunctis precationes adhibentes, quamuis ſint peccatores, non quidem coronam plectimus, ſed Chriſtum pro noſtris peccatis mactatum offerimus, vt & nobis & illis, eum qui eſt benigniſſimus, propitium reddamus. Quid luculentius tum pro mortuorum ſuffragiis, tum pro Purgatoria pœna, tum etiam pro Euchariſtico Sacrificio ab antiquiſſimo Græco Patre dici potuit?

Greg. Nyſſenus Orat. quòd non ſit dol. ob eorum obit. qui in fid. diſc.

VERVM perſpicuè Gregor. Nyſſenus Oratione *quòd non ſit dolẽdum ob eorum obitum, qui in fide diſceſſerunt,* de purgatorio igne poſt hanc vitam agit his verbis. *Quamobrem, vt ſimul & humanæ naturæ relinqueretur dignitas liberæ voluntatis, & ipſum auferretur malum: hanc diuina ſapientia rationem excogitauit, vt in iis hominem eſſe ſineret, quæ ſibi ipſe elegiſſet: quo guſtatis malis quæ concupiuerat, experiendóque diſcens, quæ quibus commutaſſet, ea cupiditate rurſum incenderetur; vt vitiorum perturbationúmque, quæ rationi inimicæ ſunt, onere depoſito, & vel in præſenti vita precibus ſapientiæq; ſtudio purgatus: vel poſt obitum per purgatorij ignis fornacem expiatus ad priſtinam vellet redire fælicitatem.*

D. Io. Chryſoſt.

FVSE etiam D. Ioann. Chryſoſt. ac luculenter defunctorum pœnas commemorat, ac ſuffragia pro iis fieri decernit Homil. 21. in acta Apoſt. *Eſt* (inquit) *ſi voluerimus mortuo leue facere ſupplicium. Itaque ſi preces pro illo faciamus continuas, ſi eleemoſynam damus.* Et poſt pauca. *Non fruſtra oblationes pro defunctis fiunt, non fruſtra preces, non fruſtra eleemoſyna: hæc omnia ſpiritus diſpoſuit, volens vt nos mutuò iuuemus,* Idem habet homil. 6. de Sacerdotio c. 4. homil. 32. in Matth. hom. 61. in Ioann. Oratione 41. in 1. ad Corinth. ſerm. 3. in Epiſt. ad Philippenſ. Tandem homil. 69. ad Popul. Antiochenum hæc ab Apoſtolis ſancita eſſe affirmat. *Non temerè* (ait) *ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, vt in tremendis myſteriis defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrũm, vtilitatem multam.* Quòd ſi ab Apoſtolis hæc ſancita ſunt, non igitur à dæmone inuenta, aut ex illius officina deprompta. Atque hæc quoad Græcos Patres teſtimonia ſufficiant: multos enim lubens ſubiicio.

Hom. 21. in Act. Apoſt.

VENIO ad Latinos Patres, quibus non modo perpetua, ac conſtans fuit de Purgatorio fides, verùm etiam pro hac fide tam contra Aërianos, quàm cæteros Hæreticos grauiſſima iis lucta extitit.

Cyprianus Epiſt. 52. ad Antonian.

CYPRIANVS Purgatorium docet Ep. 52. ad Antonianum. *Aliud eſt* (inquit) *ad veniam ſtare, aliud ad gloriam peruenire: aliud miſſum in carcerem non exire inde, donec ſoluat nouiſſimum quadrantem; aliud ſtatim fidei virtutiſque accipere mercedem; aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari, & purgari diu igne: aliud*

peccata

peccata omnia paſſione purgaſſe.

Lactantius lib. 7. Inſtit. c. 21.

LACTANTIVS lib. 7. Inſtit. c. 21. eandem fidem confirmat his verbis. *Sed & iuſtos cùm iudicauerit Dominus, etiam igne examinabit: tum quorum peccata vel pondere, vel numero præualuerint, igne perſtringentur, atque amburentur. Quos autem plena iuſtitia, & maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non ſentient.*

Ambroſius Epiſt. 8. ad ad Fauſtin.

AMBROSIVS verò præter citata in præcedenti demonſtratione teſtimonia, paſſim purgatoriam poſt mortem pœnam docet, tum in Liturgia Mediolanenſi, tum in oratione funebri in obitu Theodoſij Imperatoris, & in oratione in exceſſu fratris ſui Satyri, vbi preces pro animabus defunctorum fundit. Et Epiſt. 8. ad Fauſtinum ita ſcribit. *Hanc* (defunctam) *non tam deplorandam, quàm proſequendam orationibus reor; nec mæſtificandam lacrymis tuis: ſed magis oblationibus animam eius Domino commendandam arbitror.*

Hier lib. 1. cont. Pelag.

HIERONYMVS lib. 1. cont. Pelagianos de purgatoria pœna diſertè agit cùm ſic ait. *Si autem Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non eſſe perdendas, & Diabolo tribuit pœnitentiam: quid ad nos, qui diabolum, & ſatellites eius, omnéſque impios & præuaricatores dicimus perire perpetuò; & Chriſtianos ſi in peccato præuenti fuerint, ſaluandos eſſe poſt pœnas?* De eadem quoque diſſerit ad cap. 7. Michææ. *Poſt cruciatus* (inquit) *atque tormenta educta de tenebris exterioribus anima, & reddito nouiſſimo quadrante dicet. Videbo iuſtitiam eius, & loquar: iuſtificata ſunt iudicia tua Deus.*

Ruffinus ad Pſal. 37.

RVFFINVS item ad Pſalm. trigeſimumſeptimum de purgatorio igne apertiſſimum fert teſtimonium, quod ex verbis Pauli 1. Corinth. 3. colligit. *Per ignem* (inquit) *intelligi poteſt examinatio ignis Purgatorij, in quo corripientur, qui modò ſuper fundamentum Chriſtum infructuoſa ædificant. Detrimentum quidem patientur, ſed ſalui erunt, ſic tamen quaſi per ignem. Grauior autem erit ignis ille, quàm quicquid poteſt homo in hac vita tolerare.*

Auguſt. in Enchirid. c. 110.

AVGVSTINVS verò in hac Purgatorij fide tuenda vberrimus eſt. Integrum enim librum de cura pro mortuis agenda conſcripſit: in quo ſupplicationes pro defunctis fieri decernit, & in Enchirid. cap. 110. *Non negandum eſt* (ait) *defunctorum animas pietate ſuorum viuentium releuari, cùm pro illis ſacrificium mediatoris offertur, vel eleemoſyna in Eccleſia fiunt: ſed eis hæc proſunt, qui cùm viuerent, vt hæc ſibi poſtea prodeſſe poſſent, meruerunt.* Præterea lib.

Lib. 9. Conf. c. 13.

9. Confeſſ. cap. 13. orat pro peccatis matris ſuæ defunctæ. Tum verò paſſim purgatorias pœnas commemorat libr. ſecundo,

Lib. 2. de Gen. cont. Manich. cap. 20.

de Geneſ. contr. Manich. cap. vigeſimo, vbi ita inquit. *Si quis fortè agrum non coluerit, & ſpinis eum opprimi permiſerit; habet in hac vita maledictionem terræ ſuæ in omnibus operi-* A *bus ſuis, & poſt hanc vitam habebit vel ignem purgationis, vel pœnam æternam.* Idem de Ciuit. Dei lib. vigeſimoprimo, capite decimotertio. *Temporarias* (ait) *pœnas alij in hac vita tantùm, alij poſt mortem, alij & nunc, & tunc, veruntamen ante iudicium ſeueriſſimum nouiſſimúmque patiuntur.* Idem repetit cap. decimoſexto.

Lib. de Ciu. D. 21. c. 13

Greg. Magn. ad Pſal. 3. pœnit.

GREGORIVS Magnus ad Pſalm. 3. pœnit. velut antiqua fide traditum dogma de Purgatoriis pœnis poſt hanc vitam confirmat his verbis. *Scio futurum eſſe, vt poſt huius vitæ exitum alij flammis expientur purgatoriis, alij* B *æternæ ſententiam ſubeant damnationis: ſed quia illum tranſitorium ignem omni tribulatione præſenti æſtimo intolerabiliorem, non ſolùm in furore æternæ damnationis opto me non argui; ſed etiam in ira tranſeuntis timeo correptionis purgari.*

Beda. Alcuinus. Ambr. Ansbert. Rabanus. Anſelmus. Rupertus. D. Bernard. Hugo. Vict.

HIS accedant Beda ad Pſalm. 37. & ad cap. 2. Lucæ. Alcuinus de Trinit. lib. 3. cap. 21. & in Pſalm. 1. Pœnit. Ambroſius Ansbertus in Apoc. lib. 9. cap. 20. Rabanus de Inſtitut. Cleri. lib. 2. cap. 44. & ad cap. 12. lib. 2. Machab. Anſelmus in Elucidatorio. Rupertus lib 3. comment. in Gen. c. 32. D. Ber- C nard. ſerm. 66. in Cant. Hugo Victorin. de Sacram. fid. lib. 2. par. 16. c. 4. Et alij quamplures, qui de Purgatorio haud ſecus quàm priores Patres ſenſerunt.

Conc. Nic. 1.

VERVM ommiſſis Patribus, ad Concilia accedamus; in quibus veteris, ac recentioris Eccleſiæ conſenſus elucet: ex quo facilè perſpici poterit, quàm irrefragabile, ac perpetuum fuerit apud Eccleſiam orthodoxam Catholicum hoc de Purgatorio dogma, nam Concilium Nicenum primum generale Canon. 65. Arabico ſtatuit, vt nuntietur de morte Epiſc. omnibus Eccleſiis & Monaſteriis il- D lius diœceſis, vt fiat oratio pro eo. Concil. Carthag. 3. quis ordo in defunctorum commendatione ſeruandus ſit præſcribit c. 29. Et Carthagin. 4. eorum qui vel in itinere, vel in mari moriuntur animas orationibus adiuuari decernit c. 9. Concilium Valentinum Hiſpaniæ c. 14. Epiſcopi defuncti animam Deo aſſiduè commendari mandat. Concil. Aurelian. 2. oblationes pro defunctis fieri debere decernit, dummodò ſeipſos non interemerint. c. 15. Concil. Toletan. 11. de iis qui accepta pœnitentia antequam reconcilientur ab hac E vita receſſerunt, ſtatuit, vt pro iis oret Eccleſia, & oblationes pro iis factæ recipiantur. Concil. Cabilon. 2. can. 39. & allegatur à Gratiano diſt. 1. de Conſecrat. cap. Viſum. ſancit, vt in omnibus Miſſarum ſolemniis defunctorum memoria agatur, & pro iis oretur. Concil. Triburienſe cap. 15. idem fieri mandat. Concilium Florentinum in literis ſanctæ vnionis hæc de Purgatorio definit. *Definimus* (inquit) *ſi verè pœnitentes in Dei gra-*

Conc. Carth. 3. Conc. Carth. 4. Cõc. Valent. Conc. Aurel. 2. Conc. Tolet. 11. Conc. Cabil. 2. Concil Trib. Conc. Flor. in literis ſanctæ vnionis.

tia de

tis deceſſerint, antequàm dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis, & omiſſis ſatisfecerint, eorum animas pœnis Purgatorij poſt mortem purgari: & vt ab eiuſmodi releuentur, prodeſſe illis fidelium viuorum ſuffragia, miſſarum ſacrificia, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro alijs fidelibus fieri conſueuerunt, ſecundùm Eccleſiæ instituta. Conc. Later. In Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſione vndecima lecta fuit epiſtola Petri Maronitarum Patriarchæ, qua Purgatorium profitebatur his verbis. *Confitemur, quòd Chriſtianus, qui in hac vita ſufficientem de ſuis delictis pœnitentiam non egit, ad quendam diuina permittente iuſtitia ducatur locum, qui Purgatorium dicitur: vt ibidem quouſque dignior ſit in cælum aſcendere, maneat.*

Conc. Senon. Conc. Mogũt. Conc. Trid. Præterea Concilium Senonenſe decreto 12. contra Lutheri dogmata Purgatorium ignem ſtatuit. Poſt hoc Concilium Moguntinum 4. vbi de ſuffragijs mortuis impendendis egit. Purgatorij fidem inuiolabiliter tenendum ſtatuit. Poſtremò Concil. Trident. ſeſſ. 25. præcipit cunctis Chriſti fidelibus, vt hanc Purgatorij fidem colant, Epiſcopiſque vt illam populos publicè doceant, imperat. Ex quibus conſtat totius Eccleſiæ conſenſum in Purgatorij fide conſpirare.

Facul. Lou. His tandem accedant publicarum, ac inſignium facultatum calculi. Facultas enim Louanienſis art. 16. & 30. de Purgatorio docet. *Firmiter* (ait) *credendum eſt, poſt hanc vitam purgatorium eſſe, vbi animæ purgantur, & ſoluitur pœna delicti; quibus ſubuenitur per oblationem ſacrificij altaris, per orationem, ieiunium, & eleemoſynam; & alia opera viuorum, & indulgentiarum largitionem; vt citiùs à pœnarum acerbitate liberentur.* Fac. Pariſ. Eadem tradit facultas Pariſienſis art. 17. *Firmiter* (inquit) *credendum eſt, & nullatenus dubitandum, Purgatorium eſſe, in quo animæ detentæ oratione, ieiunio, eleemoſyna, aliiſque bonis operibus iuuantur, vt citiùs liberentur à pœnis.*

Hinc Caluini, & aduerſariorum impietas detegitur, qui aperto, ac inſigni mendacio, Purgatorij veritatem, quam nullis machinis proſternere queunt, velut effuſis tenebris obſcurare conantur. Caluinus ſiquidem Inſtit. lib. 3. c. 5. § 10. eò impudentiæ peruenit, vt affirmare haud veritus fuerit antiquos Patres de luctu, & officio ſepulturæ plura commemorare, & longas narrationes texere. De precibus ne minimum quidem apicem apud eos videri: quod quàm apertè falſum ſit, ex prolatis teſtimonijs cuique exploratum eſſe poteſt. At ſi Caluinus longas illas Patrum narrationes candido oculo perluſtraſſet, ac fideliori lingua retuliſſet, docuiſſet profectò vix vnquam Patres de ſepulturæ officio, aut mortuorum luctu verbum protuliſſe; quin id precibus, ac ſuffragiis pro iis exhibendis reſperſum fuerit, vt patet ex Clemente, Dionyſio, Euſebio Cæſarienſe, Gregorio Nyſſeno, Ioan. Chryſoſtomo, Ambroſio, Auguſtino, & aliis quos nuper citauimus.

Qvod verò Caluinus fatetur, ante mille trecentos annos in Eccleſia receptum fuiſſe, vt preces pro mortuis funderentur; id tamen nullo Dei verbo, nulla reuelatione, nullo exemplo factum fuiſſe; ac propterea omnes illos antiquos Patres humani erroris aliquid paſſos eſſe: planè hìc Caluinicæ arrogantiæ, ac impietatis faſtigium videre licet, quæ eò vſque criſtas attollit, vt tot orthodoxos Patres pro nihilo ducere, atque erroris inſimulare non erubeſcat: perinde ac ſi illi nullo Dei verbo contra Aërium, Waldenſes, Armenos, Albigenſes, Flagellantes, Petrobruſianos, ac cæteros Hæreticos mortuorum ſuffragia negantes, pugnauerint: neque vllo Dei ſpiritu ducti Apoſtolicum dogma hoc de Purgatorio diſſeminauerint. Adhæc nulla tot generalibus Conciliis habita reuerentia, præſertim Niceno primo, cuius decreta totus orbis veneratione proſequutus eſt, quæ etiam ipſimet ſibi ipſis amplectenda decernunt in confeſſ. fid. art. 46. ab iis ſancitum Purgatorij dogma, velut exitiale ſatanæ commentum, ex multis blaſphemiis conſtructum proclamauerit: quaſi verò vnus Caluinus ſolus præ omnibus ſapuerit: necnon tot Patrũ, tot Conciliorum, ac tandem totius antiquæ Eccleſiæ iudex à Deo conſtitutus ſedeat; ac ſententiam ferat, qua vniuerſam antiquam Eccleſiam condemnet. Proh ingentem, ac luciferinam hominis temeritatem! Quis te Caluino Eccleſiæ iudicem conſtituit? Deúſne, an dæmon? Planè ſolus Chriſtus hanc ſibi à Patre collatam auctoritatem meritò vendicauit, quam ſuis ſucceſſoribus à ſe inſtitutis reliquit: vndenam huius tuæ in totam Eccleſiam iuriſdictionis notam nobis exeris? Vnde nobis Caluini Pontificatus? vnde tanta auctoritas erupit, quam in Chriſti Eccleſiam ſibi arrogat? Certè hanc poteſtatem Caluinus non à Chriſto, ſed à dæmone ſibi oblatam quæſiuit, vt Eccleſiæ doctrinam condemnaret, quæ cum dæmone perpetuò pugnat.

Idem aſſeritur teſtimoniis Hebræorum, & rationibus.

Articvlvs IX.

Havd fruſtrà Hebræorum teſtimoniis propoſitam Purgatorij fidem confirmare aggredior, cùm enim iis olim ante Chriſti aduentum vera religio credita fuerit: profectò ſi quæ de purgatoriis pœnis ab iis doctrina ante Chriſtum tradita fuit, eam velut ſanam, ac omni erroris ſuſpicione vacuam amplecti debemus: præſertim cùm ea

à Do

à Domino totius legis latore, ac interprete A reprobata non fuerit,quá ſanè reprobaſſet,ſi eam aliqua ſuperſtitione laborantem offendiſſet. Qui verò poſt Chriſtum inter Hebræos Purgatorium docuerunt, vel illud ex priorum Rabbinorum traditione accepiſſe, vel ex ipſo ſacrarum literarum fonte hauſiſſe credendum eſt. Quò fit,vt horum à fide exceſſus nihil propoſitæ confirmationi obſit.

Nonnvllas ex Hebræis expoſitiones nuper attulimus, cùm de Scripturarum teſtimonii ageremus, quibus Purgatorium velut è ſacris literis reuelatum non obſcurè tradunt, ac tanquam conceptum pariunt. Hîc B verò ampliora teſtimonia adhibenda ſunt ab iis excerpta, quibus quò antiquior, eò verior Purgatorij fides eſſe demonſtretur.

R. Simeon. R. Simeon qui inter Hebræos inſignis ante Chriſtum vixit, præclara de Purgatorio teſtimonia profert, præter ea quæ ſuperiùs allata ſunt. Nam in lib. Zoar ad c. 18. Geneſ. explicans illa verba. *Apparuit ei Dominus, & pluit ſuper Sodomam,* ita ſcribit. *Hoc locus aquarum, illud verò ignis, vtrumque autem eſt ſupplicium gehennæ. Nam qui gehennæ rei ſunt duobus his ſuppliciis plectuntur, in quibus duodecim menſes perdurant. At Deus ſanctus, & benedi-* C *ctus; vbi à peccatorum ſordibus purgati ſunt, aſcendere ex eo loco facit, manéntque in ipſa gehennæ porta, & aditu, vbi oſtendit eis dignos æterno eſſe ſupplicio. Itaque ibi adhuc etiam puniuntur: ſed cùm diuinam miſericordiam interpellent, poſtea Deus ſanctus, & benedictus miſericordia flectitur, educítque eos, & aſcendere facit in locum illis debitum, & congruentem. Ab eo itaque tempore corpus quidem quieſcit in terra, animus verò poßidet locum ſibi aptum, & accommodatum.*

Idem repetit in cap. 47. Geneſeos in ea verba, *Et vixit Iacob. Poſtea* (inquit) *corpus* D *ſeparatur, anima verò abit, lauatur, & purgatur in gehenna: & poſt duodecim menſes vtrique quies contingit.* Ex quo liquet animas aliqua peccati labe pollutas hinc decedentes, poſt mortem purgari: rametſi quoad illud, quod de duodecim menſibus ait, certum non ſit,

Origenes. vt ait Origenes lib. 8. in epiſt. ad Rom. cap. 11. quantis temporibus quantiſve ſæculis hæc purgatio de peccatoribus exigat cruciatus: cùm id is ſolus ſcire poſſit, cui Pater omne iudicium tradidit.

Men. Sioni. Cæterum Purgatorij dogma apertè etiam confirmat Menaehem Sioni in Com- E ment. in Leuit. cap. 16. in ea verba, *Poſtquàm mortuus eſt,* &c. vbi explicans illud Zachar. *Impij erunt puluis ſub plantis pedum iuſtorum. Hoc dicere volunt* (ait) *Doctores noſtri, non omnes eò dignitatis peruenire, vt iuſtorum plantas contingant: ſed ſi qui ex iis pij, & iuſti reperiuntur, qui quidem communi ſapientum appellatione vocantur Poſcho Iſraël, id eſt, tranſgreſſores, quibus eſt pars in futuro ſæculo,* &c. *Quod autem ait ſub plantis pedum iuſtorum, ſignificatur venturos illos ad manſionem aliquantò inferiorem ea, in qua iuſti ſunt, vbi non ſit eiuſmodi dolor, anguſtia, & cruciatus, qui in ipſo aditu, atque principio: neque ea voluptas, atque deliciæ, in quibus ſunt iuſti; vbi expectant, & eiulantur, & poſtquam pœnas debitas luerint, expurgatique ſint; aſcendunt ad amæniorem locum, & deliciis abundantem.*

Vides Hebræum hunc commentatorem ſententiam hanc de purgatoriis pœnis poſt mortem, velut omnibus prioribus Hebræis Doctoribus communem tradere.

R. Alpheſ. R. Alpheſi idem docet ex traditione Scholæ Schamai tract. *Roſch Haſchana* cap. 1. pag. 216. *Schola Schamai* (inquit) *prodidit, ac dixit. Tres erunt hominum cœtus in die iudicij, vnus perfectè Iuſtorum, alter perfectè impiorum. Tertio eorum, qui medium locum tenent. Primi ad vitam futuri ſæculi ſubitò ſcripti, obſignatiq́; ſunt. Omninò impij, pari etiam ratione ſubitò in gehenna ſcribuntur, & obſignantur iuxta id, quod in Daniele ſcriptum eſt. Et multi ex dormientibus in terra puluere reſurgent,* &c. *Medij verò quorum peccata, & merita paria ſunt, & æqua quaſi lance penduntur, deſcendunt in gehennam, ingemiſcunt, eiulantur, tandem aſcendunt iuxta illud. Et adduxi tertiam partem ad ignem,* &c.

Eadem iiſdem ferè verbis tradit R. Niſim Alpheſij ſcholiaſtes ad c. *Roſch Haſchana,* (cùm ait) *Tres ordines ſiſtentur in iudicio, iuſtißimi, qui virtutum meritis abundant; impijßimi, qui in peccatis excellunt: alij qui medio modo ſe habent; pari ad partem. Hi deſcendunt in gehennam, eiulantur, gemunt, flent ob ſuppliciorum magnitudinem, certo tamen tempore poſtea aſcendunt.*

Auctor libri Ieſod Sirim. Avctor verò libri *Ieſod Sirim* poſtquàm ſeptem māſiones apud inferos diſtinxit, quas vario nomine appellat: ſcilicet puteum, corruptionem, ſilentium, lutum cœni, ſcheol, vmbram mortis, inferiora terræ, vbi ſecundùm varia peccatorum genera animas puniri docet, demum ſubiungit. *Atque in his omnibus manſionibus ignis noctu diúque ſuccenſus deuorat, & abſumit animas impiorum, eorúmque omnium qui vocantur Reſchaim: ac ſunt qui duodecim menſes, ſunt qui ſeptem, ſunt qui perpetuò etiam puniantur: & hoc eſt, quod dicitur. Et videbunt cadauera impiorum, qui præuaricati ſunt in me: vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur.*

Mid. Eccleſ. Midras Eccleſiaſtis in ea verba. *Et ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum;* eleganti ſimilitudine purgatorias pœnas à Deo inſtitutas declarat. *Simile* (inquit) *eſt hoc cuipiā Regi, qui pretioſas veſtes inter familiares diſtribuit. Qui prudentes ſunt, eas colligunt, & in veſtiariis ſeruant: ſtolidi abeunt, eas induunt, & ſordida quæque obeunt miniſteria: Rege fortè veſtes*

ſtes requirente, prudentes illi nitidas, & ſplendentes producunt; ſtolidi ſordidas, & inquinatas. De illis lætatur Rex, his verò ſuccenſet; illis ait. Ponant veſtes in theſauris, eántque domum in pace. His verò: dent veſtes meas fullonibus tergendas, atque purgandas. Ita Deus ſanctus & benedictus de corporibus iuſtorum ait: veniat pax, quieſcant in cubilibus ſuis; de animabus verò: ſit anima Domini mei ligata in faſciculo viuentium. De impiorum corporibus, non pax dicit Dominus impiis. Idem etiam de illorum animis, &c. quas ſcilicet, Purgatoriis ignibus velut fullonibus à peccatorum ſordibus purgandas tradit.

Auctor lib. Abeath Rochel pag. 19.

AT verò auctor lib. *Abeath Rochel* pag. 19. pulchra ratione purgatorias pœnas euincit. *Conſtat* (inquit) *profectò eum, qui quandiu vixit, ad carnem corpúſque inclinauit, & terrenis affectionibus in hoc fictili vaſe ſe totum dedit: cùm compage ſoluta corpore exceſſerit; non poſſe derepente medium ſublimis illius lucis & ſplendoris penetrare: neque tantæ claritatis vim radióſque ſuſtinere: itaque in certa aliqua manſione tempore ei decreto & conſtituto moratur, vſque ad tempus quo ad domum Dei aſcendat.*

PORRÒ Gloſſa recondita in ea verba Geneſ. 18. *Et apparuit Dominus*; duplicem in gehenna locum conſtituit; ſuperiorem ſcil. & inferiorem; atque in inferiori eos, qui pactum Circuncisionis non receperunt, ac idolorum cultores collocat; de ſuperiore verò gehenna ita ait. *Gehenna ſuperior iiſdem Iſraëlitis, qui legis præcepta violarunt, neque per pænitentiam conuerſi ſunt; qui foras pellantur, donec debitas pænas receperint: eúntque, & totum orbem circumeunt iuxta illud, in circuitu impij ambulant Ibi ergo pænas luunt duodecim menſibus. poſtea verò cùm iis commorantur, qui pænas etiam receperunt quiſque loco ſibi congruenti.*

HIC poſteriorum Hebræorum poſt Chriſtum error fuit, vt eos ſolùm damnari cenſerent, qui vel Dei fidem non amplecterentur, vel Circuncisionis legem non ſubirent. Cæteros verò cuiuſque criminis conſcios Purgatorio adiudicarent, ad tempus cruciandos.

R. Ioſeph Albo libro Habikarim Oratione 4. c. 34.

HIS accedat & R. Ioſeph Albo lib. *Habikarim* Oratione 4. cap. 34. qui alia non aſpernanda ratione (ſi modò ea rectè intelligatur) Purgatorium probat. Ea verò eſt: quòd bona opera ex æquo malis permixta æterno igne cruciari non debeant: igitur purgatorio, ac temporali. Quod ita intelligendum eſt, ſi mala opera ex eorum genere non ſint, quæ mortem æternam mereantur. *Nam* (inquit) *in quo partim bona, partim mala exiſtunt, fieri nequit, vt in maximis iſtis, quos diximus, cruciatibus in æternum torqueantur. Erit enim tempus, quo ſupplicium iſtud & tormenta finiantur: nempe cùm praua illa peccandi aſſuetudo deterſa, & perpetua quaſi obliuione fuerit obtrita: ac iuxta Doctorum noſtrorum ſententiam (quorum* A *memoria ſit in benedictione) tempus illud duodecim menſium erit, ac poſt duodecim menſes continuos, quibus durabit pæna*, &c.

R. Iſaac Abuhab in lucerna lucis Cocl. 1. part. 2. c. 2.

NEQVE ab his diſſentit R. Iſaac Abuhab in lucerna lucis Concluſ. 1. part. 2. cap. 2. vbi de purgatoria pœna ita diſſerit. *Qui libidinis impulſu, quaſique coacti à praua concupiſcentia peccauerunt; non eſt eis omnimoda perditio, exitiúmque decretum: ſed pœna quædam temporaria, qua eorum peccata purgentur, quoad animus mundetur, & dealbetur: redeátque ad locum ſuum*, &c. ac idcirco poſt pauca ad corporis macerationem hortatur. *Quocirca optimum eſt, carnem,* B *corpúſque in hoc mundo affligere, macerare, atque in hac vita, quæ velut vmbra tranſit, ita expurgare, vt deliciis æternis, veriſque illis voluptatibus perfruatur.* Hæc quidem priorem errorem redolent; at Purgatorium disertè affirmant.

VERVM præclarè de purgatorio agit Doctrinale Ieroſolymitanum, tractatu *Chaguiga*; vbi illud ex conſtanti antiquorum Hebræorum ſententia tradit his verbis. *Quod ex ſummorum virorum ſententia dixi; Diſcipulos ſapientum ire in gehennam: hoc illis commodo eſt; nempe vt animas ſuas, quaſi veſtes, quas in feruentis aquæ caldare conticimus;* C *crebríſque, ac continuis ictibus tundimus, & emundamus; vt mundæ, candidæ, ac nitentes; ita eas ab omnibus ſordibus expurgent: ſic anima ſapientis Diſcipuli, qui peccauit, poſtquam ex eo igne egreſſa ſit, ab omni ſorde & ſcoria munda, & pura relinquitur: nitentibus certè, ac radiantibus oculis ſplendens, ob diuinæ legis documenta, quæ in hac vita didicit.*

Baba Moziba in gloſſemate capitis Hazahab.

BABA Moziba in gloſſemate capitis *Hazahab* ita de Purgatoriis pœnis loquitur. *Omnis* (inquit) *qui deſcendit, ſubitò aſcendit, vt quibus ignis ille gehennæ minimè dominetur, præter* D *tres, qui ſcilicet non aſcendant illicò. Sunt enim quidam, qui perpetuò cruciantur, vt qui præſentibus multis alium expalleſcere facit. Sunt qui poſt duodecim menſes aſcendunt: quod ſpatium iis maximè, qui de gente Iſraëlitica ſunt, decretum eſt.*

Nedarim de 7. rebus quæ ante mundũ extiterunt.

NEDARIM Oratione de ſeptem rebus quæ ante mundum extiterunt. *In gehenna* (inquit) *pro menſura factorum, ſeu multo, ſeu exiguo tempore puniuntur.*

Rabuenaki in Pſal. 94.

RABVENAKI in Pſalm. 94. in ea verba. *Vt ſilere eum facias à diebus malis. Nam huiuſmodi* (ait) *pœnæ & animaduerſiones cauſa* E *ſunt, quòd multum temporis de cruciatu gehennæ remittatur (quoniam ad iuſtitiam redibit iudicium) quoniam afflictiones & ærumnæ, in quibus ſunt, eum fructum illis afferunt, vt in viis & actionibus ſuis iuſtificentur. Exactis verò & finitis tormentis, quæ pro admiſſis ſceleribus perpeſſi ſunt; omnes recti corde ſimul congregabuntur, vt ferant præmium ſuum.*

David Kimhi in Pſ. 32.

R. DAVID Kimhi in Pſalm. 32. *Quamquam* (inquit) *intelligeret David ob maximum*

peccatum pœnam ſibi infligi, eámque recepiſſet in hac vita: adhuc tamen de eo anxius & ſollicitus erat; eſſetne peccatum omnino abſterſum, atque deletum in hac vita: anne etiam in futuro ſæculo pœnam aliquam purgatoriam deberet ſuſtinere.

HEBRÆI prætetea ſingulis annis in anniuerſario die obitus patris ieiunant, ac preces pro illius anima ad Deum fundunt: vt teſtis eſt Auctor Scholiorum, *Beth Ioſeph ad Iore deha*, Precationes verò quibus vtuntur, vt patet ex *Mahaſor*; ſunt. *Requieſcat anima eius in cubili ſuo, in pace, iaceat in pace, dormiat in pace: donec veniat conſolator, qui pacem audire faciat. Patres æterni, qui dormitis in Ebron, portas horti Eden aperite illi: portas Paradiſi patefacite illi, atque pacem aduentui illius denunciate. Cuſtodes theſaurum horti Eden patefacite ei portas horti Eden, & ingrediatur N paradiſum, fruatúrque fructibus Paradiſi. Hoc audias (ô Domine) eique dicas. In pace eſto aduentus tuus.* Aliis etiam precationibus Deum pro defunctis animabus interpellant; quibus apertè fatentur, defunctorum animas in Purgatoriis pœnis detentas eorum precibus, ac ieiuniis ſubleuari poſſe. Hæc de Hebræorum teſtimoniis.

Auct. Scholiorum Beth Ioſeph.

PORRO à Iudæis neque ipſi Turcæ diſcrepant: qui vt refert Io. Antonius Menauinus de legibus & Religione Turcarum part. 2. c. 2. de Xenodochiis Turcarum; ea de cauſa Xenodochia fieri curant, vt in hoſpitali ex peregrinis conueniant, eóque gaudeant beneficio, & pro ipſorum defunctorum animabus ſumptus epulis orent. Iidem prætetea in ſuorum funere lautum ſacerdotibus conuiuium inſtruunt; vbi dictis priùs pro defuncti anima precibus, epulantur: & ſinguli quinos à defuncti amicis aſprôs accipiunt.

Ioan. Anton. Menauinus de legib. & Relig. Turcarum, part. 2. cap. 2. de Xenodochiis Turcar.

SVPEREST vt hoc ipſum rationibus demonſtremus. Solet duplex ratio aſſignari, ob quam opus ſit Purgatorias pœnas nonnullis poſt hanc vitam ſtatui.

PRIMA ratio eſt. Quòd nonnulli hinc decedunt, vel ferro, vel igne, vel alio caſu, improuiſa morte ſublati: qui cùm maxima ac ingentia crimina commiſerint, quæ maxima purgatione indigent: vix illos de iis pœnituit: neque vllo pœnali opere pœnæ debitũ, quod culpam comitatur, exoluerunt; quapropter neceſſe eſt iis poſt mortem Purgatorium locum ſupereſſe, in quo & pœnæ debito ſatisfaciant, atque alterius vitæ pœnis expurgati in cœlum recipiantur. Cùm enim eos ante mortem delictorũ pœnituerit, planè damnationem non merentur, quæ animi pœnitudine deleta eſt; cùm verò pro peccatis non ſatisfecerint, ac pœnam magnis criminibus debitam nõ expiauerint, eam illos poſt mortem luere opus eſt, vt diuinæ iuſtitiæ fiat ſatis.

CÆTERVM quòd dimiſſa culpa, temporalis pœna reſtet exoluenda, celebratiſſimum eſt in Scripturis. Adam enim & vxor poſt lapſum culpam agnouerunt, ac deteſtati ſunt; licèt vir in vxorem, vxor in ſerpentem culpæ cauſam reiecerint: vt habetur Gen. 2. Quibus tamen temporariam pœnam Deus ſtatuit, Adæ quidem cùm dixit. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es.* Vxori verò, cùm ait. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.*

Gen. 2.

PRÆTEREA Num. 12. Mariæ, orante pro ea Moyſe, culpa murmurationis remittitur, ea tamen in delicti pœnam iubetur ſeptem diebus extra caſtra commorari. Dauid quoque, vt habetur 2. Reg. 12. à Nathan Propheta admonitus, de perpetrato adulterio dolet, quod illis verbis declarat, cùm ſtatim dixit. *Peccaui Domino.* At quamuis Deus illi ſtatim culpam remittat, vt ex Scriptura patet: *Dixítque Nathan ad Dauid: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris.* Veruntamen illi delicti pœnam haud condonat, ſubdit namque Nathan. *Veruntamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus eſt tibi, morte morietur.*

Num. 12.

2. Reg. 12.

ITEM c. 24. numerat Dauid populum, ac ſtatim illum peccati pœnitet. *Percuſſit* (inquit Scriptura) *cor Dauid eum, poſtquam numeratus eſt populus, & dixit Dauid ad Dominum. Peccaui valde in hoc facto, ſed precor Domine, vt transferas iniquitatem ſerui tui: quia ſtultè egi nimis*: attamen quamuis culpa illi condonetur, pœna nihilominus poſt condonatã culpam à Deo exigitur, triũ enim illi datur optio, quibus caſtigari ob delictũ debeat. Peſtis. ſ. famis, aut belli.

Cap. 24.

ATQVE hæc eſt communis omnium Patrum aſſertio. Clemens primus Conſtit. Ap. lib. 2. c. 16. grauiter delinquentes tametſi delicti illos pœnituerit, vult ab Eccleſia reiici: nec priùs in eam recipi, quàm duarum, vel trium, aut quinque, aut ſeptem hebdomadarũ ieiunium expleuerint: vt delicti genus, & ratio popoſcerit. Quæ conſuetudo primis Eccleſiæ temporibus inuiolabilis ſemper extitit; vnde habentur Canones pœnitentiales, in quibus delictorum pœnæ taxantur.

Clemens 1. Ap. conſtit. lib. 2. c. 16.

IVSTINVS Dialog. cum Tryph. in eos acerrime inuehitur, qui pœnã poſt remiſſam culpam nemini imputari affirmabant. Demum hanc tẽporariam pœnã poſt peccatum debitã docet Clem. Alex. lib. 6. Strom. 1. c. 16. Orig. in Exod. hom. 6. Euſeb. Cæſar. Eccleſ. Hiſt. lib. 5. c. 27. Cyrillus cathec. 2. Baſilius hom. 3. in dictũ Attende tibi ipſi. Greg. Nazianz. Oratione 39. in ſancta lumina. Nyſſen. Oratione in eos qui acerbiùs alios iudicant. Chryſoſt. ſerm. de Confeſſione peccati, & paſſim lib. 2. de Sacerdotio. Et ex Latinis Tertull. lib. de Pœnit. cap. 5. 6. & 7. Cyprianus Epiſt. 26. & 27. Item libro de lapſis. Lactantius lib. 4. Inſtitut. c. 17.

Iuſtinus Dialogo cum Tryphone.

Clemens. Alex. Origen. Euſeb. Caſ. Cyrill. Baſil. Greg. Naz. Greg. Nyſſ. Chryſoſt. Tertull. Cyprian. Lactant.

Hilar. *Ambr.* c.17. Hilar. in Pſal. 118. Ambroſius lib.2. de A Helia,& Ieiunio cap.20.& lib.1.de Pœnit.c. 2.& 16.& lib.2.c.5.& 10. Hieron. Epiſt. 8. ad Demetriadem c.2.Epiſt. 22. & 27. ad Euſtochium, *Auguſt.* Auguſtinus vberrimè lib. 50. hom. hom.vltim. c. 4. & 5.in Pſal. 44.& 50. in Enchirid.c.65.& 70. *Greg. Mag.* Greg.lib.9. Moral.c. 17. Et omnes communiter.

AT hic cùm de peccatorum ſatisfactione à nobis exhibenda agimus, furioſum ſe exhibet *Caluinus.* Caluinus; ac ſublatum vellet hoc nomen ſatisfactio: *ſublatum* (inquit) *vellem hoc nomen ſatisfactio* Ne vlla ſ.vnquam Purgatorij mentio fieret: adeò infenſus eſt Purgatorij ho- B ſtis: id verò ad ſuæ impietatis ſolatium optat, vt quod ipſe efficere non poteſt, licèt eò omnes conatus intendat; hoc aliquo vel dæmone, vel Stygio numine adnitente aliquo modo aſſequeretur: ſed cùm hactenus votum adeptus non fuerit, Deo illud protegente, haud dubium quòd nec vnquam id ſibi ſolatij in tenebris, in quibus nunc commoratur, affulgere ſentiet.

QVA verò ratione pœnæ ſatisfactionem eneruare, aut potiùs funditus euellere tentet, ſanè non alia, quàm quòd omnem ſatisfactionem Chriſti morte ſublatam eſſe C cenſet. Ita enim Inſtitut.lib. 3. c.4. §. 25.26. *Io. Epiſt. 1. c. 2. Epiſt. 1. c. 12.* 27.loca illa Io.Epiſt.2.c.2.& Epiſt.1.c. 12. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Et filioli ſcribo vobis, quia remittuntur peccata veſtra propter nomen eius*. *1. Pet. 2.* Item alia Petri Ep.1.c.2.vbi ait Chriſtum pertuliſſe in corpore ſuo peccata noſtra ſuper lignum. *Rom. 8.* Et Pauli Rom.8. cùm ait damnatum eſſe peccatum in eius carne: de pœnæ & culpæ ſatisfactione exponit. At perperam proculdubio; iis enim locis Scripturæ de culpæ tantùm ſatisfactione agunt, quam Chriſtus in cruce ſuarum pœnarum acerbitate perſoluit. Chriſti enim ſanguis id deleuit, quud hu- D mana infirmitas delere non poterat, culpam, nimirum, quæ cùm obiectiuè infinita eſſet, infinitam etiam ſatisfactionem exigebat: & quamquam his totam pœnam ſimul cum culpa auferre potuiſſet, id tamen haud præſtare voluit, ne vel otium & incuriam in nobis foueret, vel faciliorem viam impiis ad ſcelera perpetranda ſterneret: dum ſe nulla pœna poſt culpam dimiſſam retineri credunt. Ac tandem ne cœli aditus iis ſtatim pateret, qui longa vitiorum conſuetudine contamina- E ti, in mortis foribus ſe ad Deum conuerterent; cùm nec dum eam perfectè exuiſſent, neque peccatorum ſcoriam ab animo depoſuiſſent.

QVID enim? Si quis poſt longam peccandi conſuetudinem, poſt furta, poſt homicidia, poſt ſtupra vix pœnitens ſtatim decederet, num mox cœlum ingrederetur? An ea peccandi conſuetudo quæ cum anima deceſſit: ea ad furta, ad homicidia, ad libi- A dinem propenſio, quæ nec minimùm quidem purgata eſt; hæ tandem peccatorum reliquiæ cum anima in cœlum conſcendent? Id profectò fieri impoſſibile eſt, cùm teſte Ioan. nihil coinquinatum intret in illud. Qua- *Apoc. 1.* propter neceſſe eſt, hanc peccatorum ſcoriam, & culpæ reatum, quæ poſt peccatum in animo manent, poſt animæ deceſſum purgatorio igne vri, & abſtergi: vt illud Dei per Iſaiam in anima efficiatur, cùm ait. *Et conuertam manum meam ad te, excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum.*

FINGANT ſibi aduerſarij nullam om- B nino propter commiſſa ſcelera à Deo pœnam taxari. Quò igitur celebratiſſimum illud Pauli Actorum decimoquarto dictum *Actor. 14.* euadet? Per multas tribulationes oportere in regnum Dei introire. Quò alterum Ioann. Apoc. 7. *Hi ſunt qui venerunt de tri-* *Apoc. 7.* *bulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni.* Quò illud Dauidis Pſalm. 88. *Pſal. 88.* *Si iuſtitias meas prophanauerint, & mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo.* Quò vox illa omnium iuſtorum Pſal. *Pſal. 65.* C 65. *Tranſiuimus per ignem, & aquam; & eduxiſti nos in refrigerium.* Et Pſalm. 89. *Lætati ſu-* *Pſal. 89.* *mus pro diebus, quibus nos humiliaſti; annis quibus vidimus mala.* Sanè iniuſtè Deus iuſtorum peccata in hac vita puniret, cùm ea vix commiſſa defleant; ac propter peccata iniuſtè affligeret: cùm nulla iis omnino pœna, quæ Chriſti ſatisfactione ſublata eſſet, imputanda ſit.

FRVSTRA verò Caluinus iuſtos tantùm ad culpæ præſeruationem pœnis à Deo plecti nobis perſuadere nititur; cùm Scriptura illos ob admiſſa aliquando crimi- D na pœnis caſtigatos affirmet: ita enim caſtigatus fuit Moyſes ob incredulitatis culpam, vt habetur Num. 20. quòd promiſſionis terram minimè ingredi potuit. Eadem pœna & Aaron quoque mulctatus fuit. Ita Dauid, & alij plerique in Scripturis iuſtè à Deo ob patrata ſcelera caſtigati perhibentur.

AT verò vt Caluini impudentia magis detegatur; dicat Caluinus. Si pœna ad culpæ expiationem à Deo non exigitur, qua ratione ad illius præſeruationem eam neceſſa- E riò exigendam cenſet? Cùm enim pœna, quæ poſt peccatum iuſtis infligitur, vt à peccato abſtineant, infligenda non eſſet, ſi peccaſſent; cur ea illis infligi debet, cùm non peccant? vel ſi ea iuſtis poſt peccatum infligi debuit, vt deinceps à peccato abſtinerent; planè hoc ipſo declaratur, pœnam ad præteritum peccatum referendam eſſe, quo ſublato nulla iuſtis pœna imminet: ac proinde illam tam ad peccati vindictam, quàm ad futuræ culpæ remedium adhiberi.

Google

PATER ſiquidem cùm ob patratum ſcelus filium corrigit, duplicem ſibi finem præſcribit. Primum quidem, vt eo flagello commiſſum crimen puniat; atque eo filius agnoſcat, tam æquum eſſe patrem, vt nullum ſcelus inultum eſſe patiatur. Alter verò finis eſt, vt paterna illa caſtigatione eum in poſterum cautiorem reddat, ne tam facilè in peccata prolabatur. At nullus vnquam pater fuit, qui filium ante admiſſum ſcelus, ad illius tantùm præſeruationem caſtigaret.

DEMVS ergo Caluino, Deum iuſtorum Patrem eſſe, ac patris more erga illos ſe gerere: num propterea æquum illum non eſſe exiſtimare licet, qui illorum peccata non vindicet, vel inulta eſſe patiatur; cùm vbique Scripturæ prædicent, Deum hominum peccata vlciſci: neque magis piorum, quàm impiorum in exigendis pœnis rationem habere: ſed in omnes æquè tum iraſci, tum vindictam exercere, quos alicuius delicti reos eſſe comperit? quò fit, vt in ſcripturis Deus vltionum paſſim dicatur. Neque opus eſt hic Scripturarum teſtimonia adhibere, cùm ea manifeſtiſſima ſint. Huc enim ſpectat, quod ait Dauid [*Pſal. 5.*] Pſal. 5. *Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Et Paul. ad [*Ad Rom. 2.*] Rom. 2. *Tribulatio, & anguſtia in omnem animam operantis malum, Iudæi primùm & Græci: non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum.* Et [*Act. 10.*] Actorum 10. *In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.* Tum ſigillatim de Moyſe & Aaron loquens Dauid [*Pſal. 98.*] Pſal. 98. *Domine Deus noſter tu exaudiebas eos, Deus tu propitius fuiſti eis, & vlciſcens in omnes adinuentiones eorum.* Porrò cùm Deus iuſtorum delicta vlciſcitur, manifeſtū eſt, eum non futurorum, ſed præteritorum peccatorum pœnas exigere.

HVC etiam ſpectat, quod frequenter in Scripturis legimus; Deum conuerſis peccatoribus, ac iuſtis parcere, nec ab iis peccatorum pœnas repetere: vt patet de Achab, de Niniuitis, ac pluribus aliis: quod Eſaias in maiorem diuinæ miſericordiæ laudem cedere ait, [*Eſaias 30.*] c. 30. cùm inquit: *Propterea expectat Dominus, vt miſereatur veſtri, & ideo exaltabitur parcens vobis.*

ATQVE eò quoque illa iuſtorum vox tendit, qua ſibi à Deo peccatorū pœnas ignoſci poſtulant: quæ habetur tum apud [*Iob. 14.*] Iob. 14. *Tu quidem greſſus meos dinumeraſti, ſed parce peccatis meis.* Tum apud [*Tob. 3.*] Tobiam 3. *Et nunc Domine memor eſto mei, neque vindictam ſumas de peccatis meis.* At quorſum Deus iuſtis ignoſceret; aut ij tam ſollicitè ab eo expoſcerent, ne de illorum peccatis ſupplicia exquirat, niſi pœnam ſibi pro peccatis debitam eſſe certò crederent? Nam ſi pœna illa ad futuræ tantùm culpæ remedium tenderet, ea nequaquam

A iuſtis relaxari deberet: cùm ea ratione, quòd ea illis in remedium adhibetur, ea priuari, in pœnam illis cederet. Conſtat igitur omnem pœnæ condonationem ad illius debitum referri. Ita fit, vt quamuis Deus iuſtorum Pater ſit, ab ipſis tamen iuſtè peccatorum pœnas exigat.

AT verò Deus non tantùm iuſtorum Pater; ſed & iudex exiſtit; quare falſum eſt quod Caluinus ſuppouit, Deum erga inimicos tantùm, ac reprobos; non erga iuſtos iudicem ſe habere: quod ſanè cum to-
B ta Scriptura pugnat, quæ Deum iuſtis, tam in præmiis deferendis, quàm in decernendis ſuppliciis iudicem ſtatuit. Id ſanè negare non poſſunt: iuſtus enim erat Iob qui c. 9. [*Iob. 9.*] Deum iudicem formidabat. *Qui* (inquit) *etiamſi habuero quippiam iuſtum, non reſpondebo, ſed meum iudicem deprecabor.* Iuſtus Paulus, qui cauſam ſuam apud Deum velut iudicem agebat 1. Corinth. 4. [*1. Cor. 4.*] *Nihil* (inquit) *mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum, qui enim iudicat me, Dominus eſt.* Et cùm vitæ coronam expectaret, eam ſibi à Deo iudice reddi poſ-
C cebat. *In reliquo* (inquit 2. Tim. 4.) [*2. Tim. 4.*] *repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iuſtus iudex.* Præterea cùm Chriſtus iudex viuorum & mortuorum, Actorum 10. [*Actor. 10.*] pronuncietur; is ſanè iuſtorum non modò Pater, ſed & iudex exiſtimari debet: quò fit, vt iuxta vniuſcuiuſque aut merita, aut demerita; vel præmia, vel ſupplicia iudicis inſtar decernat.

DENIQVE cùm iuſtis ſupplicia ad eorum purgationem decerni Scriptura commemorat; eo ſanè declarat, ea ad præterito-
D rum peccatorum punitionem cedere. Tale eſt quod legitur Eſa. 1. [*Eſa. 1.*] *Et conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum.* Et Ioann. 15. [*Io. 15.*] *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum; & omnem qui fert fructum, purgabit eum.* Cùm enim purgatio eſſe non poſſit niſi alicuius maculæ priùs contractæ, quæ illa purgatione abſtergitur, cùm iuſtos Deus tribulationibus purgat, planè iis præteritorum peccatorum maculas abſtergit. Quod
E præclarè docet Aug. lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 8. [*Aug. lib. 1. de Ciuit. D. c. 8.*] *Sicut* (ait) *ſub vno igne aurum rutilat, palea fumat; & ſub eadem tribula ſtipulæ comminuuntur, purgantur frumenta: ita vna eademque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat; malos damnat, vaſtat, exterminat.* Et lib. 22. cont. Fauſtum Manichæum. [*Lib. 22. cont. Fauſt. Manich.*] *Hinc intelligitur, quomodo non parcatur impiis, tanquam ſarmentis præciſis ad combuſtionem, quando iuſtis non parcitur propter perficiendam purgationem.* Et Hilar. ad Pſal. 65. [*Hilar. ad Pſal. 65.*] *Deus credentes in ſe, non tanquam fidei eorum ignarus examinat; ſed, quia etiam ſecundùm Apoſtolum tentatio probationem affert: examinantur credentes non ad cognitionē*

De-

Dei, ſed ad ſui probationem, vt igne purgati, & ab admixtione vitiorum carnalium defæcati, ſplẽdeant examinata innocentia claritate.

DEMVM cùm Tobiæ dicitur eleemoſynam peccata purgare, ac extinguere; id ſanè alia ratione fortè dici non potuit; quàm quòd ea culpæ reliquias, ac pœnam peccatis debitam abſtergit iuxta illud Dan. 4. *Peccata tua eleemoſynis redime.* Ex his conſtat culpa dimiſſa temporalem pœnam exoluendam ſupereſſe, quæ niſi in hac vita perfectè expietur, in altera omnino perſolui opus ſit.

Dan. 4.

ALTERA ratio eſt. Quod cum duo ſint peccatorum genera, quædam leuia ac venialia, quæ Dei in nobis charitatem non extingunt, alia grauia ac mortalia, quæ hominem Dei inimicum conſtituunt; qui cum ſolis venialibus decedunt, haud æquum eſt eos æternis ſuppliciis torqueri; cùm à Dei amicitia ſeiuncti non ſint: igitur temporali tantùm pœna ab ea illos plecti oportet, vt purgati cœlum conſcendant, ac Dei aſpectu fruantur.

CVM verò inter Chriſtianos haud rarò inueniantur, qui venialium delictorum, vtpote leuiorum, nulla prorſus nec in morte pœnitentia tanguntur, eos in cœleſte regnum cum his ſordibus admitti æquum non eſt, ne fortè (vt ait Origenes) regnum Dei polluant: quapropter eos tandiu extra Dei regnum collocari, ac pœnis plecti opus eſt, quouſque ſordes illas animo contractas abſterſerint. Porrò hic locus eſt, quem nos Purgatorium vocamus.

Sanctorum animas ante extremum iudicium cælum conſcendere, & beata Dei viſione frui demonſtratur contra Hæreticos.

ARTICVLVS X.

RESTAT altera aduerſùs Hæreticos quęſtio demonſtranda. An ſcilicet, Sanctorum animæ poſt diſceſſum ex hac vita, vel quæ iam alterius vitæ pœnis purgatæ ſunt, ante extremum iudicij diem in cœlum ferantur, ac beatifica Dei viſione potiantur.

Tertull. in Apolog. cap. 47.

TERTVLLIANVS in Apologetico cap. 47. de anima cap. 7. 9. & 55. Et lib. 4. cont. Marcionem c. 34. videtur ſentire animas iuſtorum non in cœleſti, ſed in ſublimiori apud inferos loco vſque ad reſurrectionem detineri. Id vero apertè affirmarunt Armeni (vt refert Guido de Armenis) qui Deum à beatis ante extremum iudicij diem non videri exiſtimarunt; Petrobruſiani (teſte Prateolo de Hæreſib.) & Abailardi, Deum à nemine ante judicium per eſſentiam videri aſſerebant. Correrij præterea, ac Fratricelli (referente Guidone, & Bernardo Lutzemb.) animas Sanctorum ante extremi iudicij diem necdum cœleſtem gloriam obtinere affirmabãt.

Armeni.

Petrobruſiani.

Abailardi.

Correrij.

Fraticelli.

Martinus Lutherus ad c. 25. Geneſ. nec ipſe ab hac hæreſi diſſenſit, cùm ait; Sanctos dormire, & neſcire quid hic agatur, & tamen quieſcere. At Caluinus inſignis antiquarum hæreſum patronus, hanc præclaris verbis ſuis tradidit lib. 3. Inſtitut. cap. 25. §. 6. *Interea* (inquit) *cùm Scriptura vbiq; iubeat pendere ab expectatione aduentus Chriſti, & gloriæ coronam eò vſque differat, contenti ſimus his finibus diuinitus nobis præſcriptis; animas piorum militiæ labore perfunctas, in beatam quietem concedere, vbi cùm fælici lætitia fruitionem promiſſæ gloriæ expectant; atque ita omnia teneri ſuſpenſa, donec Chriſtus appareat Redemptor.*

Mart. Luth. ad cap. 25. Geneſ.

Caluinus lib. 3. Inſtit. c. 25. §. 6.

NONNVLLI hunc errorem tribuunt Iuſtino q. 60. & q. 16. vbi videtur annuere ante Reſurrectionem iuſtis præmia non reddi. Irenæo lib. 1. cap. 21. qui Piorum animas, poſtquam è corporibus migrarunt, in inuiſibilem locum abire, & ibi vſque ad corporum Reſurrectionem commorari docet: Item Bernardo ſerm. 3. de omnibus Sanctis, & ſerm. 4. vbi explicat illud Apoc. 6. *Vidi ſub altare Dei animas interfectorum*, &c. quibus locis videtur ſentire Sanctorum gloriam in diem extremi iudicij illis differri, ac modò Chriſti tantùm humanitate frui.

Apoc. 6.

AT ſi quis rectè horum Sanctorum dicta perpendat: perſpiciet profectò, illos ab hac ſententia ab horruiſſe; neq; aliud iis locis ſubobſcurè pronunciatis aſtruere voluiſſe; quàm Sanctorum animas quandiu è corporibus ſeiunctæ ſunt, nondum plenam, ac perfectam gloriæ retributionem poſſidere, quod ſanè veriſſimum eſt, cùm perfecta retributio tunc futura ſit, cùm anima corpori in Reſurrectione iterùm copulata, cum eo ſimul beatitudine perfruetur.

ILLVD quidem proditum eſt teſtimonio Ioan. Gerſonis in ſerm. de Paſchate, Gulielmi Ocham in opere nonaginta trium dierum, Marſilij in 4. ſent. q. 13. art. 3. & Adriani in 4. vbi agit de Sacramento Confirmationis. Ioannem XXII. aliquando huic errori patrocinatum fuiſſe: qui partim rei veritate conuictus, partim literis Philippi Regis Gallorum benignè admonitus errorem retractauit; quę retractatio habetur apud Ioan. Villanum libr. vndecimo, cap. 19. Hiſtoriæ de rebus Florentinorum propriis verbis, vbi primùm declarat, ſe non ad definiendum hunc articulum, ſed ad inquirendum tantummodò illius veritatem, illius ſe patronum geſſiſſe: tum ſe oppoſitam ſententiam amplecti; Sanctorum nempe animas ante extremum iudicij diem Dei eſſen-

tiam in cœlo videre: niſi aliter à ſuis ſucceſ- A ſoribus definitum fuerit, quorum definitioni prorſus ſeipſum ſubiicere profitetur, vt refert Bellarm. de Sanctorum beatitud. cap. 2. & de Rom. Pont. lib. 4. c. 14.

EXPVRGATA igitur Catholicorum Patrum ſententia nunc cum Hæreticis libera nobis, ac ſola res eſt; in quos tum Scripturarum, tum Patrum acies nobis eſt inſtruenda.

Matt. 8. PRIMVS locus legitur apud Matth. 8. vbi Dominus Iudæorum infidelitatem exprobrans, ac fidem Centurionis extollens ait. *Amen dico vobis, non inueni tantùm fidem* B *in Iſraël. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cælorum.* Locus hic vocationem gentium futuram inſinuat, qua deinceps Chriſti Eccleſia extructa fuit: tum verò multorum ex Eccleſia iuſtorum, ſcilicet, glorificationem, quæ illis cum Abraham, Iſaac, & Iacob, ac cæteris Prophetis communis futura eſt, prænuntiat. Porrò quòd ad illarum glorificationem attinet, duo hîc expendenda ſunt. Primum, Chriſtum gloriam illis polliceri. Secundum, hanc gloriam eam eſſe debere, qua Abraham, Iſaac, & Iacob potiuntur C in regno cælorum. Hinc duo colligimus. Primũ, Abraham, Iſaac, & Iacob iam nunc in regno cœlorum recumbere, ac cœleſti gloria frui. Gloria cœleſtis in Scripturis vbique *Matth. 5. & 11.* regnum cœlorum nuncupatur, vt patet Matt. 5. *Beati qui perſecutionẽ patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Et Matth. 11. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* & alibi frequenter. Hic ergo apertus eſt huius loci ſenſus, perinde, ac ſi diceret. Multi ab Oriente & Occidente (à Deo vocati) venient, & (Deo illis gloriam deferenti) recumbent in regno cœlorum (id eſt, in D cœleſti beatitudine) cum Abraham, Iſaac, & Iacob, id eſt, vbi iam Abraham, Iſaac, & Iacob recumbunt. Hic enim domeſticus eſt Scripturæ ſenſus, vt ex innumeris locis colligitur, velut ad Rom. 6. *Si autem mortui ſumus cum* *Ad Rom. 6.* *Chriſto, credemus, quòd ſimul etiam viuemus cum Chriſto*: id eſt, vbi iam Chriſtus viuit: ad Philippenſ. 1. *Deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto*, id eſt, vbi eſt Chriſtus. Item 1. *1. Theſſal. 4.* Theſſal. 4. *Et ſic ſemper cum Domino erimus*, id eſt, vbi eſt Dominus, & paſſim hic ſenſus in E Scripturis obuius fit. Ex quo patet in primis Patriarchas iſtos etiam nunc cœleſtem gloriam adeptos fuiſſe.

HINC alterum colligimus. Quotquot ex Gentilibus cum Abraham, Iſaac, & Iacob in cœlo regnaturi ſunt, nequaquam poſt iudicium regni cœleſtis poſſeſſionem expectare debere: ſed ante iudicium coronari. Neque enim vlla ratio eſt, cur hi magis, quàm antiqui illi Patriarchæ gloriæ coronam vſque ad iudicium præſtolari debeant. Cùm igitur illi cœleſte regnum iam adepti ſint, profectò nec Sanctis poſt deceſſum iure illud negari poteſt, aut vſque ad iudicium differri.

SED ne hic ſenſus noſter eſſe videatur: *Hieron. in Comment. c. 8. Matt.* audiatur Hieronym. in Comment. in hunc locum. *Quia autem* (inquit) *Deus Abraham cæli conditor pater Chriſti eſt: idcirco in regno cælorum eſt, & Abraham, cum quo accubituræ ſunt nationes, quæ crediderunt in Chriſtum filium creatoris.* Audiatur etiam Origenes homil. 5. in *Origenes hom. 5. in diu.* diuerſos. *Et recumbent* (inquit) *non carnaliter iacentes, ſed ſpiritualiter requieſcentes: non temporaliter potentes, ſed æternaliter epulantes cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cælorum; vbi lux, exultatio, gloria, & longæuitas vitæ æterna.*

SECVNDVS locus ex Scripturis, quo patres ſæpe vſi ſunt ad hoc Catholicum dogma aduerſus Hæreticos demonſtrandum, eſt Lucæ 23. cùm Chriſtus concrucifixum ſibi latronem alloquens, ait. *Hodie mecum eris in Paradiſo.* *Luc. 23.* Diſputant nonnulli, quid hoc loco per Paradiſum intelligi debeat: inter quos eſt Euthymius, qui hunc locum explicans, exiſtimat Paradiſum non cœlum, ſed locum aliquem deliciarum ſub cœlo eſſe: quo nomine etiam hortus ille deliciarum, in quo Adam poſitus fuit, Paradiſus voluptatis in Scripturis appellatur: vt Geneſ. 1. *Plantauerat autem Deus Paradiſum voluptatis.* *Gen. 1.* Id ex ipſo nominis etymo confirmat. Paradiſus enim vox deflexa creditur à Chaldæo nomine פרדס Pardes, quod hortum domeſticum ſignificat.

HÆC Euthymij ſententia Grammaticali potiùs, quàm Catholico ſenſui reſpondet; quam nec ipſi quoque Iudæi probarent, qui ſanctorum Patrum animas, non in paradiſum, à quo Adam eiectus eſt; ſed in ſinum Abrahæ deportari credunt: quapropter multo minùs ea à Catholicis ferenda eſt. Cæterùm quicquid de huius nominis interpretatione, ac animarum ſanctarum receptaculis poſt mortem, Hebræi ſenſerint: id certum eſt poſt Chriſtum Paradiſi nomen ad cœleſtem illam beatorum Patriam ſignificandam trãſlatum eſſe: vt patet ex Paulo 2. Corinth. 12. *2. Cor. 12.* vbi ſe in Paradiſum raptum eſſe dicit, quem tertium cœlum explicat. Et Apoc. 2. vbi *Apoc. 2.* dicitur. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei*; vbi Paradiſus pro fœliciſſimo Dei regno accipitur, iuxta illud Luc. 22. *Ego diſpono vobis regnum; vt edatis, &* *Luc. 22.* *bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Quò fit, vt prorſus intolerabilis ſit Euthymij ſententia, cùm hæc Chriſti verba de terreſtri quodam Paradiſo interpretatur: cùm ea antiquiores Patres de cœleſti gloria exponant. Ita Chryſoſt. in hunc locum. *Chriſtus* (inquit) *Chryſoſt. in cap. 23. Luc.*

latro

Digitized by Google

latronem impulit, qui ante totum orbem, & ante Apoſtolos, nudo verbo, ſola fide in Paradiſum introiuit, ne quis poſt errores introitum deſperaret. Attende celeritatem à cruce in cælos, à condemnatione in Paradiſum. Deinde poſt pauca quæſtionem mouet his verbis. *Si autem iam facta eſt bonorum retributio: nunquid ſuperuacua erit reſurrectio?* Mox quæſtionem ſoluit. *Sed caro* (inquit) *quæ fuit laborum particeps, nunquid priuabitur præmiis? Audi Paulum dicentem. Oportet corruptibile hoc incorruptionem induere.* Tandem iis reſpondens qui huius vocis (Paradiſi) etymologia decepti, Paradiſum terreſtrem quendam locum eſſe putarent, addit. *Sed ſi Dominus pollicitus eſt regnum cælorum: introduxit autem latronem in Paradiſum, nondum ei retribuit præmia. Sed nomine Paradiſi regnum cælorum nominauit, vſitato nomine vtens, dum alloqueretur latronem.*

[*Theophylact.*]

EODEM modo Theophylactus hunc locum exponit. *Hoc* (ait) *tamen eſt verius omnibus, quòd quamuis omnia promiſſa ſortiti ſunt, & latro, & alij Sancti, ne ſine nobis conſummarentur: vt dicitur in epiſt. ad Hebræos, ſunt tamen in regno cælorum, & in Paradiſo.* Id verò præclarè docuit Iulianus Pomerius qui ante Theophylactum ſcripſit, apud Iulianum Toletanum lib. 2. Prognoſticon c. 1. *Satis eſt dictum* (ait) *de Paradiſo cæleſti, & quòd in eo ſanctæ animæ ſtatim de corporibus ſuis exeuntes Deo donante mittantur. Quod ita debere credi Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſua auctoritate firmauit; vbi latroni dicendo (Hodie mecum eris in Paradiſo) ſine vlla ambiguitate probauit, quòd beatas animas ſuis exutas corporibus Paradiſus cæleſtis ſine vllo interuallo temporis ſuſcipiat.*

[*Iulian. Pom. apud Iulian. Tolet. lib. 2. Prognoſticon cap. 1.*]

ATQVE huic Catholicæ expoſitioni ipſa quoque ratio ſuffragatur: nam Chriſti anima poſtquam à corpore diſceſſit, in Paradiſum voluptatis haud profecta eſt; ſed vt antea, Dei gloria potita eſt, eo excepto, quòd tunc è paſſibili corpore ſoluta, nulla ampliùs triſtitia affici potuit: ex quo rectè colligimus, cùm latroni dictum fuit, *Hodie mecum eris in Paradiſo*; latronis animam eodem die ſimol cum Chriſto Dei gloriam conſecutam fuiſſe: non igitur Paradiſus terreſtrē aliquem quietis locum ſignificat, ſed ipſam Dei gloriam. Præterea Catholicū dogma eſt, ab omnibus Orthodoxis Patribus receptū: nimirū Chriſti morte cœlorum fores fidelibus patefactas fuiſſe; ac Sanctorum Patrum animas, quæ apud inferos detinebantur, Chriſtum poſtea in cœlum aſcendentem ſequutas fuiſſe. Qua ratione igitur Paradiſus, quem Chriſtus latroni pollicetur, terreſtris locus eſſe credendus eſt, cùm nullum terreſtrem locum Chriſtus poſt mortem incoluerit: ſed ſtatim Dei gloria potitus fuerit? Quapropter exploratū eſt Paradiſi nomine hîc Dei gloriam intelligendam eſſe: ac proinde ſicut latronis, ita & cæterorum iuſtorum animas in cœlum poſt mortem conſcendere; ac cum Chriſto beatifica Dei viſione frui; cùm eadem vox ad omnes quoque iuſtos pertineat.

TERTIVS locus eſt Ioannis 12. vbi legitur, *Vbi ſum ego, illîc & miniſter meus erit.* Et c. 14. *Et ſi abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipio vos ad meipſum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis.* Itē Io. 17. *Pater quos dediſti mihi; volo, vt ibi ego ſum, ibi & illi ſint mecum.* Item Luc. 17. *vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Quæ loca omnia ad vnum tendunt; vt declarent, ibi Sanctos poſt mortem animo futuros eſſe, vbi Chriſtus Sanctorum caput, animo, & corpore, cum ipſa diuinitate regnat. Chriſtus igitur cùm in cœlo ad Patris dexteram ſedeat, illuc etiam Sanctorū animas quaſque ad deſtinatum ſibi locum, poſt diſceſſum conuenire opus eſt; vt ſint cum Chriſto, ac diuiniſſimam illius claritatem, quam ab æterno à Patre accepit, beata viſione intueantur. Quæ explicatio eſt Chryſoſtomi hom. 66. in Io. *Vbi ego ſum* (inquit Chriſtus) *illîc & miniſter meus erit. Vbi Chriſtus? in cælis. Ergo ante reſurrectionem illuc anima & mente transferemur.* Et ſerm. 3. in ep. ad Philip. *Peccatores* (ait) *vbi ſunt? procul à Rege ſunt, propterea lacrymis digni. Iuſti autem ſiue hîc, ſiue ibi, cum Rege ſunt: atque ibi quidem multò magis ac propiùs, non quaſi quodam interiecto veſtibulo, non per fidem, ſed facie* (inquit) *ad faciem.*

[*Io. 12. 14. 17.*] [*Luc. 17.*] [*Chryſ. hom. 66. in Io.*] [*Ser. 3. in Ep. ad Philip.*]

EADEM eſt etiam Gregorij Magni lib. 4. Dial. c. 25. *Perfectorum animæ* (ait) *mox, vt huius carnis clauſtra exeunt, in cæleſtis regni ſedibus recipiuntur: quod & ipſa per ſe veritas atteſtatur dicens, vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ, quia vbi ipſe Redemptor noſter eſt corpore, illuc procul dubio iuſtorum colliguntur animæ.*

[*Greg. Magn. lib. 4. Dial. cap. 25.*] [*Luc. 17.*]

HANC quoque expoſitionem tuetur Auguſtinus tract. 51. in Io. his verbis. *Quem maiorem honorem accipere poterit adoptatus, quàm vt ſit, vbi eſt vnicus?* Quam etiam amplectitur Gennadius de Sanctorū fruitione ſect. 3. *Age nunc* (ait) *officioſius adhibitis Eccleſiæ doctoribus orationem exordiamur, & quæ Sancti rectè ſuper hac ſententia protulerunt, in medium afferamus: vt liquidò cognoſcatis iuſtos omnes, quatenus animæ ſunt, eſſe in Dei gloria, Deúmque in faciem videre, & huius viſione lætari: nam nihil aliud eſt Sanctorum fruitio, quàm Dei viſio: primúmque quod ſacris Apoſtolis Chriſtus dixit in medium prodeat. Vado parare vobis locum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis.*

[*Aug. tract. 51. in Io.*] [*Gennad. de Sanct. fruit. ſect. 3.*]

QVARTVS locus eſt Pauli ad Philip. 1. *Deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Optabat Paulus corporis ſui diſſolutionem citò fieri; at quorſum aut qua ratione? vt ſcilicet eſſet cum Chriſto, ac celeriter in illius ſinum euolaret. Audierat ſiquidem ea à Domino prolata eſſe verba, quæ nunc recenſuimus,

mus. *Pater quos dediſti mihi; volo, vt vbi ego ſum, ibi & illi ſint mecum, & videant claritatem meam, quam dediſti mihi:* quapropter hac claritatis gloria inebriari quamprimùm expetebat: at ſi beatorum gloria ad extremum vſque iudicij diem dilata eſſet, cur Paulus corporis ſui diſſolutionem tam auidè cuperet: vt diuina Chriſti gloria frui poſſet; cùm illius animam tandiu expectare opus eſſet, neque ante ad beatitudinem peruenire valeret, quoad corporum reſurrectio fieret? Planè fruſtrà Paulus ea Chriſto fruendi cupiditate flagraſſet: ſed cùm inane Pauli deſiderium non fuerit: ac ex Dei reuelatione certò ſciret, ſibi poſt obitum gloriam paratam eſſe: hinc perſpicuũ eſt, Sanctorum animas nulla dilatione ſtatim poſt obitum velut Chriſti membra ad capitis gloriam in cœlum ſubleuari. Ita locum exponit D. Anſelmus, ad c. 1. ad Philip. *Apoſtolus* (ait) *idcirco diſſolui deſiderat, vt cum Chriſto poſsit eſſe: quia perfectorum iuſtorum anima mox vt clauſtra carnis exeunt, in cœleſtibus ſedibus recipiuntur.*

D. Anſelm.

2. Cor. 5.

QVINTVS locus habetur apud eundem Paulum 2. Cor. 5. *Audemus autem* (inquit) *& bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominũ.* Quandoquidem mortalis hæc vita, qua in corpore viuimus, quædam quaſi à Domino peregrinatio eſt; in qua anima, ea præſertim quæ Deum diligit, propter Dei abſentiam angitur, atque ibi adeſſe cupit, vnde originem ſuam hauſit, ac omnia ſua bona, ac deſideria collocauit. Hinc Apoſtolus vitæ huius peregrinationi finem optat imponere; vt præſens Deo eſſe poſſit, ac beata illius viſione, ac fruitione potiri. Neque enim aliud eſt præſens eſſe Deo, quàm Deum facie ad faciem intueri, ac beatiſſimæ illius eſſentiæ conſpectu frui, vt exponit Lyranus. Iam verò quòd Paulus ab hac ſe vitæ peregrinatione quamprimùm expedire cupit, ea procul dubio cauſa eſt, quòd poſt peregrinationem ſtatim corpore exutus, claram Dei viſionem, ac fruitionem expectat. Quid enim finem huic peregrinationi imponi optaret, ſi alia longè diuturnior illi peregrinatio inſtituenda eſſet, quæ ad iudicium vſque ſe extenderet; neque ante illam exactam Dei præſentia frui poſſet? Reſtat igitur, vt Paulus, & cum Paulo vniuerſa iuſtorum agmina mortali hac peregrinatione peracta, ad diuinæ præſentiæ gloriam conſcendant, qua iugiter fruantur: atque ibi ſocij corporis reſurrectionem expectent. Atq; hunc eſſe horum verborum Pauli ſenſum docet Iuſtinus quæſt. 75. *Poſt exitum* (inquit) *animarum è corpore, illicò iuſti ab iniuſtis ſegregantur; adducuntur enim ab Angelis ad condigna ſibi loca. Ac iuſtorum quidem animæ in Paradiſum, vbi conſuetudine, & aſpectu fruuntur Angelorum, & Archangelorum, viſione quoque ipſius Saluatoris Chriſti, pro eo atque dictum eſt. Peregrè abſumus à corpore, & præſentes adſumus ad Dominum.* Ex qua Iuſtini auctoritate conſtat, ipſum ab hoc errore longè abeſſe.

A B C D E

QVOD verò hic Pauli locus aptiſſimus ſit ad hunc errorem conuincendum, teſtatur Lyranus; qui hunc locum explicans ait. *Per hoc autem, quod dicit Apoſtolus hic, excluditur error dicentium animas ſanctas à corporibus exutas à viſione diuina retardari vſq; ad iudicium. Quia dicit Apoſtolus bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore per mortem, & præſentes eſſe ad Deum. Ex quo patet intentionem eius eſſe, quòd animæ ſanctæ nihil habentes purgandum, exutæ corporibus ſtatim ſunt Deo præſentes per apertam viſionem.* Hæc Lyranus.

Apoc. 6.

SEXTVS locus eſt Apoc. 6. *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium, quod habebant,* &c. *Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ.* Hic locus variè à nonnullis exponitur: nam D. Bernard. ſerm. 4. in feſto omnium Sanctorum exiſtimat altare ſub quo Martyrum animæ eſſe dicuntur, eſſe Chriſti humanitatem, qua Sancti vſque ad iudicium fruuntur. Poſt iudicium verò ſuper altare collocandas, id eſt, plenam Dei gloriam inſpecturas.

D. Bernard.

HÆC Bernardi expoſitio, tametſi, vt verba ſonant videatur Caluini, & aliorum Hæreticorum errori fauere; reuerà tamen non fauet: neque enim vnquam alibi ſenſit Bernardus eſſentiale gloriæ præmium Sanctis vſque ad diem iudicij differri: quod ex pleriſque aliis ipſius locis licet colligere, in quibus oppoſitum apertè docet. Nam ſerm. 2. de Sancto Victore. *Hodie* (ait) *Victor poſito corpore, quo ſolo præpeditus ab introitu gloriæ videbatur, tantò alacrior, quantò expeditior penetrauit in ſancta ſimilis factus in gloria Sanctorum.* Et in ſerm. in vigilia Sanctorum Petri, & Pauli. *Tria ſunt* (ait) *quæ in feſtiuitatibus Sanctorum vigilanter conſiderare debemus. Auxiliũ Sancti, exemplum eius, confuſionem noſtram. Auxilium eius, quia qui potens in terra, potentior eſt in cælis ante faciem Dei ſui.* Deinde ſerm. 5. in feſto omnium Sanctorum palàm Sanctorum gloriam fatetur his verbis. *Aliud ſanè in his ſanctitatis genus & proprio modo videbitur honorandum, qui venerunt ex magna tribulatione, & dealbauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni, qui poſt multos agones iam nunc triumphant in cælis coronati, quoniam legitimè certauerunt.* Et eodem ſerm. circa medium. *Veruntamen,* inquit, *non acquieſco expertes gloriæ credere Sanctos: maximè propter illud quod Apoſtolus ait. Quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitatem æternum gloriæ pondus operabitur in nobis.*

QVAPROPTER vbicunque Bernardus exutas corporibus animas integram gloriam

vſque

vſque ad iudicij diem expectare videtur annuere : id ita accipiendum eſt, vt de integra omni ex parte gloria intelligat, quæ corporis etiam gloriam comprehendat.

Qvod verò hæc fuerit huius ſancti Doctoris mens; illud cum primis declarat, quòd is ſerm. 3. in feſto omnium Sanctorum exponens extrema verba huius noſtri teſtimonij. *Et data ſunt illis ſingula ſtola alba*; ea ſtola alba animæ gloriam ſignificari docet, poſtquam alteram etiam ſtolam, corporis videlicet beatitudinem expectant.

Ser. 3. in feſto omnium Sanctorum.

Acceperunt (inquit) *iam ſingulas ſtolas, ſed non veſtientur duplicibus, donec veſtiamur & nos; quomodo de* B *Patriarchis, & Prophetis ait Apoſtolus. Deo meliùs aliquid providente pro nobis, vt non ſine nobis conſummarentur: ſtola enim prima ipſa eſt, quam diximus, fœlicitas, & requies animarum: ſecunda verò immortalitas & gloria corporum: vnde & dicunt. Vindica Domine ſanguinem Sanctorum tuorum, qui effuſus eſt, non tanquam vindictæ cupidi, nec de propria vltionis zelo: ſed ex deſiderio reſurrectionis & glorificationis corporum ſuorum, quam nimirum vſque in diem iudicij differendam eſſe non dubitant.* Hæc Bernardus. Ex quibus ſanè conſtat ſe corporum tantùm gloriam, non animarum ad iudicium vſ- C que differre.

D. Avg. explicans hunc locum Apoc. Altare, vel aram Dei Eccleſiam interpretatur, ſub cuius oculis martyres effecti ſunt: tamen quia ſanguis Sanctorum ſuper terram funditur, ſub ara clamare dicuntur: ſicut eſt illud, *Sanguis fratris tui Abel clamat ad me de terra.*

Gen. 4.

At communis expoſitorum ſententia eſt, Chriſtum per hoc altare ſignificari. De illo ſiquidem dicitur Apoc. cap. 8. *Et data ſunt ei incenſa multa, vt daret de orationibus Sanctorũ omnium ſuper aureum altare, quod eſt ante thronum Dei.*

Apoc. 8.

D Omnia enim Sanctorum ſuffragia virtutem à Chriſto accipiunt: quare Andreas in hunc locum hoc altare Chriſtum explicat, in quo omnis ſancta & miniſtratoria vis poſita eſt; & Richardus idcirco Chriſtum altare appellari ait, quia ſuper eum offeruntur Patri omnia vota humanæ iuſtitiæ.

Andreas. *Richardus.*

Animæ igitur ſub hoc altari eſſe dicuntur, quia ſub Chriſto, ac per Chriſtum cœleſti gloria perfruuntur, ac veluti membra glorioſa ſub capite glorificato triumphant, vt exponit Ambroſius. *Vel animæ* (inquit) *Sanctorum ſub altare quieſcunt, quia ſicut capiti ſuppoſita ſunt membra, eique cohærent: ita & animæ Sanctorum* E *in cœleſti gloria conſtitutæ Chriſto Saluatori ſubiectæ ſunt, eique per connexionem membrorum nectuntur.*

Ambroſ. in Apoc.

Qvòd verò iis ſingulas ſtolas albas datas eſſe Ioannes commemorat; non modò Bernardi, ſed & aliorum communis ſententia eſt, eo animæ gloriam indicari. Ait enim Ambroſius in hunc locum. *Stola alba, gloria eſt* A *ſanctarum animarum: ſtolas albas ſingulas Sancti Dei nunc poſſident; quia corporibus interea quieſcentibus ſtolis animæ beatitudinis æterna perfruuntur. Binas ſtolas tunc percipient, cùm poſt reſurrectionem animæ cum corporibus gloriam cæleſtis patriæ ſine fine poſſidebunt.* Quam expoſitionem ſequitur Lyranus, & alij expoſitores.

Ambroſ.

Septimvs locus eſt in eadem Apocalypſi 7. vbi Ioannes ingentem illam beatarum animarum multitudinem, albis ſtolis indutam, & palmas in manibus geſtantem Dei conſpectui adſtare animaduertit. *Vidi* (inquit) *turbam magnam, quam dinumerare nemo pote-* B *rat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Communis expoſitorum opinio, cui etiam Eccleſiæ conſenſus adiungitur, quæ locum hunc in feſto omnium ſanctorum, ſanctis iam in cœlo triumphantibus accommodat, obtinuit; vt locus hic abſque controuerſia de ſanctorum animabus explicetur. Quo ſuppoſito, triplici argumento hoc loco Ioannes ſanctorum animas beata Dei viſione frui euincit.

Apoc. 7.

Primvm argumentum ex illis verbis du- C citur. *Stantes ante thronum, & in conſpectu Agni.* Quid enim aliud indicat ſanctos ante thronum Dei ſtare, vt exponit Lyranus, quàm eos per clarum diuinitatis aſpectum Dei maieſtatem intueri? qui enim ante thronum ſtant, profectò eum vident, qui in throno ſedet, niſi cæcos beatos eſſe credamus. Nam quæ ratio patitur, vt ſanctæ illæ animæ throno Dei aſſiſtant, Deique maieſtatem diu, noctúque laudent, ac inter fœlices Angelorum choros dulcia Deo carmina reſonantes diſcurrant; & tamen ea cæcitate laborent, vt quem in mundo tot votis intueri efflagita- D runt, minimè videre valeant? Annon id illis pœnæ loco cederet; vt Dei conſpectui adſtare dicantur, nec tamen Deum ipſum videre poſſint? Stant igitur ſancti ante thronum Dei, vt eo nobis ſignificetur illos ad votum diuina viſione potiri. Sed cùm beati interiùs diuinitatis aſpectu reficiantur, exteriùs verò dulciſſima Chriſti humanitatis inſpectione oblectentur (vt ait Aug. ſuper Iob) idcirco addit Ioannes illos in conſpectu agni ſtare.

Aug. ſuper Iob.

Secvndvm argumentum deſumitur ex eo, quòd ait, *Amicti ſtolis albis.* His enim ſtolis candidis animarum gloriam indicari ſu- E periùs demonſtrauimus. Albæ ſiquidem ſtolæ ſeu veſtes, quibus ſancti in cœlo amicti ſunt, diuinæ lucis ſplendorem ſibi effulgentem deſignant; quem ex Dei intuitu beati velut Solari radio percuſſi contrahunt: nam ſi Moyſes ex conſortio ſermonis Dei, qui in nube illi apparebat, tanto vultus ſplendore perfuſus fuit, vt non poſſent filij Iſrael in faciem eius intẽdere: certè multò magis ſancti,

qui

Digitized by Google

qui in cœlo aperta Dei viſione fruuntur; diuinæ maieſtatis in ſe fulgorem recipient: quo clariſſimi vndequaque appareant. Vide Ambroſium hunc locum ita exponentem, quem ſuperiùs citauimus.

TERTIVM denique argum. ex illis verbis depromitur, *Et palma in manibus eorum.* Id enim ad exprimendã Sanctorum gloriã poſitum fuit. Cùm enim palmæ in ſignum triumphi victoribus dentur; cùm iam parta victoria, præmia ac coronas referunt. Id ſanè hic Ioannes inſinuare voluit: Sanctos poſt victorias quas de dæmone, de perſecutoribus, de mundo, de carne, déque vitiis omnibus re- B portarunt, iam nunc in cœlo triumphare, ac digna ſibi præmia & expectatas coronas referre; atque in huius rei ſignum palmas in manibus geſtare. Qui igitur laborum palmas, ac gloriæ coronas, velut parta victoria triumphatores tenent, quomodo à Dei viſione ac fruitione vſque ad extremum iudicij diem arceri poſſunt, cùm hæc propria beatorum præmia ſint, ac victorum coronæ, ſine quibus nec triumphare, nec palmas geſtare poſſent?

Apoc. 7. POSTREMVS locus habetur in eodem C capite. *Hi, qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt, & vnde venerunt?* &c. *Hi ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni. Ideo ſunt ante thronum Dei, & ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius.* Quid per ſtolas intelligendum ſit, iam diximus animarum gloriam ſignificari, quàm ex Dei viſione & fruitione in cœlo poſſident: at cur eas Ioannes in ſanguine Agni Sanctos dealbaſſe dixerit; ea ratio eſt, quòd per meritum ſanguinis Chriſti vicerunt, ac in cœleſti gloria albas fieri meruerunt; vel vt ſentire videtur Lyranus, pro Chriſto ſanguinem fude- D runt, quod ad martyres refertur, qui idcirco ſtolas in ſanguine Agni dicuntur dealbare, quòd propter effuſum pro Chriſto ſanguinem animæ gloriam ſibi in cœlo compararunt; vtraque expoſitio vera eſt, & ex ſequentibus confirmatur; nam ſtatim Ioannes præmia ob perpeſſum pro Chriſto martyrium illis collata referens, ait: *Ideo ſunt ante thronum Dei, & ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius.* Vbi triplex ſubſtantiale præmium ſanctis collatum inſinuat: Primum Dei viſionem, cùm il- E los ante thronum Dei ſtantes conſtituit. Secundum fruitionem, cùm illos Deo ſeruire indicat: cœleſtis enim ſeruitus eſt, Deũ perfecta charitate diligere, ac fruitione amplecti, tum perpetuò laudare iuxta illud Dauidis Pſalm. 83. Psal. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum, laudabunt te.* Tertium præmiorum æternitatem, quam illis verbis oſtendit (die ac nocte) vt exponit Rupertus. *Die ac nocte* (inquit) *id eſt, in æternitate ſeruiunt: non vtique laborioſè aut ſeruili* A *miniſterio, ſed iucundo atque liberali amoris tripudio.*

EX his patet, Sanctorum animas tametſi ſuorum corporum gloriam ad iudicium vſque dilatam expectent, perfecta tamen, quæ ad ſolas animas ſpectat, beatitudine frui.

Idem aſſeritur teſtimoniis Patrum, & rationibus.

ARTICVLVS XI.

VENIO nunc ad Patrum teſtimonia, qui vno conſenſu citra controuerſiam affirmant, Sanctorum animas hinc exeedentes, ac cæterorum quæ exceſſerunt, poſtquam à labe expiatæ ſunt, mox cœleſtia præmia conſequi, ac perpetua Dei viſione frui.

INTER Græcos Patres antiquiſſimus Dionyſius Pauli diſcipulus, hoc ita apertè docet, vt mirum ſit, quomodo de hac re inter eos, qui Chriſtianam doctrinam profitentur, quæſtio oriri queat. Is enim lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia c. 7. part. prima, de Sanctorum animabus loquens, quæ hinc migraturæ ſunt, *Norunt* (inquit) *profectò ſe totos perceptu ros exactiſſimam ad Chriſti ſpeciem requiem; cùm ad præſentis vitæ finem peruenerint: viámque ad immortalitatem ſuam è vicino iam clariùs intuentes diuinitatis laudant munera, diuináque lætitia geſtiunt; non iam ad deteriora conuerſionem metuentes; ſed parata bona ſe firmiter perpetuóque habituros probè noſcentes.* Dionyſ. lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 7. part. 1. Iam ſi ſancti ex hac vita migrantes exactiſſimam ad Chriſti formam beatitudinem nanciſcũtur, quid illis ad perfectum beatitudinis ſtatum deeſſe poteſt? Præterquàm quòd ſocium gloriæ in extremo iudicio corpus ſibi rurſus copulari expectant, at expectatio hæc propriam ac ſubſtantialem animæ gloriam haud remoratur, cum hæc à corporis gloria non pendeat, quæ in illud ex animæ gloria duntaxat redundat.

POST Dionyſium Irenæus lib. 1. cap. 2. Irenæus lib. 1. cap. 2. hoc ipſum apertè tradit; *Iuſtis* (inquit) *& æquis, & præcepta eius ſeruantibus, & in dilectione eius perſeuerantibus, quibuſdam quidem ab initio, quibuſdam autem ex pœnitentia vitam donans, incorruptelam loco muneris confert; & claritatem æternam circundat.* Duplex hominum genus hîc ſtatuit Irenæus, cui ex hac vita migranti beatitudo præſtò eſt. Primum eorum cui ſtatim poſt obitum beatitudo defertur: quales ſunt, qui vel poſt Baptiſmum moriuntur, vel mortem per martyrium obeunt, vel tandem puri ex hac vita decedunt. Alterum illorum, quibus non ſtatim ac deceſſerunt, ſed poſt aliquam exactam in purgatoriis pœnis pœnitentiam, qua contractas in animo vitiorum labes expiarunt, gloria confertur. His tamen ante iudicium, & vitam,

& claritatem æternam condonatam eſſe affirmat. Quid luculentiùs in huius Catholici dogmatis confirmationem à Græco, cóque antiquiſſimo Patre diei potuit? an non teſte Saluatore ipſo apud Ioan. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant, ac videant Deum Patrem facie ad faciem, & æterna filij claritate perfruantur?* Cùm igitur Irenæus Sanctos, & vita æterna donatos, & diuina claritate circunſeptos eſſe ſentiat: an non apertè eos, vel ſtatim poſt obitum; vel poſt purgationem beatam Dei viſionem conſequi docet?

Ioan. 17.

QVAPROPTER miror ſanè cur Græci recentiores hanc Irenęo calumniam inurant, quòd ſenſerit animas ante iudicium perfectè beatas non exiſtere, ſed earum gloriam eò vſque differri, quoad corporum reſurrectio facta fuerit: cùm nihil tale vnquam dixerit. Nam quòd idem Irenæus lib. 5. c. 31. ait diſcipulorum animas abire in inuiſibilem locum illis definitum à Deo, & ibi vſque ad reſurrectionem corporum commorari; fruſtrà ſibi hunc locum in ſui erroris ſuffragiũ quærunt: cùm eò tantùm declarare voluerit Sanctorum animas quandiu à corporibus ſeiunctæ ſunt, inter reconditos, ac inuiſibiles diuinæ claritatis ſinus fœliciter degere; quò nulla vitæ huius perturbatio pertingere queat, ac velut diuina caligine circunfuſas in diuinitatis abyſſum abſconditas commorari, vbi corporum reſurrectionem præſtolantur: quod olim de Sanctis regius vates aſſeruit Pſal. 30. cùm ait. *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum.* Hæc pro Irenæo obiter dicta ſint, ne aduerſarij eo ſibi immeritò applaudant, ac ſui erroris fautorem adhibeant.

Pſalm. 30.

Euſeb. Caſ.

CÆTERVM Euſeb. Cæſar. lib. 1. vitę Conſtant. cap. 1. id perſpicuè affirmat. *Quin etiam* (ait) *cùm aciem oculorum adiicio ad ipſum cœli complexum, omnia vndique ambientem, & eius beatiſsimum animum ibi cum ipſo Deo vita frui, cogitatione informo: & non modo omni caduco mortalíque integumento exutum: verùm etiam apparatu fulgoris radiis mirè ſplendeſcente collustratum: & neutiquam amplius exigui temporis anfractu ampliùs ad mortalium conſuetudinem volutatum: ſed corona quæ perpetuò florebit; vita quæ nullum exitum eſt habitura: beati aui denique immortalitate honorificè donatum mecum cõſidero, ſtupore oppreſſus penitus conticeſco.* Vides ex Euſebio Conſtantini animam beatiſſimam, vita æterna cum Deo fruentem, immarceſſibili gloriæ corona fulgentem, immortalitate denique donatam, in cœlo cum Deo regnare: an non hæc perfectam, ac integram omni ex parte animæ gloriam reddunt?

D. Athan.

D. Athanaſius in vita D. Antonij. *Cùm ſederet* (inquit) *in monte Antonius, & oculos ſubitò tetendiſſet ad cœlum, vidit neſcio quam animam lætantibus in eius occurſum Angelis ad cœlum pergere.* En Sanctorum animas, cœlum poſt diſceſſum à corpore contendentes.

D. Baſilius

D. Baſilius homil. 20. in 40. martyres, in hanc Eccleſiæ doctrinam conſpirat. *Vos* (inquit) *non terra contexit, ſed cœlum except. Apertæ ſunt vobis Paradiſi portæ, dignum profectò exercitibus Angelorum, Patriarchis, Prophetis, & iuſtis omnibus ſpectaculum.* Si ibi Sanctorum animæ ſunt, vbi Angeli verſantur: cùm Angeli Dei viſione perfruantur, ergo etiam animæ.

D. Gregor. Nazianz.

D. Gregorius Nazianzenus oratione 11. in laudem Gorgoniæ hoc ipſum apertè indicat. *Equidem* (ait) *non dubito, quin iis, quæ oculis cernuntur, multò præſtantiora ſint ea, quibus nunc frueris: nempe ſonus epulantium, Angelorum chorea, cœleſtis ordo, gloriæ contemplatio, ſupremæ Trinitatis purior, & perfectior illuminatio: non iam vinctam mentem, ac per ſenſus diffuſam ſuffugientis: ſed totam ſeſe toti menti contemplandam, & tenendam prabentis. Omninò inquam his frueris.* Non dubitat Gregorius: immò conſtantiſſima fide tenet beatiſſimam Trinitatis præſentiam Gorgoniæ, ac cæterorum Sanctorum mentibus in cœlum ſublatis, totam ſe intuendam ingerere: cur id aduerſarij non tam in diſcrimen adducunt, quàm apertiſſimè negant?

Greg. Nyſſ.

Veniat etiam alter Nyſſenus, qui in oratione funebri in magnum Meletium ita ſcribit. *Reliquit carnis tegumentum, non ampliùs ſigno, & vmbra cœleſtium ſeruit: ſed in ipſam rerum imaginem intuetur: non ampliùs per ſpeculum, atque per tranſennam, & ænigma: ſed ipſe facie cum facie collata intercedit apud Deum.* Vide Sanctorum animas ex Nyſſeno non per ſpeculum, aut ænigma (quod docet etiam Paulus) ſed facie ad faciem Deum videre.

D. Io. Chryſo.

ACCEDAT quoque D. Ioan. Chryſoſt. ſer. 3. in epiſt. ad Philipp. in morali digreſſione, qui idem cum prioribus ſentit. *Iuſti* (inquit) *ſiue hîc, ſiue ibi, cum Rege ſunt: atque ibi quidem multò magis, ac propiùs, non quaſi quodam interiecto veſtibulo, non per fidem, ſed facie* (inquit) *ad faciem.* Idem tradit in oratione in Babylam martyrem, & oratione de B. Philogonio.

DENIQVE vt multos Græcos Patres prætercam. D. Ioannes Damaſcenus Hiſt. Barlaam cap. 40. noſtram hanc Catholicam ſententiam luculentiſſimè docet, his verbis. *Cùm ad hunc modum* (ait) *vixiſſet, & vſque adeò dignam vocatione ſua operam ei, à quo vocatus fuerat, reddidiſſet, mundúmque ſibi ipſi, ac ſeipſum mundo cruxifixiſſet, ad Deum pacis in pace migrat: atque ad Dominum, cuius perpetua cupiditas eum tenuerat proficiſcitur: vultúque Domini purè, ac ſine vllius rei interpoſitu appa-* ret:

ret: eáque iam ipſi præparata gloriæ corona exornatur. Cernis ex Damaſceno nihil prorſus Sanctorum animas à clara Dei viſione diſiungere; ſed perfecta illas gloriæ corona in cœlo eſſe exornatas.

PORRO quod ad Latinos Patres attinet; cùm hi nunquam de hoc Catholico dogmate hæſitauerint, vniuerſi in illud conſpirant. Ex quibus paucorum duntaxat lubet teſtimonia decerpere. Primus eſt Cyprianus, qui tum lib. de mortalitate, tum de exhortatione Martyrij c. 12. docet iuſtorum animas poſt mortem ad Dei viſionem extolli. Ita enim ſcribit de exhortatione Martyr. eo capite. *Quanta eſt dignitas, & quanta ſecuritas, exire hinc lætum: exire inter preſſuras, & anguſtias glorioſum: claudere in momento oculos quibus homines videbantur, & mundus, & aperire eoſdem ſtatim, vt Deus videatur & Chriſtus? Tam fœliciter migrandi quanta velocitas? terris repentè ſubtraheris: vt in regnis cæleſtibus reponaris.*

Cyprian. de exhortatione Martyrij c. 12.

SECVNDVS eſt D. Hilarius, in Pſal. 64. vbi eandem doctrinam confirmat, his verbis. *Omnis perfectio bonorum in habitationis cæleſtis eſt requie: multas manſiones Dominus in cælis eſſe teſtatur: ſed Patrem orat, vt Apoſtoli, vbi & ipſe ſit, maneant; dicens: Pater quos mihi dediſti, volo, vt vbi ego ſum, ibi & illi ſint mecum.* Et paulò antè dixerat Sanctos in cœleſtibus tabernaculis commorari. Quòd ſi omnium bonorum ſumma in cœleſti habitatione concluditur, quæ Sanctis gloria deeſſe poterit, qui cœleſtem illam patriam incolunt?

D. Hilarius in Pſal. 64.

TERTIVS eſt D. Ambroſ. ad cap. 22. Luc. *Vnde* (inquit) *te euocem Petre, vt doceas me, quid flens cogitaris? vnde inquam te euocem? de cælo vbi iam inſertus es choro Angelorum? an etiam de tumulo?* Si Angelorum choris beatorum animæ inſeruntur; quidni hæ quoque cum Angelis, Dei viſione ac gloria fruantur? hoc apertiùs tradit epiſt. 59. de ſancto Acholio. *Eſt igitur Acholius* (inquit) *iam ſuperiorum incola, poſſeſſor ciuitatis æternæ, illius Hieruſalem quæ in cælo eſt. Videt illic vrbis eius menſuram immenſam, purum aurum, lapidem pretioſum, lumen ſine Sole perpetuum: & hæc omnia iamdudum quidem ſibi comperta, ſed nunc facie ad faciem manifeſta videt.* Meminiſſe decet Ioann. Apoc. c. 21. dixiſſe cœleſtem illam Hieruſalem non egere Sole; ſed à diuina claritate totam illuminari. Qui igitur diuinam hanc claritatem perſpicuè cernunt, quomodo ij Dei viſione vſque ad iudicium carere creduntur?

D. Ambroſ. ad c. 22. Luc.

Et ep. 59. de ſancto Acholio.

QVARTVS eſt D. Hieronymus qui in ep. 24. ad Marcellam de obitu Leæ, perfectam beatitudinē Sanctorum animabus deferre poſt obitum. *Nunc* (inquit) *pro breui labore, æterna beatitudine fruitur: excipitur Angelorum choris, Abrahæ ſinibus confouetur: Chri-*

D. Hieronymus in epiſt. 24. ad Marcell. de obitu Leæ.

A *ſtum ſequitur; & dicit. Quæcunque audiuimus, videmus in ciuitate Domini virtutum.* Cùm animæ iuſtorum æterna beatitudine fruantur, æterna verò beatitudo in viſione ac fruitione Dei conſiſtat, conſtat ſanè eas Dei aſpectu ac complexu frui, quamprimùm cœlum ingrediuntur. Præterea ſi quæcunque hîc audierunt, ibi vident; cùm hîc de Dei præſentia, gloria, ac maieſtate tam multa audierint, ea profectò omnia ibi perſpicuè cernunt.

QVINTVS eſt D. Auguſtinus qui multis in locis de beatorū gloria videtur obſcurè docuiſſe, non quidem, quòd vnquam aſ-
B ſerere dubitauerit; Sanctorum animas beatas eſſe, ac Dei viſione frui: quod paſſim fatetur: ſed quòd aliquando dubius fuerit, quo in loco illæ beatificarentur. Nam libro 12. Gen. cap. 34. Beatis tertium cœlum aſſignat, vbi Dei eſſentia fruuntur. *Tertium eſt cælum* (ait) *quod mente conſpicitur, ita ſecreta & remota, & omnino abrepta à ſenſibus carnis, atque mundata, vt ea quæ in illo cælo ſunt, & ipſam Dei ſubſtantiam, verbúmque Deum, per quod facta ſunt omnia, in charitate Spiritus ſancti, ineffabiliter valeat videre & audire.* Porrò lib. 9. confeſſ. ait animas beatorum eſſe in ſinu Abrahæ, ibíque
C diuina viſione ac fruitione potiri.

D. Auguſt. lib. 12. Gen. c. 34.

Lib. 9. confeſſ.

VERVM etſi obſcurum ſit, quid per tertium cœlum, ac ſinum Abrahæ intellexerit Auguſtinus: id tamen certum eſt Auguſtinum ſentire, Sanctorum animas è corporibus excedentes ad cœleſtem patriam, ac ſupernam ciuitatem mox ferri, vbi Deus cum Angelis habitat, quæ proculdubio eſt cœlum Empyreum. Nam in lib. de Spiritu & anima, ita ad eam Dei ciuitatem ſuſpirat. *O ciuitas ſancta, ciuitas ſpecioſa, de longinquo te ſaluto, ad te clamo, te requiro. Deſidero enim videre te & requieſcere in te, ſed non ſinor carne retentus. O ci-*
D *uitas deſiderabilis, muri tui lapis vnus, cuſtos tuus ipſe Deus, ciues tui ſemper læti, ſemper enim gratulantur in viſione Dei.* Vides Auguſtinum ſola carne retineri, quominùs in cœleſti illa Dei Ciuitate, Dei viſione gaudeat. Rurſus in lib. meditat. cap. 23. Piorum animas non ſinū Abrahæ, non tertium cœlum, ſed cœlum illud abſolutè petere, vbi Deus præſens cernitur, diſertè affirmat. *Fœlix* (inquit) *anima, quæ terreno reſoluto corpore libera cælum petit, ſecura eſt, & tranquilla: non timet hoſtem, neque mortem. Habet enim præſentem, cernítque indeſinenter pulcherrimū Dominum, cui ſeruiuit, quem*
E *dilexit; ad quem tandem læta, & glorioſa peruenit. Hanc tantæ beatitudinis gloriam nulla dies minuet.* Demum cùm in lib. de Spiritu, & anima in eodem cœlo Angelorum, & hominum beatitudinem collocat; ſanè conſtat illum in empyreo, nō in tertio cœlo, aut in ſinu Abrahæ beatorum animas conſtituere. Ibi enim ait: *Præterea in illa perfecta charitate innumerabilium beatorum Angelorum & hominum; vbi*

Lib. de Spiritu & anim.

Lib. Medit. c. 23.

nullus

Digitized by Google

nullus minus diliget alium, quàm ſeipſum, erit gaudium inenarrabile.

SED ne aliorum Patrum teſtimoniis paginam videamur implere, præſertim cùm ea copioſa ſint: ſatis fuerit eorum loca indicare, ex quibus communis hæc Catholicorum ſententia colligi valeat. Quapropter videatur Paulin. Nolanus in martyrio ſancti Geneſij & in natali 3. ſancti Fœlicis. Sulpitius Seuerus epiſt. ad Arcadium & Honor. Imp. & epiſt. ad Braſſulam. Maximus Taurinenſis in natali Taurinorum Mart. & hom. 2. de ſancto Laurent. Petrus Chryſol. ſerm. 66. & 133. de Petro & Andrea. Leo primus ſerm. B 1. de Aſcenſ. Domini cap. 4. Gregor. Turonenſ. de vita Patrum cap. 10. Gregor. Mag. in Iob. lib. 13. cap. 15. & lib. 4. Dialog. cap. 25. Iſidorus lib. 1. de ſummo bon. cap. 16. Iulianus Pomer. apud Iulianum Tolet. lib. 2. Prognoſt. cap. 1. Beda Hiſtor. Anglic. lib. 3. cap. 8. Alcuinus vitæ S. Willebrordi cap. 23. & de off. Eccleſiaſt. cap. 18. Ambroſ. Anſbertus lib. 4. in Apoc. Haimo in cap. 12. poſt. ad Corinth. Anſelmus in cap. 5. poſt. ad Corinth. & in cap. 1. ad Philip. & cap. 12. epiſt. ad Hebr. Hugo Victor. de clauſtro anim. c. 41. D. Bernard. ſerm. 5. in vig. Natiu. Domini & in ſerm. C S. Martini. Cæteros non ita celebris nominis omitto, quibus etiam omnes Scholaſtici Doctores conſentiunt. Alexand. Alenſ. p. 4. q. 15. memb. 4. art. 4. §. 4. D. Thom. hom. de partibus pœnit. q. 69. art. 2. D. Bonau. in 10. dicta cap. 6. & in lib. 4 ſent. diſt. 21. quæſt. 1. Thom. Argent. lib. 4 diſt. 49. q. 4. Gerſon. in ſumma lib. 5. de pœnis inferni. Biel lect. 67. in Canon. Miſſæ, & alij.

Paulin. Nolan. Sulpit. Seu. Max. Taur. Pet. Chryſol. Leo primus. Greg. Turon. Greg. Mag. Iſidorus. Iulian. Pom. Beda. Alcuin. Ambr. Anſb. Haimo. Anſelmus. Hugo Vict. Bernardus. Alex. Alenſ. D. Thom. D. Bonau. Thom. Arg. Gerſon. Biel.

HVIC etiam Catholicæ ſententiæ ſuffragatur conſenſus ac definitio totius Eccleſiæ expreſſa à Benedicto XI. in Extrauagantibus, his verbis: *Auctoritate Apoſtolica defi-* D *nimus, quòd ſecundum communem Dei ordinationem, animæ Sanctorum omnium, qui de hoc mundo ante Paſſionem Domini deceſſerunt: nec non Sanctorum Apoſtolorum, martyrum, confeſſorum, virginum, & aliorum fidelium defunctorum, poſt ſacramentum Baptiſmi ab iis ſuſceptum, in quibus nihil purgabile fuit, quando diſceſſerunt: poſt Aſcenſionem Domini in cælum fuerunt, & ſunt, & erunt in cælo, cælorum Regno, Paradiſo cæleſti cum Chriſto, ſanctorum Angelorum conſortio aggregatæ; & poſt Chriſti Paſſionē viderunt, & videbunt eſſentiam,* &c. Hic Benedictus proximè Ioanni 22. ſucceſſit, qui (vt diximus) cùm oppoſitam ſententiam aliquando E defendiſſet; illam ante obitum retractauit: quapropter ne vlteriùs hic error per hominum mentes ſerperet, illum Eccleſiaſtica definitione ac decreto omnino ſuſtulit.

Bened. XI. Extrauag.

ATQVE hanc Catholicam ſententiam prius etiam Synodus Francofurdienſis etſi decreto non ſanxerat, tamen tenendam inſinuauerat epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ. Hanc demum Concilium Florentinum confirmat cùm animas purgatas ſtatim in cœlum recipi affirmat tom. 3. conc. pag. 476. col. 2. in literis vnionis. *Definimus* (inquit) *illorum animas, qui poſt Baptiſma ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt: illas etiam quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel iiſdem exutæ corporibus ſunt purgatæ; in cælum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum, trinum, & vnum: ſicuti eſt; pro meritorum tamen diuerſitate, alium alio perfectiùs.*

Conc. Francofur. Concil. Florent.

SVPEREST vt hoc ipſum rationibus demonſtremus. Prima ratio eſt: anima exuta corpore, quæ non habet impedimentum propriæ perſonæ, nec totius naturæ, ſtatim euolare debet ad gloriam, cùm ea digna ſit, & ob eam à Deo ſit condita. Sed talis eſt anima omnis, quæ in gratia hinc decedit: igitur talis omnis anima ſtatim ad gloriam euolare debet.

MAIOR per ſe nota eſt, nam ſublato eo, quod animæ gloriam impedire poteſt, cùm ad eam anima naturaliter tendat: ſtatim illa ad gloriam fertur. Sicut remoto impedimento leue ſurſum, graue deorſum rapitur. Gloriæ verò impedimentum, vel à propria perſona, vel à tota natura oriri poteſt, propriæ quidem perſonæ impedimentum eſt culpa; aut mortalis, aut venialis. Si mortalis, totam gloriam tollit. Hinc Eſaias cap. 26. *In terra Sanctorum iniqua geſſit, non videbit gloriam Domini.* Si venialis, gloriam tantùm vſque ad perfectam ſui purgationem differt. Alterum verò gloriæ impedimentū eſt, quod à tota natura proficiſcitur, quæ ob illius corruptionem, à gloria excluditur: de quo Paul. ad Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ità in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.*

Eſa. 26. Ad Rom. 5.

MINOR probatur: nam hæc impedimenta poſt Chriſti mortem ab iis ſublata ſunt, qui hinc in charitate migrant. Culpæ enim mortalis impedimentum per gratiam in ſacramento collatam tollitur; venialis quoque vel per ſacramentum, vel per contritionem abſtergitur, vtriuſque verò reatus, vel hîc, vel in purgatorio, temporaria pœna expurgatur. Totius verò naturæ macula, qua à gloria excludebatur Chriſti morte deleta fuit. Cùm igitur nullum ſuperſit gloriæ impedimentum, quod animam remorari queat, conſtat eam ſtatim ad gloriam euolare.

SECVNDA ratio. Poſt purgationem culpæ, vel in hac vita, vel poſt mortem peractam, nulla in anima cum Deo diſſimilitudo remanet: ea igitur ſtatim Deum amplecti debet, ac illi in gloria vniri. Aſſumptum

patet: nam diſſimilitudo omnis, vel à culpa, vel à culpæ reatu in anima oritur; vt teſtatur *Iſaias 59.* Iſaias 59. *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum.* Sola itaque iniquitas, aut quod iniquitatem comitatur, à Deo diuidit, ac diſſimilem efficit.

CONSEQVENTIA etiam nota eſt. Nam omni diſſimilitudine pulſa, quæ animæ intimam, ac glorioſam cum Deo vnionem impedit; nulla ratio eſt, cur ea à Dei complexu, ac beata fruitione expelli debeat.

TERTIA ratio. Chriſti morte, & Aſcenſione cœlum hominibus reſeratum fuit, ac via ad Dei gloriam conſequendam omnibus aperta. Id paſſim Euangelicæ literæ teſtantur. *Matth. 4. 11. & 19.* Matth. 4. *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum*; & cap. 11. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud:* & cap. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*; ac præterea Paul. ad Rom. 5. *Rom. 5.* *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ accipientes in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum.* Igitur quicunque fide, ac operibus Chriſtum promeriti puri hinc exeunt, cœlum ingrediuntur: ac cœleſtia præmia aſſequuntur.

QVARTA ratio. Sicut ignis per ſe ad ſuam ſphæram tendit, ac nullo prohibente ad eam ſtatim rapitur. Ita animus Dei charitate flagrans ad Deum motu irrequieto iugiter tendit: & niſi vel carne, vel culpa detineatur, quàm citiſſimè ad Deum pergit. Sed animæ iuſtorum corpore exutæ, neque à carne præpediri, neque à culpa detineri poſſunt, cùm puræ ſint, ac Dei feruentiſſima charitate flagrent: igitur illas excedentes nihil remorari poteſt, quominùs ſtatim ad Deum pergant.

QVINTA. Animæ puræ hinc exeuntes, quibus nulla ſupereſt macula expianda, vel quæ poſt purgationem à purgatoriis pœnis liberantur, non debent eſſe in Purgatorio: id notum eſt; neque in limbo Patrum, cùm is iam ſublatus ſit, & à Chriſto expoliatus: neque in limbo puerorum, cùm ij ex puerorum numero non ſint, qui Chriſti Baptiſmum ſuſceperunt: neque in inferno, cùm nullam mortalem culpam ſecum deferant: igitur ex ſufficienti locorum enumeratione in cœlo eſſe debent: cùm nullus ampliùs animabus poſt mortem recipiendis locus à Deo conſtitutus ſit: ſed cùm cœlum beatarum mentium locus ſit, in quo Deus clara ſui viſione, ac fruitione puras animas reficit, vt ex *Apoc. 7.* 7. Apoc. demonſtrauimus, ſanctorum animæ quæ cœlum poſt mortem conſcendunt, perfectam ex Dei viſione, ac fruitione beatitudinem aſſequuntur.

SEXTA. Per Ieſu Chriſti ſanguinem Dei ira erga homines ſedata fuit, ac omnis ini-A micitia penitus ſublata, qua cœlorum ingreſſus ac ſupernæ fœlicitatis aditus cunctis interclusus erat; vt teſtatur Paulus ad Epheſ. 2. *Ad Epheſ. 2.* *Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluens, inimicitias in carne ſua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in ſemetipſo, in vnum nouum hominem, faciens pacem; & reconciliet ambos in vno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in ſemetipſo.* Et Coloſ. 1. *Ad Coloſ. 1.* *Pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terra, ſiue quæ in cœlis ſunt.* At ſolutis inimicitiis cùm nihil homines ab aſſequenda gloria im-B pedire valeat: conſtat Sanctorum animas Deo cōciliatas ſimol ac corpore ſolutæ ſunt, amico Deo perfectæ dilectionis vinculo in cœlo copulari, ac promiſſa beatitudine frui.

SEPTIMA. Si Sanctorum animæ poſt Chriſti mortem, qua omnis damnatio ſoluta eſt; ſtatim ad cœleſtem gloriam euolare non poſſent, maxima ſanè iniuria Chriſti paſſionibus irrogaretur, quaſi illæ ad delenda hominum peccata, ac humanum genus perfectè redimendum, ſatis eſſe non potuerint. Quæro enim an Chriſtus illud gloriæ impedimentum ſua ſatisfactione auferre potuerit, C necne? ſi id auferre non potuit. Igitur non ſatis fuit Chriſti paſſio ad homines perfectè redimendos: ſi illud auferre valuit, nec abſtulit: planè haud copioſa eius redemptio dici poteſt, cùm perfecta ac copioſa redemptio ea omnia auferre debeat, quæ ob primi hominis culpam à gloria homines impediunt. Cùm vero copioſa ac ſuperfluens Chriſti redemptio fuerit, ex abundantiſſimo illius merito profecta: planè conſtat nihil poſt illius ſatisfactionem reſiduum eſſe poſſe, quod à cœleſtis beatitudinis ingreſſu Sanctorum animas retardare queat; quod apertè Paulus do-D cet ad Epheſ. 2. vbi ita ſcribit: *Ad Epheſ. 2.* *Deus autem qui diues eſt in miſericordia, propter nimiā charitatem ſuam, qua dilexit nos: & cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto (cuius gratia eſtis ſaluati) & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu; vt oſtenderet in ſæculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu.*

OCTAVA. Iudicium particulare in vniuſcuiuſque obitu à Deo fieri tum ex communi omnium Theologorum conſenſu, tum ex ipſa Scriptura omnibus receptiſſimum E eſt, quæ Luc. 16. *Luc. 16.* Lazarum ſtatim poſt mortem ab Angelis in ſinum Abrahæ delatum, diuitem verò in inferno ſepultum eſſe teſtatur: quod ſanè abſque particulari Dei iudicio fieri non potuit, cùm ad eum ſpectet loca, ac præmia, aut ſupplicia in iudicio cuique decernere. At exploratum eſt in particulari iudicio eſſentialia cuiuſque merita diſcuti, ac ſubſtantialia præmia tribui, quæ

Dei

Digitized by Google

Dei viſionem ac fruitionem comprehendunt: aliàs enim fruſtrà particulare iudicium fieret; cùm ad id vniuerſale ſufficeret. Sanctorum igitur animæ ſtatim poſt particulare iudicium Deum vident, ac illius gloria fruuntur.

Nona & poſtrema. Si Sanctorum animæ à Dei viſione vſque ad extremum iudicij diem arcerentur; illæ interim in fide adhuc viuerent, ac Deum per ſpeculum tantùm in ænigmate contemplarentur. Quæro igitur quo in loco illæ interim degant: ac Deum fide apprehendant, cùm nec in inferno eſſe poſſint, nec in Purgatorio, nec in Limbo puerorum (vt ſuprà probatum fuit) quæ tria adhuc animabus apud inferos receptacula ſuperſunt? Poſtremum reſtat receptaculum in cœlo, in quo animas Sanctorum recipi opus eſt. At qui in cœlo ſunt, non fide, ſed viſione Deum comprehendunt; nec per ſpeculum in ænigmate, ſed facie ad faciem Deum intuentur. Animæ igitur Sanctorum cùm in cœlo exiſtant, nec fide viuunt, neque vſque ad extremum iudicium gloriam expectant: ſed vix cœlum ingreſſæ, Dei viſione, ac perfecta beatitudine fruuntur.

Corporum reſurrectio demonſtratur primò ex Philoſophis contra Atheiſtas.

Articvlvs XII.

Iam conſequenter de corporum reſurrectione, tam contra Atheiſtas, quàm Hæreticos agendum eſt. Atheiſtæ namque cùm animas vnà cum corporibus interire exiſtiment, fruſtrà corporum reſurrectionem expectari volunt; quibus nulla anima, qua viuant, ſuperſtes ſit: ex Hæreticis verò, qui vel animæ immortalitatem cum Atheiſtis ſuſtulerunt, vel animas tanquam particulas à Dei ſubſtantia abſciſſas ad eam reuolare ſenſerunt, corporum reſurrectionem negarunt.

Saducæi. Samaritani.

Inter hos primi enumerari poſſunt Saducæi, & Samaritani, qui Chriſti tempeſtate reſurrectionem negabant: vt perſpicuum eſt. Matth. 22. Actorum 23. & refert Epiphan. hæreſ. 6. & 13. quos poſtea imitati ſunt Hymeneus & Philetus teſte Paulo 2. Timot. 2. qui à veritate exciderunt dicentes reſurrectionem iam eſſe factam. Eandem hæreſim amplexus eſt Simon Magus referente Epiphan. hæreſ. 21.

Hymeneus. Philetus.

Simon Magus.

Carpocratiani. Valentini.

Poſt hos huic errori patrocinati ſunt Carpocratiani & Valentiniani, vt teſtatur Irenæus lib. 1. cap. 24. & cap. 1. à quibus nec Plinius diſſentit lib. 7. cap. 55. nat. hiſt. vbi habet hæc verba. *Similis de aſſeruandis corporibus, ac reuiuiſcendis promiſſa à Democrito vanitas, qui & ipſe non reuixit. Quæ eſt iſta dementia, iterari vitam, mortémque?* Item Apellitæ, qui, vt refert Tertullian. de præſcript. adu. Hæreſ. apertè reſurrectionem tollebant. Marcion inter alios hunc quoque errorem docuit, vt ſalutem ſolam animarum, non corporum futuram eſſe diceret. Cæcilius verò Catholicos irridebat, quòd ſeſe poſt mortem renaſci, & fauillas, & cineres aſſerant: & cœlo, & aſtris interitum denuncient. De illo agunt Irenæus lib. 1. cap. 29. & Epiphan. hæreſ. 42. De hoc Minutius in Octauio. Manichæi teſte Epiphan. Auguſtino, Theodoreto, & Niceta de Manichæis corporum reſurrectionem ita reiiciebant, vt fabulam eſſe dicerent. Idipſum & noui Manichæi ſibi perſuadent, vt teſtis eſt Nicolaus Eymericus p. 2. q. 13. Quibus & Albigenſes conſenſerunt, vt refert Cæſarius Heiſterbachius lib. 5. cap. 21. Et D. Antoninus p. 4. ſumm. tit. 11. cap. 7. §. 5. Eutychius Conſtantinopolitanus Patriarcha reſurrectionem quidem corporum, qualis futura eſt aliquando negauit, ſed ante mortem hæreſim retractauit his verbis. Confiteor quia in hac carne reſurgemus, vt teſtantur Gregor. Mag. lib. 14. in Iob c. 29. Beda lib. 6. in Lucam c. 24. Regino, & Sigebertus, in Chronicis anni 580.

Plinius.

Apellitæ.

Marcion.

Cæcilius.

Manichæi.

Noui Manichæi.

Albigenſes.

Eutychius.

Dauid Georgius.

Anabaptiſtæ.

Hac noſtra tempeſtate hanc hæreſim iam extinctam ſuſcitauit Dauid Georgius, vt refert Cochlæus de actis & ſcriptis Lutheri de anno 1545. A quo non multum abſunt Anabaptiſtæ, qui corporum reſurrectionem nec apertè fatentur; nec dilucidè negant, teſte Protocollo Franchotallenſi articul. 28.

Peripatetici.

Stoici.

Epicurei.

Actor. 17.

Hvnc errorem vera ſemper Religio deteſtata eſt; quæ licèt huius articuli explicationem difficilem, humano præſertim iudicio eſſe agnouerit, fidem tamen velut totius Chriſtianæ Religionis baſim ſummo ſemper ſtudio proſequuta eſt. Et quidem ſi de mundi huius ſapientia agitur, vniuerſa penè hoc noſtræ Religionis fundamentum conuellere enixa eſt, nam inter Philoſophos Peripatetici cùm hanc veræ Religionis doctrinam ſuis placitis aduerſari animaduerterent; ac cum ſua fati neceſſitate, cum fortuna caſúque pugnare viderent, eam communibus calculis damnarunt. Stoici verò, & Epicurei cùm nulla ratione probare poſſent, à priuatione ad habitum aliquando regreſſum fieri: ne nomen quidem ferebant, vt teſtis eſt Lucas Actorum 17. vbi Paulus cum Areopagitis Philoſophis de mortuorum reſurectione agens, ab iis σπερμολόγος, id eſt, ſeminiuerbius, ac nouorum dæmoniorum euulgator appellatur.

VERVM enimuerò Deus Opt. Max. (quæ ſumma illius ſapientia ac prouidentia eſt) haud paſſus eſt, cœleſtem hanc veræ Religionis doctrinam, apud ipſos quoque nobiliores Philoſophos ſine teſtimonio eſſe, vt eo ſaltem Atheiſtæ inſtrui poſſent. Nam tota Ægyptiorum ſapientia, cuius interpres fuit Mercurius ille Trimegiſtus, in eam conſpirauit: cuius rei teſtis eſt idem Mercurius in Pimand. cap. 1. vbi corporum reſurrectionem futuram apertè docer, his verbis. *Vlterius autem reſponde; quid poſt Aſcenſionem futurum ſit. Primùm quidem (Pimander ait) in corporis materialis reſolutione, corpus in alterationem labitur, ſpecies quam antè habuerat, inſenſibilis delitescit in poſterum: motum otioſus habitus dæmoni conceditur, atque dimittitur: ſenſus corporei partes animæ facti ſuos in fontes refluunt, aliquando in ſuos actus iterum ſurrecturi.* En apertam corporum reſurrectionem à Trimegiſto totius Ægyptiæ ſapientiæ ore teſtatam. Quid enim eſt corporeos ſenſus, poſtquam cum corpore dilapſi ſunt; iterum in ſuos actus aliquando ſurrecturos eſſe; præterquàm corporum reſurrectionem aliquando futuram eſſe; qua fiet, vt corpora denuò animabus copulata ad ſenſuum officia iam extincta redeant; videant, ſentiant, guſtent, olfaciant, audiant, ac cætera munera exerceant, quæ ante illorum diſſolutionem ſubibant? Vides ex eodem Trimegiſto corporis in alterationem lapſi ſpeciem antè habitam, non omnino nunquam reparandam exterminari; ſed inſenſibilem tantùm deliteſcere in poſterum inſtaurandam. Neque enim fauillæ ac cineres, in quos humana corpora conuerſa ſunt, omni virtute deſtitutos docet, ac cæteris comparandos, cùm in iis vis quædam, ac potentia lateat, ac veluti ſemen deliteſcat; quo corpora iterum Dei virtute reparari poſſunt. En præclaram Ægyptiæ Philoſophiæ ſapientiam, à qua nec ipſe Pythagoras diſſentit teſte D. Auguſtino de Ciuit. Dei lib. 12. c. 13. & lib. 22. c. 25. qui eum inter alios Philoſophos recenſet, qui corporum futuram reſurrectionem ſuboifecerunt: quò fit, vt omnis Pythagoreorum ſecta; quæ maximè olim inter alias celebrata fuit, Chriſtianæ huic doctrinæ ſubſcribat. Democritus etiam non exigui nominis Philoſophus teſte Plinio lib. 7. nat. hiſt. cap. 55. inter cæteros ſuæ tempeſtatis Philoſophos dogma iſtud velut Pythagoricum coluit, ac palàm profeſſus eſt.

Mercur. Trimeg. in Pimand. c. 1.

Pythagoras. D. Aug. lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 13. & 22. c. 25.

Democrit.

AT illud diſertè tradit Plato in Phædro, & de Repub. Dialog. 10. vbi animam ſimul cum corpore iudicandam docet; quod ſanè fieri non poſſet, niſi corpus rurſus animæ copulandum reſurgeret: vt hinc rectè de Platonis ſententia Iuſtinus colligit oratione ad Gentiles; vbi id illum ſentire tradit his verbis. *Hìc Plato mihi videtur non tantùm de iudicio à Prophetis, verùm etiam de reſurrectione, quam Græci non credunt, accepiſſe doctrinam: cùm enim animam ſimul cum corpore iudicari dicit, nihil ille aliud ſignificat, quàm fidem ſe adhibere ei, quæ de reſurrectione eſt, inſtitutioni. Quomodo namque Aridæus, & reliqui, ſi corpus, & manus, & caput, & pedes, & pellem habentes in terris reliquiſſent; tantùm apud inferos ſuſtinerent ſupplicium? haudquaquam certè animas caput, manus, pedes, & pellem habere dicent. Sed enim Plato in Aegypto poſtquam in Prophetarum incidit teſtimonia, doctrina quoque de reſurrectione corporis ſuſcepta, cum corpore ſimul animam iudicari docet.*

Plato de Repub. Dialog. 10. & in Phædro.

CÆTERVM hanc cùm à Pythagoreis, tum ab Ægyptiis, ac ipſis tandem diuinis literis hauſtam ſententiam idem Plato in Phædone proſequitur, cùm ait: *Eſt certè, ô Cebes, maxime omnium, ita vt mihi videtur, ex mortuis reuiuiſcentes homines fiunt, mortuorum ſuperſunt animæ: atque bonis melius eſt, malis verò peius.* Quare haud dubinm eſt Platonem de corporum futura reſurrectione egregiè nobiſcum ſentire; quem etiam Platonici ſequnntur.

Plat. in Phædone.

PORRO Auicenna tametſi corporum reſurrectionem naturaliter fieri non poſſe exiſtimauerit; ei tamen qui eam virtute diuina fieri debere contenderet, credendum eſſe docet, vt teſtis eſt Marſ. Ficinus Platonicæ Theolog. lib. 18. c. 9.

Auicenna.

POSTREMO hanc futuram corporum reſurrectionem confirmant Sibyllini verſus quos Clemens Rom. citat lib. 1. conſtit. Apoſtolicarum c. 8. atque hi ſunt.

Sibylla.

Clem. Rom. lib. 1. conſtit. Apoſt. cap. 8.

Atque vbi cuncta cinis fuerint, tenuíſque fauilla,
Atque idem Deus extinguet, quem incenderat ignem:
Oſſaque reſtituet rurſum, cineréſque ſepultos,
Et genus omne hominum, vt fuerat, Deus ipſe reponet.
Tunc graue iudicium veniet, quo iudicet orbem:
Ipſe iterum Deus, hóſque iterum iam terra recondet,
Qui malè vitam agere fuerint vbicunque reperti:
Sed quoſcunque pios viuos ſuſceperit orbis,
Inſpirante Deo flatum, gratúmque fauorem
Mittente inter eos, traducent ſuauiter æuum,
Mutuáque inter ſe cumulabunt gaudia læti.

Ex quibus ſanè conſtat corporum reſurrectionem inſignioribus olim Philoſophis non tam incredibilem viſam fuiſſe, quàm omnium ſuffragiis approbatam.

Eadem

Eadem demonſtratur ſecundò ex Scripturis contra Hæreticos.

ARTICVLVS XIII.

POST Philoſophorum teſtimonia, quæ ad Atheiſtas conuincendos adduximus; vt iis corporum Reſurrectionem naturæ ipſius quodammodo voce acclamatam agnoſcant: ad Scripturarum oraeula conuertimur, vt Hæreticos ac iuniores Iudæos, qui apertæ veritati audent obſtrepere, diuinis teſtimoniis ad veræ Religionis gremium reuocemus.

Exod. 3. PRIMVM teſtimonium eſt Exod. 3. *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob.* Quo teſtimonio Saluator ipſe vſus eſt Matt.
Matth. 22. 22. vt mortuorum Reſurrectionem probaret. *De Reſurrectione autem mortuorum* (ait) *non legiſtis, quod dictum eſt à Deo dicente vobis, Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob: non eſt Deus mortuorum, ſed viuorum.* D. Hieronymus in hunc locum, putat Chriſtum hoc teſtimonio non corporum Reſurrectionem, ſed animarum immortalitatem C tantùm Saducæis oſtendere; cõſequenter verò corporum Reſurrectionem demonſtrare, quæ cũ animabus digna præmia aut ſupplicia referre debẽt. Sed cùm Chriſtus hoc loco de Reſurrectione mortuorum, non de animarum immortalitate diſſerat, atque ad mortuorum Reſurrectionem probandam teſtimonium à Scripturis petat, vt ex ipſo textu manifeſtum eſt: vbi dicitur. *De Reſurrectione autem mortuorum non legiſtis, quod dictum eſt à Deo dicente vobis. Ego ſum Deus,* &c. locum hunc ad corporum Reſurrectionem potiùs, quàm ad animarum immortalitatem D pertinere exiſtimauerim. Nam licèt etiam nunc ante Reſurrectionem Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob dici poſſit; quamuis ij nunquam reſurrecturi eſſent: nec tamen mortuorum, ſed viuorum Deus cenſendus eſſet; quandoquidem ij ſecundùm animas in cœlo viuunt: vnde videtur colligi poſſe, hoc teſtimonium ad probandam corporum Reſurrectionem haud ſatis eſſe accommodatum. Attamen ſi proprius huius teſtimonij ſenſus expendatur; ſanè perſpicuum erit, illud integram horum virorum naturam, quales, ſcilicèt ab hominibus viſi E ſunt, ac Deo ſeruierunt, declarare: quapropter totus hic locus in futuro exponendus eſt, vt ſit ſenſus. Non eſſe Deum mortuorum qui cùm ſemel mortui ſint nunquam deinceps debeant reſurgere; ſed viuorum, qui ſcilicet è puluere excitatis corporibus rurſus ad corporum vitam ſint reuocandi. Neque hæc noſtra eſt tantùm ſententia: ſed

A D. Io. Chryſoſtomi hom. 71. in Matth. qui ita locum hunc exponit. *Sed qualiter* (inquit) *alibi ait, vt viuorum, & mortuorum dominetur: ſed hoc non eſt ſimile ei, quod hîc dicitur: mortuorum enim ibi dicitur eſſe Dominus, eorum ſcilicet, qui victuri ſunt: non autem eorum qui ſemel diſparuerunt, & vltrà non reſurgent.* D. Io. Chryſoſt. hom. 71. in Matth.

SECVNDVM teſtimonium eſt apud Iob. Iob. 19.
cap. 19. *Scio enim* (inquit) *quòd Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum; & rurſum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum; quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. Repoſita eſt hæc ſpes* B *mea in ſinu meo.* Pleraque fidei myſteria in hoc teſtimonio ad reſurrectionem pertinentia aperit Iob. Primùm ita certam eſſe corporum reſurrectionem, vt illius fides ſcientiæ comparari poſſit: quapropter ad declarandum immobile huius articuli robur ac certitudinem, Scio (inquit) id eſt, tam forma ac immobili fide amplector Redemptorem meũ viuere, ac in nouiſſimo die de terra me ſurrecturum eſſe, & cætera quæ ſubiungit: quàm ſi illud iam oculis meis conſpexiſſem, vnde certiſſima ſcientia oriri ſolet.

C SECVNDVM vnigeniti filij Dei Incarnationem, Paſſionem, Redemptionem, ac præſertim aduentum ad iudicium, quæ noſtræ reſurrectionis cauſa ſunt, fatetur, cùm ait: *Scio quòd Redemptor meus viuit.* Redemptoris enim nomine prophetico planè ſpiritu Chriſtum ipſum Dei Filium intelligit, quem aliquando carne induendum ac paſſurum præuidet, vt Redemptionis opus perficeret, ac per id Redemptoris nomen mereretur. Porrò quòd viuentem affirmat, id ad iudicium referri debet, in quo non mortuus,
ſed viuus apparebit. Vnde Paulus ad Hebr. Hebr. 10.
D 10. *Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.* Hunc verò aduentum Chriſti ad iudicium velut proximam reſurrectionis omnium cauſam præmittit, vt doceat corporum reſurrectionem eò tendere, vt homines ſimul cum anima Dei iudicio aſſiſtant; ac præmia, vel ſupplicia à Chriſto iudice referant.

TERTIVM cùm ait: *Et in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum.* Primò Philoſophorum errorem carpit, qui mundi æternitatem aſſerebant, nulli vnquam interitui obnoxiam: nam ſi nouiſſima mundo imminet E dies: poſt eam mundus profectò ſaltem quoad præſentem figuram, ac rerum generationem non ſtabit. Tum eorum ſtultitiam redarguit, qui ex leuibus cineribus, ac fauillis denuò hominum corpora, eadem numero excitari impoſſibile exiſtimabant: denique Ioannis Ieroſolymitani, & aliorum errorem ſuggillat, qui reſurrectionem quotidie in generatione filiorũ fieri aſſeuerabant;

Digitized by Google

cùm vnam tantùm omnium reſurrectionem in fine mundi præſtandam docet.

QVARTVM Eutychianos, ac nouos Manichæos perſtringit, qui corpora alia lucida, ac ſubtiliſſima, qualia nunquam habuerunt, reſurgentibus tribuunt: cùm ſe rurſus pelle ſua circundandum affirmat; vt optimè D. Hieronym. in hunc locum notat ep. 61. ad Pammachium cap. 10. *Rurſum* (ait) *circundabor pelle mea. Vbi hic corpus æthereum? vbi äereum, & ſpiritui & auræ ſimile? Certè vbi pellis, & caro; vbi oſſa, & nerui, & ſanguis & venæ; ibi carnis ſtructura, ibi ſexus proprietas.*

QVINTVM cùm addit. *Et in carne mea* B *videbo Deum Saluatorem meum.* Omnes in eadem carne reſurgere docet, qua interierunt: vt Manichæorum primùm errorem accuſaret, qui animarum duntaxat, non corporum reſurrectionem futuram expectabant. Deinde Origeniſtarum, qui corpora non eadem numero, ſed ſpecie tantùm reſurrectura dicebant. Ita locum hunc explicat D. Hieronym. loco ſupracitato. *Et in carne* (inquit) *mea videbo Deum. Quando omnis caro videbit ſalutare Dei, id eſt, Ieſum Deum: tunc & ego videbo Redemptorem, & Saluatorem, &* C *Deum meum: videbo autem in iſta carne, quæ me nunc cruciat, quæ nunc præ dolore diſtillat.*

POSTREMO addit. *Quem viſurus ſum ego ipſe, & non alius.* Vt Origeniſtarum ac Armeniorum impietatem confundat, qui omnes in ſexu virili reſurrecturos aſſerebant; nec vllam in cœlo futuram eſſe ſexus varietatem. Nam vt D. Hieronymus ait loco citato. *Is ſi non in ſexu ſuo reſurrecturus eſt; ſi non eiſdem membris, quæ iacuêre in ſtercore; ſi non eoſdem oculos aperiat ad videndum Deum, quibus tunc videbat vermiculos; vbi erit ergo Iob?* D

Ex his infert Iob futuram ſe hanc corporum reſurrectionem in intimo, & arcano cordis ſui ſinu, velut pretioſiſſimum ac chariſſimum theſaurum reconditam geſtare. *Repoſita* (inquit) *eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.*

Eſa. 26. TERTIVM teſtimonium extat Eſa. 26. *Viuent mortui tui; interfecti mei reſurgent; expergiſcimini, & laudate, qui habitatis in puluere: quia ros lucis ros tuus.* Hoc teſtimonio ad reſurrectionem mortuorum demonſtrandam *Tertull.* vtuntur Tertullianus lib. de reſurrectione E *Auguſt.* carnis. D. Auguſt. de Ciu. Dei lib. 20. cap. 21. *Theodoret.* & Theodoretus. Hic verò notandùm eſt geminam eſſe huius loci lectionem. Primam D. Hieronymi quam explicauimus, alteram *Septuag.* Septuaginta interpretum, quam ſequitur D. *Auguſt.* Auguſt. quæ ſic habet. *Surgent mortui, & reſurgent qui in monumentis, & lætabuntur qui in terra, nam ros qui abs te, ſanitas ipſis eſt. Terra impiorum cadet.* Mirum eſt, quàm præclarè vtraque lectio mortuorum reſurrectionem doceat. Cùm enim ſurrecturos, ac victuros

A mortuos; atque eos qui in puluere, ac ſepulchris dormiunt, à morte euigilaturos vates affirmet: cui dubium eſſe poteſt, quin hæc de corporum reſurrectione intelligantur: neque enim animæ aut mortuæ ſunt, aut in ſepulchris dormiunt; quaſi illæ à mortuis excitandæ ſint: ſed ſola corpora in monumentis iacent, rurſus ante extremum iudicij diem ſuſcitanda.

CÆTERVM D. Auguſt. loco citato duplicem hîc bonorũ & malorum reſurrectionem indicari vult, quã diſtinctis verbis vates proſequitur. *Totum enim illud ſuperius* (ait) *ad reſurrectionem pertinet beatorum. Quod autem ait. Terra verò impiorum cadet, bene intelligitur dictum. Corpora impiorum ruina damnationis excipiet.*

PAGNINVS, Arias Montanus, & quicunque verſionis interlinearis auctores ſunt, loco illius (interfecti mei) legunt, cadauer vel corpus meum, quod ipſa Hebræa dictio נבלתי, quæ in ſingulari ponitur, ac proculdubio cadauer, vel corpus exangue ſignificat, non obſcurè confirmat, cùm verò hæc vox collectiuè accipiatur, inde non malè D. Hieronymus vertit (interfecti mei) at ſi hîc myſterium expendere volumus; cùm fidelium corpora collectiuè corpus Chriſti paſſim à Paulo vocitentur; inde bonos velut Chriſti corpus ad vitam ſurrecturos eſſe indicat; vt ſenſus ſit. Surgent mortui tui, quicunque, ſcilicet, vel extra fidem vel extra charitatem mortui ſunt, qui verè mortui ſempiterni dicuntur, eo quòd ad vitam æternam nunquam reſurrecturi ſint. Corpus meum reſurget, id eſt, qui tanquam viua membra capiti Chriſto adhærent, ac ſacrum ac myſticum illius corpus efficiunt, ij ad cœleſtem vitam nunquam ampliùs morituri reſurgent: quem ſenſum videtur Paulus amplecti in ep. ad Rom. 8. illis verbis: *Quòd ſi ſpiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis; qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra.*

SED expendenda tandem ſunt verba illa: *Quia ros lucis, ros tuus.* quæ LXX. vertunt, *Nam ros qui à te, ſanitas ipſis eſt.* Quæ verba D. Auguſt. de Ciu. Dei lib. 20. cap. 21. ad corporum poſt reſurrectionem immortalitatem *Aug. de Ciu. Dei cap. 20. lib. 21.* refert his verbis. *Sanitatem hoc loco immortalitatem rectiſſimè accipimus. Ea namque eſt pleniſſima ſanitas, quæ non reficitur alimentis tanquam quotidianis medicamentis.* At videtur magis Eſaias his verbis cauſam reſurrectionis reddere, quæ non humana, aut naturalis ſed diuina prorſus virtute fiet. Ros enim (vt explicat Procopius) eſt vnigenitus filius Dei, *Procopius.* qui ſtillans guttis viuificatiuis mortuis medicinam, ac vitæ ſanitatem reſtituet. Nam quemadmodum olera langueſcentia, matutino rore pullulant, atque ad vitam excitantur,

tur: ita diuina virtute velut cœleſti rore hominum mortuorum pulueres perfuſi, rurſum ad viram incolumes redibunt. Qui ſenſus *Serm. 2. de mortuis.* etiam eſt eiuſdem Auguſt. ſerm. 2. de mortuis, qui ira hunc locum ediſſerit. *Sicut rore* (inquit) *madefacta ſemina germinant, & exurgunt: ſic rore Sancti Spiritus oſſa fidelium viſitata, cum ſuo corpore in æternam gloriam germinabunt.*

QVARTVM reſtimonium habetur apud *Ezech. 37.* Ezechielem c. 37. vbi poſtquam Deus Ezechieli ingentem illam oſſium ſtruem in campo iacenrium oſtendir: ſic eum affatus eſt. *Fili hominis, putaſne viuent oſſa iſta? & dixi: Domine Deus tu noſti. Et dixit ad me: Vaticinare de oſſibus iſtis, & dices eis. Oſſa arida audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus oſſibus his. Ecce ego intromittam in vos ſpiritum, & viuetis. Et dabo ſuper vos neruos, & ſuccreſcere faciam ſuper vos carnes, & ſuperextendam in vobis cutem, & dabo vobis ſpiritum, & viuetis, & ſcietis quia ego Dominus.* Et poſt pauca. *Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris populus meus.*

QVIDAM ſuſpicati ſunr nullam hoc loco de mortuorum Reſurrectione mentionem fieri; ſed hac allegoria Iudaici populi ob multas captiuitates iam quodammodo emortui, & aridi inſtaurationem indicari, quem iterùm Deus colligere pollicetur, ac velut os ad os, id eſt, tribum ad rribum compingere, ac opum, ac diuitiarum ſubſtantia, velut carnibus augere, ac in eo regni neruos extendere: ac randem de captiuitatis ſepulchris, quibus oppreſſus detinebatur à Chaldæis, educere, ac in libertatem vendicare.

Tertull. Iuſtinus. Cyprian. Cyrill. Ieroſ. ALII inrer quos eſt Tertullianus lib. de Reſurrectione carnis. Iuſtinus Apol. 2. pro Chriſtianis. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum c. 58. Cyrillus Ieroſol. Catech. 18. vniuerſa hæc à vare de mortuorum Reſurrectione literaliter dicta eſſe contendunt; nec illa niſi allegoricè ad Iſraëlitici populi teſtitutionem pertinere.

Auguſt. Hieronym. Theodoret. MEDIA ſententia eſt D. Auguſt. lib. 10. de Gen. ad lit. c. 5. D. Hieronym. in Ezechielem, & Theodoreti in hunc locum, qui docent, hæc Prophetæ verba tam de populi Iſraëlitici reparatione, quàm de corporum Reſurrectione literaliter exponi debere. Nam quòd literali ſenſu viſio hæc de Iudaici poli ſtatu reſtituendo intelligenda ſit, illud declarat; quòd oſſa illa arida poſtquam reuixerint, introducenda ait in rerram Iſraël, & quietem in patria humo habitura, quod non niſi ad eos referri poteſt, qui ex Iudæis in captiuitatem abierant. Quòd verò eadem literalis expoſitio corporum Reſurrectioni *Hieron.* propria ſit, D. Hieronymus hac ratione demonſtrat. Quòd Deus ad perſuadendam Hebræo popnlo rerum inſtaurationem, fu-

A turæ Reſurrectionis ſimilitudiue vſus, tam certam eam eſſe prænuntiet, quàm certum apud illos erat futuram eſſe hominum Reſurrectionem. Atque eò ſpectant verba illa Dei ad Prophetam. *Fili hominis putáſne viuent oſſa iſta?* quaſi id annuere vellet. An non certa fide tenes, hæc oſſa rurſus anre extremum iudicij diem victura; ac carnibus, neruis, pelle iterum induenda: ac demum è ſepulchris reuocanda? Porrò ſicur id certum eſt, ita certiſſimum eſſe debet, dilapſum hunc populi mei ſtatum breui è captiuitate B eſſe liberandum; & ad priſtinum glotiæ ſplendorem iterùm reuocandum eſſe.

HÆC igitur eſt Hieronymi ratio. At quomodo hoc Deus argumenro ad confirmandam populi ſui inſtaurationem vti poſſet, ſi nulla futura eſſet hominum Reſurrectio? *Nunquam* (inquir Hieronymus) *poneretur ſimilitudo Reſurrectionis ad reſtitutionem Iſraëlitici populi, niſi ſtaret ipſa Reſurrectio, & futura crederetur: quia nemo de rebus non ſtantibus incerta confirmat.* Quam rationem etiam annuit Tertullianus de Reſurrectione carnis his ver- *Tertullianus de Reſurrectione carnis*
C bis. *Denique hoc ipſo, quòd recidiuatus Iudaici ſtatus de recorporatione & redanimatione oſſium figuratur; id quoque euenturum oſſibus probatur. Non enim poſſet de oſſibus figura componi ſi non id ipſum & oſſibus euenturum eſſet. Nam etſi figmentum veritatis in imagine eſt: imago ipſa in veritate eſt ſui, neceſſe eſt eſſe prius ſibi, quo alij configuretur. De vacuo ſimilitudo non competit. De nullo parabola non conuenit. Ita oportebit oſſium quoque credi reuiſcerationem, & reſpirationem, qualis dicitur, de qua poſſit exprimi Iudaicarum rerum reformatio, qualis affingitur.*

D ET quanquam Tertullianus ſecundam ſenrentiam potiorem eſſe exiſtimet, hæc tamen, vt à nobis explicara fuit, magis Prophetæ verbis conſentanea eſt. Nam quod Tertullianus air, idcirco hanc Ezochieli viſionem demonſtratam fuiſſe, vt Iudæorum animos in ſpẽ Reſurrectionis erigerer, quam velut arefactam ob præſentium rerum conflictationem geſtabar; nullius eſſe ponderis facilè euincirur. Primùm ex ipſo lireræ textu: totum enim præcedens caput, cui immediarè E hęc viſio rãquam illius ſigillũ ſubnectitur: de ſubleuandis Hebræorum calamitatibus agit, vt legenti manifeſtum eſt: quapropter exrrema illius capitis verba quibus viſio hæc immediatè ſuccedit; hæc ſunt. *Hæc dicit Dominus Deus. Adhuc in hoc inuenient me domus Iſraël, vt faciam eis. Multiplicabo eos ſicut gregem hominum, vt gregem ſanctum, vt gregem Ieruſalem in ſolemnitatibus eius, ſic erunt ciuitates deſertæ, plenæ gregibus hominum, & ſcient quia ego Dominus.* Quò fit, vt ſequens viſio, à priori ſermone diſcrepare non poſſit. Præterea oppoſitum potiùs contra Tertullianum concludi poſſet, non enim præſens vexatio ſpem

Reſurrectionis tollit,ſed magis in animo auget,ac vehementiorem in iis excitat,qui eam fide velut certam amplectunrur, dicente 2.Cor.4. Paulo 2.Cor.4. *Licèt is, qui foris eſt noſter homo corrumpatur: tamen is,qui intus eſt, renouatur de die in diem.* Præſens enim tribulatio deſiderium æternorum auget. Quamobrem id nobis ſufficiat hæc nō de ſola Hebræi populi reſtitutione à Propheta dicta eſſe; ſed de ipſa quoque corporum reſurrectione, quæ certiſſimè futura eſt, literaliter eſſe intelligenda.

Daniel.12. QVINTVM teſtimonium legitur apud Danielem 12. *Et multi de his qui dormiunt in puluere terræ euigilabunt, alij in vitam æternam, &* B *alij in opprobrium, vt videant ſemper.* Quod teſtimonium tum ab Hebræis Doctoribus, tum à Patribus frequentiſſimè vſurpatur, ad aſtruendam vniuerſalis reſurrectionis fidem: nam inter Hebræos R. Alpheſi tractat. *Roſch Haſchana* cap. 1. & ſchola Schamai,& R. Bachaye ad c.4. Deuter.eo vſi ſunt, vt futuram reſurrectionem probarent: nam poſterior R. Bachaye ibi poſtquàm illud teſtimonium protulit, ita ait. *En diſce victuros eſſe impios,ac viuificatio illa illis cedet in malum: damnabuntur enim corpore, & animo in gehenna.* Inter Catholicos Patres D.Auguſt. lib. 20.de Ciuit. C Dei cap. 25. D. Hieron. ſuper Ezechielem, Theodoretus in hunc locum: & Ruffinus in expoſitione Symboli, ex hoc loco robuſtiſſimum teſtimonium reſurrectionis colligunt. Auguſtin. Hieronym. Theodoret. Ruffinus.

NEQVE nos perturbet, quòd vates non omnes, ſed multos è terræ puluere euigilaturos eſſe dicit; quaſi non omnium,ſed multorum tantùm reſurrectio futura eſſet: cùm certum ſit omnes tam probos, quàm improbos (nemine prorſus excepto)iterum ad corporum vitam redituros. D. Auguſt. nodum Auguſtin. hunc ſoluit loco citato. *Non putetur* (inquit) *diuerſum, quòd cùm ibi poſitum ſit omnes qui* D *ſunt in monumentis audient vocem Filij Dei; hîc non dicat Propheta,omnes,ſed multi dormientium in terræ aggere. Ponit enim aliquando Scriptura pro (omnibus) vocabulum (multos) propterea & Abrahæ dictum eſt (Patrem multarum gentium poſui te) cui tamen & alio loco dicitur: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Eandem explicationem adhibet Theodoretus, quam confirmat ex illo loco Pauli ad Rom. 5. *Propter vnius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi.* vbi multorum nomine omnes complectitur. Cùm igitur Daniel affirmat multos qui dormiunt in terræ puluere euigilaturos, E omnes proculdubio mortuos iterum ad vitam excitandos eſſe docet. Niſi multorum nomen partim ad eos referre malimus, qui ad gloriam euigilaturi ſunt, partim ad eos, qui ad opprobrium ſempiternum reſurgent, quos haud dubium eſt, multos vtrinque eſſe debere: ita vt ſit ſenſus. Multi ex his, qui dormiunt in puluere terræ in vitam æternam,

A multi etiam in opprobrium ſempiternum euigilabunt: porrò hi multi vtrinque ſimul copulati omnes conſtituunt: qui ſenſus haud à litera diſſentaneus eſt.

SEXTVM teſtimonium habetur Eſdræ 4. Eſd.4.c.7. cap.7. *Excitabitur* (inquit) *quod nondum vigilat ſæculum, & morietur corruptum,& terra reddet qui in ea dormiunt, & puluis qui in eo ſilentio habitant, & promptuaria reddent, quæ in eis commendata ſunt animæ. Et reuelabitur Altiſſimus ſuper ſedem iudicij, & pertranſibunt miſeria, & longanimitas congregabitur. Iudicium autem ſolum remanebit, veritas ſtabit,& fides conualeſcet, & opus ſubſequetur, & merces oſtendetur,& iuſtitia vigilabunt, & iniuſtitia non dominabuntur.* Locus hic citatur à D.Ambroſio lib.de bono mortis, ad Catholicum hoc dogma de reſurrectione mortuorum confirmandum; ſed quoniam liber is ab Eccleſia inter Canonicos non recipitur: neque ex eo firmum teſtimonium ad huius articuli fidem aſtruendam hauriri poteſt; ad alia propetemus.

SEPTIMVM teſtimonium declaratur lib. 2. Machab.cap.7. ex ſeptem fratrum martyrum 2.Mach.7. verbis. *Tu quidem* (aiunt) *ſceleſtiſſime in præſenti* C *vita nos perdis, ſed Rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus in æterna vitæ reſurrectione ſuſcitabit.* Et poſt pauca. *Potius eſt ab hominibus morti datos ſpem expectare à Deo, iterum ab ipſo reſuſcitandos: tibi enim reſurrectio ad vitam non erit.* Duplicem hic locus reſurrectionem inſinuat; vnam corporum, alteram corporum, & animarum ſimul ad pœnas, vel ad præmia; prima omnibus erit communis tam probis, quàm improbis. Ea enim omnia hominum corpora rediuiua reſurgent, ac perpetua naturæ vita donanda ſunt. Altera verò non æqua probis, ac improbis futura eſt. Probis D enim tantùm reſurrectio erit ad vitam, quibus æternæ vitæ præmia conferenda ſunt. Malis autem, ac improbis erit ad mortem reſurrectio, quandoquidem æterna inferni morte mulctabuntur, atque à reſurrectione ad mortis iudiciū tranſibunt, in quo tam corpus, quàm anima immortali necei adiudicabuntur, de qua Dauid Pſal. 48. *Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.* Ita fit, vt hic locus præclarum vtrique reſurrectioni tam bonorum, quàm malorum teſtimonium ferat.

OCTAVVM teſtimonium eſt apud Ioann. Ioan.5. E 5. *Nolite mirari hoc,quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei,& procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij. Quid euidentiùs* (ait Auguſtinus tract. 19. in Ioannem) *corpora ſunt in monumentis,non animæ.* Cùm igitur corpora, quæ in monumentis in puluere iacent, vocem Filij Dei auditura ſint, profectò eò ſupremum

Digitized by Google

preinum, ac diuinum Chriſti imperium declaratur, quo ſolo corporum Reſurrectio fieri poteſt. Quæ enim aures mortuis cineribus eſſe poſſunt, vt vocem Filij Dei audiant, ac rediuiui procedant; niſi iis diuina virtus, quæ in Chriſto eſt, qua vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt: ſi non audiendi, obaudiendi tamen aures affigeret? Audient enim diſperſi per monumenta cineres Filij Dei imperium, quo illis Reſurrectionem indicabit, ac ita illius iuſſui obtẽperabunt, ac ſi auditu iam donati eſſent. Hinc Paulus 1. ad Theſſalon. 4. *Quoniam ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo.* Niſi enim hic iuſſus, & Chriſti imperium mortuos vrgeret, ac reſurgendi facultatẽ tribueret, nulla prorſus illis Reſurrectionis ſpes eſſe poſſet: cùm eadem ad corporum Reſurrectionem diuina vis neceſſaria ſit, quæ ad illorum formationem olim neceſſariò requirebatur. Hinc illorum error conuincitur, qui corporum Reſurrectionem impoſſibilem iudicant, quaſi Diuinæ virtuti magis impoſſibile ſit, diſſoluta in cineres corpora inſtaurare, quàm illa, cùm non eſſent, ex luto compingere: aut ex nihilo procreare; quos Cyrillus Alexand. lib. 2. in Ioan. c. 145. ex hoc loco redarguit. *Quia venit hora* (inquit) *in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei. Nam qui à nihilo cuncta produxit, quomodo non poterit, quæ ſemel producta ſunt, ab interitu ad vitam rurſus reuocare: eiuſdem certè vtrumque, ac immenſæ poteſtatis eſt.* Quòd argumentum latè proſequitur Athenagoras de mortuorum Reſurrectione.

[1. ad Theſſ. 4.] [Cyrill. Alex. lib. 2. in Io. c. 145.] [Athenagor.]

CÆTERVM quamuis ad omnes æquè Reſurrectio pertineat, haud tamen cuncti æquè in Reſurrectione procedunt: nam qui bona fecerunt, ac fidẽ bonis operibus aſſociarunt, in vitæ Reſurrectionem procedent: vt hinc Hæretici diſcant; vitæ Reſurrectionem non à fide tantùm, ſed à bonis quoque operibus pendere, ac illis potiſſimùm tribui; quibus ſublatis illis iudicij, ac mortis Reſurrectio imminet. *Qui enim mala egerunt* (Inquit) *procedent in Reſurrectionem iudicij.* Quæ verba Auguſt. tract. 19. in Ioan. ita exponit. *Omnes quidem procedent; ſed non omnes viuent. Hic verò Iudicium pro pœna poſuit, & erit diremptio, non qualis modò eſt. Nam & modo ſeparamur non locis, ſed moribus, affectionibus, deſideriis: ſimul enim cum iniquis viuimus: ſed non vna vita eſt omnium. In occulto dirimimur, in occulto ſeparamur, quomodò grana in area, non quomodo grana in horreo. Et ſeparantur grana in area, & miſcentur: ſeparantur cùm à palea expoliantur: miſcentur, quia nondum ventilantur. Tunc aperta erit ſeparatio, ſicut morum, ſic & vitæ, ſicut ſapientiæ, ita & corporum.*

[Augu. tract. 19. in Ioan.]

NONVM teſtim. eſt Ioan. 11. *Dixit ei Martha; Scio quia reſurget in Reſurrectione in nouiſſimo die.* Tam certa enim apud Iudæos erat futura corporum Reſurrectio, ac tam firmas in omnibus, quibus vera Dei religio illuceſcebar, radices egerat, vt de ea dubitare nefas eſſe exiſtimarent. Quapropter haud in hoc probatur D. Ioan. Chryſoſtomi ſententia, qui hom. 1. de Lazaro ſentire videtur mendicum illum Lazarum, nè de Reſurrectione quidem quicquam potuiſſe philoſophari, ſed huius vitæ res ita ferri credidiſſe, vt huius vitæ fine terminarentur. Cuius cauſam reddens ait: *Erat enim ex eorum numero, qui gratiam Euangelij præceſſerunt.* At verò & Iob, & Eſaias, & Ezechiel, & Daniel, & Eſdras, & Machabæi Euangelij gratiam præceſſerunt, qui futuram corporum Reſurrectionem, velut certiſſimam docuerunt, ac de ea altiſſimè philoſophati ſunt. Et quamuis aliqui inter Hebræos extiterint Chriſti præſertim tempeſtate, Saducæi nimirum, qui Reſurrectionem negarent, ij tamen velut Hæretici à cæteris habebantur, quos velut Hæreticos Chriſtus redarguit Matth. 22. Ex quo perſpicuum eſt communem cæterorum Hebræorum (Saducæis exceptis) fidem de futura Reſurrectione rectè ſenſiſſe; quæ hoc Marthæ teſtimonio ex communi Iudæorum ſententia decerpto confirmatur.

[Ioan. 11.] [D. Io. Chryſ. hom. 1. de Lazaro.]

DECIMVM teſtim. eſt 1. Corinth. 15. in quo Paulus totum hoc quintumdecimum caput inſumit ad futuram corporum Reſurrectionem variis argumentis probandam. Primum argum. eſt. *Si Chriſtus prædicatur, quod reſurrexerit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam Reſurrectio mortuorum non eſt?* Argumentum procedit à cauſa ad effectum, quod ſanè validiſſimum eſt. Poſita enim cauſa in actu, neceſſariò inde effectus ſequi debet. Porrò Reſurrectio Chriſti, eſt cauſa tum exemplaris, tum efficiens vniuerſalis Reſurrectionis omnium. Quod idem Paulus egregiè declarat 2. Corinth. c. 4. *Scientes* (inquit) *quoniam qui ſuſcitauit Ieſum, & nos cum Ieſu ſuſcitabit.* Et ad Rom. cap. 8. *Qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra.* Quod etiam ratione euinci poteſt. Nam Reſurrectio capitis omniũ etiam membrorũ Reſurrectionem infert, cùm caput ſine membris perfectè conſiſtere non poſſit, & viuificato capite membra etiam viuificari oporteat. Chriſtus igitur cùm ſit caput omnium, ſi is à mortuis reſurrexit, ſanè fieri non poteſt, quin & cæteri tanquam illius membra reſurgant, cùm membris emortuis caput viuum eſſe non poſſit. Quapropter ſi homines qui Chriſti membra ſunt, non reſurgerent; nec caput ipſe Chriſtus ſurrexiſſet, quæ ratio eſt ipſius Pauli hoc loco: *Si autem Reſurrectio mortuorum non eſt* (ait) *neque Chriſtus reſurrexit.* Quam etiam indicat Diuus Gregor. 14. Mor. cap. 27. & 28. *Habemus* (inquit) *ſpem Reſurrectio*

[1. Cor. 15.] [2. Cor. 4.] [Rom. 8.] [D. Greg. 14. Mor. c. 27. & 28.]

Digitized by Google

rectionis noſtra conſiderata gloria capitis noſtri.

At dicet fortè aliquis hîc non omnium Reſurrectionem probari, ſed fidelium tantùm, qui per fidem inter Chriſti membra computantur: quò fit, vt Chriſti tanquam capitis Reſurrectio, eorum tantùm Reſurrectionis cauſa ſit, qui per fidẽ illi connectũtur, non autem eorum, qui ad Chriſtum non pertinent: at his facilè reſpondetur. Quòd quemadmodum Adam reſpectu naturæ corruptæ totius humani generis caput fuit, & homines vniuerſi illius membra rectè vocari poterant, qui illius corruptioni communicauerant. Ita Chriſtus totius naturæ redemptæ rectiſſimè caput appellari debet, cuius membra ſunt, quotquot ad naturam redemptam pertinent. Quamobrẽ hac ratione Chriſtus non tã fidelium, quàm omnium hominum caput cenſendus eſt: & æquè omnes tam fideles, quàm infideles ad Chriſtum pertinent, cùm omnes Redemptionis iure acquiſierit: quò fit, vt omnium quoque iudex futurus ſit. Quapropter Chriſto velut omnium capite à mortuis reſurgente, omnibus etiam hominibus tanquam huius capitis membris futura Reſurrectio indicitur. Id præclarè docet Paulus infrà hoc eodem capite cùm ait. *Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem Reſurrectio mortuorum, & ſicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.*

Secvndvm argumentum eſt. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? vt quid & baptizantur pro illis? vt quid & nos periclitamur omni hora? Quotidie morior per veſtram gloriam fratres, quam habeo in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Si (ſecundùm hominem) ad beſtias pugnaui Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt?* Antequam huius argumenti vim expendamus, explicandum eſt, quid ſit baptizari pro mortuis. Robertus Bellarm. lib. 1. de Purg. c. 4. & Suarez q. 56. art. 1. & 2. diſp. de Reſurrectione mortuorum ſect. 1. accuratè locum hunc pertractant, ac fusè in enarrandis, ac confutandis aliorum ſententiis ſe extendunt.

Bellarm. lib. 1. de Purgat. c. 4. & Suarez. q. 56. art. 1. & 2.

Nos breuiter pro loci huius explicatione dicimus, hęc verba gemino ſenſu explicari poſſe: primus eſt; vt baptiſmi nomine corporis afflictiones intelligantur, quo nomine vſus eſt Chriſtus Matth. 10. ad futuras corporis ſui paſſiones declarandas. *Poteſtis* (inquit) *bibere calicem, quem ego bibiturus ſum, aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* Et Luc. 12. *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor vſque dum perficiatur?* Quid verò ſit, pro mortuis baptizari; nonnulli exponunt idem eſſe, ac pro defunctis voluntarias ſibi afflictiones ſumere; vt ij à Purgatoriis pœnis abſoluantur. Quæ expoſitio eſt Hugonis, Dionyſij Carth. in Paulum, Ephrem in ſuo teſtamento, & Petri Cluniacenſis Epiſcopi cont. Petrobuſianos.

Matth. 10.

Luc. 12.

Hugo. Dionyſ. Carth.

Ephrem. Pet. Clun.

At cùm magna hinc difficultas exoriatur, quo pacto iuxta hunc ſenſum Reſurrectio inferri poſſit, quam Paulus neceſſariò intendit: inde enim tantùm videtur inferri poſſe, quòd animæ poſt mortem maneant, ac pœnis poſt obitum crucientur; à quibus viuorum ſatisfactionibus liberari poſſint. Voluntariæ verò pœnæ, ac afflictiones pro defunctis ſumptæ nihil ad Reſurrectionis probationem conferant. Illam hac ratione nituntur ſoluere; quòd ab animarum pœna poſt mortem facilè ad corporum Reſurrectionem tranſitus fieri poſſit; præſertim apud fideles, qui animę immortalitatem, ac Dei prouidentiam non negant; ad quam æquè pœna, ac Reſurrectio ſpectat. At ſanè nimis dura, ac violenta videtur hæc ſolutio; cùm enim pœna animæ poſt mortem, nihil ad Reſurrectionem corporum pertineat, & Paulus Reſurrectionem ex viuorum afflictionibus (vt fert hæc ſententia) demonſtrare contendat; planè nimis ægrè, ac coactè verba Pauli ad hanc illationem trahere videntur.

Qvamobrem iuxta hanc ſententiam, exiſtimarem ita hoc dictum Pauli intelligendum eſſe: vt corporis afflictiones fruſtra eſſe contendat, ſi nulla corporum Reſurrectio futura eſſet. Huic enim ſenſui reſpondent hæc Pauli verba. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui omnino non reſurgunt?* quorum hic ſenſus eſt. Si mortuorum corpora non reſurgunt, quid illis prodeſt, qui baptizantur, id eſt, corporum afflictiones ſuſtinent, cùm eas pro mortuis; id eſt, pro nunquam reſurrecturis corporibus patiantur; *vt quid & baptizantur pro illis?* Verborum hæc inculcatio eſt. Quaſi dicat; quid inquam, tot corporum mortificationes conferunt corpori nunquam iterum victuro; ſed ſub perpetuis cineribus permanſuro?

Qvod verò hic ſenſus mentem, ac verba Pauli attingat, ex ſequentibus verbis facilè colligitur, ſtatim enim ſubdit. *Vt quid & nos periclitamur omni hora? Quotidie morior per veſtram gloriam.* Et infrà: *Si ſecundùm hominem ad beſtias pugnaui Epheſi, quid mihi prodeſt ſi mortui non reſurgunt?* Vbi corporum afflictiones, corporum Reſurrectioni reſpondere declarat, atque inde rectè infert, fruſtra corporum paſſiones tolerari, niſi eas corporum Reſurrectio ſequi deberet, in qua pro toleratis laboribus præmia ipſis quoque corporibus redderentur.

In quo profectò Paulus de corporum gloria, ac illorum merito præclarè ſentit: nam tametſi corporis labores, ac moleſtiæ patienter toleratæ ad animæ potiſſimùm gloriam conferant, eædem tamen ad corporis beatitudinem

tudinem non parum iuuant: quin etiam anima abſque corporis laboribus Deum diligendo gloriam adipiſci valet; corpus verò niſi ſuo labore animæ inſeruiat, præmium ex ſe non meretur. Quapropter qui corporum gloriam propriis laboribus comparari non negant; ij fateri coguntur, fruſtrà corpus quod ad propriam gloriam attinet, paſſionibus afflictari, ſi nulla corporum reſurrectio, ac præmium poſt reſurrectionem eſſe deberet.

Tertullian.
S. Ambroſ.
S. Anſelm.
S. Thomas.
S. Epiphan.
S. Io. Chryſ.
Theodoret.

Alter ſenſus eſt: vt hic Baptiſmus pro vero Baptiſmo accipiatur, quo ad eluenda peccata, præſertim originale, Eccleſia ex Chriſti inſtitutione vti ſolet. Ita enim accipiunt Tertull. de reſurrectione carnis, & lib. 5. contra Marcion. cap. 10. D. Ambroſius, D. Anſelm. & D. Thom. in hunc locum Pauli. Item Epiphan. hæreſ. 18. Chryſoſt. hom. 40. in 1. ad Cor. Theodoretus, licèt in explicatione diſſentiant. Nam Tertull. Ambroſius, Anſelmus, Thomas, aſſerunt Paulum hoc loco illorum errorem inſinuare voluiſſe, qui pro mortuis Baptiſmum ſuſcipiebant; pro iis ſcilicet, qui morte præuenti Baptiſmum ſuſcipere non potuerant, vt iis ad reſurrectionem prodeſſet; atque inde velut ad homines arguere voluiſſe. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt?* Vis autem argumenti in eo ſita eſt, quòd iidem, qui Reſurrectionem negabant, pro mortuis baptizabantur; quos Paulus voluit ſua poſitione deſtruere. Epiphanius verò baptizari pro mortuis explicat idem eſſe, ac iam iam moribundum, qui quaſi pro mortuo habetur, baptiſmum ſuſcipere: ſenſum verò Pauli eſſe; fruſtrà in mortis articulo conſtitutos Baptiſmo ablui, niſi ſpe reſurrectionis tenerentur. Ioan. Chryſoſtomus ita explicat huius loci ſenſum. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis*, id eſt, qui in Baptiſmo mortuorum reſurrectionem profitentur, ſi mortui omninò non reſurgunt? Theodoretus tandem alio ſenſu exponit. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis*, id eſt, qui in Baptiſmo mortui hominis perſonam gerunt, ac cum Chriſto ſepeliuntur, ſi nulla hinc futura eſt reſurrectio? Cunctæ ferè hæ explicationes durum proculdubio aliquid patiuntur. Prima enim non videtur vera, cùm tempore Pauli error nondum exercuiſſet, aſcribitur enim hic error Montaniſtis, Marcioniſtis, & Cherinthianis, qui potiùs, vt teſtantur Chryſoſtomus, & Theophylactus, hoc loco Pauli ad ſui erroris confirmationem vſi ſunt. Secunda, & tertia expoſitio magis videntur voluntariæ, quàm germanæ, aut Pauli verbis accommodæ: quarta Theodoreti potiùs myſtica eſt, quàm litteralis.

Qvamobrem ſi locus hic de vero Baptiſmo intelligendus ſit, exiſtimo hunc eſſe

A Pauli ſenſum, quem ſuperiùs annuimus: perinde ac ſi dicat. Si nulla futura eſt corporum reſurrectio: quid corpori confert aqua in reſurrectionem baptizari; cùm illud perpetua in morte iacere debeat, neque vnquam rediuiuum ad vitam reuocari? id enim præferunt verba Pauli, cùm ait. *Si omnino mortui non reſurgunt, quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* id eſt, pro corporibus, quibus omnis reſurrectionis, ac vitæ ſpes ſublata eſt.

Nec fruſtrà id dicit Paulus: nam cùm per Baptiſmum conſepeliamur Chriſto, vt idem ait ad Rom. 6. ita per Baptiſmum cum Rom. 6.
B Chriſto reſurgimus. *Conſepulti enim ſumus* (ait Paulus) *cum illo per Baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus.* Porrò ſicut duplicem reſurrectionem Chriſtus ex tumulo ſibi vendicauit: vnam quidem animæ, qua ex cruce ad gloriam reſurrexit. Alteram corporis, qua ſeipſum à mortuis ſuſcitauit. Ita nos quoque duplicem reſurrectionem ex Baptiſmo adipiſcimur: primam quidem, ac potiſſimam animæ, qua à culpa re-
C ſurgimus. Alteram corporis, qua futuram corporis reſurrectionem ad Chriſti exemplar nobis conferendam ſperamus, id enim ſæpè docet Paulus tum ad Rom. 6. tum 1. Cor. 15. Rom. 6. 1. Cor. 15. vbi mortuorum reſurrectionem ex Chriſti reſurrectione colligit. Quod ipſa quoque Eccleſia inſinuat, cùm baptizandum in aquam immergit, quaſi in mortem Chriſti, ac deinde demerſum erigit, velut in Reſurrectionis Chriſti ſignum, vt idem in nobis fieri intelligamus, quod priùs in Chriſto factum fuit; hinc Paulus aiebat. *Si mortuorum reſurrectio non eſt, nec Chriſtus reſurrexit.*

D Id verò non ita accipiendum eſt, quaſi Baptiſmo, corporum nobis reſurrectio conferatur; cùm ea ex diuinæ prouidentiæ decreto cunctis ante Baptiſmum indicta ſit: ſed ita intelligimus Baptiſmo primam quidem animæ reſurrectionem à culpa Chriſti morte nobis donati, cuius ipſa Chriſti ad gloriam reſurrectio quodammodo exemplar fuit, vt teſtatur Paulus ad Rom. 4. *Traditus eſt* Rom. 4. *propter delicta noſtra, reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.* Corporis verò reſurrectionem Baptiſmo non conferri, ſed ex Chriſti reſurrectione in Baptiſmo explicata declarari, ma-
E nifeſtum eſt ex ſuperiùs allegatis verbis Pauli 1. Cor. 15. vbi Chriſti reſurrectionem tanquam noſtræ Reſurrectionis exemplar proponit. Ita fit, vt quicunque baptizantur, duplicis Reſurrectionis admoneantur. Primùm animæ, quam ex Chriſti merito ſibi collatam accipiunt; tum corporis, quam ex Baptiſmo certam expectare diſcunt. Atque inde rectè Paulus concludit; quòd ad corporis reſurrectionem

ctionem pertinet) fruſtra Baptiſmum adhiberi, ad corporum Reſurrectionem declarandam, ſi nulla futura ſit corporum Reſurrectio.

Theodoret. HANC expoſitionem annuit Theodoretus in hunc locum. *Qui baptizatur* (inquit) *Domino conſepelitur, vt cùm mortis fuerit particeps, ſit etiam particeps Reſurrectionis: ſin autem corpus non reſurgit, cur etiam baptizatur?*

TERTIVM argumentum ducitur ex illis verbis. *Sed dicet aliquis, quomodo reſurgunt mortui? qualíue corpore venient? Inſipiens tu, quod ſeminas non viuificatur, niſi priùs moriatur. Et quod ſeminas, non corpus, quod futurum eſt, ſeminas: ſed nudum granum, vt putà tritici, aut alicuius cæterorũ; Deus autem dat illi corpus, ſicut vult, & vnicuique ſeminum proprium corpus.* Et infrà. *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione; ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria: ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute. Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale.* Obiicere poterant infideles Reſurrectionem negantes, vt exponit Ruffinus in explicatione ſymboli. Quomodo poteſt caro, quæ putrefacta diſſoluitur, quæ in monumento tabeſcit, quæ in vermes putreſcit, quæ in puluerem mutatur, quæ maris etiam interdum profundo ſorbetur, quæ fluctibus diſpergitur, iterùm recolligi, ac in vnum corpus compingi, ac ex ea tandem vnum hominis corpus reparari?

ID Paulus ex ipſa rerum naturalium experientia quotidiana probat. Quotidie enim ſemina in terram iacta diſſolui, ac exoriri perſpicimus, quæ niſi priùs corrumpantur, in olera aut arbuſta erumpere non valent. *Miraris* (inquit Ambroſ. Oratione de fide Reſurrectionis) *quemadmodum putrefacta ſolidentur, diſperſa coëant, abſumpta reparentur: non miraris quemadmodum ſemina vapore & compreſſu terræ ſoluta virideſcant.* Et infrà. *Indeſinenter cernimus parua arborum ſemina terræ humoribus commendari; ex quibus non longè pòſt aſpicimus, magna arbuſta ſurgere; folia, pomáque proferre. Quid ergo mirum ſi tenuiſſimum puluerem, vel à noſtris oculis in elementis redactum, cùm vult in hominem reformet, qui ex tenuiſſimis ſeminibus immenſa arbuſta redintegrat? Quia ergo rationales ſumus conditi, ſpem Reſurrectionis noſtræ ex ipſa debemus rerum ſpecie, & contemplatione colligere.*

Ambr. Orat. de fide Reſurrect.

Io. Chryſoſt. hom. 1. de Reſurrect. QVOD ipſe quoque D. Ioann. Chryſoſt. disertè explicat hom. 1. de Reſurrectione; vbi licèt id diuinæ omnipotentiæ opus eſſe agnoſcat; haud tamen inſolitum, ſed penè quotidianum eſſe docet. *Quo pacto* (inquit) *poteſt reſurgere corpus, fieríque corruptionis immune? At cùm Dei potentia operatur, quo pacto non eueniet? Sed quid de eo inquam? Teipſum fecit Deus, vt Reſurrectionis eſſes opifex: id quod patet in ſeminibus, artibus, materiíſque metallorum. Etenim ſemina niſi priùs moriantur, & putreſcant, & corrumpantur, non pariunt ariſtam. Sicut igitur qui vides ibi granum, quod corrumpitur, & diſſoluitur; non dubitat de Reſurrectione, ſed certiſſimam demonſtrationem facit. Nam ſi ita maneret, & non corrumperetur, vel diſſolueretur; certum, quòd nunquam reſurgeret. Sic cogita & de corpore tuo, cùm vides corruptionem, tunc potiſſimùm de Reſurrectione philoſophare.*

CÆTERVM hoc argumento non modò futuram corporum Reſurrectionem euincit, ſed eadem etiam corpora numero redire docet; vt colligit idem Chryſoſt. in 1. ad Cor. c. 15. hom. 41. *Non enim* (ait) *alia ſeminatur eſſentia, alia reſurgit, ſed eadem melior.* Et infrà. *Quid ergo dicit? Non corpus, quod futurum eſt ſeminas? hoc eſt, non ſpicam. Eſt enim eadem, & non eadem. Eadem quidem, quoniam eadem eſt eſſentia, non eadem autem, quoniam hæc eſt melior: eadem quidem manente eſſentia, maiori autem facta ſpecie, ac decore: quoniam niſi hoc eſſet, ne eſſet quidem Reſurrectio, niſi eſſet meliùs reſurrectura.*

Chryſ. hom 41. in c. 15. 1. ad Cor.

Hilar. ad 15. c. 1. Cor. QVOD etiam confirmat D. Hilarius ex hoc loco D. Pauli his verbis. *Non enim aliud corpus, quamuis in aliud reſurget Apoſtolo dicente. Seminatur in corruptelam, reſurget in incorruptionem: ſeminatur in ignominiam, reſurget in gloriam, &c. Fit ergo demutatio, ſed non affertur abolitio: & cùm id quod fuit, in id quod non fuit, ſurgit; non amiſit originem, ſed profecit ad honorem.*

Ruffinus in explicat. ſymb. AT qua ratione id fieri queat, ſuppoſito diuinæ omnipotentiæ opere, præclarè declarat Ruffinus in expoſit. Symboli, id non alia ratione euenire, quàm quòd vnicuique corpori quædam immortalis ratio ineſt; qua licèt diſſolutum ad ſuam animam refertur, quò fit, vt illud idem non aliud pro illo reparari poſſit. *Vniuſcuiuſque* (ait) *carnis ſubſtantia, quamuis variè diuerſéque diſperſa ſit: ratio tamen ipſa, quæ ineſt vnicuique carni, eſt immortalis; quia immortalis animæ caro eſt, ex eo tempore quo ſeminatis in terram corporibus, primùm veri Dei voluntati arriſit, collectum terra, attractúmque ſubſtantiæ ſuæ ſenſum reddit, ac reparat in illam ſpeciem, quam mors aliquando diſſoluerat. Et ita fit, vt vnicuique animæ non confuſum, aut extraneum corpus, ſed ſuum quod habuerat, reparetur; vt conſequenter poſſit pro agonibus præſentis vitæ cum anima ſua caro vel pudica coronari, vel impudica puniri.*

Zeno Veron. ſerm. de Reſurrect. QVAM rationem ex ipſa quoque ſeminis natura demonſtrat Zeno Veronenſis ſermon. de Reſurrectione. *Granum* (inquit) *vniuſcuiuſque frumenti conditum terræ interit, & tamen in eo, id quod intus eſt, reuiuiſcit; nec mortem medullitus capit, ſed ſuum ſibi genitale in germen expirans, vetuſti corporis ſuperficie deleta: immò in melioris naturæ iura tranſmiſſa, fœlix caput foliis virentibus redimitum, quaſi ab inferis emerſum in ſuperna ſuſtollit, perennitatis gloria fructu populoſo tenturum. Hoc hactenus Paulo firmante.*

Digitized by Google

mate. Stulte tu, quod ſeminas, non viuificatur, niſi A
mortuum fuerit. Et ſubiecit dicens. Sic & Reſurrectio mortuorum ſeminatur in interitu, reſurgit in perpetuitatem, ſeminatur in ignominiam, reſurgit in gloriam.

1.Cor.15. Vndecimvm teſtimonium habetur eodem loco 1.Cor.15. *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in nouiſſima tuba (canet enim tuba) & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur: oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Vbi notandum eſt duplicem eſſe huius loci lectionem. Quidam enim ita legunt. *Non* B *omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur.* Quam lectionem ſequuntur Chryſoſt. (Chryſoſt.) hom.42. in 1.ad Cor. & hom. 7. in primum ad Theſſalon. Theodoretus, Theophylactus & Oecumenius in hunc locum, & Origenes lib.5. cont.Celſum. (Theodoret. Theophyl. Oecumen. Origenes.) Altera eſt vulgata lectio, quam priùs expoſuimus: omnes quidem reſurgemus; ſed non omnes immutabimur, quam docent Auguſtin. de fide & ſymbolo cap.6. Fulgentius de fide ad Petrum cap.3.& 29. Ambroſ. in 1. ad Cor. & ad Theſſalon. (Auguſtinus. Fulgentius. Ambroſ.) Ruffinus in expoſitione ſymboli Iulian. Tolet. lib.3. Prognoſticon cap.48. Claudianus C lib.1. de ſtatu animæ. D. Tho.1.2.q.81.art.3. ad primum, & eſt omnium Scholaſticorum. (Ruffinus. Iulia. Tolet. Claudianus S.Thom.) Porrò Græci codices ita legunt πάντες μὲν ὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. Hinc nonnulla inter Græcos, & Latinos Patres cõtrouerſia orta fuit. Græci ènim Patres, qui priorẽ lectionem retinent, inde ſenſerũt; Iuſtos illos homines, qui in hora Reſurrectionis ſuperſtites erunt, non eſſe morituros, ac conſequenter nec reſuſcitandos: ſed tantùm immutandos, ſuperueniente ipſis viuis corporibus glorificatione, qua glorioſa ac immortalia reddentur. Latini verò, qui poſteriorem D ſequuntur, vniuerſos morituros affirmant, ac proinde reſurrecturos, quod tum ex hac lectione, tum ex aliis Pauli, ac Euangelicæ doctrinæ teſtimoniis colligunt. Huc enim ſpectat, quod in præcedenti teſtimonio 3. arg. adduxit Paulus ad Reſurrectionem mortuorum confirmandam: *Quod ſeminatur, non viuificatur, niſi priùs moriatur: ſeminatur in corruptione, reſurget in incorruptione;* quo ſanè non aliquibus iuſtis tantùm, ſed omnibus mortem, ac Reſurrectionem indicit: nam cùm mors vitam, corruptio incorruptionem præcedere debeat; planè iuſtorum nullus ad cor- E poris tum vitam, tum incorruptionem pertingere poterit, quin priùs illius mortem, ac corruptionem ſubierit.

Rom 5. Insignis præterea eſt locus ille ad Rom. 5. *Sicut per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit.* Et infrà eodẽ cap *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.* Et alter ad Hebr. 9. *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, & poſt hoc iudicium.* Et alia pleraque, quibus Latini Patres ſuam ſententiam (quam veriorem exiſtimo, defendũt.

Qvod ſi quærant, quomodo ij iuſti morituri ſint, qui extremo orbis tempore iudicium præcedent? Reſponderut: Igne illo conflagrationis, qui corporum Reſurrectionem immediatè antecedet, omnia viuorum corpora abſumenda eſſe, ac in cineres redigenda. Id enim videtur Petrus annuere Epiſt. 2.c.3. cùm ait. *Adueniet autem dies Domini vt fur, in qua cæli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſoluentur, terra autem, & quæ in ipſa ſunt, opera exurentur.* Itaque ſi terra omnis, & quæ in ea opera ſunt, igne illo exurenda ſunt; viuorum etiam corpora, qui tunc ſupererunt, ab eo abſumi opus erit: quæ ſententia eſt Richardi in 4. diſt. 43. art.4.q.2.ad ſecundum, quæ videtur eſſe communis. Qui verò id negant, non ſatis facilè ſeipſos ab illo teſtimonio Geneſ. 3. expedire valent. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Quæ ſententia totam humanam naturam perſtringit, quæ in Adam tanquam in ſtipite aſſeruabatur. Difficile quippe eſt homines, qui prope iudicium viui reperientur, tam breui tempore, alio mortis genere defunctos, in puluerem redigi poſſe.

Pet.Epiſt. 2. c.1.

Richard. in 4.diſt. 43. art.4.q.2. ad 2.

Gen.3.

Qvapropter cùm Latinorum ſententia meo iudicio tanquam verior, ac magis ſacris Scripturis conſentanea, omnino amplectenda ſit: facilè Græcus ille textus diluitur. Primò auctoritate D. Hier. in Ep.157. ad Mineriũ, vbi refert ex aliis Græcis codicibus Didymum Alexandrinum, & Acharium Cæſarienſem ita legiſſe, ſicut fert vulgata lectio; quò fit, vt ipſi Græci codices in ea lectione varient, quod certiſſimum indicium eſt librariorum incuria, errorem in iis codicibus, qui ita legunt, vt Græci Patres ferunt, obrepiſſe: quod facilè euenire potuit (vt notat Suarez) ex vnius literæ detractione: nam cùm in Complutenſi exemplari haberetur πάντες μὲν οὖν κοιμηθησόμεθα. Quod ita exponitur. *Omnes quidem dormiemus.* Particula enim illa οὖν *igitur, vel quidem* ſignificat: librariorum fortè iniuria factum eſt, vt legeretur οὐ, quæ, *non*, deſignat: ita fit vt vnius literæ ablatione verus, ac prior ſenſus immutatus fuerit: quare cùm priùs hic ſenſus redderetur (*omnes quidem dormiemus*) poſterior ſucceſſit ex corruptione textus (*non omnes dormiemus*) neque hæc lectio à vulgata quæ habet; *Omnes quidem reſurgemus*, quoad ſenſum differt, vt docet D. Thomas. Nam dormitio futuram Reſurrectionem neceſſariò indicat. Hinc tandem colligimus, ſiue Græcorum, ſiue Latinorum lectionem, ac ſententiam amplectamur, hoc Pauli teſtimonio apertè mortuorum Reſurrectionem demonſtrari.

1. Theſſal. 4. DVODECIMVM teſtim. denique declaratur ex verbis Pauli 1. ad Theſſalon. 4. *Ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo. Et mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi: deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in æra.* Locus hic de reſurrectione perſpicuus eſt: cui reſpondent verba ipſius Chriſti Io. 5. *Ioan. 5.* *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei.* Quibus locis mortuorum reſurrectio Chriſti virtuti tribuitur: priori verò Pauli teſtimonio tria explicantur, quæ ad reſurrectionis efficientiam cõcurrunt. Primum eſt iuſſus Domini, quo Chriſti imperium ac poteſtas ſignificatur, qua omnium reſurrectio fiet. Atque ita intelligendus eſt Io. cùm ait: *Audient vocem filij Dei*, vt exponunt Cyrillus lib. 12. cap. 145. Rupertus lib. 5. Euthym. cap. 7. Ambroſ. Anſelmus & D. Thomas in hunc locum Pauli. *Cyrillus. Rupertus. Euthym. Ambroſ. Anſelm. Thomas.* Neq; enim ea vox erit Chriſti, ſed Archangeli; qui iuſſu Chriſti reſurrectionem mortuis imperabit. Hæc enim verba diſtinctè exponenda ſunt, vt primùm Chriſtus Dominus, in iuſſu, non Archangeli; ſed ſuo: ſecundò in voce Archangeli, tertiò in tuba Dei deſcendat de cœlo: ac mortuis reſurrectionem imperet. Quapropter vox de qua agit Ioannes, non erit Chriſti immediatè, ſed mediatè per Angelum, qui iuſſu Chriſti clamabit. Neque enim Chriſtum in maieſtate ad iudicium venientem clamare decet: ſed illum velut præeuntis præconis Archangeli vox præcurret.

SECVNDVM eſt vox Archangeli, quam nonnulli ſolùm mentale Chriſti imperium auſi ſunt interpretari: quos ipſa textus litera ſatis apertè conuincit; quæ Archangelum ſpecialiter velut ad hoc munus vocatum nominat. Non igitur eſt ſolum mentale Chriſti imperium; quamquam illud præcedere debeat, vt ex verbis Pauli probatum fuit: ſed præter id vox quoque alicuius Archangeli, ad id munus delegati, intercedere debet; qui Chriſti imperium reſurrectionem iubentis mortuis patefaciat.

NEQVE illorum expoſitio conſentanea eſt, qui hunc Archangelum Chriſtum eſſe arbitrantur. Ea ſiquidem ſenſum verborum Pauli eneruat ac inſulſum reddit. Nam cùm Paulus dicat: *Quia Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo.* Ac vox (Domini) Chriſtum inſinuet, vt manifeſtum eſt ex pluribus Scripturæ locis, vbi Chriſtus ad iudicium venturus legitur, veluti Matth. 25. Io. 5. Actorum 10. 2. Corinth. 5. Si Archangeli nomine idem Chriſtus appellaretur, planè hæc Pauli verba hunc ſenſum redderent, quia Chriſtus in iuſſu, & in voce Chriſti, deſcendet de cœlo, quem inſipidum eſſe nemo ignorat. Cur etiam Paulus in breui

A illa periodo Chriſtum priùs Dominum, poſtea Archangelum nuncuparet, cùm nulla ſubſit ratio, qua id facere debuerit? Hanc tandem expoſitionem falſam eſſe euincit ipſe Chriſtus apud Matth. vigeſimoquarto, *Matth. 24.* vbi ait. *Mittet Angelos ſuos cum tuba, ac voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis.*

QVAMOBREM vox hæc non Chriſti; ſed Archangeli miniſterio fiet, quæ tamen vox Filij Dei à Ioanne dicitur, quandoquidem illius imperio, ac poteſtate fiet, vt rectè exponunt Chryſoſt. hom. 8. in 1. ad Theſſal. *Chryſoſt.* B Oecumenius, Theophylactus, ac Theodoretus in 1. ad Theſſ. 4. D. Anſelmus ibidem, & in Elucidario. *Oecumen. Theophyl. Theodoret. Anſelm.*

CÆTERVM ſenſibilem, atque articulatam hanc Archangeli vocem futuram eſſe, qua mortui excitabuntur; teſtantur Chryſoſt. *Chryſoſt.* hom. 38. in Io. D. Hier. Epiſt. 61. ad Pammachium. *Hieronym.* Gregor. lib. 17. Moral. c. 21. & D. Thomas Ioannis 5. lect. 5. *Greg. Thom.* Et Sotus in 4. diſt. 43. *Sotus.* q. 1. art. 4. quam D. Ioan. Chryſoſtomus homil. 8. in 1. ad Theſſal. probabiliter hanc fore credit. *Reſurgant mortui.* Et D. Hieron. in regula Monach. cap. 30. *Surgite mortui, & venite ad iudicium.* C

TERTIVM eſt tuba, quæ mortuorum Reſurrectionem præcedere debet: de qua hîc Paulus, & 1. ad Cor. 15. *1. Cor. 15.* *Canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti:* de eadem Matth. 24. *Matth. 24.* *Mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna.* Nõnulli tubam hanc nouiſſimã à voce haud diſtinguendam eſſe cenſent, ſed vocem Archangeli eandem tubam vocari, cuius ſententiæ videtur eſſe Anſelmus 1. ad Theſſ. 4. *Anſelm.* Oecumenius, *Oecum.* qui ipſum Angelum exiſtimat Dei tubam appellari, & D. Thomas: *Thom.* ſed cùm Paulus tubam à voce ſecernat, quod etiam indi- D cat Matthæus: ſatius eſt dicere, & vocem Archangeli, & tubam diſtinctè futuram eſſe: priùs quidem vocem Archangeli, tanquam Chriſti præconis; deinde Angelorum tubam, quæ mortuorum corpora è ſepulchris excitabit, dum Angelorum miniſterio cineres copulabuntur: ita ſentit Hippolytus Oratione de conſummatione mundi his verbis. *Hippolytus Martyr Orat. de conſummat. mundi.* *Tunc ſonabit tuba, & excitabit dormientes, & omnes in ictu oculi reſurgent.* Chryſoſt. hom. 8. ad Theſſalon. 4. Anſelmus in Elucidario. Hieron. in regul. Monach. c. 30. Ephrem lib. de pœnit. c. 4. eandem ſententiam ſequuntur. *Chryſoſt. Anſelmus. Hieronym. Ephrem.* Et eſt com- E munis, quam ipſa quoque Eccleſia in proſa mortuorum amplectitur, cùm canit. *Tuba mirum ſpargens ſonum, per ſepulchra regionum, coget omnes ante thronum.*

EX his perſpicuum eſt futuram eſſe proculdubio mortuorum Reſurrectionem ſola Chriſti Dei virtute peragendam; qui tamen, vt amplior illius maieſtas eluceſcat, Angelico in ea vtetur miniſterio.

QVIS

Qvis verò ordo in ea ſeruandus ſit, in hoc ipſo teſtimonio videtur Paulus declarare, cùm ait. *Et mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Deinde nos, qui viuimus, qui reſidui ſumus, ſimul rapiemur cum ipſis in nubibus obuiam Chriſto in aëra.* Hic verò ordo non temporis eſſe exiſtimandus eſt, ſed dignitatis, vt exponit Sedulius. Vniuerſi namque mortui tam iuſti, quàm reprobi, in eodem momento, in ictu oculi, in nouiſſimo tubæ ſonitu (vt loquitur Paulus) reſurgent; quæ ſententia eſt communior Theologorum in 4. diſtinctio. 43. & illam tradit Gennadius de Eccleſiaſt. Dogmat. cap. 6. Hippolytus Martyr libro de conſummatione mundi, & Method. de Reſurrectione. At ordine dignitatis priùs, ac digniùs iuſti reſurgent, quàm reprobi: atque inter iuſtos qui maioris erunt meriti, excellentiùs reſurgent: quandoquidem ampliorem ex Reſurrectione gloriam conſequentur.

Sedulius. Gennad. Hippol. Method.

Atqve ita exponendus eſt Paulus cùm ait. *Et mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi*, priores quidem dignitate iis, qui in Chriſto mortui non fuerunt. Licèt tempore omnes æquè primi reſurgant. Neque obſtat quòd Paulus ſubiiciat: *Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur in nubibus obuiam Chriſto in aëra.* Quibus verbis videtur ordinem temporis conſtituere inter iuſtos priores, ac poſteriores, qui extremis illis orbis temporibus viui reperientur. Ibi enim tantùm comparat Reſurrectionem iuſtorum ad raptum obuiam Chriſto in aëra: inter quæ proculdubio tempus intercedit: priùs enim enim eſt iuſtorum Reſurrectio, quàm raptus illorum in occurſum Chriſti, quam explicationem velut claram ex litera tradunt Diuus Thomas, ac D. Anſelmus. Hæc de Scripturarum teſtimoniis ſatis.

1. Theſſ. 4. Thomas. Anſelmus.

Eadem demonſtratur tertiò ex conſenſu Eccleſiæ.

Articvlvs XIII.

Celebratiſſimvs eſt apud eos, qui orthodoxam Religionem profitentur, in Symbolo Apoſtolorum articulus. *Credo carnis Reſurrectionem*, quem vniuerſa ſemper Eccleſia velut diuinum, & Apoſtolicum amplexata eſt: & neceſſariam Chriſtianæ, ac Catholicæ doctrinæ partem agnouit: nec immeritò; cùm diſpenſata membratim per Apoſtolos fide, hæc fidei pars, quæ de corporum Reſurrectione eſt, à Iuda Taddæo, (vt auctor eſt Leo primus Epiſt. 13. ad Pulch. Aug.) nobis tradita fuerit.

Leo 1.

Qvam Apoſtolici Symboli partem, quotquot poſt Apoſtolos Chriſtianæ fidei, ex Eccleſiæ conſenſu ſymbola conſcripſerunt, ſummo ſemper honore proſequuti ſunt. Nam poſt Apoſtolos Ignatius Martyr, propter Hæreticos Theodorum, Cleobulum, Baſilidem, Simonem, Menandrum, &c. Symbolum fidei ſuæ teſtem reliquit, quo habetur in Epiſtol. ad Trallianos, in quod hunc de carnis Reſurrectione inter alios articulum celebrat. Idipſum præſtitit Irenæus in ſymbolo à ſe conſcripto libr. primo aduerſus hæreſes.

Ignat. Mart. Irenæus.

Alivd quoque ſymbolũ condidit Athanaſius ab Eccleſia receptum, quod ſingulis diebus Dominicis in Eccleſia recitatur; in quo id celebratum habetur. *Ad cuius aduentum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis.* Hoc ſymbolum Concil. Mogunt. 4. cap. 1. omnibus orthodoxis tenendum iniunxit.

Symbolum Athanaſ. Conc. Mogunt.

Extat præterea ſymbolum Concilij Niceni primi ab vniuerſo Chriſtiano orbe decantatum, ſymbolum Conſtantinopolitani primi Conc. quod habetur expreſſum can. 7. quæ ſymbola confirmata fuerunt in Conc. Epheſino primo generali, & Chalcedonenſi generali 4. actione prima, & act. 2. Et in Cõc. generali 5. collat. 6. & in Conc. generali 6. act. 17. Quæ de verbo ad verbum repetit Concil. Toletan. 8. c. 1. quod etiam præſtat Conc. Bracarenſe 3. ſtatim in limine. Symbolum Tolet. Conc. 4. ſtatim in initio c. 1. quod receptum fuit à Patribus Toletani Conc. 6. & ab iis de verbo ad verbum repetitum. Symbolum gener. 6. Concilij Conſtantinop. 3. quod priùs editum fuerat in Concil. Romano ſub Agatone 1. & poſtea confirmatum in Conc. Lateranenſi ſub Martino 1. Symbolum Concilij Niceni 7. generalis ſub Conſtantino Imper. & Irene matre. Symbolum generalis Lateranenſis Conc. ſub Innocentio 3. cui interfuerunt Patres 1215. Quæ omnia enumerata ſymbola impenſè corporum Reſurrectionem ſuſpiciunt, laudant, prædicant, ac velut expreſſam fidei regulam cunctis credendam decernunt.

Symbolum Nicenum. Symbolum Conſtantinop. Conc. Epheſ. Conc. Chalced. Conc. gener. 5. Conc. Tolet. 8. Conc. Bracar. 3. Symbol Cõc. Tolet. 4. Conc. Tolet. 6. Symb. Conc. gener. 6. Conſtan. Conc. Later. Symb. Conc. Niceni 7. Symb. Conc. Lateranen.

His addi poſſunt Sanctorum Patrum teſtimonia ab Eccleſia celebrata. Clemens Roman. Conſtit. Apoſtolicarum lib. 5. cap. 6. allato Phœnicis exemplo corporum Reſurrectionem perſuadet his verbis. *Narrant enim (inquit) auem quandam eſſe vnigenam, quæ Reſurrectionem affatim demonſtret. Hanc dicunt non maritari, & vnicè, atque ſolitariè gigni. Phœnicem vocant: qui etiam narrant, quingenteſimo quoque anno in Ægypto ad Aram Solis, quam vocant, cum multo cinnamomo, & caſia, ac xylobalſamo volare & ſtantem ad Orientem Solem, vt aiunt, precari & ſponte incendi, atque in cinerem redigi: ex cinere autem vermem renaſci; atque ex eo tepefacto formari nouam Phœnicem: & cùm facta eſt volucris ferri in Arabiam, quæ eſt vltra*

Clem. Rom. Conſt. Ap. lib. 5. c. 6.

tractum Aegypti. Si ergo (vt ipſi aiunt) in ane- A *rationis experte Reſurrectio apparet: quid noſtra inaniter calumniantur, cùm confitemur, qui potuit quod non erat efficere, vt eſſet; poſſe eundem poſt diſſolutionem ſuſcitare?*

Dion. Areop. Eccl. Hierar. cap. 7. CÆTERVM inter Græcos Patres Dionyſius Areop. Eccleſ. Hierarch. c. 7. ex laboribus, quibus iuſtorum corpora ſimul cùm animabus defatigantur, eorũ Reſurrectionem euincit, cùm fruſtra iuſti corporum afflictiones ſuſtinerent, ſi nulla corporibus præmij, ac refrigerij ſpes in Reſurrectione ſupereſſet. *Caſta igitur* (ait) *ſanctarum animarum corpora pro ſacris ſudoribus ſuis, in animarum immutabili ſecundùm* B *diuinam vitam firmitate, ac ſede Reſurrectionem quoque vnà recipient propriam.*

Polycarpus in Epiſt. ad Philippen. POLYCARPVS, qui Ioannis auditor fuit, eos qui Reſurrectionem negant Sathanæ primogenitos appellat. *Qui detorſerit* (inquit Epiſt. ad Philippenſes) *eloquia Domini ad proprio deſideria: & dixerit, neque Reſurrectionem, neque iudicium eſſe: hic primogenitus Sathanæ eſt.*

Iuſtinus Oratione ad Antoninum Pium. IVSTINVS Oratione ad Antoninum Pium, contra illos qui Reſurrectionem impoſſibilem eſſe contendebant, hoc argumento poſſibilem eſſe demonſtrat. *Si quis* (inquit) C *vobis cùm nondum tales extaretis, neque ex talibus orti eſſetis, aſſeueraret ſemen humanum, & imaginem (humanam) pictam indicans, ex eo ipſo ſemine naturam huiuſmodi fieri poſſe: num priuſquàm id factum eſſet, crederetis? non equidem opinor quempiam contra hoc dicere auſurum eſſe. Perſimili ergo modo, propterea quòd nondum mortuum reſurrexiſſe videritis, vos incredulitas Reſurrectionis tenet. Sed enim quomodo ab initio non credidiſſetis poſſibile eſſe, vt è tenui gutta tales exiſterent, & extitiſſe tamen videtis: eodem modo exiſtimate impoſſibile non eſſe, vt diſſoluta, atque ſeminum inſtar in terram diſiecta corpora humana tem-* D *pore ſuo iuſſu Dei reſurgant, & naturam incorruptibilem induant.*

Athenagoras libell. de mortuorum Reſurrect. ATHENAGORAS multis ſimul congeſtis rationibus poſſibilem eſſe corporum Reſurrectionem demonſtrat. *Cuius enim* (inquit in libello de mortuorum Reſurrect.) *eſt poteſtatis à ſua conditione informem materiam transformare, nulláque figura indutam multis, & diuerſis vultibus exornare: & partes elementorum in vnum cogere: & ſemen quod vnum eſt & ſimplex, in multa diuidere; & quod inarticulatum eſt,* E *articulis diſtinguere, & vitam dare rei inanimatæ. Eiuſdem quoque poteſtatis eſt, & quod diſſipatum eſt coünire, & quod iacet ſurrigere: & quod mortuum denuò viuificare; & corruptibile mutare in incorruptibilitatem: eiuſdem auctoris fuerit, & eiuſdem poteſtatis & ſapientiæ, id quod diſcerptum eſt à multitudine omnigenarum beſtiarum quotquot iſtiuſmodi corpora inuadere ſolent, aut inde ſatietatem colligere, ab ipſis ſeparare, rursúſque adiungere ſuis membris & partibus; ſiue illa antea in vnam beſtiam, ſiue in plures abſceſſere: ſiue inde in alias atque alias abière: ſiue cum illis ipſis extabefacta ad initiales origines rediêre, prout naturali putrefactione reſolui ſolent.*

EODEM planè, ac conſimili demonſtrationis genere vtitur Cyrillus Ieroſolymit. Catech. 18. vbi egregiè pleriſque adductis exemplis, poſſibilem mortuorum Reſurrectionem eſſe euincit: tum aduerſus Iudæos, ac Paganos, tum etiam aduerſus Hæreticos. *Cyrill. Ieroſol. Catech. 18.* *Magna* (inquit) *eſt Eccleſiæ Catholicæ admonitio, fides de Reſurrectione, & doctrina valdè neceſſaria, cui quidem multi contradicunt: à veritate verò factum eſt, vt illi fides habeatur. Contradicunt Græci, non credunt Samaritæ, detrahunt Hæretici: multiplex eſt enim contradictio, ſed ſimplex veritas. Et dicunt ad nos tam Græci, quàm Samaritæ. Occidit homo, & mortuus computruit, & rurſus in vermes reſolutus eſt: atque ij vermes quoque interierunt: putrefactio tanta & corruptio corpus excepit, quomodo igitur reſurget? Nauigatores à piſcibus deuorati ſunt; & ipſi quoque comeſti ſunt. Eos qui cum beſtiis pugnarunt: Vrſi & Leones vnà cum oſſibus comminuerunt,* &c. *Non pro tua imbecillitate Deum arguas impotentiæ; ſed potiùs illius potentiæ aſſentiare,* &c. *Qui ex nihilo nos fecit Deus, nunquid iam exiſtentes, & cadentes rurſus excitare non poterit? Si non credis his quæ de Reſurrectione ſcripta ſunt, gentilis exiſtens: ex rerum natura id perſpice, & ex his quæ ad hodiernum vſque diem apparent, intellige: ſeminatur frumentum, vel fortè aliud genus ſeminis cadens moritur, & quaſi putreſcit; fitque omnino ineptum ad cibum: ſed mox illud putridum fit herbidum, & exile cadens ſurgit pulchrum. Frumentum autem fit propter nos, & propter vſum noſtrum factum eſt; neque enim frumenta & ſemina ſunt propter ſeipſa: ſi ergo iſta, quæ propter nos naſcuntur, mortua reuiuiſcunt: nos verò & quorum cauſa illa nata ſunt, an mortui non excitabimur? Brumale nunc tempus, vt vides: arbores nunc tanquam mortuæ: vbi enim folia ficus? vbi botri vitis? Sed hæc quidem hyeme mortua, vere autem virentia apparent: & cùm tempus aduenerit, tunc velut à mortificatione redditur viuificatio. Videns enim Deus tuam incredulitatem, in his quæ videntur, ſingulis annis Reſurrectionem efficit: vt ea videns in rebus inanimatis, etiam de animatis rationalibus credas. Si muſca quidem, & apes aqua ſuffocatæ ſæpè poſt tempus anni reſurgunt: & ſerpentum genera hyeme immobilia ſunt: æſtate verò deinde conſurgunt, facilè ſanè quilibet intelligens his ſimilia dederit exempla, qui irrationabilibus & vilibus vitam præbet ſupra naturam, nónne idem nobis, propter quos & illa fecit, viuificationem donabit?*

MACHARIVS verò hom. 11. ex ignis *Macharius hom. 11.*
illius

illius de quo legitur lib. 2. Machab. c. 1. reſtitutione argumentum reſurrectionis ſumit. *Quemadmodum* (inquit) *ignis , qui Ieroſolymis deſeruiebat altari tempore captiuitatis, defoſſus erat in foueam ; & idem tuta pace , reuerſiſque captiuis quaſi renouabatur , & pro more ſeruiebat : ita corpus hoc modo nobis familiare (quod vbi diſſolutum eſt vertitur in lutum) reſtituitur, & renouatur ab igne cœleſti , qui ſuſcitat corpora corrupta.*

D. Irenæus lib. 2. c. 51.

CÆTERVM D. Irenæus optimo argumento ab ipſo iuſtitiæ debito petito , quo corpori ſua merces reddi debet, illius futuram reſurrectionem probat lib. 2. cap. 51. *Quia enim in corporibus* (ait) *perficiuntur ea, quæ ſunt iuſtitiæ, manifeſtum eſt. Aut vniuerſa itaque animæ neceſſariò ſuccedent in medietatis locum , & iudicium nuſquam. Aut & corpora , quæ participauerunt iuſtitiæ , cum animabus , quæ ſimiliter participauerunt , obtinebunt refrigerij locum. Siquidem potens eſt iuſtitia illuc traducere ea , quæ participauerunt ei; & verus & firmus emerget de reſurrectione corporum ſermo : quem quidem credimus nos ; quoniam & mortalia corpora noſtra cuſtodientia iuſtitiam reſuſcitans Deus incorrupta & immortalia faciet.*

Epiphan. in Anchora.

HIS accedit D. Epiphanius qui in Anchorato ex nõnullis Scripturarum locis corporum reſurrectionem colligit. *Vbi* (inquit) *non dixit diuina Scriptura de reſurrectione ? Primùm ſanguis Abel prædicat , poſt mortem enim adhuc loquitur. Dicit Scriptura. Enoch tranſpoſitus eſt ; & non inueniebatur , & non vidit mortem. Complacuit Noë Deo. Arcam conſtruxit ex præcepto Dei , regenerationem ſibi ipſi operans , ac efficiens per propriam domum. Abraham ſenex acquirit filium mortificato iam corpore, & ex mortuis Deus ſpem largitus eſt. Maximè cum vterus Saræ emortuus eſſet* , &c. *Ioſeph indicat hanc rem non in ſecundo loco ponens oſſium ſpem ; curam enim habebat talium : non velut pereuntium; ſed quæ rurſus reuictura eſſent : & præcipiebat ea afferri ex Aegyptiorum regione. Non fruſtra Ioſeph hoc ſignificabat : comportate mea oſſa (dicens) viſitatione enim viſitabit vos Dominus. Si non ſpes fuiſſet reſurrectionis , qualis eſſet oſſium cura, vt de corruptibilibus oſſibus præciperent iuſti?*

Exod. 13.

PORRO vniuerſa hæc Scripturarũ exempla præter vltimum myſticè potiùs, quàm literaliter corporum reſurrectionem figurant. Vltimum verò ad reſurrectionem probandam grauiſſimum eſt ; fruſtrà enim ſuorum oſſium ſanctiſſimus vir tantam curam habendam eſſe decerneret, vt ab Ægypto in Palæſtinam aſportarentur , niſi ea reſurrectura ſperaret , atque in eo ſolo futuram Reſurrectionem expectare vellet, in quo futuri Redemptoris Dei & hominis caro prima reſurgeret ; cum qua fortè & ipſe inter alios, quorum corpora tunc reſurgere debebant, ſuſcitandum diuina reuelatione prænoſceret.

Greg. Nyſſenus de hominis Opificio c. 25.

AT præclarum eſt ad Reſurrectionis fidem iis conciliandam , qui Scripturarum auctoritatem non euellunt, Lazari reſurgentis exemplum : quo vtitur D. Gregor. Nyſſenus de hominis Opificio cap. vigeſimoquinto. *Lazarus* (ait) *vna voce vitam recuperans fidem doctrinæ de Reſurrectione conciliat : vt iam ſit expectandum vniuersè , quod certis in partibus experientia verum eſſe docuit : nam & Apoſtolus memoriæ prodidit , eo tempore , quo inſtaurabitur vniuerſitas rerum , Dominum ipſum quadam quaſi cum militari conclamatione per vocem diuinorum nuntiorum principis , ac tubæ clangorem mortuos ad conditionem interitus expertem ſuſcitaturum : ſic nunc etiam Lazarus tumulo conditus, ad vocem imperiúmque Domini , mortem inſtar ſomni excutiens, & putrefactione, quæ mortuos continuo occupauerat, abiecta, integer & incolumis de ſepulchro proſilit.*

D. Io. Chryſ. in Pſal. 111.

HIS ſuffragãtur, quæ ſcribit Diuus Ioan. Chryſoſtom. in Pſalm. 111. explicans illa verba. *Miſericors , & miſerator, & iuſtus.* vbi ex Dei iuſtitia Reſurrectionem corporibus deberi demonſtrat. *Si eſt autem* (ait) *miſericors , & eos qui peccant dignos venia eſſe cenſet: multo magis eos , qui ſe rectè gerunt , non relinquet incoronatos , poſtquam hinc exceſſerint : ſed etſi hîc non reddat , omnino illîc reddet. Deinde ſubiungit etiam (iuſtus) ſignificans , quòd ſi iuſtus ſit , vt eſt, reddet vnicuique ſecundùm merita , etiamſi hîc non reddat ; quod eſt vel maximum argumentum futuræ Reſurrectionis. Quando enim multi ex his, qui ſunt virtute præditi, cernuntur mala multa perpeßi ; & improbi impunè & ſecurè viuere : vbinam recipiet vnuſquiſque pro meritis, ſi non ſit futura Reſurrectio , & alia vita, iudicium, & remuneratio?*

PLVRIMA hic addi poſſent Græcorũ Patrum teſtimonia, quibus egregiè mortuorum Reſurrectionem probant. At allata ſufficiant.

VENIO ad Latinos Patres, quibus varia ad corporum Reſurrectionem probandam argumenta ſuppetunt.

Tertull. lib. de Reſurr. carnis c. 13.

IN PRIMIS Tertullianus diſertiſſimè ex rerum ordine, Reſurrectionis veritatem decerpit libro de Reſurrectione carnis cap. decimotertio. *Aſpice* (ait) *nunc ad ipſa quoque exempla diuinæ poteſtatis. Dies moritur in noctem, & tenebris vſquequaque ſepelitur. Funeſtatur mundi honor , omnis ſubſtantia denigratur. Sordent , ſilent , ſtupent cuncta : vbique iuſtitium eſt, quies rerum. Ita lux amiſſa lugetur. Et tamen rurſus cum ſuo cultu , cum dote , cum Sole , eadem & integra , & tota vniuerſo orbi reuiuiſcit , interficiens mortem ſuam noctem , reſcindens ſepulturam ſuam tenebras , hæres ſibimet exiſtens, donec & nox reuiuiſcat , cum ſuo & illa ſuggeſtu: redaccenduntur enim & ſtellarum radij, quos matutina ſucceſſio extinxerat. Reducuntur & ſyderum abſentiæ , quas temporalis diſtinctio exemerat. Redornãtur & ſpecula Lunæ, quæ menſtruus nume-*

rus adtriuerat. Reuoluuntur hyemes & æſtates, & verna, & autumna cum ſuis viribus, moribus, fructibus. Quippe etiam terra de cœlo diſciplina eſt, arbores veſtire poſt ſpolia, flores denuò colorare, herbas rurſus imponere, exhibere eadem quæ abſumpta ſint ſemina: nec priùs exhibere quàm abſumpta. Mira ratio: de fraudatrice ſeruatrix, vt reddat, intercipit: vt cuſtodiat, perdit: vt integret, vitiat: vt etiam ampliet, priùs decoquit: ſiquidem vberiora & cultiora reſtituit, quàm exterminauit. Re vera fœnore interitu, & iniuria vſura, & lucro damno ſemel dixerim vniuerſa conditio recidiua eſt. Quodcunque conueneris, fuit: quodcunque amiſeris, nihil non iterum eſt. Omnia in ſtatum redeunt, cùm abſceſſerint, omnia incipiunt, cùm deſierint. Ideò finiuntur, vt fiant. Nihil deperit niſi in ſalutem: Totus igitur hic ordo reuolubilis rerum teſtatio eſt Reſurrectionis mortuorum.

QVID præclariùs hac Tertulliani ratiocinatione? Cuncta enim quæ intereunt, ſi non ideo intereunt, vt ampliùs non ſint, ſed vt in melius commutentur: quòd ipſa rerum tum corruptio, tum generatio docet: planè haud aliud de corporum interitu exiſtimandum eſt, quæ non ea ratione interire credenda ſunt, vt nunquam ampliùs reuiuiſcant: ſed vt in melius commutata aliquando reſurgant.

Minutius Fœlix in Octauio.

ALIA ratione Minutius Fœlix in Octauio, partim ex ipſa Dei potentia, cui facillimum fuit hominem ex nihilo condere, partim ex ipſo Reſurrectionis opere, quod ipſa creatione minus eſt, petita; Reſurrectionem euincit. *Quis tam ſtultus* (ait) *& brutus eſt, vt audeat repugnare, hominem à Deo, vt primum à Deo potuiſſe fingi, ita poſſe denuò reformari? Nihil eſſe poſt obitum, & ante ortum nihil fuiſſe: ſicut de nihilo naſci licuit, ita de nihilo licere reparari. Porrò difficilius eſt id, quod non fuit incipere, quàm id, quod fuerit iterare. Tu perire & Deo credis, ſi quid oculis noſtris hebetibus ſubtrahitur? Corpus omne ſiue areſcit in puluerem, ſiue in humorem ſoluitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, ſubducitur nobis, ſed Deo elementorum cuſtodia reſeruatur.*

Cyprianus ſermon. de Chriſti Reſurrect.

CYPRIANVS ex Dei iuſtitia hoc ipſum colligit de Cardinalib. Chriſti operibus ſermon. de Chriſti Reſurrectione. *Reſurrectio quidem* (inquit) *communis eſt, & ante tribunal Chriſti neceſſe eſt in corpore iuſtos ſtare, & impios: Dei hoc dictante iuſtitia: vt pietas & impietas in operatoribus debitis ſtipendiis donarentur: & qui finem habere contempſerunt in malis, infinita clauderentur vltione in pœnis, & qui gloriati ſunt in cruce cum Crucifixo regnantes beatæ fierent perennitatis participes.*

Zeno Veronenſis ſerm. de Reſurr.

ZENO Veronenſis ſermone de Reſurrection. eos qui Reſurrectionem negant, propriæ condèmnationis iudices eſſe dicit. *Quiſquis* (inquit) *Reſurrectionem negat, vitam ſuammet ipſe condemnat: cur enim mereatur fælicitatem futuri temporis cernere, quem videas ſacrilega incredulitate Dei potentia derogare?*

Hilarius in Pſal. 2.

HILARIVS ex Apoſtoli verbis eorundem, non aliorum corporum Reſurrectionem futuram eſſe probat, in Pſalmum 2. ſcribens. *Prout enim* (inquit) *Deo placet, & conſpectu eius dignum eſt; confracta reparabit, non ex alia aliqua, ſed ex veteri, atque ipſa originis ſua materia ſpeciem illis complaciti ſibi decoris impertiens: vt corruptibilium corporum in incorruptionis gloriam Reſurrectio non interitu naturam perimat; ſed qualitatem conditione demutet. Non enim aliud corpus, quamuis in aliud reſurget; Apoſtolo dicente: ſeminatur in corruptelam, reſurget in incorruptionem.*

QVÆ Hilarij ſententia communis eſt omnium Patrum, ac Theologorum: nam ſi idem numero corpus non reſurgeret, licèt idem ſpecie repararetur, haud ſanè corporis Reſurrectio, ſed potiùs noua creatio dicenda eſſet: neque enim, vt Origenes ait libr. 2. de principiis cap. 10. propriè reſurgere dicitur, niſi id quod antea ceciderat; quòd ſi aliud corpus excitatur, à priori numero diſtinctum; iam non corpus quod ceciderat, reſurgit; ſed aliud loco illius à Deo creatur.

Origen.

D. Greg. lib. 14. Moral. c. 30.

D. GREGOR. libr. 4. Moral. cap. 30. poſtquàm Reſurrectionem multis argumentis comprobauit, tandem apertiſſimo Chriſti Reſurrectionis exemplo, quam Hæretici negare non audent, velut ſigillo concludit. *Sed quia* (inquit) *in nobis ſenſus torpuit rationis, acceſſit in exemplum gratia Redemptoris; venit namq; conditor noſter, ſuſcepit mortem, oſtendit Reſurrectionem; vt qui Reſurrectionis ſpem ex ratione tenere nolumus, hanc ex eius adiutorio & exemplo teneremus.*

In Ezech. lib. 2. ho. 20.

QVAM rationem ex Dominica Reſurrectione ſumptum confirmat in Ezechielem ſcribens libr. ſecundo, homil. vigeſima. *Triſte nimis, & valde lugubre eſt* (ait) *quòd quoſdam in Eccleſia ſtare, & de carnis Reſurrectione dubitare cognoſcimus. Hanc autem antiqui Patres venturam eſſe certiſſimè crediderunt, etiam cùm nullum adhuc eiuſdem Reſurrectionis exemplum tenuerunt. Qua igitur damnatione digni ſunt, qui & exemplum iam Dominicæ Reſurrectionis acceperunt, & tamen adhuc de ſua Reſurrectione diffidunt? Pignus tenent, & fidem non habent, Eccleſias replent, ſed quia de Reſurrectione ſua dubitant, mente vacua ſtant.*

D. Ambroſ. Orat. de fide Reſurrect.

PLVRES quoque rationes colligit D. Ambroſ. Oratione de fide Reſurrectionis, quas tandem his verbis concludit. *Si terra renouatur, & cœlum, cur dubitemus hominem poſſe renouari, propter quem terra facta & cœlum eſt? Si præuaricator ſeruatur ad pœnam, cur iuſtus non perpetuatur ad gloriam? ſi vermis non moritur peccatorum, quemadmodum interibit caro iuſtorum?*

rum: hæc eſt enim reſurrectio, ſicut verbi ipſius ſono exprimitur: vt quod cecidit, hoc reſurgat, quod mortuum fuerit, reuiuiſcat: & hæc ſeries & cauſa iuſtitiæ: vt quoniam corporis animique communis eſt actus: quæ animus cogitauit, corpus effecit: vtrumque in iudicium veniat, vtrumque aut pœnæ dedatur, aut gloriæ reſeruetur.

VERVM qua ratione, quáue integritate corpora reſurgere debeant, explicat Prudentius hiſce carminibus, quibus contra Marcionem pugnat, qui animam tantùm, non corpus ſuſcitatum iri negabatur.

Prudentius cont. Marc.

Noſco meum in Chriſto corpus conſurgere: quid me
Deſperare iubes? veniam quibus ille reuenit
Calcata de morte viis, quod credimus, hoc eſt:
Et totus veniam, nec enim minor, aut alius, quàm
Nunc ſum, reſtituar: vultus, vigor, & color idem
Qui modò viuit, erit: nec me vel dente, vel vngue
Fraudatum reuomet patefacti foſſa ſepulchri:
Qui iubet vt redeam, non reddet debile quicquam:
Nam ſi debilitas redit, inſtauratio non eſt:
Quod caſus rapuit, quod morbus, quod dolor hauſit
Quod truncauit edax ſenium populante veterno,
Omne reuertenti reparata in membra redibit.

D. Hieronymus ep. 61. ad Pammachium c. 9.

D. Hieronymus ep. 61. ad Pammachium decertans aduersùs errores Ioannis Ieroſolymitani, qui corpus quidem reſurrecturum confitebatur, ſed illud vel aëreum, vel æthereum, vel ſpiritale, non carneum fore contendebat, carnis reſurrectionem demonſtrat c. 9. *In Symbolo* (inquit) *fidei, & ſpei noſtræ, quod ab Apoſtolis traditum non ſcribitur in charta, & atramento, ſed in tabulis cordis carnalibus, poſt confeſſionem Trinitatis & vnitatem Eccleſiæ, omne Chriſtiani dogmatis ſacramentum carnis reſurrectione concluditur. Et tu in tantum in corporis, & iterum corporis, & tertiò corporis, & vſque nouies corporis, vel ſermone vel numero immoraris: nec ſemel nominas carnem, quod illi ſemper nominant carnem, corpus verò tacent.* Et cap. 11. fidem Eccleſiæ apertiſſimè confitetur. *Reſurrectionis veritas Catholica, ſine carne & oſſibus, ſine ſanguine & membris intelligi non poteſt; vbi caro, & oſſa, & ſanguis, & membra ſunt: ibi neceſſe eſt, vt ſexus diuerſitas ſit: vbi ſexus diuerſitas eſt: ibi Ioannes Ioannes, Maria Maria, &c.*

D. Auguſt. in Enchirid. cap. 84. 86. 87. 88.

D. Auguſtin. ſæpiſſimè corporum reſurrectionem inculcat, ac docet in Enchiridio ad Laurent. cap. 84. 86. 87. vbi docet monſtra quoque ipſa animata, emendata tamen, ac correcta natura ſurrectura eſſe, tum cap. 88. omnia hominum corpora quoquo modo abſumpta ſint, eadem ad vitam reuocanda diuina virtute eſſe affirmat. *Non perit* (inquit) *Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro: ſed in quemlibet puluerem cinerémve ſoluatur, in quoſlibet halitus, auráſve diffugiat: in quamcunque aliorum corporum ſubſtantiam, vel in ipſa elementa vertatur: in quorumcunque animalium etiam hominum cibum cedat, carnémque mutetur, illi animæ humanæ in puncto temporis reddit, quæ illam primitus vt homo fieret, creſceret, viueret, animauit.*

HVIVS rei rationem aſſignant Theologi in 4. quam hîc quoque annuit Auguſtinus: quandoquidem ea tantùm hominis caro ad reſurrectionis veritatem ſufficit, quæ ad hominis ſubſtantiam conſtituendam ſatis eſt; quæque primo ab anima animatur. Quapropter cùm hominum corpora ſiue à feris comeduntur, vel quod magis vrget, in aliorum hominum alimentum cedunt, ac in ſubſtantiam alitorum conuertuntur; cùm illud corporis augmentum ad neceſſariam illorum, qui his veſcuntur, naturæ integritatem non pertineat, quam in natiuitate priuſquam illorum carnibus veſcerentur, acceperant; in eo proculdubio abſumpta prioris carnis ſubſtantia aſſetuatur, tametſi in alterius ſubſtantiam tranſierit. Denique etſi tota, vel in alterius ſubſtantiam conuerſa, vel in auras diſſoluta eſſet, quandoquidem ea non in nihilum redigitur, ſed ſubſtantiales illius ſemper partes vel in alito, vel in elementis remanent, idcirco ea à Deo reparari poteſt; vt docet Auguſt. lib. 22. de Ciu. Dei c. 20. his verbis: *Vnde etiam quæſtio illa ſoluenda eſt, quæ difficilior videtur cæteris, cùm caro mortui hominis etiam alterius fit viuentis caro; cui potiùs eorum in reſurrectione reddatur.* Porrò infra quæſtionem ſoluens, ait: *Quicquid enim carnium exhauſit fames, vtique in auras eſt exhalatum; vnde diximus omnipotentem Deum poſſe reuocare quod fugit. Reddetur ergo caro illa homini, in quo eſſe caro humana primitus cœpit. Ab illo quippe altero tanquam mutuò ſumpta deputanda eſt: quæ ſicut æs alienum ei redhibenda eſt, vnde ſumpta eſt. Sua verò illi quem fames exinaniuerat, ab eo qui poteſt etiã exhalata reuocare, reddetur. Quamuis etſi omnibus periiſſet modis: nec vlla eius materies in vllis naturæ latebris remanſiſſet: vnde vellet, eam repararet omnipotens. Sed propter ſententiam veritatis, quæ dictum eſt. Capillus de capite veſtro non peribit: abſurdum eſt, vt putemus, cùm capillus hominis perire non poſſit, tantas carnes fame depaſtas, atque conſumptas perire potuiſſe.*

Auguſt. lib. 22. de Ciuit. Dei c. 20.

DENIQVE qui corporum reſurrectionem negant; omne Chriſtianæ fidei fundamentum euertunt; vt teſtatur Maximus Taurin. ſerm. in explicat. Symb. ita ſcribens: *Hic Religionis noſtræ finis* (ait) *hæc ſumma credendi eſt. Et reuera quis credens Deo poſſit de reſurre-*

Max. Taur. ſerm. in explicat Symb.

 ctione

Digitized by Google

ctione dubitarem; cùm manifeſtum ſit, hanc ſolam Chriſto cauſam fuiſſe naſcendi? Quæ enim alia ratio, quæve vtilitas erat, vt perpetuus carnem dignaretur aſſumere, niſi vt carnem perpetuitate donaret? Quæ gloria eſſet Dei Filium crucem non refugere, mortem expetere, perpeti ſepulturam, niſi vitam mortalibus præſtita reſurrectione conferret? Poſſe autem hoc fieri, facit diuinitas fidem, cui totum, quod vult, poſſe ſubſiſtit.

A

ATQVE hæc Patrum teſtimonia, & antiquus tum Scripturarum, tum Eccleſiæ conſenſus ad Hæreticos conuincendos ſufficiant.

B

Eadem demonſtratur quartò rationibus.

ARTICVLVS XV.

SVPEREST vt propoſitam Demonſtrationem nonnullis rationibus illuſtremus. Philoſophi qui minùs rectè de Deo ſentientes Dei potentiam intra naturæ vires concluſerunt, reſurrectionem corporum hac ratione impoſſibilem eſſe dixerunt, quòd ea omnem naturæ efficientiam effugeret, cui idem numero corruptum inſtaurare, omninò impoſſibile videtur. Hæretici verò illam potiùs idcirco negarunt; quòd neque animæ neceſſariam, neque vtilem eſſe iudicarent; cùm ea ſola abſque corpore poſſit ſubſiſtere; ac corporis ſocietas potiùs animæ impedimento ſit, ad nobiliores actus exercendos; vt manifeſtum eſt ex Tertulliano in lib. de reſurrectione carnis, vbi hanc rationem Hæreticis tribuit.

C

Tertullian.

VTRIQVE à nobis confutandi ſunt, ac primùm, qui Reſurrectionem Deo poſſibilem eſſe negarunt; ſit igitur prima ratio. Deus eſt auctor, & opifex naturæ humanæ. Igitur à fortiori illius iam corruptæ poteſt eſſe reparator. Aſſumptum ex Philoſophis notum eſt: nam & Plato, & Ariſtoteles, & quicunque Deum eſſe crediderunt, rerum omnium illi opificium detulerunt; ac præſertim hominum, quos à Ioue ſatos eſſe tradunt: quod ſuperiùs in prima Demonſtratione primi ſymboli ampliſſimè demonſtratum fuit.

D

CONSEQVENTIA verò probatur: nam ſi Deus potuit hominem ex nihilo condere, cur non poterit conditum, ac in partes diſſolutum inſtaurare? Maioris quippe operis, ac potentiæ eſt, res ex nihilo producere, quàm diſſolutas iterum excitare, & ad priorem formam reuocare.

E

Durandus.

DICENT fortè (vt arguit Durandus) implicationem inuoluere, quod corruptum idem numero redeat. Nam ſi res corrupta iterum eſt, ergo bis eſt; ergo habet duplicem durationem, ac conſequenter duplicem exiſtentiam. Non igitur eſt vna, & eadem, ſed diuerſæ res. At ratio hæc laborat ſophiſmate: neque enim neceſſe eſt, idem corruptum numero, poſtea ab eodem, vel ab alio agente inſtauratum, ita bis eſſe; vt duplicem exiſtentiam ex iterato eſſe ſibi vendicet. Quemadmodum ſi quiſpiam repentinà morte correptus ſtatim à Deo ſuſcitaretur, is quidem corruptà humanitate eſſe delineret, haud tamen ſuſcitatus aliud eſſe acquireret, aut alius à morte reſurgeret, quàm priùs fuerit; ſed idem prorſus numero rediret: vt patet de Lazaro à mortuis excitato, qui licèt verè mortuus, ac corruptus fuerit, haud tamen poſt redditam illi vitam, aut aliud eſſe comparauit, aut alter à Lazaro ſurrexit. Bis ergo fuiſſe Lazarus dici poteſt, at non gemina illius exiſtentia fuit, neque duplex Lazarus fuiſſe credendus eſt.

HVIVS ratio eſt, quia vt ait Scot. in 4. diſt. 43. q. 3. ea exiſtente materia ſub iiſdem conditionibus; eadem forma permanente ſeparata; eodem agente ſupernaturaliter operante; virtute illius agentis poteſt iterum eadem forma numero applicari eidem numero materiæ; tunc non alia res à priori diuerſa, ſed eadem prorſus inſtaurabitur; quò fit, vt & ea bis ſit, & tamen eadem numero exiſtat. *Scot. in 4. diſtinct. 43. quæſt. 3.*

OBIICIENT ſecundò, idem corruptum numero redire non poſſe. Nam quod corruptum eſt, amplius non eſt, igitur quod inſtauratur non poteſt eſſe idem numero, quod prius erat. Id patet in tempore corrupto, ac dilapſo, quod idem numero reparari non poteſt; cùm illud idem quod corruptum eſt, reuocari non poſſit. Id etiam manifeſtum fit exemplo figuli; qui cùm vas luteum in maſſam redigit ex eodem luto, nunquam idem vas componit, ſed illi tantùm ſimile in ſpecie: quia figura eadem numero non reuertitur: igitur pari ratione, cùm corpus humanum reſoluitur in materiam primam, quamuis ex illa effici poſſit corpus ſimile primo, tamen idem numero, quod erat priùs, reſtaurari non poteſt.

HVIC obiectioni reſpondetur duplicem eſſe rerum corruptionem. Quædam enim corruptio eſt, in qua nihil omninò corrupti remanet, velut cùm tempus corrumpitur, nihil prorſus præteriti temporis relinquitur; quod reparari poſſit; corrumpitur enim ſecundùm totum ſuum eſſe: quò fit, vt nouum quidem, & aliud tempus, ſecundùm nouum eſſe reparetur; idem verò ſecundùm numerum redire minimè valeat. Hinc ortum eſt tritum illud:

—— *Volat irreuocabile tempus.*

PORRO alia eſt rerum corruptio, in qua non totum, ſed aliquid tantum eſſe deperditur: veluti cùm homo moritur, perit quidem humanitas, quæ in partium coniunctione con

conſiſtit; at remanet anima immortalis, quæ eſt pars compoſiti; remanet etiam corpus, quod nondum corruptum eſt: quod ſi corruptum ſit, ſunt illius cineres, quibuſcum diuina virtute agente denuò copulatur anima, eandem numero humanitatem reſtituit, quæ priùs erat: iiſdem enim partibus ſimul coeuntibus idem totum reſurgere debet.

D. Thom. lib. 4. cont. Gent. c. 81.

HINC propoſitum argumentum diluitur. Nam quòd ait. Quod corruptum eſt, ampliùs non eſt; id de iis corruptis intelligendum eſt, quorum nihil omnino poſt corruptionem remanet; non autem de iis, in quibus aliquid tantùm eſſe deperditur, partibus adhuc in eſſe exiſtentibus. Quapropter id in priori tantùm exemplo de tempore corrupto locum habet, quod poſt corruptionem irreparabile omnes fatētur. At ſecundum exemplum de figulo haud illis fauere concedimus.

Richard. in 4. diſt. 43. art. 1. q. 1.

Huic enim exemplo reſpondent nonnulli, quòd ſi figulus omnes illius maſſæ partes ad eundem ſitum, in quo priùs erant, reduceret, eadem numero figura, atque idem prorſus vas numero reuerteretur: quemadmodum ex eiſdem tabulis vt priùs compoſitis, ac eodem modo; non alia, ſed eadem arca numero reſtitueretur.

Caiet. in lib. 4. cont. Gent.

ALII reſpondent; quòd quamuis natura id efficere non poſſit, vt idem corruptum vas numero reparetur; quia natura ſemper per aliquam formam operatur; quod autem corruptum eſt, formam amiſit, quæ poterat eſſe actionis principium; tamen diuina virtus cùm formam ad operandum non requirat, abſque ea naturæ effectum producere poteſt; quò fit, vt cùm eadem rebus corruptis maneat, corruptum illud vas in integrum reparare poſſit.

AT facilior mihi videtur reſponſio, quæ perfectiùs totum hunc difficultatis nodum ſoluat. Nam ſicut corruptio, ita & reparatio duplex eſſe poteſt, quædam ſecundùm ſubſtantiam, altera ſecundùm accidens. Res enim corrupta, vel ſecundùm eandem ſubſtantiam, quæ priùs erat, dicitur reparari, vel ſecundùm eandem ſubſtantiam, & eadem omnino accidentia ſimul: porrò quod idem corruptum numero redire dicatur, haud opus eſt eadem omnino accidentia reſtitui, quæ corrupta ſunt; cùm enim illa nullum eſſe permanens extra ſubſtantiam ſibi vendicent, ſanè conſtat corrupta ſubſtantia ea omnino interire, cùm in earum rerum genere conſtituantur, quæ ſecundùm totum ſuum eſſe corrumpuntur: quò fit, vt illa poſtquàm ſemel corrupta ſunt, eadem numero redire non queant. At ſatis erit, illud ſecundùm eandem ſubſtantiam numero redire.

ID in propoſito manifeſtum eſt: figulus enim ex eadem maſſæ ſubſtantia idem vas reſingens, dummodò eandem figuram, quæ ſpeciem non mutet, retineat, tametſi corrupta priùs accidentia non reddat; haud tamen idem vas numero reparari deſinit; cùm ex eadem ſubſtantia, qua velut ſingulare à cæteris ſecernitur, vas illud denuò componat. Ita de corporum reſurrectione ſentiendum eſt. Quòd enim eadem numero corpora reſurgant, haud neceſſarium eſt, eadem prorſus accidentia numero quæ corrupta ſunt, ad rediuina corpora redire: immò nec redire dicimus, nobiliora ſiquidem iuſtorum corporibus accidentia ſuccedent, quæ formoſiora ea præſtabunt. Satis verò fuerit diuinam virtutem ex eadem corporum ſubſtantia eoſdem homines reparare, vt eadem illis copulata anima idem prorſus numero perfectus homo reſtituatur.

SECVNDA ratio. Deus omnia efficere poteſt, quæ repugnantiam non inuoluunt, ſed corporum reſurrectio nullam repugnantiam inuoluit, Deus igitur illam poteſt efficere. Maior patet ex Philoſopho. Nam in ordine agentium dandum eſt ſummum agens, ac ſupremum: datur enim infimum agens, quod pauca efficere valet, datur & nobilius quod plura operatur. Igitur & ſummum debet dari, quod omnia moliri queat, quæ factu poſſibilia ſunt, ac contradictionem non implicant.

MINOR verò probatur. Neque enim magis diuinæ poteſtati repugnat corporum reſurrectio, quàm diurnæ lucis amiſſæ reparatio, quàm veris, æſtatis, ac aliorum temporum reſtitutio, quàm olerum, herbarum, arborum renouatio: quàm corruptorum ſeminum pullulatio, quàm renouatæ Lunæ viciſſitudines, quæ ſingulis menſibus redeunt, quàm ſyderum ortus & occaſus, quàm præclara illa Phænicis reſurrectio. Denique, vt ait Tertullian. lib. de reſurrect. carnis: *Totus hic ordo reuolubilis rerum teſtatio eſt reſurrectionis mortuorum. Operibus eam praſcripſit Deus antequam literis: viribus prædicauit antequam vocibus. Præmiſit tibi naturam Magiſtram, ſubmiſſurus & Prophetiam, quò faciliùs credas Prophetiæ, diſcipulus naturæ: quò ſtatim admittas, cùm audieris, quod vbique iam videris: nec dubites Deum carnis etiam reſuſcitatorem, quem omnium noris reſtitutorem.* Cùm igitur tot rerum reſtitutio Deo impoſſibilis non ſit, ſanè nec corporum reſurrectio illi impoſſibilis exiſtimari debet.

Tertull. lib. de reſurrect. carnis.

TERTIA ratio. Deum omnia ſcire, & omnia poſſe exploratum eſt; neque enim ex celebriorum Philoſophorum ſententia Deus appellari poſſet: ſi aliquid vel ſcientiam, vel potentiam eius effugeret. Hinc illa eſt communis omnibus de Deo conceptio indita, qui Deum id eſſe exiſtimant, quo nihil maius, aut præſtantius excogitari poteſt. At ſicut Deus cùm hominem compoſuit, optimè nouit, quibus elementis, ac elementorum particulis, quomodo, quando, qua ratione copulandæ illæ

illæ eſſent, vt integrum hominis corpus conſtituerent. Ita diſſoluto corpore exactiſſimè intelligit, quonam partes illę abierint, vbi deliteſcant, quomodo in idem corpus vt priùs coaleſcere, ac componi queant, ac eandem corporis formam recipere, vt eundem prorſus hominem reddant. Quemadmodum igitur Deus Opt. Max. cùm hominem condidit ab initio, illas elementorum particulas colligere potuit, ac ſimul copulare, & ex iis integrum hominem reddere. Cur idem non poterit diſſolutas illas, ac diſſitas corporis particulas iterum colligere, iterum ſimul copulare, atque eundem numero iterum hominem reſtituere?

S. Auguſt.
S. Thom.

Venio ad Hæreticos, qui corporum reſurrectionem poſſibilem quidem, ſed non neceſſariam, atque inutilem eſſe iudicant: quibus primùm demonſtrandum eſt, hominem ipſo ſuæ naturæ appetitu ad reſurrectionem tendere; vt hinc non fruſtrà corporum reſurrectionem expectare diſcant. Id enim exploratum eſt teſte Auguſtino lib. 12. Gen. ad lit. c. 35. ac D Thom. 1. p quæſt. 76. art. 1. ad 6. in anima ſeparata appetitum quendam manere, quo iterum corpori vniri expetit: cùm enim perfecta hominis natura ex anima & corpore conſtet; ea ſanè integra eſſe non poteſt, quandiu anima à corpore ſeiuncta manet, quò fit, vt ea irrequieto appetitu ad hominis perfectionem inhians, cuius ſe tantùm partem eſſe agnoſcit, corpori iterum vniri appetat: vt ea totius hominis perfectione, perfecta eſſe queat. Cùm igitur non fruſtrà hic appetitus, qui ab illius natura fluit animæ inſit; ſed neceſſariò expleri debeat, ne immortalem animæ anguſtiam comparemus; ſanè nec fruſtrà corporum reſurrectio expectatur, cùm illa naturalem hunc animæ appetitum explere debeat, quo ſuperſtite perfectè anima beata eſſe non poteſt.

Qvinta ratio. Totus homo naturaliter ad beatitudinem tendit: igitur totus homo ſi faciat quod in ſe eſt, beatitudinem conſequi debet. Patet aſſumptum; appetitus enim naturalis nunquam fruſtrà eſſe poteſt, cùm à Deo ſit: Deus enim & natura nihil agunt fruſtrà. Quapropter illius conſequutio impediri nequit, niſi lex ſuperna obſtet; at corpus beatum eſſe non poteſt, niſi priùs reſurgat; igitur corpus, vt beatitudinem aſſequatur, reſurgere debet.

Neqve ſatisfit appetitui ſpeciei, quòd anima ſola beatitudinem adipiſcatur. Anima enim non eſt homo, ſed anima & corpus ſimul coniuncta.

Sexta ratio ex Dei prouidentia deſumitur; quæ cùm hominem anima & corpore conſtare voluerit, vtrique aut pœnam, aut præmium decreuit, ob eas præſertim actiones, quæ tam corpori, quàm animæ communes ſunt. Hoc autem prouidentiæ decretum ante peractum mortalis huius vitæ curſum impleri nequit, cùm necdum compoſiti operationes abſolutæ ſint, atque hîc plerumque etiam probos calamitatibus affici, improbos honoribus augeri cernamus. Poſt verò corporis diſſolutionem necdum commune hoc animæ & corporis iudicium exerceri poteſt, niſi ſequatur corporum reſurrectio. Corpus igitur reſurgere neceſſe eſt, vt diuinæ hoc prouidentiæ opus impleri valeat; & vtrumque ſimul, & anima, & corpus iuxta meritorum regulam aut præmia, aut ſupplicia ferat.

Septima ratio ab ipſa Dei iuſtitia petitur, qua ius ſuum vnicuique tribuit. Corpori itaque quod animæ in laboribus, & anguſtiis pro Chriſto tolerandis ſocium fuit, quod caſtitatem coluit, quod abſtinentiam exercuit, quod virtutum ac ſanctimoniæ ſtudio vacauit, quod martyrium pertulit, quod animæ tandem in Dei cultu comes fuit; quo iure laborum præmia denegari debent? Contra cùm vitia plerumque non ſolius animæ ſint, ſed à toto compoſito contrahantur: & pleraque anima crimina admittat, quæ minimè perpetraret, niſi ad ea corporis blanditiis pertraheretur, qua lege à pœnis corpus liberũ ac immune eſſe debet? Vtraque igitur hæc diuinæ iuſtitiæ lex fateri cogit, futuram aliquãdo eſſe corporum reſurrectionem, quæ corpora rurſus viuificet, ac Dei iudicio præmiis, vel ſuppliciis afficienda ſtatuat. Quæ ratio eſt Tertull. lib. de reſurrect. carnis Gregor. Nyſſeni oratione 3. de reſurrect. Ambroſ. oratione de fide reſurrect.

Tertullian.
Greg. Nyſſen.
Ambroſ.

Postremo ipſa Chriſti reſurrectio omnium corporum futuram reſurrectionem demonſtrat: vbi enim capitis reſurrectio præceſſit, ibi membrorum reſurrectionem ſequi neceſſe eſt. Quare, vt Turtulliani verbis vtar: *Reſurget caro, & quidem omnis, & quidem ipſa, & quidem integra in depoſito eſt vbicunque apud Deum, per fideliſſimum ſequeſtrem Dei & hominum Ieſum Chriſtum, qui & homini Deum, & hominem Deo reddet, carnem ſpiritui, & ſpiritum carni. Vtrumque iam in ſemetipſo fœderauit, ſponſam ſponſo, & ſponſum ſponſæ comparauit.*

Tertullian.

Demonſtratur gloria corporum.

Articvlvs XVI.

Qvoniam ea eſt aduerſariorum impietas, vt nihil poſt corporis funera homini præter puluerem expectandum relinquant: eapropter cùm hactenus animarum immortalitatem, proborum gloriam, & corporum reſurrectionem iis animo ſpectandam obtulerimus; nunc iiſdem corporum beatitudinem grauiſſimis teſtimoniis mox demonſtrandam proponimus: vt extinctos in

morte

morte corporum cineres, ac fauillas non ſolùm rediuiuus, ac immortales reſurgere; verùm & ſi in bonum cum anima conſpirauerint, poſt reſurrectionem beandos eſſe ſibi perſuaſum habeant.

Neqve hìc illos recenſere opus eſt, qui corporum beatitudinem ſuſtulerunt, cùm hæc illis communis tantùm impietas fuerit, qui reſurrectionem corporum oppugnarunt, quos in ſuperiori particula commemorauimus.

Ex Philoſophis haud dubium eſt, quin ij, qui hominum corpora aliquando reſurrectura ſenſerunt, illorum quoque futuram beatitudinem docuerint: quorſum enim corpora, præſertim iuſtorum reſurrectura exiſtimarent, niſi ea poſt reſurrectionem cum anima communi gloriæ conſortio copulanda eſſe crederent? Ita præclarè docet Mercurius Trimegiſtus in Pimandro cap. 1. Plato in Phędro, & de Rep. Dialog. 10. Democritus referente Plinio. Pythagoras, & alij. *Merc. Trim. Democrit. Pythagoras.*

Ex Scripturis plura ſuppetunt teſtimonia, quæ corporum futuram beatitudinem apertè demonſtrant. Primum teſtimonium eſt apud Iob. cap. 19. vbi hac ſpe alitur, quòd futurum aliquod tempus ſit, in quo Dei glo- C riam proprijs carnis oculis corpore beatus conſpiciat. *Et in carne mea* (inquit) *videbo Deum Saluatorem meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt.* *Iob.19.* Quidam ſuſpicati ſunt Iobum hoc loco filij Dei duntaxat aduentum in carne prædicere, cùm ait ſe Deum Saluatorem in carne ſua, in qua ſcilicet homo futurus eſt, conſpecturum. Quomodo verò Iob Filium Dei in carne conſpexerit; cùm longè ante Chriſtum diem ſuum obierit. Reſpondent, eodem modo Iob Chriſtum vidiſſe, quo Abraham, de quo ipſe Chriſtus teſtatus eſt Ioan. 8. *Ioan.8.* D *Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum; vidit, & gauiſus eſt.* Animo ſcilicet, ac ſpiritu, quandoquidem vterq; etſi non carne, ſpiritu tamen Saluatoris aduentum contemplatus eſt.

At obſtat ipſa literæ ſeries. Priùs enim Iob apertè de corporis ſui reſurrectione egerat illis verbis. *Scio quòd Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum*, & ſtatim addit. *Et in carne mea videbo Deum Saluatorem meum.* Quò fit, vt hæc viſio poſt reſurrectionem differri debeat: neque ad Chriſti carnem referri poſſit, quam iam tum ante reſurrectionem ſpiritu contemplabatur: ſed E ad corporeum Iobi aſpectum pertineat, quo Chriſtum poſt reſurrectionem iudicem viſurus erat. Quod poſterioribus verbis magis confirmat, cùm ait. *Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt.* Vbi enim oculi, ibi caput, ibi corpus: vbi idem ipſe Iob, ibi ſimul & anima, & corpus, ibi corporis membra reperiri debent. Demum vt ait D. Hie- A ron. epiſt. 61. ad Pammachium c. 10 *Si non eiſdem membris, quæ iacuêre in ſtercore: ſi non eoſdem oculos aperiat ad videndum Deum, quibus tunc videbat vermiculos, vbi erit ergo Iob?* *D.Hieron.* Quapropter hunc ſenſum idem Hieron. eodem loco proſequitur. *Quando* (inquit) *omnis caro videbit ſalutare Dei, id eſt, Ieſum Deum, tunc & ego videbo Redemptorem, & Saluatorem, & Deum meum: videbo autem in iſta carne, quæ me nunc cruciat, quæ nunc præ dolore diſtillat.* Qui ſenſus eſt omnibus Patribus communis, qui ex eo corporum & reſurrectionem, & beatitudinem colligunt.

B Secvndvm teſtimonium eſt Daniel. 12. *Daniel.12.* *Et multi de his, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt. Alij in vitam æternam, & alij in opprobrium, vt videant ſemper.* Ratio ipſa, ac recta fides docet, animas eſſe immortales, & cum corpore in præiacentem materiam non reſolui: quapropter hæc à Daniele de animabus dicta eſſe non poſſunt, quæ cùm perpetuæ vitæ munus ab ipſa ſui conditione à Deo acceperint, nequaquam in terræ puluere dormiunt, velut proprijs cineribus ſepultæ, ſed perpetuò, ac perenniter euigilabunt. De corporibus igitur hæc dicta eſſe perſpicuum eſt, C quæ nunc in puluere dormiunt; quibus cùm certa ſpes reſurgendi relicta ſit, quodam quaſi ſomno ſopita in ſepulchris quieſcunt; donec in nouiſſimo die rurſus euigilatura excitentur. Sed licèt omnium corporum æqua ſit reſurrectio, haud tamen poſt reſurrectionem par omnibus ſors futura eſt: nam vt Daniel ait. *Euigilabunt alij in vitam æternam, alij in opprobrium ſempiternum.* His quæ velut membra iniquitatis peccato ſeruierunt, æternum opprobrium, ac maledictio repoſita eſt apud Tartarum, vbi perpetuas pœnas luent. Ea verò quæ cum animabus in Dei obſequio præ- D clarè ſe geſſerunt, immortalem poſt ſomnum, ac reſurrectionem beatitudinem accipient. Ex quo patet iuſtorum corpora poſt reſurrectionem futura eſſe beata, ac glorioſa. Quod explicat Dionyſius Areop. Eccleſ. Hierarch. cap. 7. his verbis. *D.Dionyſ.* *Caſta* (inquit) *ſanctarum animarum corpora pro ſacris ſudoribus ſuis, in animarum immutabili ſecundùm diuinam vitam firmitate, ac ſede reſurrectionem quoque vnam recipient propriam. Inſerta enim animabus ſanctis, quibus in hac vita iuncta fuerant, vt Chriſti effecta membra, diuinam, atque immortalem beatámque recipient requiem. In his ergo eſt Sancto-* E *rum quieta obdormitio in lætitia, & ſpe immobili, cùm ad Sanctorum certaminum peruenerint finem.*

Tertivm teſtimonium eſt Matthæi 25. *Matth.25.* *Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt. Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi* Poſt reſurrectionem corporum, cùm Electorum animæ rurſus ſuis corporibus copulatæ fuerint; poſt

exactiſſi

exactiſſimam meritorũ diſcuſſionem, in qua tam animæ quàm corporis actus examinandi ſunt; vt digna quiſque præmia referat: vtrumque tam corpus, quàm animam Chriſtus Opt. Max: ad paratam ſibi beatitudinem acceſſet. Anima quidem paratũ ſibi Regnum poſſidebit, quod in Dei tum viſione, tum fruitione poſitum eſt: corpus verò, & ipſum ſuo Regno potietur, cùm ex gloriæ animæ redũdantia præclaras illas ac glorioſas impaſſibilitatis, claritatis, agilitatis ac ſubtilitatis dotes perceperit; de quibus Auguſt. lib. de Spiritu & anima agit his verbis: *Habebit terra noſtra immortalitatem, ne timeat denuò ſe in puluerem redigendam: reſurgens enim corpus noſtrum iam non moritur; habet etiam impaſſibilitatem, ne miſeriis ſubdatur. Tanta etiam in eo agilitas, vt poſſint beati, ſi velint, abſque vlla mora, & difficultate ipſam quoque cogitationum noſtrarum ſequi ad omnia velocitatem. Deeſt adhuc pulchritudo hanc perfectiſſimam habituris. Saluatorem enim expectamus, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ, exhibens quod promiſit, quoniam fulgebunt iuſti ſicut Sol in Regno Patris eorum.*

Aug. lib. de Spiritu & anima.

Philip. 3.

Sap. 3.

Io. 5.

QVARTVM teſtim. habetur Ioan. 5. *Venit hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij.* Efficaciſſima Chriſti Domini voce, quæ per Archangelum toto orbe reſonabit, omnium hominum corpora; non ea ſolùm, quæ monumentis clauduntur; ſed quæ vbique in puluere dormiunt, rediuiua reſurgere, ex hoc ipſo teſtimonio nuper collegimus, cùm de mortuorum reſurrectione ageremus. Nunc quod præſentis negotij eſt; corporum beatitudinem Chriſtus apertè declarat, quando corporum reſurrectionem docet eò tendere; vt qui bonis operibus inſudarunt, ad vitæ æternæ fœlicitatem procedant: fruſtra enim ad præmia reddenda corporum reſurrectio expectaretur, ſi nulla corporibus poſt reſurrectionem laborum merces conferenda eſſet. Ita locum explicat Cyrillus Alex. lib. 4. in Io. cap. 12. *Nonne* (inquit) *vniuerſum humanum genus, quod in mortem cecidit, ad vitam recurret? Omnino ita futurum reſpondebimus: reſurgent enim mortui. Sed qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, vt ſcribitur.* Et Theophylactus ad cap. 6. Ioannis: *Duplex* (inquit) *eſt reſurrectio: vna quidem communis, & generalis, qua omnes etiam peccatores reſurgunt: altera qua ſoli iuſti aſſumuntur in occurſum Domini in aëra, & priùs cum magna fiducia Domino occurrunt. Hanc autem reſurrectionem Paulus* ἐξανάστασιν*, hoc eſt, exſurrectionem nominat propter eleuationem à terra. Peccatores enim reſurgent quidem de ſepulchris in terram, de terra autem non exurgent in aërem: infrà enim manebunt ſicut condemnati. At ita iuſti reſurgunt, & exurgunt, qui rapiuntur in nubibus in occurſum Domini in aëra.*

Cyrill. Alex. lib. 4. in Io. cap. 12.

Theophylactus ad cap. 6. Io.

QVINTVM teſtimon. extat apud Paulum 1. Corinth. 15. *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.* Surgent pij, ſurgent & impij, ſed hæc erit inter pios, & impios differentia; quòd piorum corpora in reſurrectione immutabuntur, impiorum verò corpora nullam prorſus immutationem ſuſcipient. Quæ verò hæc immutatio cenſenda ſit, declarat Ambroſius Anſbertus lib. 9. in c. 20. Apoc. *Apoſtolus* (ait) *cùm omnes dicat reſurgere incorruptos, quæ ſit tamen electorum mentis incorruptio deſignat, dicens: Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. Ergo quia non ſolùm incorruptionem corporis; verùm etiam incommutabilitatem mentis recipiunt, ab ea ſpecie, quam nunc habent, tanquam cælum & terra tranſeuntes in pulchriorem ſtatum commutatur: & quaſi ipſi iam non ſunt, ſed alij dum à vetuſtate primæ corruptionis in nouitatem tranſeunt nouæ regenerationis: non quò (vt quidam Hæretici putarunt) veritatem carnis habere deſinant, ſed quò (vt dictum eſt) vetuſtatem corruptionis, ac mutabilitatis amittant.*

1. Cor. 15.

Ambroſius Anſbertus lib. 9. in cap. 20. Apoc.

DENIQVE hæc immutatio iuſtorum potiſſimùm corporibus inerit, dum quæ hîc obſcura erant, ibi clariſſima euadent; quæ nunc grauia, tunc agiliſſima fient; quæ modò innumeris paſſionibus obnoxia videntur, impaſſibilia reddentur; quæ tandem hîc craſſiora cernuntur, illic tenuiſſima ac ſubtiliſſima conſpicientur.

NEQVE Origenis error recipiendus eſt, qui immutationem hanc in aliam corporum naturam futuram eſſe exponit: nam vt Rabanus de vniuerſo lib. 4. cap. 10. ait: *Si id reſurgere dicitur, quod cadit: caro ergo noſtra, ſicut in veritate cadit, ita in veritate reſurget, & non ſecũdùm Origenem immutatio corporum erit, id eſt, aliud nouum corpus pro carne, ſed eadem caro corruptibilis tam iuſtorum, quàm iniuſtorum incorruptibilis reſurget, vt vel pœnam ſufferre poſſit pro peccatis, vel in gloria æterna manere pro meritis.*

Rabanus de vniuerſo lib. 4. cap. 10.

SEXTVM teſtimonium habetur eodem capite. *Stella enim à ſtella differt in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione: ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria.* Quibus verbis Paulus ſtellarum claritati primùm beatorum corpora comparat; ob claritatis dotem, qua poſt reſurrectionem illuſtriſſima euadent: in his tamen gradus aliquos futuros eſſe docet, nam ſicut ſtella altera ſtella clarior, ac lucidior oritur: ita aliqua beatorum corpora cætera luminis claritate excellent, quibus ſc. copioſius gloriæ donum à Deo collatum erit. Nec mirum, cùm nec æqualis ſit omnium labor, nec par laborum merces; quò fit, vt ſingula beatorum corpora, quemadmodum & animæ,

1. Cor. 15.

plurimùm

Euch. hom. in natali vnius Confeſſ.

plurimum inter ſe gloria diſtent. Ita hunc locum exponit Eucherius Lugdun. hom. in Natali vnius Confeſſoris his verbis. *Qui plus laborauerit, plus mercedis accipiet. Stella enim) vt Apoſtolus ait) differt à ſtella in claritate, ſic & Reſurrectio mortuorum. Quamuis igitur omnes beati erunt, non tamen omnes æquales erunt.*

PORRÒ ſi quis à Paulo ſciſcitetur, quænam cauſa ſit, cur iuſtorum corpora æterna animæ beatitudine frui debeant: eam eſſe dicit; quòd ea velut quædam animata ſemina in corruptione, in ignobilitate, in infirmitate iacta fuerint & emortua: ex quo inde factum eſt, vt poſtea in incorruptionem, in gloriam, in virtutem eruperint: nam (vt idem Apoſtolus ait) *Quod ſeminatur, non viuificatur, niſi priùs moriatur.* Et apud Ioan. 12. Chriſtus inquit. *Niſi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi verò mortuum fuerit, multum fructum affert.* Id igitur corpori preſſuræ, labores, anguſtiæ, caſtigationes, mortes patiunt, vt illuſtrius, ac beatius poſt Reſurrectionem ad gloriam exurgat.

Ioan. 12.

Apoc. 7.

SEPTIMVM teſtimon. habetur Apoc. 7. vbi Ioannes beatorum corporum gloriam deſcribens, ait. *Non eſurient, neque ſitient amplius, nec cadet ſuper illos Sol, neque vllus æſtus: quoniam agnus, qui in medio throni eſt, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Ex his verbis tria ad beatorum corporum ſtatum pertinentia colligimus.

Auguſt. de Symbol.

PRIMVM, beatorum corpora nullis amplius prioribus miſeriis, ac calamitatibus affici, quibus antea cùm mortalia eſſent, ſubiecta erant: nam, vt Aug. ait de ſymbolo ad Catechum. lib. 3. c. 12. *Non eſt ibi mors, non eſt ibi luctus, non eſt ibi laſſitudo, non eſt infirmitas, nō eſt fames, nulla ſitis, nullus æſtus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla mæſtitia, nulla triſtitia.* Et Cypr. de Aſcenſ. Domini. *Non ſeneſcent, non tabeſcent, non putreſcent amplius. Perpetua ſanitas, fælix æternitas beatitudinis illis ſufficientiam confirmabunt. Non erit concupiſcentia in membris, non vltra illa exurget rebellio carnis: ſed totus hominis ſtatus, pudicus, & pacificus; ſana ex integro natura, ſine omni macula, & ruga deinceps permanebit.*

SECVNDVM, beatorum corpora ſuauitate maxima perfundi, ac lætitia affici; dum diuini illius Agni præſentia, ac humanitate fruuntur, à quo ad ineffabiles illos voluptatum æternæ vitæ fontes inebriandi ducuntur; ſicut de iis teſtatur Dauid Pſalm. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te eſt fons vitæ:* quo ſanè ſignificatur (vt explicat D. Aug. in comment. huius Pſalmi) beatos tam animo, quàm corpore, tãtam voluptatis vim ex immēſo illo bonorum cumulo, ac deliciarũ cæleſtiũ affluentia hauſturos: vt quēadmodũ qui vinum immoderatè biberet, à mentis poteſtate deturbaretur: ita beatorum mentes & corpora duplici illa gloriæ ſtola accepta, & ineffabili illius lætitia hauſta, velut ebria quodammodo deficere videantur. Quod egregiè declarat Cyprianus de Chriſti Aſcenſione: *Exultabunt ſanè* (inquit) *ſancti in gloria, videbunt Deum, & gaudebunt, lætabuntur, & delectabuntur, & fruentur gloria, & in fælicitate iucundabuntur æterna. Ibi non guſtabunt, quàm ſuauis eſt Deus; ſed implebuntur, & ſatiabuntur dulcedine mirifica: nihil eis deerit, nihil oberit: omne deſiderium eorum Chriſtus præſens implebit:* & poſt pauca. *Erit denique Deus omnia in omnibus, & illius præſentia omnes animæ, & corporis implebit appetitus.*

Auguſtin.

Cyprian. de Chriſti Aſcenſione.

Apoc. 7.

POSTREMO; maximam beatorum corporum felicitatem futuram eſſe indicat, cùm ait: *Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Lacrymæ enim corporis ſunt, ex intenſis illius anguſtiis erumpentes. Corporum verò felicitas ex duobus oritur, primùm, cùm pœnæ omnes, metus, calamitates, ac mala omnia, quibus ea angi poſſunt, ab iis quàm longè repelluntur. Deinde cùm bonorum omniũ copiam, quibus recreari poſſunt, accipiũt. Vtraque hæc fœlicitas his extremis verbis comprehenditur: nã primò quidem Deus à beatorum corporibus, non modò omnium præteritarum pœnarum, quas hîc paſſa ſunt, ac amaritudinũ lacrymas abſterget: ſed etiam omnem futurarum lacrymarum cauſam præſcindet; vt iam nihil, quod ab iis lacrymas extrahere valeat, illis occurrere valeat (vt exponit Haimo) *Omnem* (inquit) *lacrymam ab oculis electorum Deus abſterget, quia neque timore arctabuntur pœnarum, neque iam differentur à Regno, quod præſentialiter poſſidebunt, neque etiam aliorum peccata deflebunt: quia iuſto Dei iudicio damnatis reprobis nullus deinceps peccare poterit.*

Haimo ad c. 21. Apoc.

TVM abſterſa à beatorum corporibus omnium lacrymarum cauſa, totius lætitiæ fons in ea influet; quandoquidem cœleſtium deliciarum copia exuberabũt; quod hoc exemplo Pannonius hoc loco demonſtrat. Nam quemadmodum paruulos plorantes teneræ matres amplecti ſolent, ac eis lacrymas abſtergere, tum blanditiis delinire, ac vbera porrigere. Ita Deus electos, qui plorantes ac lacrymas fundentes hinc diſcedunt, benignè in nouiſſimo iudicij die excipiet, iis priores lacrymas abſterget, blandè conſolabitur, ac teneræ matris inſtar cœleſtium voluptatum vbera porriget. Quod olim teſtatus eſt Deus per Iſa. 66. *Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita ego conſolabor vos.*

Pannonius

Iſa. 66.

CÆTERVM ex Patribus nemo eſt, qui futuram corporum beatitudinem non doceat: nam ex Græcis D. Dionyſius Areopagita de diuin. nomin. cap. 1. de beatitudine cor-

D. Dionyſius Areop. de diuin. nomin. cap. 1.

porum ita diſſerit. *Tunc verò, quando incorruptibiles immortaléſque facti erimus, & ad imaginem Chriſti beatiſſima dignati requie ſemper (vt ſcriptum eſt) cùm Domino erimus. Viſibili quidem ipſius diuina præſentia caſtiſſimè contemplando fruentes, lucidiſſimis nos circunfulgente luminibus, non ſecus, ac diſcipulos in ſacratiſſima illa transfiguratione ſua* Idem teſtatur Eccleſ. Hierarch.c.7.

D. Gregor. Nyſſenus Oratione prima de pauperib. amandis.

D. Greg. Nyſſenus Oratione prima de pauperibus amandis eam apertè tradit. *Nunc quidem* (inquit) *præclaram ſpem, & lætitiæ plenam expectationem pollicetur: pòſt autem quando iſtius aſſiduè fluentis carnis ſpoliis exuti immortalitatem induerimus, vitam beatam, nullum finem habituram, nullis malis obnoxiam, in ſummis & admirandis, quæque hîc à nobis cognitione comprehendi non poſſunt, verſantem gaudiis & voluptatibus.*

D. Io. Chryſ. Epiſt. 5. ad Theodor. lapſum.

D. Ioann. Chryſoſt. Epiſt. 5. ad Theodor. lapſum, beatorum corporum bona enumetans, ait. *Non erit illîc ſenium, nec ſenecta mala; quæque obnoxia ſunt corruptioni è medio, & è pedibus (quod aiunt) tollentur. Omnia occupabit vbique incorruptibilis gloria, & quod omnium longè eſt maximum, continua fruentur conuerſatione cum Chriſto.* Et infrà. *Etenim nunc cum corruptionis particeps multa patitur, quæ ferre corpus contingit: cum verò hæc vniuerſa reiiciet, nobiſque exhibebit elegantē & incorruptibilem habitudinem; incorruptibile nanciſcetur anima corpus, quæ & ipſa in melius formabitur.* Et iterùm poſt pauca de transfiguratione corporis Chriſti in morte agens. *Quidnam*, ait, *ſplenduit*, inquit, *ſicut Sol? Cæterùm incorruptibilium corporum gloria non tantam lucem demittit, quantam illud corruptibile corpus, neq; talem eiuſmodi oculi mortales capere ſufficiunt.* Vides quā præclara bona beatorum corpora poſt iudicium manent, cùm malis omnibus expoliata animę quodammodo gloriam æmulabuntur.

Io. Caſſian. collat. 1. c. 10.

Eandem corporū beatitudinem tradit Ioann. Caſſianus collat. 1. c. 10. *Exercitia* (inquit) *monaſtica in vita futura ceſſabunt, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem: corpuſque illud, quod nunc animale eſt, ſurrexerit ſpirituale, & cœperit caro non eſſe iam talis, vt aduerſus ſpiritum concupiſcat.*

Theoph. Antioch. lib. 1. ad Autol.

De hac etiam præclarè ſentit Theophilus Antiochenus lib. 1. ad Autolycum vbi ait. *Deus ſuſcitabit carnem tuam, eámque vnà cum anima immortalitate donabit. Tunc igitur ſi nunc fidem habueris immortalitate amictus Deum conſpicabere.*

Irenæus lib. 2. c. 51. & 62.

Hanc pleriſque in locis defendit Irenæus, primùm lib. 2. c. 51. vbi corpora beatorum ipſius iuſtitiæ iure, cuius ſimul cum animabus participia ſunt, coronanda eſſe probat. Et c. 62. vbi iuſtos omnes ſuis corporibus amictos, in quibus Deo placuerunt, reſurrecturos; ac vnà cum iis beatitudine coronādos

Lib. 5. cap. 2.

A affirmat: tandem lib. 5. cap. 2. duplici ſimilitudine idipſum confirmat. *Quemadmodum* (inquit) *lignum vitis depoſitum in terra, ſuo fructificat tempore: & granum tritici decidens in terram, & diſſolutum multiplex ſurgit per Spiritum Dei, qui continet omnia, quæ deinde per ſapientiam in vſum hominibus veniunt, & percipientia verbum Dei Euchariſtia fiunt, quod eſt corpus & ſanguis Chriſti: ſic & noſtra corpora ex ea nutrita, & repoſita in terram, & reſoluta in ea, reſurgent in ſuo tempore verbo Dei reſurrectionem eis donante in gloriam Dei Patris, qui huic mortali immortalitatem circundat, & corruptibili incor-
B ruptelam perpetuò donat.*

Cyprian. ſer. de Chriſti reſurrect.

Porro ex Latinis Cyprianus de Cardinalibus Chriſti operibus ſerm. de Chriſti reſurrectione de corporum beatitudine præclarè agit. *Inerit* (inquit) *reſuſcitatis corporibus nulli vanitati ſubiecta libertas, & quæ cogi non poſſit ad aliquid; in nullo laborans, iam à ſpe educta reipſa perfruens, nulla expectatione ſuſpenſa, & in pace qu[…]tiſſima confirmata; omniſque expers formidinis, in ſpiritualibus deliciis iugis illa permanſio reflorebit.* Vides Cyprianum vniuerſa ferè hîc commemorare, quæ priora Scripturarum teſtimonia de corporum bea-
C titudine docuerant.

Lactant. lib. 7. Inſt. c. 22.

Idem confirmat Lactantius Inſtit. cap. 22. lib. 7. *Deus veniet* (inquit) *vt orbe hoc ab omni labe purgato, rediuiuas iuſtorum animas corporibus innouatis ad ſempiternam beatitudinem ſuſcitet.*

Hilarius in Pſal. 55.

Præclare quoque Hilarius de corporum gloria diſſerit in Pſ. 55. his verbis: *Neque enim reſurrecturis omnibus ab exteriore materia corpus acquiritur, neque peregrinæ originis, externarúmque cauſarum natura recipitur, ſed idipſum in profectum æternæ claritatis emergit: fitq; in eo demutatione potiùs quàm creatione, quòd
D nouum ſit.*

D. Ambroſ. oratione de fide reſur.

D. Ambroſius otatione de fide reſurrect. ex præmio corpori debiro illius beatitudinem colligit: *Hæc eſt ſeries* (inquit) *& cauſa iuſtitiæ; vt quoniam corporis animique communis eſt actus; quæ animus cogitauit, corpus effecit, vtrumque in iudicium veniat, vtrumque aut pœnæ dedatur, aut gloriæ reſeruetur.*

D. Aug. lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 20.

D. Auguſt. lib. 22 de Ciuit. Dei cap. 20. inter cætera beatorum corporum otnamenta, etiam volnerum cicatrices in Martytum corporibus fulgenres enumerat. *Sed ſi hoc dece-
E bit* (inquit) *in illo nouo ſæculo, vt indicia glorioſorum vulnerum in illa immortali carne cernantur: vbi membra, vt præciderentur percuſſa vel ſecta ſunt, ibi cicatrices; ſed tamen eiſdem membris redditis, non perditis apparebunt.* Tum cap. 30. non tantùm animam, ſed & ipſa corporis membra beatitudine donata diuinam laudem prædicatura dicit. *Omnia* (inquit) *membra, & viſcera incorruptibilis corporis, quæ nunc*

Cap. 30.

videmus

videmus per vſus neceſſitatis varios diſtributa, quoniam tunc non erit ipſa neceſſitas, ſed plena, certa, ſecura, ſempiterna fœlicitas, proficient in laudibus Dei.

D. Greg. lib. 14. Mor in Iob cap 31. D. Gregorius lib. 14. Mor. in Iob cap. 31. de gloria corporum ait: *In illa reſurrectionis gloria erit corpus noſtrum ſubtile quidem per effectum ſpiritalis potentiæ, ſed palpabile per veritatem naturæ*, & infrà. *In illa cæleſtis Regni gloria caro ſecundùm naturam erit, ſed ſecundùm paſſionum deſideria non erit: quia deuicto mortis aculeo in æterna incorruptione regnabit.*

Alcuin. lib. 3 de Trinit. cap. 20. De eadem quoque Alcuinus ita ſcribit lib. 3. de Trinit. cap. 20. *Reſurgent equidem Sanctorum corpora ad gloriam, ſine vitio, ſine vlla deformitate, in quibus tanto facilitas erit, quanta felicitas.*

D. Bernardus declamat. de bonis deſerendis. Postremo D. Bernardus declamatione de bonis deſerendis, corporum gloriam his verbis deſcribit. *Sedebit ergo* (ait) *corpus immortalitatis & impaſſibilitatis gemina quadam felicitate dotatum; liberum ab omni neceſſitate, & omni corruptione ſecurum; alienum, & immune ab omni concupiſcentia, plenum gloria, configuratum denique claritati corporis Chriſti.*

Cæterum Theologi qui hanc materiam pertractant in 4. ſent. quæſt. 49. corporum gloriam quatuor dotibus, quibus beatorum corpora exornantur, concludunt. Prima eſt claritas, ſecunda impaſſibilitas, tertia agilitas, quarta ſubtilitas, quas tum ex Sap. 3. capite colligunt, vbi dicitur. Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent: in fulgore enim beatorum corporum claritas, in iuſtitia impaſſibilitas, iuxta il-

Pſal. 111. lud Pſalm. 101. *Iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi*, ſcilicet perpetua & immortalis: in ſcintillæ nuncupatione ſubtilitas, in diſcurſu agilitas videtur declarari. Tum ex Pau-

1. Cor. 15. lo 1. ad Corinth. 15. vbi ex quadruplici illa ſeminis reſurgentis excellentia, quadruplicem hanc beatorum corporum dotem inſinuat. *Seminatur* (inquit) *in corruptione, reſurget in incorruptione, ſeminatur in ignobilitate, reſurget in gloria, ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute, ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale.* Namque ex incorruptione impaſſibile, ex gloria clarum, ex virtute agile, ex ſpiritualitate ſubtile corpus euadit. Ita do-

S. Thom. cent D. Thom. in ſupp. 3. p. quæſt. 65. artic. 1.

S. Bonau. & 4. ſent. diſt. 49. quæſt 4. art. 1. D. Bonauent. in 4. diſtinct. 49. part. 2. art. 2. quæſt. 1. Ri-

Richardus. Sotus. chard. diſt. 49 art. 3. quæſt. 8. Sotus diſt. 49. q. 4. art. 4.

At qua ratione hæ dotes corpori inſint,

D. Bona. declarat multipliciter D. Bonauent. loco citato, ac plurimas reddit rationes. Prima eſt, quia per illas corpus glorioſum diſponitur, & aptum fit ad ſuſcipiendam animæ gloriam; atque vt animæ ad vſum vitæ æternæ abſque

A impedimento inſeruiat, quæ ratio eſt etiam D. Thom. & Soti.

Secunda, quia corpora beatorum debent eſſe perfectiſſima, vt perfectiſſimæ animæ operationi inſeruiant: cùm verò illa ex quatuor elementis, quæ quadruplicem imperfectionem in ea inducunt, compacta ſint, ab aqua enim, quæ humidum & paſſibile elementum eſt, paſſibilitatem contrahunt, & corruptionem: à terra, obſcuritatem ob opacam illius naturam: ab igne animalitatem, calor enim perpetuo nutrimento indiget. Ab aëre tandem infirmitatem, ob facillimam

B illius immutationem ſibi vendicat: inde quadruplici dono reparari debent, ac exornari: vt quatuor illas naturæ mortalis maculas abſtergant; corruptio enim impaſſibilitate inſtaurati debet: obſcuritas, claritate: animalitas, ſpiritualitate, ſeu agilitate: infirmitas, virtute ſeu penetrabilitate, quæ ſubtilitatem comitatur. Hinc Auguſtin. lib. 22. Auguſt. lib. 22. de Ciuit. Dei c. 19.

de Ciuit. Dei cap. 19. *Aberit* (inquit) *à corporibus noſtris omnis deformitas, omnis tarditas, omnis infirmitas, omnis corruptio. Claritas deformitatem expellet, tarditatem agilitas; infirmitatem ſubtilitas, corruptionem impaſſi-*

C *bilitas.*

Tertia, quia corpora beatorum luci comparantur Sap. 3. & Matth. 13. lux vero quatuor haſce proprietates habet; claritatem, quia illuminat; impaſſibilitatem, quia à nullo corrumpi poteſt: agilitatem, quia velociſſimè diffunditur: ſubtilitatem, quia diaphana corpora abſque illorum corruptione penetrat.

Alii ad quatuor virtutes Cardinales hunc dotium numerum referunt, quibus illæ præmij loco cedunt. Iuſtitiæ namque, quæ perpetua ac immortalis eſt, impaſſibilitas re-

D ſpondet, temperantiæ quæ corpus extenuat, ſubtilitas; fortitudo agilitatem obtinet. Prudentia tandem ob cognitionis lucem, qua gerenda anteuertit, claritatem ſibi vendicat.

Illuſtriſſima igitur, impaſſibilia, agiliſſima, ſubtiliſſima fore beatorum corpora, ac tot dotium ornamentis glorioſa, quot naturæ ſordibus, ac deformitatibus obnoxia fuere, ipſæ etiam rationes euincunt. Quarum prima eſt. Recta iuſtitiæ lex poſtulat, vt quicunque laborum participes fuerunt, præmia etiam poſt labores communia ferant. *Vo-*

E *ca operarios* (inquit Chriſtus Matth. 20.) *& redde illis mercedem ſuam.* At iuſtorum corpora Matth. 20.

complures cum animabus labores, ærumnas, calamitates, paſſiones perpeſſa ſunt: quare æquum eſt, vt digna etiam vnà cum animabus præmia aſſequantur.

Secunda ratio. Regia ſponſa cùm primùm illi publica cum Rege connubia celebranda ſunt, non modò propriam vultus ele-

 gantiam,

gantiam, & gratiæ naturalis venuſtatem præ ſe ferre, ſed regali etiam veſtium ſplendore excellere debet; ne terreni Regis oculos offendat. Ita iuſtorum animas, quæ velut Regiæ ſponſæ poſt reſurrectionem publico, ac perpetuo gloriæ connubio Deo copulandæ ſunt, vt ait Paulus 2. Cor. 11. *Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto,* haud ſatis eſt propriæ gloriæ ſplendore nitere: ſed corporum quoque vario ac decoro (vt glorioſam Dei ſponſam decet) velut amictu exornati oportet. Ita enim teſtatur Dauid Pſal. 44. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate.* Nam tametſi Dauid animæ gloriam potiſſimùm intus ſpectaret, atque à propriis animæ dotibus manare agnoſceret: ſplendidum tamen exterioris corporis cultum, velut neceſſarium adiunxit; quò fit, vt iuſti non ſolùm animum, ſed etiam corpus gloria exornatum in cœlum deferre debeant, vt dignè diuinis conſpectibus appareant.

2. Cor. 11.

Pſal. 44.

TERTIA ratio. Beatorum corpora poſt reſurrectionem plenè animarũ imperio ſubiici, & illarum gloriæ inſeruire debent, vt docet D. Auguſt. lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 3. his verbis. Vbi volet ſpiritus, ibi erit protinus corpus, & eodem lib. cap. 11. *Omnipotens, qui omnia creauit elementa, terreno corpori graue pondus auferet, vt in eodem elemento habitet viuificatum corpus, vbi voluerit viuificans ſpiritus.* At ſi corpus eſſet paſſibile, graue, opacum, craſſum, animæ potiùs impedimento eſſet. Nam ſi paſſibile eſſet, facilè corrumperetur: quò fieret, vt illius vnio cum anima nec perpetua, nec indiſſolubilis permaneret: ſi graue, difficiliùs & ægriùs, quo vellet anima, moneretur: ſi opacum, tenebras animæ offunderet, vel ſaltem animæ claritatem, ne extrà diffunderetur contineret: ſi craſſum tandem, quo pacto anima cætera corpora permeare, ac penetrare poſſet? Quamobrem vt animæ perfectè inſeruire ac ſubiici valeat; clarum, impaſſibile, agile, ſubtile illud eſſe oportet.

D. Aug. lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 3. & cap. 11.

De improborum ſtatu poſt mortem contra Atheiſtas.

Dari improborum ſtatum poſt mortem, in quo ij ſupremis malis afficiantur, demonſtratur contra Atheiſtas.

ARTICVLVS XVII.

DEMONSTRATA igitur tum ex ipſis naturalis Philoſophiæ principiis aduerſùs Atheiſtas, tum ex ſacrarum literarum oraculis, & antiquis Patrum teſtimoniis, quibus tam fides quàm ratio ſuffragata eſt, aduerſùs Hæreticos æterna bonorum fœlicitate: æquum eſt, vt etiam de improborum pœnis, quibus poſt mortem plectendi ſunt, nonnihil diſſeramus. Etenim futura vita in duas vias ſcinditur; altera quæ pios ad immortalia præmia ducit, altera quæ impios ad æterna ſupplicia trahit. Illa ducem habet Religionem, pietatem, fidẽ, ac cæteras Chriſtianæ Religionis virtutes, quibus boni ac tandem beati efficimur. Hæc vitiis ac cupiditatibus ſternitur, quæ cùm hominem hîc ſuperſtitem prauum, ac flagitioſum reddant, hac illi iter ad ingentia mala, quæ illum poſt diſceſſum manent, præparant; ac perpetuò miſerum ac infelicem præſtant.

PORRO in hac re mirabilis eſt antiquorum Philoſophorum conſenſus. Nam tametſi inter Philoſophos Epicurei extiterint; qui (vt refert Lactant. Diu. Inſt. lib. 7. cap. 7.) inferorum pœnas deridebant, neque animas vllas apud inferos pœnas ferre exiſtimabant; vtpote qui ſola huius vitæ aut bona, aut mala eſſe arbitrati ſunt: atque inter Poëtas vnus extiterit Lucretius lib. 3. de natura; vbi Tartari ſupplicia nulla eſſe ſentit his verſibus.

Atque ea nimirum quæcunque Acheronte profundo
Prodita ſunt eſſe, in vita ſunt omnia nobis
Cerberus, & furiæ, iam verò & lucis egenus
Tartarus, horrificos eructans faucibus æſtus,
Hæc neque ſunt vſquam, nec poſſunt eſſe profectò,
Sed metus in vita pœnarum pro malefactis
Eſt inſignibus inſignis ſceleriſque luela.

Lucret. lib. 3. de natura.

Et alter Iuuenalis Satyra 2.

Eſſe aliquos manes, & ſubterranea Regna
Et Cocytum, & Stygio ranas in gurgite nigras,
Atque vna tranſire vadum tot millia cymba,
Nec pueri credunt, niſi qui nondum ore loquuntur.

Iuuenalis Satyra 2.

Illi tamen omnium ſententia, Philoſophorum nomine indigni habiti ſunt; atque à cunctis exſibilati inter graues Philoſophorum ſectas haud annumerantur. Hi verò vel eodem Epicureorum errore irretiti à grauioribus reprobantur, vel (quod multis viſum fuit) hi non pœnarum veritatem, quæ apud inferos ſunt, ac impios cruciant; ſed fabulas Cerberi tricipitis, Cocyti, Stygiæ paludis, Charonti, cymbæ; damnare voluerunt. Quod ſi ita eſt, haud ſanè reprehendendi ſunt.

AT verò cæteræ Philoſophorum ſectæ, quæ aliquo nomine in orbe floruerunt, tum omnes priſcæ Theologiæ alumni grauiſſimè de inferorum pœnis ſenſerunt.

ATQVE vt ab ipſa vetuſtiſſima Ægyptiorum

rum ſapientia, quæ nulla inter profanos Philoſophos prior (vt creditur) fuit, id demonſtrare aggrediamur. Adeſt antiquiſſimus Trimegiſtus, qui in Pimandro c. 1. impiorum pœnas poſt mortem à dæmone illatas deſcribens, Deum ſibi loquentem inducit, qui illũ ſic affatur. *Contrà ab ignaris, improbis, ignauis, inuidis, iniquis, homicidis, impiis procul admodum habito: permittens eos dæmonis vltoris arbitrio, qui ignis acumen incutiens ſenſus affligit, magiſque ad patranda ſcelera armat hominem, vt turpioris culpæ reus acriori ſupplicio ſit obnoxius, cúmque ſine vlla intermiſſione ad inſatiabiles concupiſcentias inflammat*, B *cum eo pugnat in tenebris, peccatum examinat, & ignis impetum in eius cruciatum mirum in modum concitat, atque adauget.* En quàm aperte Trimegiſtus grauioris culpæ reos, acriori poſt mortem ſupplicio dignos eſſe cenſet; atque eos à dæmonibus in tenebris apud inferos exagitari, ac iuxta eorum ſcelera ignis Tartarei cruciatu torqueri affirmat.

Trimeg. ſiue in Pimand. c. 1.

Trimeg. in Aſclep. c. 10.

Id verò luculentiùs tradit in Aſclepio cap. decimo, vbi piorum, ac impiorum hominum futurum poſt mortem ſtatum his verbis indicat. *Audi ergo (ô Aſclepi) cùm fuerit anima à corpore facta diſceſſio,* C *tunc arbitrium examénque meriti eius tranſilıet in ſummi dæmonis poteſtatem, iſque eam cùm piam iuſtámque præuiderit, in ſuis competentibus locis manere permittet. Sin autem delictorum illitam maculis, vitiiſque oblitam viderit, deſuper ad ima deturbans, procellis turbinibúſque aëris, ignis, & aquæ ſæpe diſcordantibus tradet; atque inter cœlum, & terram mundanis fluctibus in diuerſa ſemper æternis pœnis agitata raptabitur; vt in hoc obſit animæ æternitas, quòd ſit immortali ſententia æterno iudicio ſubiugata.*

An non mirabile eſt, quod Ethnicus Philoſophus tam fideliter de Dei iudicio, D de meritorum differentia, de bonorum fœlicitate, de improborum ſtatu, de pœnarum tum acerbitate, tum æternitate ab iis luenda ſenſerit? At Chriſtianum planè conſilium eſt quod ſubdit. *Ergo* (inquit) *ne his implicemur verendum, timendum, cauendúmque eſſe cognoſce: incredibiles enim poſt delicta cogentur credere, non verbis, ſed exemplis: nec minis, ſed ipſa paſſione pœnarum.*

Pythagoras Timæus Locrenſis in opere de mundo.

Cæterum poſt Trimegiſtum, Pythagoram quoque præclarè de improborum pœnis poſt mortem ſenſiſſe, teſtis eſt Timæus Locrenſis, inter Pythagoreos præcipuus; qui E in opere de mundo apertè docet, impiis legum, ac Deorum contemptoribus repoſita eſſe apud inferos ſupplicia. *Adeſt vindicta* (inquit) *ex legibus, & oraculis, qui terrores indicant cœleſtes, & ſubterraneos: quoniam ſupplicia inexorabilia parata ſunt impiis apud inferos.* Porrò quod ſupplicia inexorabilia eſſe dicit, ea ita crudelia, ac immania foro inſi- A nuat, vt nullis vnquam, aut precibus, aut lacrymarum imbribus minui, vel deleri poſſint: cui planè dictum illud Iſaiticum conſonat. *Et erit opus veſtrum tanquam ſcintilla, & ſuccendetur vtrumque ſimul, & non erit, qui extinguat.* Et Saluatoris apud Matth. 9. *Et vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.*

Iſa. 1.

Matth. 9.

Iamblicus.

Iamblicus quoque Pythagoreus refert Pythagoram multa de pœnis inferorum accuratè diſſeruiſſe, cuius doctrinam & ipſe ſequutus, poſtquàm proborum animas beato cœlo frui, ac optimam illic vitam degere dixit; protinus addit. *Quæ verò ſeſe factis impiis contaminauit, impietate, impuritatéque ſordeſcens, proficiſcitur ad iudicia ſubterranea, meritis pœnis deputanda.*

Primum igitur Ægyptiacam ſapientiam, deinde Pythagoricam in hanc doctrinam conſpirare cernimus. Venio ad Platonicam, quæ his proximè ſucceſſit. Plato cùm antiquiſſimam de inferorum ſuppliciis famam in orbe prioribus ſæculis diſſeminatam accepiſſet, multa & ipſe de improborum pœnis poſt mortem, priorum Philoſophorum veſtigiis inſiſtens, copioſè diſſerit. Nam in Gorgia primum; vtrorumque tam probo- C rum, quàm improborum ſtatum complectens, legem ait fuiſſe ſub Saturno latam (Poëtico enim tunc more loquitur) & ſemper nunc etiam extare apud Deos, vt quicunque homines iuſtè, piéque vitam egiſſent, cùm è vita migrarent, ad beatorum inſulas profecti, in omni fœlicitate viuerent à malis longè ſeiuncti: qui verò iniuſtè impiéque vixiſſent, in punitionis iuſtique ſupplicij carcerem, quod appellant Tartarum, irent.

Plat. in Gorgia.

Porro hanc Saturni legem in impios, quos vltima dies maximis ac inſanabilibus ſceleribus maculatos comprehendit, adeò ſe- D ueram eſſe deſcribit eodem libro, vt nihil eorum cruciatibus, & anguſtiis apud inferos addi poſſe exiſtimet. *Qui autem* (inquit) *extrema iniuſtitia detinentur, ac propter eiuſmodi delicta ſunt inſanabiles, ex his exempla ſumuntur, ipſiq; nullam ampliùs vtilitatem inde reportant, vtpote qui ſanari non poſſint: ſed proſunt duntaxat aliis per exemplum, qui eos intuentur propter flagitia, maximis, acerbiſſimiſque, & terribiliſſimis pœnis omni tempore cruciatos, tanquam exemplum, monumentúmque, & ſpectaculum apud inferos in carcere præbentes iniuſtis omnibus, qui ad ea loca deſcendunt.*

E Atque his conſentanea ſunt quæ ſcribit Plat. in Phæd. vbi poſtquàm duas apud inferos defunctorũ claſſes diſtinxit. Primam eorum, qui cùm ſanabilia tantùm delicta admiſerint, pœnis purgantur; & cùm purgati ſunt, rurſus pro meritis præmia digna referunt: ſtatim alteram impiorum claſſem deſcribit his verbis. *Qui verò ob ſcelerum magnitudinem inſanabiles eſſe videntur, qui videlicet ſacrilegia*

Plat. in Phædone.

In Phædone.

multa, & magna, vel cades iniquas, vel alia horum ſimilia perpetrauerint; hos omnes conueniens ſors mergit in Tartarum, vnde nunquam egrediuntur.

Qvid verò Plato de pœnarum, quibus impij apud inferos cruciantur, grauitate ſenſerit, declarat Dialogo 10. de Repub. vbi poſt illam Eris Armenij narrationem de inferorum pœnis tandem ita concludit. *Prolixa nimium narrationis (ô Glauco) ſummam hanc eſſe dixit: quoſcunque aliis iniurias intuliſſe conſtaret, pœnas ſingulatim pro quolibet decies reddidiſſe, id eſt, ſpatio annorum centum: quaſi hæc vita humanæ ſit meta, vt anima decuplam iniuriæ dent pœnam: itaque ſi qui cædis multorum cauſa fuerint; ciuitatéſque, & exercitus prodiderint; vel homines in ſeruitutem egerint, vel alicuius alterius flagitij, & ſceleris conſcij fuerint; in his omnibus pro quolibet facinore pœnas decuplas pendere.*

Dialogo 10. de Repub.

Deniqve hoc eodem Dialogo malis parata ſupplicia deſcribens Ardiæum quendam tyrannum, homicidam, facinoroſum ad inferos delatum fuiſſe commemorat, cuius ſupplicia referens ait: *Aderant igitur illic feroces quidam viri, aſpectu ignei, qui cùm mugitum ſubitò perpendiſſent, hos ſeorſum rapiebant, Ardiæum ſcilicet, eiúſque perſimiles, manibúſque & pedibus, & ceruice deuinctis proſternebant eos, excarnificabántque, & ſecus viam quandam ad exteriorem partem raptatos tribulis lacerabant: prætereuntibus indicantes, quam illi ob cauſam talia paterentur, quódve in Tartarum proiiciendi agitarentur.*

Hæc & pleraque alia Plato de impiorum pœnis à maioribus accepta tradit; quem tota Platonicorũ ſchola deinde ſequuta eſt.

Tull. in Tuſcul. quæſt.

Tvllivs quoque Platonem ſuum imitatus in Tuſculanis quæſtionibus, improborum è corpore excedentium iter illis verbis diſertè declarat: *Nam qui ſe humanis vitiis contaminaſſent, & ſe totos libidinibus dediſſent, quibus cæcati velut domeſticis vitiis, atque flagitiis ſe inquinaſſent, vel in Republica violanda fraudes inexpiabiles concepiſſent: iis devium quoddam iter eſt, ſecluſum à conſilio Deorum.* Quibus verbis Tullius maximam ac potiſſimam improborum pœnam complectitur, quæ illos apud inferos exagitare ſolet, quæ ex diuinæ viſionis priuatione oritur, à qua omnis boni iactura pendet. At idem in ſomno Scipionis impios ſenſibilibus etiam pœnis torqueri affirmat. *Nam eorum* (inquit) *animi, qui ſe corporis voluptatibus dediderunt: earúmque quaſi ſe miniſtros præbuerunt, impulſúque libidinum Deorum, & hominum iura violarunt; corporibus elapſi circum terram ipſam volutantur, multis exagitati ſeculis.* Denique is priorum Philoſophorum ſententiæ inhærens luculentiſſimè eadem repetit in conſolatione de obitu filiæ. *Non omnibus* (ait) *iidem illi ſapientes arbitrati ſunt eundem curſum in cœlum patere. Nam vitiis, & ſceleribus contaminatos deprimi in tenebras, atque in cœno iacere docuerunt.* Vides antiquorum doctrinam omnem in hoc conſpirare, vt pœnas poſt mortem improbis ſtatuant.

In ſomno Scipionis.

In conſolat. de obitu fil.

Hanc quoque ſententiam de futuris malorum ſuppliciis, & ipſi Stoici amplexati ſunt, licèt parcè de iis diſſeruerint: ij enim imperitorum ignauos animos poſt exitum à corpore humi reptantes volitare affirmabant; quaſi eam ſuæ ignauiæ, ac ſocordiæ pœnam perſoluerent; vt humi ſemper depreſſi altiùs euolare non poſſent.

His tandem accedat Plutarchus, qui pleriſque in locis præclarè de inferorum pœnis diſſerit. Primùm in eo libro, qui inſcribitur, *De iis qui ſerò à numine puniuntur.* Platonem imitatus, Theſpeſium quendam à mortuis excitatum mira de inferorum pœnis referentem inducit. In his Adraſteam neceſſitatis filiam, omnium ſcelerum apud inferos vltricem ſe vidiſſe commemorat, ſupremo loco collocatam; quæ varios iuxta culparum menſuram pœnarum modos impiis præſcribit, alios quidem leuioribus, alios grauioribus ſupplicis ſubiiciens. De iis verò qui inter hos ob maxima flagitia inſanabiles exiſtunt, ita ſcribit: *Tertia & ſæuiſſima Adraſteæ adminiſtrarum Erynnis hinc inde vagantes, atque fugientes curſu adſequens, miſerabiliter, atque immaniter vniuerſas abolet; inq; locum demergit, qui neque cerni oculis, neque viſu adiri poteſt.* Denique hos diriſſimis pœnis cruciari paulò pòſt refert, his verbis: *Qui verò hinc pœna euitata, & inexpiatus eò peruenit; hunc excipiens iuſtitia conſpicuum, atque nudum, ac qui prauitatem ſuam nulli rei immergere, nullo velare modo poſſit; ſed vndequaque ab omnibus talis, qualis eſt, perſpiciatur: primùm parentibus ac maioribus ſuis probis (ſiquidem tales ſint) demonſtrat, indignum ipſis atque conſpuendum. Sin mali fuerunt, pœnas eorum videns ipſis viciſſim cernentibus plectitur, per longum ſatis tempus, ſingula vitia iis luens doloribus, ac cruciatibus; qui magnitudine ac vehementia tanto ſuperant corporis dolores, quanto res vera eſt, quàm ſomnum efficacior.*

Plutarch. de iis qui ſerò à numine puniuntur.

Cæterum de his quoque improborum pœnis præclarè diſſerit, in eo quod ſcripſit, *An rectè dictũ ſit, viuendo latita.* Vbi etſi Poëtarum nugas eſſe cenſeat vultures illos, filias tenaſcentes, ac conſumptũ iecur depaſcentes, ſaxa ac pondera malorum ceruicibus impẽdentia. Reuerà tamẽ vnum illud eos, qui malè vixerunt manere ſuppliciũ ſentit, quod in Erebum ac voraginem quandam, ac teterrimum barathrum omnis lucis expers proiiciuntur, vbi horrendæ noctis chaos quàm longiſſimè illos à beatorum luce ſecernit, ac in flumen obliuionis æternæ præcipites actos, luce, vita, ac

Plutarch. in lib. An recte dict. ſit, viu. latita.

omni motu priuatos ſempiternis pœnis traditos cenſet. Eadem repetit in eo qui inſcribitur; *De facie quæ eſt in orbe Lunæ*, vbi impios & intemperantes flagitiorum pœnas luere apud inferos confirmat.

At neque antiquos illos Poëtas, qui Philoſophiam carmine tradiderũt, doctrina hęc, vt pote communis, ac vetuſtiſſima latuit. Inde enim ea profecta ſunt, quæ Poëtæ in inferorum regnis deſcribendis afferunt, cùm Platonem inferorum Regem conſtituunt, cui tricipitem Cerberum aſſignant, velut inferorum cuſtodem, animarum iudices Æacum, Minoëm, Radamanthum fingunt. Furias tres ſpeculatrices & vindices ſcelerum, Alecto, Tiſiphonem, Megęram impiis præficiunt: ac multa præterea de inferorum pœnis, veluti de Tantali ſiti, de Titij iecore, de Siſyphi ſaxo, de Ixionis rota, de Belidum vrnis, de vulture Promethei confingunt: quæ licèt fabuloſa ſint, hac tamen ratione homines docuerunt, ex diuinæ iuſtitiæ lege ſingulis vitiis propria reſpondere ſupplicia: neque vllum ſcelus abſque vindicta ad inferos tranſmitti; vt perditos homines, ac ſceleribus deditos hac arte à vitiis deterrerent; quo maiora ſibi ſupplicia imminere ſentiunt, quæ inter viuos grauiſſima exiſtimantur.

Hæc Heſiodus, Muſæus, Linus, Pindarus, Homerus, Orpheus ſæpè commemorãt, vt varia apud inferos decerni ſupplicia indicarent. *Tantalus.* Inde Tantalum ore tenus lymphis immerſum, & tamen ſiti æſtuantem fingunt; vt inexplebilem auaritiæ ſitim digno apud inferos ſupplicio mulctari oſtenderent. Sic *Siſyphus.* Siſyphus ſaxum, quod nunquam in cacumine montis ſiſtitur, finitum laborem ſemper renouans, ambitioſi animi pœnam declarat apud inferos: *Prometheus.* pararam ita Promethei iecur ab aue dilaceratum, ac denuò renaſcens, inſani amoris libidinem pœnis coërcendam indicat. *Belides.* Belides quoque cribro aquam haurientes, mulierum ſupplicia inſinuant, quæ pompis, ac variis rerum cupiditatibus haud vnquam exaturari poſſunt. Ita fit, vt quotquot fabellas texuerunt, in iis potiùs interior ſenſus, ac ſapientiſſima illorum mens, quàm fabella ſuſpicienda ſint.

Qvam ob cauſam Plato in Repub. & Tullius in Tuſculanis illas à Poëtis coaceruatas fabulas de Cocyto, de Lethe, de Stygio flumine, atque his confictis pœnis derident, ac aniles fabulas cenſent, quippe qui ſapientiùs eas contemplabantur: & reiectis fabulis in ipſum pœnarum ordinem & grauitatem nulli temporali ſupplicio comparandam, oculos conijciebant. Hinc Sophocles (teſte Plutarcho;) térque quatérque beatos illos mortales appellat, qui vitę metas contemplati, atque inde ſapientes effecti ad inferos tendũt, iis enim ſolis illìc viuere datum eſſe. Aliis

A verò, qui nulla rerum futurarum cura ſolliciti hinc migrant, illìc cuncta mala ait reſeruari.

Hanc pœnarum varietatem, quas impij apud inferos luunt, præclarè quoque deſcribit Virgilius lib. 6. Æneid. his verſibus. *Virg. Æneid. 6.*

Hìc, quibus inuiſi fratres, dum vita manebat,
Pulſatúſve parens, & fraus innexa clienti:
Aut qui diuitiis ſoli incubuère repertis,
Nec partem poſuère ſuis, quæ maxima turba eſt.
Quique ob adulterium cæſi, quique arma ſequuti
Impia, nec veriti dominorum fallere dextras,
Incluſi pœnam expectant, ne quære docentes
Quam pœnam, aut quæ forma viros, fortunáve
B *merſit,*
Saxum ingens voluunt alij, radiíque rotarum
Diſtricti pendent, &c.

De iiſdem pœnis etiam paulò pòſt ita occinit

Ergo exercentur pœnis, veterúmque malorum
Supplicia expendunt, aliæ panduntur inanes
Suſpenſa ad ventos, aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni, &c.
Non mihi ſi linguæ centum ſint, oráque centum,
Ferrea vox, omnes ſcelerum comprehendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina poſſem.

C Porrò Ouid. in Ibin. Furiarum in impios immanitatem hoc carmine declarat. *Ouidius in Ibin.*

Hìc tibi de furiis ſcindet latus vna flagello,
Vt ſceleris numeros confiteare tuos.
Altera Tartareis ſectos dabit anguibus artus,
Tertia fumantes in coquet igne genas.
In loca ab Elyſiis diuerſa fugabere campis,
Quáſque tenet ſedes noxia turba coles.
Quaq; gerunt humeris perituras Belides vndas
Exulis Aegypti tuba cruenta nurus.

Qvem ſequutus Tibullus varia pœnarum genera quibus impij à furiis cruciantur, commemorat lib. 1. Eleg. 3. *Tibull.*

D *At ſcelerata iacet ſedes in nocte profunda*
Abdita, quam circum flumina nigra ſonant.
Tiſiphonéque impexa feros pro crinibus angues
Sæuit, & huc illuc impia turba fugit.
Tum niger in turba ſerpentum Cerberus ore
Stridet, & aratas excubat ante fores.
Illìc Iunonem tentare Ixionis auſi
Verſantur celeri noxia membra rota.
Porrectúſque nouem Titius per iugera terræ,
Aſſiduas atro viſcere paſcit aues.
Tantalus eſt illìc, & circum ſtagna, ſed acrem
E *Iam iam poturi deſerit vnda ſitim.*
Et Danai proles, Veneris quòd numina læſit,
In caua lethæas dolia portat aquas.

Hæc atque alia pleraque Poëtæ fabuloſè quidem cecinerunt: ſed tamen quæ ſub iis fabulis latent vera eſſe, atque ab ipſa antiquorum Theologia, ac naturæ voce hauſta: quæ malis poſt vitam ſupplicia parata eſſe perſuadent; nemo iure in dubium reuocare poteſt.

Demvm quicunque animorum im-

mortalitatem crediderunt; in eo conſtantiſſimè conſpirarunt, eos, qui hîc prauè vixerint, apud inferos innumeris, ac ingentibus pœnis afficiendos fore: ſiue id ex naturæ intus loquentis voce didicerint; ſiue ipſa ratione perſuaſi, cui conſentaneum arbitrati ſunt fore, vt quos peccatores, ac ſceleſtos mors inuenerit, horrenda poſt mortem ſupplicia exagitent: neque inultum fore, quod in Dei, & hominum leges impij modò fœliciter moliuntur. Cùm id & Dei prouidentia, quæ nihil in rerum natura inordinatum relinquit, & ſumma Dei iuſtitia, quæ malum nullum inultum ſinit, neceſſariò exigant: atque illud ipſum diuinam æquitatem mirum in modum commendet, quæ ſicut iuſtis, ac piis hominibus bonorum præmia largitur, ac ineffabiles gloriæ diuitias confert, ita impiis, ac nefariis horrenda malorum ſupplicia parat, & incredibiles pœnarum cumulos apud inferos reponit.

Idem demonſtratur contra Hæreticos.

ARTICVLVS XVIII.

POST Atheiſtas, quibus confutandis Philoſophorũ duntaxat, ac velut ipſius naturæ teſtimonio vſi ſumus: æquum eſt, vt contra Hæreticos, qui Atheiſtarum propinqui, & conſanguinei, ac tanquam impietatis hæredes haberi volunt, reliquam diſputationis aciem conuertamus: quos eò libentiùs increpare, ac impij erroris conuincere valemus; quò diuinis potiſſimùm ſacrarum Scripturarum telis nobis illos oppugnare licet.

PORRO tria Hæreticorum caſtra pro Atheiſtis aduerſum nos pugnant. Quidam enim nullas prorſus apud inferos pœnas malis imminere ſentiunt; atque adeò omnem impiorum poſt mortem cruciatum tollunt, vt nulla inferorum ſupplicia, neque ante, neque poſt vltimum iudicij diem agnoſcant. Quo in errore militarunt primùm Gnoſtici, teſte Irenæo lib. 5. cap. 31. & Albigenſes, vt refert Cæſarius Heiſterbachius lib. 5. cap. 12. & D. Antonin. par. 4 tit. 11. cap. 7. §. 5. qui nihil eſſe Paradiſum, neque infernum dicebant: ſed qui haberent Dei cognitionem, quam ipſi habebant, habere ipſum in ſe Paradiſum; qui ea carerent, in ſe infernum gerere, velut dentem putridum in ore, docebant, quos poſtea ſequuti ſunt Almaricus, & Hermannus Riſuuich, referente Bernardo Lutzemburgo, qui nullum præter peccatum mortale infernum eſſe ſenſerunt, à quibus non longè diſtat Lutherus ſerm. de Diuit. & Lazaro, vbi infernum nihil aliud eſſe affirmat, quàm ipſũ conſcientiæ remorſum.

Gnoſtici. *Albigenſes.* *Almaricus.* *Hermann. Riſuuich.*

ALII ſunt, qui inferni quidem pœnas eſſe fatentur: eas tamen non æternas, ſed diuturnas tantùm, ac temporales eſſe docent; poſt quas improbos aliquando ſaluandos fore ſibi perſuadent: cuius erroris auctor fuit Origenes hom. 10. in Leuit. & apud Hieron. ad cap. 14. Eſaiæ, quem Anabaptiſtarum nonnulli imitati ſunt, qui poſt extremum iudicij diem Deum omnium miſerturum arbitrantur. Atque vnus fuit Nicolaus de Calabria teſte Nicolao Eymerico p. 2. quæſt. 11. qui aſſeruit in die iudicij Gondeſaluum Hæreticum pro omnibus damnatis Deum rogaturum, ac eos ſuis precibus ſaluaturum.

Origeneſta. Anabaptiſt. *Nicolaus de Calabria.*

ALII denique ſunt, qui nullas damnatorum pœnas ante extremum iudicij diem apud inferos eſſe docent, ſed omnia impiis ſupplicia poſt iudicium reſeruati. Hunc errorem apertè tradunt Lutherus ſermone in Euangelium de Diuite, & Lazaro, & ad c. 25. Gen. Ioan. Caluinus Inſtit. lib. 3. c. 25. §. 6.

Lutherus. *Caluinus.*

QVAPROPTER aduerſus hæc Hæreticorum caſtra, non humanis, ſed diuinis rum ſacrarum Scripturarum, tum Eccleſiaſtici conſenſus, qui apud pios, & Orthodoxos diuinus ſemper habitus fuit, armis nobis decertandum eſt: ac propterea nonnullis Catholicis concluſionibus pugnandum.

PRIMA itaque concluſio eſt. *Impiorum animæ poſt mortem digna apud inferos ſupplicia deliſtorum ferunt.* Hæc concluſio prioris claſſis Hæreticos perſtringit, qui omnia inferorum ſupplicia tollunt: quam imprimis nonnullis Scripturarum teſtimoniis demonſtramus.

PRIMVM teſtimonium eſt Deuteron. 32. vbi Deus ipſe per os Moyſi de inferni ſuppliciis agens, in hæc verba erumpit. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima.* Qui locus à D. Gregor. lib. 18. Moral. cap. 12. de igne damnatorum ita exponitur. *De præſenti* (ait) *percuſſione dicitur. Ignis exarſit ab ira mea, de æterna ſequitur. Et ardebit vſque ad inferni nouiſſima: non tamen indicat Deus bis in idipſum; vnum eſt enim flagellum, quod temporale incipit, & in æternis ſuppliciis conſũmatur.* Quem ſenſum etiam proſequitur Procopius. Atque is confirmatur ex lectione Hebraica, quę legit עד שאול תחתית *Ghad ſcheol tachetit, vſque ad infernũ inferiorem.* Porrò voce illa *ſcheol* aliàs Infernum, non ſepulchrum, ſignificari diximus: nam ſi ſepulchrum, vel foueam tantùm ſignificaret, vt nonnulli Iudaizantes contendunt, cur addidiſſet Moyſes (*inferiorem*) quod enim inferius ſepulchrum eſſe poteſt, niſi animarum ſepulchrum quod in inferno paratum eſt, myſticè interpretari vellent? ſuperius enim ſepulchrum eſt corporis, inferius animæ. At ſi literalem ſenſum exploramus; hic Moyſes non ſepulchrum, ſed infernum indicat, quem inferiorem idcirco appellat, quòd profundiſſimè iaceat: quo ſenſu etiam dixerat Dauid

Deuter. 32. *S. Gregor.* *Procopius.*

Pſal. 85.

Pſalm. 85. Pſalm. 85. *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori.* Conſtat igitur nomine hoc inferni inferioris ipſum infernum damnatorum intelligi, in quo animæ reproborum, æterno igne à Dei furore ſucceno cruciantur.

SECVNDVM teſtimonium eſt Dauidis *Pſalm. 10.* Pſalm. 10. vbi de ſupplicius improbis poſt mortem inferendis ait. *Pluet ſuper peccatores laqueos ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum.* Vbi Dauid primùm laqueorum pluuiam in reprobos poſt eorum obitum effundendam; deinde calicis partem ex igne, ſulphure, & ſpiritu procellarum mixtam illis fore declarat. B Nonnulli laqueorum imbrem in peccatores, quos reprobos fore Deus agnouit; in hac vita effundendam eſſe interpretantur; quos quotidie pluribus, ac maioribus peccatis Deus inuolui ſinit; quibus ij velut funibus, ac laqueis conſtringuntur: quæ ſanè reproborum pœna eſt, qua ad damnationem parantur. Calicem verò poſt hanc vitam illis in gehenna ſeruatum eſſe volunt: quæ expoſitio licèt non ſit aſpernanda: quia tamen vates tam laqueos, quàm calicem illis in futurum aſſeruari commemorat; ſatius videtur vtrumque ad damnatorum pœnam poſt hanc vitam referre: C ita vt laqueorum imber pœnarum æternitatem ſignificet, qua improbi poſt obitum diuina virtute perpetuis in inferno ſuppliciis alligantur: ne inde vnquam egredi poſſint. Hinc non immeritò hanc laqueorum pluuiam à Deo proficiſci affirmat, quandoquidem pluuiæ nomine, quæ ſemper abſque mora, aut intermiſſione cadit; æternam fore pœnarum inflictionem indicat, & cùm eam à Deo manare dicit, illam diuina tantùm virtute fieri oſtendit.

QVOD verò hic calix dãnatorum apud inferos pœnas indicet; teſtatur apertè Io. Apoc. *Apoc. 14.* 14. vbi tertij Angeli vox audita eſt dicentis. D *Si quis adorauerit beſtiam, & imaginẽ eius, & acceperit characterem in fronte ſua, aut in manu ſua, & hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum eſt mero, in calice iræ ipſius; & cruciabitur igne, & ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum, & ante conſpectum Agni; & fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum.* En calicem iræ Dei qui reprobis in pœnarum æternitate aſſeruatur: vt inde exploratum ſit, pœnas quas reprobi *Pſalm. 74.* apud inferos luunt, hoc calice inſinuari.

HVIVS verò calicis proprietates idem E *Pſalm. 74.* Dauid Pſalm. 74. deſcribit, cùm ait. *Quia calix in manu Domini, vini meri, plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc: verùmtamen fex eius non eſt exinanita; bibent omnes peccatores terræ.* Primùm enim calicem vini meri appellat, quæ eſt prima huius calicis proprietas, qua damnatorum pœnas, omnino puras, ac nullo ſolatij genere permixtas, futuras eſſe declarat: vt eas à mortalium pœnis diſcernat, quæ *Iſai. 1.* nunquam omnino puræ, ac nulla ſolatij ſpe A deſtitutæ eſſe poſſunt: iuxta illud Iſa. 1. *Vinum tuum mixtum eſt aqua.* *Iſa. 1.* Secundò, plenum mixto eſſe dicit, nec tamen ſibi ipſi repugnat, licet priùs vinum merum eſſe dixerit: neque enim mixtio ad vinum, ſed ad calicem referri debet, in quo præter vinum merum, inconſolabiles ſcilicet damnatorum afflictiones: etiam diuerſorum ſuppliciorum mixtio agnoſcenda eſt, quam & Dauid priori teſtimonio, & Ioannes quæ futura ſit, declararunt: Dauid enim illam indicat cùm ait. *Ignis ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum.* Eandem Ioannes inſinuat illis verbis. B *Et hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum eſt mero, in calice iræ ipſius:* atque hanc mixtionem eam eſſe dicit, quòd *cruciabitur igne & ſulphure.* Poſtrema tandem huius calicis proprietas eſt, quòd illius fecem nunquam exhauriendam fore inquit; in qua pœnarum æternitatem demonſtrat, quæ improbos apud inferos manet.

TERTIVM teſtimonium habetur Eccleſiaſt. 21. *Eccleſ. 21.* vbi id de improborum pœnis habetur. *Via peccantium complantata lapidibus: & in finem illorum inferi, & tenebræ, & pœna.* Aurea modò ſub impiorum pedibus videtur ſubſterni via: adeò fœliciter gradiuntur. C Quod ipſe quoque Hierem. cap. 12. conqueritur. *Hierem. 12.* *Quare via impiorum proſperatur, & bene eſt omnibus, qui iniquè agunt?* A quo nec ipſe Dauid diſſentit Pſalm. 72. cùm ait. *Quia zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum videns.* *Pſalm. 72.* Hæc igitur via peccantium eſt, quàm Eccleſiaſticus facilem, iucundam, ac velut lapidibus marmoreis, ac parietinis ſubſtratam deſcribit; ducunt quippe in bonis dies ſuos, donec ad vitæ finem deueniant. At quid poſt vitæ finem illis accidat, quiſve illorum exitus ſit, aperit. *Et in finem* (inquit) *illorum inferi, & tenebræ, & pœna.* Si quidem in puncto poſt D ipſum mortis articulum ad inferna deſcendunt; & tenebras, & pœnas æternas patiuntur. Hæc enim nouiſſima impiorum ſunt, quæ Dauid apud ſe tacitus cogitabat, ac diuinis iudiciis inſtructus, aliquando iis contingere intelligebat cùm diceret. *Exiſtimabam, vt cognoſcerem hoc, labor eſt ante me: donec intrem in Sanctuarium Dei, & intelligam in nouiſſimis eorum.* *Pſal. 72.* Cùm verò Scriptura impiorum finem apud inferos in tenebris, ac pœnis conſtituat; ſanè conſtat impiorum animas poſt mortem dignis ſuppliciis exagitari.

E QVARTVM teſtimonium eſt. Matth. 3. *Matth. 3.* vbi Chriſtus malorum ſupplicia paſſim deſcribit, quæ poſt obitum luent. Primùm cùm ait: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur:* ea ſententia omnes impios poſt mortem, cùm iam ex hac vita præciſi ſunt, flammis adiudicat. Ita Greg. *Greg. homil. 20. in Euag.* hom. 20. in Euang. locum iſtum exponit. *Igitur* (inquit) *omnis arbor non faciens fructum bonum, excidetur; & in ignem mittetur, quia para-*

tam

tam gehennæ concremationem inuenit, qui hic boni operis fructum facere contemnit. Cùm verò infrà eodem cap. legitur. *Congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Ibi palearum nomine (vt exponit Hilarius canone 2. in Matth.) infructuoſorum hominum inanitatem indicat, quos inextinguibili, ac æterno igne comburendos poſt mortem eſſe docet.

Hilarius canone 2. in Matth.

Matth. 13.

Qvintvm teſtimonium habet idem Matth. c. 13. vbi de impiis loquens, qui in extremo iudicio ſempiternis ignibus tradendi ſunt. *Sicut* (inquit) *colliguntur zizania, & igni comburuntur: ſic erit in conſummatione ſæculi. Mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent de Regno eius omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Vbi Hippolytus de conſummatione mundi. *Omnes* (inquit) *qui neglexerunt, nec miſericordiam exercuerunt hîc bene merendo: nihil eis debetur, niſi ignis qui non extinguitur.* Et B. Gregorius lib. 9. Mor. c. 39. *Faſciculos* (inquit) *ad comburendum ligare eſt, hos qui æterno igni tradendi ſunt, pares paribus ſociare: vt quos ſimilis culpa inquinat, par etiam pœna conſtringat.*

Hippolyt. de conſummat. mundi.

Greg. lib. 9. Mor. c. 39.

Matth. c. 22. Prosper l. 3 de vita contempl. c. 12.

Sextvm teſtimonium exerit idem c. 22. *Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Quid eſt* (ait Proſper lib. 3. de vita contemplat. c. 12.) *obmuteſcentes manibus, & pedibus ligari, niſi in inferno, vbi Deo nemo confitetur, actione priuari; ſicut in exteriores tenebras mitti, nihil aliud erit, niſi à Domino, qui eſt mentium lumen, expelli? Fletus autem, & ſtridor dentium, acerrimos eorum dolores oſtendunt; qui ſupplicio æternæ mortis addicti, non videndi ſenſum habituri ſunt, ſed dolendi; quorum continuus gemitus, cruciatus æternus, dolor ſummus, pœnalis ſenſus torquent animas, nec extorquent; puniunt corpora damnata, nec finiunt.*

Aug. lib. de tri. lici habitaculo c. 2.

At D. Auguſt. hunc fletum, ac ſtridorem dentium, ex igne, ac gelu illo Tartareo, quæ potiſſimùm damnatos excruciant, proficiſci docet lib. de triplici habitaculo c. ſecundo. *Principalia* (ait) *duo ſunt tormenta in inferno, frigus intolerabile, & calor ignis inextinguibilis; vnde in Euangelio legitur. Illic erit fletus & ſtridor dentium. Fletus namque & liquefactio oculorum ex calore naſcitur. Stridor verò dentium ex frigore naſcitur.*

Matth. 25.

Septimvm teſtimonium eſt apud eundem, vbi legitur, quòd Matth. 25. Chriſtus poſt peractum iudicium; *Dicet his, qui à ſiniſtris eius erunt. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius.* Hæc Chriſti ſententia impios extremo exitio comprehendet, quos nullis bonis virtutum operibus exornatos, nedum infandis vitiis maculatos extrema illa, ac calamitoſa dies deprehenderit: de qua Cyrillus Alex. oratione de exitu animæ ita ſcribit. *Quàm denſa obducentur caligine, quando in ira ſua verba ad eos faciet, quando in furore ſuo eos perterrebit, inquiens? Ite à me maledicti in ignem æternum, diabolo, & eius nuntiis præparatum. Eheu quanta cum tribulatione, quanta mœſtitia, quanta anxietate, timore, tremore implicabuntur ſpiritus eorum, cùm cæleſtes vniuerſæ poteſtates clamabunt. Auertantur peccatores in Tartarum: veh veh quale melos ſuccinunt, collugentes, vlulantes, plangentes, dum ſeueriſſimis tormentis nunquam non excarnificandi abducuntur.*

Cyrill. Alex. orat. de exitu animæ.

Luc. 16.

Octavvm teſtimonium eſt Lucæ 16. *Mortuus eſt diues, & ſepultus eſt in inferno,* & infrà. *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* At ſi nulla impiis poſt mortem pœna ſupereſſet quid diues hic epulo, in igne cruciaretur? vt optimè deducit Diuus Gregor. libr. 4. Dialog. cap. 29. *Veritatis etenim voce* (ait) *Diues mortuus in inferno dicitur ſepultus: cuius anima, quia in igne teneatur, inſinuat voce diuitis, qui Abraham deprecatur dicens: mitte Lazarum, vt intingat extremum,* &c. *Dum ergo peccatorem diuitem damnatum veritas in ignem perhibet, quiſnam ſapiens reproborum animas teneri ignibus neget?*

D. Greg. l. 4. dial. cap. 29.

Marc. 9.

Passim quoque Chriſtus apud Marcum cap. 9. vermes & ignem inextinguibilem impiis poſt mortem minatur, *vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Pleraque alia huc vocari poſſunt Scripturarum teſtimonia; ex Paulo 2. Theſſal. 1. *In flamma ignis dantis vindictam iis, qui non nouerunt Deum.* Ex Petro Epiſt. 2. cap. 2. *Nouit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem iudicij reſeruare cruciandos.* Ex Apoc. 19. *Viui miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis, & ſulphure.*

2. Theſſ. 1.

Pet. ep. 2. c. 2.

Apoc. 19.

De Patrum teſtimoniis nihil attinet dicere, cùm vniuerſi in hac Chriſtiana doctrina conſentiant, neque vllus omnino ſit, qui de ea dubitet.

In hoc etiam Hebræorum fides conſentit. Nam Ioſephus de bello Iudaico libr. 3. cap. 14. *Quorum manus* (inquit) *in ſeipſos inſanierunt, eorum animas tenebroſior locus ſuſcipit.* R. Salomon ad illa verba Eſa. 30. *Præparata eſt ab heri Tophet. Quia* (inquit) *præparata eſt ab heri Tophet, id eſt, à die ſecundo poſt creationem mundi: Tophet, id eſt, gehenna.*

Ioſeph. de bello Iudaico lib. 3. c. 14.

R. Salomon.

Porrò Gehennæ nomen, quo primùm Hebræi vſi ſunt ad locum damnatorum inſinuandum, Elias Leuita à valle Hinnon deriuatum fuiſſe affirmat, qui locus prope Ieroſolymam eſt, in quo filij, qui ſacrificabantur idolo Moloch, exurebantur. Ita ait in *Thisbi* in voce Gehenna.

Elias Leuita in Thisbi.

R. Moyses lib. de Reſurrectione antiquam Hebræorum fidem de impiorum gehenna commemorãs, ait. *Rabbini noſtri locũ, vbi*

R. Moyſes l. de reſurrect.

impij

impij poſt mortem puniuntur, gehennam vocant. Quem locum eſſe dicunt flammis ardentem, vbi vnà cum corpore ſint exurendi impij, non vno ſupplitiorum, ac pœnarum genere: ſed adeò varijs, & exquiſitis, vt longum ſit referre.

Auctor gloſſæ recond. DEMVM auctor gloſſæ reconditæ in Gen. 18. ex teſtimon. Daniel. 12. impiorum pœnas apud inferos confirmat *Ait R. Iacob* (inquit) *impij, qui contempſerunt pactum circunciſionis, quod in ſe receperunt: quique palàm ſabbathum, & cæteros dies feſtos violarunt, legémque, ac reſurrectionem mortuorum inficiati ſunt, ac cæteri ſimiles deſcendunt in gehennam inferiorem: & ibi puniuntur, neque aſcendunt: quamquam in vniuerſali iudicio, & reſurrectione mortuorum tam & ipſi reſurgant: ac de iis quidem ait Daniel. Multi ex dormientibus in terræ puluere reſurgent, hi ad vitam æternam, illi ad opprobrium.*

QVARE manifeſtum eſt ſummam illorum impietatem eſſe, qui Chriſtianam, ac Catholicam doctrinam tot diuinis oraculis probatam, ac humanis teſtimoniis munitam inficiari audent.

SECVNDA concluſio. *Animæ improborum, poſt extremum iudicij diem, non temporales; ſed æternas delictorum pœnas luent.* Hæc concluſio eſt contra Origeniſtas, & cæteros ſecundæ claſſis Hæreticos, qui damnatos poſt diuturnum tempus aliquando tandem ſaluandos affirmabant, quæ hæreſis apertè cum Scripturis, ac Patrum traditionibus, atque vniuerſo Eccleſiæ conſenſu pugnat: quod primùm ex pleriſque Scripturarum locis demonſtratur.

Iob. 10. PRIMVS locus eſt Iob. 10. *Dimitte ergo me, vt plangam paululùm dolorem meum, antequàm vadam. Et non reuertar ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine; terram miſeriæ, & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Inferorum regionem hîc Iob ſanctus deſcribit, *D. Gregor.* vt ſentit Diuus Gregorius libr. 9. Moralium, capit. 46. ac propterea terram miſeriæ, & tenebrarum appellat, vbi miſeria ad dolorem (ex eiuſdem Patris ſententia) tenebræ ad cæcitatem pertinent: *quia foris* (ait) *dolor cruciat, quos diuiſos à vero lumine intus cæcitas obſcurat.* In ea nullum ordinem ſeruari ait Iob, non quòd ibi nullus iuſtitiæ ordo ſeruetur: nam vt teſtatur Innocentius tertius libro tertio de contemptu mundi capite octauo. Ordo ibi erit quoad pœnarum quantitatem: quoniam in qua menſura menſi fuerint, remetietur eis, vt qui grauiùs peccauerunt, grauiùs puniantur: potentes enim potenter tormenta patientur: at ibi nullus ordo erit quoad rerum qualitatem; quia de aquis niuium tranſibunt ad calorem nimium, vt ſubita contrariorum mutatio grauiorem inferat cruciatum. Demum (quæ maxima eſt huius loci miſeria) ibi ſempiternum horrorem inhabitare dicit. Quem locum ita exponit D. Greg. lib. 9. Moral c. 48. *Sempiternus* (inquit) *horror inhabitat, quia eius ignibus traditi, & in ſuppliciis dolorem ſentiunt, & in doloris anguſtia pulſante ſe ſemper pauore feriuntur; vt & quod timent, tolerent; & ruſum quod tolerant, pertimeſcant.* Et infrà. *Quæ tamen ſupplicia in ſe demerſos, & vltra vires cruciant, & in eis vitæ ſubſidium extinguendo ſeruant, vt ſic vitam terminus puniat; quatenus ſemper ſine termino cruciatus viuat, qui & ad finem per tormenta properat: & ſine fine deficiens durat. Fit ergo miſeris mors ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu; quia & mors viuit, & finis ſemper incipit, & deficere defectus neſcit.* Hic eſt ſempiternus horror, quem Diuus Gregorius ex ſententia Iob tanquam propriam inferorum conditionem in damnatis docet inhabitare; vt diſcant aduerſarij ſemper æternos eos horrores, ac ſupplicia fore, quæ impios poſt mortem ſine fine dilaniant.

SECVNDVS locus eſt Iudith decimoſexto, vbi de impiis agens exclamat. *Iudith 16.* *Veh genti inſurgenti ſuper genus meum: Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die iudicij viſitabit illos: dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & ſentiant vſque in ſempiternum.* Vbi Iudith æterna, ac nunquam abſoluenda ſupplicia iis minatur, qui iniuſtè Dei populum affligunt, non igitur temporales pœnæ ſunt, quæ impios apud inferos cruciant.

Iſai. 33. TERTIVS locus eſt Iſa. 33. *Audite qui longè eſtis, quæ fecerim, & cognoſcite vicini fortitudinem meam, conterriti ſunt in Sion peccatores, poſſedit tremor hypocritas: quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Quem locum 70. interpretes ita vertunt. *Quis annunciabit vobis ignem, quia ardet? quis annunciabit vobis ignem æternum?* Vtramque lectionem *Tertull.* Tertullianus aduerſus Marcionem lib. 4. cap. 51. exponit de pœnis inferorum; quem etiam *Procopius.* ſequitur Procopius, qui magis lectioni 70. adhæret, ita ſcribens. *Nam vbi Propheta de reſurrectione, & glorificatione Chriſti, de pœnis irrogandis Iudæis incredulis, de Euangelica prædicatione multa diſſeruit: tum ſubiicit. Quis, inquit, nunciabit nobis locum æternum paratum ſatanæ, & Angelis eius, niſi Chriſtus cùm dixit. Ite in ignẽ æternũ, qui paratus eſt ſatanæ, & Angelis eius.*

Iſa. 66. QVARTVS locus eſt apud eundem Iſa. cap. 66. *Et egredientur* (inquit) *& videbunt cadauera virorum, qui præuaricati ſunt in me, vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Et erunt vſque ad ſatietatem viſionis omni carni.* Vermis immortalis, & ignis inextinguibilis, qui non modò corpora, ſed & animas impiorum poſt iudicium cruciabunt, duplicem inferorum pœnam inſinuãt, dãni videlicet, & ſenſus: vermis. n. ac ille

conſci

conſcientiæ remorſus ex ſummi boni iactura oritur, ignis verò tanquam omnium pœnarum ſenſus compendium, vniuerſa pœnarum genera continet; quæ ſenſum aliquo modo afficiunt. Cùm igitur vermis hic immortalis impios apud inferos nunquam non excruciare debeat, ac ignis exurere: inde manifeſtum eſt, nullum impiorum ſupplicijs finem vn-
Cyprianus. quam imponi debere, quod Cyprianus ex hoc loco obſeruat ad Demetrianum tract. 1. in fine; vbi explanans illud. *Et erunt ad ſatietatem viſionis omni carni. Spectabitur enim* (ait) *illic à nobis ſemper ardens ſempiternis flammis, qui hîc nos ſpectauit ad tempus, & in perſecutionibus factis oculorum crudelium breuis fructus perpetua viſione penſabitur.*

Matth. 3. QVINTVS locus eſt Matth. 3. *Cuius ventilabrum in manu eius, & permundabit aream ſuam: & congregabit triticum in horreum, paleas autem comburet igne inextinguibili.* Triticum bonos, paleæ iniquos indicant, illi in cœleſte beatitudinis æternæ horreum colliguntur; hi ad flammam ſeruantur æternam, & inextinguibilem, cui nulla ardendi meta definita eſt. En igitur quomodo contra expreſſum Dei verbum Origeniſtæ impiorum flammam aliquando extinguendam volunt.

SEXTVS locus eſt apud eundem Matth.
Matth. 25. 25. *Tunc dicet & his, qui à ſiniſtris erunt. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius,* &c. *Et ibunt hi in ſupplicium æternum: iuſti autem in vitam æternam.* Mirum eſt, qua fronte audeant aduerſarij huic apertiſſimo teſtimonio reluctari. Quid enim ad pœnarum æternitatem declarandam, quas improbi poſt iudicium patientur, luculentius dici potuit? At quæ improborum Hæreticorum præſertim eſt mens, nodum in ſcirpo quærunt. Ignem quidem æternum eſſe fatentur, ignis verò combuſtionem, quæ impios torquet, non æternam, ſed temporalem fore exiſtimant. At futilem ho-
D. Auguſt. rum rationem optimè confutat D. Aug. lib. de fid. & oper. cap. 15. ex hoc Matthæi loco. *Neque illud* (ait) *dici hîc poterit, in quo nonnulli ſeipſos ſeducunt; ignem æternum dictum non ipſam combuſtionem æternam. Per ignem quippe, qui æternus erit, tranſituros arbitrantur eos, quibus propter fidem mortuam, per ignem promittunt ſalutem: vt videlicet ipſe ignis æternus ſit; combuſtio verò eorum, id eſt, operatio ignis non ſit in eos æterna: cùm & hoc prauidens Dominus ſententiam ſuam concludit ita dicens. Sic ibunt illi in combuſtionem æternam. Iuſti autem in vitam æternam. Erit ergo æterna combuſtio, ſicut ignis, & eos in illam ituros veritas dicit, quorum non fidem, ſed bona opera defuiſſe declarauit.*

2. Theſſal. 1. SEPTIMVS locus eſt Paul. 2. Theſ. 1. vbi vtroſque impios tã fideles, quàm infideles æternis flãmis cruciãdos addicit. *In flamma ignis* (inquit) *dantis vindictam iis, qui non nouerunt*
A *Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius.* Quid hîc obſtrepere poſſunt aduerſarij? en pœnas impiorum, qui vel Dei fidem non receperunt, vel fide agnita Euangelicis præceptis non obtemperarunt, in flamma ignis æternas, non temporales, vt ex hoc loco docet Irenæus lib. 4. cap. 47. *Pœna eorum* (inquit) *qui non credunt verbo Dei, & contemnunt eius aduentum, & conuertuntur retrorſum adampliata eſt, non ſolum temporalis, ſed & æterna facta.*

POSTREMVS locus eſt Apoc. 14. *Et cru-* Apocal. 14.
B *ciabitur* (inquit) *igne, & ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum, & ante conſpectum Agni, & fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum.* Hîc illorum cruciatus à Ioanne deſcribitur, qui diaboli characterẽ acceperunt, atq; eidẽ nomen dederunt, quorũ pœna licèt in igne, & ſulphure Tartareo acerba cõſtituatur, eò tamen acerbiſſima eſt, quòd fumus ex illorum æterna cõbuſtione in ſæcula ſæculorum nulla temporis præſcriptione aſcenſurus eſt. *Fumus quippe* (vt ait Ambroſius Anſ- Ambroſius.
bertus in Apoc. lib. 6. cap. 14. *indicium dat fu-*
C *turarum flammarum: & quia quamuis ſine nutrimento lignorum, corporeus tamen manet ignis reproborum: ideo fumum eius ſempiternum dicit eſſe: quia inquam ſine fine reprobos ardere conſpicit: idcirco fumum tormentorum in ſæcula ſæculorum aſcendere dicit, quæ magis timore indigent, quàm expoſitione. Apertè namque tormenta impiorum ſine fine futura denunciat.*

NEQVE obſtat Anabaptiſtarum obiectio, qua contendunt nomen ſæculi, & æternitatis non ſemper perpetuitatem, ſed quandoque diuturnitatem ſignificare. Dictio enim עולם *Golam*, quæ apud Hebræos æternita-
D tem ſignificat, non rarò pro temporaria quadam diuturnitate vſurpatur in Scripturis, vt patet ex pleriſque locis. Nam 1. Reg. 1. de 1. Reg. 1.
Annæ matre Samuëlis legitur. *Ducam eum, vt appareat ante conſpectum Domini, vt maneat ibi iugiter.* Hebraicè legitur, *Gad Golam* id eſt, *vſque in æternum*, qui tamen vſque ad obitum tantùm manſit. Præterea Gen. 13. *Erit fœdus meum in carne veſtra, in fœdus æternũ.* Hebraicè *Golam*, neque tamen Circunciſio æterna fuit, ſed tantùm vſque ad Chriſtum: & alia non-
E nulla Scripturarum loca eandem huius vocis ſignificationem ſibi vendicant.

SED hic nodus facilè ſoluitur. Nam etſi verum ſit vocem (Golam) interdum temporis tantùm diuturnitatem indicare, veriſſimum tamen eſt eam ſæpiſſimè, ac frequentiùs æternitatem, quæ nullo fine terminatur, ſignificare: vt conſtat ex innumeris Scripturæ locis, vbi vel Dei, vel diuinorum attributorum æternitas deſcribitur, in quibus ſemper hæc vox *Golam* apponitur: atque adeò huic voci familiare, ac naturale eſt veram

æterni

æternitatē exprimere; vt ad temporis diuturnitatem non niſi per ſimilitudinem transferatur: quapropter ipſe ſacrarum literarum textus per ſe indicat, quando non proprius, ſed hyperbolicus ſenſus in hac voce requirendus eſt; tunc enim ea vox rebus, quæ æternitatem prorſus excludunt, adiungitur, vt ex allatis teſtimoniis manifeſtum eſt. Neque enim aut Samuëli, aut Circunciſioni, aut ſeruo Hebræo, aut terminis antiquis vera æternitas accommodari poteſt: quò fit, vt tunc ea vox pro diuturno tempore accipienda ſit. At non ſic cùm vel de Deo, vel de Dei propoſito, aut miſericordia, aut iuſtitia, aut ira, aut vindicta agitur: nam cùm Dei iuſtitia verè æterna ſit, æternam quoque de impiis vindictam ſumit, quemadmodum æternam bonis remunerationem confert: quamobrem cùm æternum ignis ſupplicium impiis confert, nihil temporale in eo ſupplicio fore ſuſpicandum eſt: cùm illud à Dei iuſtitia, quam vera æternitas comitatur, proficiſci nemo dubitet.

Qvod ad Patrum teſtimonia attinet, id omnes vna voce fatentur, malis æterna ſupplicia apud inferos ſeruari. Ac in primis ipſe Origenes, qui in homil. vigeſima in Leuit. temporales tantùm pœnas damnatis inculcat, homil. decimaquarta in eundem æterna reproborum ſupplicia luculentiſſimis verbis fatetur. *Abſoluitur peccatum* (ait) *per pœnam mortis, nec ſupereſt aliquid, quod hoc crimine iudicij dies, & pœnas æterni ignis inueniat: vbi verò quis accipit peccatum, habet illud ſecum, & permanet cum ipſo, nec aliquo ſupplicio pœnáque diluitur, & tranſit, cum ipſo eſt etiam poſt mortem; & quia temporalia hic non perſoluit: ibi expendit æterna ſupplicia. Vides ergo quantò grauius ſit accipere peccatum quàm morte mulctari. Hic enim mors pro vindicta datur, & apud iuſtum iudicem Dominum non vindicatur bis in idipſum; ſicut Propheta dixit. Vbi autem non eſt ſoluta vindicta; peccatum manet illis æternis ignibus exigendum.* En Origenem apertè pœnarum æternitatem docentem. Hinc nonnulli, inter quos eſt Sixtus Senenſ. tom. ſecundo, anni 131. ex hoc, & aliis Origenis locis illum ab hoc errore defendere nituntur: quibus libenter & ego aſſentirem ob præclarum huius Patris ingenium; nam vt Hieron. de illo teſtatur, vbi bene Origenes, nemo meliùs: niſi tot grauiſſimorum Patrum auctoritate deterrerer, qui aduerſus Origenem ſententiam ferunt: ac huius erroris reum efficiunt. In his ſunt Athanaſius de communi eſſentia Patris, & filij, & Spiritus S. Epiphan. Auguſtinus, Hieronymus, & Theodoretus de Origeniſtis.

Origenes homil. 20. in Leuit. & homil. 14.

Sixtus Sen.

At quicquid ſit de mente Origenis; Patres errorem hunc, ſiue is Origenis, ſiue alterius fuerit, vnanimes damnant. Tertullian. in Apologetic. adu. gentes cap. quadrageſimoquinto. *Epicurus* (inquit) *omnem cruciatum, dolorémque depreciat, modicum quidem contemptibilem pronunciando; magnum verò non diuturnum. Enimuerò nos, qui ſub Deo omnium ſpeculatore diſpungimur, quíque æternam ab eo pœnam prouidemus, meritò ſoli innocentiæ occurrimus, & pro ſcientiæ plenitudine, & pro latebrarum difficultate, & pro magnitudine cruciatus non diuturni, verùm ſempiterni, eum timentes quem timere debebit & ipſe, qui timentes iudicat Deum non Proconſulem timentes.*

Tertull. in Apoleg. adu. gentes c. 45.

Cyprianvs lib. ad Demetrianum. *Cremabit* (inquit) *addictos ardens ſemper gehenna, & viuacibus flammis vorax pœna: nec erit vnde habere tormenta vel requiem poſſint aliquando, vel finem.*

Cyprian. lib. ad Demetr.

Lactantivs lib. 7. diu. Inſtit. cap. 21. cauſam reddit, cur damnatorum corpora æternam illius ignis flammam ſuſtinere queant. *Idem igitur* (ait) *diuinus ignis vna eadémque vi, atque potentia, & cremabit impios, & recreabit, & quantùm è corporibus abſumet, tantùm reponet, ac ſibi ipſe æternum pabulum ſubminiſtrabit.*

Lactantius lib. 7 diu. Inſt. c. 21.

At Cyrillus Ieroſolimitan. Catecheſi decimaoctaua ad corporum naturam, quæ damnatis poſt Reſurrectionem immortalis erit, pœnarum æternitatem refert. *Si peccator eſt* (inquit) *accipiet corpus æternum, quò ſufferre poſſit pœnas peccatorum, vt perpetuò in igne ardeat, vt nunquam diſſoluatur.*

Cyrill. Ieroſ. Catech. 18.

Cætervm Diuus Gregorius Nyſſenus ex ignis illius, qui impios apud inferos exuret, æternitate, acerbiorem quoque illius naturam, quàm hæc huius noſtri ignis ſit, colligit. *Nam cùm ignem audis* (ait) *didiciſti aliquem ab illo diuerſum intelligere, ex eo quòd illi igni aliquid ſit additum, quod non eſt in hoc. Nam ille quidem non extinguitur: hunc autem multa inuenta ſunt, quæ extinguunt. Magna eſt autem differentia inter eum, qui extinguitur, & eum qui nullam admittit extinctionem. Eſt ergo aliquis alius, & non hic ignis.*

D. Greg. Nyſſen.

Porrò Diuus Ioann. Chryſoſtomus Epiſtol. 5. ad Theodorum lapſum, eandem inter hunc noſtrum, & inferorum ignem differentiam conſtituit. *Cùm ignem audis* (inquit) *ne arbitreris eſſe ſimilem huic igni: accenſus enim deferueſcit, & mutatur; ille autem ſemper in flammas exurgens ardet perpetuò, nunquàm intermoritur.* Et poſt pauca dubitationem ſoluit, quo pacto anima æterna ignis ſupplicia tolerare queat. *Cæterùm ſi quis fortè dubitat, quo pacto ſatis eſſe, ac æternum durare immortalis queat anima confecta tanta vi pœnarum, is cognoſcat, quæ hîc fiunt, quomodo non rarò multi, ad morbum non minùs acrem quàm diuturnum ſuffecerint: nec anima diſſoluta*

D. Io Chryſ. Epiſt. 5. ad Theod.

eſt; ſed corpus eſt conſtrictum ac depreſſum, anima afflictis remanente in negotio non aliter atque ſi corpori non indita foret. Quare poſtquam incorruptibile corpus inſolubiléque acceperit, nihil prohibet in infinitum protendi ſupplicium.

D. Hieron. c. 30. Eſa.

HANC pœnarum æternitatem D. Hieronym. cap. 30. Iſa. ex illis verbis: *Et erit tranſitus virgæ fundatus, quam requieſcere faciet Dominus ſuper eum*; manifeſtè colligit. *Eſt ſenſus* (inquit) *nequaquam eum virga percutiet, & eam rurſus leuabit, ac more cadentium finem faciet verberandi: ſed quaſi fundatam, & alta radice defixam in pœnis eius faciet permanere.*

D. Aug. lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 2. & cap. 7.

D. Auguſtin. de Ciuit. Dei lib. 21. cap. 2. eandem pœnarum perpetuitatem damnaris inflictam pluribus demonſtrat, & cap. 7. nonnullis exemplis illuſtrat, maximè ſalis Agrigentini, qui in igne fluit, in aqua crepitat. Fontis Garauantici, qui diebus friget, noctibus feruet. Lapidis Aſberti, qui cùm ignem nullum habeat proprium, alieno ſic ardet, vt extingui non poſſit. Denique ſerm. 181. de tempore. hæc de igne illo damnatorum ſcribit: *Ignis hic, qui in præſenti eſt vita, abſumit cuncta, quæ recipit: ille verò quos ſusceperit, ſemper cruciat, & pœna ſua ſemper integros ſeruat; propterea enim & inextinguibilis dicitur, non ſolùm quia ipſe non extinguitur: ſed quia nec eos, quos ſusceperit; extinguet, aut perimet.*

Serm. 181. de tempore.

D. Greg. lib. 4. Dialog. c. 44.

HIS tandem accedat D. Gregor. qui lib. 4. Dialog. cap. 44. quæſtionem de pœnarum æternitate mouet his verbis. *Scire velim quomodo iuſtum ſit, vt culpa, quæ cum fine perpetrata eſt, ſine fine puniatur?* quam etiam mox ita ſoluit: *Hoc rectè diceretur, ſi diſtrictus iudex non corda hominum, ſed facta penſaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Nam voluiſſent vtique, ſi potuiſſent, ſine fine viuere, vt potuiſſent ſine fine peccare. Oſtendunt enim quia in peccato ſemper viuere cupiunt, qui nunquam deſinunt peccare, dum viuunt. Ad magnam ergo iuſtitiam iudicantis pertinet, vt nunquam careant ſupplicio, qui in hac vita nunquam carere voluerunt peccato.*

POSTREMO hic error non ſolùm cum tota Scriptura, ac Patrum traditione pugnat; ſed etiam ab ipſa ratione eſt diſſentaneus. Dei enim timorem prorſus euertit, & homines ad peccandum allicit: dum facinoroſos quoſque tandem ſaluandos docet: atque eo flagitioſi ac nefarij hominès in ſceleribus perpetrandis magis confirmantur; cùm non æterna, ſed temporali tantùm pœna plectendos ſe eſſe ſentiunt; poſt quam, & ipſi quque bonis cœleſtibus perfruentur; tametſi flagitioſam ac vitiis plenam vitam duxerint. Hæc demum hæreſis homines à bono deterret, ac

A omnia virtutum præmia confundit. Nam ſi poſt diuturnam ſæculorum ſeriem mali ſimul cum bonis perpetuo beatitudinis honore donandi ſunt, eadem erit vitij, ac virtutis dignitas: nec vlla diſtantia erit inter virginem, & publicam proſtibuli meretricem, inter Angelum & demonem, & inter Apoſtolos & Angelos Satanæ nihil intererit. Iidem profectò erunt Prophetæ & Pſeudo prophetæ; martyres, ac perſequutores; iuſti & impij: quandoquidem communis tandem omnibus erit gloria, qua tam vitium, quàm virtus exornabitur: quæ ſummam proculdubio B huius hæreſis impietatem declarant.

TERTIA concluſio. *Improborum animæ ſtatim, ac à corpore ſolutæ ſunt, ad inferos detruduntur, ibique perpetuas ſcelerum pœnas luunt.* Hæc concluſio recentiores noſtræ tempeſtatis Hæreticos, qui in tertia claſſe enumerati ſunt, Lutherum ſcilicet, & Caluinum ſuggillat: qui locis ſuprà citatis impiorum animas ſtatim poſt obitum inferorum pœnis non torqueri; ſed vltimum iudicij diem expectare volunt, cùm ad ſupplicium ſimul cum corpore trahentur.

PRINCIPIÒ ipſa ſacrarum Scriptura- C rum veritas illos aggreditur. Nam Dauid Pſal. 48. impiorum finem, ac locum poſt mortem commemorans, ait. *Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.* Impios velut oues in in morte mactandos, ac apud inferos reponendos vates deſcribit, vbi mors ſecunda, quæ ex tot inferorum tormentis velut morbis erumpit, immortales illorum animas depaſtura eſt; & immortales illis mortis cruciatus inflictura, in quo illud obſeruare lubet, haud ſanè aſpernandum: quòd vates partim præteritum, partim futurum tempus vſurpat, cùm enim de impiorum loco D agit, præterito vtitur: *Sicut oues* (inquit) *in inferno poſiti ſunt:* cùm verò de æternæ illorum mortis ſuppliciis loquitur; futurum tempus vſurpat; *mors depaſcet eos.* Neque id ſanè maxima tametſi occulta ratione vacat: nam primùm vt omnem prorſus dubitationem tollat, quin impiorum animæ ſimul, ac corporibus exutæ ſunt, ad inferos rapiantur præterito tempore vtitur, quaſi id adeò certiſſimum ſit, vt nulla demonſtratione indigeat: quemadmodum nec demonſtratione indigeret, ſi quis præteritum tempus fuiſſe aſſerere vellet; cùm vel ea ſola ratio- E ne fuiſſe exploratum ſit, quod iam præteriit; quapropter cùm de loco impiorum poſt mortem agit, illum apud inferos eſſe irrefragabili velut præteritæ rei veritate euincit. Deinde verò vt æternas improborum pœnas perpetua temporum ſerie ſemper in futurum ſeſe extendere demonſtret: futurum tempus, cùm de iis agit vſurpat; quaſi nulla illis præfixa ſit temporum meta,

Pſal. 48.

ſed

quoſcunque temporum terminos attigerint, futurum ſemper tempus inquirant. Inde fit, vt hoc teſtimonio ij primũ apertè coarguantur, qui impiorum animas à corpore ſolutas ad inferos non deuolui, ac pœnis ante iudicium non torqueri exiſtimãt. Cùm enim vates eas in inferno velut oues, ac gregem ad victimã damnatum, collocatas eſſe affirmet; ſanè haud dubitandum eſt, vatem de iis impiis tunc agere, qui iam eo tempore è viuis exceſſerant; quò fit, vt quotquot impiorum animæ vſque ad id tempus migrauerant, iam in inferno eſſent repoſitæ, & ad Tartareum illum gregem pertinerẽt, cuius paſtor eſt ipſa mors, quæ ad immortalia gemituum, ac dolorum paſcua illum ducit. Iam ergo apud inferos illæ impiorum animæ torqueri cœperant, quas mors inſtar famelici lupi depaſcebat. Atque ij deinde conuincuntur, qui damnatorum pœnas æternas eſſe inficiantur, quos ſuperiori concluſione confutauimus. Quam expoſitionem indicat S. Bernardinus ſerm. 2. in id. *Non eſt regnum Dei eſca, & potus. Quàm bene (ait) ſicut oues in inferno poſiti ſunt; quia detracto vellere mundialium diuitiarum durè preßéque detonſi, ſempiternis nudi deputabuntur incendiis. Mors depaſcet eos, quia ſemper morientur ad vitam, & ſemper viuent ad mortem.*

Auguſt. AT Auguſtinus ita legit. *Sicut oues in inferno poſitæ, mors paſtor eſt eis.* Ex qua lectione præclarus nobis ſẽſus obiicitur expendẽdus. Primùm, damnatorum agmẽ eſſe veluti gregem in inferno. Illius Paſtorem eſſe mortem ſecũdam, de qua Ioan. Apoc. 2. *Apoc. 2.* *Qui vicerit, non lædetur à morte ſecunda*, Pabula, fel, abſynthium, ignem æternum, fletum, ſtridorem dentium, ac cętera inferni ſupplicia. Malus ſanè paſtor, qui gregem non paſcit, ſed depaſcit. At infeliciſſimus grex, quem à vitæ exitu ſempiterna mors velut paſtor horrendo ſinu excipit, ac Tartareis pœnarum cibis depaſcit.

SECVNDÒ Dauid Pſal. 113. eandem veritatem confirmat cùm ait. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui deſcendunt in infernum.* *Chryſoſt. in Pſalm. 113.* Eleganter Chryſoſtomus ita locum hunc exponit: vt per mortuos peccatores intelligat, qui tametſi viuant vita naturæ, cùm tamẽ à gratia exciderint, morte peccati mortui ſunt, de quibus Ioann. Apoc. 1. *Apoc. 1.* *Nomen habes, quòd viuas, ſed mortuus es.* Atque hi Deum non laudant, cùm nouis quotidie culpis illum offendant: nam etſi interdum Deum labiis honorent, attamen haud ſpecioſa eſt Dei laus in ore peccatoris, cùm animo longè ab illo abſit. Mortuos dicit (inquit) non eos, qui vita functi ſũt, ſed eos qui mortui ſũt in impietatibus, vel eos qui in peccatis ſuis immarcuerũt.

PER illos verò, qui deſcendunt in infernum, damnatorum animas intelligit, quæ corporeis vinculis ſolutæ, ad inferorum pœnas deſcenderunt: neque hæ Deum laudant A quando illas ſummum Dei odium excruciat.

SVNT alij, qui mortuos ipſa mortuorum corpora; quæ in ſepulchris iacent, interpretantur: eos verò qui deſcendunt in infernum, mortuorum ſpiritus intelligunt, qui ad ima Tartara deſcendunt. Cùm igitur hîc ex Regio Propheta duo hominum genera ſint, qui nunc Deum non laudant: mortui nimirum; ſiue mortuorum nomine peccatores viuentes intelligas, ſiue mortuorum corpora; & ij qui in infernum deſcenduut; ſanè conſtat iam modò impiorum animas poſt mortem ad inferos detrudi, atque B ibi perpetuas pœnas luere.

TERTIÒ Salomon Sap. 5. ſeram illorum pœnitentiam fusè deſcribit, qui apud inferos nunc cruciantur, ac propria illorum verba refert; vbi inter alia hæc habet. *Sap. 5.* *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes & præ anguſtia ſpiritus gementes. Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum* C *eſt.* Et poſt plura. *Talia* (inquit) *dixerunt in inferno, qui peccauerunt.* En animas iam in inferno degentes, vbi loquuntur, turbantur, mirantur, cogitationibus agitantur, pœnitentiam agunt, (etſi nimis ſerò) anguſtias ſpiritus patiuntur, gemunt. Non rem futuram narrat Salomon, ſed præteritam, nec futura impiorum verba aut dicenda, ſed iam dicta commemorat. *Talia* (inquit) *dixerunt in inferno, qui peccauerunt.* Quid hîc nobis obiicere poſſunt aduerſarij, prætetquàm antiquam illam, ac penè obſoletam calumniam, qua hunc librum, veluti & alios quamplurimos è D Canonicorum numero expellunt? At liber Canonicus eſt (vt aliàs demonſtrabimus) quapropter opus eſt, vel vt ij Scripturarum veritatem euellant, vel nobiſcum fateantur, impiorum animas etiam nunc in inferno detineri, vbi gemant, crucientur, ac dignas pęccatorum pœnas luant.

AVDIO quid iterum reſpondeant, nimirum poſtrema illa verba in Græco textu non haberi: at quamuis ea in Græco codice non legantur, attamen cùm in vulgata E editione, quæ antiquiſſima eſt, atque à vetuſtis Patribus Auguſtino, Gregorio, ac cæteris commendata: denique à tota Eccleſia iam olim recepta apertè exprimantur; id ſanè ſatis nobis eſſe debet, vt ea verba à Græco textu potiùs ob variam interpretum editionem vel exciſa, vel eraſa; quàm ab initio minimè appoſita credam[9]. Quapropter haud placet Lorini in hunc locũ animaduerſio, qui *Lorin. in hũ. cap. c. 5.* etſi hęc verba à Spiritu ſancto, ob inſitam ſibi veritatem profecta doceat, ea tamen à Lati-

no interprete addita exiſtimat: in quo videtur ſentire aliqua in vulgata editione aucta eſſe, quæ in ipſo Scripturarum prototypo non haberentur, ac proinde veræ Scripturæ partes non eſſent: quod ſanè vulgatæ editionis vim atque auctoritatem non parum eneruat: quapropter meliùs (vt dixi) ſentiendum exiſtimo, id ex Græcorum interpretum vitio accidiſſe: qui cùm (teſte Hieronymo) quamplures fuerint, ſeptuaginta interpretum lectionem ita ſuis editionibus obſcurarunt, vt iam difficile eſſet veram editionem à reliquis ſecernere. Verùm quæ ex Græca editione interpretum vitio perierunt, integra apud vulgatam remanſerunt: quò fit, vt minimè dubitandum ſit, quin hæc verba ad veram Scripturam pertineant. Ex quibus tandem concludimus, reproborum animas vix à corpore ſolutas ſuorum ſcelerum in inferno pœnas luere.

Eccleſ. 21. QVARTO Eccleſiaſticus cap. 21. de fine impiorum agens: *Via peccantium* (ait) *complantata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ.* Hoc teſtimonium ſuperiùs explicatum fuit, neque modò maiori explicatione opus eſt: quàm quòd perpendant aduerſarij non aliam eſſe peccatorum viam, quàm totum illorum vitæ decurſum; impij namque tandiu in peccatis gradiuntur, quandiu illis vitæ halitus ſupereſt, quo intercepto vitam ſimul cum peccatis deſerunt: & ad viæ finem perueniunt. Cùm verò ad vitæ finem peruenerint, quid mox expectare debeant, declaratur hoc teſtimonio: nihil enim illis expectandum fore ait Eccleſiaſticus, præterquàm inferos, tenebras, ac pœnas. Inferi quippe impiorum locum deſignant, tenebræ ſtatum, pœnæ ſtatus illius miſerias: atque inde manifeſtum eſt, impiorum animas ſtatim poſt mortem apud inferos torqueri.

Matth. 3. QVINTO Matthæus cap. 3. quid de impiis poſt mortem agendum ſit, docet his verbis: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excindetur, & in ignem mittetur.* Impios altiſſimæ arbori ſimiles eſſe teſtatur Dauid *Pſal. 36.* Pſal. 36. Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut Cedros Libani: quod etiam confirmat *Daniel. 4.* Daniel ex viſione illius procerrimæ arboris, qua impius Nabuchodonoſor ſignificabatur. *Videbam, & ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia, & proceritas eius pertingens vſque ad cælum.* Hæc arbor foliis quidem vanitatum, opum, ac temporalium bonorum interdum exuberans, virtutum verò fructibus omnino deſtituta in morte præciditur, *Luc. 13.* iuxta illud Luc. 13. *Succide eam, vt quid etiam terram occupat?* Præciſa verò ex teſtimonio *Gregor. hom. 20. in Euangel.* Chriſti ſtatim flammis deſtinatur. Paratam enim (ait Gregor. hom. 20. in Euangelia) gehennæ concremationem inuenit, qui hîc bonis operis fructum facere contemnit. His con-

A ſentanea ſunt, quæ leguntur Ezechiel. 15. vbi *Ezech. 15.* Deus impiorum finem Prophetam docet his verbis. *Fili hominis, quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ ſunt inter ligna ſyluarum: &c. Ecce igni datum eſt ad eſcam: vtramque partem eius conſumpſit ignis, & medietas eius redacta eſt in fauillam.* Præciſa vitis igni ſtatim comburenda traditur; nam vt Auguſt. teſtatur tract. 81. in Ioan. *D. Auguſt. Orat. 81. in Ioan.* *Præciſa nullis agricolarum vſibus prodeſt, nullis fabrilibus operibus deputatur; vnum ei è duobus palmitis congruit, aut vitis, aut ignis: ſi in vite non eſt, in igne erit.* Vides impiis ab hac vita præciſis nullum temporis ſpa-
B tium dari, quò minùs ad inferorum incendia rapiantur.

Luc. 16. SEXTVM Lucas 16. præclariſſimo teſtimonio impiorum animas ſtatim poſt mortem apud inferos pœnas luere demonſtrat in Hiſtoria de Diuite & Lazaro. *Mortuus* (inquit) *eſt autem & diues, & ſepultus eſt in inferno. Eleuans autem oculos ſuos, cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius: & ipſe clamans dixit. Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et di-*
C *xit illi Abraham; fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua; & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris: & in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt: vt hi qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint: neque inde huc tranſmeare.*

PRIMVM quidem hanc veram eſſe Hiſtoriam non tantùm parabolam, teſtantur Tertullianus lib. de anima cap. 7. quod inde *Tertull. lib. de anima cap. 7.* colligit, quòd in ea Lazarus nominetur. *Imaginem* (inquit) *exiſtimas exitum illum pauperis lætantis, & diuitis mærentis? Et quid illic Lazari nomen, ſi non in veritate res eſt?* Ambroſ. in *Ambr. in c. 16. Luc.*
D Lucam, qui hanc narrationem, ac Hiſtoriam non parabolam appellat. *Narratio* (inquit) *hæc magis, quàm parabola videtur, quando etiam nomen exprimitur.* Diuus Gregor. hom. 40. in *Greg. homil. 40. in Euang.* Euangel. vbi rem geſtam cenſet. D. Petrus *D. Petrus Chryſ. ſerm. 124.* Chryſologus ſerm. 124. *Si* (inquit) *eſt Abrahæ ſinus, ſi eſt Lazarus in ſinu Patris tanti, immò quia dubium non eſt, ibi & loca, & perſonæ, & nomina deſcribuntur.* Origenes hom. decimaſexta in lib. Numer. beatum hunc Lazarum vocat. *Origen. hom. 16. in lib. Numer.* Cyrillus libr. 1. in Ioann. Lazarum verum fuiſſe hominem ſentit. *Cyrill. lib. 1. in Ioan.* Idem Auguſtin. ſermon. 227. de tempore. Et *Aug. ſerm. 227. de temp.*
E Iſidorus Peluſiota, de diuite & Lazaro *Iſid. Peluſ.* tanquàm de veris hominibus loquuntur. Ex recentioribus verò Baronius, in Annalibus, Lyranus, Dionyſius Carthuſian. & *Baronius. Lyran. Dion. Carth.* alij veram fuiſſe Hiſtoriam ſentiunt. His accedat, quòd Theophylactus de Hebræorum *Theophyl.* traditione commemorat, cui etiam adſtipulatur Titus Boſtrenſis, tam diuitem, quàm *Titus Boſtr.* Lazarum prope Chriſti tempora vixiſſe; Lazarùm

ſarúmque hunc fuiſſe quendam in extrema inopia, ac languore conſtitutum Ieroſolymis, per id tempus notum.

Hoc igitur conſtituto veritas ipſa elamitat, diuitem hunc immanem, ac impium poſt obitum ſtatim apud inferos, non quidem corpore, ſed anima collocatum fuiſſe. Corpus quidem maximo honore (vt credendum eſt) ſepulturæ mandatum eſt: anima verò in inferno ſepulta fuit; vbi æterno igne cruciatur. Quanquam verò ex eius diuitis exemplo rectè inferri poſſit, cæteras impiorum animas apud inferos ſuppliciis affectas degere: cùm non minùs cæteras impiorum animas, quàm huius diuitis Dei vindicta exagitet: id tamen Chriſtus apertiùs illis verbis declare voluit. *Et in his omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum eſt; vt qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint:* vbi cùm pluralem numerum vſurpet, eo placè indicat plures cum diuite apud inferos iiſdem pœnis affectos exiſtere, quibus multitudinis numerus accommodari poſſit.

His igitur ſacrarum Scripturarum oraculis iam apertè conſtat, quàm grauiter errent aduerſarij, qui animabus improborum inferos, ac ſupplicia ad extremum vſque iudicij diem differri exiſtimant.

His Patrum teſtimonia accedant, vt vnanimem in hac Catholica doctrina, Eccleſiæ conſenſum conſpirare videaot.

Iuſtinus Oratione ad Antonin.

Ivstinvs imprimis, quem ſibi aduerſarij fauere exiſtimant, Oratione ad Antoninum animas impiorum poſt mortem inferorum pœnis adiudicat. *Animas* (inquit) *aſſerimus poſt mortem quoque ſenſu præditas eſſe, ac iniuſtorum quidem excruciari: bonorum verò ſuppliciis liberas feliciter agere.* Idem quæſt. 75. iniuſtorum animas poſt obitum ad Orcum rapi teſtatur.

Clemens Alex. lib. 5. Stromat.

Clemens Alex. lib 5. Stromaton idem ſentit. *Supplicia* (inquit) *poſt mortem, & pœnas, quæ igne luuntur, Barbara Philoſophia & vniuerſa Muſa Poëtica, & Græca Philoſophia à Prophetis ſurripuit.*

Athanaſ. in quæſtionib.

Idem docet Athanaſius in quæſtionibus. *Peccatorum animæ* (ait) *in inferno poſitæ ſunt ſubter omnem terram, & mare: vt Pſalmus dicit, Poſuerunt me in lacu inferiori in tenebroſis, & in vmbra mortis, & apud Iob ſcriptum eſt. Ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine.*

Iob. 10.

Baſil. Orat. ad Baptiſm.

At præclarè Baſilius exhortatione ad Baptiſmum. *Aderit* (inquit) *tibi repentinum exitium, ac interitus ſimilis procellæ te euertet, Veniet Angelus triſtis, per vim tuam rapiens tot peccatis irretitam animam: téque demum magnopere cruciatum, & abſque voce querentem, præcluſo lamentis vocis organo, ad nigra tartara deducet.*

Egregie quoque Cyrillus Alexand.

Cyrill. Alex. Orat. de exitu animæ.

A Oratione de exitu animæ impiorum lapſum poſt mortem deſcribit. *Atque ſi anima* (inquit) *in otioſo luxu vixiſſe fuerit deprehenſa, duriſſimam illam vocem audit: tollatur impius ne videat gloriam Domini. Tunc eam detinet dies iræ, tribulationis, neceſſitatis, anguſtiæ: dies tenebrarum & caliginis. Tunc à ſanctis Angelis Dei deſtitutam inuadunt Aethiopes illi dæmones, eámque ferientes crudeliter in terrarum opaca deducunt, & aperta tellure ſolidiſſimis compedibus reuinctam, in terram tenebroſam, & fuliginoſam, in infimas infernorum carcerum partes, ac Erebi cuſtodias deiiciunt. Tunc* B *merguntur animæ peccatorum in omne æuum crematuræ, quemadmodum Iob ait. In terram atram & obſcuram, in terram noctis æternæ: vbi non lumen, vbi nulla mortalibus vita, ſed iugis ægritudo, ſed mæror inceſſabilis, ſed fletus, ſed dentium ſtridor nullo ſilentio intermiſſus: ſed planctus per noctes. Veh veh illic æternum.*

Porrò Tertullianus lib. de anima multis argumentis probat impiorum animas à morte ſtatim ad inferos puniendas detrudi, ac præſertim capit. 58. vbi poſtquam diuitis, ac Lazari exemplum protu- C lit, eos confutat, qui impiorum pœnas vſque ad iudicium differri exiſtimant: *Cur enim* (inquit) *non putes animam & puniri, & foueri in inferis interim ſub expectatione vtriuſque iudicij, quia ſaluum debet eſſe* (inquis) *in iudicio diuino negotium ſuum, ſine vlla prælibatione ſententiæ? Tum quia & carnis operienda eſt reſtitutio, vt conſortis operarum atque mercedum. Quid ergo fiet in tempore iſto? Dormiemus? At enim animæ nec in viuentibus dormiunt, corporum enim eſt ſomnus, quorum & ipſa mors cum ſpeculo ſuo ſomno: aut nihil vis agi illic, quò vniuerſa humanitas trahitur, quò ſpes omnis ſeque-* D *ſtratur. Delibari putas iudicium an incipi? Præcipitari an præminiſtrare? Iam verò quàm iniquiſſimum etiam apud inferos, ſi & nocentibus adhuc illic bene eſt, & innocentibus nondum?* Probat deinde animam ſolam abſque corpore poſſe cruciari apud inferos. *Adeò nouit, & apud inferos anima & dolere, & gaudere ſine carne: quia & in carne illæſa, ſi velit dolet: & læſa ſi velit gaudet. Hoc ſi ex arbitrio ſuo in vita quanto magis ex iudicio Dei poſt mortem?* Tandem ex allatis rationibus ita E concludit. *Ergo propter hoc congruentiſſimum eſt, animam licèt non expectata carne puniri, quod non ſociata carne committit.*

Tertull. lib. de anima c. 58.

Vides Tertullianum noſtrorum Hæreticorum nondum natum errorem iugulare, ac illorum rationes proſternere, quibus animam ante corpus non torqueri ſibi perſuadent: nam quòd damnatorum ſupplicia extremi iudicij ſententiam expectare volunt, facilè diluitur à Tertulliano, cùm nunc quoque iudicium inchoari in morte voiuſ-

Digitized by Google

cuiuſque, ac ſententiam ferri, inſinuat; qua impij ad pœnas damnantur. Quòd verò animam ſine corpore iudicari, ac condemnari nolunt tanquam in delictis ſocios, quibus eadem pœna irrogari debet, validiſſima ratione confutat: cùm ait; animam pleraque facinora ſiue corpore ſolam perpetrare, ob quæ ſine corpore plecti debet: idem etiam docet lib. de reſurrect. carnis.

Hilarius ad Pſalm. 2. & 57. ELEGANTER quoque Hilarius ad Pſalmum 2. huius dogmatis veritatem proſequitur contra noſtros aduerſarios necdum orbi, aut naturæ notos. *Pereunt* (ait) *autem de via iuſta, cùm exarſerit in breui ira eius: non* B *moroſa hæc via eſt, per quam de iuſta ira pereunt: ne quis ſibi interim pœnæ lucro inter moras iudicij blandiatur. In breui namque exardeſcit ira. Excipit enim illos ſtatim vltor infernus; & decedentes de corpore, ſi ita vixerint, confeſtim de via iuſta peribunt. Teſtes nobis ſunt Euangelij diues, & pauper; quorum vnum Angeli in ſedes beatorum, & in Angeli ſinu locauerunt, alium ſtatim pœnæ regio ſuſcepit. Adeo autem ſtatim pœna mortuum excepit, vt etiam fratres eius adhuc in ſupernis manerent. Nihil illic dilationis, aut moræ eſt.* Et ad Pſal. 57. idem confirmat.

Patianus. EADEM etiam tradit Patianus Parænesi C ad pœnitentiam. *Timete* (ait) *dilectiſſimi iuſta iudicia, omittite errorem, damnate delicias: properat iam tempus extremum. Tartarus & Gehenna laxatos impiis ſinus pandunt. Poſt animarum intempeſtiua ſupplicia rediuiuis quoque corporibus perpetua pœna ſequitur. Attendite Euangelij diuitem ſolius adhuc animæ ſupplictis laborantem.*

D. Aug. lib. 13. de Ciuit. Dei c. 8. ID etiam docet D. Auguſtin. tum de Gen. ad literam lib. 12. cap. 32. tum lib. 13. de Ciuit Dei cap. 8. vbi habet hæc verba. *In requie enim ſunt animæ piorum à corpore ſeparatæ; impiorum autem pœnas luunt, donec iſta-* D *rum ad æternam vitam, illarum verò ad æternam mortem, quæ ſecunda dicitur, corpora reuiuiſcant.*

D. Greg. lib. 4. Dialog. c. 28. POSTREMO (vt cæteros taceam) D. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 28. id ex diuinæ iuſtitiæ æquitate demonſtrat his verbis: *Si eſſe ſanctorum animas in cœlo ſacri eloquij ſatisfactione credidiſti: oportet, vt per omnia eſſe credas & iniquorum animas in inferno; quia ex retributione æternæ iuſtitiæ, ex qua iuſti iam gloriantur, neceſſe eſt per omnia, vt & iniuſti crucientur. Nam ſicut electos beatitudo lætificat; ita credi neceſſe eſt, quod à die exitus ſui ignis re-* E *probos exurat.*

CONSTAT igitur vniuerſalem Patrum conſenſum in hac doctrina vnanimem eſſe, ac contra aduerſarios pugnare. Cui & vnica ratio accedat.

QVÆRO enim ab aduerſariis, qui impiorum animas nondum apud inferos vſque ad extremum iudicij diem cruciari volunt;

A quo loco interim illæ degant, quem locum illis ex Scripturis aſſignent? Neque enim in corporibus ſuis eſſe poſſunt, cū ab iis iam ſolutæ ſint: neque in alienis cōmorantur, ne Pythagoricam animarum tranſmigrationem in orbem Chriſtianum inuehant; neque in ſepulchris, aut circa ſepulchra vagantur, niſi Platonicas ſeu potiùs Tullianas fabulas amplecti velint; qui defunctorum animas circa ſepulchra volutari exiſtimabant. Terræ ſuperficies non mortuorum, ſed viuorum locus eſt. Cœlum impiorum animas longè à ſe expellit, cùm ſanctarum tantummodò B domicilium ſit: Purgatorium apud illos nullum eſt, quòd ſi eſſet, cùm illud purgandis tantùm ſcelerum reliquiis aptum ſit, improborum animas haud recipere valeret, quorum ſcelera non niſi æterna pœna expiari poſſunt. Nec ſinus Abrahæ, nec puerorum limbus ſatis idonea ſunt impiarum animarum receptacula, cùm ille iuſtorum tantùm animas exciperet, & Chriſti morte ſublatus ſit: hic nullius actualis culpæ reos accipiat. Quærant igitur aduerſarij ex diuinis Scripturis locum, vbi impiorum animas vſque ad iudicium im- C punes collocent; cùm hæc tantùm loca ſuſcipiendis animabus idonea Scriptura commemoret. Quòd ſi (vt arbitror) locum non inueniant, illas apud Tartarum ex tot Scripturarum, ac Patrum teſtimoniis torqueri diſcant.

De loco & ſitu inferni contra Hæreticos.

ARTICVLVS XIX.

D LVTHERVS, & Caluinus recentiorũ noſtræ tempeſtatis Hæreticorum anteſignani Theologos noſtros derident, quaſi infernum locum aliquem ſubterraneum ſomnient: in quo impij mortui concludantur. In hoc tamen videntur differre inter ſe, quòd Lutherus infernum quidem aliquem damnatorum locum eſſe agnoſcit; ſed illum extra totum hunc mundum collocat, neque eum niſi poſt iudicium impiis decernit, vt patet ex verbis ipſius ad cap. 9. Eccleſiaſtis, vbi ait. *Infernus dicitur, vbi continetur anima, & quaſi quoddam ſepulchrum* *Lutherus ad c. 9 Eccleſ.* E *animæ extra hunc corporalem mundum, ſicut terra eſt ſepulchrum corporis, quid autem illud ſit, hoc eſt nobis incognitum.* Et ſermon. in Euangel. de Diuite & Lazaro. *Tartarus* (ait) *cuius hic fit mentio, non eſt ille locus, qui damnatorum tormentis poſt extremum iudicium deputabitur. Neque enim veriſimile eſt diuitis huius cadauer apud inferos fuiſſe ſepultum, ſed magis in ſuperam terram defoſſum.* *Serm. in Euang. de Diu. & Lazaro.*

Ar

Caluin. in 30. cap. Iſaiæ.

AT Ioannes Caluinus in trigeſimũ cap. Iſaiæ nullum omnino infernum corporalem, aut ſubterraneũ eſſe ſentit. *Per Tophet*(inquit) *gehennam haud dubiè intelligit, non quòd ad locum aliquem ſamniare oporteat, in quo impij mortui concludantur: ſed conditionem ipſorum miſeram, extremóſque cruciatus, & tormenta ſignificat.*

Luther. ſer. de Diuit. & Lazaro.

QVID verò Lutherus infernum eſſe ſentiat, declarat in ſerm. de Diuite, & Lazaro. *Nobis* (ait) *ſanè videtur hunc Tartarum nihil eſſe, quàm ipſius conſcientiæ remorſum, qui ſcilicet fide, ac verbo Dei caret; in qua anima ſepulta, & concluſa vſque ad nouiſſimum diem continetur.* Quò fit, vt impij homines contra totam Scri- (B) pturam, ac Eccleſiaſticam traditionem pugnantes, infernum ſpiritualem tantùm eſſe doceãt: nec torquendis animabus locum aliquem corporalem relinquant.

NOS verò apertis Scripturarum teſtimoniis, & Patrum traditione facilè demonſtrabimus (Deo fauente) infernum damnatorum locum eſſe corporalem, ac ſubterraneum, non extra mundum, ſed in ipſo mundo collocatum, quod nonnullis concluſionibus propoſitis præſtamus.

QVAPROPTER ſit prima concluſio. (C) Infernus ſecundùm fidem, ac Scripturas dandus eſt extra animam, in quo impiorum animæ ante iudicium, & corpora ſimul cum animabus poſt iudicium perpetuò excrucientur. Quæ concluſio aduerſus vtrumque Hæreſiarcham pugnat. Probatur primò ex Scripturis.

Deuter. 32.

DEVTER. 32. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima.* Hic locus à nobis ſuperiùs explicatus fuit, vbi iuxta ſententiam D. Greg lib. Moral. 18. cap. 12. & Procopij, cum ex Hebraica lectione oſtendimus, eum de loco damnatorum intelligen- (D) dum eſſe, in quo cùm nouiſſimum, vel iuxta Hebraicam lectionem inferius aſſignetur, id animæ competere non poteſt, quæ neque nouiſſimum, neque inferius continet.

Iob. 11.

IOB. 11. *Excelſior* (inquit) *cælo eſt, & profundior inferno.* Vbi Iob de Dei incomprehenſibilitate agit, quem nec cælo, nec inferno comprehendi poſſe affirmat. Cùm ergo cælum quod ſitu altiſſimum eſt, inferno opponit, ac Deum cælo excelſiorem, & inferno profundiorem eſſe dicit: quid eo inſinuat, præterquàm infernum eſſe locum extra ani- (E) mam ſitu profundiſſimum: quo nihil inter corporea profundius eſſe poteſt?

Pſ. 6. & 113. 30. 54. 136.

DAVID Pſ. 6. ait. *In inferno autem quis confitebitur tibi?* & Pſal. 113. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui deſcendunt in infernum.* & 30. *Erubeſcant impij, & deducantur in infernum.* item 54. *Deſcendant in infernum, viuentes.* item 136 *Si deſcendero in infernum, ades.* At deſcendere, ac deduci in infernum corporalem locum proculdubio extra animam indi- (A) car: quò anima deſcendat, ac deducatur.

Sap. 5.

SAP. 5. *Talia dixerunt in inferno, qui peccauerunt.* Quòd ſi ea dixerunt impij in inferno, et[?]go infernus eſt locus impiorum extra animam, vbi animæ illorum præterita mala ſerò lugent.

Iſa. 5. & 14.

ISAI. 5. *Dilatauit* (inquit) *infernus os ſuum abſque vllo termino, & deſcendent fortes eius, & populus eius, & ſublimes, glorioſique eius ad eum.* & 14. *Infernus ſubter te conturbatus eſt.* Si infernus non eſt, niſi in vniuſcuiuſque animæ remorſu, tot proculdubio erunt inferni; quot impij exiſtũt: quomodo igitur ex Iſaia vnus (B) infernus tot excipit? Prætetea ſi infernu ſub impiis conturbatur: non igitur in ipſis impiis eſt, ſed extra impios; quæ enim ſub aliquo ſunt, extra illum ſunt. Innumera ex Scripturis huiuſmodi afferri poſſunt teſtimonia, quę infernum damnatorum locum extra animam eſſe indicant.

Iuſtinus. Baſilius. Cyril. Alex. lib. 1. in Iſa. cap. 5.

VENIO ad Patres, qui id vno ore affirmant: Iuſtinus enim quæſt. 75. impiorum animas in Orci tetertimum locum deduci ait, D. Baſilius impios ad nigra Tartara rapi aſſerit, in exhortatione ad Baptiſmum. Cyrillus Alexand. lib. 1. in Iſai. cap. 5. *Quæ eſt in-* (C) *ferni anima* (ait) *locus potiùs eſt infernus, & animarum miſerarum carcer horridus.* Tertullianus lib. de anima c. 58. infernum extra animam conſtituit, cùm illum animæ carcerem appellat. *In ſumma* (ait) *cùm carcerem illum, quod Euangelium demonſtrat, inferos intelligimus, ut nouiſſimum quadrantem, modicum quoque delictum mora reſurrectionis illic luendum interpretamur.* *Tertull.*

CYPRIANVS quoque inferni locum deſcribens de laude martyrij, illum extra animam collocat. *Saeuiens locus* (inquit) *cui gehenna nomen eſt, magno plangentium murmure,* (D) *& gemitu, & eructantibus flammis, per horrendam ſpiſſæ caliginis noctem ſæua ſemper incendia caminis fumantis expirat, globus ignium arctatus abſtruitur; & in varios pœna exitus relaxatur.* *Cyprianus.*

LACTANTIVS idem de inferno ſentit lib. 7. diuin. Inſtit. c. 7. *Eſſe inferos* (ait) *Zenon Stoicus docuit, & ſedes piorum ab impiis eſſe diſcretas, & illos quidem quietas, ac delectabiles incolere regiones: hos verò luere pœnas in tenebroſis locis; atque in cæni voraginibus horrendis. Idem nobis Prophetæ palàm faciunt.* *Lactant.*

OPTATVS lib. 6. contra Parmenianum in- (E) ferorum loca eſſe docet. *Sed obſeruate* (ait) *ne veniatis ad inferos, & illic inueniatis Core, Dathan, & Abiron ſchiſmatis Magiſtros, ſcilicet veſtros.* *Optatus.*

IDEM tradit Patianus Parænesi ad pœnitentiam. *Tartarus* (inquit) *& gehenna laxatos impiis ſinus pandunt.* *Patianus.*

PRVDENTIVS verò de Hamartigenia hoc carmine inferos corporeos occinit. *Prudentius.*

Praſcius inde Pater liuentia Tartara plumbo

Incendit liquido, piceáſque bitumine foſſas
Infernalis aquæ furno ſuffodit Auerno.

Auguſt. Eoſdem quoque frequenter docet Auguſtin. lib. de triplici habitat. cap. 2. & ep. 99. & primo retract. cap. 5. & de Geneſi ad lit. lib. 12. cap. 32. teſtatur pœnalia loca ſæpe demonſtrata fuiſſe his, qui rapti ſunt à corporis ſenſibus. *Greg. Mor.* Et Gregor. lib. 9. Mor. cap. 46. & 47. *Chryſoſt.* & lib. 15. cap. 9. D. Io. Chryſoſtom. hom. 5. *Anſelm.* in epiſt. ad Rom. Anſelmus lib. 20. de ſimilitud. cap. 45. *Rupert.* Rupertus ad cap 20. Apoc. *Hug. Vict.* Hugo Victor. lib. 4. de anima cap. 13. *Bernard.* D. Bernard. lib. meditationum cap. 3. & cæteri Patres.

Ex quibus apertè colligitur infernum non in anima ſpiritualiter tantùm collocandum eſſe, ſed locum quendam eſſe extra animam, in quo damnati perpetuas peccatorum ſuorum pœnas luunt.

Sed vt nonnihil contra aduerſarios rationibus agamus. Hîc primùm Lutherum vrgeo, qui infernum, ac inferorum ſupplicia ſolùm culpæ mortalis remorſum in impiorum animis relictum eſſe autumat. Si nulla eſt apud inferos pœna, qua ratione; aut quo titulo conſcientiæ remorſum inferorum pœnam appellat? Quæ eſt hæc inferorum pœna, quæ remorſui proprium nomen cedit? Certè ſi omnis ab inferis pœna exulat, nec vlli inferi ſunt, quid inferorũ pœnam commemorat? Quòd ſi Lutherus remorſum, ipſum infernum, ac inferorum pœnam eſſe vult, qua impij anima torquetur, priùs igitur infernum ac inferorum pœnas eſſe fateatur: tum remorſus inferni nomen, aut inferorum pœnam ſibi vendicet.

Neque reſpondere poteſt; infernum metaphoricè ſumi: neque locum vllum corporeis pœnis horridum deſignare, ſed conſcientiæ remorſum animam ad pœnarum illarum ſimilitudinem, quæ in Scripturis deſcribuntur, torquentem indicare. Iam ergo fatetur Lutherus infernum, ac inferorum pœnas extra animam in Scripturis deſcribi, iam ſalua res eſt. At cùm Scripturæ pœnalem inferni locum extra animam conſtituant; quo Scripturarum teſtimonio probat, eum metaphoricè pro conſcientiæ remorſu, non verè pro reali terræ ſitu eſſe accipiendum? Planè cùm nullum teſtimonium proferat, aut proferre queat; cur rem tantam, tam præclariſſimis verbis à Prophetis, & Apoſtolis traditam, ac toties in Scripturis commemoratam euellit, ac nullo Dei teſtimonio, aut Patrum conſenſu, aut ratione fretus, quinetiam iis reluctantibus ad metaphoram inuitam trahit?

Adde, quòd ſi conſcientiæ remorſus ipſe, infernus ac damnatorũ pœna eſſet; iam nunc impij in ſeipſis infernum gererent, ac damnatorum pœnas ſuſtinerent, cùm ab iis conſcientiæ remorſus remoueri non queat, quod *Pſal 50.* de ſeipſo teſtatur Dauid Pſal. 50. cùm ait: *Et peccatum meum contra me eſt ſemper.* Et Sap. 17. *Sapient. 17.* *Semper enim præſumit ſæua perturbata conſcientia.* Immò ipſi iuſti, ſi quando in peccata dilabuntur, accuſante illos conſcientia, inter damnatos computari poſſent: at ridiculum eſt, vel iuſtos damnatos dicere, qui à peccatis reſurgunt; aut impios adhuc viuos ac ſuperſtites inferorum pœnis condemnari: præſertim cùm Scriptura improborum pœnas vſque ad mortem differat, ac plerique impiiſſimi homines maximis ſceleribus non tam affligentur, quàm lætitiam percipiant, de quibus ait Salom. Prou. 2. *Lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis.* *Prou. 2.* Quapropter ipſe conſcientiæ remorſus verus infernus eſſe non poteſt, de quo Scriptura agit: quod idem magis ſequenti concluſione palàm fiet.

Secunda concluſio. *Infernus, locus eſt ſubterraneus, ampliſſimus, omnium impiorum animas, & corpora ſuo ambitu complectens.* Demonſtratur primò hæc concluſio ex Scripturis. Iob. 10. inferni locum ſubterraneum *Iob 10.* deſcribit illis verbis. *Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine, terram miſeriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo; ſed ſempiternus horror inhabitat.* Nullus eſt inter Catholicos Doctores, qui Iobum hîc de loco inferni damnatorum, ac illorum pœnis agere non ſentiat. Ita enim ſentiunt D. Athanaſius in *Athanaſius.* quæſtionibus. Cyrillus Alexand Orat. de exi- *Cyrill. Alex.* tu animæ. Ambroſius Anſbertus lib. 7. cap. *Ambr. Ansb.* 16 Petrus Dam. ſerm. de ſancto Nicolao: præ- *Petr. Dam.* ſertim verò Gregor. Mag. lib. 9. Moral. cap. *Greg. Mag.* 46. 47. 48. vbi omnia illa Iobi verba perpendit, & ex iis loci illius infernalis conditiones colligit.

Cum igitur Iob infernum terram tenebroſam, opertam mortis caligine, miſeriæ, tenebrarum vocet, quis inferos in ima terra collocatos eſſe non agnoſcat, cui ex diuinæ iuſtitiæ rigore cæteræ conditiones accedunt, quibus impij eò detruſi crucientur?

David Pſal. 48. damnatos in infernum *Pſal. 48.* velut oues in caulam detruſos eſſe affirmat. *Sicut oues* (inquit) *in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.* Hieronymus legit. *Quaſi grex in inferno poſiti ſunt.* Nec fruſtrà hæc animarum impiarum comparatio ab ouibus, quæ corporeæ ſunt, deſumitur: quandoquidem ea vates innuere voluit, talem fore impiis in inferno loci anguſtiam, qualis eſſe ſolet immenſo ouium gregi in parua caula: ac proinde infernum corporeum locum eſſe, in quo illi ouium inſtar conſtringantur.

Idem quoque Pſalm. 85. hoc ipſum con- *Pſal. 85.* firmat, cùm ait: *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori.* At quomodo inferior infernus eſſe poſſet, ſi is corporeus ac ſubterraneus

non

non eſſet, cui ſuperioris inferni reſpectu inferiorem eſſe competeret? ſupra enim, & infra corporei loci differentias eſſe nemo ignorat. Corporeus igitur, ac ſubterraneus eſt damnatorum infernus: vt hinc colligit D. Greg. 4. dialog. cap. 42. qui inde conuincitur aſſerere, idcirco hunc inferiorem infernum appellari, quòd in imo terræ conſtitutus ſit. Idem ex hoc teſtimonio concludit in lib. 12. Moral. cap. 7.

D. Greg. 4. dialog. c. 42.

Lib. 12. Moral. c. 47.

Iſa. 30.

A T præclariſſimum eſt Iſaiæ teſtimonium cap. 30. quod Caluinus recipit, tanquam de vero animarum inferno dictum. *Præparata* (inquit) *eſt ab heri Tophet à Rege, præparata, profunda, dilatata. Nutrimenta eius ignis, & ligna multa, flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam.* Quod teſtimonium à D. Hieron. & paſſim à Patribus de inferno damnatorum exponitur, quibus & Hebræi Doctores conſentiunt. R. Salomon in hunc locum Iſai. R. Mardochai. Nathan in concordantiis Biblicis, & alij. Quo poſito, ex hoc loco Iſaiæ colligimus infernum damnatorum eſſe ſubterraneum.

Hieronym. R. Salomon. R. Mardoch. Nathan.

T O P H E T enim, vt ex 4 Reg. 23. & Ieremiæ. 7. conſtat, fuit excelſum, quod in valle filij Ennon poſitum erat, in quo idolo Moloch Iudæi filios immolabant: atque id magis confirmatur ex tranſlatione ſeptuaginta Interpretum, qui ita vertunt hunc locum, *Tu enim ante dies decipieris, nunquam tibi paratum eſt regnare. Vallem profundam, ligna poſita, ignem & ligna multa, furor Domini, quaſi torrens à ſulphure accenſus.* Quò fit, vt propter horribile illud ſpectaculum, & filiorum immolatorum gemitus, & matrum querelas, quibus tota illa vallis perſonabat; pro inferno vſurpata fuerit: inde enim & gehennæ nomen ortum accepit, quod paſſim à Chriſto ad triſtem illam damnatorum ſedem exprimendam vſurpatur. Alij Tophet locum eſſe volunt prope Ieroſolymam in valle filiorum Ennon, in quo cadauera, & alia immunda proiiciebantur: ſed vel idem dicunt, vel ſi diſcrepant; prior ſententia magis Scripturis eſt conſentanea.

H I N C primùm elicimus inferni locũ, non in anima, non ſpiritualem, non metaphoricum; ſed terreſtrem quendã locũ eſſe, cùm terreſtri valli ſimilis eſſe dicitur: vallis ergo & ipſe infernus eſt, licèt nõ ſit ea vallis filiorũ Ennon: ſed illa multò horribilior: quòd illius deſcriptione vates Iſaias declarat: ait enim primùm *Tophet*, id eſt, inferorum vallem fuiſſe *à Rege*, id eſt, à Deo, qui Rex, ac omnium Dominus eſt, *præparatam*: ne caſu, aut fortuitò eam repertam fuiſſe exiſtiment; velut ſæpè aliis ſubterraneis voraginibus accidit, quæ vel terræ motibus, vel fluminum curſu fiunt: hæc enim nullo caſu, aut fortuna; ex ineffabili diuinæ iuſtitiæ conſilio, improbis parata

A fuit; vt ipſe Chriſtus Matth. 25. apertè teſtatur illis verbis. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius.*

Matth. 25.

Q V O verò tempore ea improbis parata fuerit, licèt curioſum ſit inquirere, id tamen idem vates indicat, cùm ait. *Præparata eſt ab heri*, atque vt diuerſas expoſitiones omittam; communis Hebræorum huius loci expoſitio eſt; heri diem creationis rerum inſinuare, cur autem *heri* non poſtridie, aut pridie dicatur; eam rationem nonnulli aſſignant, quòd tres dies inſignes in Scripturis habeantur. Primus B creationis, ſecundus durationis, tertius extinctionis rerũ. Primus creationis dies iã elapſus eſt, tertius extinctionis adhuc futurus eſt, nec vſque ad ſupremum iudicij diem veniet. Manet ſecundus durationis dies in quo verſamur: *heri* igitur, qui primus creationis dies fuit, impiis à Deo parata fuit inferni gehenna. Alij explicant *heri*, id eſt, ab initio. Hieronymus *à præterito tempore.*

Gloſſ. Hebr.

A T quo ſitu, qua terræ plaga, an in ſuperficie, an in terræ profundo ea præpara fuerit, idem quoq; apertè explicat. *Præparata*, inquit, *profunda, dilatata*, non in ſuperficie, non in C ſepulchris, quæ parum à ſuperficie diſtant, Deus infernum extruxit: ſed in telluris profundiori parte, ac velut in corde terræ, ac intimo illius ſinu; nec tantùm profundam fodit, ſed etiam dilatatam, amplam, ſpatioſam dæmonum, ac impiorum capacem eſſe voluit; vt hoc velut extremo iaculo Caluinum, ac Lutherum confoderet, qui ſpiritualem, ac metaphoricum infernum conſtituunt: qua enim ratione ſpatium, ac profunditas immateriali rei conuenire poteſt: qualem infernum eſſe ſibi fingunt?.

S I infernus miſeram tantùm impiorum D conditionem indicat (vt fert Caluinus) quid hæ conditiones profunditatis, ac dilatationis additæ ſunt; quæ nihil ad damnatorum miſeriam, ſed ad loci tantùm qualitatem pertinent? ſi ſuamet anima impij in infernum deputatur, quo ſenſu ea profunda, aut dilatata dici poteſt? Verùm ad metaphoram confugiunt, vt ea freti literalem omnem Scripturarum ſenſum euertant, & tutiùs errores ſuos diſſeminent. At Patres nullam hîc metaphoram latere ſentiunt: vnde Hugo Victorinus pro omnibus ſententiam ferens lib. 4. de anima c. 13. *Infernus* (inquit) *latus eſt ſine menſura,* E *profundus ſine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili. Ibi miſeria, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus: ibi nulla ſpes boni, nulla deſperatio mali.* Conſtat igitur ex hoc loco verum, ac ſubterraneum infernum probari.

Hugo Vict.

I D E M Iſa. 7. infernum ſubterraneum eſſe declarat his verbis. *Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo, in profundum inferni, ſiue in excelſum ſuprà.*

ſuprà. Si infernus eſt in profundo: cur non & ſubterraneus? Salomon quoque Prouerb. 9. *In profundis inferni* (ait) *conuiuæ eius.* Si impij conuiuæ ſunt in inferno; infernus verò eſt in profundis terræ, ergo impiorum infernus eſt in telluris imo, ac ſubterraneus.

Luc. 8. NEQVE vulgare eſt teſtimonium illud Lucæ 8. vbi dæmones Chriſtum rogabant, ne mitteret eos in abyſſum, *Et rogabant eum, ne imperaret illis, ne in abyſſum irent.* Cùm verò abyſſus nihil aliud ſit, præterquàm terræ vorago, atque is locus dæmonum ſit, in quo cum impiis timent cruciari, conſtat ſanè infernum eſſe locum ſub terra altè defoſſum, ac ſubterraneum.

Ad Philip. 2. *Apoc. 5.* IDEM ex Paulo ad Philip. 2. exploratum eſt, vbi ait: *In nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* & Apoc. 5. vbi dicitur neminem dignum repertum fuiſſe, qui librum aperiret, *Nec in cælo, nec in terra, nec ſub terra.* & infrà. *Et omnem creaturam quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & ſub terra,* &c. Ex his enim locis manifeſtum eſt, aliquos in inferno degere, & ſub terra, ex quo infernum eſſe locum ſubterraneum non obſcurè colligimus.

Iuſtin. quæſt. 75. IDEM quoque ex Patribus colligitur. Nam Iuſtinus quæſt. 75. impiorum animas in Orcum deduci poſt mortẽ docet. Orcus autem ab Ethnicis paſſim pro inferorum regione vſurpatur, vnde eſt illud Plauti in Aſin. *Bene vale, apud Orcum te videbo.*

Athanaſ. in quæſt. D. Athanaſius in quæſtionibus; infernum ſub terra ac mari eſſe ſentit. *Peccatorum animæ* (ait) *in inferno poſitæ ſunt, ſubter omnem terram, & mare, vt Pſalmus dicit. Poſuerunt me in lacu inferni, in tenebroſis, & vmbra mortis.*

D. Cyrill. Alexand. oratione de exitu animæ. D. Cyrillus Alexand. idem docet: nam impiæ animæ exitum deſcribens oratione de exitu anim. *Tunc* (inquit) *à ſanctis Dei Angelis deſtitutam, inuadunt Aethiopes illi dæmones, eámque ferientes crudeliter in terrarum opaca deducunt, & aperta tellure ſolidiſſimis compedibus reuinctam in terram tenebroſam & fuliginoſam in infimas infernorum carcerum partes, ac Erebi cuſtodias deiiciunt.*

Tertull. lib. de anima c. 55. PRÆCLARE etiam Tertullianus id teſtatur lib. de anima cap. 55. *Nobis inferi* (inquit) *non nuda cauoſitas, nec ſubdialis aliqua mundi ſentina creduntur: ſed in foſſa terra, & in alto vaſtitas, & in ipſis viſceribus eius abſtruſa profunditas.*

Lactant. lib. 7. diu. inſtit. cap. 7. LACTANTIVS lib. 7. diu. Inſt. cap. 7. impiarum animarum ſedem ex Prophetarum oraculis in tenebroſis terræ locis, ac in cæni voraginibus eſſe dicit.

D. Aug. lib. 2. retract. c. 24. D. Auguſt. lib. 2. retract. cap. 24. corrigens ea quæ dixerat de loco inferni in libris ſuper Gen. ad lit. ait: *De inferis multò magis dicere debuiſſem eſſe ſub terra, quàm rationem reddere, cur ſub terris eſſe credantur, ſiue dicantur; quaſi*

A *ita non ſit.* Hoc ipſum docent D. Hieronym. ad cap. 30. Iſa. Petrus Chryſolog. ſerm. 124. Eucherius Dom. 7. poſt Pent. D. Gregor. lib. 9. Mor. cap. 46. Beda hiſt. Anglican. lib. 5. cap. 13. Anſelmus in Elucidario. D. Bernardus ſermon. de tranſitu Malachiæ; quorum teſtimonia hìc breuitatis ſtudio non inſerimus. *Hieronym.* *Pet. Chryſol.* *Eucherius.* *Greg. Mag.* *Beda.* *Anſelmus.* *Bernardus.*

DENIQVE hoc ipſum inferni nomen non obſcurè indicat: nam apud Latinos infernus dicitur, quaſi infrà iacens; apud Græcos ᾅδης appellatur, qui teſte Luciano dialogo de luctu eſt locus in terra profundus. *Lucian. Dialog. de luctu.* Apud Hebræos שאול *ſcheol* vocatur, quod
B nomen profundiſſimam foueam ſignificat, vt ſentit Pagninus, à quo nec aduerſarij diſſentiunt, qui idcirco pro ſepulchro, tametſi immeritò vſurpari volunt. *Pagninus.* Chaldæus interpres ſæpe pro inferno Gehennam vertit, quæ (vt dictum eſt) eſt vallis profunda. *Chald. interpr.* Ita fit vt quocunque aduerſarij ſe vertant, linguarum conſenſum nobis fauentem, ſibi verò pugnantem habeant.

QVIBVS ſi Ethnicos inferre licet, habent Platonem, qui Tartarum vaſtam quandam, horrendam, ingentem terræ concauitatem, ac voraginem deſcribit in telluris imo ſi- *Plato.*
C tam; in qua impiorum animas cum pœnis certantes includi docet; quod illum à Prophetis accepiſſe tradit Clemens Alexand. lib. 5. Stromaton his verbis: *Quid verò non nouit Plato, & fluuios ignis, & terræ altitudinem eam, quæ Gehenna vocatur à Barbaris, Tartarum nominans prophetice Cocytúmque, & Acherontem, & Pyriphlegetontem, & quædam eiuſmodi, quæ ad caſtigationem diſciplinámque inducunt loca ſuppliciorum?* *Clem. Alex. lib. 5. Strom.* Habent Virgilium qui 6. Æneid. infernum ſubterraneum deſcribit; vbi poſtquam multa de inferni conditionibus dixit, tandem ſubdit.

D *Hinc via Tartarei, quæ fert Acherontis ad undas* *Aeneid. 6.*
Turbidus hic cœno, vaſtáque voragine gurges
Aeſtuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.

Habent Ouidium qui lib. 4. Metam. inferni latitudinem deſcribens ſub nomine ſubterraneæ vrbis ita ſcribit.

Mille capax aditus, & apertas vndique portas *Ouid. lib. 4. Metam.*
Vrbs habet, vtq; fretum de tota flumina terra:
Sic omnes animas locus accipit ille, nec vlli
Exiguus populo eſt, turbámve accedere ſentit.

Habent Plutarchum, qui in eo qui inſcribi- *Plutarch.*
E tur, *De his, qui ſerò à numine puniuntur;* Tartarum inter horrendos terræ hiatus altiſſimis rupibus inhærentes conſtituit, & alios quamplures, qui licèt in his plura fabuloſa miſcuerint, in eo tamen rectè ſenſerunt, quòd inferorum loca iuxta Prophetica, ac Euangelica teſtimonia ſubterranea eſſe docuerunt.

TERTIA concluſio. *Probabile eſt infernum ſitum eſſe in centro terræ.* Quæ concluſio, etſi non ſit certa de fide, tamen probabiliſ-

ſima

Digitized by Google

ſima eſt, cùm in ea vniuerſi penè Patres conſentiant, nec omnino Scripturarum teſtimoniis deſtituta ſit, quæ id videntur indicare: *Matth. 12.* nam Matth. 12. Chriſtus dicitur manſurus in corde terræ tribus diebus, vbi cor terræ infernus appellatur, vbi ſancti Patres habitabant. Cor verò cùm ſit in centro hominis: inde cor terræ dicitur centrum terræ: ex quo videtur inferri poſſe infernũ in centro terræ exiſtere.

Ad Ephes. 4. PRÆTEREA Paulus ad Epheſ. 4. *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ?* at inferior pars terræ, eſt centrum illius; quò fit, vt cùm Chriſtus ad inferos deſcendit, ad centrum terræ peruenerit: igitur inferi ſunt in centro terræ.

Athanaſius. Cyril. Alex. Tertullian. Greg. lib. 4. dialog. c. 42. EX Patribus id docent Athanaſius in quæſtionibus. Cyrillus Alexand. de exitu animæ. Tertull. lib. de anima cap. 55. Diuus Gregorius libr. 4. dialog. cap. 42. vbi ita habet. *Infernus dicitur, quia infra iacet, quod enim eſt terra ad cælum, hoc eſt infernus ad terram*: ex quo Gregorij dicto colligitur infernum eſſe centrum terræ: cùm iuxta Aſtronomos terra *Rabanus.* ſit centrum cœli. Rabanus in cap. 3. Ierem. *Honor. Aug. Hugo Vict.* Honorius Auguſtodunenſis in mundi ſynopſi lib. 1. cap. 37. Hugo Victor. de ſacramentis fidei lib. 2. part. 16. cap. 3. idem ſentiunt.

D. Thom. Richard. S. Bonauent. Sotus. QVIBVS aſſentiunt Theologi omnes. Diuus Thomas in ſupplem. tertia parte quæſtion. 97. artic. 7. Richard. 4. ſent. diſt. 44. art. quæſt. 1. Diuus Bonauentur. diſtinct. 44. q. 2. pat. 2. artic. 1. Stephan. Brul. diſt. 44. quæſt. 8. Sotus in 4 diſt. 45. art. 1. q. 1. & reliqui omnes *Virg. 6. Æn.* in 4. ſent. diſt. 44. neque ab hoc Ethnici ipſi diſſentiunt: nam Virgilius poſt Pythagoram, Platonem, & pleroſque Philoſophos Tartarũ in ipſo terræ centro collocat lib. 6. Æneid. hoc carmine.

—— Tum Tartarus ipſe
Bis patet in præceps, tãtùm tenditq; ſub vmbras,
Quantus ad æthereum cæli ſuſpectus Olympum.

EX his patet quàm probabilis ſit hæc concluſio contra aduerſarios, qui infernum ſibi metaphoricum conſtituunt.

De veritate, & numero pœnarum contra Hæreticos

ARTICVLVS XX.

HÆRETICALIS abyſſi puteus, nec dum ſpiſſas hæreſum caligines eructare ceſſat; vt eò faciliùs crepitantes toto orbe Tartari flammas, ac cætera impiorum ſupplicia apud inferos ſtridentia, velut metaphoricis fumis ſepulta, inuiſibilia, ac ſpiritualia eſſe perſuadeat. Quapropter nec verum ignem, qui in inferno dæmones, ac impios cruciat; nec veras tenebras; nec veram ſitim; nec veros fœtores; nec aliud pœnarum genus verũ eſſe exiſtimat: ſed vniuerſa quæ de inferorũ pœnis vel à Propheris, vel ab Euangeliſtis, ac Apoſtolis dicta ſunt, ſub metaphora

A comprehendi impiè oblatrat; atque ita omnem pœnarum numerum aufert; hoc modo garrit Caluinus ad caput trigeſimum Iſaiç, ac Theologos noſtros deridet, dum piè, ac religioſè de inferno igne; ac cæteris corporeis pœnis diſſerunt. *Inepti* (inquit) *& ridicu-ſunt ſophiſtæ, qui de illius ignis natura, & qualitate ſubtiliùs diſſerunt, atque in eo explicando variè ſeſe torquent. Explodendæ ſunt craſſæ huiuſmodi imaginationes, cùm figuratè Prophetam loqui intelligimus.* At ineptus, ridiculus, immò impius Hæreticus Caluinus, qui vt ignis illius naturam extinguat, quam ſacræ literæ paſſim *Caluin. ad c. 30. Iſaiæ.*
B veram eſſe fatentur, nullos non neruos tendit. Quapropter nonnullis aſſertionibus hæretica huiuſmodi Caluiniſt. imaginatio de imaginariis inferorum pœnis explodenda eſt.

PRIMA aſſertio. *Ignis inferni, quo ſæpè ſacra Scriptura commemorat impios cruciari, non eſt metaphoricus, aut figuratiuus; ſed realis, ac corporeus.* Quæ concluſio probatur primùm ex regula illa certiſſima à Patribus tradita, neque vnquam ſatis commendata, qua præſcribitur; ne vlla figurata loquutio pro literali ſenſu in Scripturis recipiatur, cùm ipſa Scripturæ verba, tum ratione, tum diuina auctoritate, li-
C terali ſenſu rectè, ac ſine periculo interpretari poſſunt. Quam regulam tradit D. Auguſt. de doctrina Chriſtiana lib. 3. c. 5. 10. & 11. vbi enim aut ratio, aut diuina auctoritas dictat aliquem Scripturę locum literaliter accipiendum, tametſi is explicatu difficilis ſit, haud tamen aliter, quàm litera habeat, exponendus eſt: nam vt idem ait 2. de Gen. ad lit. c. 5. Diuinarum Scripturarum auctoritas maior eſt, quàm omnis humani ingenij capacitas: idcirco qui diuinæ Scripturæ ſententias ea ratione ad metaphoricos ſenſus torquent, quòd illarum literalem ſenſum intellectu aſſequi *D. Aug. de doct. Chriſt.*
D non poſſint, proculdubio fallũtur, ac Scripturarum veritatem euertunt: maior enim eſt Deus corde noſtro, neque humanis vlnis Dei poteſtas, ac virtus metienda eſt. Quapropter tunc tantùm tropica loquutio pro literali ſenſu in Scripturarum verbis agnoſcenda eſt; cùm vel id ipſa Scriptura indicat; quod plerumque fit in parabolis, quas Euangeliſtæ enarrant; vel litera ſenſum diuinæ auctoritati repugnantem continere videtur, vel tandem impoſſibilia inſinuat.

ANNO ex Auguſt. 3. de doctrina Chriſtiana c. 10. nemini vnquam licere in his, quæ
E vel ad fidei veritatem, vel ad morum honeſtatem pertinent, in Scripturis metaphoram intrudere: Scriptura enim ea, quæ vel fidei, vel morum honeſtati neceſſaria ſunt; non tropicè, ſed manifeſtè tradit. Quò fit, vt literalis ſenſus omnino in his ſequendus ſit.

EX his colligo primùm; ignem inferni, de quo tam ſæpe Scriptura loquitur, metaphoricè aut figuratè ſumi non debere. Primò, quia

quia nullibi ita ſumendum eſſe ipſa Scriptura indicat. Exerant aduerſarij locum, in quo damnatorum ignem Scriptura figuratè accipiendum eſſe declarauerit; nullum ſanè inuenient, quem nobis obiiciant: is verò cùm ſit Scripturæ mos (vt notat D. Hieronymus in Comment. in Iſa.lib.5.c.19.) obſcuris manifeſta ſubnectere,& quod priùs ſub ænigmate dixerat, aperta voce proferre. Si Scriptura metaphoricè, ac ſub ænigmate ignem illum tartareum intellexit, cur non etiam aliquando aperta voce verum illius ſenſum protulit? cùm itaque vbique verum ignem illum eſſe dixerit; manifeſtum eſt, illum tropicè ac figuratè intelligi non debere.

D. Hieron. in Commẽt. in Iſa. lib. 5.cap.19.

SECVNDO, quia literalis ſenſus neque diuinæ auctoritati, neque rationi præiudicat: quò fieri opus ſit, vt ad metaphoricum ſenſum ſit confugiendum. Neque enim diuina auctoritas aliquod detrimentum patitur ex eo, quòd ignis ille corporeus à Deo conditus eſſe perhibeatur: neque inde vlla diuinæ virtuti macula infertur, quòd eo igne,& dæmones, & animas cruciari dicamus; quaſi id diuinæ virtuti impoſſibile ſit: quando nec id vllam repugnantiam inuoluit, nec magis diuinæ potentiæ difficile eſt, ſpiritualem ſubſtantiam ignis, & quarumcunque rerum paſſionibus obnoxiam efficere, quàm eam paſſibilem creare (vt infrà demonſtrabitur) neque vlla ratio id tanquam vel impoſſibile, vel diſſentaneum apprehendit. Nam etſi illi difficile videatur intelligere, quo pacto ignis corporeus incorpoream ſubſtantiam cruciare valeat; id tamen tum ex ipſa diuinæ naturæ excellentia, quæ poteſtate omnem humanæ mentis amplitudinem excellit; tum ex maiorum Chriſtianæ Religionis myſteriorum fide, quæ nec ſeipſa aſſequi valet, edocta: diuina virtute fieri poſſe non dubitat.

COLLIGO ſecundò, hunc damnatorum ignem neceſſariò realem, ac corporeum eſſe. Primò, quia hîc agitur de re fidei: dicẽte enim Domino impios in ignem æternum ituros, indubiè credendum eſt in corporeum ignem illos eſſe damnandos: neque ad metaphoricum ignem detorqueri debet, cùm nulla fidei myſteria metaphoricè tradita ſint; neque liceat res fidei ex ſola metaphora venari, aut ad figuras transferre; quò fit, vt nulla in hoc damnatorum igne figura agnoſcenda ſit. Secundò, quia ratio ipſa dictat, hunc ignem eſſe corporeum, quo damnatorum corpora aliquando poſt iudicium exurenda ſunt; cùm & ipſa damnatorum corpora materialia etiam poſt reſurrectionem futura ſint. Ea verò ab illo inferni igne crucianda eſſe, modò (infrà probandum) ſupponimus. At ignis qui damnatorum corpora excruciaturus eſt, haud alius eſt, quàm qui nunc dæmones, ac impiorum animas vrit; quod manifeſtum eſt

A Matth.25. vbi Chriſtus impios ad eum ignem condemnaturus eſt, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius. Itaque ſi ignis, qui corpora impiorum vſturus eſt, corporeus eſt futurus: ita qui nunc dæmones cruciat, cùm ab illo differre non debeat, etiam corporeus erit. *Matth.25.*

PRÆTEREA ſi metaphoricus hic ignis tantùm eſſet, non corporeus; quid potiùs ignem quàm aquam, aërem, vel aliud elementum ad impiorum ac dæmonũ ſupplicia declaranda Chriſtus nominaſſet; cùm ait: *Ite maledicti in ignẽ æternum?* Neque enim ad ſpirituales pœnas ſignificãdas, plus ignis quàm B quodlibet aliud elementum præſtat. Ratione autem non vacat, quòd ignis potiùs quàm elementum in diuinæ iuſtitię inſtrumentum, ad impios plectẽdos à Deo aſſumatur: quandoquidem hic vnus inter cætera elementa vehementiſſimam agendi vim ſortitus eſt, ac horrorem & pœnam ingerit: quò fit, vt ad vlciſcenda tam dæmonum, quàm impiorum hominum crimina, illum Deus velut aptiſſimum elegerit.

PROBATVR ſecundò hæc concluſio ex modo loquendi Scripturarũ. Scripturæ enim C de igne inferni loquentes vbique corporeum illum depingunt. Nam Deuter. 32. cùm dicitur ignem ſuccenſum eſſe in furore Dei, & ardere vſque ad inferni nouiſſima, vel infernum inferiorem (vt alij legunt) non poteſt ignis iſte metaphoricè intelligi, cùm hîc explicetur naturalis ipſius ignis effectus, qui eſt ardor; locus ac ſubiectum ignis, qui eſt infernus; diſtinctio loci, inferior nimirum inferni pars; hæc enim omnia ignem, de quo hic agit Scriptura, corporeum eſſe indicant. *Deut.32.*

Iudith 16. cùm id de impiis habetur. *Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die* D *iudicij viſitabit illos. Dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & ſentiant vſque in ſempiternum*; quomodo hic ignis de metaphorico explicari poteſt, qui non animas tãtùm, ſed & impiorũ corpora deuorare, & vrere ita perhibetur, vt illius vim ſenſu ipſo percipere damnati in perpetuũ cogãtur? idem colligitur ex teſtimonio Eccleſiaſtici 7. vbi legitur, *Vindicta carnis impij ignis, & vermis.* *Iudith. 16.* *Eccleſ. 7.*

PRÆTEREA Matt.3. comparat Dominus impios arbori præciſæ, quæ in ignem mittitur, *Omnis arbor quæ non facit fructum bo-* E *num excidetur, & in ignem mittetur.* Si igitur arbor præciſa in verum, non metaphoricum ignem coniicitur; cur & impium ex hac vita præciſum, in verum, ac corporeum ignem trudendum non credunt? *Matth. 3.*

FREQVENTER quoque Chriſtus apud Marcũ c.9. de inferno agens illud repetit; *Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Quis metaphoricum ignem extingui putet? ignis enim extinctio eſt illius corruptio; corruptio verò corporeis, non metaphoricis *Marc. 9.*

ricis rebus conuenit: quò fit, vt cùm inferni ignem nunquam corrumpendum Chriſtus affirmet, hoc ipſo corporeum eſſe indicet. Neque ipſis metaphorica corruptio quicquam fauet: nam ignis, & vermis diſtinctio metaphoram excludunt.

Matth. 25.

Matth. 25. cùm Dominus impios in ignē æternum diſcedere iubet, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius: an nō apertè metaphoricam ignis interpretationem confodit? quæ enim poteſt eſſe metaphorica hæc ignis præparatio; quæ ſimul & dæmones & impios homines comprehendat? Nam ſi proprius cuiuſque conſcientiæ remorſus eſt ſempiternus ignis, qui in vniuſcuiuſque impij anima ardet perpetuò, quomodo is à Deo paratus eſſe dicitur? eodem enim modo intelligendum eſt, hunc inferni ignem ab ipſa mundi conſtitutione impiis à Deo paratum eſſe; quemadmodum cœleſte regnum iuſtis. At certè Deus nulli impio ſempiternum conſcientiæ remorſum ab initio parauit, cùm is tantummodò poſt admiſſam culpam erumpat: igitur aliquis verus ignis, non metaphoricus dandus eſt, qui ab initio ad impiorum ſupplicium; ſicut regnum cœleſte ad iuſtorum beatitudinē à Deo conditus fuerit. Præterea quomodo vnus duntaxat remorſus tot animabus tribuitur: profectò meliùs dixiſſet Dominus: Diſcedite à me maledicti in ignes æternos, cùm quæque impij anima ſuum ſecum ignem remorſus ferat, immò cùm tot remorſus in damnatis vigeant: quot ſceleta perpetrarunt; quibus à Dei hæreditate exciderunt: planè Chriſtus ad innumeros ignes impium quemlibet damnare debuiſſet.

Præterea, quid de damnatorum corporibus, quæ ſimul cum animis ad ignem damnanda ſunt, dicendum erit, quiſnam illorum ignis erit? quæ pœna? ſi omnia metaphorico igne inuoluuntur? eſto. Remorſus, ignis animæ ſit, immò tot ignes, quot in ea remorſus ſcelerum vigeant: vbinam erit corporis ignis? remorſus enim animam, non corpus angit: num corpora impiorum poſt reſurrectionem omni igne carere debent? nec ab vllo penitus exuri? ſi id aſſerant, profectò nimis apertè ſe Scripturarum hoſtes profitētur: quę id affirmant. Si corporeum ignem corporibus excruciandis adhibēt: cur Chriſtus vnum duntaxat ignem animæ corporique communem commemorat? *Ite maledicti in ignem æternum.* Sanè Chriſtus ſi Caluino ac Luthero ſatisfacere debuit, ſaltem impios ad duplicem ignem damnare debuiſſet, vt vtrique tam animæ, quàm corpori propria ignis pœna conſtitueretur. Cùm verò Chriſtus vnicum tantùm ignem numero non ſolùm damnatis, ſed & impiæ illi dæmonum turbæ ſtatuere voluerit, atque eo impiorum tam animas quàm corpora crucianda eſſe dixerit: ſanè

A perſpicuum eſt, eum non metaphoricum, qui idem omnibus eſſe non poteſt, ſed corporeum futurum: vt is veris, etſi miris modis damnatorum corpora, & animas exurat.

Plura Scripturarum teſtimonia omitto, ex quibus facilè hæc Tartarei ignis veritas declarari poſſet.

Venio ad Patrum teſtimonia, quibus hæc vna conſtans cōcluſio eſt, inferni ignem non metaphoricum, ſed verum, ac corporalem eſſe: id docet ex Græcis Origenes hom. 14. in Leuit. his verbis. *Hîc enim mors pro vindicta datur, & apud iuſtum iudicem Dominum*

Origen. hom. 14. in Leuit.

B *non vindicatur bis in idipſum: vbi autem non eſt ſoluta vindicta, peccatum manet illis æternis ignibus exigendum.*

Præclare etiam Euſeb. Cæſar. de præparat. Euang. lib. 11. c. 20. id affirmat. *Pyriphlegetonta* (ait) *verò ignem æternum eſſe quis dubitabit? Hebræorum enim Propheta ſimiliter clamat. Quis nunciabit nobis, quia ignis ardet? quis nunciabit vobis locum æternum? & rurſus: vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* Vides vetuſtos Patres non metaphoricè Prophetarum teſtimonia de igne æterno tra-

Euſeb. Cæſar. de præparat Euāg. lib. 11. c. 20.

C ctare; neque vllum, pro igne, conſcientiæ remorſum obtrudere.

D. Baſilius omnem iis dubitationem tollit, qui ignem inferni corporeum eſſe ambiguut oratione de futuro iudicio; vbi pulchrè infernalis ignis diſſecationem in iudicio futuram deſcribit. *Tunc* (inquit) *ignis ille, qui in ſupplicium diabolo præparatus eſt, & Angelis eius, diſſecabitur voce Domini: vt cùm duplex igni inſit facultas, aduſtiua vna, illuminatiua altera: acris quidem vis ignis, & punitoria repoſita eſt iis, qui vſtione ſunt digni: illuſtratoria verò iis, qui claritate perennis gaudij perfruituri ſunt, ſuc-*

D. Baſilius oratione de futuro iudicio.

D *cedet. Ita vt obſcurus quidem ſit ignis ſupplicij, vrendi autem vi careat lux illa refocillationis, atque quietis. Nec eſt quòd de eo ambigas. Siquidem in retributionibus eorum, quæ in vita à nobis erunt geſta, natura ignis diuidetur, & lux quidem ad fruitionem & oblectamentum iuſtis: vrendi verò vis & dolor iis, quibus tormenta irrogabuntur, conſtituetur.*

D. Gregor. Nyſſenus cùm inferni ignem corporeum eſſe vbique affirmet, in eo tantùm noſtrum nunc ignem ab eo differre docet,

D. Gregor. Nyſſen. oratione catechetica c. 4.

E quod hic temporalis, ille æternus eſt. Oratione catechetica cap. 4. quod etiam confirmat Chryſoſt. ep. 5. ad Theodorum lapſum, cùm ait. *Cùm ignē audis, ne arbitreris eſſe ſimilem huic igni, accenſus enim deferueſcit, & mutatur: ille autem ſemper in flammam exurgens ardet perpetuò.*

Chryſoſt. ep. 5. ad Theod. lapſum.

Cyrillus Alexand. oratione de exitu animæ, dū ignis illius inextinguibilis viuacitatem deplorat; corporeum apertè fatetur. *Væ væ* (inquit) *qualis eſt gehenna ignis inextincti, ardentis quidem, ſed luce carētis.* Ignis enim cui tū ardor, tum lux congruit, proculdubio corporeus eſt.

Cyrill. Alex. oratione de exitu animæ.

Ex Latinis Tertullianus Carm. de iudicio Domini c. 9. eleganter ignis inferni pœnam, qua iniqui plectuntur, his verſibus deſcribit, vbi etiam diſertè corporeum eſſe docet.

Tertull. Car. de iudicio Domini c. 9.

Tunc auidus rapido eſt incluſus Tartarus igne,
Atque procelloſis flamma intus fluctuat vndis:
Totáque vertentes confundit terra fauillas:
Flammeus eſt ſulcus, dentes vertuntur acuti:
Omnibus & torrens armabitur igneus amnis;
Impete Tartareo frendent incendia mundi:
Illic præcipiti curſu terrentur in æſtu:
Hinc fugiunt, illinc curſu referuntur acuto.
Obuia fit ſæua flamma fugientibus ira,
Agnoſcúntque ſuam iam tum de crimine pœnam.

Cypr. ſerm. de Aſcenſione Chriſti.

DISERTE quoque Cyprianus ſermone de Aſcenſione Chriſti corpoream huius ignis naturam declarat his verbis. *Immortales miſerè viuent inter incendia, & inconſumptibiles flamma nudum corpus allambent, ardebit purpuratus diues: non erit qui æſtuanti linguæ ſtillam aquæ infundat. In proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter ſartagines flammeas miſerabilia corpora cremabuntur.*

D. Hieron. in Epiſt. ad Abitum.

D. HIERON. in Epiſt. ad Abitum, & lib. 3. ſuper Ep. ad Epheſ. explicans illa verba. *Nemo vos ſeducat inanibus verbis*; non ſolùm inferni ignem corporeum eſſe docet; ſed etiam oppoſitam ſententiam grauiter condemnat.

D. Aug. lib. 21. de Ciuit. Dei c. 10.

D. AVG. tametſi aliquandò dubitaſſe videatur, quo pacto animæ impiorum ab illo Tartareo igne cruciarentur: nunquam tamen dubitauit illum corporeum aſſerere (vt manifeſtum eſt lib. 21. de Ciu. Dei c. 10.) *At verò* (inquit) *gehenna illa, quod etiam ſtagnum ignis, & ſulphuris dictum eſt, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum.* Et ſermon. 181. de temp. *Hæc recordare* (ait) *& ignem illum gehennæ his, quæ te nunc exagitant, flammis libidinis & cupiditatis oppone. Ignis hic, qui in præſenti eſt vita, abſumit cuncta, quæ recipit: ille verò quos ſuſceperit, ſemper cruciat.*

D. Greg. lib. 4. Dialog. c. 25. & 29.

D. GREG. lib. 4. Dialog. c. 28. & 29. fusè huius rei probationem proſequitur, vbi non ſolùm inferni ignem corporeum eſſe probat, ſed ab illo etiam animas exuri pluribus argumentis demonſtrat. Id confirmant Beda Hiſt. Anglican. lib. 5. cap. 13. Iſidorus libr. 1. de ſummo bono cap. 3. Rabanus lib. 5. in Eccleſiaſtem cap. 7. Hugo Victor. libr. 4. de anim. cap. 13. Bernardus lib. Meditarionum cap. 3. Ac Theologi omnes in 4. ſentent. diſt. 44.

Beda. Iſidorus. Rabanus. Hugo Vict. Bernardus.

ASSERTIO ſecunda. *Ignis inferni non tantùm intellectualiter, & per modum vinculi, ſed verè, ac per modum ignis damnatorum corpora, & animas exurit.*

IN hac concluſione aliquid eſt certum inter Theologos, aliquid controuerſum. Certum eſt, inferni ignem, quem corporeum eſſe diximus, impiorum non ſolùm corpora, ſed etiam animas cruciare: cùm id expreſsè Scriptura doceat Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Vbi æterni ignis ſupplicíis impiorum animas, & corpora cruciandа eſſe dicit. Præterea Luc. 13. Diues ſola anima in inferno exiſtens clamabat. *Crucior in hac flamma.* Paulus 2. Theſſal. 1. teſtatur infideles ac impios anima, & corpore pœnas in igne daturos. *In flamma ignis dantis vindictam in eos, qui non obediunt Euangelio.* Quapropter D. Auguſtin. lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 10. *Cur* (ait) *non dicamus, quamuis miris, veris tamen modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi?*

Matth. 25.
Luc. 13.
2. Theſſal. 1.
D. Aug. lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 10.

RVRSVM certum eſt, inferni ignem non propria ac naturali, ſed diuina duntaxat virtute, velut diuinæ iuſtitiæ inſtrumentum animas vexare; quod apud omnes conſtat: ac rationi conſentaneum eſt: cùm nulla corporeo agenti in rem incorpoream, quæ illius genus excedit, actio poſſit competere.

AT controuerſum eſt, quomodo animæ damnatorum ab illo igne torqueantur: diuerſi enim in diuerſas rapiuntur ſententias. Nos verò pro inſtituta breuitate, opinionum varietate omiſſa, duas tantùm celebriores ſententias referemus.

PRIMA ſententia eſt D. Thomæ in 4. diſtinct. 44. quæſt. 3. art. 3. & p. p. quæſt. 64. artic. 4. ad 3. & 4. cont. Gent. quæſt. 90. Scoti in 4. diſtinct. 44. 2. p. diſtinct. quæſt. 2. Capreoli ibidem quæſt. 4. Bannis in p. part. D. Thom. quæſt. 64. art. 4. aſſerentium animas damnatorum ea duntaxat ratione ab infernali igne cruciari, quòd ab eo tanquam inſtrumento diuinæ iuſtitiæ velut alligatæ detineantur; quod cùm illæ velut horrendum concipiant, eo grauiſſimè dolent, ac triſtantur. Atque hac ratione cenſent optimè explicari doloris acerbitatem, quam animæ damnatorum ab igne illo patiuntur; quòd ſe corporeo elemento ita ſe ſubiici vident, vt liberè ſua actiua potentia vti non poſſint; neque intellectum ab illius conſideratione auocare.

D. Thom.
Scotus.
Capreol. Bannes.

HÆC ſententia tametſi grauiſſimorum virorum ſit, ac naturæ magis conſentanea videatur, minùs tamen quàm par ſit, videtur Scripturarum veritati, ac ſimplicitati reſpondere, ac ob id graues difficultates patitur. Quarum prima eſt; quòd cùm ſacræ literæ apertè indicent; ignem illum dæmones & animas per modum ignis cruciare, vt infrà videbimus, quod ipſi quoque Patres affirmant, qui animas illo igne comburi docent, Secus enim Scripturæ viderentur ignem illum ad animarum vindictam fruſtrà adhibuiſſe, ſi is igneam vim, atque ardorem in eas non extenderet: haud ſanè diuinam Scripturarum auctoritatē videtur ſatis tueri, qui dicunt ſola illas detentione ab igne torqueri.

RESPON

Digitized by Google

Domin. Bannes in 1. par. D. Thom. q. 64. art. 4.

Respondet Dominicus Bannes loco ſuperiùs citato: citra dubium oportere multa Scripturarum loca de pœnis, quas animæ ac dæmones in inferno patiuntur, metaphoricè ac per exaggerationem explicari. Et Auguſtinum citat 21. de Ciuit. Dei cap. 10. tanquam id aſſerentem exemplo diuitis, in quo non erat lingua, quæ cruciaretur igne, neque in Lazaro erat digitus, qui poſſet diuitis linguam aqua humefactus refrigerare.

Sed non ſatis tuta (meo iudicio) eſt hæc Bannis reſponſio, cùm non parum Hæreticorum ſententiæ tribuat, qui ideirco metaphoricas inferni pœnas eſſe ſentiunt, vt omnem illarum pœnarum veritatem euertant, atque eo Scripturarum veritas in dubium reuocatur. Quid enim cogit ea, aut ex iis aliqua, quæ Scripturæ de inferorum corporeis pœnis tradunt, metaphoricè ac per exaggerationem exponere; cùm omnia literaliter intelligi queant, vt inferiùs declarabitur?

At certè Bannes, cùm ignis combuſtionem à Scripturis traditam metaphoricam eſſe cenſet, eo ſe nodo implicat; vt alligationem quam ipſe igni tribuit, etiam metaphoricam fateri cogatur: nam cùm vtraque & alligatio & combuſtio, quòd ad animæ pœnam ſpectat, ignis naturæ repugnet, neque niſi diuina virtute fieri poſſint, ſi combuſtionem metaphoricam eſſe contendit, cur non ad eandem metaphoram alligationem damnat?

Neque (quòd ad Auguſt. attinet) is ex ſua, ſed aliorum ſententia id aſſerit; quod ex illius verbis exploratum eſt: ibi enim ſic ait: *Dicerem quidem ſic arſuros ſine vllo ſuo corpore ſpiritus, ſicut ardebat apud inferos ille diues, quando dicebat: crucior in hac flamma: niſi reſponderi cernerem talem fuiſſe illam flammam, quales oculi quos leuauit, & Lazarum vidit, qualis lingua, cui humorem exiguum deſiderauit infundi: qualis digitus Lazari, de quo id ibi fieri poſtulauit; vbi tamen erant ſine corporibus animæ: ſic ergo & incorporalis illa flamma qua exarſit, & illa guttula quam popoſcit.* Videat Bannes Auguſtinum ex aliorum ſententia loqui, & ignem illum incorporalem aſſerere, cùm tamen ipſe conſtantiſſimè corporeum eſſe doceat paucis interiectis; vbi ſententiam hanc videtur reprehendere his verbis: *At verò gehenna illa, quod etiam ſtagnum ignis & ſulphuris dictum eſt, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum, aut & hominum, & dæmonum.* Atque id aliis locis confirmat, quos ſuprà retulimus.

Quod ad Patres, reſpondet Bãnes id eos per exaggerationem dixiſſe, vt ingentem animarum ac dæmonum cruciatum exprimerent. At nimis videtur Patrum ſententias violenter torquere: cùm ea proculdubio Patribus ſemper mens fuerit, eum ignis crucia-
A tum in damnatorum animabus agnoſcere, quem à Scripturis acceptum didicerunt. Scripturæ verò ignis cruciatum exprimentes, nunquam eum per ſolam detentionem fieri meminerunt: immò raro detentionis mentionem faciunt, cùm frequenter illius ardorem ac conflagrationem expreſsè tradant. Quapropter integra difficultas manet.

Secunda difficultas. Si ignis ille tantùm per detentionem, non per ignis naturam in animas ageret, non magis ignis, quàm aut aqua, aut aër, aut terra ad illarum detentionem conferret: quin etiam cùm ipſe
B inferni locus, aut Dei iuſſus ad detinendas animas ſufficeret: fruſtrà ignis ad illarum detentionem adhibitus eſſe videretur. Hinc ſequeretur Scripturas fruſtrà ignem in inferno collocare ad animarum detentionem; cùm illæ ab inferno, vel ab aëre circunſtante in inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ aſſumpto æquè detineri poſſent.

Huic difficultati occurrit Bannes tripliciter. Ait enim primùm hoc argumento nihil probari, niſi pœnam ſenſus in damnatis non differre niſi ſecundùm quid, propter diuerſos reſpectus ad diuerſa inſtrumenta di-
C uinæ virtutis: ſed hoc non modò non euacuat, ſed nec attingit vim argumenti: quæ in eo ſita eſt, quòd cùm cætera elementa, aut Dei iuſſus æquè inſeruire potuerint detentioni animarum; non apparet ratio, cur magis ignis, quàm cætera elementa Dei iuſtitiæ famulari debuerit. Rationem igitur reddere debuit, cur ignis potiùs, quàm reliqua elementa ad hoc detentionis animarum opus vocatus fuerit: quapropter.

Ait ſecundò quòd ignis, non aër, aut terra, ad detentionem dæmonum & animarum à Deo aſſumptus eſt, vt eſſet commune
D afflictiuum ſpirituum & corporum damnatorum poſt iudicij diem. At neque hoc difficultatem minuit. Nam Scriptura teſtatur ignem illum non ad animas, & corpora damnatorum torquenda; ſed ad dæmones cruciandos à Deo paratum fuiſſe. *Qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius*, inquit Matth. 25. Matth. 25.
Igitur nõ eſt tantùm aſſumptus, vt eſſet commune afflictiuum corporum & animarum.

Tertio reſpondet; quòd non ſolùm ignis; ſed & terra concurrit ad cruciandas animas. Ignis quidẽ propter ſuam actiuitatem
E actiui, per modum vinculi: terra verò paſſiuè per modum loci. Sed necdum ita vim argumenti effugit. Quæro enim quid ignis actiuitas, quæ in calefaciendo ac exurendo tantùm poſita eſt, magis ad animæ alligationem conferat, quàm aër in inferno incluſus, aut terra; præſertim cùm vinculum non tam ad actiuitatem, quàm ad reſiſtentiam pertineat, quæ tantùm libertatem impedit: cùm verò vterque & ignis, & aër naturali

Digitized by Google

virtute animas arcere non poſſint; declarare debuit Bannes, cur potiùs ignis, quàm aër à Deo in animarum vinculum aſſumptus fuerit; quò fit, vt hæc quoque difficultas maneat ſuperſtes.

Tertia difficultas. Si ignis ille per alligationem tantummodò animas cruciaret, ſequeretur, vt cùm æqualiter omnes alliget, æqualiter etiam cruciaret, & æqualis eſſet omnium damnatorum pœna: quod falſum eſt, & Scripturarum auctoritati repugnat, quæ peccatorum grauitatem ſupplicij menſura compenſari docet Apoc. 18. *Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum & luctum.*

Apoc. 18.

Conatur Bannes huius difficultatis nodum ſoluere hac ratione. Quòd ſpiritus qui propter maiora ſcelera in illum ignis carcerem detruditur, ex eo grauiùs triſtatur & dolet; quia intuetur ſe magis dignum illo vinculo. Sicut cùm duo nobiles in eundem publicum carcerem conijciuntur, ex his ille magis triſtatur, qui propter grauiora crimina ibi detinetur.

At certè nimis exilis eſt ſolutio. Nam licèt id fortè locum haberet in pœna priuatiua damni, quæ idcirco eò grauiùs aliquorum animas exagitat, quò maiora ſcelera perpetrarunt, ac maiorem de Deo cognitionem hauſerunt; quò fit, vt magis damnum illud ſentiant, quod illis ex carentia diuinæ viſionis contingit, licèt eadem omnibus eueniat. Nam licèt priuatio viſionis Dei obiectiuè maior, aut minor eſſe non poſſit, atque æquè omnibus damnatis competat. Subiectiuè tamen in aliquibus maior inde eſſe euincitur, quòd ea grauiùs, quàm alij puniuntur: nam cùm hæc priuatio reſpondeat maculæ peccatorum, ac mente duntaxat percipiatur, idcirco quò maior eſt in anima peccatorum macula, ac perfectior Dei cognitio: eò & priuationis pœna eſt acerbior; vt ſentit Sotus in 4. diſt. 16. quæſt. 1. art. 1. At in pœna poſitiua ſenſus id locum habere non poteſt. Hæc enim cùm ad iuſtam delictorum punitionem ordinetur, ea non ex damnatorum ſententia, qua magis, vel minùs ſe ea dignos ſentiant, ſed ex ipſa pœnæ menſura; quæ illos præter ſententiam excruciet, inueſtigari debet: nam fortè damnati ſe illa pœna indignos iudicant, ob peruerſam in iis rationem, qua nihil in ſe ſupplicio dignum exiſtimant: quò fit, vt Deum in tormentis velut iniuſtè pœnas illis infligentem blaſphement.

Sotus in 4. diſt. 16. q. 1. art. 1.

Accedat, quòd ſi damnatorum animæ eò acriùs illa ignis detentione cruciarentur, quò ſe magis illa ob ſcelerum magnitudinem dignas ſentirent: neque illis hæc vera eſſet pœna à Deo inflicta, cùm ea ex animi conſideratione oriatur, & potiùs rationalis animi paſſio cenſenda ſit, quàm ſupernaturalis Dei vindicta: neque ea ab igne proficiſceretur, cùm animus, non ignis illum cruciatum pariat. Demum pœna illa cùm potiùs ex recta ratione, quæ in dæmonibus ac damnatis euerſa eſt; quàm ex Dei vindicta flueret, id planè efficeret, vt per eam damnatorum animæ ad bonum potiùs quàm ad malum tenderent: cuius oppoſitum exploratum eſt apud Theologos, qui vniuerſa ſupplicia damnatis in malum cedere docent: ita vt iis ſi fieri poſſet ſemper peiores efficerentur.

Quod ad duorum nobilium exemplum attinet: id Bannis ſententiam potiùs quàm noſtram oppugnat. Nobilis enim qui ob grauiora crimina in vinculis detinetur, ea ratione magis dolet, ac triſtatur, quia grauiora inde ſupplicia expectat.

Quarta difficultas. Humana iuſtitia proculdubio præter detentionem, ac vincula grauiora impijs ſupplicia decernit. Cur non & diuina iuſtitia, quæ humana inferior non eſt; ſed eam longè antecellit, grauiores ſenſus pœnas, quàm ſolam detentionem dæmonibus ac damnatis irrogare debeat?

Quinta difficultas. Scripturæ ignis cruciatum velut maximum quod excogitari poteſt, impijs minantur. At ſi ignis ſola detentione animas cruciaret, non eſſet is cruciatus maximus; cùm grauior is ſit, qui ex ignis combuſtione generatur, quàm qui ex ſola detentione, aut illius horrore concipitur.

Sexta difficultas. Pœna ignis inferni debet eſſe vera, ac poſitiua, quæ verè ac poſitiuè impiorum animas affligat. At ſola detentio non eſt pœna niſi priuatiuè, quatenus ſolam libertatis priuationem adfert: & horror inde conceptus cùm non ſit ab igne tanquam affligente, ſed tantùm velut impediente libertatem: afflictiua ac poſitiua pœna cenſeri non debet, qualis ab igne inferni ex Scripturis expectanda eſt, quæ poſitiuam vbique pœnam minantur.

Postrema difficultas eſt. Quòd pœna ſenſus damnatorum incomparabiliter excedere debet omnes pœnas ſenſibiles, quas homines in hac vita experiuntur. Id enim Patres conſtanter affirmant: vt patet ex Auguſtino, Chryſoſtomo, Cyrillo, ac cæteris, qui damnatorum pœnas ita horribiles aſtruunt, vt ne illarum minimam inter noſtras maxima quæque exæquate poſſit. At ſi maxima damnatorum pœna eſſet detentio, ſanè illa tam horribilis non eſſet, quin grauiores in hac vita pœnas anima ſuſtineret, vt patet: nam grauior eſt pœna animæ, cùm corpus vel flagellatur, vel comburitur, vel graui aliquo dolore afficitur; tunc enim grauiùs dolet, quàm ſi ſolùm vinculis

culis alligaretur. Denique anima quandiu in corpore eſt: corpori abſque pœna alligatur, non igitur tam ingens pœna alligatio animæ videri debet. Hæ igitur potiſſimùm rationes ſunt, quæ duriorem mihi & aſperiorem hanc ſententiam perſuadent.

Sotus. Greg. de Val. S. Bonauent.

ALTERA ſententia eſt Soti in 4. diſt. 50. q. vnica art. 2. Gregorij de Valent. in prima part. D. Thom. q. 15. punct. 3. quam etiam indicat D. Bonau. diſt. 44. par. 2. art. 4. q. 2. & illam ſequuntur grauiſſimi nonnulli ex Diſcipulis D. Thomæ. Hi ſentiunt ignem inferni eam vim tanquam diuinæ iuſtitiæ inſtrumentum à Deo nactum eſſe, vt non ſolùm animas velut vinculis alliget; ſed etiam verè, ac realiter, vt ignis eſt, ſua actione illas attingat, atque eum illis cruciatum inferat, quem ſolet anima percipere, cùm corpus ei naturaliter vnitum comburitur.

HANC ſententiam eò lubentiùs mihi amplectendam propono, quò mihi potior, ac ſacrarum literarum, tum Patrum auctoritati magis conſentanea videtur. Quamobrem vt ea meliùs intelligatur, quædam priùs declaranda ſunt.

PRINCIPIÒ declarandum eſt, quæ pœna per ſe, ac naturaliter animæ ſeparatæ competere poſſit: inde enim maxima huic ſententiæ lux oritur. Certum igitur eſt præter intellectiuam animæ partem aliam quoque ſenſitiuam, tam in anima corpori iuncta, quàm ſeparata conſtitui oportere; id enim multæ rationes perſuadent. At potiſſima eſt. Quia anima ſiue ſit coniuncta corpori, ſiue à corpore ſeparata, eandem ſemper naturam retinet, quã à Deo conditore accepit: ea verò à Deo illi natura indita eſt, vt ſit corporis forma, non quidem inſeparabilis, aut labilis, vt cæteræ animantium formæ; ſed ſeparabilis, & immortalis; quò fit, vt tam coniuncta corpori, quàm ſeparata, eandem formæ naturam retineat. Actualis quidem formæ dum eſt in corpore, extra corpus verò tantùm habitualis & in potentia: quapropter quemadmodum dum in corpore eſſet, idcirco ſenſitiua parte fruebatur; quia per ſenſus corporis agebat: ita nunc quoque ſeparata, ea frui debet, non quòd actu agat per ſenſus corporis: ſed quia ea potentia illi ablata non fuit, qua per ſenſus agere poſſet ſi rurſus corpori copularetur, qua etiam poſt Reſurrectionem frui debet, cùm denuò corpori copulata per eoſdem ſenſus operabitur. Ita fit, vt anima ſeparata ea ratione, qua eſt corporis forma, & perpetuam ad corpus relationem habet; præter intellectiuam, ſenſitiuam quoque vim ſuapte natura ſibi vendicet. Atque ita intelligendus eſt Auguſtinus de ſpiritu & anima, & in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus (ſi tamen ij libri Au-

A guſtini ſunt) cùm ait: animam corpore ſolutam viuere, audire, videre, & omnes ſenſus atque ingenia viuaciter tenere: neque enim corporeos tunc ſenſus habet, animas ſed vim ſenſitiuam, quam priùs in ſenſibus exercebat, eandem illi poſt diſſolutionem remanere docet. Quo ſenſu etiam accipienda ſunt, quæ de diuitis anima apud inferos merſa Scripturæ commemorant; cui & os, & linguam ac cæteros ſenſus tribuunt; tantùm vt vim ſenſitiuam in anima ſeparata remanere inſinuent.

HINC elicio primò, duplex pœnæ genus conſiderari poſſe in anima ſeparata, quo

B naturaliter affici poteſt: vnum, quod à parte intellectiua oritur, quale eſt quod fit ex apprehenſione alicuius obiecti diſconuenientis cogniti. Alterum, quod parti ſenſitiuæ reſpondet: atque eò fit, vt anima ſeparata omnia ea corporis afflictiua refugiat, ac deteſtetur: quæ refugeret ac deteſtaretur, ſi eſſet corpori coniuncta. Id enim habet ſuapte natura quà corporis forma eſt, vt de iis omnibus ſeparata doleat, ac triſtetur ob ſenſitiuam vim ſibi innatam: ob quæ corpori coniuncta doluiſſet, ac triſtata fuiſſet.

C ELICIO ſecundò, inferni ignem ea ratione qua ignis eſt, hoc modo naturaliter ſenſitiuam animæ potentiam cruciare poſſe, haud ſecus quàm ſi ea corporis ſenſibus vteretur: cùm enim anima corpori coniuncta accedente igne, vt corpus comburat; naturaliter timeat, ac ignem illum refugiat, & corpore combuſto patiatur. Ita cùm diuerſa non ſit animæ coniunctæ ac ſeparatæ natura, ſed quicquid ea pœnæ naturaliter in corpore ſuſtinet, id etiam ſeparatæ conuenire poſſit, cùm vtrobique ſit corporis forma: inde fit, vt quoties ignis ille diuina

D virtute animæ ſeparatæ vnitur, ea ignem tanquam ſibi naturaliter pœnalem, vt priùs cùm in corpore eſſet naturaliter horreat ac refugiat, & eam pœnam in vi ſenſitiua concipiat, qualem conciperet, ſi ab eo corpus combureretur. Quapropter fruſtrà ad diuinam virtutem eos recurrere exiſtimo qui hanc ignis fugam ac deteſtationem in anima ſupernaturalem ponunt; cùm ea ſenſitiuam animæ vim, qua corporis forma eſt, & ad corpus refertur naturaliter conſequi poſſit.

E ELICIO tertiò, non ſolùm ſenſitiuam animæ potentiam, ſed etiam intellectiuam ab igne naturaliter per modum obiecti diſconuenientis cruciari poſſe. Ratio eſt: quia perſona intellectiua naturaliter tanquam diſconueniens illud ſibi obiectum proponit, quo vis ſenſitiua affligitur. Dico naturaliter: nam voluntas ſupernaturali gratia imbuta, lætitia affici poteſt, vi ſenſitiua dolente, vt patet de Paulo, qui gaudebat in paſ-

ſionibus, & de animabus in Purgatorio exiſtentibus veriſimile eſt, illas ſenſus paſſiones æquo animo acceptare, ac iis nonnunquam ad tempus lætari. At illud gratiæ, non naturæ opus eſt, quæ pœnalia omnia velut pernicioſa apprehendit. Id verò præſertim in anima damnata locum habet, in qua cùm intellectiua pars, vbi potiſſimùm ratio viget, obtenebrata ſit: illud potiſſimùm velut pernicioſum apprehendit, quod vim ſenſitiuam affligit, quò fit, vt naturalem illius ignis, tanquam ſibi diſconuenientis horrorem ac fugam concipiat; qualem in corpore ob illius combuſtionem concepiſſet.

HAVD tamen ignoro multa hîc diuinæ virtuti tribuenda eſſe, quæ naturaliter fieri non poſſunt. Diuinæ enim virtutis eſt, quòd ignis animæ vniatur, quòd eam alliget, quòd eam ſine corpore, ac ſi in corpore eſſet, adurat, quòd intellectum à ſuæ pœnæ conſideratione nunquam auocari permittat, & alia quæ ad diuinæ potentiæ, non ad ignis opus referri debent.

SECVNDO declarandum eſt; quid pœnæ animæ ſeparatæ à diuina virtute infligi poſſit. In quo Theologorum omnium ſententiæ innitimur, qui rectè ac conſtanter docent, Deum omnem pœnam animæ ſeparatæ inferre poſſe, quæ contradictionis repugnantiam non inuoluit; nefas enim eſt aliquid diuinæ virtuti denegare, quod fieri poſſibile ſit: quod certè extra controuerſiam ſtatuimus. Hoc igitur expendendum eſt; an repugnantiam contradictionis inuoluat, quòd ignis ſenſibilem qualitatem caloris in ſpiritum imprimat. Bannes enim contendit, id nullo modo, neque per diuinam virtutem fieri poſſe; ex quo repugnantiam implicat: neque huius repugnantiæ aliam cauſam reddit, quàm quòd ſpiritus non eſt capax corporeæ qualitatis. At hæc non videtur ratio ſufficiens ad inuehendam contradictionis repugnantiam, quæ in eo ſita eſt, vt idem de ſeipſo affirmetur, & negetur; quæ à diuina virtute propterea arcenda eſt, quòd ea non falſa ac contradictoria, ſed vna ac ſumma veritate tantùm conſtantia efficiat: de quibus nunquam dici poſſit, non ita eſſe.

PORRO quòd ſpiritualis ſubſtantia non ſit qualitatis ſenſibilis capax, ad naturalem capacitatem referri poteſt; cùm pleraque naturalem ad aliquid recipiendum aptitudinem ac capacitatem non habeant, quam tamen diuina virtute ſupernaturaliter habere poſſunt. Aqua enim baptiſmi non eſt capax naturaliter alterius virtutis, quàm illius, quam à natura huiuſmodi elementi nanciſcitur, vt ſcilicet corpus abluat, at ſupernaturaliter altiorem virtutem ſuſcipere valet, vt ſcilicet animarum maculas poſſit extergere. Id

A ſi Bannes intelligat, facilè aſſentior. Spiritualis enim ſubſtantia cùm à corporea genere diſtincta ſit; ea neque per modum loci, aut paſſi corpoream qualitatem naturaliter in ſe poteſt recipere: ſi verò id ad ſupernaturalem incapacitatem referat (vt videtur referre) cùm diuinæ virtuti via præcludatur, vt id efficere nequeat, planè contradictionis repugnantiæ ratio aſſignanda eſt, ne diuinam virtutem temerè imminuere videamur. Cùm verò Bannes nullam huius contradictionis rationem afferat; ſanè mihi perſuadeo nullam huiuſmodi repugnantiam hîc reperiri, B cùm ea neque ex parte ſpiritus recipientis qualitatem ſenſibilem, neque ex parte ignis agentis: neque tandem ex parte ipſius qualitatis aſſignari valeat.

PRIMVM nulla ex parte ſpiritus poteſt eſſe repugnantia: neque enim video, quomodo ſpiritus non eſſet ſpiritus; ſi qualitatem ſenſibilem reciperet: cùm accidens non variet rationem ſubſtantiæ: quò fit, vt quocunque accidente ſiue corporeo, ſiue incorporeo ſpirituali ſubſtantiæ adueniente, integra ſemper, & ſarta tecta maneat ipſius ſpiritus natura. At certum eſt omnem ſenſibilis C qualitatis receptionem eſſe accidens ſpiritui; neque ab ea ſpiritus naturam extingui, cùm extra illius eſſentiam ſit; cur igitur Deus ſenſibilem qualitatem cum immateriali ſubiecto copulare non poterit? præſertim cùm immaterialitas ſubiecti viam diuinæ omnipotentiæ non præcludat, quominùs id præſtare queat, vt inferiùs demonſtrabimus: ex quo ſanè conſtat nullam contradictionem ex parte animæ inferri.

NEQVE etiam ex parte ignis vlla contradictio aſſignari poteſt; nam cùm ignis per ſuas qualitates agit, ſiue agat in corpus, ſi- D ue in ſpiritum; id planè efficit, quòd ſua fert natura: quò fit, vt ignis, ex eo quod agat in ſpiritum, nullum ſuæ naturæ detrimentum patiatur.

NEQVE tandem ex parte ipſius ſenſibilis qualitas. Nam qualitas ſenſibilis in quocunque ſubiecto recipiatur, ſemper eadem eſt, nec naturam mutat, aut agere deſinit: quò fit, vt cùm diuina virtute in ſpiritu recipitur, in eo quoque ſalua maneat.

DICENT fortè qualitatem ſenſibilem recipi non poſſe niſi in ſubiecto corporeo, ac E ſenſibili, cùm omnis receptio fiat per modum recipientis; ac propterea huiuſmodi qualitatem ſubiectum illud informare, ac ei velut accidens inhærere: ſed cùm ſpiritus non ſit aptus informari à qualitate corporea, neque corporea qualitas in eo ſubiectum inuenire poſſit, cui inhæreat, aut in quo ſubſiſtat; tandem qualitatē deperire. Hic maximus eſt Achilles huius ſententiæ: at facilè proſternitur. Nam certum eſt Deum poſſe ſuſpendere

inhæren

inhærentiam ab accidente, ſaltem abſoluto; ita vt illud in ſubiecto maneat,& tamen ſubiecto non inhæreat; vt quotidie fit in Sacramento Eucharistico, vbi accidentia non inhærent corpori Chriſti; & tamen corpus Chriſti ſub iis continetur. Cur igitur inhærentia à calore, ſaluo ipſo caloris accidente, ſeparari non poterit?

Qvod ſi inſtent. Quomodo ergo qualitas illa ſenſibilis, quæ ſpiritui non inhæret, illum poteſt exurere, præſertim cùm omnis actio & paſſio fiat per contactum? Reſpondeo, ibi eſſe aliquem contactum virtualem, qui quidem non fit ex naturali ignis virtute, ſed ex diuina potiſſimùm virtute proficiſcitur, quæ virtutem illam igni, tanquam inſtrumento diuinæ iuſtitiæ confert. Nam ſi ignis diuina virtute ſpiritum alligare poteſt (vt omnes communiter docent) planè dubium non eſt, quin ea alligatio fiat per aliquem contactum virtualem ignis. Ea igitur Dei virtus,quæ igni contulit, vt virtuali contactu ſpiritum alligare poſſit, eadem illi conferet,vt illum poſſit comburere.

Cæterum hoc diuinæ virtuti non eſſe impoſſibile, nonnullæ rationes perſuadent. Nam Diuina virtus, quæ vtramque & ignis, & ſpiritus naturam condidit, haud credibile eſt,quòd ſe illa poteſtate priuare voluerit, vt nunquam ea inter ſe (ſi voluntas adeſſet) velut agentia & paſſa vnire poſſit. Immò cùm tam ignis, quàm ſpiritus omnimoda obediẽtia, Deo velut conditori ſubiiciantur: credendum eſt,cùm ille iuſſerit,ignem actiui per calorem, ſpiritum paſſiui ab eodem calore naturam ſtatim induere.

At quo pacto id fiat, fateor difficillimè explicari poſſe:quandoquidem id naturæ vires,ac naturalem rerum vſum excedit,at non propterea neganda eſt Dei virtus, quòd ea ineffabilis hominibus videatur. Maior enim eſt Deus corde noſtro: & pleraque fidei ſacramenta prorſus ineffabilia ſunt, in quibus infinita, ac inexplicabilis Dei virtus elucet, vt perſpicuum eſt in myſterio diuinæ Trinitatis, & vnitatis: in quo ratio peruerſa videtur. Incarnationis,vbi nulla proportione infinita finitis copulantur. Baptiſmi, in quo corpore aqua abluto, anima à ſordibus expiatur; de quo Auguſt. *Quæ eſt iſta virtus aquæ, quæ corpus tangat, & cor abluat?* Cùm verò hæc fide amplectamur, cur impoſſibile videri debet ignem diuina virtute ita eleuari, atque animæ naturam ita Deo iubente diſponi, vt eam ignis ſenſibili calore exurere; atque in eam non minùs quàm in corpus agere valeat: neque id rationi repugnat, cùm Deus cauſarum præſertim efficientium defectum ſupplere poſſit.

Neqve enim magis repugnat corpoream qualitatem in incorporea ſubſtantia recipi, quàm incorpoream qualitatem in corporea ſubſtantia manere: quæ idcirco fatemur naturæ impoſſibilia eſſe, quòd ea actiuorum virtutem tantùm intra proprium genus concludat; haud tamen exiſtimandum eſt,ea diuinæ virtuti eſſe impoſſibilia, cùm ea quotidie effici videamus. Nam & anima, quæ incorporea eſt,in corpore recipitur; & vitales qualitates quæ incorporeæ ſunt, corpori cõmunicat. Corpus contrà per complexionem, & corporeas qualitates in animam agit; cùm illam ad vitia, & prauas cupiditates trahit, & ſpiritui aduerſatur. Vnde Salomon Sap. 9. *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam*: & Paul. ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, captiuantem me in lege peccati.* Cùm igitur diuina virtus ita animam corpori copulare potuerit, vt anima in corpus, corpus in animam agere poſſit: cur hoc ipſum igni præſtare nõ poterit, vt ita ſpiritui vniatur, vt propriam ac ſenſibilem caloris qualitatem illi imprimere valeat? Sap. 9. Ad Rom. 7.

Si aquas Baptiſmi ita diuina virtus extollere potuit, vt dum corpus abluunt,non ſignificatione tantùm; ſed reipſa animæ maculas abſtergant: quare eadem virtus ignem adeò eleuare nõ poſſit, vt animæ ſcelera non metaphoricè,aut per ſolam detentionem,ſed propria ignis actione puniat?

Id quidem iis impoſſibile videtur, qui Dei virtutem humana vlna metiuntur, aut ignis naturalem tantùm virtutem inſpiciunt: ſed ſi oculos ad infinitam Dei potentiam attollant, id illi facillimum eſſe cernent: neque enim ignis inter virtutis ſuæ fines contentus,in ſpiritum ſenſibili vlla qualitate agere valet: ſed cùm ſupernaturalis ſit ſpirituum exuſtio: ſupernaturali quoque virtute ignem armari credimus, qua animas exurendi vim habeat. Ita enim ſtatuit Salomon Sap. 5. *Armabit creaturam ad vltionem inimicorum ſuorum.* Sap. 5.

Nam quemadmodum ſi inermis armatum hominem gladio inuadat, eum nulla vi proſternere poteſt, cùm is nullum vulneri locum obiiciat: at ſi ab armato vi arma detrahantur, ac iis ſe inermis muniat, facillimè tunc illum proſternit. Ita ſi ignem illum ſuæ virtuti telictum intuemur: planè velut inermem cernimus,neque is quamuis dæmones, aut ſpiritus propria virtute inuaderet, iis vllo modo nocere poſſet. At cùm in diuinæ iuſtitiæ inſtrumentum aſſumitur,diuina tunc virtute armatur, atque dæmones, ac ſpiritus quoſlibet ſeparatos propriis armis exutos, quæ illos à corporearum rerum paſſionibus liberos præſtabant,liberè naturali ſua virtute exurere, ac cruciare poteſt.

Qvamobrem licèt id perfectè explicari non queat: id tamen veriſſimum eſſe creditur; vnde eſt illud Auguſtini 21. de Ciu. Dei cap. 10. animas illo igne quamuis miris,veris D. Aug. l. 21. de Ciu. Dei cap. 10.

tamen modis cruciati. Quapropter eò magis hæc ſententia amplectenda videtur: quò altiùs & Dei potentiam extollit, & ſacrarum Scripturarum, ac Patrum teſtimoniis videtur conſentanea, quæ dæmones, ac ſpiritus ſeparatos ab igne diuina virtute exuri tradit.

Tertio declarandum eſt, qua ratione anima ſeparata ab igne illo corporeo pati poſſit. Quapropter notandum eſt (vt plenam quis huius rei intelligentiam aſſequatur) animas à corpore ſeparatas eſſe quidem ſpiritus, ac ſpirituales ſubſtantias, at non ſine relatione ad corpus, cuius fuerunt, ac futuræ ſunt formæ. Deus enim cùm animam condidit, non extra corpus, ſed in corpore illam creauit: creando enim illam infundit, & infudendo creauit (vt *Auguſtinus.* ait Auguſt. de ſpiritu, & anima) quò fit, vt non prius ſpiritus euaſerit, quàm ex ipſis ſuæ naturæ principiis corporis forma conſtituta fuerit: vnde colligitur animæ naturalem, ac intrinſecam relationem ineſſe, qua ad corpus refertur: in quo ſanè à dæmone differt, qui purus ſpiritus eſt abſq; vlla relatione ad corpus: quapropter cùm hæc relatio, qua corporis forma eſt, animæ naturalis ſit; & ex ſui conditione perpetuò illius naturam comitetur: inde certiſſimum eſt, eam ab anima, ſiue illa corpori coniuncta ſit, ſiue à corpore ſeparata, nunquam diuelli poſſe; quò fit, vt ſiue in cœlo, ſiue in inferno ſit, anima nunquam hac relatione careat, quæ illam quodammodo corpoream efficit: eo ſanè modo quo corporeum illud dici poteſt, quod à corpore liberum non eſt, ſed intrinſecam ad corpus relationem habet.

In quo plerique hallucinantur, qui animæ naturam ita ſpiritualem, & à corpore liberam eſſe cenſent, vt cùm à corpore eſt ſeparata nihil à dæmonum, ac Angelorum ſpirituali natura diſtet; quod falſum eſt: nam anima à corpore ſeparata eam relationem, ac dependentiam ad corpus ſecum fert; quam prius in corpore habuit, cùm actualis illius forma eſſet: quò fit, vt illius natura tametſi ſpiritualis ſit, non tamen ita pura, ac ſimplex exiſtat, ſicut dæmonum, ac Angelorum natura, quæ nullam huiuſmodi ad corpus relationem habet. Hæc apud omnes eruditos viros perſpecta eſſe exiſtimo, neque vllis calumniis obnoxia.

Hinc ego colligo primùm animam, quæ corporeis ſenſibus, cùm ei coniuncta eſſet, vim tribuebat, ac per viſum, per auditum, per olfactum & omnes corporis ſenſus vigebat, licèt corpore exutam, eaſdem ſecum ſenſuum potentias, ac radices ferre (vt corporis formam) quibus corporeos ſenſus in corpore mouebat: ea enim relatio, qua anima etiam ſeparata, quatenus corporis forma condita eſt, ad corpus refertur, id neceſſariò exigit; vt ea ad omnes corporis ſenſus, ac ſingu-

A las illius corporis partes, quas priùs informabat, referatur. Eo enim ſublato, iam nulla eſſet in anima ſeparata ad corpus inclinatio, quam tamen dari neceſſe eſt, vt illius natura, qua corporis forma eſt, conſeruetur.

Ita fit, vt tam in cœlo animæ beatorum etiam nunc iis deliciis (perfectioribus tamen) fruantur, quas ex ſenſibus in corpore percepiſſent: quàm damnatorum animæ in inferno iis (grauioribus tamen) pœnis plectūtur, quib9 per corporis ſenſus affectæ eſſent. Hac ratione Scripturarum veritas optimè defenditur: cùm beatis animabus pleraque deferunt, quæ
B corporeis ſenſum oblectamentis reſpondere ſolent; veluti ciborum guſtus, pſallentium cantus, cytharædorum ſonos, & alia huiuſmodi, quæ idcirco animarum oblectationi tribuunt, vt indicent eas propria relatione ad corpus non carere, eáſque tantùm (licèt perfectiori modo) ex iis voluptatis capere, quantùm in corpore cepiſſent. Et damnatarum animarum pœnæ ab Hæreticorum metaphoris vendicantur, quoties illis Scriptura corporeas pœnas aſcribit, quæ corpus tantùm vexare ſolēt; quales ſunt, quas Scriptura commemorat de igne diuitis, de ſiti, de linguæ ar-
C dore, & aliis ſimilibus: nā quāuis diues ille nec os, nec linguam, nec corpus haberet, quę ignis ardore, aut ſiti cruciarētur: ſed ibi ſola duntaxat anima eſſet: ea tamen ratione, & os, & linguam, & corpus illi Scripturæ tribuunt, quòd Diuitis anima, licèt corpore exuta relationē ad corpus naturaliter (vt corporis forma) ſibi inſitā haberet, & omniū ſenſuum in ſe radices gereret: quò fieri potuit, vt cùm cuilibet ſenſui, ac corporis mēbro ea reſpōderet, in quolibet etiam diuina virtute cruciari poſſet, haud ſecus quàm ſi corporeos ſenſus haberet.

Colligo ſecundò animam ſeparatā ob re-
D lationē ad corpus ſibi intrinſecā, qua vim ſenſitiuam, ac ſenſuum radices ſecum gerit: verè, & realiter tam ab igne, quàm à cæteris pœnis corporeis à diuina iuſtitia inſtitutis grauiſſimè vexari, haud ſecus quàm ſi ipſum corpus iis pœnis vexatum ſibi copulatum haberet.

Verumenimverò quāuis hac ratione declarari poſſit, quomodo impiorū animæ à corporeo illo igne patiantur: attamen non eadem ratio pro dæmonibus militat, quibus nulla ineſt ad corpus relatio: quò fit, vt difficiliùs ſit his modū indicare, quo vera, ac cōmuni ignis pœna ſimul cum animabus plectantur. Atta-
E mē cùm ex Scriptura nobis certū ſit, his ignis ſupplicium paratum eſſe, ac illum eundē corporeum ignem eſſe, qui impiorum animas ſimul & corpora excruciare debet: nec fruſtrà Scriptura hanc ignis pœnam ad torquendos dæmones ſpecialiter adhibeat, quin immò id inſinuare videatur, dæmones ab ignis ardore, ac cōbuſtione torqueri: quid dubitamus verā ignis pœnam, ac combuſtionem, qua diuina virtute

Digitized by Google

virtute plecti poſſint, dæmonibus aſcribere? An non ſatius videri debet, Scripturarum ſenſum, ac literam tueri, atque ab Hæreticis declinare; præſertim vbi nulla obſtat contradictionis repugnantia; quàm metaphoricè illas cum Hæreticis interpretari? Certè id mihi in hac re magis conſultum eſt; vt malim potiùs dæmones reali ſenſibilis caloris qualitate in eos immiſſa diuina virtute cõbuſtos aſſerere (quod minimè Deo impoſſibile eſſe ſuprà oſtẽdimus) quàm metaphoricã ignis paſſionem nulla Scriptura fundatam (ne dicam cũ Scripturis pugnantẽ) Hæreticis indulgere.

ATQVE hæc mihi videtur inter alias potiſſima ratio in Scripturarum interpretatione incunda; vt cùm dubius, & controuerſus eſt Scripturæ ſenſus, ab eo primùm cauendum ſit, quem Hæretici ſibi vendicant; cùm enim hi peiorem ſemper in ſenſum Scripturam trahant: neque iis vera Scripturarum intelligentia à Deo collata ſit: eo vel ſolo teſtimonio, quis ſit verus Scripturæ ſenſus agnoſcitur, is nimirum, qui Hæreticorum ſenſui eſt oppoſitus. Quapropter, etſi ingenuè fatear captu difficillimum eſſe, quo pacto dæmones à ſenſibili ignis qualitate exurantur: quia tamen hoc Scriptura dicit, & Hæretici oppoſitum ſentiunt; malo (ſi fieri poſſet) cum Scriptura errare, quàm cum Hæreticis bene ſentire.

HÆC igitur concluſio ita declarata probatur primùm ex Scripturis, quæ vbique animas in inferno igne comburi prædicant: vt
Iſai. 66. patet ex teſtimoniis ſuprà citatis. Iſa. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* vbi extinctio ſupponit ardorem, ardor verò in ſubiecto eſſe non poteſt, quin illud ardẽs efficiat. Quapropter cùm inextinguibilem ignem illũ eſſe docet, animas quę in inferno perpetuo ardere prædicat: id verò magis confirmat, cùm non ſimpliciter ignem, ſed ignem eorum eſſe dicit; perinde, ac ſi diceret, ignis qui eorum intima quæque peruadit, ac comburit, nunquam exurendi illas finem faciet.

Matth. 3. & 25. Eadem teſtimonia habent Matth. 3. *Congregabit triticum in horreum ſuum; paleas autem comburet igni inextinguibili*: & 25. *Diſcedite à me*
2. Theſſ. 1. Apoc. 14. & 19. *maledicti in ignem æternum.* Paulus 2. Theſſ. 1. *In flamma ignis dantis vindictam in eos, qui non obediunt Euangelio.* Io. Apoc. 14. *Cruciabitur igne & ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum*, & c. 19. *Viui hi duo miſsi ſunt in ſtagnum ignis ardentis & ſulphure.* Et alia permulta loca in Scripturis occurrunt; quæ paſſim infernali igni non ſolùm detinendi; ſed exurendi vim tribuunt: quam exurendi vim nunquam metaphoricè accipiendam eſſe declarant. Quò fit, vt cùm iuxta ſuperiorem regulam verba Scripturæ ita ſemper accipienda ſint; vt litera Scripturæ exprimit, niſi alium ſenſum vel Scriptura, vel ratio ipſa dictet: cùm hîc neque

A Scriptura, neque ratio obſtet, quo minùs hæc literaliter exponi poſſint: planè conſtet animas non tantùm per modum detentionis, ſed verè, ac realiter, ac per modum combuſtionis, haud ſecus quàm ſi in corpore eſſent, ab illo igne cruciari.

PROBATVR ſecundò teſtimoniis Patrum. Patres enim Scripturas ſemper ita interpretati ſunt, vt animas ſeparatas non tantũ per modum vinculi: ſed verè, ac realiter ab igne, vt ignis eſt, cruciari crederent: quapropter animabus damnatorum combuſtionem, ac ignis cruciatum tribuunt. Id explicat Cy-
B prianus Epiſ. 55. *Vnde* (inquit) *& diues ille peccator, qui de Lazaro in ſinu Abrahæ poſito, atque in refrigerio conſtituto implorat auxilium: cùm in tormentis cruciabundus flammæ crepitantis ardoribus aduratur; inter omnes corporis partes magis os eius, & lingua pœnas dat; quia plus ſcilicet lingua ſua, & ore peccauerat.* En quàm apertè Cyprianus fatetur animas ſeparatas inferni igne aduri, atque ea ratione magis in lingua ardore cruciari, quòd eo ſenſu magis deliquerint, quod ſanè eſſe non poſſet, niſi animæ ſenſus radices in ſe gererent, in quibus cruciari poſſent. Cyprianus.

IDEM docet Cyrillus Alex. Oratione de Cyril. Alex.
C exitu animæ. *Tunc demerguntur* (ait) *animæ peccatorum in omne æuum crematura.* Multa ſunt huiuſmodi teſtimonia apud Baſilium oratione Baſilius. de futuro iudicio. Chryſoſtomum Epiſt. 5. ad Chryſoſtom. Caſſianus. Theod. lapſum. Caſſianum de Confeſſ. Theo Ioan. Dam. log. par. 3. Io. Damaſcenum vitæ Barlaam c. Tertullian. 10. Tertull. carmine de iudicio Domini c. 9. qui omnes, & alij innumeri damnatorum animas igne ſempiterno non ſolùm detineri, ſed exuri affirmant.

AT præclariſſimè Auguſt. tum lib. 21 de Auguſtinus. Ciu. Dei cap. 10. vbi affirmat ſpiritus incorporeos quamuis miris, veris tamen modis
D poſſe pœna corporalis ignis affligi: tum maximè in lib. de fid. & operib. cap. 25. vbi inquit. *Neque illud dici hic poterit, in quo nonnulli ſe ipſos ſeducant: ignem æternum dictum non ipſam combuſtionem æternam*; & infrà. *Erit ergo æterna combuſtio ſicut ignis, & eos in illum ituros veritas dicit, quorum non fidem, ſed bona opera defuiſſe declarauit.*

TANDEM D. Gregorius hanc concluſionem apertè probat lib. 4 dialog. cap. 29. vbi D. Gregor. animas ab igne illo non tantùm detineri: ſed & exuri luculentiſſimis verbis affirmat. *Si incorporeus ſpiritus* (inquit) *Petre in hoc teneri poteſt,*
E *quod viuificat, quare non pœnaliter, & ibi teneatur, vbi mortificatur? Teneri autem ſpiritum per ignem dicimus: vt in tormento ignis videndo, atque ſentiendo puniatur. Ignem namque eo ipſo patitur, quod videt, & quia cremari ſe aſpicit, crematur: ſicq; fit, vt res corporea rem incorpoream exurat, dum ex igne viſibili ardor, ac dolor inuiſibilis trahitur.*

POSTREMO probatur rationibus, quæ

ſunt

ſunt in oppoſitum alterius ſententiæ, ex quibus hæc vna conflatur: nam pœna ignis in inferno talis eſſe debet, qualis à Scripturis aſſeritur, & à Patribus deſcribitur, ſcilicet maxima, poſitiua, non æqualiter, ſed iuxta ſcelerum menſuram animas puniens; quæ tãdem ſummam Dei iuſtitiam deceat. Sed talis eſt pœna ignis non ſolùm detinentis, ſed etiam vrentis animas: hęc igitur ſola ignis pœna vera agnoſcenda eſt, quæ animas non ſolùm alligat, ſed etiam exurit.

SVPEREST, vt tria Bannis argumenta ſoluamus quæ contra hanc ſententiam obiicit. Primum arg. Dolor nõ poteſt eſſe niſi de aliquo malo præſenti. Itaque priùs natura debet eſſe præſens malum, & apprehendi vt tale, quàm ſequatur in voluntate dolor, ſeu triſtitia: ſed hæc ſententia non explicat, quódnam ſit iſtud malum illatum ab igne, ex cuius apprehenſione in animabus dolor ſequatur.

RESPONDEO, hanc ſententiam optimè explicare malum ab igne animæ illatum, cùm ait illud malum ab igne in animam inuehi, quod inueheretur, ſi ea corpori vnita eſſet, nempe combuſtionem; quæ ipſi accidit, tum ob relationem, quam propriam habet ad corpus, tum quia corporeorum ſenſuum radices in ſe gerit, quò fit, vt ignem illum ſibi diuina virtute vnitum velut comburentem apprehendat, ac inde ſummam illius deteſtationem concipiat.

SECVNDVM arg. Si dolor, quem patitur anima ab igne, eſt ſimilis illi, quem pateretur ſi eſſet corporis forma; ſequeretur, quòd pœna ſenſus damnatorum non excederet incõparabiliter pœnas ſenſibiles, quas homines in hac vita experiuntur. At conſequens eſt contra SS. Patrum dicta, qui docent maximas viuentiũ pœnas non poſſe minimis damnatorũ comparari, ob maximam horum grauitatem.

SANE ludit nobiſcum Bãnes hoc arg. Quaſi nobis idem ſit ſimilitudo, & æqualitas: cùm tamen longè inter ſe diſtent: ſimilitudo enim ad qualitatem, æqualitas ad quantitatem pertinet. Paulos ait beatos Deo ſimiles eſſe futuros, non tamen æquales. Similes dicimus eſſe pœnas damnatorum & viuentium, ſimilem ignem, ſimilem ignis cruciatum, non tamen æqualem, quandoquidem ignis inferni efficaciſſima virtute quam ex Dei iuſtitia velut illius inſtrumentum ſibi comparat, huius noſtri ignis virtutem incomparabiliter excedit. Hoc Patres indicare voluerunt, cùm alterius vitæ pœnas noſtras longè antecellere docuerunt.

AT ſanè mihi potiùs liceret hoc argumentum in Bannem retorquere. Nam ſi pœna ſenſus damnatorum ita grauis eſſe debet, vt pœnas omnes ſenſibiles excellat, quas homines in hac vita ſuſtinent: cur is ſolam detentionem maximam animabus pœnam

A conſtituit, quæ omnium minima inter homines iudicari ſolet; ac priuatiuè tantùm homines cruciat; quatenus ſcilicet iis libertatẽ adimit? Planè ſi maxima ea animæ pœna iudicanda eſſet, quæ ex ſola detentione oritur: iam nunc & ipſæ animæ, quæ corpori alligãtur, maximam inferni pœnam ſuſtinerent, cũ à corpore non minùs quàm ab igne detineãtur, ne ſua libertate frui poſſint. At hæc iuſtis, non impiis pœna eſt, qui quandiu in corpore viuunt, ad Deum ardentiori ſtudio feruntur, & corporeis vinculis exolui cupiunt. Impiorum verò animæ nullam non tam inde pœnã hauriunt, quàm in corpore potiùs ſemper detineri vellent; ne grauiores inferni pœnas poſt diſſolutionem ſubire cogerentur. Non igitur grauiſſima pœna eſt detentio.

B

TANDEM cùm dicimus animas damnatorum ita ab inferni igne cruciari, perinde, ac ſi corpori vnitæ eſſent, maximam inde animarum dolorem colligimus: cùm maximus animæ cruciatus is proculdubio cenſeatur, quem ex corporis exuſtione contrahit. Hac ratione ſacræ literę ſummam inferni pœnam in æterno illo ignis ardore collocant; vt atrociorem, ac truculentiorem hac ignis pœna nullam eſſe declararent. Cùm verò Scripturæ omnium, quæ inter homines excogitari poſſunt, atrociſſimam ignis pœnam eſſe ſentiant: ſanè credendum eſt, eam non in ſola detentione, ſed potiùs in combuſtione conſtitui.

C

TERTIVM argum. Dæmones qui in hoc caliginoſo aëre verſantur, aut ab inferis ad nos aſcendunt, patiuntur eandem pœnam, quam illi, qui ſunt alligati in inferno; ſed illi qui ſunt in hoc aëre non patiuntur ab igne, vt ignis eſt, ſi quidẽ nõ actu alligati ſunt cũ ipſo igne: ergo, &c. Bannes ſibi, non nobis hoc argumentum obiicit. Soluat ipſe prior, quomodo dæmones, qui vel in caliginoſo aëre ſunt, vel ab inferis veniunt, ab igne qui in inferno eſt, alligentur: niſi ſentiat aliquos dæmones nondum ab inferni igne alligari; quod ſanè improbabile eſt; cùm ignis ex doctrina Sancti Thom. ſit commune afflictiuum omnium ſpirituum: quæ ſententia ab omnibus Theologis probatur. Quòd ſi ab igne inferni alligantur vniuerſi (vt par eſt) qua ratione aliqui per aëra diſcurrũt, vel inferos relinquunt, qui immobiles ab illo igne alligati dicuntur? Planè difficile illi erit hũc nodum ſoluere, qui in ſola detentione, quæ nunc dæmones nõ cruciat, ſummam illorum pœnam conſtituit.

D

E

NOS verò qui dæmones non tam ab igne detineri, quàm cremari ſentimus, facilè nodum diſſoluimus. Dicimus enim vel iuxta communiorem Patrum ſententiam; dæmones quoquò eant, ſecum ignem ſuum ferre, à quo nulla intermiſſione cruciantur; vel cùm ab ignis inferni præſentia nunquam diſcedant (neque enim locorum diſtantia, aut

montium

montium interiecta ignis præſentiá illis intercipere queunt, quominùs illum ignem in inferno præſentem ſemper habeant) tum ab eo diuina virtute cruciari, quàm ſi in inferno eſſent, cùm illum animo velut comburentem apprehendant: nec tamen ſequitur, quòd ignis ille, qui vel dæmones comitatur, vel diuina virtute in diſtantes dæmones agit; vel proxima, vel interiecta obiecta incendere debeat: nam ignis inferni cùm diuinæ iuſtitiæ inſtrumentum ſit, ad punienda ſcelera aſſumptum; in ea tantùm agere debet, in quibus ſcelerum veſtigia offendit, quæ ſua virtute caſtigari oporteat; non autem in alia, B quæ nulla peccari labe ſunt inquinata, cùm ad ea comburenda non ſit ordinatus.

Tertia concluſio. Præter pœnam ignis, plurimæ aliæ pœnæ ſunt apud inferos, quæ verè; ac realiter impiorum animas cruciant. Declaratur concluſio. Duplex in inferno eſſe pœnarum genus, Scripturæ, Patres, & communis Theologorum ſententia docent: eſt enim pœna damni, & pœna ſenſus. Prior pœna damni, inde impiorum animabus, ac dæmonibus oritur, quòd ſe perpetuò à beatiſſima illa Dei viſione, ac ſupremo bonorum cumulo, in quo ſumma beatitudo eſt, excluſos C vident; quod ſummam illis pœnam ingerit, de qua Dauid Pſal. 4. *Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Iſa. cap. 26. *In terra ſanctorum iniqua geſſit; non videbit gloriam Domini.* Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Hoc pœnæ genus longè omnes alias ſenſus pœnas atrocitate antecellere ferè omnes Patres tradunt. D. Baſilius oratione de futuro iudicio Dei (inquit) *Abalienatio, atq; auerſio etiam inter omnes pœnas, quæ in gehenna expectantur, intolerabilior, grauiórque eſt ei, qui patitur, quàm oculo lucis priuatio, etiamſi dolore careat.* Idem docet Ioann. Chryſoſtom. epiſt. 5. D ad Theodor. lapſum, & apud Doroth. Abb. doct. 12. de timore, & pœnis inferni. *At omnem* (inquit) *horrorem ſuperat, quod Chryſoſtom. ait. Si non eſſent ſcilicet flumina iſtic quæ ignem fluerent, non dæmones horrendi: at ſolùm ex iudicatis, hi gloria, & triũpho cœli donarẽtur, illi inglorij, & inhonorati relinquerentur, ne viderent gloriam Domini. Hanc pœnam, hanc ignominiam, hanc confuſionem omne tormenti genus, omnem gehennam ſuperaret.* Atque his aſſentit D. Aug. ad Pſalm. 49. vbi hanc pœnæ atrocitatem exaggerat his verbis. *Si non veniret ignis Dei iudicij, & ſola peccatoribus immineret ſeparatio à E facie Dei, in qualibet eſſent affluentia deliciarum, non videntes à quo creati ſunt, & ſeparati ab illa dulcedine ineffabilis vultus eius, in qualibet æternitate, & impunitate peccati plangere ſe deberent.*

Psal. 4. Iſai. 26. Matth. 25. D. Baſilius orat. de fut. iudic. Dei. Ioan. Chryſ. epiſtol. 5. ad Theod. lapſ. D. Aug. ad Pſal. 49.

Atque hæc Patrum ratio eſt, quæ etiam Theologis placet: quòd hæc pœna maximũ malum ſibi obiectum habeat: quò fit, vt ea A quoque maxima cenſeri debeat: maximum enim malum eſt Deo, ac omnibus bonis carere. Cùm igitur pœna ſenſus vnicum tantùm bonum ab anima auferat, quod eſt ſenſibilis lætitia, pœna verò damni illam omnibus bonis, ac demum Deo ipſo expoliet, inde rectè concludũt; pœnam damni omnes ſenſus pœnas acerbitate antecellere.

Quòd verò ad ſenſus pœnam ſpectat. Ea ſenſus pœna dicitur, quæ non tantùm vel corporis ſenſus poſt reſurrectionem, vel vim animæ ſenſitiuam ante reſurrectionem cruciat, ſed quæcunque animas damnatorum afB fligit, & ab illis ſentitur, ſiue ea in ſenſitiua, ſiue in intellectiua, aut memoratiua parte ſit. Hoc enim ſenſu Theologi pœnam ſenſus interpretantur in 4. diſt. 44. & Sotus diſt. 50. Has in inferno complures eſſe præter ignis pœnam Scripturæ teſtantur: Dauid enim præter ignem laqueos, ſulphur, & ſpiritum procellarum inter ſenſus pœnas enumerat Pſal. 13. *Pluet ſuper peccatores laqueos, ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.* Iob 24. alterum addit, ſcilicet glaciale frigus. *A calore illo nimis* (inquit) *tranſibunt ad aquas niuium.* Salomon Prouerb. 19. malleos percutientes C adiungit. *Parata* (inquit) *ſunt deriſoribus ſupplicia, & mallei percutientes ſtultorum corporibus.* Iſaias plures addit cap. 13. *Requieſcent ibi beſtiæ* (ait) *& replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi ſtruthiones, & piloſi ſaltabunt ibi, & reſpondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & ſyrenes in delubris voluptatis.* Luc. 13. Matth. 8. & 13. & 25. his tenebras, fletum, & ſtridorem dentium copulant. *Ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores: Ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Marcus 9. vermem commemorat. *Vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur.*

Pſal. 13. Iob 24. Prouerb. 19. Iſa. 13. Luc. 13. Matth. 8. 13. & 25. Marc. 9.

D De iis Auguſtinus de triplici habitaculo cap. 2. agit his verbis. *Principalia duo ſunt tormenta in inferno: frigus intolerabile, & calor ignis inextinguibilis: vnde in Euangelio legitur. Illic erit fletus, & ſtridor dentium. Fletus namque, & liquefactio occulorum ex calore naſcitur: ſtridor verò dentium ex frigore naſcitur. Hinc etiam B. Iob de aquis niuium tranſibunt ad calorem nimium. De quibus duobus innumera pendent pœnarum genera: videlicet ſitis intolerabilis, pœna famis, pœna fætoris, pœna horroris, pœna timoris, pœna anguſtiæ, pœna tenebrarum, ſeueritas tortoris, præſentia dæmonum, ferocitas beE ſtiarum, crudelitas miniſtrantium, dilaceratio immortalium vermium, vermis conſcientiæ, ignitæ lacrymæ, ſuſpiria, miſeria, dolor ſine remedio, vincula ſine ſolutione, mors æterna; pœna ſine fine, abſentia Chriſti quoad viſionem eius, quæ ſola omnia ſupradicta ſuperat, & omnibus pœnis eſt intolerabilior.* Hæc Auguſt. Quæ pœnæ licèt corporum ſenſus poſt reſurrectionem verè, ac realiter cruciaturæ ſint; haud tamen nunc quoque

D. Aug. de triplic. habitacul. c. 2.

que animæ ſeparatæ damnatorum ab iis immunes ſunt: cùm ea ratione ab iis plecti poſſint, diuina in iis agente virtute, ſicut ab igne plectuntur. A

QVARTA conc. Poſt corporum Reſurrectionem ipſa quoque impiorum corpora diuerſis, ac æternis pœnis plectentur. Concluſio eſt totius Scripturæ, Patrum, ac Theologorum: Scripturæ enim apertè indicant futura *Iudith. 16.* corporum ſupplicia. Iudith. 16. *Dabit enim ignẽ & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & ſentiant vſque in ſempiternum.* Id etiam declarat Salom. *Prouerb. 19.* Prouerb. 19. *Parata ſunt deriſoribus iudicia, & mallei percutientes ſtultorum corporibus.* Idem tra- B *Eccleſ. 7.* dit Eccleſ. c. 7. *Humilia valde ſpiritum tuum, quoniam vindicta carnis impij ignis, & vermis.* Præ- *Matth. 25.* terea Matt. 25. Chriſtus de vtriuſque corporis & animæ ſuppliciis agens, in extremo iudicio impiis dicturus eſt. *Ite maledicti in ignem* *Marc. 9.* *æternum.* Marci 9. habetur de ſupplicio corporis. *Bonum eſt tibi debilem in vitam introire, quàm duas manus habentem ire in gehennam.*

PATRES quoque omnes cum Scriptura conueniunt: qui idcirco pœnam corporibus impiorum deberi docent, quòd ea animæ in peccato ſocia fuerint, ac velut iniquitatis vaſa, quibus eadem iure pœna competit. Id ex- C *Cyrill. Ieroſ. catecheſi 18.* plicat Cyrillus Ieroſol. catecheſi 18. *Si peccator eſt* (ait) *accipiet corpus æternum, quo ſufferre poſſit pœnas peccatorum, vt perpetuò in igne ardeat, vt nunquam diſſoluatur. Et iuſti vtriſque his ordinibus Deus hoc præbebit, nihil enim ſine corpore à nobis geſtum eſt. Blaſphemamus per os, oramus per os, expiamus per os, luxuriamur corpore, caſti ſumus per corpus, rapimus per manum, eleemoſynas damus per manum: & reliqua ſimiliter. Cùm igitur in omnibus cooperetur corpus, etiã in futuris fructũ eius percipiet.*

QVÒD verò hæc corporum ſupplicia, ſicut animarum æterna eſſe debeant, oſtendit D. *D. Aug. lib. 21 de Ciuit.* Aug. li. 21. de Ciu. Dei c. 2. *Quid igitur* (inquit) D *oſtendam vnde conuincantur increduli, poſſe humana corpora animata, atque viuentia, non ſolùm nunquam morte diſſolui, ſed in æternorum quoque ignũ durare tormentis? nolunt enim hoc ad omnipotentis nos referre potentiam, ſed aliquo exemplo perſuaderi ſibi flagitant.* Tum oſtendit exemplo aliquorum animalium, ac vermium, qui in ignibus, ac feruentibus aquis viuunt, id impoſſibile non eſſe. Tandem c. 7. concludit his verbis. *Cur itaque facere non poſſit Deus, vt & reſurgant corpora mortuorum, & igne æterno crucientur corpora damnatorum, qui fecit mundum in cælo, in terra, in aëre, in aqua, innumerabilibus miraculis plenum;* E *cũ ſit omnibus quibus plenus eſt, proculdubio maius & excellentius etiam ipſe mundus miraculum.*

Ex his igitur non tantùm Hæretici, ſed & Atheiſtæ apertiſſimè agnoſcant non ſolùm probis hominibus vera poſt mortem præmia, ſed & impiis vera apud inferos ſupplicia Deo, A ac natura dictante parata eſſe: vnde tãdem id colligere debent, tam illos à vera Religione abeſſe, qui Dei, ac naturæ teſtimonio contẽpto nihil ſibi poſt mortem ſupereſſe putant: quàm iis vera Religio adeſt, qui ex iis quæ Deus tam probis quàm improbis, poſt vitam repoſuit, illum ſumma Religione colunt.

PORRÒ non fruſtra, neque ſine Dei conſilio accidiſſe exiſtimo, quòd cùm veræ Religionis demonſtrationes aduerſus Atheiſtas proſequimur, caſu contingat, vt iis inter æternas improborum pœnas finem imponamus. Hoc enim velut diuinum quoddam omẽ ſibi B è cœlo delatum Atheiſtæ amplecti debent, quo admonẽtur, ne diutiùs nefariam Atheiſticæ impietatis ſuperſtitionem pro vera Religione colant, ſed ab ea quàm citiſſimè auolent. Quòd ſi id facere neglexerint, horrenda hæc ſibi, ac nunquam peritura ſupplicia animæ & corpori certò imminere agnoſcant, in quibus velint nolint, & Dei virtutem, & ſuarum animarum, ac corporum aliquando miſerandam immortalitatem, bonis omnibus expoliati, ac perpetuis pœnis exagitati nullo fructu percipient.

CHRISTE Deus. Opt. Max. qui es lux, C ac ſplendor paternæ claritatis, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum: à quo tota Eccleſiæ ſiue militantis, ſiue iam triumphantis ciuitas, velut è cœleſti lucerna, lucem veritatis expectat. En cœcum Atheorum hominum genus, quod Dei, ac diuinorum ignorantia, velut denſis, ac horrendis tenebris circumuoluit. En cœcorum oculos, quibus diuinæ maieſtatis Sol necdum ortus eſt, cuius fulgor etſi totum orbem colluſtret, illorum tamen impiæ infidelitatis tenebras haud vnquam potuit depellere.

EMITTE lucem tuam, & veritatẽ tuam: D maximum enim tenebrarum chaos cœcam hanc Atheiſmi abyſſum occupat, tenebræ illius faciem operiunt, & caligo miſerandos populos tegit; dicat quæſo Deus; Fiat lux, & lux mox ex illius benignitate erũpat, qua illuſtrante impiæ infidelitatis tenebrę iam tandem abſcedant, diuinæ cognitionis dies iis illuceſcere incipiat, & fidei lucifer in eorum cordibus oriatur. Dicat rurſum Deus; Fiat veritas, vt expulſa errorum caligine, qua obcœcati tenentur, ſuę ipſorum animæ immortalitatem ſentiant, parata impiis ſupplicia ſupereſſe credant, iuſtorum præmia cernant: ac E tandem veram Religionem tua hæc illos veritate docente addiſcant: vt inde deducantur in montẽ ſanctum tuũ: vbi glorioſus regnas, ac cum beatis ſedes: tãdem ęterna beatitudinis tabernacula aſſequãtur, vbi verę Religionis ſedes accipiãt, tua hoc illis clementia donãte, cui ſũma laus, honor, ac gloria debetur.

Laus Deo, & B. V. gratiarum actio.

DEMONSTRATIONVM SYMBOLORVM VERÆ, ET FALSÆ RELIGIONIS ADVERSVS IVDÆOS.

LIBER SECVNDVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROLOGVS.

EXPEDITA igitur primo libro Demõſtratione aduerſus Atheiſtas;hoc ſecũdo Iudæos aggredior, quibuſcum eò difficilior pugna mihi ineunda eſt, quò præſertim ea ſe Religione tuentur,quæ diuinis olim oraculis celebrata, tot ſeculis verum Dei cultum obtinuit. Arduum(fateor) opus eſt, cũ electam illam Hebręi populi Synagogam, regnum,Templum,Sacerdotium,ſacrificia,cæremonias, & antiquam Religionem ab ipſo mundi exordio inchoatam; tot olim prodigiis auctam,& cõfirmatam; tanta Patriarcharum, ac Prophetarum ſanctimonia illuſtratam; tot denique diuinis teſtimoniis probatam, nunc omnino proſtratam, ac euerſam Iudæis adſpiciendã propono. Neq; enim ignoro Iudæorum regnum, ac Synagogam,dum in antiqua Dei fide permaneret, pinguis oliuæ, ſpecioſæ,fructiferæ,tum ornatiſſimæ ſponſæ olim apud Hieremiã ſimilitudinem fuiſſe aſſequutã: tanta quippe electus ille populus, ac tam præclara Diuinæ munificentiæ dona à Deo acceperat; vt ſolus olim veram fidem,ac Religionem coleret,ſolus ſacrum Sacerdotium, Templum, Tabernaculum, ſacrificia diuinitus inſtituta, ſolus denique veram Dei Religionem inter cæteros orbis populos idololatras ſibi vendicaret: adeò vt nihil, quod ad ſui gloriam, & excellentiam ſpectaret, ei expetendum videretur. At verò illud quoque non me latet, quòd vix idem Vates in præſentem illius ſtatum oculos defixit; mox ob immenſum in Chriſti internecione ab eo patratum ſcelus, Diuina in ipſum deſæuiente ira: combuſtam oleam, præciſa virgulta,repudiatam ſponſam: eiectam nimirum Synagogam, ſublatam fidem, pulſam Religionem, tranſlatum Sacerdotium,Templum ſolo æquatum, conuulſum Tabernaculum, ſacrificia calce abiecta, ac tandem verum Dei cultum apud illud extinctum animaduertit. *Oliuam* (inquit) *vberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocauit Dominus nomen tuum: ad vocem loquelæ grandis exarſit ignis in ea,* Hier. 11.

 & com

& combuſta ſunt fruteta eius. Quapropter vt miſeram plebem infidelitate diſperſam, & perfidiæ tempeſtate conuulſam, quoad fieri poterit, ad veræ Religionis fidem reuocemus, tria illi veræ Religionis ſymbola animo contemplanda proponimus.

Primum, Meſsiam in lege promiſſum, & expectatum, eſſe Deum ipſum.

Secundum, Meſsiæ aduentus omnia tempora expiraſſe, ac propterea iam aduenìſſe.

Poſtremum, Ieſum Chriſtum Mariæ filium ipſum eſſe Meſsiam: quæ ipſis diſtinctè demonſtrabimus, vt ex his tandem Deo miſerante pulſis perfidiæ, ac cœcitatis tenebris, veram Religionem agnoſcant.

Digitized by Google

DEMONSTRATIO
PRIMA GENERALIS
ADVERSVS HEBRÆOS.

De Meſſiæ Diuinitate.

Præfatiuncula.

CV M *nihil Sole fulgentiùs inter homines emicare ſoleat, cuius ſanè tanta eſt lux, vt ea vix in orbe exorta, vniuerſa illuſtrari, neque vlla terrarum ſpatia, tametſi remotiſſima, ipſius radios effugere poſſe exploratum ſit; illud tamen mirabile eſt, quòd ea infirmos veſpertilionum, ac noctuarum oculos, velut ſuffuſa caligine ita excæcari videmus, vt tenebras potiùs quàm lucem in ipſo Solis ſplendore ſibi accerſere videantur. Haud ſecus profectò noſtræ tempeſtatis Iudæis contingit. Quid enim clariùs in orbe emicat, quàm ipſa Meſſiæ Diuinitas, quæ Solis inſtar longè, latéque per totum orbem diffuſa vbique effulget, atque vniuerſum Chriſtianum orbem colluſtrat? Hi tamen veſpertilionum, ac noctuarum more, velut excellentiori luce oppreſſi, ac cæcutientes inter clariſſimos illius fulgores perfidiæ tenebras ſibi quærunt; quibus vt cæleſte aliquando præclariſſimi huius Solis lumen oriatur, ſexdecim demonſtranda erunt.*

Primum eſt, Primi hominis lapſus.

Secundum, Culpæ originalis in omnes homines transfuſio.

Tertium, An neceſſe fuerit hominem poſt lapſum reparari.

Quartum, An ad hominis lapſi reparationem neceſſaria, aut conueniens fuerit Incarnatio verbi Dei.

Quintum, An verbi Diuini Incarnatio fuerit poſſibilis.

Sextum, Soluentur argumenta Iudæorum contra poſſibilitatem Incarnationis.

Septimum, Demonſtratur Diuinitas Meſſiæ primùm ex Scripturis.

Octauum, Eadem demonſtratur ex nominibus, quibus Meſſias in Scripturis appellatur.

Nonum, Eadem demonſtratur ex traditione veterum Hebræorum.

Decimum, Eadem demonſtratur rationibus.

Vndecimum, Demonſtratur duplex natura Meſſiæ, Diuina ſcilicet, & humana in vnico ſuppoſito copulata.

Duodecimum, Meſſiæ munus propriè ad filium Dei ſpectare demonſtratur rationibus ex Scriptura depromptis.

Decimumtertium, Trinitatis Diuiniſſimæ myſterium demonſtratur primùm ex Philoſophis.

Decimumquartum, Idem demonſtratur ex Scripturis.

Decimumquintum, Idem demonſtratur ex traditionibus Hebræorum.

Decimumſextum, Demonſtratur concordia vnitatis eſſentiæ cum Trinitate Diuinarum perſonarum.

Digitized by Google

De lapſu primi hominis.

Articvlvs I.

Demonstratvrvs igitur aduerſus Iudæos in hoc primo ſymbolo Meſſiæ Diuinitatem, quinque in primis explicanda duxi, quæ faciliotem nobis ad hane demonſtrationem viam ſternunt. Primum eſt, Adæ primi hominis lapſus. Secundum, culpæ originalis, quæ ex Adæ lapſu eontracta eſt, in omnes Adæ poſteros transfuſio. Tertium, an neceſſe fuerit hominem poſt lapſum reparari. Quartum, an ad hominis lapſi reparationem neceſſaria fuerit diuini verbi Incarnatio. Quintum, ae poſtremum, an Incarnatio verbi Dei fuerit poſſibilis. Ae tum demum ampliſſimis teſtimoniis Meſſiæ Diuinitatem teuincemus.

Qvod ergo ad primum attinet. Adamum primam generis noſtri originem, poſtquàm diuinam legem accepit, & maximis virtutum ac cœleſtium donorum præſidiis inſtructus fuit, à Dei gratia excidiſſe, & lethale peccati vulnus bonis omnibus ſupernaturalibus dilapidatis, & ingentibus illis gratiæ opibus miſerè profligatis, ſuſcepiſſe; nemo Iudæorum (vt arbitror) inficiari audet: adeò namque elara, & perſpicua de Adæ peccato veteris Teſtamenti pagina nobis teſtimonia ſuppeditat: vt niſi ea Iudæi impiè negare velint, in ipſis nihil eo luculentius deptehendere queant. Id enim ſatis apertè demonſtrãt. Primùm, ipſa donorum ſupernatutalium iactura, quæ tum Adæ contigit, cùm Dei legẽ, de ligno ſcientię boni, ac mali non manducando, impiè tranſgreſſus fuit. Deinde aperta ipſa legis diuinæ pręuaricatio, quam Moyſes Adæ aſcribit: demum innumera malorum, ae ealamitatum ſeges, quę tune primùm Adæ, & Euæ exorta fuit, cùm diuinæ legis præceptum dereliquerunt. Quapropter ad hoc probandum triplicem Scripturarum claſſem inſtruimus.

Prima elaſſis ea Scripturarum teſtimonia continebit: quæ Adamum antea cœleſtium bonotum opibus cumulatum, poſtea verò iiſdem orbatum fuiſſe declarant. Secunda claſſis illis teſtimoniis conſtat, quibus ipſe Adæ lapſus perſpicuè traditur. Poſtrema ea teſtimonia complectitur, quæ eundem innumeris incommodis, & ærumnis ob patratum ſcelus afflictatum demonſtrant.

Iam verò vt à prima Scripturarum claſſe exordiar. Quàm præelarus fuerit primæuus ille Adæ ſtatus, cùm primùm is à Deo conditus fuit, quanta innocentia præditus, quàm ſingulari rerum omnium naturalium ſeientia imbutus, quàm ingentibus gratiarum theſautis diues, quibus originalis iuſtitię donis cumulatus, quali immortalitate donatus; quomodo tandem tot cœleſtium munerum opibus affluxerit, varia ſacrarum Scripturarum Oracula declarant.

Inter hæc eximia ſanè, & præclara ſunt illa Moyſis verba ad explicandum primæui illius ſtatus innocentiam, quæ in fine ſecundi eapitis Geneſeos de Adamo, & Eua narrantur. *Gen. 2.* ויהיו שניהם ערומים *vayhiu ſcenehem ghharummim. Erat* (inquit) *vterque nudus, & non erubeſcebant.* Quæ verba admirabilem animi ſimplicitatem, & innocentiam indicant, quæ in primo illo rerum ſtatu in vtroque patente vigebat: nam cùm nullus ipſis ex ſuorum corporum nuditate pudor accideret, id ſanè aliunde otiri non potuit, prætetquàm ex concordi, & tranquilla illa partium harmonia, quæ tum in animo, tum in ſenſibus illorum dominabatur; qua ſanè fiebat, vt nulla adhuc eſſet vllius membri obſcœnitas, quandoquidem nullus ipſorum membris inerat obſcœnus, & incompoſitus motus; nulla carnis, ae ſpiritus ſibi aduerſantium lucta hominem ad bella vocaret; nulla mẽbrorum lex mentis legi repugnaret; nihil denique in eorum mentibus verſaretur, quod mali alicuius metum, aut ruborem illis incurere valeret: nam, vt Diuus Auguſtinus ſcribit libro 11. de Geneſi ad literam. *D. Auguſt.* *Nudi erant primi homines, & non confundebantur: nullus erat motus in corpore, cui verecundia deberetur: nihil putabant velandum, quia nihil ſenſerant refrænandum: quid enim puderet eos, quando nullam legem ſenſerant in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ?* Hæc Auguſtinus. Pudor enim, aut verecundia ex peccati cognitione potiſſimùm oritur: ſiquidem eorum tantùm pudore afficimur, quæ cùm præſtamus, vel ſuapte natura turpia ſunt, vel turpia eſſe exiſtimamus: quæ verò non turpia, ſed ex ſe honeſta ſunt, nihil eorum aſpectu mouemur: inde fit, vt cùm nudus eſſet vterque parens, nec alter alterius aſpectu erubeſceret, quod illis tantùm poſt peccatum contigit: necdum quid peccatum eſſet, experientia ſaltem agnoſcerent; aut quidquam verendum putarent, quod excellentiſſimo innocentiæ candore contectum erat. Quapropter D. Amb. de Par. c. 13. *D. Ambroſ.* *Nudi erant* (ait) *ſed non ſine virtutum integumentis; nudi erant propter morum ſimplicitatem, & quod amictum fraudis natura neſciret.*

Atqve huc ſpectat, quod Gen. 3. dicitur, eos duntaxat poſt pomi vetiti eſum agnouiſſe ſeſe eſſe nudos. ותפקחנה עיני שניהם וידעו כי עירמם הם. *Vattiphak ahhnah ghene Scenehem vaiedeghu chi gherummim hem. Et aperti ſunt oculi eorum, cùmque cognouiſſent ſe eſſe nudos.* Neque enim ante lapſum primi generis noſtri

Digitized by Google

noſtri parentes adeò cæci erant, vt ſe nudos eſſe non animaduerterent; cùm rerum omnium naturalium ſcientia pollerẽt: ſed Moyſes tunc ipſis tantummodò oculos apertos fuiſſe teſtatur, vt nuditatem ſuam aſpicerent, cùm primùm ob ſenſus rebellionem, & inordinatos carnis motus, qui aduerſus animi moderantiam ſeſe efferre cœperunt, corporum ſuorum nuditatem turpẽ eſſe intellexerunt. Quòd egregiè confirmat Paulus noſter Rom. 7. cùm ait. *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret mihi: non concupiſces.* Homo quippe concupiſcentiam ignorauit, quandiu in prima illa Dei lege, atque innocentiæ ſtatu permanſit. At verò ſimul atque in peccatum lapſus eſt, & inordinatos carnis motus poſt patratum delictum in Dei legem, quæ Spiritu inſidet, inſurgere, & cum ea bellum gerere expertus eſt; mox carnis & ſpiritus præliis exagitatus, & præclara illa innocentiæ veſte exutus, ſuæ nuditatis turpitudinem, quam antea ignorabat, agnouit: vt præclarè explicat D. Auguſt. lib. 14. de Ciu. Dei c. 17. *Nudi erant* (inquit) *& non confundebantur; non quòd eis ſua nuditas eſſet incognita; ſed turpis nondum erat, quia nondum libido membra illa præter arbitrium commouebat: nondum ad hominis inobedientiam redarguendam ſua inobedientia caro quodammodo teſtimonium perhibebat.* Et infrà: *Patebant ergo oculi eorum; ſed adhuc non erant aperti, hoc eſt, non attenti, vt cognoſcerent, quid eis indumento gratiæ præſtaretur, quando membra eorum voluntati repugnare neſciebant.* Tum paulò infrà. *Aperti ſunt oculi amborum, non ad videndum, nam & antea videbant, ſed ad diſcernendum inter bonum, quod amiſerant, & malum in quod ceciderant.*

Rom. 7.

D. Aug. de Ciu. D. lib. 4. c. 17.

ALTERA quoque primæui illius ſtatus excellentia his Moyſi verbis deſcribitur, quæ ad impaſſibilitatem corporis, qua in priori illo ſtatu vterq; parẽs præditus erat, non obſcurè pertinet: nam cùm ij nudo corpore incederent, nullis tamen moleſtiis, aut incommodis extrinſecus lædebantur; quod ſanè ingens teſtimonium eſt, tunc primorum parentum naturam adhuc integram fuiſſe.

CÆTERVM de admirabili ſcientia Adæ, qua is rerum omnium naturalium cognitione cùm primùm à Deo eſt creatus, inſtructiſſimus, ac ornatiſſimus fuit, clara extant Scripturæ loca: nam Geneſ. 2. teſtatur Moyſes, cuncta volucrum, atque animantium genera ante Adæ conſpectum adducta fuiſſe, vt iis nomen iuxta cuiuſque animantis naturę proprietatem imponeret: ibi enim ita legitur

ויצר יהוה אלהים מן האדמה כל חית השדה
ואת כל-עוף השמים ויבא אל האדם לראות
מה יקרא לו וכל אשר יקרא לו האדם נפש חיה
הוא שמו *vaiitſer Iehoua elohim min haadama col-hasath haſciade veeth col-ghuph haſciamaiim vaiaue, el haadam, liruth ma ijkra lo vecol aſcer ijkra lo haadam nepheſc haia hu ſcemo. Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli; adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea: omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius.* Hæc vero nominum impoſitio declarat perfectiſſimam in Adamo fuiſſe omnium naturalium rerum ſcientiam illi à Deo ingenitam: neque quidquam ignoraſſe tam naturalium, quàm ſupernaturalium, quæ in felicem illum naturæ ſtatum quadrabant, vel ad illum ipſum probè tuendum & exornandum neceſſaria cenſebantur: quod illis quoque verbis Eccleſiaſtici cap. 17. ſignificatum fuit, vbi Scriptura de primis illis noſtri generis ſatoribus loquens ait: *Cor dedit illis excogitandi, & diſciplina intellectus repleuit illos: Creauit illis ſcientiam Spiritus: ſenſu impleuit cor illorum: & mala & bona oſtendit.*

Eccleſiaſtici 17.

IAM verò quantis gratiæ diuinæ præſidiis Adam in florentiſſimo illo rerum ſtatu abundaret, vel illud vnum Scripturæ teſtimonium inter cætera declarat, quod legitur Eccleſ. 7. *Solummodò* (inquit) *hoc inueni, quod fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus.* Rectitudo hominis à gratia proficiſcitur, qua fit, vt inferiores animæ vires rationi ſubditæ ſint, ratio verò Deo ſubiiciatur: tunc enim rectus homo dicitur cùm nulla Spiritus obliquitate incuruatur, atque à Deo auertitur. Quapropter cùm Salomon teſtatur primum hominem à Deo rectum conditum fuiſſe, eo planè inſinuat, eum à ſui creatione ita Dei gratia munitum fuiſſe, vt ſummam animi rectitudinem teneret, ac Deo gratiſſimus exiſteret; vti præclarè ex hoc loco colligit D. Thomas 1. p q. 95. & 100. vbi rectitudinem primi hominis in eo poſitam eſſe docet, vt ratio eius Deo eſſet ſubdita, rationi autem inferiores animæ vires parerent, & animæ etiam corpus, quæ triplicem quodammodo in eo rectitudinem conſtituebant. Prima verò illa rectitudo, qua mens omnino Deo ſubiecta erat, ex qua aliæ duæ pendebant, cùm non naturale, ſed ſupernaturale eſſet donum gratiæ Dei. Hinc concludit, quoties Scripturæ hominem à Deo rectum conditum fuiſſe affirmant, toties aſſerere eum in gratia creatum fuiſſe.

Eccleſiaſt. 7.

D. Thom. 1. p. q. 95. & 100.

EVNDEM quoque iuſtitiæ originalis dono claruiſſe teſtantur verba illa, quæ leguntur Eccleſiaſtici cap. 17. *Deus creauit de terra hominem, & ſecundùm imaginem ſuam fecit illum, & iterum conuertit illum in ipſam, & ſecundùm ſe veſtiuit illum virtute.* Primùm corporis genus quod de humo ſumptum eſt; deinde animæ naturam ad Dei imaginem conditam ſapiens deſcribit. Tandem iuſtitiæ originalis donum animæ collatum declarat, cùm ait: *Et ſecundùm ſe veſtiuit illum virtute.* Ibi enim virtus non moralem virtutem ſignificat, quæ

Eccleſiaſtici 17.

vitiis contraria eſt; ſed robur ac fortitudinem, vt patet ex Græco vocabulo ἰσχύν: quo ſanè ſignificari voluit, hominem ab ipſo ſuæ creationis exordio, ea virtute, atque animi robore prædirum fuiſſe; vt inferiores omnes animæ vires ita nullo negotio ſibi ſubiicere poſſet; vt ſuperiorum actiones nec minimùm impedirent, ac ne retardarent quidem: quin potiùs vltrò illis famularentur: huius quippe virtutis dono, quæ homini à ſua origine data fuit, vt ea velut veſte vteretur, factum eſt; vt cuncti animæ ſenſitiuæ appetitus ac motus ita rationi ſubeſſent, ac in illius poteſtate eſſent; vt ipſius iudicium, & imperium nunquam aut peruerterent, aut detrectarent: ſed omnino ex rationis imperio penderent: ita fiebat, vt homo hac virtute munitus, & ad omne bonum morale perficiendum, & ad omne malum vitandum, ac vitium declinandum, ac tandem ad perſeuerandum in bono potens eſſet, ac valens. Hæc porrò virtus nihil aliud fuit, quàm ipſa originalis iuſtitia; quæ tametſi hominem in ordine ad actus ſupernaturales, & ad finem ſupernaturalem non perficeret, id enim ad gratiam pertinet: ea tamen naturalis quædam perfectio totius hominis, omniúmque facultatum eius fuit: tum optima diſpoſitio, & affectio cunctarum animæ potentiarum, & inter ſe, & in ordine ad ſuos cuiuſque actus; quibus idoneus homo reddebatur ad exercendas expeditè, ac perfectè omnes actiones naturæ ſuæ conuenientes: hæc demum efficiebat, vt ait Auguſtinus lib. 14. de Ciu. Dei c. 10. vt nullum bonum abeſſet homini, quod recta voluntas optare poſſet; nullúmque malum adeſſet, quod hominis fœliciter viuentis carnem, vel animum offenderet.

IDEM quoque iuſtitiæ originalis donum, in quo Adam fuit conditus, indicant incomparabilis ipſa terreſtris Paradiſi amœnitas, in qua tunc Adam verſabatur: admirabilis illa virtus arboris vitæ, quæ immortalem illum reddidiſſet: tandem illa ab omni dolore, moleſtia, atque incommodo, quod extrinſecus accidere potuiſſet, Adæ impaſſibilitas, quæ (vt ſuperiùs diximus) illis verbis annuitur. *Erant nudi ambo.* Quæ felicem illum primi hominis ſtatum originali iuſtitia clarum quodammodo inſinuant.

DENIQVE ad explicandam hominis in primo illo innocentiæ ſtatu immortalitatem, ſatis aperta ſunt verba illa Dei ad Adam; quæ leguntur Geneſ. 2. vbi ei interdicens eſum ligni ſcientiæ boni, & mali, ait. כי ביום אכלך ממנו מות תמות *chi beiom achalecha mimmennu moth tamoth. In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Quibus verbis ex ſententia Auguſtini, & omnium ferè Scholaſticorum, vtramque mortem tam animæ, quàm corporis Deus comminatus eſt

Geneſ. 2.

homini: animæ quidem propter peccatum, corporis verò propter diſſolutionem animæ à corpore. Ita enim ſcribit Auguſtinus lib. 13. de Ciu. Dei c. 12. *Cùm ergo requiritur, quam mortem Deus primis hominibus fuerit comminatus, ſi ab eo mandatum tranſgrederentur acceptum, nec obedientiam cuſtodirent: vtrùm animæ, an corporis, an totius hominis; an illam quæ ſecunda dicitur: reſpondendum eſt, omnes.* Neque tamen hæc Dei comminatio ita intelligenda eſt, vt ſimul atque de interdicto ligno comederet, eſſet corpore moriturus: verùm voce illa *morieris* ſignificare voluit ineuitabilem moriendi neceſſitatem, in quam tum primum homo impingeret, cùm Dei præceptum infringeret: ita vt ſenſus ſit, cum primùm ex eo comederis, mortis ſupplicio obnoxius eris; vel vt Symmachus à D. Hieronymo laudatus vertit, *Mortalis eris.* Ita D. Auguſt. lib. 13. de Ciuit. Dei cap. 23. locum hunc interpretatur; his verbis. *Quamuis autem cùm Deus dixit. Qua die ederitis ex eo, morte moriemini, intelligamus mortem iſtam manifeſtam, qua fit animæ à corpore ſeparatio, eſſe ſignificatam: non propterea tamen id videri debet abſurdum, quia non eo prorſus die à corpore ſunt ſoluti, quo cibum interdictum, mortiferúmque ſumpſerunt. Eo quippe die mutata in deterius vitiatáque natura, atque à ligno vitæ ſeparatione iuſtiſſima, mortis in eis etiam corporalis neceſſitas facta eſt, cum qua nos neceſſitate nati ſumus.* Cùm igitur Deus homini mortem corporis comminatus fuerit, ſi interdictum lignum ſumeret; igitur antea morti obnoxius minimè fuerat, neque poſtea mortuus fuiſſet, ſi Dei præceptum tranſgreſſus non fuiſſet.

Aug. lib. 13. de Ciu. Dei c. 12.

Symmachus.

Aug. lib. 13. de Ciu. Dei c. 23.

ADAM igitur immortalis erat ante peccatum, quia poterat non mori, licèt natura ſua mortalis eſſet: Deus enim ipſius conditor facilè ab eo omnes mortis cauſas propulſaſſet, ſi in eo innocentiæ ſtatu perſtitiſſet, in quo conditus fuerat; vel ſua cuſtodia, ac protectione; vel etiam propter eſum ligni vitæ: neque enim de illo fruſtrà dictum fuit. ועתה פן ישלח ידו ולקח גם מעץ החיים ואכל וחי לעלם *veghatta phen iiſclahh iado velakahh gam menghets habhaijm veachal vahhai lenghelam. Nunc ergo non fortè mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum*, vt rectè diſſerit Auguſtinus de Geneſi ad literam cap. 25. his verbis. *Corpus Adami ante peccatum & mortale erat, quia poterat mori, & immortale, quia poterat non mori. Aliud eſt enim non poſſe mori, ſicut quaſdam naturas immortales creauit Deus: aliud eſt autem poſſe non mori: ſecundùm quem modum primus creatus eſt homo immortalis, quod ei præſtabatur de ligno vitæ, non de conſtitutione naturæ: à quo ligno ſeparatus eſt, cùm peccaſſet, vt poſſet mori, qui niſi peccaſſet, poſſet non mori.*

Geneſ. 3.

Aug. de Gen. ad lit. c. 25.

PORRO cùm omnibus hiſce cœleſtium bonorum

Google

bonorum opibus, quibus à Deo cohoneſtatus fuerat, Adamum Scripturæ expoliatum tradant; aliunde ea calamitas ſibi accidere non potuit, præterquàm ob diuinæ legis contemptum, quo graſſante totus homo in culpam corruit, ac gratuitis omnibus exutus, in naturalibus verò grauiſſimè vulneratus fuit. Quis enim ignorat hominem à præclaro illo innocentiæ ſtatu excidiſſe, ſimulatque ſuæ nuditatis pudore flagellari cœpit? Quod ipſe Adam non obſcurè teſtatus fuit, cùm à Deo vocatus reſpondit. *Vocem tuam Domine audiui in Paradiſo; & timui, eo quòd nudus eſſem, & abſcondi me.* Timor enim ac verecundia, quæ à feliciſſimo illo innocentiæ ſtatu antea longè exulabant, patrati ſceleris poſtea indices fuerunt, atque admiſſæ culpæ proditores. Deinde quòd is peccatum excuſare, atque in mulierem culpam reiicere nouit, prioris innocentiæ corruptionem indicat: quam mox ſecutum eſt præclaræ illius ſapientiæ vulnus grauiſſimum; quod inſinuat Eccleſiaſticus illis verbis. *Solummodo hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum, ipſe autem ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus.* Perplexæ namque quæſtiones, quæ Adæ intellectum perturbarunt, ex ipſa rerum ignorantia, quæ poſt peccatum Adę mentē inuaſit, ortum duxêre. Quod apertè confirmat Regius Vates Pſalmo 48, cùm ait. ואדם ביקר בל ילין נמשל כבהמות נדמו *veadam bikar bal lalin nimſcial chabehemath nidmu. Et homo cùm in honore eſſet, nō intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Nam quia homo primum illum honorem, quo à Deo affectus fuerat: cùm ipſum ratione, intelligentia, rectitudine, ſapientia, gratia, originali iuſtitia, atque immortalitate præditum condidit, intelligere contempſit: hinc debito ſupplicio eximio illo ſapientiæ dono ignorantiæ tenebris aſperſo, *comparatus eſt iumentis inſipientibus;* quibus non eſt intellectus: *Et ſimilis factus eſt illis.* Dum ſe corporis paſſionibus ſubiecit, quibus imperare debebat.

Eccleſiaſt. 7.

Pſal. 48.

CÆTERVM & in eundem lapſum vniuerſa gratiæ dona, atque animi rectitudinem, quam acceperat, inuoluit; quod ipſa nuditas Adæ patefacta oſtendit: nam vt ait D. Auguſtin. lib. 4. cont. Iulian. cap. 16. *Quid eſt guſtato cibo prohibito nuditas indicata, niſi peccato nudatum, quod gratia contegebat? gratia quippe Dei magna ibi erat, vbi terrenum & animale corpus beſtialem libidinem non habebat. Qui ergo veſtitus gratia, non habebat in ſuo corpore, quod puderet: ſpoliatus gratia ſenſit, quod operiri deberet.*

D. Aug. lib. 4. cont. Iuliane. 16.

INDE etiam originalis iuſtitiæ naufragium in homine excitatum fuit, cùm primùm Dei legem contempſit; idcirco enim ex amœniſſimo illo deliciarum horto ſtatim Adam eiectus fuit; vt indè intelligeret ſe à A deliciofiſſimo illo iuſtitiæ originalis ſtatu excidiſſe: atque eodem prorſus tempore impaſſibilitatis ac immortalitatis dono expoliatus moleſtiis ac calamitatibus affligtari cœpit: & tandem mortis neceſſitati ſe addictum eſſe ſenſit. Id cùm ad ſenſum pateat, ſanè probatione non indiget.

PORRO deplorandum hunc hominis lapſum videtur Deus illis verbis inſinuaſſe, cùm Adamum alloquens ait. איכה *aieca. vbi es?* Neque enim verba ſunt ignorantis, aut quærentis vbiuam locorum homo lateret; ſiquidem omnia nuda, & aperta ſunt B oculis Domini: neque eum quicquam latere poteſt, qui vniuerſis rebus natura conſtâtibus intimus eſt: ſed verba ſunt Adamum de ſuo caſu admonentis, ac velut illi lapſum ſuum ob oculos parentis, vt præclarè docet D. Ambroſ. de Parad. cap. 14. his verbis. *Dicendo autem vbi es? non locum quærit, qui nouit arcanum; neque enim Deus clauſos oculos habebat, vt non videret latentem.* Tum poſt pauca ſubdit. *Quid eſt ergo, Adam vbi es? id eſt, non in quo, ſed in quibus es? non ergo interrogatio eſt, ſed increpatio. De quibus* (inquit) *bonis, de qua beatitudine, de qua gratia, in quam miſeriam inci-* C *diſti? Dereliquiſti vitam æternam, & attumulatus es morti, conſepultus errori, vbi eſt illa tua ſibi bene conſcia confidentia? timor iſte culpam fatetur, latebra præuaricationem. Vbi ergo es? hoc eſt, non in quo loco quæro: ſed in quo ſtatu.*

Geneſ. 3.

Ambr. de Parad. c. 14

EX his igitur primùm perſpicuū fit, Adam in lethalem culpam incidiſſe, cùm omnibus hiſce bonis exutus fuit, quibus antea ad æternam vitam capeſcendam diſponebatur.

SEQVITVR ſecunda Scripturarū claſſis, ex his Scripturarum teſtimoniis compacta, quæ Adæ lapſum luculentiſſimis verbis tradunt: huiuſmodi porrò teſtimonia ſunt, D primùm Geneſ. 3. vbi clariſſimè Adæ peccatū deſcribitur illis verbis, מי הגיד לך כי ערם אתה המן העץ אשר צויתיך לבלתי אכל ממנו אכלת *mi higgid lecha ki gherom atta hamin haghets aſcer tſiuitihcha leuilti achal mimmēnu achalta. Quis enim indicauit tibi, quòd nudus eſſes, niſi quòd ex ligno de quo præceperam tibi, ne comederes, comediſti?* Præceptum non comedendi ex arbore ſcientiæ boni, & mali, Adæ iniunctum expreſſerat Deus c. 2. cùm eidem præcepit, מכל עץ הגן אכל תאכל ומעץ הדעת טוב ורע לא E תאכל ממנו *michol ghets haggan achol tochel: vmeghets haddaghath tou varangh lo tochal mimmennu. Ex omni ligno Paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas.* Ex quo nulli dubitandum eſt, hoc præcepto ita Adam ligatum fuiſſe, vt cum primùm ex eo ederet, Dei iram incurreret, quod ipſa quoque mortis pœna eidem comminata non obſcurè declarat, qua omnem, tum animæ, tum corporis mortem comprehendi ex communi Patrum ſententia docuimus: denique hoc ipſum

Geneſ. 3

Geneſ. 2.

Ipſũ præceptũ ſibi iniunctum ipſa mulier agnouit, cùm ſerpenti eſum illius ligni ſibi ſuggerenti ita reſpondit. מפרי עץ-הגן נאכל : ומפרי העץ אשר בתוך הגן אמר אלהים לא תאכלו ממנו *Miphri ghets-haggan nocchel vmipphri haghets aſcer betoch haggan amar elohim lo tochelu mimmenu.* Gen.3.3. *De fructu lignorum, quæ ſunt in Paradiſo veſcimur: de fructu verò ligni, quod eſt in medio Paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus.* Hinc ſanè perſpicuum eſt Adamum, cùm primùm de interdicto ligno comedit, in mortalem culpam incidiſſe, ac iuſtam Dei iram meruiſſe.

B Hvnc Adami lapſum poſteriora quoq; illa verba indicant, cùm dicitur. כי שמעת לקול אשתך ותאכל מן העץ אשר צויתיך לאמר לא תאכל ממנו ארורה האדמה בעבורך *Chi ſciamaghta lekol iſcticha vatto chal min haghets aſcer tſiuithicha lemor lo, tochal mimmenu arura baadama baghaburecha.* Gen.3. *Quia audiſti vocem vxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes: maledicta terra in opere tuo.* Maledictionis ſententiam Deus his verbis indignatus in terram fert; non aliam ſanè ob cauſam, quàm propter Adæ peccatum: idcirco ait. *Maledicta terra in opere tuo.* Opus verò, de quo hoc loco agitur, iuxta Hieronymum non eſt ruris colendi, ſed patrati facinoris, ita vt ſit ſenſus. Maledicta erit terra in opere ſceleris, quod patraſti: quare Theodotio vertit. *Maledicta terra in tranſgreſſione tua.* His adſtipulatur paraphraſis Chald. quę legit; *Maledicta terra propter te*: ac demũ ipſa Hebręa lectio ſic habet. ארורה האדמה בעבורך. *Arurach adamah baghburecha: Maledicta terra propter te*: id eſt, propter peccatum tuum.

C De peccato Adæ pleraque ſunt in Scripturis veteris teſtamenti (nouum enim teſtamentum propter Iudæos non attingo) teſtimonia: nam Iſaiæ 43. legitur. אביך הראשון חטא ומליציך פשעו בי D *auicha hariſcion chata vmelitſecha phaſceghu vi.* Iſa.43. *Pater tuus primus peccauit, & interpretes tui præuaricati ſunt in me.* Oſeæ 6. והמה כאדם עברו ברית *vehemma cheadam gheueru verith.* Oſe.6. *Ipſi autem ſicut Adam præuaricati ſunt pactum.* Sapient. 10. Sapient. 10. *Hæc illum, qui primus formatus eſt à Deo pater Orbis terrarum, cùm ſolus eſſet, cuſtodiuit, & eduxit illum à delicto ſuo.* Quò fit, vt ex his, & aliis Scripturarum vocibus, quæ Adæ peccatum prædicant, nulli dubium eſſe poſſit, quin is grauiſſimè in Deum deliquerit.

E Tertia demum Scripturarum claſſis, quæ pœnas Adæ ob peccatum inflictas continet, ipſius lapſum apertiſſimè demonſtrat. Hæ verò in 3. capite Geneſeos habentur. Primò cùm Deus in Euam ſententiam tulit, tanquam in peccati principium, ac fomitem, Geneſ.3. dicens. הרבה ארבה עצבונך והרנך בעצב תלדי בנים ואל אישך תשוקתך והוא ימשל בך *arbe ghitſuonech vheronech beghetſeu telcdi vanim veel* A *iſcech teſcin katech vehu iimſcial bach. Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Vbi iuxta Rupertum cap. 22. lib. 3. de Trinit triplici vindicta mulierem flagellat, (Rupert. lib. 3. de Trinit. cap. 22.) primò ærumnarum multiplicatione, ſecundò partus dolore, tertiò perpetua ſub viro ſeruitute. Hæc illius verba ſunt. *Triplici autem pœna mulier punitur, quia triplo maius fuit peccatum eius, quàm Adami. Primò, quia credendo ſerpenti pluſquàm Deo ſeducta eſt. Deinde quia ligni vetiti pulchritudinem, & ſuauitatem delectabiliter concupiuit. Tertiò, quia non contenta tranſgreſ-* B *ſione propria, virum quoque ad tranſgreſſionem induxit. Meritò igitur triplici peccato triplex vindicta, præter communem cum viro mortem, reddita eſt: nam quia ſerpenti credidit dicenti; Eritis ſicut Dij: iuſtè ipſa contra hoc, quòd Deus viuorum eſt, & non mortuorum: non viuorum, ſed mortuorum mater eſſe meruit, dicente Deo. Multiplicabo conceptus tuos. Omnes enim conceptus eius, anima, & corpore in peccato moriuntur, & nemo eorum viuit, niſi viuificetur per Chriſtum. Item quia viſa illius arboris pulchritudine, intemperanter fructum eius expetiuit; pro illo viſus delectamento contrarius redditur vteri dolor. In dolore (inquit) paries. Ter-* C *tiò quia virum importunitate muliebri ad comedendum illexit: idcirco. Sub viri poteſtate (inquit) eris, & ipſe dominabitur tui. Ita pro ſeductione, conceptuum multiplicitas: pro gulæ oblectamento, vteri dolor: pro temerario imperio, & ſcandalo, quod viro exhibuit, ſeruitutis viri pœna ei reddita eſt.* Hæc Rupertus.

Deinde verò Adamum ob patratũ ſcelus multiplici pœna caſtigauit his verbis. *Quia audiſti vocẽ vxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperã tibi ne comederes: maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: ſpinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes* D *herbas terræ: in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Alteram quoque pœnam adiicit in fine capitis, cùm eiecit Adamum de paradiſo voluptatis, & in terram iam maledictam relegauit.

Porro ex hac ſeueriſſima Dei in Adamum animaduerſione, quæ illius peccatum grauiſſimum fuiſſe declarat, denſiſſima malorum, ac ærumnarum ſeges orta eſt, quibus ille diuexari cœpit. Inde enim erumpere viſæ ſunt (teſte Auguſtino) mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, inſana E gaudia, pericula, æſtus, frigora, tempeſtates, importuni imbres, terrificæ corruſcationes, tonitrua, grandines, fulmina, morbi, calamitates, innumeráque miſeriarum turba, quæ illum vſque ad vltimum vitæ hiatum vrgere non deſiit. Denique ipſa tot malorum colluuies in humanum genus, ac totam Adæ poſteritatem inuecta apertiſſimè indicat, atrociſſimum illius ſcelus fuiſſe; cùm in terribile

patrati

patrati ſceleris monumentum, vniuerſum illius ſemen iiſdem præuaricationis, ac pœnarum legibus obſtricta fuit; vt ſtatim demonſtrabimus.

De culpæ originalis in omnes Adæ poſteros transfuſione.

ARTICVLVS II.

SEQVITVR nunc ſecunda quæſtio exagitanda; fueritne Adæ B peccatum in omnes illius poſteros ita propagatione traductum, vt totum humanum genus iræ, ac damnationis reum effecerit? Hìc quoniam nobis cum ſolis Iudæis diſceptandum eſt, Veteris Teſtamenti duntaxat teſtimonia, quibus illi tantùm vti ſolent, vſurpabimus; omiſſis Noui Teſtamenti oraculis, quæ ad id probandum copioſiſſima ſunt, quibus Hebræorum Doctorum explanationes copulabimus, quod in omnibus huiuſce libri Demonſtrationibus, à nobis, quoad fieri poterit, præſta- C bitur.

STATVENDVM igitur eſt, primi hominis lapſu humanum genus ita collapſum fuiſſe, vt in maximam Dei iram inciderit.
Iob. 14. Quod Iob. 14. imprimis docet illis verbis quæ iuxta vulgatam verſionem ita leguntur. מי יתן טהור מטמא לא אחד *mi ytten tahor mittame lo echad. Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, nónne tu qui ſolus es?* Quæ verſio etſi aliquantùm diſtet à lectione Hebraica, quæ habet; quis dabit mundum ab immundo? non vnus, etiamſi breues dies eius: attamen quoad ſenſum ei optimè reſpondet: nam interpres noſter ad ma- D iorem duntaxat explicationem addidit: *Semine*, quod Hebræa lectio conticuit; vterque tamen tam Hebræus textus, quàm vulgatus interpres in eo conueniunt; quòd neminem omnino mundum à ſorde ab immundo parente naſci prædicant. Quem ſenſum clariùs reddit lectio LXX. interpretum, qui ita legunt. *Quis mundus erit à ſorde? ſed nullus, ſi & vnus dies vita eius in terra.* Iuxta quem ſenſum D. Auguſtinus, ac cæteri veteres ita legunt. *Nemo mundus à ſorde, nec infans, cuius eſt vnius diei vita ſuper terram.* Sine igitur cum Septuaginta, ſiue cum vulgato interprete, ſi- E ue cum Hebræo textu legamus: id certum eſt vbique hominis natiuitatem immundam prædicari: at neque exiſtimandum eſt, hìc de corporum immunditia Vatem agere, in qua infans naſcitur: verùm de animæ ſordibus, vt ſentit Chaldæus Paraphraſtes; & ipſe textus Hebræus explicat, cùm addit: *Etiamſi*

A *breues dies eius.* Hæc enim amplificatio indicat, ſe non de corporali, ſed ſpirituali immunditia loqui, cùm dierum breuitas nihil ad rem faciat ad corporalem immunditiam amplificandam, quæ tota vno die, vel etiam hora abſtergitur: de ſpirituali ergo immunditia ſermo eſt, quæ hominis licèt infantis, ac recèns nati ortum comitatur. Cùm igitur puer recèns natus, qui liberi arbitrij vſum, quo peccare poteſt, needum conſecutus eſt, hanc cordis immunditiam ex actuali peccato contrahere minimè valeat, neque eam à propriis genitoribus accipere, qui propriam culpam in genitum transferre nequeunt: iuxta Ezechielis oraculum הנפש Ezechiel. 18.
החטאת היא תמות בן לא ישא בעון האב: *hannephesc hahomet hi thamoth ben lo yſa baghauon haau. Anima quæ peccauerit, ipſa morietur: filius non portabit iniquitatem patris.* Sanè perſpicuum eſt, eam non aliunde, quàm à primo parente proficiſci, qui cùm vniuerſum genus humanum in ſeipſo tanquam in capite ac radice contineret: ſicut vulnerato capite cuncta corporis membra languida efficiuntur, ac vitiata radice vniuerſi ar- C boris ſurculi eodem vitio detinentur: ita humana natura, quæ tota in Adamo velut in capite, ac radice virtualiter continebatur, per peccatum ſauciata; iuſta Dei vindicta factum eſt, vt peccati virus per vniuerſa illius membra ac propagines ſeſe diffunderet; & tota Adæ poſteritas ob originalem culpam immunda naſceretur: vt præclarè docet Cyprianus lib. 3. epiſt. 8. ad Fidam, his Cypr. lib. 3. ep. 8.
verbis. *Infans* (inquit) *recèns natus nihil peccauit, niſi quòd ſecundùm Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit.* Hinc Origenes rectè exiſtimat, Origen. hom. 14. in Leuit.
non alia ratione factum eſſe, vt quadra- D ginta dierum maſculus in Moyſi lege ad altare purificandus offerri iuberetur: niſi quia in ipſa conceptione peccati maculam ex Adæ propagatione contraxerat. *Aut neſcis* (inquit) *quia cùm 40. dierum factus fuerit puer maſculus, offertur ad altare, vt ibi purificetur; tanquam qui pollutus fuerit in ipſa conceptione?*

DAVID quoque hanc originis culpam ex Adæ ſemine contractam fatetur Pſal- Pſalm. 50.
mo 50. inquiens. הן בעון חוללתי ובחטא יחמתני אמי *hen beghauon chola letti vuecheme iechemmathni immi. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* E Hieronymus legit in ſingulari hoc modo: *Ecce enim in iniquitate conceptus ſum, & in peccato peperit me mater mea.* Cum quo conuenit Hebræus textus, qui vtitur ſingulari עון *ghauon* (*iniquitate.*) At vulgatus interpres editionem LXX. ſecutus legit in plurali, *iniquitatibus*: neque in eo pugnant, cùm

ſæpe ſingulare pro plurali, & cootra plurale A
pro ſingulari in Scripturis legatur. Siue igitur
in ſingulari, ſiue in plurali legamus, nihil re-
fert. Nam peccatum originale, de quo hîc
agit Vates, vnum fuit, & multa, vnum propa-
gatione; vna eſt enim tantũ originalis culpa,
quæ in omnes Adæ filios propagatur. Multa
verò origine, & cauſatione, quia vnum illud
peccatum, omnium peccatorum, quæ illud
ſecuta ſunt, fons fuit, & origo: ex eo enim
facti ſumus omnes infirmi, & procliues ad
peccandum.

QVÆRO igitur ab Hebræis, quodnam
B illud peccatum ſit, in quo ſe Vates conce-
ptum vel calefactum fatetur: Primùm qui-
dem omne proprium, & actuale peccatum ab
eo arceri opus eſt; cùm vix cõcepti in vtero
infantis, atque etiã multò pòſt, ætas minimè
apta ſit ad peccandum; vt ſuperiùs docuimus:
Remig. Antiſiod. in Pſ. 50. neque exiſtimandum eſt (vt docet Remigius
Antiſiodorenſis in explicatiooe huius loci)
idcirco dictum eſſe homines naſci in pecca-
to, quia peccatum ſit miſceri coniugibus.
Opus enim hoc caſtum in coniuge non ha-
bet culpam. Id verò certum eſt (vt notat Ruf-
finus in hunc locum) Dauid de adulterio
C minimè genitum fuiſſe; cùm de Ieſſe iuſto
vero, ac coniuge legitima natus fuerit. Quid
eſt igitur quòd ſeipſum fatetur in ioiquitate
conceptum? planè nulla alia ratione id dice-
re potuit, niſi quia culpam ſecum traxerat
originalis delicti.

ATQVE ita hunc locum de culpa origi-
R. Abraham Auenazra. nali clariſſimè exponit R. Abraham Aue-
nazra his verbis. *Ecce* (inquit) *in peccato geni-
tus ſum, & in culpa calefecit, vel concepit me ma-
ter mea. Hoc eſt, ac ſi dixerit. Ecce propter concu-
piſcentiam complantatam in corde Adæ, quaſi in
peccato genitus ſum. Et eſt ſenſus, quòd in hora na-
D tiuitatis ipſum figmentum malum plantatum eſt in
corde.* Malum autem figmentum, originale
peccatum, & ex eo profectum fomitem ap-
pellat (vt infrà explicabimus.)

IDEM Rabbinus hanc eandem origina-
lem culpam ex alio Dauidis teſtimonio in
eodem Pſalmo colligit: locus eſt, quem is
ita legit לב מהור ברא לי אלהים ורוח נכון
Pſal. 50. חדש בקרבי *leu mahor bera li elohim vernach na-
chon chaddeſc bekirbbi. Cor mundum crea in me
Deus, & ſpiritum rectum, vel ſtabilem, vel aptum
innoua in medio mei. Et hoc ideo ait, quia ſe genitũ
cum peccato memorauerat: & eſt ſenſus, quòd con-
E cupiſcentia complantata eum ad culpam perduxit:
& idcirco orat Deum, vt iuuet eum contra figmen-
tum malum, id eſt, fomitem ſuum, ne iterum huiuſ-
modi peccatum admittat.*

HVC ſpectat etiam illud Geneſeos tertio,
quod dictum eſt mulieri poſt commiſſum
peccatum. *Multiplicabo conceptus tuos, &
ærumnas tuas, in dolore paries filios.* Quibus ver-
Rupertus. bis haud malè ſentiunt Rupertus lib. 3. de
A Trinit. capit. vigeſimoſecundo, & prior il-
lo Tertullianus de habitu muliebri cap. 1. Tertullian.
non ſolam fuiſſe comminatiooem Euæ fa-
ctam; aut ſententiam in ſexum fœmineum
latam, qua Deus illum corporis doloribus, ac
cruciatibus in fœtu ſuſtinendis addixit: ſed
& iuſtiſſimam Dei vindictam in omnes Euæ
poſteros tranſmiſſam: qua factum eſt, vt om-
nes, iuxta Paulum, filij iræ naſceremur Qua-
propter cùm mulieri dictum fuit, *Multiplica-
bo conceptus tuos, & ærumnas tuas*; mos eſt Scri-
pturæ ita loquentis, perinde ac ſi diceret.
Multiplicabo cooceptus tuos cum ærumnis.
B Id verò tantumdem eſt, ac ſi Euæ dixiſſet,
Quamuis multorum mater futura ſis, ac
magnæ, poſteritatis parens; nullus tamen
niſi cœleſti gratia præſeruetur, ex te con-
ceptus erumpet abſque ærumnis corporis, &
animi: animi quidem ob originale peccatum,
quod vniuerſos fœtus tuos ærumnosè acci-
piet, corporis verò ob innumeras calamita-
tes, quibus humanum genus ex te propa-
gatum, ob originalem culpam excruciabi-
tur: quare ſubditur. *In dolore paries filios.*
Porrò quiſnam hic dolor ſit; planè non in-
C ficior, quin iuxta hiſtoriam de corporis dolo-
re locus intelligi debeat: nihil tamen obſtat,
quin dolorem ipſam originalem culpam in-
telligamus, quãdoquidem ea èſt verus animæ
dolor, in quo ſe Regius Vates conceptum
eſſe deplorat, cùm ait: *Ecce enim in iniqui-
tatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me
mater mea.* Quæque omnem hominum con-
ceptionem, qui ex Adami ſtirpe naſcuntur,
comitatur niſi diuino aliquo gratiæ priuile-
gio liberentur.

CÆTERVM R. Moyſes Hadarſan inter R. Moyſes Hadarſan.
Hebræos doctores illuſtris, ex loco illo Ge-
neſ. 8. כי יצר לב האדם רע מנעריו *chi ietſer leu* Geneſ. 8.
D *haadam rangh miancghurau. Senſus enim & co-
gitatio humani cordis in malum prona ſunt ab
adoleſcentia ſua*; peccatum originale colligit:
nam hoc pacto hæc verba explicat. *Figmen-
tum cordis hominis malum ab adoleſcentia eius,
vel à pueritia eius, vel ab excuſſione eius, id eſt,
ex quo à viſceribus matris excuſſus eſt*: ita enim
legit ex Hebræo. *Hoc eſt* (inquit) *quod ſcriptum
eſt Pſalm. 103. Quoniam ipſe cognouit figmentum
noſtrum, recordatus eſt, quoniam terra ſumus. Di-
xit R. Ioſes. Triſte, vel tenebroſum eſt fermentum,
contra quod teſtimonium perhibet, qui creauit il-
lud, quod malum ſit. Magiſtri autem dixerunt,
E quòd triſtis eſt planta, cõtra quam plantator ipſius
teſtimonium perhibet, quòd mala ſit, iuxta illud
Hierem. 11. cap. dictum. Et Deus exercituum qui
plantauit te, locutus eſt ſuper te, vel de te ma-
lum. Interrogauit autem Antonius Conſul Rab-
benu Haccados, id eſt, magiſtrum noſtrum ſan-
ctum dicent. Quando* יצר הרע *ietſer haragh,
id eſt, figmentum malum, hoc eſt fomes, ſi-
ue peccatum originale datur in homine, reſpon-
dit ei.*

dit ei. Ab hora qua formatus eſt. Hæc ille Rabbi Moſes.

Midr. Theill. SIMILE quid habetur in Midras Theillim. i. in Commentariis ſuper Pſalmos ſuper illud Pſalmi 113. *Quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum.* Vbi ita legitur. *Dixit R. Hiya. Veh maſſæ cui piſtor perhibet teſtimonium, quòd mala ſit; quoniam figmentum Ada malum.* Sequitur eodem in Pſalmo. *Quoniam ſpiritus pertranſibit in eo, & non ipſe, vel non erit ipſi. Hîc dictum eſt à quibuſdam, quòd mortui non erunt viuentes: ſed hic ſpiritus eſt ietſer harangh* יצר הרע, *id eſt, fomes, qui vadit cum eo, ſicut dictum eſt. Spiritus vadens, & non reuerſurus. Hic enim ietſer harangh* יצר הרע, *id eſt, fomes non reuertetur vltrà cum eo.*

Midr. Theillim. Pſalm. 34. IDEM quoque Midras Theillim exponens verba illa Pſalmi 34. פודה יהוה נפש עבדיו *phode iehoua nephesc ghauadau. Redimit Dominus animas ſeruorum ſuorum*, ita ſcribit: *Tu inuenis Gen. c. 1.* וירא אלהים את כל אשר עשה והנה טוב מאד *vaiare elohim eth chal aſcher ghaſah vehinne tou meod. Et vidit Deus totum quod fecerat, & ecce valde bonum. Sed ecce longè melius iſto. Redimit Deus animas ſeruorum ſuorum. Dixit R. Samuel filius Nachamani; ſcriptum eſt Prou. c. 25.* אם רעב שנאך האכלהו *im rachen ſcionaacha haanileu. Si eſurierit inimicus tuus, ciba eum pane. De* יצר הרע *ietſer harangh, id eſt, de figmento malo, vel de fomite Scriptura loquitur. Homo enim cum ſocio ſuo per vnam horam ambulat, & efficitur ei amicus ſed* יצר הרע *ietſer harangh, id eſt, figmentum malum natum eſt cum homine, & cum eo creſcit cunctis diebus eius, ſicut ſcriptum eſt Gen. 8. Figmentum hominis malum à pueritia eius. Et tamen ſi inuenerit locum ad præcipitandum eum, cùm eſt 20. vel 30. vel 40. vel 70. vel 80. annorum, præcipitabit eum. Quis igitur inimicus eſt tibi maior iſto?*

Gen. 1.

HIC tamen pro explicatione tam præcedentium, quàm ſequentium teſtimoniorum, quæ ex Hebræorum Doctorum doctrina vel hauſimus, vel hauſturi ſumus; admoneo ex ſententia R. Meir ben. Gabboi lib. de ſacro cultu par. 2. cap. 31. figmentum malum, fomitem, ac peccatum originale apud Doctores Hebræos pro eodem vſurpari, ac prætera aliis nominibus peccatum originale ab iiſdem nuncupari. Hic enim Rabbinus poſtquam ex Hebræorum ſententia ſeptem in inferno manſiones diſtinxit, quibus ſingulis propria nomina affigunt: ſeptem etiam iis cognatis nominibus peccatum originis ab iis appellatum fuiſſe tradit his verbis. *Septem aliis nominibus, quibus fomes, ſeu peccatum originis appellatur, quodammodo reſpondent. His ſcilicet malum, immundum, inimicus, petra, ſcandalum, præputium, abſcōditum.* Hæc R. Meir. Quapropter cùm illi de figmento malo, ſeu fomite agunt, peccatum originale ſemper intelligunt: vt patet ex eodem Midras Theillim in

R. Meir ben. Gabboi de ſacro cultu p. 2. c. 31.

Midr. Theillim.

A explicatione loci illius Pſalm. 15. אמרת ליהוה אדני אתה *amarette latehaua adnai atta. Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* vbi ita legunt: *Dixi Domino: Deus meus es tu, bonitas mea non eſt ſuper te. Dixit* (inquit) *R. Abba filius Papa qui eſt, quod ſcriptum eſt Iob. 24.* ומשך אבירים בכחו *vmoſciach abbirim bechobho, Et traxit robuſtos in fortitudine ſua. Hoc eſt* יצר הרע *ietſer harang, id eſt, figmentum malum, hoc eſt, peccatum originale: traxit enim ipſum robuſtos in fortitudine ſua, hoc eſt, generationem Enos, generationem diluuij, generationem diuiſionis linguarum turris Babel, & Sodomorum: ſicut de eo ſcriptum eſt Geneſ. 3. In afflictione, vel in dolore, vel in labore comedes eam. Et iterum ibidem multiplicans multiplicabo labores tuos.* Pſalm. 15. Iob 24.

B

PLVRA huiuſmodi Rabbinorum antiquorum teſtimonia paſſim obuia fiunt in Midras Coheleth. i. expoſitione Eccleſiaſtis in explicatione illorum verborum. *Melior eſt pauper & ſapiens, quàm rex ſenex, & inſipiens, qui neſcit cauere in poſterum*: tum cap. 9. *Ciuitas parua & pauci viri in ea. Et venit contra eam Rex magnus.* Vbi Regis ſenis ac inſipientis, vel etiam magni nomine יצר הרע *ietſer harang*, id eſt, peccatum originale exponunt. Denique in מסכת קדושין *maſſecheth kiduſin*, id eſt, in libro ſanctificationum in c. quod incipit האשה נקנית *haiſſa nekneth.* ita habetur. *Dictum eſt Eccleſ. 9. Peccans vnum, vel perpetrans peccatum vnum, perdit bonitatem multam. Hoc eſt, propter peccatum vnius, qui peccauit, perdita eſt ab eo, & ab vniuerſo mundo multa bonitas.* vbi Gloſa R. Salomonis inquit. *Iſte fuit primus Adam.* Ex quo patet Hebræos Doctores peccatum originale ab Adam in omnes illius poſteros transfuſum agnouiſſe, cuius tabe vniuerſum genus humanum infectum fuit. Midras Coheleth. Eccleſ. 4.

C

D

AT celebre eſt Iſaiæ teſtimonium de peccato originali in cunctos homines tranſmiſſo cap. 43. אביך הראשון חטא ומליציך פשעו בי *aucha hariſcion hhata vmelitſecha phaſceghu bi. Pater tuus primus peccauit, & interpretes tui præuaricati ſunt, & contaminaui Principes ſanctos, & dedi in internecionem Iacob, & Iſraël in blaſphemiam.* Vel vt habet Hebræa lectio. Prophanabo, vel occidā Principes ſanctitatis, & dabo in anathema Iacob, & Iſraël in conuitia. Rabbi Salomon & alij plerique Rabbinorum hoc modo hæc verba interpretantur. Pater tuus primus peccauit. Hic eſt Adam primus. Et interpretes ſeu verboſi, ſeu loquaces tui præuaricati ſunt. Hi ſunt ambo, Adam ſcilicet & Eua, qui idcirco verboſi ac loquaces appellantur, quòd illa cum ſerpente, hic cum muliere de fructu illo interdicto comedendo nimium ſermonem effuderint. Hi in Deum culpabiles fuerunt, vel vt vertit R. Salomon. *Non eſt quiſquam in loquacibus, vel in interpretibus tuis, in quo non inuenerim cul-* Gloſſa R. Salomon.

E

pam. Atque ob hanc cauſam, inquit, contaminaui Principes ſanctos, vel ſanctuarij, vel ſanctitatis, id eſt, Patres, Patriarchas ſcilicet, & Prophetas, qui tametſi ſancti fuerint, attamen ob Adæ culpam peccati originalis macula fœdati ſunt. Et dedi in anathema, vel in interneeionem Iacob, & Iſrael in conuitia, id eſt, vniuerſam generis humani plebem, cui ob Adæ facinus anathema à Deo regno dictum fuit; quæ etiam mortis imperio vſque ad Meſſiæ aduentum ſubiecta fuit. Hinc illud Pauli noſtri dictum emanauit, cùm ait: mortem ab Adam vſque ad Chriſtum regnaſſe. Cùm enim omnes in Adam peccauerint, ab eo mors tam animæ, quàm corporis, in vniuerſos deriuauit. Adæ namque peccatum tanquam venenatum peſtiferúmque fermentum totam humani generis maſſam corrupit, atque, vt Auguſtinus docet: In vno illo homine omnes homines fuêre; atque ab eo veluti fonte omnes riuuli

Auguſt. lib. de nupt. & conc. cap. 5.

tartarea peccati tabe ſunt infecti. *Per voluntatem malam Adami* (inquit) *omnes in eo peccauerunt, quando omnes ille vnus fuerunt, de quo propterea ſinguli peccatum originale traxerunt.*

ALIVD quoque teſtimonium habetur apud Iſaiam 64. his verbis. ונהי כטמא כלנו וכבגד עדים כל צדקתינו ונבל כעלה כלנו ועוננו כרוח ישאנו: ואין קורא בשמך מתעורר להחזיק בך כי *vannehi chattame chullanu, vchiuaged ghiddim cal tſidkotenu vānauel ceghale cullanu vaghauonenu caruahh iſciaunu, veen kore beſcimcha mithgorer lehahhazak bach chi. Et facti ſumus, vt immūdus omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ, vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ, & cecidimus quaſi folium vniuerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos: & non eſt qui inuocet nomen tuum, qui conſurgat, & teneat te.* His verbis Propheta, vt Deum ad miſericordiam prouocet, totius humani generis lapſum in primo homine commemorat, vt ſentit Gloſſa R. Salomonis: eo enim factum eſt, vt homines ad peccandum proni euaſerint, quod ſanè magnopere poſteriores hominum culpas diminuit: cùm non vltrò, ſed fomite impellente in peccata labuntur. Id verò non obſcurè ipſa litera indicat, quæ vniuerſalem numerum vbique vſurpat, ſcilicet (omnes, vniuerſi) vt perſpicuum eſt, cùm ait. *Et facti ſumus, vt immundus omnes nos.* Vbi Vates de peccati originalis immunditia agit; atque vniuerſi humani generis in ſe perſonā refert. Idcirco ſe cum cæteris omnibus, non tantùm Iudæis, ſed etiam cuncti Orbis populis illius ſorde contaminatum clamat, qui primus eam in ſeipſo labem contraxit, atque in omnem ſuæ poſteritatis ſobolem propagauit. Id ſubindicat Vates, dum non ſimpliciter ait. Et facti ſumus immundi omnes, ſed (vt immundus) vt ſcilicet primus ille generis noſtri parens, cuius culpa omnes labefactatos eſſe affirmat:

Iſai. 64.

A inde euenit, vt velut pannus menſtruatæ, vel vt vertit Symmachus, *veſtis parturientium,* vel iuxta verſionem R. Abraham, *veſtis prædæ,* quæ omnia immunditiam præ ſe ferunt, ſint vniuerſæ hominum iuſtitiæ: quamdiu originalis culpæ maculam non abſterſerunt. Id rurſum confirmat Vates arboris autumnalis ſimilitudine: ex qua priùs deciduur folia, deinde vehementiori vento flante, hùc atque illuc diſperguntur. *Cecidimus* (inquit) *vt folium vniuerſi.* Adam ipſe primus pater arbor fuit, vniuerſi autem nos ipſius poſteri folia ab eo pendentia: at vix ob lethalem ab eo perpetratam culpam arbor concuſſa fuit, mox à B præclaro illo innocentiæ ſtatu excuſſi, ac in originalem culpam prolapſi, cecidimus vt folia vniuerſi, vehementiori poſtea fomitis vento flante in varia, ac propè innumera peccata rapti ſumus.

HVNC eſſe huius loci ſenſum iuxta Hebræorum ſententiam, non obſcurè colligitur ex verbis R. Salomonis, qui poſteriora verba quæ ſequuntur, ſcilicet, *Et non eſt, qui inuocet nomen tuum, qui conſurgat, & teneat te:* ira explicat. *Et non eſt, qui inuocet in nomine tuo ſe leuans, id eſt, præualens ſuper figmentum malum, vel fomi-* C *tem ſuum.* Quibus nominibus iam diximus peccatum originale ab Hebræis Doctoribus appellari.

R. Salomon.

PLERAQVE alia Scripturarum teſtimonia ad hoc probandum huc afferri poſſent: ſed iis omiſſis duplici argumento hoc ipſum demōſtrare lubet. Primum argumentum ducitur ex eo, quòd vniuerſæ Patriarcharum, Prophetarum, atque Electorum animæ vſque ad Meſſiæ aduentum, poſt obitum ad inferna deſcendebant, atque ibi detinebantur. Quod ſanè factum non eſſet, niſi aliquod veri nominis peccatum ex Adamo cō- D traxiſſent, per quod à cœleſti gloria mererentur excludi.

HVIVS rei teſtis eſt ipſa Scriptura: nàm Gen. 37. Iacob viſa tunica Ioſeph filij ſui ſanguine tincta, putans illum à feris diſcerptum ait. ארד אל בני אבל שאלה *ered el beni auel ſceolah. Deſcendam ad filium meum lugens in infernum:* neque calumniari poſſunt Hebræi (vt ſolent) hoc loco שאול pro ſepulchro ſumi: nam Iacob non opinabatur corpus filij ſui iacere in ſepulchro, ſed à feris eſſe diſcer- E ptum; quò fit, vt non de filij corpore, ſed de anima intelligeret, quam in infernum deſcendiſſe iuxta communem Patrum ſententiam credebat: & cui non ſecundùm corpus, ſed ſecundùm animam ſe copulari expetebat. Porrò inferni nomine hoc loco non locum damnatorum, ſed Limbum Patrum intelligendum eſſe ipſa ratio dictat: cùm minimè credendū ſit, Iacob virum ſanctū id expetiuiſſe, quod perditorū, ac deſperatorū propriū eſt, ſc. in gehennā, ac damnatorū infernū

per

pergere. Iob quoq; qui Dei ipſius teſtimonio vir ſimplex erat, rectus, ac timens Deũ, & recedens à malo, hoc ipſum ſibi fore optabat, vt in inferno, ſcilicet, in Limbo contegeretur,

Iob. 14. donec ira Dei pertrãſiret. מי יתן בשאו־ תצפנני תסתירני עד שוב אפך תשית לי חק ותזכרני *mi ytten biſciol tatſphinem taſttirem ghad ſcin apecha taſcith li chok vetiZcereni. Quis det mihi* (inquit) *vt in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus, & conſtituas mihi tempus, in quo recorderis mei?* ſciebat enim vir ſanctus hunc ſibi, ac reliquis quantumlibet iuſtis hominibus locum poſt funera deberi, quouſquo

B Meſſiæ tempus adueniret; ac propterea addit, *donec conſtituas mihi tempus, in quo recorderis mei?* Denique hoc ipſum pro omnibus fatetur

Pſal. 89. tur Dauid Pſal. 89. מי גבר יחיה ולא יראה מות ימלט נפשו מיד שאו־ סלה *mi gever iiehcie velo yre maueth iemallet naphſciu mijad ſceol ſela. Quis eſt homo, qui viuet, & non videbit mortem? eruet animam ſuam de manu inferi?* vel *inferni.* שאול *ſcheol.* An non hoc teſtimonio corrunt omnes R. Salomonis, ac cæterorum Iudæorum euaſiones, cùm pro ſcheol ſepulchrum exponunt: quandoquidem hoc loco non de corpore, ſed de anima eſt ſer-

C mo, quæ tumulato cadauere minimè in ſepulchro iacet, ſed ad deſtinatum ſibi locum pergit? Quòd verò ante Meſſiæ aduentum animæ ad inferos pergerent, hîc velut certum, ac indubitatum aſſerit vates.

Pʟᴠʀᴀ alia teſtimonia omitto, vt illud

Iſaiæ 38. Iſaiæ 38. אני אמרתי בדמי ימי אלכה בשערי שאו־ *ani amartti bidmi iamai elena beſciaghari ſcheol. Ego dixi, in dimidio dierum meorum vadam ad*

Pſal. 15. *portas inferi.* Pſal. 15. כי לא תעזב נפשי לשאו־ *ki lo thaghazou naphſci leſceol. Non derelinques*

Oſeæ 13. *animam meam in inferno.* Oſeæ 13. אהי דבריך מות אהי קטבך שאו־ *ehi deuarecha maueth ehi*

D *katauecha ſcheol. Ero mors tua ô mors, morſus tuus ero inferne.* Demum quoties in veteri teſtamento legimus, aliquem ſanctorum appoſitum eſſe ad Patres ſuos, vt paſſim Scripturæ teſtantur. Gen. 47. 3. Reg. 1. & 2. 20. & 21. 1. Paralip. 17. 2. Paralip. 9. & 34. 1. Machab. 13. & alibi frequenter, toties eum ad Patrum Limbũ deſcendiſſe intelligimus, vbi ij tãdiu detinendi erant, quouſque à Meſſia liberarentur: id verò non niſi ob originale peccatum illis accidiſſe certum eſt, cùm actualia peccata non haberent, ob quæ à cœleſtis re-

E gni ingreſſu impedirentur, vel ſi quæ habebant, pœnitudine expiaſſent.

Nᴇǫᴠᴇ hic veterum Hebræorum teſtimonia deſunt, quæ hoc argumentum con-

R. Haccados lib. Arcan. ſecret. firmant. Ac in primis Rabbenus Haccados libro, qui inſcribitur reuelator Secretorum ita ait. *Hic eſt Deus ſanctus, & benedictus qui ait. Ego ſum vir; qui vidi paupertatem: me minauit, & adduxit in tenebras, & non in lucem. Hic itidem Deus ſanctus, & benedictus eſt, qui dixit.*

A *Decreui deſcendere ad inferos, ad redimendas animas iuſtorum, quas in virga indignationis ſuæ Pater meus, qui eſt in cœlis, illuc detruſit propter peccatum Adæ.* Quid dici potuit luculentius? Si Meſſias, de quo hic agit Rabben⁹ Haccados, ad inferos deſcenſurus erat; vt inde animas iuſtorum liberaret: ergo apud inferos iuſtorum animæ vſque ad Meſſiæ aduentum detinebantur: ſi propter peccatum Adæ eò iuſti poſt mortem detrudebantur, igitur peccatum Adæ transfuſum eſt in poſteros, quod in Meſſiæ aduentu eluendum erat.

Aᴘᴠᴅ eundem Rabbenum Haccados R. Simeon Ben Iohai.

B R. Simeon Ben Iohai idem docet: nam de Meſſia agens, ait. *Tunc anima eius deſcendet ad inferos, apud quos triduò morabitur, vt inde omnes animas Patrum iuſtorúmque educat.*

Iɴ Midras Coheleth, ideſt, in Commen- Midras Coheleth. c. 1. Eccleſ.
tariis Eccleſiaſtis ad c. 1. ita legitur. *Omnia flumina vadunt in mare, & mare non eſt plenum, id eſt, mortui non intrant niſi in* שאו־ *ſcheol, id eſt, infernum, & infernus nunquam impletur, ſicut dictum eſt Prou. 27.* שאו־ ואבדה לא תשבענה Prou. 27.
Scheol vaauadoh lo tisbaghna. Infernus & perditio non ſatiantur. Ibidem ad c. 7. in explicatione Midr. Cohel. ad c. 7.

C illorum verborum. *Conſidera opera Dei, quòd nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit:* ita præclarè habetur. *Dixit R. Azarias in hora, qua Deus ſanctus, & benedictus creauit primum Adam, tulit eum, & duxit, atque reduxit per omnes arbores Paradiſi, dixítque ei. Vide opera mea quàm pulchra, & quàm laudabilia ſint, & quicquid creaui, propter te creaui. Prabe mentem tuam, vt non corrumpas, vel deſtruas mundum meum. Si enim deſtruxeris, non erit poſt te, qui reparet. Et non ſolùm hoc, ſed etiam ipſi iuſto cauſabis mortem, ſicut ſcriptum eſt Iſa. 57. Ipſe iuſtus periit, & non eſt vir, vel aliquis, qui conſideret ſuper cor: ſicut etiam dictum eſt Eccleſ. 7. Iuſtus perit in iuſtitia*

D *ſua. Cui ſimilis fuit Moyſes magiſter noſter? ſimilis fuit filio mulieris pragnantis, quæ in domo captiuorum detinebatur capta; quæ ibi peperit, ibi nutriuit, & ibi mortua eſt. Poſt aliquot verò dies tranſiuit Rex per oſtium carceris: cumque vidiſſet eum tranſeuntem filius illius mulieris, cœpit clamare, ac dicere. Domine mi Rex, hîc natus ſum, hîc educatus ſum; & neſcio ob cuius peccatum hîc detentus ſum. Reſpondit ei Rex, propter peccatum matris tuæ.* Hactenus traditio. Ex qua iuniores Hebræi facilè addiſcere poſſunt, conſtantem hanc, ac perpetuam apud veterem

E Synagogam fidem percrebuiſſe: quòd cunctorum Electorum animæ non alia ratione apud inferos detinerentur quàm ob Adæ peccatum, quod in omnes illius poſteros propagatum intelligebant.

Dᴇɴɪǫᴠᴇ ad hoc argumentum con-
firmandum, inſignis eſt locus ille 1. Reg. 28. 1. Reg. 28.
vbi anima Samuëlis Prophetę ſanctiſſimi poſtulante Saüle à muliere Pythoniſſa de terra euocatur. Ibi enim ita legitur כי מה ראית

ותאמר האשה אל־שאול אלהים ראיתי עלים מן־הארץ ויאמר לה מה־תארו ותאמר איש זקן עלה והוא עטה מעיל וידע שאול כי־שמואל הוא *ki ma raith vattomer haiſcia el ſciaul elohim raithi gholim min haarets: vaiomer lah ma taaro vattomer iſc zaken ghole vehu ghote meghil vaiedangh ſciaul ki ſcemuel hu. Quid vidiſti? & ait mulier ad Saül. Deos vidi aſcendentes de terra. Dixitque ei. Qualis eſt forma eius? quæ ait: vir ſenex aſcendit, & ipſe amictus eſt pallio: & intellexit Saül quòd Samuel eſſet.* Sunt qui ſentiant animam Samuëlis non verè Saüli apparuiſſe; ſed dæmoniacum tantummodò ſpectrum illi obiectum fuiſſe; inter quos ſunt Tertullianus lib. de anima c. 57. Iuſtinus quæſt. 52. & Auguſtinus lib. 2. ad Simplicianum q. 3. Verùm hos ſententiam mutaſſe perſpicuum eſt ex aliis locis, in quibus verum Samuëlem Saüli apparuiſſe non obſcurè fatentur. Nam Tertullianus id affirmat li. 3. carm. contra Marcion. c. 5. hoc carmine.

Tert. cont. Marc. c. 5.

Mirificus Samuel, cui Reges vngere primùm
Præceptum dare Chriſma, viros oſtendere Chriſtos:
Talibus in vita ſpatio laudabilis egit,
Vt quoque poſt requiem prophetica iura teneret.

Iuſtin. Dial. cum Tryph. IVSTINVS quoque Dialogo cum Tryphone ita ſcribit. *Animas ſuperſtites manere etiam in eo demonſtrauerim, quòd & Samuëlis animam in ventriloqua Pythoniſſa, ita vt Saül peteret, euocauit.* Denique Auguſtinus de cura pro mortuis agenda c. 15. ita docet. *Mitti ad viuos aliquos ex mortuis: ſicut è contrario, quòd Paulus ex viuis in Paradiſum raptus eſt, diuina Scriptura teſtatur. Nam Samuël defunctus viuo Saüli etiam Regi futura prædixit.* At præter hos Patres hoc ipſum affirmant Baſil. Ep. 80. ad Euſtachium, Procopius ad cap. 7. Eſaiæ, Zeno Veronenſis ſerm. de Reſurrect. Ambroſius ad cap. 1. Lucæ, Hieronymus ad c. 7. Iſaiæ, Iulianus Toletanus lib. 3. Prognoſticon c. 30. Lyranus ad cap. 28. lib. 1. Reg. Alphonſus Toſtatus in c. 28. lib. 1. Reg. & alij orthodoxi.

Aug. de cura pro mort. ag. c. 15.

Baſilius. Procopius. Zeno. Veronenſ. Ambroſ. Hieronym. Iulianus Tolet. Lyranus. Toſtatus.

PORRÒ inter Hebræos Doctores, qui hoc ipſum aſſerunt, ſunt Ioſephus Iudæus lib. 6. Antiq. c. 15. R. Eleazar apud Thalmud in libro Hagiga. Midras Vaickra, id eſt, Commentarius Leuitici ad illa verba Leuit. 20. *Vir ſiue mulier, in quibus fuerit ſpiritus Pythonicus, morte morietur.* Et R. Salomon ad c. 28. lib. 1. Reg. Tandem ad huius rei confirmationem ſufficere debet teſtimonium libri Eccleſiaſtici c. 46. quo etiam permotus fuit Auguſtinus, vt priorem ſententiam retractaret: ibi enim inter laudes Samuëlis hæc enumeratur, vt mortuus prophetauerit. *Et poſt hoc (ait) dormiuit (Samuel) & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ: & exaltauit vocem de terra in prophetia delere impietatem gentis.* Si igitur pro vero aſſumi debet, quòd verè Samuël de terra aſcenderit, ac Saüli apparuerit, cui dubitare fas erit, quin Samuelis anima in inferno, ſcilicet in Limbo Patrum detenta fuerit? Quòd ſi Samuëlis viri vndequaque ſanctiſſimi, atque omni virtutum genere ornati anima ad inferos deſcendit: quis cæterorum piorum animas propter originale peccatum illò deſcendiſſe, ibique Meſſiæ aduentum præſtolatas fuiſſe non credat? ac proinde aliquod veri nominis peccatum ex Adamo in vniuerſam ipſius poſteritatem emanaſſe non intelligat; quo nondum à Meſſia expiato à cœleſti regno excluderetur?

Ioſephus Iudæus. R. Eleazar. Midras Vaickra.

R. Salomon.

ALTERVM argumentum deſumitur ex variis, ac propè innumeris malis, ac calamitatibus, quibus tota Adæ poſteritas poſt illus peccatum afflicta fuit. Nam cùm Adam in ea felicitate à Deo conditus fuerit, vt nullis omnino ærumnis atque incommodis pulſaretur; eámque non pro ſe tantummodò, ſed etiam pro tota humana ſtirpe accepiſſet: profectò ſi Adæ peccatum ſibi ſoli nocuiſſet, nec in poſteros ipſius transfuſum eſſet; nihil cauſæ erat, cur primæ conditionis felicitas in humanum genus ex Adam propagatum ab eo transmeare minimè deberet. Cùm verò hominum vita poſt illud Adę peccatum breuis, caduca, fugax, & tot tantorúmque ſibi inuicem ſuccedentium malorum admiſtione acerba; denique tot moleſtiis plena ſit, vt de homine pronunciauerit Plurarchus, mundum quendam miſeriarum abſconditum gerere, & ſanctus Iob de eodem ita ſcribat. אדם ילוד אשה קצר ימים ושבע רגז: כציץ יצא וימל ויברח כצל *Adam ielud iſcia ketſar iamim vſcuangh rogez: ketſits iatſa vaymmal vayura katſel. Homo natus de muliere, breui viuens tempore repletur multis miſeriis, qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra:* profectò hæc mala, quibus poſt primum illud Adæ peccatũ afficimur, ſatis declarant; Adæ culpã non ſibi ſoli, verùm & cunctis eius poſteris nocuiſſe. Atque vt D. Auguſtini verbis vtar lib. 22. de Ciu. Dei c. 22. *Omnium mortalium progeniem fuiſſe damnatam, hæc ipſa vita, ſi vita dicenda eſt, tot, & tantis malis plena teſtatur. Quid enim aliud indicat horrenda quædam profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error exiſtit: qui omnes filios Adam tenebroſo quodam ſinu ſuſcipit; vt homo ab illo liberari ſine labore, dolore, timore non poſſit? Quid amor ipſe tot rerum vanarum, atque noxiarum; & ex hoc mordaces curæ, perturbationes, mærores, formidines, inſana gaudia, diſcordia, lites, bella, inſidiæ, iracundia, inimicitia, fallacia, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, ſuperbia, ambitio, inuidentia, homicidia, parricidia, crudelitas, ſæuitia, nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, impudicitia, fornicationes, adulteria, inceſta, & contra naturam vtriuſque ſexus tot ſtupra, atque immunditiæ, quas turpe eſt etiam dicere; ſacrilegia,*

Plutarchus.

Iob. 14.

Aug. lib. 22. de Ciu. Dei c. 22.

crilegia, hæreſes, blaſphemia, periuria, oppreſſiones innocentum, calumnia, circumuentiones, præuaricationes, falſa teſtimonia, iniqua iudicia, violentia, latrocinia, & quicquid talium malorum in mentem non venit, & tamen de vita hominum non recedit, &c.

VERVM hæc animi mala ſunt, quæ hîc Auguſtinus coaceruat: at verò quot, & quanta corporis incommoda hominem inuaſerint, idem paulò infrà proſequitur. *Quid ab innumeris caſibus* (inquit) *qui forinſecus corpori formidantur; æſtibus, & frigoribus, tempeſtatibus, imbribus, alluuionibus, corruſcatione, tonitru, grandine, fulmine, motibus, hiatibúſque terrarum, oppreſ-* B *ſionibus ruinarum, ab offenſione, & pauore, vel etiam malitia iumentorum: à tot venenis fruticũ, aquarum, aurarum, beſtiarum, ac ferarum, vel tantummodò moleſtis, vel etiam mortiferis morſibus; à rabie, quæ contingit ex rabido cane, vt etiam blanda, & amica ſuo domino beſtia nonnunquam vehementiùs, & amariùs quàm leones, dracoméſque metuatur; faciátque hominem, quem fortè attaminauerit, contagione peſtifera ita rabioſum, vt à parentibus, coniuge, filiis, peius omni beſtia formidetur? Quæ mala patiuntur nauigantes? quæ terrena itinera gradientes? quis ambulat vbique non inopinatis ſubiacens caſibus?* Et infrà. C *Iam verò de ipſo corpore tot exiſtunt morborum mala, vt nec libris medicorum cuncta comprehenſa ſint. In quorum pluribus, ac penè omnibus etiam ipſa adiumenta, & medicamenta tormenta ſunt, vt homines à pœnarum exitio, pœnali eruantur auxilio.* Hæc Auguſtinus. Hæc igitur mala, quibus ob Adæ peccatum quotidie humana ſtirps miſerè affligatur, egregia quædam teſtimonia ſunt, quæ Adæ culpam in omnes homines transfuſam prædicant.

HOC igitur conſtituto, quod Hebræis certum eſſe debet. Præuaricationis ſcilicet Adæ noxam ſimul, & pœnam in totam eiuſ- D dem Adami progeniem vnà cum natura transfuſam eſſe: id tantùm explicandum ſupereſt, qua via, aut ratione, vel, vt ille aiebat, per quaſnam rimas culpa illa in humanam naturam ſeſe inſinnauerit. Quæſtio hęc Auguſtino valdè obſcura, ac perplexa viſa fuit; & poſt Auguſtinum ob maximam opinionum varietatem, & Hæreticorum errores difficilior reddita eſt. Nos tamen omiſſis altercationibus, quid apud omnes certum ſit, quídve in hac re magis ſequendum, E paucis aperiemus.

L.1. de Moral. Eccleſ. cap.21.

ATQVE imprimis Pelagianos reiicimus, qui Adæ peccatum non propagatione, ſed tantùm imitatione poſteris nocere aliquando profeſſi ſunt; quatenus ſcilicet Adæ exemplo cæteri peccant: contra quos ſcribit S. Auguſtinus in libro de peccato originali lib.1. de peccat. mer. & rem. lib. de hæreſibus cap.88. & contra duas epiſtolas Pelagij. Et contra eoſdem definiuit Synodus Trid. A ſeſſ.5. cap.3. Præterea Zuuinglium, ac Zuuinglianos excludimus, qui peccatum originale morbum quidem eſſe, ſed non culpam; nec damnationem hominibus afferre, donec ipſi propria voluntate legem Dei reſpuant, disertè affirmant: quos Synodus Mileuitana can.2. de conſeſſ. d.4. c. Placuit. Toletana 6. can.77. Meguntiaca can.5. Carthaginenſis 5. can.6. de conſeſſ. d.4. c. Placuit. Arauſicana can.2. Trident. ſeſſ.5. c. 3. anathemate feriunt. Flaccianos quoque, ac Subſtantiarios Hæreticos explodimus, qui peccatũ originis ſubſtantiam eſſe volunt, non qualitatem, aut relationem, vel aliquid eiuſmodi, atque eo totam hominis naturam ſecundùm ſubſtantiam corruptam eſſe docent. Lutheranos quoque, ac Caluinianos expellimus, qui peccatum originale ipſum fomitem, ac concupiſcentiam eſſe clamitant, quæ in renatis per Baptiſmum adhuc manet, licèt fidelibus non imputetur: quos omnes Tridentina Synodus anathematizat ſeſſ.5. c. 5. Horum omnium doctrinas velut erroneas, atque Hæreticas à veræ Religionis fide procul arcemus.

Auguſtin.

Synod. Trid. ſeſſ.5. cap.3. Zuuingl. lib. de Bapt. l.3.

PORRO quod ad veram originalis culpæ traductionem ſpectat: illud certum eſt inter Catholicos; peccatum originale non eſſe formaliter ſingularem illam diuinę legis pręuaricationem, qua Adam formaliter peccauit: ſiquidem vitioſus ille præuaricationis actus perſonalis fuit; nec eorum eſſe potuit, qui potẽtia tantùm extabant: actiones quippe ſuppoſitorum ſunt, ac rerum per ſe exiſtentium: porrò ſi perſonale Adæ peccatum cunctorum originale foret; profectò qui ex Adamo naſcerentur, extrinſeca tantùm denominatione peccatores eſſent, nec aliquod veri nominis peccatum ſingulare contraherent; quod cum fide, ac Trident. Synodo pugnat, quæ originale peccatum veram, atq; intrinſecam peccati rationem habere, & vnicuique proprium ineſſe decernit ſeſſ. 5. decreto de peccato originali § 3 & 5.

ADHÆC certum eſt; peccatum originale non contrahi per morbidam aliquam qualitatem genitorum corporibus inhærentem, quæ animam hac contagione inficiat: nam labes carnis propriè peccatum eſſe non poteſt: ac præter id, vitium priùs in anima, quàm in carne ſit, oportet: tum ab anima ad carnem tranſit (vt ait Auguſt. lib.5. in Iulian. c.3.) *Ab animo* (inquit) *cœpit elatio, & ad præceptum tranſgrediendum inde conſenſio: tunc eſt caro facta peccati.*

Auguſtin.

RVRSVM certum eſt; originalem maculam in homines non transfundi idcirco quòd homo cum libidine generetur: nam ſi id eſſet, nec omnes peccati originalis macula fœdarentur, nimirum qui ex legitimo coniugio ſunt procreati: miſceri enim legitimis

coniu

coniugibus opus caſtum eſt, non vitioſum (vt ait Remigius) quod in coniuge non habet culpam: nec qui peccatum originale contraherent, illud ex Adamo, ſed ex propriis genitoribus ad ſe transfuſum agnoſcerent.

Denique certum eſt, hoc originis contagium per corpus in animam minimè deriuari, neque contra per animam in corpus transfundi: corpus enim ſecundùm ſe ſumptum nec peccat, neque peccati capax exiſtit, antequàm rationali anima perficiatur: ſed neque è diuerſo anima, quæ tota procreatur à Deo, atque in ea prioritate naturæ, qua corpus antecedit, ab omni prorſus infectione, ac peccati labe immunis eſt; aliquam labem, aut maculam corpori inurere poteſt. Reſtat igitur, vt quiſque hanc peccati originalis labem ex Adamo contrahat, cùm primùm ex animæ & corporis coniunctione in Adami ſobolem computatur. Id enim indicant verba Auguſtini adu. Iulianum lib. 5. cap. 3. cùm ait. *Alterum in altero tanquam in vaſe vitiato corrumpitur*, id eſt, non vtrumque ſeorſim, corpus ſcilicet, aut anima in homine vitiantur, ſed alterum in altero, tunc ſcilicet, quando ſimul copulantur, & hominem Adæ filium conſtituunt.

Auguſtin.

In quo verò formalis huius peccati ratio potiſſimùm ſita ſit, id amplectendum nobis proponimus, quod ex communiori Theologorum ſententia accepimus; peccatum ſcilicet originale eſſe carentiam ſeu priuationem iuſtitiæ originalis debitæ ineſſe cum auerſione habituali à Deo: quæ ſententia eſt D. Thom. 1.2. quæſt. 82. art. 3. Bonau. Scoti, Durandi, Gabrielis & aliorum in 2. ſent. diſt. 30. Atque hæc de hac quæſtione ſufficiant Iudæis.

An neceſſe fuerit hominem poſt lapſum reparari.

Articvlvs III.

Hoc igitur fundamento poſito; hominem ſcilicet per peccatum ex Adamo contractum corruiſſe. In dubium verſari ſolet, fueritne hominis lapſi reparatio ita neceſſaria, quòd niſi Deus lapſum hominem reparaſſet, diuinæ clementiæ nonnihil maculæ iniuſtum fuiſſet, cuius opus illud eſſe videbatur, vt hominem lapſum abſque remedio non relinqueret. Id enim ſenſiſſe videtur D. Athanaſius libro de Incarnatione verbi, vbi ita ſcribit. *Indecorum erat, eos qui ſemel creati erant rationales penitus extingui: id enim indignum erat bonitate Dei, ſi quæ ob ipſo creata eſſent, in interitum abirent ob diaboli aduerſus hominem fraudem. Quinimo indecentiſſimum erat, Dei artem in hominibus extingui, vel per ipſorum iniuriam, vel per dæmonis impoſturam.*

Athanaſ. de In. arn. verbi.

A Similia habet Anſelmus lib. 1. cur Deus homo cap. 4. Quòd ſi Deo indecens, ac diuina bonitate indignum fuit, lapſum hominem abſque reparatione relinquere: ſequitur profectò, quòd ad ea excludenda, quæ Diuinam bonitatem minuunt, neceſſarium fuerit hominem poſt lapſum inſtaurari.

Anſelm. lib. 1. cur D. homo c. 4.

Porrò hic ad faciliorem huius rei intelligentiam, duplex naturæ lapſæ ordo, quo ad Deum referri poteſt, nobis expendendus eſt. Primus, eùm poſt diuinam peccati præuiſionem Deus nec dum hominem lapſum reparare decreuiſſet. Nam tametſi Dei decretum de homine lapſo reparando ante omne tempus æternum fuerit, nec vllum tem-
B pus aſſignari queat, in quo illum reparare non decreuerit: attamen ſaltem iuxta humanæ intelligentiæ modum, ac rationem, ordo quidam inter actum diuini intellectus prævidentis culpam, & voluntatis decernentis remedium, ſtatuendus eſt: ita vt prior ſaltem natura aut origine ſit actus intellectus, poſterior actus voluntatis: ita enim res noſter intellectus intelligere conſueuit, ne ſimul vtrumque actum, qui tamen in Deo nullo temporis ſpatio intercipitur (quòd ad nos
C ſpectat) & cum eo totam huiuſmodi rerum diuinarum intelligentiam cogatur confundere. Alter ordo eſt, quando poſt hominis lapſum mente præuiſum, Dei decretum quo hominem lapſum reparari voluit, à diuina voluntate emerſit.

Dvplex quoque humanæ reparationis modus animo reuoluendus eſt, qui Deo obuius eſſe poterat, antequam de eo aliquid certum ſtatueret. Primus eſt, ſi vel ex mera liberalitate, vel ſaltem non obſeruata perfectæ ſatisfactionis lege, homini culpam con-
D donaſſet. Alter verò, ſi ad perfectæ, atque exactæ iuſtitiæ rigorem culpæ compenſationem ab homine exegiſſet. Quibus ita præmiſſis.

Sit prima concluſio. *Nullo Dei decreto ſuppoſito; opus Redemptionis lapſi hominis non fuit ſimpliciter, & abſolutè neceſſarium.* Concluſio certiſſima eſt; primùm ex ſumma libertate, quæ Deo neceſſariò tribuenda eſt, qua efficere potuit, vt lapſum hominem abſque vlla prorſus imperfectionis, aut indecentiæ labe, ſine reparatione relinqueret: cùm enim libera Dei voluntas à rebus non pendeat; ſed
E totius bonitatis, quæ rebus ineſt cauſa ſit, & origo: ſi ea lapſum hominem extingui, ac in interitum abire voluiſſet; profectò id bonum, ac decorum iudicandum erat, quod à ſuprema illa Dei voluntate, quæ ſola boni, ac recti regula eſt, à qua omnis mali ſuſpicio exulare debet; dictatum fuiſſet. An non Deo ita libera erat hominis reparatio, quàm illius antea fuerat creatio? quòd ſi is ad hominem creandum nulla vi cogi potuit, cur ad eundem

dem lapſum reparandum aliqua neceſſitate opus eſt compelli? id ſanè teſtatur Iſaias c.40. cùm ait. הן גוים כמר מדלי וכשחק מאזנים נחשבו: כל הגוים כאין נגדו מאפס ותהו נחשבו לו *hen goym kemar middeli vchſciahhak moznaym nechſcianu kal haggoym keayn negddo meephes vathohu nechſceuu lo. Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt; omnes gentes quaſi non ſint, ſunt coram eo; & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei.* Quibus verbis vates annuere voluit, quocunque hominum caſu, etiamſi totius orbis occaſus ſequeretur, diuinam libertatem nequicquam poſſe diminui; aut aliqua neceſſitate conſtringi, qua eidem occurrere teneatur. Hinc etiam Iob exclamat c. 11. אם יחלף ויסגיר ויקהיל ומי ישיבנו *im iahhaloph veiaſggir veiakehil, vmi ieſcibennu. Si ſubuerterit omnia, quis contradicet ei?* Vel vt habet lectio Græca LXX. Interpretum, *Quis dicet ei: quid fecisti?* An non licet Deo, quod vult facere? num libera Dei voluntas vllis terminis occludi poteſt, vt vltra illos ſeſe extendere nequeat?

Isa. 40.

Iob. 11.

DICENT fortè, id cum ſumma Dei benignitate pugnare, quòd humanam ſpeciem vnius ſcelere obrutam ad perpetuam damnationem raperet. Hoc quidem pium eſt de Dei benignitate ſentire: ſed quis nouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? Quid? ſi iræ ac iuſtitiæ locum tantummodò relinquere decreuiſſet; & lapſum hominem ob læſæ diuinæ Maieſtatis crimen, æternæ mortis ſinu claudere voluiſſet; num hoc diuinæ iuſtitiæ, ac ſeueritatis decretum diuinam benignitatem abſtuliſſet? Planè ſi id ſentiant, coguntur abſurda fateri: nimirum toties Dei benignitatem conuelli, quoties iuſtitiæ illius rigor æqua, ac condigna pœna exerceretur. Hac ſanè pacto & Deum inclementiæ accuſare deberent, quòd lapſis Angelis inſtaurationis munus denegauerit; & cùm maximum diuinæ benignitatis ſignum fuiſſet, totam humani generis maſſam ſtatim poſt Adæ peccatum à culpa abſtergere, eam tam diu damnationis pondere penè obrutam eſſe maluerit. Equidem qui id ſentiunt, quàm ingens ſit culpæ in Deum patratæ malum, ignorare videntur: quod ſanè tale ac tantum eſt, vt ſola Adæ culpa non tam id ſua grauitate mereretur, vt in perpetuas tenebras ac luctus relegaremur: verùm vt toti funditus eueteremur, atque in nihilum diſſiparemur. Opus ergo iuſtitiæ Dei benignitatem non tollit, cùm eidem non aduerſetur, alioquin haud rectè Regius Vates Deum iuſtum, ac miſericordem appellaret Pſalmo 114. *Miſericors Dominus, & iuſtus, & Deus noſter miſeretur.* Id verò ex eo magis perſpicuum fit: quòd vtrumque tam iuſtitiæ, quàm benignitatis opus Diuinam Maieſtatem extollat; quod ſanè fieri non poſſet, ſi Diuinæ iuſtitiæ, ac ſeueritatis opus ſummam Dei clementiam abſorberet.

Pſal. 114.

Ex his igitur conſtat imprimis, quòd cùm ſummæ Dei libertati repugnet, quicquid illi abſolutæ neceſſitatis impingitur, niſi id ſumma Dei ſapientia neceſſarium eſſe iudicauerit: ſi nullum Dei decretum vrgeat, lapſi hominis reparationem haud ſimpliciter neceſſariam, ſed Deo liberã fuiſſe. Quapropter Athanaſius, Anſelmus, & ſi qui alij ſunt, qui eo dicendi genere vſi ſint, vt Deo vel indecorum, vel indecens, vel indignum eſſe dixerint, ſi is irreparatum hominem dimitteret, vel Dei decretum ſuppoſuerunt; quo ſtante neceſſaria erat hominis reparatio: ac proinde Dei bonitate indignum erat, ſi lapſum hominem ab ipſo creatum, quem à lapſu erigere decreuerat, in interitum abire, ac penitus extingui pateretur: vel quòd magis credendum eſt, id tantùm docere voluerunt, humani generis reparationem Deo conuenientiſſimam fuiſſe; ad quod probandum illas rationes ex indecentia rei deſumptas congerunt, quæ magis propoſitam rem confirmant.

PRÆTEREA certa eſt concluſio ex ipſo redemptionis opere, quod cùm ſummæ beneuolentiæ aſcribatur: liberum profectò eſſe debuit, atque omni neceſſitate vacare: nam ſi ex abſoluta neceſſitate fieret, quid Dei aut beneficio, aut beneuolentiæ relinqueretur, quibus eidem deuincti eſſe deberemus? Hæc enim neceſſitas cùm abſoluta ſit, debitum ſupponit, vnde hominis reparatio oriatur: cùm verò ea quæ ex debito fiũt, inter beneficia annumerari non debeant; eò tandem fieret, vt opus Redemptionis, quod omnium maximum beneficium fuit, inter Dei beneficia collocari minimè poſſet; neque vllus pro accepta redemptione Dei beneuolentiã extollere, vlla iuris obligatione teneretur. Quoniam verò hæc nimis abſurda ſunt, atque humanæ prolis reparatio inter eximia Dei beneficia, & maiora diuinæ charitatis ſigna iure optimo cenſetur, teſte Ioanne cap. 3. vbi ait. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Et Paulo, qui & ipſe humanæ reconciliationis opus diuinæ charitati aſcribit ad Rom. 5. *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis: quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Inde rectè colligimus hominis reparationem, nec ſimpliciter, nec abſolutè neceſſariam; ſed tam Deo liberam, quàm illius creationem fuiſſe.

POSTREMÒ ex ipſo homine reparando huius concluſionis certitudo depromitur: nam ſi neceſſe fuiſſet eum poſt lapſum reparari; in eo profectò aliquod vel meritum, vel

dignitas præcedere debuiſſet, quæ reparationem illius neceſſariam efficerent: at nullum neque meritum, neque dignitatem in homine præceſſiſſe, quę Deum ad ipſum redimendum compelleret, ampliſſimi teſtes ſunt Dauid Pſal. 14. לא יצדק לפניך כל חי *lo ytſddak lephnecha col hhai. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Iſaias 64. vbi vniuerſas hominum iuſtitias originali culpa labefactatas cum panno menſtruatæ comparat: vti ſuperiùs diſſeruimus. *Et facti ſumus* (inquit) *ſicut immundus omnes, & vniuerſa iuſtitiæ noſtræ, vt pannus menſtruatæ.* At præclarè Paulus id affirmat ad Titum. 3. *Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris noſtri Dei non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos; ſed ſecundū miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum.* Vides nullū omnino meritum homini lapſo ſuffragatū fuiſſe, per quod inſtaurari mereretur. At quænam dignitas ei ineſſe poterat, qui & deſertor Dei, & inimicus, ac tandem peccator, quo nihil indignius excogitari poteſt, euaſerat? Id diſertè affirmat Paulus Rom. 5. *Quoniam* (inquit) *cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Et infrà, *ſi enim cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius.* Nihil igitur ex parte hominis aut meriti, aut dignitatis fuit, quod Deum ad illius reparationem neceſſariò impelleret.

Psal. 142. — Iſaias 64. — Ad Tit 3. — Rom. 5.

AT neque exiſtimādum eſt, Deo aliquod damnum, aut gloriæ iacturam accidere potuiſſe; ſi lapſum hominem in culpæ, ac damnationis cœno volutari permiſiſſet. Cū enim Deus ſe ſolo beatiſſimus ſit, neque vlla creatura ad perfectam beatitudinis ſuæ metam attingendam extra ſe indigeat: profectò ſicut illi ex omnium creaturam laude nihil gloriæ accedere; ita nec ex earum lapſu, ac delicto quicquā minui poteſt: quò fit, vt lapſum hominem abſque vlla ſuæ gloriæ diminutione abſque remedio relinquere potuiſſet. Ex quo tandem perſpicuum eſt, nullo exiſtente Dei decreto, humani generis reparationem minimè neceſſariam fuiſſe.

Secunda concluſ. *Suppoſito diuinæ voluntatis decreto, quo Deus hominē lapſum erigere voluit, neceſſaria fuit humani generis reparatio.* Id ex Dei immutabilitate apertè conſtat; qua fit, vt quęcunq; Deus immutabili volūtate fieri decernit, ea ſecus accidere non poſſint, quàm quomodo ab eo decreta sūt. Hinc enim Eſther 13. cap. Mardoch. orabat. *Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt, qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati ſi decreueris ſaluare Iſraël.* Et Iſaias 14. *Iurauit* (inquit) *Dominus exercituum dicens. Si non vt putaui, ita erit, & quomodo mente tractaui, ita eueniet.* Et poſt pauca. *Domin⁹ exercituū decreuit, & quis poterit infirmare?* Quapropter

Eſther 13. — Iſaias 14.

A ſtante Dei decreto, nulli dubium eſt, quin neceſſe fuerit humanum genus à Deo reparari, non quidem quacunque neceſſitate, vt docet D. Bonau. in 3. diſt. 20 art. 1. q. 1. ſed neceſſitate tantùm immutabilitatis, quæ libertati voluntatis diuinæ minimè opponitur. Porrò ad hoc Dei decretum pertinent, quæcunque in Scripturis de futura orbis redemptione promiſſa erant, veluti quæ leguntur Pſal. 71. מתוך ומחמס יגאל נפשם *mittoch vmchhamas ygal naphesſam. Ex vſuris & iniquitate redimet animas eorum.* & Pſalm. 129. והוא יפדה את ישראל מכל עונתיו *vehu yphdde eth yſraël micol ghauonothau. Et ipſe redimet Iſraël ex omnibus*

D. Bonau. in 3 diſt. 20. ar. 1. q. 1. — Pſal. 71. — Pſalm. 129.

B *iniquitatibus eius.* Iſa. 52. חנם נמכרתם ולא בכסף תגאלו *hhinnam nimkarttem velo vechesſeph tiggaelu. Gratis venundati eſtis, & ſine argento redimemini.* Hiere. 31. כי פדה יהוה את יעקב וגאלו מיד חזק ממנו *chi phada iehoua eth iaghakou vgalu myad hhazak mimmennu. Redimet enim Dominus Iacob, & liberabit eum de manu potentioris.* Oſeæ 13. ממות אגאלם *mimmaueth egalem. De morte redimam eos.* Et apud alios Prophetas. His enim diuini conſilij decretum nobis illud fuiſſe innoteſcit, vt humanum genus graui illa Adæ culpa oppreſſum tandem reſpiraret.

Iſa. 52. — Hiere. 31. — Oſea. 3.

C TERTIA concluſio. *Nullo Dei decreto ſuppoſito conuenientiſſimum fuit hominem lapſum reparari.* Nonnullas ad id probandum rationes colligit D. Anſelmus lib. 1. cur Deus homo cap. 4. Quarum prima innititur æterno propoſito Dei. Siquidem cùm Deus hominem condidit ratione & intelligentia præditum; id illi propoſitum fuit, vt eum poſt breue temporis curriculum ſuæ gloriæ, ac beatitudinis ſpectatorem, ac participem efficeret: neque enim aliud indicat illa Dei imago in hominis natura effigiata, erectúſque ille ad ſy-

Anſel lib. 1. cur Deus homo c. 4.

D dera vultus; quàm hominem ad cœleſtia conditum, atque altiſſimarum rerum contemplatorem, ac tandem cœli poſſeſſorem, in orbe conſtitutum fuiſſe: vt ait Auguſt lib. 8. de Trin. c. 14. *Eo homo* (inquit) *imago Dei eſt, quo eius capax eſt, cuiúſque particeps eſſe poteſt.* Neque aliò tendit vis ea ratiocinandi animo inſita, quàm ad explicandum, vt idem Auguſtinus ait, hominem idcirco conditum eſſe, vt ſummum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando poſſideret, poſſidendo frueretur. Decuit igitur Dei propoſitum fine ſuo non fruſtrari, ne caſſum & inane videretur.

Aug. lib. 8. de Trin. c. 14.

E Cùm verò finem ſuum aſſequi non poſſet, quamdiu homo graui culpæ mole oppreſſus ſub ruina iaceret: inde aſſequimur, conuenientiſſimum fuiſſe lapſum hominem à Deo erigi, ac illius ruinam inſtaurari, vt firmum Dei propoſitum maneret. *Non decebat*, inquit Anſelmus, *vt quod Deus de homine propoſuerat, penitus annihilaretur: nec idem eius propoſitum ad effectum duci poterat, niſi genus humanum ab ipſo creatore ſuo liberaretur.*

Secunda

SECVNDA ratio ex ſumma Dei benignitate ducitur. Certum quippe eſt, vnius tantùm Adæ ſcelere totum humanum genus exitiali illo vulnere ſauciatum corruiſſe: at verò ad ſummam Dei benignitatem pertinebat iis remedium adferre, qui aliena potiùs, quàm propria voluntate peccauerant, ne aliquando arbitrari contingeret, vnius culpam plus omnibus nocere potuiſſe, quàm Dei benignitatem remedio prodeſſe: vnde æquum ac conueniens fuit, vt qui vnius inobedientia ceciderant (vt ait Paulus) vnius obedientia reſurgerent.

TERTIA ratio deſumitur ex Dei miſericordia. Nemo enim ignorat Euam doloſis illius ſerpentis verbis ſeductam fuiſſe: Adam verò mulieris blanditiis potiùs, quàm peccandi libidine adductũ fuiſſe, vt Dei præceptum infringeret; quo ſanè magnopere primi illius peccati grauitas minuitur. Adde quòd hominem patrati ſceleris pœnituit, ex quo illud venia quodammodo dignum fuit. Ex his colligitur conuenientiſſimum fuiſſe, vt Deus miſericordiæ ſinum lapſo homini panderet, & culpa proſtratum erigeret.

QVARTA ratio ex ſumma Dei virtute deducitur. Quis enim neſciat tot iuſtos ac inſignis ſanctimoniæ viros in orbe diu vixiſſe; qui Dei nomen, ac gloriam mirificè illuſtrarunt? tot Patriarchas, tot Prophetas, tot Pontifices, atque vtriuſque ſexus viros ac mulieres, quorum memoria in benedictione eſt, olim floruiſſe; qui ſumma pietate Deum coluerunt? Iam verò ſi hos inferorum carceribus occluſos ſua potentia dæmon perpetuò detineret; quónam illa Dei virtus euaderet, qua bonos à dæmonis poteſtate liberare, & diaboli potentiam compeſcere valet? qua denique vult

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Congruum igitur fuit, vt Deus diaboli iugum ab homine excuteret, vt eò magis diuina virtus eniteret.

POSTREMA ratio ab ipſa Dei ſapientia petitur. Siquidem notum eſt vniuerſa propter hominem cóndita fuiſſe, ac propterea Deum hominem poſt omnia creaſſe, vt vniuerſa illi tanquam Domino famularentur:
Pſalm. 8. hinc Dauid Pſalmo 8. *Omnia (inquit) ſubiecisti ſub pedibus eius.* Quapropter haud malè veteres hominem μικρόκοσμον appellarũt, velut paruum mundum, ac totius orbis Epilogum, in quem cuncta in orbe creata reſpiciunt. Habet enim eſſe lapidum, vegetationem plantarum, ſenſationem brutorum. Cùm igitur homo velut totius vniuerſi perfectio à Deo conditus ſit, in quo ſcilicet vniuerſa natura conſtantia, quę per ſe Deũ laudare nequeunt, hominis tributum optimo factori perſoluerent; eo per peccatum cadente, cum eo ſimul omnia ceciderunt, ac fine ſuo optimo frau-A data ſunt. Quòd ſi æterna Dei ſapientia lapſum hominem nunquam erexiſſet, fruſtra hæc omnia ab eo condita viderentur. Quare decentiſſimum fuit hominem à culpa proſtratum eleuari, vt cum eo totius vniuerſi eleuatio fieret, & vtcumque optimo ſuo fine frueretur.

QVARTA concluſio. *Lapſi hominis reparatio ex perfecta iuſtitiæ iure, licèt neceſſaria non fuerit, conuenientiſſima tamen fuit:* vel quod in idem recidit. *Quamuis neceſſarium non fuerit, hominem ex perfecta iuſtitia redimi, hoc tamen redemptionis genus decentiſſimum fuit.* Vbi id pri-B mùm notandum eſt, humani generis redemptionẽ bifariam intelligi poſſe. Primo modo, vt fiat ſeruata perfectæ, ac ſeueræ iuſtitiæ regula; ita vt contractæ ab eo culpæ iuſta, & æqua in omnibus ſatisfactio Deo reſpondeat. Altero modo, vt ex ſola miſericordia, ac Dei liberalitate fiat, nullo, vel ſaltem non æquo ſeruato ſatisfactionis iure. Veluti ſi Rex grauem ſibi à plebeio, ac gregali homine illatam iniuriam, quæ nec ipſa morte expiari poſſet; nulla, vel leui quadam ſatisfactione contentus condonaret: is à Regis ira, ac dignis ſup-C pliciis ex Regis liberalitate, & clementia eximeretur: atque ea ex miſericordia, non ex iuſtitiæ rigore redemptio appellanda eſſet. Secus verò ſi Rex iniuriæ grauitatem, æquo iuſtitiæ pondere ſibi compenſari vellet: ea enim tunc non ex miſericordia, ſed ex perfecta Iuſtitia redemptio fieret. Prior igitur concluſionis pars; quòd ſcilicet neceſſarium non fuerit hominem redimi ex perfecta iuſtitia, clara eſt: primùm ex Diuinæ potentiæ magnitudine; nam ſi nulla omnino res dummodò vitio vacet (vitioſa enim efficere non potentiæ, ſed impotentiæ eſt) Dei potentiam D effugere nullo modo poteſt; quid nõ potuiſſe illum exiſtimabimus, etiam abſque debita ſatisfactione culpam homini, vel gratis condonare, vel leuem aliquam tantummodò ab eo compenſationem exigere? quod ſi factum eſſet, quis diuinæ iuſtitiæ maculam inferre audeat; aut ſummam ipſius æquitatem carpere; cùm id ſupremæ eiuſdem bonitati aſcribendum eſſet? An non ſiue is ex benignitate veniam donet, ſiue ex iuſtitia pœnam exigat; rectum eſſe credendum eſt, quod ex E ipſius voluntatis imperio manat? Iuſtiſſima quippe ſemper eſt Dei voluntas, vtpote quæ totius iuſtitiæ, ac rectitudinis (vt ſuperiùs diximus) regula eſt: quò fit, vt nihil iniuſtum, nihil non æquiſſimum ei ſubeſſe queat. Quamobrem ſi omnia hominum peccata abſque vlla culpæ ſatisfactione condonare vellet, id proculdubio iuſtiſſimum cenſendum eſſet: quòd ſi quiſpiam hoc Dei opus velut iuſtitiæ pernicioſum, temerè carpere auderet, is meritò audire deberet quod Matthæi cap, 20. legitur? *An non licet mihi,*

quod volo facere? an oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?

DICANT præterea, quale ex hominum culpa diuinæ naturæ, aut maieſtati damnum inferatur, quò neceſſe ſit, Deum ad illius reparationem iuſtam ſatisfactionem exigere: Iob 35. cùm Iob 35. apertè doceat, אם חטאת מה תפעל בו ורבו פשעיך מה תעשה לו *im hhatatha ma tiphghal bo verabu pheſciaghecha ma taghaſce lo. Si peccaueris, quid ei nocebis? ſi multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?* Cùm igitur omnia hominum peccata nullum Deo detrimentum afferant, planè conſtat ad culpæ expiationem ſatisfactionem ex perfecta iuſtitia neceſſariam non eſſe; ſed eam tantummodò ex Dei voluntate pēdere.

ALTERA concluſionis pars ex his nota eſt. Nam conuenientiſſimum fuit iniuriam, quæ ex hominis culpa Deo illata fuit, æquo miſericordiæ, & æquitatis iure propulſari; vt hinc Dei clementia in delicti remiſſione; illinc iuſtitia in perfecta illius compenſatione altiſſimè elucerent. Huc enim ſpectant illa Psal. 84. Dauidis verba Pſal. 84. *Miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt.* Hæ ſiquidem altiſſimæ illæ Dei viæ ſunt, quibus ſe Deus cùm in cunctis operibus, tum maximè in humani generis Redemptione hominibus admirabilem præbet: de quibus Pſalm. 24. Pſalmo 24. *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas.* Summa quippe miſericordia eſt, lapſum hominem abſque remedio non relinqui, & ſumma iuſtitia ſecum ex iuſtitiæ vigore contendere, ac debitam ab eo ſatisfactionem exigere. Cùm igitur ex vtraque copioſior in Deum honos redundet, conſtat id apprimè conuenientiſſimum fuiſſe.

VERVM non modò Deo conuenientiſſimum fuit, illatam ſibi iniuriam iuſtitiæ rigore repellere; ſed etiam hominibus vtiliſſimum: ea ſiquidem ratione, primùm quàm ingens ſit culpæ malum; quóve odio Deus peccatum proſequatur, nobis clariùs innotuit: deinde quàm ſollicitè, & accuratè à peccatis cauere debeamus, admonemur. Denique maxima, atque innumera homini bona ſeuera hæc & exacta Dei iuſtitia peperit; dum per eam copioſiores gratiarum, ac cœleſtium donorum imbres in homines effuſi ſunt, & illius contemplatione, merita & virtutes in nobis augentur.

An ad hominis lapſi reparationem neceſſaria, aut conueniens fuerit incarnatio verbi Dei

ARTICVLVS IV.

NVNC ad rem propiùs cum Iudæis attingendam accedimus: quibus nihil magis inuiſum eſt, quàm Diuini verbi Incar- A nationem illis animo hauriendam proponere. Nam cùm ipſi nec perſonam verbi à Patre diſtinctam, neque eam vllo vnquam tempore humana carne indutam fuiſſe credant: ſanè multò minùs ſibi perſuadere valent, Diuini verbi Incarnationem ad hominem reparandum aliqua ratione neceſſariam fuiſſe. Nos priores illas quæſtiones de perſona filij à Patre diſtincta, ac illius humana natura in eum locum reiecimus, vbi de Meſſiæ diuinitate agendum erit. Nunc doctrinæ ordinem ſequamur. Iudæis tantùm perſuadendum erit ad lapſum hominem reparandum B Diuini verbi Incarnationem neceſſariā fuiſſe. Quod nonnullis dictis explicabimus.

DICO igitur primò. *Hominem lapſum ſimpliciter à Deo reparari potuiſſe, abſque Diuinæ Incarnationis myſterio.* Huius dicti veritas perſpicua eſt ex his, quæ in ſuperiori articulo, concluſione prima dicta ſunt: vbi ſummam libertatem in his, quæ vitium aut contra dictionem non includunt, Deo deferendam eſſe diximus: nam ſi Deus abſque vlla prorſus ſatisfactione humanum genus à culpa liberare, atque in priſtinam dignitatem adſerere voluiſſet: an non id ei liberum erat, aut illius po- C tentia, quę modum omnē excedit, in eo coarctari potuit, vt ſibi vel impoſſibile, vel difficile foret? Profectò non iis terminis Dei virtus claudenda eſt, quibus humanorum Regum potentiam occludere nemo auderet; qui pro voluntatis ſuæ arbitrio crimina abſq; vlla iuris ſatisfactione condonant: quæ enim lex diuinę voluntati aut potentię imponi potuit? aut quæ neceſſitas præpotentem Deum ad hunc, vel illum redemptionis modum adigere valuit, vt præter illum nullum vſquam reperiret?

POTVIT certè Deus vel nullam ab ho- D mine ſatisfactionem exigere, & quicquid vſquam debitorum extabat, totum illud gratis, citra vllam omnino compenſationem relaxare: vel leuem aliquam tantummodò à puro homine abſque Diuini verbi Incarnatione ſatisfactionem benignè pro culpa acceptare: quod apertè Scripturæ indicant; cùm Diuinæ Incarnationis opus ſummæ Dei charitati, non neceſſitati aſcribunt: ita Ioan. 3. Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Paulus ad Rom. 5. *Commendat autem* Rom. 5. E *charitatē ſuā Deus in nobis, quoniā cùm adhuc peccatores eſſem⁹, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Et ad Epheſ. 2. *Deus autem qui diues eſt in miſericordia,* Epheſ. 2. *propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos: & cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Chriſto.* Io. Ep. 1. c. 4. *In hoc apparuit charitas Dei* 1. Ioan. 4. *in nobis, quoniā filium ſuum vnigenitū miſit Deus in mundum, vt viuamus per eum.* Hinc Aug. lib. de Agone Chriſtiano c. 11. eos ſtultos appellat, Auguſt. de Agone Chriſtiano c. 11. qui diuinæ virtuti hanc metam præſcribunt: quaſi non potuerit ſecus, quàm per filij ſui

Incar

Digitized by Google

Incarnationem homines è diaboli poteſtate eripere. *Sunt autem*(inquit)*ſtulti, qui dicunt; non poterat aliter ſapientia Dei homines liberare, niſi ſuſciperet hominem, & naſceretur ex fœmina, & omnia illa à peccatoribus pateretur: quibus dicimus. Poterat omnino.* Eandem ſententiam tuetur Athanaſius ſerm. 3 conr. Arrianos his verbis. *Poterat ſine vllo aduentu Christi ſolummodò loqui Deus, & ſoluere maledictionem.* Quæ etiam eſt aliorũ Patrum, ac Theologorũ communis.

Athanaſius ſerm. 3 cont. Arrian.

Dico ſecundò: *Quamquam neceſſarium non fuerit, hominem ex perfecta iuſtitia redimi, illud tamen æternum Dei propoſitum fuit.* Equidem hoc æternum fuiſſe Dei conſilium, & decretum, vt perfecta illius iuſtitia in humanæ Redemptionis opere eluceret; manifeſtũ eſt ex multis Scripturæ locis; præſertim ex Iſaia c. 53. quo in loco Vates Meſſię natiuitatem, paſſiones, ac languores, quibus omnium hominum peccata expianda erant, præclarè deſcribit: *Et aſcendet*(inquit)*ſicut virgultũ coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti.* Hęc de illius ortu dicta ſunt; pergit modò de paſſionibus diſſerere. *Non eſt ſpecies ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eũ deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem & quaſi abſcõditus vultus eius, & deſpectus; vnde nec reputauimus eum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit, & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm;* & cætera quæ ad finem capitis vſque leguntur. Planè hæc tam ſeuera Dei vltio, quæ in Meſſiæ perſonam (quidquid garriant Hebræi, quibus hoc ipſum aliàs demonſtrabimus) à Deo exercenda erat; apertè declarat, Deum non alio modo, quàm ex perfectæ iuſtitiæ rigore lapſum hominem redimere voluiſſe, atque illud apud Deũ ſemper fuiſſe alta mente repoſtum; vt ea ſibi pro delicto ſatisfactio fieret, quæ totam delicti grauitatem abſorberet, ac cõpenſaret. Hac enim de cauſa Meſſię Redemptoris dolores, ac cruciatus accuratè à Vate deſcribuntur; vt inde perſpicuũ ſit, Deũ ab hominis Redemptore non qualemcunque, ſed perfectam delicti cõpenſationem nunquã non poſtulaſſe. Huc ſpectat quod apud Zachariã legitur c. 13. *Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi; percute paſtorem & diſpergẽtur oues.* Hæc enim Dei verba ſunt, quibus Meſſiæ hominũ Redemptori vulnera, ac necem ad expiandum humani generis ſcelus decernit. Denique vbicunque Meſſię paſſiones, ac dolores in Scripturis leguntur, ibi non obſcurè ſignificatur, nõ aliud vnquã fuiſſe Dei propoſitum, quàm vt perfectã de illata ſibi ab homine iniuria ſatisfactionẽ exigeret; vt affirmat Leo I. ſerm. 2. de Natiu. c. 3. *Verax*(inquit)*miſericordia Dei, cùm ad comparandũ humanũ genus ineffabiliter ei multa ſuppeterent, hãc potiſſimùm conſulendi viam elegit, qua ad deſtruendum opus diaboli, non virtute vteretur potentiæ, ſed ratione iuſtitiæ.*

Iſai. 53.

Zachar. 13.

Leo I. ſerm. 2. de Natiu. c. 3.

Dico tertiò. *Poſito hoc Dei decreto. Quòd, ſcilicet Deus ex rigore iuſtitiæ lapſum hominem reparare voluerit, reparatio non potuit fieri niſi à Deo per vnionem hypoſtaticam.* Huius dicti ratio ex eo pendet, quòd culpa, ex qua iniuria Deo illata fuit, triplici ratione cenſetur infinita: primùm ex parte obiecti, quia eſt auerſio ab infinito Deo; ſecundò ex parte Dei offenſi, qui eſt infinitus. Poſtremò ex parte ſubiecti, ac hominis offendẽtis Deum, quòd ad primam, & ſecundã infinitatẽ attinet, de ipſis nulla eſt dubitatio. Tertia tãtummodò dubiũ faceſſit: quo pacto, ſcilicet, homo, qui ſuapte natura finitus eſt, & peccando actum terminatum habuit, culpã ratione ſui infinitam efficere potuerit? Hęc verò dubitatio facilè tollitur. Nam exploratum eſt, eò maiorem & atrociorẽ eſſe iniuriã, quò maior, ac dignior eſt perſona, cui illa irrogatũr; & quò longiùs ab illius dignitate abeſt is, qui iniuriam infert: vt ſi ruſticus, ac infimæ ſortis quiſpiã Regem graui aliqua iniuria inuaderet: maior, & atrocior ea iniuria cẽſeretur, quandoquidẽ à gregali homine illata fuit, quàm ſi à nobili viro, aut alterius Regni Principe eidem irrogata fuiſſet: longiùs enim à Regis perſona, ac Maieſtate ruſticus diſtat, ac proinde magis indignus cenſetur, quàm vir nobilis aut Princeps. Hoc ſanè pacto, cùm homo, qui peccando Deo iniuriã irrogauit, quã longiſſimè, ac infinitis gradibus à Dei dignitate diſtet, ac proinde ſi Deo cõparetur, infinitam quãdam indignitatem ſecum gerat: inde fit, vt iniuria, quæ ab homine infinitis partibus indigno, per culpam Deo illata fuit, quandam infinitatis rationem habeat.

Cum igitur triplex ſit culpæ infinitas, huic triplici infinitati, ſi ex perfecta iuſtitia culpa expiãda fuit, triplex ſatisfactionis infinitas reſpõdere debuit. Prima ex parte obiecti. Quòd ſcilicet, actus per quẽ ſatisfactio fieri debuit, eſſet infinitus, ac infinitæ virtutis. Secunda ex parte Dei offenſi; quòd ſcilicet illi offerretur pretium infinitum pro debito infinito culpæ. Tertia ex parte ſubiecti; quod perſona quæ pretium pro culpa exhibitura erat, eſſet dignitatis infinitæ.

Hinc ergo Deum infinita iniuria ab homine offenſum Iudæis proponimus. Illinc hominem ſicut infiniti delicti reũ, ita infinitæ ſatisfactionis debitorẽ: quis infinitũ hoc penſum exoluet? quis tã graue hoc infinitæ ſatiſfactionis põdus ſuis humeris geſtabit? Si hominẽ dicãt: profectò is nimiũ imbecillis erat, qui tam ingens culpæ põdus, quo natura tota opprimebatur; ab illius humeris excuteret: cũ & ipſe eo grauaretur: & qui acceptum gratiæ patrimoniũ peccãdo profligauerat, infinitum

Digitized by Google

pro eo pretium exolueret; atque is naturæ vitium ab vniuerſo hominum regno depelleret, qui eo obligatus tenebatur: nam vt ait Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus epiſt. 48. *Quia natus eſt de corrupto corruptus, de ſubacto ſubactus, de debitore debitor, de peccatore peccator: ad liberandum ſe non potuit ſufficere per ſe: potuit quidem ratio conferre filiis Adæ, ne peccarent ad mortem, ſanare autem non potuit, quam ex Patre contraxerant mortem.* Si Angelum affirment; quamquam is excellentiori natura præditus ſit; haud tamen totum humanæ naturæ debitum poterat perſoluere: longè enim maius debitum à nobis contractum fuerat, vtpote infinitum, quàm quòd is dependere valeret. Vnde Proclus Epiſcopus Cyzicenus Oratione de Chriſti Natiu. præclarè de hac re diſſerens, ita ſcribit. *Alterutrum neceſſum erat, aut vt omnes propter condemnationem præcipites abirent in mortem: omnes enim peccauerant: aut certè vt eiuſmodi pretium in ſolutionem dependeretur, quod exactum, contractúmque debitum ad iuſtitia amuſſim exæquaret. Atqui homo, quòd peccati debito ſubiaceret, ſaluare non poterat: Angelus verò, quòd tanto redemptionis pretio deſtitueretur, humanum genus redimere nequibat.*

Hildebert. Cenom. Epiſcop. ep. 48.

Procl. Epiſc. Cyzic. orat. de Chriſti natiuit.

RESTAT igitur, vt ipſum Deum tantummodò infinitum hoc ſatisfactionis pretium dependere potuiſſe ſibi perſuadeant, vt egregiè de hac re diſſerunt Baſilius hom. 13. in Pſ. 48. vbi explicans locum illum, frater non redimit, redimet homo? *Si frater* (inquit) *non redimit, redimet homo? ſi verò homo nos redimere non poteſt, qui nos redemit, non eſt homo.* Eodem modo Chryſoſtomus hom. 10. in Io. *Cecidit* (inquit) *natura noſtra eo caſu, vt nullo modo reſtitui poſſet: nec enim reſurgere poterat homo, niſi qui eum effinxerat à principio, manum porrigeret.* Damaſcenus quoque de fid. Orthod. lib. 3. cap. 1. ita ſcribit. *Etenim qui redempturus erat, oportebat prorſus ἀναμάρτητον, & nulli per peccatum morti obnoxium eſſe. At ſolus Deus ſuapte natura ἀναμάρτητος exiſtit.* Denique Theoditus vnus ex Patribus Concil. Epheſini orat. de Natiuit. Saluat. hoc ipſum confirmat. *Naturam* (inquit) *noſtram ſanare volens Deus, non per alios ſalutem noſtram, ſed per ſemetipſum molitus eſt: quia omnis creatura deficiebat ad ſalutem noſtram.* Neque hîc Scripturarum teſtimonia deſunt, veluti quæ leguntur apud Pſal. 71. *Ex vſuris, & iniquitate redimet animas eorum:* & 129. *Et ipſe redimet Iſraël ex omnibus iniquitatibus eius.* & Iſaiam c. quadrageſimoquinto. אך בך אל ואין עוד אפס אלהים: אכן אתה אל מסתתר אלהי ישראל מושיע *ach bach el veen ghod ephes elohim achen attu el miſtater elohi yſraël moſciangh. Tantùm in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus; verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Saluator:* & 35. אלהים הוא יבוא וישעכם *elohim hu iauo veioſciaghachem. Deus ipſe veniet,*

Baſil. homil. 13. in Pſ. 48.

Chryſoſt. homil. 10. in Io.

Damaſc. de fid. Orth. lib. 3. c. 1.

Theod. orat. de nat. Salu.

Pſal. 71. & 129.

Iſa. 45. & 35.

& ſaluabit nos: Ezechiel. 36. והושעתי אתכם מכל טמאותיכם *vehoſciaghti ethchem micol tumothichem. Et ſaluabo vos ex omnibus inquinamentis veſtris.* Oſeæ 1. והושעתים ביהוה אלהיהם *vehoſciaghtim bahoua elohihem Et ſaluabo eos in Domino Deo ſuo.* Zachar. 9. *Et ſaluabit eos Dominus Deus ipſorum.* Ac pleraq; alia quæ inferiùs explicabimus, cùm de Meſſiæ Diuinitate agemus.

Ezech. 36.

Oſe. 1.

Zachar. 9.

LVBET autem hîc teſtimonia nonnulla ad hæc, quæ modò diximus, confirmanda ex Hebræorum traditionibus adiicere: ne abſque ſuo ipſorum teſtimonio gratis id nos ſibi perſuadere velle exiſtiment. Primum teſtimoniũ habetur in Midras Sir. Haſchirim, id eſt, in expoſitione Cantici Canticorum, vbi in explicatione illorum verborum ſecũdi capitis. אני חבצלת השרון שושנת העמקים *ani hhauatſeleth haſciaron ſcioſcianath, id eſt, Ego flos campi, & lilium conuallium*, vel vt ibi legitur. *Ego narciſſus, vel roſa terræ campeſtris pinguiſſimæ, lilium profundorum, ſiue conuallium:* ita ſcribitur. *Hoc eſt, quod ſcriptum eſt Pſal. 130. De profundis vocaui te Deus. Dixerunt autem magiſtri, quòd Eccleſia Iſraël dixit hoc, quæ ait. Ego ſum dilecta à Deo, ego quippe data ero in profundis gehennæ, quatenus redimat me inde Deus ſanctus, & benedictus. Hoc eſt autem, quod dictum eſt Pſ. 89. & ſubire me fecit de puteo tumultus, & de luto fæcis, id eſt, de inferno. R. Rubeñ dixit. Niſi Scriptura dixiſſet Iſai. 66. non licuiſſet dicere: ſed ex quo ſcriptum eſt dici poteſt.* כי באש יהוה נשפט *id eſt, quia in igne vel per ignem Deus iudicatus eſt: non enim ſcriptum eſt* שופט *ſophet, id eſt, iudicans: ſed* נשפט *niſpat, id eſt, iudicatus. Et ipſum eſt, quod Dauid per Spiritum ſanctum dixit, etiam cùm ambulauero in valle vmbræ mortis, id eſt, inferni, non timebo malum, quoniam tu mecum eris. Virga tua, id eſt, tormenta tua, & baculus tuus, id eſt, lex tua, ipſa conſolabuntur me.* Ex hoc teſtimonio, illud primùm habemus: cunctas iuſtorum, qui ſub Synagoga floruerunt, animas ad inferos deſcendiſſe, deinde non ab alio, quàm à Deo ſancto, & benedicto, inde eruendas eſſe: demum non alio modo inde eſſe liberandas, quàm per Dei ipſius tormenta: quòd maxime noſtræ tempeſtatis Hebrei ſibi reponere debent, cùm Hebræi ſint, qui hoc ipſum teſtantur.

Sir. Haſch. in cap. 2.

ALTERVM quoque teſtimonium extat in Echa Rabbethi. i. in expoſitione Planctus Ieremiæ, vbi ea verba ſecundi capitis. *Cui comparabo te, vel cui aſſimilabo te filia Ieruſalem? cui exæquabo te, & conſolabor te, virgo filia Sion? magna enim eſt velut mare contritio tua: quis medebitur tui?* ibi verò hæc verba ita leguntur. *Quid conteſtabor tibi? & quid aſſimilabo tibi captiua filia Ieruſalem? quid adæquabo tibi, & conſolabor te captiua filia Sion? magna enim eſt velut mare fractura tua: quis medebitur tibi?* ita exponunt. *Quid conteſtabor tibi? hoc eſt, per quot*

Prophe

Prophetas conteſtatus ſum in vobis? id autem eſt quod ſcriptum eſt 4. Reg. 17. cap. Et conteſtatus eſt Dominus in Iſraël, & in Iuda in manu omnium Prophetarum ſuorum. Scriptum eſt etiam Hierem. 44. cap. Et miſi ad vos omnes ſeruos meos Prophetas; ſequitur. Et quid aſſimilabo tibi filia Ieruſalem? id eſt, quæ es filia timens & obtemperans mihi; ſequitur. Quid adæquabo tibi, & conſolabor te? quando aderit dies illa, de qua ſcriptum eſt Iſa. 2. cap. Et exaltabitur Deus ſolus in die illa, & idola penitus mutabuntur. In illa hora conſolabor te virgo filia Sion, id eſt, filiÿ ſignati. Magna enim eſt velut mare fractura tua, quis medebitur tibi? dixit R. Aben, ille cui dixiſti canticum ſuper mare, vt habetur Exod. 15. cap. Quia ego Dominus medicus tuus. Hæc ibi. Tertium teſtimonium legitur in Midras Vaiiera, id eſt, in expoſitione lib. Leuit. vbi ſuper illud. *Quilibet de domo Iſraël,* &c. ita ſcribitur אמר ר׳ יוחנן עובדא הוה בחד בר נשא היה מדליק את הנר בלילה והיה כבה ומדליק וכבה אמר עד מתי אהיה מתיגע והולך מכחן אני עד שתזרח השמש ואני אלך לאור החמה כך ישראל נשתעבדו במצרים עמדו משה ואהרן וגאלום חזרו ונשתעבדו בבבל חזרו ונגאלו על ידי חנניה מישאל ועזריה חזרו ונשתעבדו באדום אמרו ישראל הרי נתיגענו נגאלין ומשתעבדין אין אנו מבקשין שיאיר לנו בשר ודם מעתה אלא הקדוש ברוך הוא בעצמו שנאמר אל יהוה ויאר לנו ועוד ביש׳ ישראל נושע ביהוה תשועת עולמים id eſt, Dixit Rabbi Iohanan: Euenit, vt homo quiſpiam niteretur accendere lucernam nocte, lucerna verò frequenter extinguebatur. Dixit ergo, Quouſque fatigabor in opere hoc? expectabo ortum Solis, & ambulabo in lumine Solis. Ita & Iſraël oppreſſi ſunt ſeruitute in Ægypto, ſurrexerunt Moſes & Aaron, & liberauerunt eos. Oppreſſi ſunt ſeruitute in Babylonia, & liberati ſunt per manus Ananiæ, Mizaëlis & Azariæ. Iterum oppreſſi ſunt ſeruitute in Edom, & dixerunt, Quouſque grauamur ſeruitute, & modò ſeruimus, modò liberamur? Non quærimus vlteriùs, vt illuceſcat nobis caro & ſanguis, ſed Deus ſanctus & benedictus in ſubſtantia ſua. Iuxta illud Pſalmi centeſimi decimioctaui, אל יהוה ויאר לנו id eſt, Deus Dominus; & illuceſcet nobis. Et rurſus apud Iſaiam 45. cap. Iſraël ſaluatus erit in Deo ſaluatione ſempiterna. Hæc traditio.

R. Aben.

Exod. 15.

DENIQVE poſtremũ teſtimonium eſt R. Moyſis Hadarſam, qui hæc omnia confirmat in Commẽtariis in librũ Geneſeos vbi explicãs verba illa cap. 49. *Iuda te confitebũtur fratres tui:* ita ſcribit. Hoc eſt quod ſcriptum eſt Pſalmo quadrageſimo nono: Qui ſacrificat confeſſionem, honorabit me: & qui eleuat viam, oſtendam ei ſaluationem Dei. Saluationem ſuam non eſt ſcriptum, ſed ſaluationem Dei. Dixit Rabbi Abhu: Hæc eſt vna de grauioribus ſcripturis, quòd ſaluatio Iſraël, eſt ſaluatio Dei ſancti & benedicti. Et quare ſic? Quia ſic pollicitus eſt ei in Pſalmo nonageſimo, dicens: Cum ipſo ero ego in tribulatione, liberabo eum, & honorificabo eum, & longitudine dierum ſaturabo eum, & oſtendam illi ſaluationem meam. Dixit Eccleſia Iſraël, Domine ſeculi ſalua dexteram tuam. Ipſa namque ſaluatio noſtra, ſaluatio tua eſt. Hinc ſcriptum eſt Pſalm. 117. Salua dexteram tuam, & exaudi me. Et ſic idem ait Pſalm. 80. עוררה את גבורתך ולכה לישועתה לנו אלהים השיבנו והאר פניך ונושעה id eſt, Suſcita potentiam tuam, & tua erit ſaluatio noſtra. Deus tu conuerte nos, & illumina, vel fac lucere faciem tuam ſuper nos, & ſaluabimur. Dixit R. Berachias ſacerdos filius Rabbi. Vide quid ſcriptum eſt Zachar. 9. Ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus & ſaluatus ipſe. Iuſtus & ſaluator non eſt ſcriptum, ſed iuſtus & ſaluatus. Et ſic ipſe ait Iſaiæ 62. Dicite filiæ Sion, Ecce ſaluatus tuus Ecce ſaluator tuus non eſt ſcriptum, ſed ecce ſaluatus tuus. Ex quo in lege ſcriptum eſt, dicibile eſt. Iſraël enim ſaluabitur & redimetur. Et erit, ac ſi Deus ipſe ſanctus & benedictus redimatur & ſaluetur. Et hæc eſt vna de durioribus & grauioribus Scripturis, quòd ſalus Iſraël eſt ſalus Dei ſancti & benedicti. Dixit Rabbi הייגא Eniya, Moſes dixit Deut. 33. cap. Beatus tu Iſraël: Quis vt tu populus ſaluatus? Non eſt ſic ſcriptum, ſed populus ſaluatus in Domino. Simile erit hoc homini cuidam habenti parum decimæ ſecundæ. Quid ipſe facit? Dat pretium, & redimit. Sic Iſraël in quo redimetur? cùm in lege ſcriptum ſit, dicibile eſt, Populus ſaluatus ביהוה badonai, id eſt, in Deo: ita ſcilicet quòd Deus erit pretium redemptionis eius. Ex quibus perſpicuum eſt ſanioris mentis Hebræos in eo conſenſiſſe, quòd ad ſanandum humanæ naturæ morbum ſola Dei Redemptoris Medicina ſatis eſſet.

R. Moyſes Hadarſam.

VERVM enimuerò hæc non ita intelligenda ſunt, quaſi Dei gratia in homines effuſa ad eluendam culpæ maculam tantummodò neceſſaria fuerit, nam hoc ipſo non ex perfecta iuſtitia; ſed ex miſericordia hominis reparatio fieret, quòd à noſtra poſitione alienum eſt, quapropter in dicto appoſuimus reparationem ex perfecta iuſtitia non poſſe fieri niſi à Deo: cùm verò adiecimus; (per vnionem hypoſtaticam) inſinuare voluimus, alicuius naturæ vel humanæ, vel Angelicæ aſſumptionem ad hunc reparationis modum Deo neceſſariam fuiſſe, ſine qua ipſa reparatio fieri non poterat: nam tametſi Deo multis modis humanæ naturæ aſſumptio conuenientiſſima fuerit ad humanæ Redemptionis opus explendum; vt in ſequenti dicto explicabimus: attamẽ illud quoque Deus per Angelicæ naturæ aſſumptionem, æquo iuſtitiæ iure explere potuiſſet, quæ licèt ſanguinem fundere ac mori non poſſet: per internos

nos tamen charitatis actus diuinæ offenſę ſatisfacere potuiſſet, cùm ſanguinis effuſio ac mors Redemptoris ad copioſam tantùm, & abundantem hominis redemptionem pertineret: quamquam ſint qui ſecus opinentur: quapropter

Dico quartò: *Diuini verbi Incarnationem omnium optimum, ac conuenientiſſimum eſſe humanæ ſalutis remedium.* Primò, ad ampliorem diuinæ miſericordiæ declarationẽ. Amplior ſiquidem Dei miſericordia hominibus declaratur, cùm eam naturam ſibi hypoſtaticè aſſumit, quæ magis miſeriis ſubiecta, moleſtias, dolores, cruciatus, necem denique illi ſuppeditaret. Quę ratio eſt D. Pauli ad Tit. 3. *Cùm autem benignitas, & humanitas apparuit Saluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit:* quam ita illuſtrat S. Bernardus ſerm. 1. Epiphan. *Priuſquam appareret humanitas, latebat benignitas: ſiquidem & priùs erat: nam & miſericordia Dei ab æterno eſt; ſed vnde tanta agnoſci poterat?* Et infrà. *Quid tantopere declararet eius miſericordiam, quam quòd ipſa ſuſcepit miſeriam? quid tam pietate plenum, quàm quòd verbum Dei propter nos fœnum?*

Ad Tit. 3.

Bernard. ſer. 1. Epiphan.

Secvndo ad explicandam Dei erga homines charitatem, ac beneuolentiam: quę enim maior charitas eſſe poterat, quàm quòd Deus ad ſanandum humanæ naturæ morbum infirmam carnem ſuſciperet; & ſe hominum infirmitatibus ſubiiceret? *Ad ſanandum grandem ægrotum* (inquit Auguſtin. ſerm. 59. de verb. Domini) *deſcendit omnipotens Medicus: humiliauit ſe vſque ad mortalem, tanquam vſque ad lectum ægrotantis.* Ceciderat homo eo caſu, quo à ſeipſo reſurgere non valeret; propterea inclinauit ſe ex nimia charitate Deus, vt lapſum hominem erigeret: ita Auguſt. ſer. 206. de tempore. *Inclinauit ſe* (ait) *Eliſæus, vt puerum reſuſcitaret, humiliauit ſe Chriſtus, vt mundum in peccatis iacentem erigeret.* Homo etiam per culpæ venenum interierat, Deus ex charitate fit homo, vt caro carni fiat antidotum (vt ait Ambroſ. in Pſal. 37. *Antidotum* (ait) *facta eſt caro, quæ erat venenum ante peccatum, quia erat illecebra peccatorum. Audi quemadmodum antidotum caro: Dei verbum factum eſt caro, miſit manum in cauernam aſpidum, venenum vacuauit, peccatum abſtulit, hoc eſt, de peccato damnauit peccatum in carne.* Denique in nullo alio Dei charitas magis explicari poterat, quàm in humanæ carnis aſſumptione, in qua ex verbo caro fieret, ex diuite egenus, ex immenſo paruulus, ex domino ſeruus, & ex altiſſimo omnium infimus. Hæc enim ſunt illa diuinæ charitatis ſigna, quæ paſſim enumerat Paulus 2. Cor. 8. *Scitis enim gratiam Dei noſtri Ieſu Chriſti, quoniã propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet diues, vt illius inopia vos diuites eſſetis.* Philip. 2. *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Eadem quoque prior Ioannes inſinuauerat Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* & 1. Ioan. 4. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum.*

Aug. ſer. 59. de verb. Dom.

Ser. 206. de tempore.

Amb. in Pſ. 37.

2. Cor. 8.

Philip. 2.

Ioan. 3.

1. Ioan. 4.

Tertio ad manifeſtandam Dei ſapientiam: Deus enim humanam naturam aſſumendo omnes rerum conditarum naturas ſibi copulat, quæ in homine, tanquam in totius Orbis epilogo elucent: atque à ſuo fine propter hominis peccatum deturbatas, in priſtinum finem reſtituit, & ad ſe quodammodo euehit: nam ſi Angelica, ac ſpiritualis natura tantummodò à verbo aſſumeretur: corporea, quæ vegetatione, & ſenſu prædita eſt, minimè Deo coniungeretur, neque ad diuinam vnionem aſcenderet, qui ſupremus eſt omnium creaturarum ſcopus; in eo namque ſupremam omnes ſuæ perfectionis metam attingunt: quapropter in eo mirificè diuina ſapientia elucet, cùm hominem, qui cũ omni creatura conuenit, & cunctas corporearum, ac ſpiritualium rerum naturas in ſe claudit, ſibi hypoſtaticè vnitum aſſumit. Quę ratio eſt Damaſceni orat. 1. de Natiu. Virgin. *Creator* (ait) *omnem interiectæ humanitatis beneficio naturam in melius commutauit: nam cùm homo media quadam inter mentem, & materiam ſede conſtitutus, rerum omnium conditarum, tam quæ in aſpectum cadunt, quàm quæ oculorum ſenſum fugiunt, nodus, ac vinculum ſit; profectò etiam artifex Dei verbum humanæ naturæ copulatum, per eam cum vniuerſis rebus conditis vnitum eſt.* Hæc Damaſcenus. Præterea quid ſapientius, vt ait D. Thom. opuſc. 60 quàm quòd ad completionem totius vniuerſi fieret coniunctio primi, & vltimi, hoc eſt, verbi Dei, quod eſt omnium principium, & humanæ naturæ, quæ in operibus ſex dierum fuit vltima omnium creaturarum?

Dam. orat. 1. de nat. Vir.

D. Thomas opuſc. 60.

Qvarto ad exprimendam Dei potentiam; ratio eſt Baſilij in Comment. ad Pſ. 44. vbi ſic ſcribit, *Maximæ potentiæ demonſtrationem habet, poſſe Deum in natura eſſe humana: nam cæli, & terræ conſtitutio, maris, & aëris, & maximorum Elementorum generatio, & ſi quid ſupra mundum intelligitur, & ſi quid ſubtus terras vſquam reperitur, non hæc vſque adeò explicant Diuini verbi potentiam, quantùm diſpenſatio aſſumptæ carnis, & ad humilitatem vſque debilitatémque noſtram ſuſcipiendam condeſcenſio.*

Baſil. ad Pſ. 44.

Qvinto tandem ad illuſtrandam Dei Iuſtitiam: ſumma enim Dei iuſtitia in eo enitet, quòd iuſtum ſatisfactionis pretium ad perfectæ iuſtitiæ amuſſim ab homine ſibi pro culpa dari voluit: peccauerat namque homo, ac propterea ex iuſtitiæ debito, iuſtam

Deę

Deo pro peccato compenſationem perſoluere debuit: ſed cùm infinita culpæ grauitas humanæ naturæ facultates excederet, neque illa ſoluendo par eſſet, Deum hominem fieri decuit, vt ex perfecta iuſtitia pro homine debitum perſolueret: quod ſanè ſummæ iuſtitię opus fuit: atque eo pacto Deus & creditor eſſet, & debitor, idémque ſatisfactionem exigeret, & præſtaret, vt præclarè Rupertus explicat lib. 6. de diu. off. c. 36. his verbis: *Quia ſatisfactionem pro culpa non niſi homo debebat, & non niſi Deus perficere poterat, Deus homo factus eſt, quatenus vnus idémque Chriſtus, vt verus Deus ab homine exigeret, & verus homo perſolueret.* Id etiam egregiè explicat Anſelmus lib. 2. cur Deus homo c. 6. *Satisfactionem* (ait) *nec poteſt facere niſi Deus, nec debet niſi homo: neceſſe eſt vt eam faciat Deus homo.*

Rupert. lib. 6. de diu. off. c. 36.

Anſelm. lib. 2. cur Deus homo c. 6.

Dico vltimò; ſuppoſito Dei decreto in Scripturis expreſſo, neceſſariam fuiſſe Incarnationem, & paſſionem Filij Dei. Id patet ex ipſa diuini decreti immutabilitate: quod enim Deus abſolutè, ac ſimpliciter decreuit, id fieri citra controuerſiam neceſſe eſt, cùm Dei conſilium mutari nullo modo poſſit: nam vt Malach. 3. legitur. *Ego enim Dominus, & non mutor:* inde fit, vt cùm Deus in Scripturis apertiſſimè declarauerit, non aliud ad hominem poſt culpam inſtaurandum ſuæ mentis vnquam conſilium fuiſſe, quàm quòd verbũ humanam carnem aſſumeret, ſuiſque laboribus, incõmodis, ac cruciatibus id totũ conſtrueret, quod Adami inobedientia euerſum fuerat; nulli fas ſit dubitare, quin diuini verbi Incarnatio, ac paſſio hominum ſaluti adeò neceſſariæ fuerint; vt præter has nullus humanæ reparationi modus relictus eſſet. Porrò Scripturarum loca, quæ hoc ipſum Dei decretum teſtantur, vberrima ſunt: ex quibus nonnulla hîc tantùm indicare lubet. Nam imprimis de verbi Incarnatione agit Iſaias c. 7. 9. 11. 28. 40. 42. 45. 46. 49. de illius cruciatibus agunt Dauid Pſalmo 21. Iſaias c. 53. per totum. Daniel. c. 9. Zacharias 13. Hæc & pleraque alia teſtimonia hîc minimè explicanda duximus, quandoquidem de iis fuſiùs in ſequentibus agemus.

Malach. 3.

An Diuini Verbi Incarnatio fuerit poſſibilis.

ARTICVLVS V.

QVONIAM aduersùs Iudæos agimus, qui ſicut in Deo perſonarum diſtinctionem, ita etiam in verbo diuino naturæ humanæ aſſumptionem impoſſibilem eſſe iudicant: hanc quæſtionem poſtremo loco exagitandam duximus, ob hanc potiſſimùm cauſam; quòd cùm hactenus diuinæ Incarnationis myſterium æterno Dei conſilio humanæ reparationi neceſſarium eſſe dixerimus; omnem tandem Iudæis infidelitatis anſam præ-

A ſcindamus; quam ex illius impoſſibilitate ſibi arripiunt; vt eò minùs id credere detrectent: quò grauioribus argumentis preſſi illud Deo haud impoſſibile fuiſſe animaduerterint: nã quòd ad perſonarũ in Deo diſtinctionem ſpectat, poſteriùs ea à nobis demonſtranda erit.

PRINCIPIO igitur primum à ſumma ipſa Dei potentia argumentũ deſumi æquum eſt, quã Iudæi non inficias eunt. Neque enim Iudæi diuinas literas edocti ignorant, eò diuinam potentiam euadere, vt nihil omninò virtutis atque efficientiæ eidem negari fas ſit, quod rectè fieri poſſe ratio dictet: atque id ſo- B lummodò à Dei potentia excludendum eſſe, quod rerum ſibi ipſis repugnantiam ac contradictionem parit; quod ex ſtulta interdum mẽtis cogitatione oritur; quod denique ipſam diuinæ omnipotentiæ fidem euertit. Id enim Scripturæ vbique inculcant. Deum; ſcilicet, omnipotẽtem eſſe. Gen. 17. *Apparuit Dominus ad Abraham, dixitque ei. Ego Dominus omnipotens*, c. 18. היפלא מיהוה דבר *hayppbale methona dauar. Numquid Deo eſt quicquam difficile?* c. 35. *Dixitque ei: ego Deus omnipotens, creſce, & multiplicare*, c. 48. *Deus omnipotens apparuit mihi in Luza.* Numerorum 11. היד יהוה תקצר *baiad ie- C hona tikiſar. Numquid manus Domini inualida eſt, dicit Dominus?* Iob. 42. *Scio Domine, quia omnia potes.* Pſal. 134. *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cælo & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis.* Sapient. 11. *Non enim impoſſibilis erat omnipotens tua manus, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuiſa.* & cap. 12. *Tu dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia diſponis nos: ſubeſt enim tibi cùm volueris poſſe.* Hierem. 32. אהה אדני יהוה הנה אתה עשית את השמים ואת הארץ בכחך הגדול ובזרעך הנטויה לא יפלא ממך כל דבר: *ahah adonai Iehoui hinne atta ghaſitha eth haſciamaijm veeth D haarets bechobhacha, haggadol vuizro ghacha hannetuia lo yphale mimmecha col dauar. Ecce tu Domine Deus feciſti cœlũ & terram in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extenſo: non erit tibi difficile omne verbum.* Atque alibi paſſim Scriptura Deo nequicquã impoſſibile eſſe docet.

Gen. 17. 18. 35. 48.

Numer. 11.

Iob 42.

Pſal. 134.

Sap. 11. 12.

Hierem. 32.

QVOD cùm ita ſit, iam ab Hebræis percunctor. Nũ Deo impoſſibile exiſtimẽt humanam carnem ſibi hypoſtaticè aſſumere: Id quidem obſtinatè contendunt: atque in eo certè inſidelitatem ſuã prodũt, quòd nulla ratione freti; immò aduersùs ipſam rationem communi fidei innixã pugnantes, Dei omnipotentiam E adeò in Scripturis celebratam proſternunt. Nam ſi id diuinæ omnipotentiæ minimè ſubeſſe ſentiunt, dicant quamnam contradictionis repugnantiam inuoluat: quidve in hoc opere Dei Maieſtate indignum cẽſeant? Hæc enim ſunt, quæ cùm rectam rationem oppugnẽt, ea à Deo fieri prorſus diſſentaneum eſt.

PRIMVM igitur, ſi dicant contradictionem implicare, ſi Deus humanam na-

turam ſibi in perſonæ vnitatem aſſumeret A
idcirco, quòd cum humana natura com-
poneretur: cùm enim Deus ſit ſimpliciſſi-
mus, atque adeò ſimplex, vt omnem om-
nino compoſitionem reſpuat: imò impoſſi-
bile ſit, illam abſque repugnantia compo-
ſitam intelligi: ſi is cum humana natura
hypoſtaticè copularetur, ex quo per illam
copulam cum humana natura compoſitio-
nem ſubiret, ſimplex & compoſitus exiſte-
ret, ac proinde ſimplex, & non ſimplex af-
firmaretur, quod apertam contradictionem
inuoluit. Præterea cùm Deus ſit ens perfe-
ctiſſimum à nullo dependens: compoſitio B
verò in vtroque componente mutuam de-
pendentiam, & conſequenter imperfectionē
collocet; Deus ſimul, & independens, & de-
pēdens, & perfectiſſimus, & imperfectiſſimus
cenſeretur, quæ inter ſe apertè repugnant.

Nos facilè hos contradictionum nodos
diſſoluimus: nam quòd ad primum attinet.
Cum à Deo humanam naturam in vnio-
nem ſuppoſiti aſſumi poſſe contendimus;
nullam in diuinam naturam, quam ſimpli-
ciſſimam credimus, & aſſerimus, eius gene-
tis compoſitionem inuehimus, quæ ſum- C
mam ipſius ſimplicitatem minuat: neque
enim aſſerimus verbum, vt principium for-
male, aut materiale, aut vllo alio ſimili modo,
quo mutua partium dependentia, atque
indigentia inſinuatur, cum humana natura
componi: immò nec vllam propriam com-
poſitionem, qualis in rebus quibuſlibet com-
poſitis reperitur, per quam ſcilicet, compoſi-
tum quolibet componente dignius, ac perfe-
ctius habetur, in hac hypoſtatica vnione
agnoſcimus. Diuinum etenim verbum cùm
humanam naturam ſibi aſſociat, non ab ea
dependet, ſed potiùs ipſam labentem ſua D
perſonalitate ſuſtentat, ac regit: nec partis
rationem habet, aut materiæ, aut formæ,
aut ſubiecti, aut accidentis, aut actus, aut
potentiæ; cùm humanæ perſonalitatis, qua
ipſa humana natura vacat, defectum tantùm
ſuppleat. Denique præter vnionem Diuinæ,
& humanæ naturæ in perſona verbi, in qua
potiſſimùm Dei virtus elucet, nullam in hoc
Diuino Incarnationis myſterio veram, ac
perfectam compoſitionem reperias, ex qua
Deus cum humana natura compoſitus dici E
queat: quòd ſi aliquam compoſitionem
Scholaſticorum nonnulli dari affirmant, ea
nec propria, nec vera (vt D. Thomæ ver-
bis vtar in 3. diſt. 6. quæſt. 3. artic. 4.) com-
poſitio cenſetur, ex qua diuinæ naturæ
ſimplicitatem minui contingat. Ea igitur
à Deo compoſitione ſublata, quæ illum nec
verè, nec propriè compoſitum præſtat, ne-
que illius ſimplicitatem tollit: iam prioris
contradictionis nodum ſolutum habemus;
cùm illum ita ſimplicem aſſerimus, vt omni
prorſus compoſitione, quæ illius ſimplicita-
tem proſcindit, ſimpliciter vacet.

Atqve inde etiam poſterioris ſolutio-
nem colligimus, cùm Deum ob appoſitam
illi compoſitionem ſimul & dependentem, &
independentem, & perfectiſſimum & imper-
fectiſſimum ſibi fingunt. Id verò inde ſibi
perſuadent, quòd nos in hoc ineffabili Incar-
nationis myſterio Deo perfectam compoſi-
tionem impingere exiſtimant, quæ vel ex
materia, & forma, vel ex natura, & ſuppoſi-
to, vel ex eſſentia, & exiſtentia, vel ex gene-
re, & differentia, vel ex ſubiecto, & acciden-
ti oritur. Nos verò ita diuinam ſimplicita-
tem celebramus, vt eam omnibus hiſce com-
poſitionibus liberam ac vacuam doceamus.
Etenim ſi diuinæ naturæ harum compoſitio-
num, quæ nunquam non imperfectionem
indicant, aliqua adſcriberetur, ea ſanè ab im-
perfectionis labe liberari non poſſet.

Qvapropter Deum nullo modo in
humanæ naturę aſſumptione hoc pacto com-
poſitum aſſerimus, vti ſuperiùs diximus: non
ex materia, & forma compoſitum efficimus;
quia in hac vnione hypoſtatica, nec verbum
humanæ naturæ forma eſt, aut formæ offi-
cium præſtat: nec humana natura verbi ma-
teria eſt, aut illi tanquam materia formæ vni-
tur. Verbum enim Regis inſtar, humanam
naturam propria perſona deſtitutam tegit, ac
ſuſtinet; velut alter Aſſuerus, qui labentem
Reginam propriis manibus erexit: humana
verò natura verbo vnita ei tanquam dilecto
innititur: neque ex natura, & ſuppoſito: hæc
enim compoſitio ex natura, & proprio ac in-
trinſeco ipſius naturæ ſuppoſito oritur, quæ
quoniam in creaturis diſtinguuntur realiter,
idcirco compoſitionem efficiunt: verùm in
hoc Incarnationis myſterio res non ita ſe ha-
bet; neque enim aſſerimus verbum diuinum
æquè in humana, atque in diuina natura ſub-
ſiſtere, ſiquidem in diuina natura tanquam
proprium ac intrinſecum ipſius ſuppoſitum
ſubſiſtit, quò fit, vt nullum omnino inter hu-
iuſmodi naturam, & ſuppoſitum diſcrimen
agnoſcamus: quandoquidem in Deo concre-
ta & abſtracta nomina identificantur: in hu-
mana verò natura cùm tantùm per vnionem
ſubſiſtat, tanquam ipſius naturæ terminus ac
complementum, ab extrinſeco aduenięns, ne-
que ſit humanæ naturę pars, aut ex illius prin-
cipiis fluat, ſanè perſpicuum eſt huiuſmodi
compoſitionem, quæ ex natura, ac intrinſeco
illius modo, ac ſuppoſito oritur, hîc locum
non habere.

Qvod ſi dicant Hebræi, impoſſibile om-
nino videri, quòd modus ſuſtantialis alicu-
ius naturæ, alteri naturæ ſubſtitui poſſit:
quemadmodū impoſſibile eſt ſubſiſtentiam,
ſeu modū ſubſtantialē alicuius hominis, ſimul
eſſe ſubſiſtentiā, & modū ſubſtantialē alicuius
Angeli,

Angeli, cùm hic modus ac ſubſiſtentia ſit in-A communicabilis, vt patet ex definitione perſonæ à Boëtio traditæ, quæ ab omnibus probatur, ſcilicet, perſonam eſſe rationalis naturæ indiuiduam ſubſtantiam: & clariùs ex ea quam docet Richard.de ſancto Victor.lib. 4. de Trinit. perſonam eſſe intellectualis naturæ incõmunicabilem ſubſiſtētiam: Reſpondemus, hanc repugnantiam ſeu impoſſibilitatem non eſſe ex parte rei: ita vt contradictionem inuoluat, ſi vnius naturæ perſona alteram naturam terminet: nam perſona cùm ſit terminus, ſeu modus ſubſtantialis naturæ, id tantùm eſſentiale ac intrinſecum ſibi B vendicat: quòd ipſam naturam terminet, ac modificet: quòd ſi ab ea vim terminandi auferas, certè ipſius perſonæ interitum conſequi oporter: quandoquidem id ab ea tollitur, per quod ſubſiſtit: quapropter id omnino impoſſibile, imò inintelligibile cēſetur, quòd ſcilicet aliqua perſona ſit, quæ nullam rationalem naturam terminet. Quòd verò illa propriam, vel alienam naturam, ſiue etiam plures naturas terminet, id cum perſonæ eſſentia non pugnat, cuius tantùm illud eſſentiale agnoſcitur, quòd ſit terminus alicuius natu-C ræ. Tota igitur huius impoſſibilitatis cauſa, quam obtendunt quominùs propria vnius naturæ perſona alteram quoque naturã terminare poſſit: non ex parte rei, ſed ex imbecillitate creati agentis oritur, quod vnius naturæ modum, ac terminum in alteram, vel plures naturas extendere non valet: at in hac verbi Incarnatione, cùm Deus non ſecundùm præſtitutas à ſe leges, ſed abſoluta ſua potentia agat, nulli dubium eſſe poteſt, quin diuinam verbi perſonam abſque vlla contradictione ad humanæ naturæ aſſumptionem, ac terminum extendere potuerit, præſertim cùm ea infinita eſſet, & infinita virtu-D te ad infinitas naturas terminandas prædita eſſet.

Qvamobrem ea perſonæ incommunicabilitas, quã ex definitione perſonæ obijciunt, minùs ad rem ſpectat: ea ſiquidem nihil aliud inſinuatur, quàm perſonã in aliqua natura ſubſiſtentem, tam ſingularem, atque ita in ſe ipſa indiſtinctam, & ab aliis diſtinctam efficere, vt ea de pluribus numero differentibus prędicari non poſſit: quod in humana natura à perſona verbi terminata fieri non negamus; quæ cùm perſonata fuit à verbo, protinus eam incommunicabilitatem adepta eſt, E qua non ſolùm ſingularis: ſed etiam per ſe indiuidua ſubſiſtens efficeretur. Quòd ſi contentiosè nimis eam incõmunicabilitatem ad perſonam potiùs, quàm ad naturam referre velint: ac propterea perſonam incommunicabilem eſſe velint, quòd modus ſubſtantialis vnius naturæ, alteri communicari non poſſit: id verum ſit in perſonis creatis, quæ finitæ ſunt, ſecundùm ordinatiam Dei legem: neque reluctor etiam id naturæ lege cautum eſſe, ne modus alicui naturæ intrinſecus, ad aliam ſe extendat: at ſecus de perſona verbi infinita ſentiendum eſt, vbi præſertim abſoluta Dei potentia naturæ ordinem, ac leges infringit: quemadmodum in hoc ineffabili Incarnationis myſterio fieri animaduertimus.

Richard. victor lib. 4. de Trinit.

Cæteras portò compoſitiones in Deo, ob humanam naturam ſibi hypoſtacè vnitam non eſſe reponendas, certum eſt: cùm neque eſſentia incarnati verbi à ſua exiſtentia differat, ſi perſonam ſpectes: atque æquè poſt Incarnationem ac antea pronunciare poſſit: *Ego ſum qui ſum.* Neque genus ac differentia aliqua in diuinam verbi perſonam per hoc myſterium inuehatur: neque tandem (quod minùs credibile eſt) ea ob aſſumptum hominem vllo modo accidentium capax facta fuerit. Ex his tandem colligimus falsò diuinæ naturæ tribui; quòd propter aſſumptæ carnis ſacramentum dependens ac independens, perfecta & imperfecta dici poſſit; quandoquidem ſemper independens ac perfecta, atque omni ex parte ſimpliciſſima relinquitur: niſi fortè id ad naturarum diuerſitatem, quas vnica verbi ſubſiſtentia complectitur, referre velint; vt ſcilicet propter humanam naturam dependens, propter diuinam independens ab iis aſſeratur: hoc verò nullam contradictionem inuoluit; quandoquidem hæc rerum diuerſitas, quæ de vno Chriſto prædicatur, non ab vna ipſius perſona manat, ſed à diuerſarum naturarum coniunctione in vno verbi ſuppoſito, ac mutua idiomatum ac proprietatum vtriuſque naturæ communicatione oritur: qua fit, vt quæ vnius naturæ ſunt attributa, propter ſuppoſiti vnitatem alteri naturæ communicari poſſint: atque inde rectè has propoſitiones vſurpamus, Deus eſt homo, Deus eſt incarnatus, crucifixus, mortuus, atque alias huiuſmodi: & è regione homo eſt Deus, omnipotens, immortalis, infinitus, &c. Ac tandem eiſdem quoque coniunctis abſque fidei periculo vtimur, cùm dicimus Deum eſſe mortalem & immortalem, finitum & infinitum, omnipotentem & imbecillem, æternum & temporalem, ac proinde pendentem & independentem: quæ omnia vera ſunt, ſi diuerſatum naturarum, quæ in vnica verbi perſona copulantur, proprietates ſpectes.

Dissolvtis igitur his contradictionum nodis; alterum argumenti caput præſcindendum reſtat, quo Iudæi huius myſterij poſſibilitatem oppugnant. Illud verò tale eſt. Quæ Deo prorſus indigna ſunt, ac ſummam eius perfectionem minuunt, ea minimè Deo tribui valent; ſed quòd Deus per humanæ

carnis aſſumptionem caro fiat; id prorſus Deo indignum eſt, ac ſupremam illius excellentiam euertit, quare id velut impoſſibile longè à Deo arcendum eſt: ſpecioſum quidem, ſed ſine mente caput: cui propterea addenda mens eſt, atque ea probata veritatis luce illuſtranda.

MAIOREM illam (ô Iudæi) quæ à Deo longè arcenda eſſe dicit, quæcunque illius Maieſtate indigna, & ſummæ ipſius excellentiæ pernicioſa ſunt, longè charioribus vlnis amplectimur, quàm id ipſi nobis perſuadere valeatis. Quid? parum eſt ea longè arceri. Quin toto orbe, atque adeo à tota rerum natura expellãtur: at certè nihil minùs, quàm Deo indigna tribuere, aut excellentiſſimam ipſius Maieſtatem vel minimum labefactare credimus, cùm illum humanæ naturæ hypoſtaticè copulari poſſe contendimus. At verò quænam Deo inde indignitatis macula accederet, quidve ipſius excellentia damni ex eo pateretur, audiamus.

PRIMVM eſt, quòd humanam carnem aſſumere, Deo ea ratione videtur indignum, quòd is verus homo fieret, ac proinde cuncta illa ignobilia prædicata, quæ de humana natura dicuntur, Deo Opt. Max. tribuerentur, veluti quæ ad miſeram ipſius conditionem pertinent, quæ ferè innumerabilia ſunt: quibus diuina natura, quæ præſtantiſſima eſt, ignobilis efficeretur.

AT hæc macula facilè à diuina natura abſtergitur. Nam cùm aſſerimus Deum per humanam naturam ſibi aſſumptam verum hominem fieri, non id ſentimus, quod olim Eutyches (vt refert Flauianus epiſt. 2. ad Leonem Pontif. & ipſe Leo ep. 10.) hæretico ſpiritu ductus ſenſit, nempe diuinam; & humanam naturam ita poſt vnionem in Chriſto mixtas ac confuſas fuiſſe, vt ex his vna tantùm natura conflaretur. Neque (quod abſit) docemus humanitatem in diuinitatem conuerſam, aut econtrà diuinitatem in humanitatem fuiſſe mutatam: hæc enim à vera Chriſtianorum fide longè abſunt. Id verò credimus, ac ſentimus, naturarum vnionem in vnica verbi perſona ita fieri potuiſſe, ac factam eſſe; vt illarũ vnaquæque impermixta, atque inconfuſa ſuam ſibi ſedem vendicaret: vti totius Chriſtianæ ac Catholicæ Eccleſiæ velut ore pronunciauit Concilium Chalcedonenſe Actione 5. his verbis. *Confitemur in nouiſſimis diebus filium Dei vnigenitum in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indiuisè, inſeparabiliter agnoſcendum, nunquam ſublata differentia naturarum propter vnionem* Inde fit, vt vnaquæque naturarum ſuas proprietates retineat, quibus ab altera dignoſcitur: ſiquidem in hac vnione diuina natura velut ſibi propria attributa agnoſcit; quòd ſit increata, quòd immortalis, quòd impaſſibilis, quòd æterna, quòd omnipotens; atque alia huiuſmodi, quæ ad diuinam naturam pertinent: neque iis vlla ratione propter humanæ naturæ copulam expoliatur. Humana verò tanquam propria ſibi vendicat, quòd ſit creata, mortalis, paſſibilis, mutabilis, miſera; & id genus alia. Porrò has humanæ naturæ proprietates, cùm ob perſonæ identitatem Deo aſcribimus: eas nun à diuina, ſed ab humana natura venamur, neque ad diuinam naturam, ſed ad humanam referimus: quò fit, vt diuina natura in Chriſto tantùm ſua immortalitate, impaſſibilitate, immutabilitate, æternitate, omnipotentia, ac cæteris diuinis attributis gaudeat; humana verò ſola ſuæ mortalitati, paſſibilitati, mutabilitati, ac cæteris ſuæ conditionis miſeriis ſubiecta ſit. Ex his igitur conſtat imprimis, diuinam naturam in hac vnione nullam omnino ignobilitatis maculam contrahere, cùm ei nihil niſi nobiliſſimum, ac diuiniſſimum à nobis tribuatur: quod ſanè ex eo perſpicuum fit; quòd ab his propoſitionibus abhorremus, Deitas eſt creata, eſt mortalis, eſt paſſibilis, eſt crucifixa, eſt mortua, &c. quandoquidem hæc diuinam Maieſtatem extenuant. Cùm verò rectè dictum eſſe exiſtimamus, Deus eſt mortalis, paſſibilis, flagellatus, crucifixus, mortuus, &c. Planè conſtat, hæc de Deo non ſecundùm diuinã naturam, ſed humanam tantùm dici: ex quo tandem concludimus, ex hac hypoſtatica vnione Deo nihil indignum aſcribi, tametſi propter eam Deus homo dicatur.

Flauianus. Leo Magnus.

Conc. Chalceden. Act. 5.

QVOD ſi id ſibi fortè perſuadeant, Deo indignum fuiſſe, quòd humanam carnem aſſumeret, reſpondeant ipſi: an indignum ſentiant homines à Deo ſalutem conſequi? aut Deum hominibus ſe placabilẽ reddere? hæc enim ſi Deo indigna iudicant; reliquum eſt; vt ipſi omni ſalutis aſſequendæ ſpe deſtituti, nihil habeant, quod de Dei benignitate ſibi ſperandum proponant. Quòd ſi meliùs ſentiant, hæc Deo indigna non eſſe; agnoſcant aliam nullam ex æterno Dei conſilio, ac decreto viam hominibus relictam fuiſſe, qua ſalutem ſibi compararent, atque æternæ mortis ſupplicium euaderent, præter vnam hanc filij Dei Incarnationem, vti ſuprà art. 4 demonſtrauimus. Planè qui diuinæ Incarnationis opus Deo indignum iudicant, ſummum, ac ineffabile diuinæ charitatis opus calumniantur, atque eodem pacto cuncta alia benignitatis diuinæ teſtimonia atro carbone notare valent: quò fit, vt eò magis ſe ſupremo hoc diuinæ charitatis munere, atque adeò omni alio Dei ſuffragio indignos præſtent, quò digniſſimum ac nobiliſſimum Dei opus maiori infidelitate carpunt.

ALTERVM argumentum eſt, quòd ſi Deus humanam naturam ſibi hypoſtaticè vniret, omnino mutaretur; quandoquidem

reipſa

ſeipſa aliter ſe haberet, quàm priùs: eſſet enim verus homo, cùm priùs homo non eſſet: ac Diuina verbi perſona alio modo poſt hypoſtaticam vnionem ſe haberet, quàm antea ſe habuerit: oam cùm antea in Diuioa tantùm natura ſubſiſteret, iam in opere Incarnationis inciperet etiam in humana natura ſubſiſtere, cuius terminus, ac modus efficitur. Verùm cùm Deo mutationis vitium inurere, ſit Dei excellentiam, quæ mutationis omnino eſt expers, euertere: hinc infertur, quòd omnino Deo impoſſibile ſit, humanam naturam ſibi hypoſtaticè vnire.

AT obiectum argumentum oullo negotio diluimus. Reſpondemus enim mutationem duo requirere, vt vera, ac propria eſſe poſſit. Primùm, vt res, quæ mutata dicitur, reuera ipſa mutata ſit, non aliquod coniunctum. Nam ſi quod illi coniunctum eſt, tantùm mutaretur, non eſſet ipſa mutata, quamuis aliter quàm priùs ſe haberet. Huius rei exemplum adducit Boëtius in lib. *An Trinitas ſit vnus Deus*; de dextro & ſiniſtro: nam poſito quòd Plato eſſet dexter, Socrate ſiniſtram partem tenente, ſi Socrates ad dexteram pergeret, Plato abſque aliqua ſui mutatione dexter fieri inciperet. Idem qnoque de albo dici poteſt: quòd altero albo recèns producto, illi ſimilis fieri incipit, oulla in ipſo facta mutatione. Alterum eſt, quòd res quæ mutatur, aliquid de nouo abſolutè, ac ſimpliciter acquirat, quod priùs oullo modo habebat: ſed ad illud erat in pura potentia: motus enim ſeu mutatio eſt entis in potentia, vt ait Philoſophus.

HIS itaque poſitis, facile eſt Diuinam verbi perſonam in hoc Incarnatioois myſterio à mutationis calumnia liberare. Siquidem perſpicuum eſt iis, qui Diuini verbi vnionem cum humana natura candidis oculis inſpiciunt, nihil prorſus in verbi perſooa mutatum eſſe: ſiue ea humanam naturam ſibi copulauerit, quam antea minimè copulauerat; ſiue in duabus naturis ſubſiſtere cœperit, cùm priùs in diuina tantùm ſubſiſteret: ſiue nouam hominis appellationem ex hypoſtatica vnione ſortita fuerit, quam aliis retrò ſæculis ignorauerit. Horum omnium inquam nihil, mutatioois quidpiam in Dei naturam inuectum eſſe euincit; quandoquidem in Incarnationis opere non Diuina perſona, ſed humana tantùm natura mutationi obnoxia fuit: nam tametſi verbum Diuinum humanam naturam aſſumpſerit, quam antea non aſſumpſerat; homóque appellari cœperit, cùm priùs Deus tantùm appellaretur: demum in humana natura ſubſiſtere cœperit; cùm antea in Diuina tantùm ſubſiſteret: tota hæc mutatio non ex parte verbi, quod fixum, ac immutabile ſemper fuit, intelligendũ eſt; ſed ex parte naturæ aſſumptæ: hæc ſola

A mutata eſt, quaodo à verbo fuit aſſumpta, quando hominis appellationem in verbum tranſtulit, quando à perſona verbi completa, ac terminata fuit. Non erat humana natura iuncta hypoſtaticè verbo, poſtea iuncta fuit, ergo mutata. Non erat terminata, ac completa à verbo, poſteà ab ipſo terminata, ac completa fuit; ergo ipſa mutata. Non habebat relationem realem ad verbum, tanquam ad perſonam, ex qua hominis appellationem verbo conferret, poſtea accepit: an non rectè cooeludimus ipſam ſolam fuiſſe mutatam? præſertim cùm verbum Diuinum B in hac mutationum varietate ſola relatione rationis, non autem reali, vt omnem veram, ac realem mutationem ab eo quàm longiſſimè abeſſe intelligeremus, erga humanam naturam ſibi hypoſtaticè vnitam relatum fuerit.

VERBVM igitur tunc homo abſque ſui mutatione eſſe cœpit, cùm humana natura eidem hypoſtaticè iuncta fuit, quemadmodum Plato abſque ſui mutatione cœpit eſſe dexter, cum Socrates illius ſiniſtram tenuit: cœpit in duabus naturis ſubſiſtere, nulla ſui mutatione facta, cùm ad illud humana na- C tura ab eo terminanda acceſſit: ſicut ignis qui priùs in ſeipſo ardebat, abſque vlla ſui mutatione incipit in candela ardere, cùm primùm illi accendenda adiungitur. Denique verbum ſine vlla motabilitatis macula caro factum eſt; cùm caro ad verbi copulam acceſſit. Præclarum huius rei exemplum adfert D. Bonau. in 3. diſtinct. 1. quæſt. 1. de vnione radij & cryſtalli. *Si enim* (ait) *cryſtallus ſuperinducatur radio iam domum illuminanti, cryſtallus illuminari dicitur, & à radio pertranſiri, & ei copulari abſque mutatione facta ex parte radij, ſed ſolùm ex parte cryſtalli: ſic ſuo modo; ſed longè ſpi-* D *ritualiùs intelligendum eſt in natura aſſumpta, & perſona verbi.* Hæc D. Bonauentura.

D. Bonau. in 3. diſt. 1. q. 1. ad 3.

QVOD ſi contendat quiſpiam, verbum ſine aliqua ſui mutatione non potuiſſe humanæ naturæ voiri; hac ratiooe, quòd aliquod de nouo acquirit, quod antea noo habebat, aquirit enim vnionem cum natura humana, cuius antea expers fuerat: ex quo fit, vt priùs non vnitum, poſtea vnitum dicatur. Reſpondeo, verbum Diuinum non ita de nouo eam vnionem aquiſiuiſſe abſolutè, ac ſimpliciter, E vt ea aliqno modo in verbo noo præceſſerit: nam quamuis ea formaliter primò caruerit, eam tamen ſemper eminenter habuit, quod ſufficit, vt illud minimè mutatum eſſe ſibi perſuadeant. Res quippe tunc verè mutari cenſetur, cùm aliquid recens aquirit, quo antea abſolutè, & ſimpliciter carebat: verbum igitur cùm excellentiori modo, nempe (eminenter) etſi non formaliter, iam antea vnione illa præditus eſſet, profectò nulla ratione illud mutatum affirmant, cùm poſtea

vnio ad illud formaliter acceſſit: neque enim valet conſequentia. Verbum antea non erat vnitum formaliter cum humana natura, ſed eminenter: poſtea formaliter vnitum fuit, ergo eſt mutatum: nam (vti diximus) mutatio vera, ac realis id requirit, vt aliquid de nouo aquirat, quo antea nullo modo poriebatur. Sed quamuis hæc reſponſio bona ſit, prior tamen, quæ eſt D. Thomæ p. 3. q. 16. art. 1. ad vltim. D. Bonau. in 3. d. 1. quæſt. 1. & aliorum communis, magis difficultatem ſoluit: verbum etenim ex hac vnione nihil reale acquirit, quod ſanè neceſſarium eſt ad realem mutationem in aliquo ſubiecto collocandam: ſed tantùm relationem rationis ad humanam naturam ſibi hypoſtaticè vnitam; ex qua vt notum eſt, nulla realis mutatio oriri poteſt.

Reali itaque mutatione à Deo ſublata, & iis quæ vel contradictionis repugnantiam inuoluunt, aut vitium in ſummam Dei excellentiam inuehunt, ab hoc ineffabili Incarnationis myſterio longè expulſis: iam nihil habent, quo diuinum hoc Incarnationis opus impoſſibilitatis accuſent.

Secvndvm deſumitur ex parte naturę aſſumptæ, quæ per ſe eſt Deo vnibilis, igitur nulla impoſſibilitas aſtrui poteſt, quę illam ab hypoſtatica vnione prohibere valeat. Antecedens patet primò: nam quòd aliqua natura alteri hypoſtaticè ſit vnibilis, id ſufficit tantummodò, vt ipſi non repugnet ab alterius naturæ perſona terminari: porrò id illi repugnaret, ſi propria perſonalitas de intrinſeca ratione, atque eſſentia eſſet ipſius naturæ. Duo igitur ad omnem repugnantiam, quæ ex ipſa natura oriri poſſet, expellendam, quominùs ea alteri naturæ hypoſtaticè iungi poſſit, neceſſaria ſunt. Primum, quòd rationalis natura propria perſonalitate carere poſſit: non quidem ita, vt omni prorſus perſonalitate careat, qua terminetur, ſed vt propria perſonalitate adeò non indigeat, quòd ſine ea non poſſit exiſtere, tametſi ab alia terminetur. Alterum, quòd alterius naturæ perſonalitate ſibi terminari non repugnet.

Et quidem imprimis quòd rationalis natura ſine propria perſonalitate eſſe poſſit, id apertiſsimè euincit, quòd perſonalitas realiter ab ipſa natura diſtinguitur, vt pote ipſa poſterior, iuxta potiorem Theologorum ſententiam: nam cùm perſonalitas non tantùm incommunicabilitatem naturæ tribuat, qua ſcilicet non eſt, nec poteſt eſſe in alio, à quo in eſſe ſuo dependeat, ſed præter eam illi quoque modum, ac complementum largiatur, quo natura tum per ſe exiſtit, tum perfectiorem terminum, ac complementum in genere ſubſtantiæ acquirit; hęc quidem natura ipſa poſteriora ſunt, cùm ſingularis na-

A tura prior abſque iis concipi poſſit: intelligitur enim natura hoc ipſo eſſe ſingularis, quòd eſt. Hæc, à qualiber alia natura diſtincta: perſonalitas verò præter id terminum; complementum, ac ſubſiſtentiam naturæ addit, quæ reipſa poſteriora ſunt. Quapropter cùm Deus ſua abſoluta potentia id efficere queat, vt priùs abque ſuo poſteriori exiſtat: nulli ſanè dubium eſt, quin humana natura per Dei potentiam perſonalitate carere potuerit, cùm nec ea ſit de humanæ naturæ eſſentia, nec per eam humana natura definiatur.

Qvod verò natura humana ſingularis,
B ab aliena, ac extrinſeca verbi ſubſiſtentia terminari, complerique poſſit, atque in ea ſubſiſtere, ſuperiùs demonſtratum fuit; ob perſonæ diuinæ infinitatem, qua ſe ad alias naturas complendas extendere valet, effici poſſe; nec vllam contradictionis repugnantiam ex parte humanæ naturæ implicari: cùm ea in omnimoda creatoris obedientia perpetuò maneat; qua fit, vt quæcunque Deus in rebus creatis ſua potentia præſtare valet, iis illæ abſque vlla contradictione acquieſcere debeant. Ex his perſpicua eſt propoſiti argumenti veritas. Nam cùm natura
C humana (vt hactenus probatum eſt) hypoſtatica vnione Deo fuerit vnibilis; inde conſtat, nullam ex parte ipſius naturæ impoſſibilitatem à Iudæis afferri poſſe, quæ admirabile Incarnationis Diuinæ myſterium impediret.

Tertivm argumentum ducitur ex irrefragabili diuinarum Scripturarum veritate; quam Iudæi integram, ac ſartam tectam ſe ſeruare profitentur: hoc igitur argumento Iudæos aggredior. Quod lex Diuina, ac Prophetæ futurum prænunciarunt, id cer-
D tum, ac poſſibile eſſe negari non poteſt: ſed lex Diuina, ac Prophetæ Deum carne induendum, ac hominem futurum eſſe prænunciarunt. Igitur Deum humanam carnem induere, ac hominem fieri poſſe, velut certum, ac poſſibile à Iudæis negari non poteſt. Maior Iudæis certa eſt. Minor quamplurimis Scripturarum teſtimoniis probari poteſt, quæ hîc tantùm indicabimus, quandoquidem ea fuſiùs in tota hac prima, ac tertia Demonſtratione explicanda erunt.

Primvm teſtimonium habetur apud Iſaiam cap. 7. לכן יתן אדני הוא לכם אות Iſa.7.
E הנה העלמה הרה וילדת בן וקראת שמו עמנואל: *lachen ijtten Adonai hu lachem oth binne haghallemma hara veioledeth ben vekarath ſcemu ghimmenuel. Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Cuius teſtimonij vim in ſequenti articulo expendemus: ex eo enim habetur Dei & hominis natura in vnico ſuppoſito copulata. Secundum teſtimonium eſt apud eundem cap. 9.

cap.9. cap.9. כי ילד ילד לנו בן נתן לנו ותהי המשרה
על שכמו ויקרא שמו פלא יועץ אל גבור אבי
עד שר שלום לםרבה המשרה ולשלום אין קץ
ki ieled iullad lanu ben nittan lanu vattehi ham-
miſcira ghal ſcichmo vaykra ſcemo pele ioghets el
gibbor aui ghad ſar ſcialom leſarbe hammiſra vl-
ſcialom en kets. *Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis: & factus eſt principatus ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius, Deus, fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis: multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis.* Quo teſtimonio
paruuli cuiuſdam nobis à Vate natiuitas in-
B dicatur, qui ſimul & homo, & Deus eſt, vt
cap.11. in ſeq. articulo clariùs patebit. Tertiũ eſt c.11.
והיה ביום ההוא שרש ישי אשר עמד לנס
עמים אליו גוים ידרשו והיתה מנחתו כבוד
vehaia baiom hahu ſciorеſc iſciai aſcer ghomed lenes ghammim elau goym ydroſciu vehaietha menuhhatho kabor. In die illa radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum eius glorioſum. Nulli dubium eſt
pro radice Ieſſe ipſum Meſſiam filium Da-
uid eſſe intelligendum: nam & Chaldæus
Par. Chald. Paraphraſtes ita legit. *Et erit in tempore illo filius filiorum Ieſſe*: de eodem namque in initio
C capitis ita dicitur. *Et egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* Quod ad
humanam Meſſiæ naturam pertinet: quod
verò additur. *Qui ſtat in ſignum populorum*; vel
vt legit Chaldæus. *Qui futurus eſt, vt ſtet in ſignum populorum, & ipſum gentes deprecabuntur*:
diuinam eiuſdem naturam indicat: ſimile
Pſal.71. enim habetur Pſ. 71. וישתחוו לו כל מלכים
כל גוים יעבדוהו *veyiſctahhanu lo kol melachim kol goym iaghaduhu. Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient ei.* Porrò adoratio,
ac deprecatio, prout hoc loco accipitur, cul-
tus eſt latriæ, qui ſoli Deo exhibetur: quod
Lxx. Interp. D clariùs explicat verſio L x x. qui legunt; *Et in ipſum gentes ſperabunt*: Actus enim ſpei, ſicut
& fidei, & charitatis in Deum tantùm fertur:
quò fit, vt de Deo homine hæc verba rectè
Iſai.45. intelligenda ſint. Quartum extat cap. 45.
הרעיפו שמים ממעל ושחקים יזלו צדק תפתח
ארץ ויפרו ישע *harghiphu ſciamaym mimaghal vſchhakim yzelu tſedek tiphttahh erets veyphru ieſciangh. Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtũ, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Hoc te-
ſtimonium, quo vtraque Dei, & hominis
E natura tum in rore cœli, tum in terræ germi-
ne ſignificatur, latiùs in ſequentibus articulis
examinabimus, & ab Hebræorum calumniis
cap.48. vindicabimus. Quintum eſt cap. 48. שמע אלי
יעקב וישראל מקראי אני הוא אני ראשון אף אני
אחרון *ſcemangh elai iaghakou veyſrael mekorai ani hu ani riſcion aph ani acharon Audi me Iacob, & Iſraël, quem ego voco, ego ipſe, ego primus, & ego nouiſſimus.* Primus ad diui-
cap.53. nam, nouiſſimus ad humanam naturam
refertur; quæ in Deo aliquando copu-
A landæ forent. Sextum eſt cap. 53. *Quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt, & aſcendet virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti?* Quæ de brachio Domini
hîc, & ſuperiori c. à Vate aſſerũtur; tanquã de
illius diuinitate dicta accipienda ſunt: bra-
chium enim Domini, ſeu virtus Dei, eſt Deus
ipſe: ſed idcirco brachium Domini appella-
tur à Vate, quòd eo diuinum verbum inſi-
nuet, cui diuina virtus aſcribitur iuxta illud
Pſal.32. כדבר יהוה שמים נעשו וברוח פיו כל צבאם Pſal.32.
biduar iehoua ſciamaym naghaſciu vyroahh piu kol tſeuaam. Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Quæ verò de
B illius aſcenſione ad modum virgulti, & ra-
dicis de terra ſitiẽti, ſeu arida dicũtur, ad hu-
manitatẽ, qua brachium Domini, ſeu verbũ
Dei tegendum erat, referenda ſunt: nam
pro *virgulto* Hebraicè eſt יונק *ionec* quod ſi-
gnificat *ſugens*, vel *lactens*: quod propriè ad
infantes ſpectat, idq; confirmant L x x. In- Lxx. Interp.
terpretes, qui legunt *infans*. Igitur cum no-
mine virgulti, ac radicis infans ſugens, aut
lactens intelligatur; per eius aſcenſionem
temporalis verbi natiuitas indicatur, ac per
terram ſitientem, & arentem, ex qua hic
C infans prodiit, Beatiſſima Virgo Mater Meſ-
ſiæ proculdubio ſignificatur, quæ idcirco
terra arẽs, aut ſitiens à Vate appellatur: quòd
ea nullo virili ſemine irrigata Meſſiã Deũ, &
hominẽ germinauerit: Septimũ teſt. habetur Iſai.62.
c.62. למען ציון לא אחשה ולמען ירושלם לא
אשקוט עד יצא כנגה צדקה וישועתה כלפיד יבער
lemaghan tſion loghehheſce vlmaghan Ieruſcialam lo eſckot ghad ietſe channogah tſid kah viſciughathah kelaphid yughar. Propter Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam, donec egrediatur, vt ſplendor, iuſtus eius, & Saluator eius, vt lampas accendatur. Hæc verba duplicem na-
D turam, duplicem natiuitatem, ac duplicem
natiuitatis modum in Meſſia futurum expli-
cant: duplex quidem natura inſinuatur, cùm
priùs iuſtus abſolutè, deinde Saluator appel-
latur: nam ſicut infrà demonſtrabimus ab-
ſoluta iuſti appellatio ad Deum pertinet, qui
eſſentialiter eſt iuſtus: Saluatoris verò nomen
hominem indicat; iuxta illud Iſaiæ. *Aperiatur* Iſai.45.
terra, & germinet Saluatorem. Duplicem porrò
natiuitatem explicat gemina illa, ac diſtin-
cta verborum vſurpatio, quibus vtraque
E Meſſiæ natura deſcribitur. Primum eſt, *Egrediatur*: alterum, *Accendatur*. Egreſſus diuinam
verbi natiuitatem indicat: ita enim Michææ
5. de eadem legitur. ומוצאתיו מקדם מימי
tſothau mikkedem mime. Et egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis. Et Pſal. 18. מקצה השמים Pſal.18.
מוצאו ותקופתו על קצותם *mikſe haſciamaym motſau vth kuphatho ghal ktſotham. A ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius.* Accenſio verò temporalem tantum
ortum teſtatur: cùm accenſio lampadis [illegible]
[illegible]

ſertim lychnum, ignem, oleum, lampadem, & alicuius opus requirat; quæ omnia, pleraque deſignant, quæ ad temporalem Meſſiæ natiuitatem neceſſaria erant. Lychnus enim corpus, ignis animam, oleum naturam humanam, quæ vtrumque fouet, lampas virginis vterum denotat, hæc omnia complectentem, cui accendendo ſeu fœcundando ſola Dei omnipotentis dextera, ac Spiritus ſanctus virtute opus fuit. Denique duplex huius geminæ natiuitatis modus exprimitur: cum Meſſiæ egreſſus primùm, quo æterna, ac Diuina illius natiuitas ſignificatur, ſplendoris inſtar deſcribitur: hoc enim modo etiam illam deſcribit Dauid Pſalm. 109. בהדרי קדש מרחם משחר לך טל ילדתיך *behadre kodeſc merehhem miſcehhar lecha tal ialduthecha. In ſplendoribus Sanctorum, ex vtero ante luciferum genui te*: quod perinde eſt, ac ſi diceret, verbum Diuinum in totius ſanctitatis, ac gloriæ ſplendoribus ex vtero mentis à Patre genitum eſſe. Quod confirmat Paulus noſter, cũ Filiũ Dei ſplendorẽ paternæ gloriæ appellat.

Psal. 109.

Hebr. 1. *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius.* Modus igitur, quo verbum à Patre ab æterno genitum fuit, eſt ſplendoris inſtar, quandoquidem æterna illa generatione totum gloriæ, ac diuinitatis ſplendorem accepit, qui in patre velut in fonte reſidebat: deinde temporalis natiuitatis modus explicatur; cùm illum lampadis inſtar accendendum Vates affirmat. Splendor namque in lãpade occluſus, verbum diuinũ humana ac carne in vtero virginis cõtectũ ſignificat, tũc primùm in carne luxiſſe indicat, cùm humanam naturam in vtero virginis ſibi hypoſtaticè copulauit. Octauum teſtimonium ſumitur ex Hieremia cap. 14.

Hierem. 14. מקוה ישראל מושיעו בעת צרה למה תהיה כגר בארץ וכארח נטה ללון: למה תהיה כאיש נדהם כגבור לא יוכל להושיע ואתה בקרבנו יהוה ושמך עלינו נקרא אל תנחנו *mikue yſraël moſcighu begheth tſara lãmah thihie keger baarets vchoreahh nata lallun: lamma thihie keiſc nidham kegibor lo suchal lehoſciangh veatta bekirbenu iehoua veſcimcha ghallenu nikra al tãnichnu. Expectatio Iſraël Saluator eius in tẽpore tribulationis, quare quaſi colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinãs ad manendum? quare futurus es velut vir vagus, ut fortis, qui non poteſt ſaluare? Tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos.* Quibus verbis Deus Opt. Max. à Vate, homo, viator, colonus in terra deſcribitur; vt eum ſimul Deum & hominem futurum eſſe inſinuet, vt latiùs infrà parebit in huius teſtimonij explicatione. Nonum eſt Hieremiæ 23. הנה ימים באים נאם יהוה והקמתי לדוד צמח צדיק בימיו תושע יהודה וישראל ישכן לבטח וזה שמו אשר יקראו יהוה צדקנו *hinne iamim baim neum iehoua vahakimothi ledauid tſemahh tſaddik: beiamau tinaſciangh iehuda veyſraël yiſcon lanetahh veze ſcemo aſcer ykreu iehoua tſidkenu. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, &c. in diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſraël habitabit confidenter, & hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter.* Cuius teſtimonij celeberrimi verba inferiùs explicabimus. Plura alia teſtimonia in ſequenti articulo colligemus, quæ Diuinam & humanam naturam ſimul in Deo homine coniungendam eſſe docent: ex quibus ſanè perſpicuum eſt, Diuinum Incarnationis opus Deo impoſſibile non eſſe.

B QVARTVM, ac poſtremum argumentum ſumitur ex pleriſque antiquorum Hebræorum teſtimoniis, qui de Incarnationis myſterio præclarè diſſeruerunt; quorum fidem, pietatem, ac doctrinam cùm iuniores Hebræi ſuſpiciant: ſanè æquum eſt, vt ab his, quæ de Diuinæ Incarnationis poſſibilitate hactenus à nobis demonſtrata ſunt, addiſcant. Porrò hic duo tantùm teſtimonia ex antiquiſſimo Hebræorũ Doctore adferre lubet, quæ hoc apertiſſimè oſtendunt, quandoquidem copioſiora infrà ſuo loco referenda erunt.

C R. SIMEON Beniohai, vir maximæ apud Hebræos auctoritatis, ac nominis, in Commentariis, quos in librũ Geneſeos conſcripſit explicans illud; *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*, &c. imprimis ita ſcribit. *Traditum eſt in libro Soniotha deſiphra, id eſt, pudoris & exultationis. Poſtquam in ſupernis determinatum eſt in vniuerſum de hominis formatione: ſanctum corpus, & fœmina incorporata ſunt. In tempore autem tertio (quod videlicet immediatè ſuccedit primo Sanctorũ Patrum tẽpori, & ſecundo Prophetarum) completa eſt hæc maxima copula, & coniuncti ſunt, atque incorporati mundi ſuperiores,* R. Simeon Beniohai.

D *& mundi inferiores. Abhinc verò incorporatus eſt mundus ſuperior mundo inferiori mediante corpore ſancto. Quodam modo verò ridebant, & congratulabantur ſimul, efficiebantúrque vnum corpus: quoniam quod erat ſuperius, erat & inferius. Deus ſanctus & benedictus ſuperius, & Deus ſanctus & benedictus inferius. Et proſiliens Spiritus de vagina, venit in vnum corpus, & in his omnibus vnus tantùm videbatur: ille nimirum cui dicitur Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus exercituum implet totam terram gloria ſua; & hoc totum vnum*

E *eſt corpus. Traditum item eſt. Poſtmodum coniunxerunt ſe, veluti duo corpora, quando vnum penetrat aliud, hoc & illud: ſicut ſcriptum eſt. Torquem auream faciemus tibi cum notis argenteis; colligata ſunt iuſtitia, & miſericordia, & vnita ſunt verbo, nec altera ſine altera diſcedit.* Et poſt pauca. *Etiam ſcriptum eſt; nota argenteæ collum tuum: quoniam inter cunctas fœminas in matrona hac reperitur ſanctitas, imò Diuinitas; quæ conſueuerat deſcendere ſuper Ieruſalem, ſuperque ſanctuarium: & omnia hæc poſtquam verbum in ea*

corpus

Digitized by Google

corpus aſſumpſit, factúmque eſt de hominum vniuerſitate, id eſt, homo plenus fide; & quid eſt plenus fide? quoniam ſcilicet in illo inuenitur tota fides. Quo teſtimonio profectò quid clariùs, ac luculentiùs de futura verbi Incarnatione ac Virginis præſtantia ac integritate dici potuerit, ignoro: quamuis in eo nonnulla ſint, quæ myſticè deſcribuntur, quæ ſuo ſenſui reddenda ſunt: veluti quòd mundi ſuperiores & inferiores incorporati ſunt, atque in vnum corpus compacti; quo annuere voluit diuinam & humanam naturam in vnum ſuppoſitum coaluiſſe; & quòd Spiritus de vagina proſiliens venit in vnum corpus: quo planè id ſignificat, quod Lucas factum eſſe commemorat: nempe Spiritum ſanctum in Virginem ſuperueniſſe, ac ſanctum Meſſiæ corpus ſua virtute abſque virili opere ex illius ſubſtantia effinxiſſe.

ALTERVM teſtimonium habetur ex eiuſdem Commentariis in Geneſim, ſuper illud. *Hæ ſunt generationes Noë.* vbi explicãs locum illum Iob. 19. ומבשרי אחזה אלוה *vmibeſciari ehheze eloahh. Et in carne,* vel *ex carne mea videbo Deum.* ſic ait: *Quidnam ſibi vult. Ex carne mea? conueniens enim magis erat dicere. Ex ſubſtantia mea, tamen dixit. Ex carne mea propria. Hoc autem eſt quod ſcriptum eſt. Et caro ſancta tranſibit ſuper te. Et inſuper ſcriptum eſt. Et erit fœdus meum in carne veſtra: quod ſignificat ſignum, quod datum eſt nobis. Quotieſcunque enim ſignatus erit homo hoc ſigno, quod procedit ab illo, videbit Deum ipſum, & anima ipſius ſancta vnum fiet cum illo.* Tum poſt pauca ſubdit. *Sed quænam eſt ratio eius, quod legimus ſuprà de vnione animæ ſanctæ, hoc eſt Dei ad hominem? non alia certè, niſi quòd mas vnus & fœmina iungentur in vnum, quod vocabitur nomine vno, veluti iuſtitia procedens à ſuperna miſericordia, quæ requieſcet ſuper eos. In hoc verbo eſt requies claritatis, ſiue ſplendoris maſculi, & quænam eſt miſericordia? miſericordia inquam quæ veniet à ſapientia altiſſima, & coronabitur à verbo, & propterea incorporabitur fœminæ, ſed & ſic nobis traditum eſt. Deus, ecce Deus illuminator fortis; litera* ד *daled maſculina, litera* ה *he fœminina iuncta ſunt in vnum quod vocatur Deus. Et anima eius ſanctiſſima in hoc loco poſita eſt; non tamen alligata in eo: & propterea ſcriptum eſt Et ex carne mea videbo Deum: quandoquidem fœlicitas hæc vniuerſalis cenſetur; ſequitur. Et ex carne mea, ac ſi dicat. Ex hac ipſa mea carne propria; propter hoc autem benè meriti erunt illi de populo Iſraël, ſancti duntaxat, qui dicent hunc eſſe Deum: benè meriti erunt, tum in mundo hoc, tum in mundo venturo. Et huius rei gratia ſcriptum eſt. Qui cuſtodiet fœdus hoc. Et hinc didicimus, quòd qui cuſtodiet pactum iſtud, Deus cuſtodiet illum.*

Siphre. HIS denique accedat, quòd in lib. Siphre legitur, ſuper illud Leuitici vigeſimoſexto cap. *Et ambulabo in medio veſtri, & ero vobis in Deum, & vos eritis mihi in populum.* Ibi enim ita ſcribitur. *Exemplificauerunt exemplo, quòd hæc res ſimilis eſt Regi, qui egreſſus eſt ad deambulandum cum hortulano ſuo in pomærio, illéque hortulanus à facie Regis reſiliebat. Ait igitur ei Rex. Cur ita à facie mea reſilis? Ecce ego talis ſum, qualis tu es. Sic futurum eſt, vt Deus ſanctus, & benedictus deambulet cum iuſtis in tempore venturo, in Paradiſo voluptatis. Iuſti autem videntes eum, à facie eius contremiſcant. Dicet ergo illis Deus ſanctus & benedictus: quam ob rem à facie mea contremiſcitis? ecce ego conformis ſum vobis, & talis quales vos eſtis, ac ſimilis vobis ſum.* Hæc in Thalmud.

AT ſi talis Deus ſanctus, & benedictus eſſe debebat, quales homines ſunt: ita vt inter eos deambulare, ac ab iis oculis perſpici poſſet, ſanè id fieri non poterat, niſi Deus homo fieret, ac per Incarnationis myſterium humanã naturam ſibi copularet, in qua & oculis videri, & inter homines incedere poſſet; ac demum (vt ait Paulus noſter) in ſimilitudinem hominum factus, habitu inueniretur vt homo.

PRÆTEREA cùm in Midras Theillim ſuper illud Pſalmi 39. *Expectando expectationem meam*, &c. & in libro Taanith in calce capituli, quod incipit Biſloſa Parakim, legatur, quòd Deus ſanctus & benedictus ſeſſurus eſt in medio iuſtorum, ac illum iuſti non modò oculis videre, ſed etiam digito demonſtrare debeant: inde teſtibus ipſis Doctoribus Hebræis perſpectum eſt, Deum viſibilis humanæ naturæ formam aliquando aſſumpturum fuiſſe, ac per Diuinæ Incarnationis ſacramentum hominem futurũ. Midr. Theill.

POSTREMÒ id Hebræis certũ ſit, quotquot inter antiquos Hebrǽorũ Doctores illuſtriores extiterunt, omnes Meſſiam Deum ſimul & hominem agnouiſſe: licèt id propter rudiores celare ſtuduerint: quod vel ex eo perſpicuum eſt, quòd illum ipſo ineffabili Dei nomine ſæpiſſimè nuncuparunt: vt apertum eſt, tum ex Commentariis R. Moyſis Hadarſan in Gen. vbi explicans illud Sophoniæ. *Ad inuocandum nomen Dei*, ita inquit. *Non eſt autem nomen Dei tetragrammaton hic dictum, niſi Rex Meſſias; ſicut dictum eſt Iſaiæ 30. cap. Ecce nomen Dei tetragrammaton veniens de longinquo.* Tum ex Echa Rabbethi; id eſt, ex expoſitione in Planctum Hieremiæ vbi ita dicitur. *Quod eſt nomen Meſſiæ? Rabbi Abba dixit. Deus tetragrammaton eſt nomen eius.* Ex quibus teſtimoniis, ac plurimis aliis, quę infrà colligemus: diſcant Hebræi, Diuinæ Incarnat. myſteriũ non tam Deo poſſibile fuiſſe, quàm Diuino conſilio decretum; ac propterea à Vatibus prædictũ, nec non ab Hebræis Doctoribus, qui ſanã Scripturarum intelligentiam ante Chriſti noſtri aduentum aſſecuti fuerant, non vſque

adeò ignoratum, quin clariſsima de eo teſtimonia protulerint, quæ ipſi propria infidelitate inficiari minimè debent. A

Soluuntur argumenta Iudæorum contra poſſibilitatem Incarnationis.

ARTICVLVS VI.

QVONIAM iuniorum Iudæorum auribus nihil magis diſſonum, ac ingratum eſſe ſolet, quàm cùm Deum humana carne indutum eſſe audiunt, huc omni ſtudio, ac totis neruis intendunt, vt ipſum Incarnationis opus Deo impoſſibile eſſe perſuadeãt: vt ipſos ſe eſſe demonſtrent, quibus Habacuc Propheta dixit iuxta Hebræorum lectionem כי פעל פעל בימיכם לא תאמינו כי יספר *ki phoghal phoghel bimechem lo thaaminu ki teſupphar. Quia opus fiet in diebus veſtris, quod non credetis cùm narrabitur:* Huius rei gratia nonnulla argumenta colligunt, quæ partim in ſuperioribus articulis diluimus, partim modò diluenda erunt.

Habac. 1.

PRIMVM argumentum eſt. Si Incarnatio eſſet poſſibilis, ea fieret in perſona verbi, vt à Chriſtianis creditur, ſed id impoſſibile eſt, cùm perſona verbi nullo modo detur diſtincta à perſona Patris, aut Spiritus ſancti, nulla exiſtente in Deo perſonarum diſtinctione, ſed ipſa tantùm Deitate ſimpliciſſima in eo elucente: igitur Incarnatio præſertim in perſona verbi (vt à Chriſtianis aſſeritur) eſt impoſſibilis.

HOC argumentum, quod ſpectat ad perſonam verbi à cæteris perſonis diſtinctam, fusè in fine huius Demonſtrationis diſſoluemus, cùm perſonatum Trinitatem ampliſſimis teſtimoniis teuincemus. Modò quod ad reliquum argumenti attinet. Reſpondeo: argumentum ex falſa ſuppoſitione procedere, ſupponit enim Incarnationem fieri non potuiſſe niſi in perſona verbi, quod falſum eſt: nam tametſi ex Chriſtiana fide certum ſit, humanam naturam à ſola perſona verbi aſſumptã fuiſſe: illud tamen verum non eſt, hanc aſſumptionem ita à ſola perſona verbi fieri potuiſſe, vt ea à Patris, ſeu Spiritus ſancti perſona fieri non potuerit; quin immò id habetur damnatum in Concilio Remenſi, vt teſtis eſt D. Anſelmus de Incarnat. lib. 1. in quo Gallus quidam Clericus damnatus fuit, eò quòd doceret, vnam perſonam ſine altera non poſſe humanam naturam aſſumere. Quàm verò id apertè falſum ſit, patet, primò ex Diuina virtute, quæ cùm indifferenter ſe extendat ad omnes Diuinas perſonas, æquè perſonæ Patris, aut Spiritus ſancti potuit humanam naturam hypoſtaticè coniungere, quàm ipſi perſonæ filij, præſertim cùm nulla ratio ſit, cur magis perſonæ Filij, quàm cæteris perſonis ea communicari potuerit: nemo enim negare audet Diuinam omnipotentiam æqualiter omnibus perſonis ineſſe: quò fit, vt quælibet potuerit humanam naturam aſſumere. Deinde id perſpicuum eſt ex ipſa ratione terminandi humanam naturam, quæ communis eſt omnibus diuinis perſonis: quælibet enim perſona Diuina B propriam, ac infinitam virtutem habet terminandi vnam, vel plures naturas: inde fit, vt cæteræ perſonæ Diuinæ haud ſecus, quàm perſona verbi potuerint humanam naturam terminare.

Anſelm.

SECVNDVM argumentum eſt. Quæcunque inter ſe ita vnibilia ſunt, vt vnicam ſubſtantiam conſtituant: ea opus eſt aliqua mutua proportione contineri: vnio enim tantùm eſt proportionabiliũ: ſed inter Deum & humanam naturam nulla eſt proportio, ergo inter eos nulla poteſt eſſe vnio talis, ex qua vnica ſubſtantia, ac ſuppoſitum exiſtat. C Minor probatur. Quia inter Deum, & hominem eſt infinita diſtantia: Finiti verò ad infinitum nulla eſt proportio.

RESPONDEO primùm, duplicem proportionem reperiri. Quædam enim eſt proportio Geometrica, quæ ad numerum vel proportionem partium reſpicit, veluti cùm inter diſtinctas res duplam ſeu triplam proportionem aſſignamus. Altera eſt proportio ordinis ſeu habitudinis, cuiuſmodi eſſe ſolet inter obiectum & potentiam, inter agens & paſſum, inter effectum & cauſam: inter hæc enim proportio Geometrica eſſe D non poteſt, cùm in his non attendatur quantitas diſcreta ſeu continua: neque Geometricè aſſignari poſſit exceſſus perfectionis vnius, reſpectu alterius: Dico ſecundò, proportionem Geometricam inter ea non requiri, quæ ſubſtantialiter vniuntur, ſed tantùm ſufficere proportionem ordinis ſeu habitudinis: ita vt res quæ ſubſtantialiter inter ſe vniuntur, ordinem ſiue habitudinem ad inuicem habeant. Nam ſi Geometricam proportionẽ in his neceſſariam eſſe volunt; dicant, quænam proportio ſit animæ ad corpus: duplane, an tripla, aut alia E huiuſmodi, quæ inter ea aſſignari minimè valet, cùm anima nec partes, nec numerum habeat?

HIS poſitis, reſpondeo ad argumentum, negando minorem: nam quamuis inter Deum & naturam humanam nulla ſit proportio Geometrica, eſt tamen proportio ordinis ſeu habitudinis. Primò quidem, quia natura humana

Digitized by Google

mana ad Deum velut effectus ad cauſam refertur. Secundò, tanquam imago ad prototypum. Tertiò, tanquam natura beatificabilis ad obiectum beatificum. Poſtremò, tanquam res incompleta ad ſuum terminum, & complementum: quo ſanè fieri potuit, vt natura humana à perſonalitate verbi tanquam à termino ac complemento potuerit dependere. Cùm igitur hæc ordinis ſeu habitudinis proportio, quæ inter Deum & humanam naturam reperitur, ſatis ſit ad vnionem hypoſtaticam inter eos conſtituendam; conſtat minorem illam eſſe falſam, qua aſſeritur; inter Deum & naturam humanam nullam eſſe (B) proportionem. Quare ad probationem minoris dico; verum quidem eſſe, quòd inter Deum & humanam naturam creatam ſit diſtantia infinita: ſed hanc diſtantiam impedire, quominùs Deus humanam naturam ſibi ſubſtãtialiter vnire potuerit, apertè nego: nam etſi hæc diſtantia proportionem Geometricam excludat, quæ vel ex partium numero, vel ex perfectionum gradibus conſurgit, ea tamen ordinis ſeu habitudinis proportionem non tollit, quominùs hæc ſimul cum diſtantia infinita poſſit conſiſtere.

TERTIVM argumentum, impoſſibile eſt duo contraria, aut diſparata ſimul vniri, ob maximam diſtantiam quæ illa inter ſe diſiungit: Deus quippe non poteſt facere, quòd idem ſit album & nigrum; aut homo ſit aſinus: ſed magis diſtat Deus ab homine, quàm quodlibet oppoſitum à ſuo oppoſito; aut diſparatum ab alio diſparato: ergo impoſsibile eſt Deum ſimul cum homine vniri. Maior nota eſt: minor probatur. Nam oppoſita, ſeu diſparata in aliquo genere proximo conueniunt: vt album & nigrum in colore, homo & aſinus in animali. At Deus in nullo proximo (D) genere cum homine conuenit, cum ſit extra omnia prædicamenta. Igitur magis Deus ab homine diſtat, quàm oppoſita aut diſparata inter ſe. Si ergo oppoſitum non poteſt vniri cum ſuo oppoſito, multò minùs Deus cum homine copulari vult.

RESPONDEO, rationem illam aſſumptam in maiori eſſe falſam: neque enim maior diſtantia ratio eſt, cur aliqua ſint minùs adinuicem vnibilia: niſi diſtantiam pro contrarietate aut contradictione ſumant: ſiquidem veriſsimum eſt; vbi maior contrarietas aut contradictio viget, ibi minorem vnionem (E) reperiri: quod in propoſito locum non habet: nam Deus non opponitur contrariè, aut contradictoriè homini: inde enim ſequeretur minorem eſſe falſam, cùm aiunt, Deum ab homine magis diſtare quàm oppoſitum ab oppoſito, nam ſiquidem de oppoſitionis diſtantia agunt, oppoſitum magis ab oppoſito diſtat, quàm Deus ab homine. Quòd ſi de diſtantia diſparatorum inter ſe intelligant, fal- (A) ſa quoque eſt illa maior. Nam corporeum & incorporeum ſunt genera diſparata, quæ tamen ſubſtantialiter in homine vniuntur, vt perſpicuum eſt in anima corpori vnita, ex quibus vnum eſſentiale conſtituitur. Et ſi per Diuinam potẽtiam crearetur aliqua creatura poſſibilis terminare plures naturas, veluti Leonis, Equi, Aſini, &c. ea & Leo, & Equus, Aſinus appellari poſſet: quò fit, vt minimè impoſſibile ſit ſimpliciter, duo diſparata eſſentialiter ſimul vniri. Ratio igitur, cur duo contraria ſimul iungi non poſſunt, ea eſt, quòd ea nullum habent ordinem adinuicem, (B) neque vt effectus ad cauſam, neque vt dependens à ſuo complemento: quapropter vnum alterum expellit: verùm Deus non ita ab homine diſtat, quin homo ad illum velut effectus ad cauſam, velut creatura ad creatorem, velut imperfectum ad terminum, velut incomplementum ad ſuam complementum ordinetur. Quare minorem negamus, quæ ait, Deum magis ab homine diſtare, quàm oppoſitum ab oppoſito: nam diſtantia oppoſitorum omnem prorſus inter ea ordinem excludit, quem diſtantia inter Deum & ho- (C) minem continet: qui ſanè ſufficit, vt inter eos vnio eſſe poſſit. Et ad probationem minoris dicimus; conuenientiam in participatione alicuius communis non efficere, vt aliqua ſint inuicem magis vnibilia, niſi ſimul in ordine, ac mutua inclinatione conueniant. Anima enim minùs ab anima; quàm à corpore diſtat, quæ tamen corpori magis quàm animæ eſt vnibilis.

Demonſtratur Diuinitas Meſsiæ primùm ex Scripturis.

(D)

ARTICVLVS VII.

VERA, ac perfecta Dei Religio in futuro expectatiſſimo Meſſia Diuinitatem ita ſemper agnouit, ac fide proſequuta eſt; vt ab ea veluti ex omnium bonorum fonte, vnde tandem orbi redemptio expectanda eſſet, ſuſpenſa pependerit: id apertiſſimè Scripturarum teſtimonia declarant. Atque, vt à Regio Vate exordiar; is in Pſal. 109. ita de Rege Meſſia ſcribit, מרחם משחר (E) לך טל ילדתך *merehhem miſchhar lecha tal ialduthecha. Ex vtero ante Luciferum genui te.* Quem Pſalmum Iudæi ad Regem Ezechiam detorquere nituntur; vt auctor eſt Iuſtinus Mart. *In, Iuſtin.* in Dialogo cum Tryphon. aduerſus Iudæos, & Tertullian. libro quinto aduerſ. Marcion. *Tertull.* cap. 9.

VERVM quàm coacta ſit, & vim textui adferat huiuſmodi Hebræorum interpretatio, facile eſt ex iis, quæ in eo Pſalmo ſcribuntur, deprehendere: nam imprimis cur Ezechiam Dauid Dominum ſuum vocaret;

Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. A quem filium ex ſe procreandum agnoſceceret? quomodo dici poteſt Ezechias ex vtero ante Luciferum genitus, cur in ſplendoribus ſanctorum, quo pacto Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech deſcribitur, qui nunquam futurus erat Sacerdos? Fit ergo, vt Pſalm. de Meſſia ad literam intelligi debeat. Ita affirmant vetuſtiſſimi Hebræorum, Rabbi Iſaac ſuper Gen. Rabbi Barrachias in Gen. & Rabbi Moyſes Hadarſan in cap. 75. Gen. Quod etiam clariùs patet ex tranſlatione Rabbi Ionathan: nam vbi verſio noſtra habet. *Dixit Dominus Domino meo*, ita vertit, *Dixit Dominus verbo ſuo*, vt habetur in libro Kibbuthun, ſeu collectionum, vbi ad probandam Meſſiæ à dextris Dei ſeſſionem locus citatur. Accedat etiam Commentarius Hebræorum Midras Tehilim in Pſalm. 2. verſ. 7. qui expreſsè teſtatur Meſſiæ Regis myſteria in Pſalm. 109. contineri. Hoc idem apertè confirmat gloſſa Hebraica explicans illum verſiculum. אמר אלי בני אתה *ama elai beni atta. Dixit ad me: filius meus es tu.*

R. Iſaac. R. Barrach. R. Moyſes Hadarſan.

Midras Tehilim.

Gloſſa Hebraica.

Hoc igitur ſuppoſito ad teſtimonium accedamus. Duplici argumento ex hoc loco Meſsiæ Diuinitatem aduerſus Iudæos euincimus. Primum ducimus ex verbis. *Ante Luciferum.* Nam cùm Dauid affirmat Meſſiam, de quo hîc loquitur, ante Luciferum eſſe genitum; id ſanè ad temporalem ipſius generationem referri non poteſt, quæ non ante, ſed poſt conditum Luciferum extitit: ſi quidem Vates, vel Luciferi nomine ſydus, quod auroram indicat, vel Angelum de cœlo delapſum ſignificet; id certum eſt, vtriuſque Luciferi ortum omnem hominum propagationem tempore anteceſsiſſe: quapropter neceſſe eſt, hunc locum de æterna, ac Diuina Meſsiæ generatione exponi, quæ omnem Orbis, ac Luciferi creationem præceſsit. Cùm verò nihil ab æterno præterquàm ipſe Dei filius, ac Deus de Deo potuerit generari, inde perſpicuum eſt, Meſsiam eſſe filium Dei, ac Deum de Deo: hoc argumentum adhuc clariùs in ſequenti explicabitur.

Alterum argumentum deſumitur ex prioribus verbis. *Ex vtero.* Illa enim Diuinam naturam quæ in Patre fœcunda eſt, non obſcurè ſignificant: atque ab eo Meſsiam ante omnem orbis, ac Luciferi conſtitutionem ab æterno genitum fuiſſe declarant. Nam vt diligenter obſeruat Tertullianus lib. 3. cont. Marcionem cap. 20. Cuius iſte venter eſt, de quo Propheta generandum fore Meſsiam affirmat? ſanè non ipſius Dauid, cùm Dauid minimè ad generandum aptus eſſet: Dei igitur eſſe debuit, vt inde apertum ſit hunc Meſsię ortum non ad temporalem ex Dauid; ſed ad æternam ex Patris fœcunda mente natiuitatem referendum eſſe; ac proinde Meſsiam, qui Dauidis teſtimonio Dei filius aſſeritur, apertè Deum prædicari.

Tertull.

Consonat huic interpretationi alia huius loci lectio, quæ ſic habet apud Hebræos: *A vulua ex aurora ros natiuitatis tuæ.* Quam lectionem habet Rabbi Iſaac Arama ſuper Gen. Illáque æternam Meſſiæ ſecundùm Diuinam naturam generationem ita declarat. *Non inuenimus* (inquit) *hominem etiam Prophetam, cuius prophetata ſit natiuitas ante natiuitatem patris, & matris, niſi tantummodò* B *Meſſiam iuſtum noſtrum: & propterea dicit Dauid, à vulua ex aurora tibi ros natiuitatis tuæ: hoc eſt, antequam crearetur vulua genitricis tuæ, prophetata fuit natiuitas tua. Et huic conuenit illud: ante Solem propagatur nomen eius, vel filius nomen eius; quoniam antequam crearetur Sol; ſubſiſtens, firmúmque erat nomen Meſſiæ noſtri: erátque ſedens ad dexteram Dei.* Ex quo apertè Diuina Meſsiæ natura declaratur: nam quod antea dixerat de Meſsiæ natiuitatis vaticinio, ad humanam illius naturam referri debet.

R. Iſaac Arama.

Ex noſtris ferè omnes locum hunc de Meſsiæ Diuinitate explicant. Athanaſius de C fide ſua lib. 1. probat hoc verſiculo, filium ab æterno à Patre genitum. Hilarius de Trin. lib. 12. Irenæus lib. 3. cap. 6. Theodoretus de Græcorum affectionibus lib. 2. Ambroſius de fide lib. 4. cap. 4. omnes vterum Patris, intellectum interpretantur, à quo Dei Filius genitus eſt.

Athanaſ. Hilarius. Irenæus. Theodoret. Ambroſ.

Attamen his obſtat, quòd Hebræus textus ita legit. *Merechem miſechar leca tal taldotheca. A vulua ex aurora tibi ros natiuitatis tuæ:* quæ lectio magis temporalem, quàm æternam Meſſiæ generationem videtur inſinuaD re: quod ex Rabbinorum interpretatione colligitur. Ij enim ita interpretantur, *Ros benedictionis tibi fuit in ipſa aurora, quando egreſſus es de vulua:* cui interpretationi videtur fauere Hieronymus, qui ita vertit: *de vulua orietur tibi ros adoleſcentiæ tuæ:* ſed mirum eſt, cùm ſeptuaginta interpretes Hebræi idiomatis peritiſsimi, qui Hieronymum, ac Chriſti aduentum longè antè præceſſerunt, locum hunc tranſtulerint. *Ex vtero ante luciferum genui te:* vnde illa lectio Hieronymo, tum Hebræis irrepſerit. Leo à Caſtro locum hunc, vt etiam multa alia, quæ ad Meſ- E ſiam pertinent, punctorum mutatione à Iudęis corrupta eſſe ſentit: cùm eo Meſsię Diuinitatem nimis apertè declarari cernerent: is enim ex Epiphanio docet, quod ſi legas *Mirechem miſachar ildetica*, addita literula Iod, habebitur: *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Id tametſi verum ſit; cùm tamen vtraque tam Hebræa, quàm Septuaginta lectio planè ſibi reſpondeant; neque ſi ritè expendantur, inter ſeſe differant: non eſt cur

Hieronym. Septuagint.

Leo à Caſtr.

ad

ad hanc cenſuram confugiamus. Dictio enim A *Rechem*, vuluam, matricem, vterum ſignificat: quapropter alij vertunt: *Mirechem*, *ex vulua*, alij, *ex matrice*, alij, *ex vtero*. Porrò quòd *Miſchar*, *ex aurora*, Hebræi legant, parum à noſtra, ac Septuaginta lectione diſtat, qui legunt: *Ante Luciferum*. Lucifer enim eſt ſtella auroræ, quæ ſæpe pro aurora vſurpatur: quò fit, vt idem ſonet ante Luciferum, atque ex aurora, vel ante auroram. Quod tandem ex Hebręo, quod habet: *Leca tal ialdotecha*, *tibi ros natiuitatis tuæ*, *vel natiuitas tua*. Vertunt Septuaginta, *Genui te*: quòd ad ſenſum ſpectat, planè nihil ab Hebraico ſenſu recedunt; licèt in literæ explicatione differant. Ros namque hìc metaphoricè accipiendus eſt: is verò, vt docet Rabbi Salomon, metaphoricè acceptus deſignat ſuauitatem, hilaritatē, dulcedinem: idcirco cùm dicitur, tibi ros natiuitatis tuæ, idem planè ſignificat, quod, tu es ſuauiter genitus. At verò LXX. cùm rem profundiùs expenderent, ac toto ferè Pſalmo Deum cum Meſsia colloqui animaduerterent; puriorem ſenſum ſequuti ad Deum loquentem verba retulerunt. *Genui te*. Eſt ergo vtraque lectio, quoad literæ ſenſum, omnino concors.

B

R. Salomon.

C

P O R R O ſi illius ſignificatum ſpectamus, haud dubium eſt vtraque lectione Meſsiæ diuinitatem, ac æternitatem explicari: ſiquidem vulua, vel vterus Dei occultam illius, penitúſque incognitam ſubſtantiam pandit: neque id nouum eſt in Scripturis, vterum pro diuinæ ſubſtantiæ arcano, ac Deitate vſurpari: legitur enim apud Iſa. 46. שמעו אלי בית יעקב העמסים מני בטן הנשאים מני רחם: *ſcimmeghu elai beth iaghakau hagh amuſim minni veten hannesuim minni rahbā. Audite me domus Iacob, qui portamini à meo vtero, qui geſtamini à mea vulua.* Vbi vteri, ac vuluæ nomine diuinitas ſignificatur: quòd igitur Meſsias dicitur ex vtero, vel vulua ante Luciferum, vel auroram à Deo genitus, id æternam illius generationem declarat: neque enim id inſinuare vult, quaſi is paulo ante Luciferum, vel auroram genitus ſit; ſed quòd Lucifer, vel aurora (vt ait Genebrardus) ſit ſymbolum durationis temporariæ, & ſæculorum: quaſi dicat, ante ipſa ſæcula: atque eò ſpectat, quod legitur Eccleſ. 24. *Ego ex ore altiſsimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam.* Vel quòd ante auroram ex qua tempus, ex diurno Solis motu fluere cœpit, cùm ſola æternitas quieſceret, Meſsias genitus fuerit. Demum quemadmodum per illud: *Ex vtero*, vel *ex vulua*, diuina Meſsiæ natiuitas inſinuatur: ſic per illud: *Ante Luciferum*, vel *ex aurora*, diuinæ illius generationis æternitas panditur. Huic teſtimonio reſpondet illud Pſalmi 2. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.* Nam cùm Pſalmus ille ſit de Rege Meſsia, vt prima ipſius verba declarant,

Iſa. 46.

D

Eccleſ. 24.

E

Pſalm. 2.

quæ apertè Meſsiam nominant, cùm dicitur: *Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.* Quæ poſtrema verba Chaldæus Paraphraſtes ita vertit, *Vt certent cum Meſsia eius.* Eo profectò diuina Meſsię generatio explicatur. Sed quoniam de hoc teſtimonio plura in ſecundo articulo agemus, eo prætermiſſo ad ſecundum venio.

S E C V N D V M teſtimonium accedat ex Pſalm. 71. vel 72. iuxta Hebræorum numerum לפני שמש ינון שמו *lephnei ſchemeſch innon ſcemo. Ante Solem permanet nomen eius.* Vbi iuxta Hebraicam veritatem legi deberet. *Ante Solem filiatum eſt, vel filiabitur nomē eius.* Quod declarat dictio Innon à Nin, quod ſignificat filium. Hanc enim eſſe veram tranſlationem huius loci præter Burgenſem, Pagninum, & Vatablum, reſtatur etiam gloſſa Hebraica in Pſalm. 91. vbi dicit Meſsiam Innon vocandum eſſe. Iuxta hoc gloſſæ commentum legi deberet: *Ante Solem filius nomen eius.* Quod apertè diuinam Meſsiæ generationem declarat, qua ante Solem, atque ab æterno Dei filius nuncupatur. Neque dubitandum eſt iuxta antiquiorum Hebręorum ſententiam, quin Pſalmus iſte totus de Meſsia intelligendus ſit: quapropter ſiue Hebraicam, ſiue LXX. lectionem amplectamur, inde perſpicua ſit Meſsię diuinitas; cùm vel Meſsias ante Solem ſeu ab æterno filius, vel illius nomen à Scripturis æternum aſſeritur; quod nulli præterquàm Dei nomini conuenire poteſt.

Pſalm. 72.

T E R T I V M teſtimonium deſumitur ex verbis Iſaiæ cap. 7: הנה העלמה הרה וילדת בן וקראת שמו עמנואל *hinne haghalma hara veioledeth ben vekarath ſcemo ghimmánuel. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Quod quidē celeberrimum eſt de Meſsia teſtimonium, tametſi Hebræi illud ſuis expoſitionibus labefactare conentur. In eo Vates Iſaias quatuor nobis expendenda offert. Primum, hìc non vulgare aliquod, aut leue, ſed maximū, atque inſolitum à Deo ſignum promitti, quod ex ipſo textu elicitur. Nā cùm Iſaias Achaz Regem Iuda monuiſſet; vt quod voluiſſet, ingens ſignum à Deo peteret, quod vel è cœlo ſurſum, vel ex Inferni profundo. ſibi dari optaret; eo recuſante, ſtatim ſignum Iſaias Dei nomine pollicetur; quod quibuſlibet ſignis, quæ vel à cœlo, vel à terra, vel ab inferis exhiberi poſſent, æquari valeat. לכן יתן אדני הוא לכם אות הני העלמה הרה *lachen itten adonai hu lachem oth hinne hagalma hara. Propter hoc (inquit) dabit Dominus ipſe vobis ſignum: ecce Virgo concipiet*, &c. Secundò expendi debet hoc ſignum non alteri familiæ, ſed domui Dauid tantùmmodò promitti; ex cuius ſemine naſcituros erat Meſsias. *Audite ergo* (ait) *domus Dauid*, &c. Vt hinc faciliùs cōſtet ſignum

Iſa. 7.

hoc ad Meſſiæ ortum pertinere: nondum verò ſigni cauſam attingo, quæ poſtea declaranda erit. Tertiò maximum hoc, & admirabile ſignum Vates declarat eſſe Virginis conceptum. *Ecce Virgo concipiet*, &c. Quartò denique Filium ex hoc Virginis conceptu genitum, quo indubiè Meſſiæ natiuitas inſinuatur, ait appellandum fore Emmanuel. *Et vocabitur nomen eius Emmanuel.*

Mirvm eſt, quàm apertè torqueantur Hebræi ab hoc ſigno; quantúmve conentur illius auctoritatem minuere, vt Virginis partum opprimant: nam cùm pro eo, quod nos legimus *Virgo*, illi habeant dictionem העלמה *haghalma*, nullum non lapidem mouent, quo oſtendant haghalma non Virginem incorruptam, ſed adoleſcentulam, ſiue ea Virgo, ſiue corrupta ſit, ſignificare, ac propterea vertendum eſſe. *Ecce adoleſcentula concipiet*: at ij cùm nulla prorſus ratione id affirment, odio magis, ac contradicendi libidine, quàm veritate eos duci exiſtimandum eſt: nam apud Hebræos, vt tradit Galat. lib. 7. arcan. c. 15. & Adrian. Fin. lib. 2. Flagel. cap. 9. & ipſis Hebræis notiſſimum eſt: tria ſunt nomina ſibi inuicem cognata. Primum eſt, נער *Naara*, alterum בתולה *Bethula*, tertium העלמה *hahalma*, quæ ſignificatione inter ſeſe differunt. Naara puellam ſignificat, ſiue Virgo illa ſit, ſiue non: ſolius enim ætatis rationē habet. Bethula propriè Virginem deſignat; ſiue illa puella ſit, ſiue anus; ad ſolam enim Virginitatem refertur. Hahalma ad vtrúnque ſpectat: complectitur enim & adoleſcentulam, & Virginem. De Naara quòd aliquando pro Virgine vſurpetur, apertum eſt teſtimonium Gen. 24. vbi de Rebecca legitur הנער אשר אמר אליה השעא כדך ואשתה *hannaghara aſcer omar elaiah hattina chaddech veeſcte. Puella cui ego dixero, inclina hydriam tuam, & bibam*, &c. & paulò poſt. *Vocemus puellam.* vtrobique habetur *Naara*: quod verò pro adoleſcentula ſiue Virgine, ſiue corrupta ſumatur, declaratur in lib. Ruth cap. 2. quo loco Booz Ruth his verbis alloquitur. שמעת בתי אל תלכי ללקט בשדה אחר וגם לא תעבורי מזה וכה תדבקין עם נערתי *ſcíamaghat bitti al telechi lilkot beſade aſcer vegam lo thughauuri mize vecho tidbakin ghim nagharotei. Audi filia, ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco; ſed iungere puellis meis.* Pro puellis Hebraicè eſt *naaroth*, puellas verò famulas vocat, quas nemo cogitur omnes Virgines fateri.

De Bethula nulla eſt dubitatio apud Hebræos, quin ſolam Virginem denotet: tametſi inter Catholicos nonnulli, ex quibus

Epiphanius. eſt Epiphanius lib. 2. cont. hæreſ. & ex recen-

Leo à Caſt. tioribus Leo à Caſtro in Iſai. etiam corruptā ſignificare contendant, ſed cùm id leuiori teſtimonio probent, quàm res poſtulat, &

A communis Hebræorum phraſis, ac traditio, ac demum ipſa Scripturarum loca vbique *Bethula* pro Virgine non corrupta vſurpent: Hebræis potiùs in hac parte credendum exiſtimo: de Bethula namque legitur Gen. *Gen. 24.* 24. cùm de Rebecca agitur. *Puella decora nimis, Virgóque pulcherrima*: vbi apud nos eſt Virgo, Hebraicè eſt *Bethula*. At verò quòd *Halma* vtrunque & adoleſcentulam, & Virginem complectatur; manifeſtè ex eo declaratur, quòd ea vox in Scripturis non niſi Virginibus, iiſque adoleſcentulis accommodari ſolet, quod patet Gen. 24. vbi ita de Re-

B becca ſcribitur. והעלמה היצאת לשאב. *Vehaghalma haiotſeth liſhou. Et Virgo, quæ egredietur ad hauriendam aquam*, vbi ex ipſo contextu apertiſſimum eſt, *Hahalma* Virginem adoleſcentulam nuncupare, cùm paulò poſt eandem Rebeccam *Bethulam*, id eſt, Virginem appellet. והנער טבת מראה מאד בתולה. *Vehannaghara thouat mare meod Bethula, puella decora nimis, Virgóque pulcherrima.* Quo nomine ſolam Virginem deſignari diximus: præterea Cant. 1. vbi apud nos eſt *Adoleſcentulæ dilexerunt te.* Hebraicè עלמות *halamoth*, quod Hebraicum Commentarium interpretatur *Be-*

C *thuloth*, Virgines.

Id confirmat Hieronymus in Comment. *Hieronym.* in hunc locū, vbi de hac dictione *Halma* ſcribit in hunc modum. *Halma non ſolùm puella, vel Virgo, ſed cum Epitaſi Virgo abſcondita dicitur, & ſecreta: quæ nunquam virorum patuerit aſpectibus, ſed magna parentum diligentia cuſtodita ſit: lingua quoque punica, quæ de Hebræorū fontibus manare dicitur, propriè Virgo halma appellatur.* & infrà. *Et quantùm cum mea pugno memoria, nunquàm me arbitror halma in muliere nupta legiſſe: ſed in ea, quæ Virgo eſt, vt non ſolùm Virgo ſit, ſed Virgo iunioris ætatis, & in an-*

D *nis adoleſcentiæ.* Confirmatur tandem ex radice עלם *ghalam*, à qua ortum habet dictio *halma*, quæ ſignificat latere, abſcondere, occultare, vt idem ſit halma, quod abſcondita, vel incognita viro: Iudæis enim mos erat cùm Virginem viro copularent, eam ita velo operire, & abſcondere; vt à nemine antequàm deſponſata eſſet, aut videri, aut tangi poſſit: inde halma nomen profectum eſt, quaſi virgo abſcondita. Quam nominis deriuationem probat Hieronymus lib. 1. cont.

E Iouinianum his verbis. *Quid eſt* (inquit) *quòd ſignificat halma? abſconditam virginem: ſed cum Epithaſi virginem, quia non omnis virgo abſcondita eſt, nec ab hominum fortuito ſeparata conſpectu.*

Neqve hoc latuit R. Dauid, qui in ea verba Pſalmi 67. קדמו שרים אחר נגנים בתוך עלמות תופפות *kiddemu ſciarim ahhar nogenim bethoch ghalamoth tophephoth. Præuenerunt Principes coniuncti pſallentibus in medio iuuenculaurum tympaniſtriarum*, ait terminum illum *ghalamoth*, quem nos (iuuencularum) vertimus,

Digitized by Google

A mus, Virgines in plurali ſignificare, cuius ſingulare eſt, Halma: hac potiſſimùm ratione, quòd mos eſſet Iudæis; quoties pro parta victoria Deo gratias referre vellent, choros inſtituere, in quibus primi populi Principes incederent; deinde cantores: inter quos pſallebant Virgines, in quarum cœtu nulla mulier admittebatur, quæ eſſet cognita viro: atque inde elicit nomine Alamoth Virgines appellari: quapropter falſum eſt, quod idem ſcribit in lib. Radic. Halma vocari tam Virginem, quàm nuptam: cùm nullo id Scripturarum teſtimonio probare poſſit: & miror
B qua ratione (niſi ea ſola perfidia ſit, aut contradicendi libido) hoc loco Halma ad vxorem Prophetæ, aut Achaz transferat; cùm ea vox non poſſit præterquàm de Virgine exponi. Quod enim hoc ſignum eſſet tam inſigne, ac tam præclarè à Deo celebratum, ſi nupta, non Virgo pareret? Euoluant Iudæi Scripturas; inuenient profectò, nullum vnquam ſignum à Deo datum fuiſſe, quod naturæ ipſi inſolitum non fuerit. Moyſi, Eliæ, Gedeoni data ſigna cuncta naturæ ordinem exceſſerunt: diuinum namque ſignum eſt (vt docet Chryſoſtomus) in quo diuina quædam *Chryſoſtom.*
C virtus oſtenditur. At vbinam iſthæc in tam celebri ſigno Dei virtus perſpicua eſſet; ſi nupta ac viro copulata paritura prænuntiaretur; cùm id à natura fieri ſoleat? Altiùs igitur atque excellentiùs de hoc ſigno ſentiendum eſt, quod Deus ita ſingulari, & eximia verborum emphaſi luculenter extollit, cùm ait. ***Propter quod dabit Dominus ipſe vobis ſignum***, vt illud non ad nuptæ vxoris Prophetæ, aut Achazi, ſed ad Virginis Meſſiæ matris conceptum reſpicere certò credamus. Ex iis perſpicuum eſt, maximum hoc ſignum à Deo ſolùm domui Dauid promiſſum, eſſe admirabilem Meſſiæ ortum; cùm hic locus totus
D de Meſſia proculdubiò ſit intelligendus.

Nec interim ignoro, quid nobis obiiciant Hebræi. Signum videlicet, quod Regi Achaz promittebatur, eò ſpectare; vt ipſe certò ſibi perſuaderet, ſe è duorum Regum, Syriæ nimirum, & Iſraëlis poteſtate liberandum; quorum copiis tunc vrbs Ieruſalem obſeſſa premebatur: idque ex ipſo contextu ſeptimi capitis probant: de Meſſia autem nullam hîc mentionem fieri volunt.

At quamuis non inficiemur, ſignum quodammodo ad Ieroſolymorum liberationem declarandam promitti; tamen illud potiſſi-
E mùm ad Meſſiā ſpectare, ea ratio vrget: quòd Ieroſolyma dirè obſeſſa, cùm Achaz, & vniuerſi extrema adeſſe tempora pertimeſcerēt, quibus à Iuda ſceptrum auellendum eſſet; quod ea verba textus non obſcurè inſinuant: ***Et commotum eſt cor eius, & cor populi eius, ſicut mouentur ligna ſyluarum à facie venti***; iuſſit Deus Iſaiā egredi in occurſum Achaz, eúmque hoc timore perterritum certa ſoluendæ obſidionis ſpe ſolari; neque fieri poſſe, vt Regni euerſionem metuat, aut auferendum à Iuda Dauidicum ſceptrum formidet, donec maximum illud ſignum dederit, quòd Virgo filium Meſſiam peperit, qui vtramque, & hominis, & Dei naturam in vna perſona connectat, ita enim vaticinatus fuerat Iacob Geneſ. cap. 49. לא יסור שבט מיהודה ומחקק מבין רגליו ***lo iaſur ſceuet mihuda vmhhokek miben raglau. Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore, &c.*** *Geneſ. 49.*

Quod ſi ad ſolam vrbis liberationem ſignum promiſſum pertinere volunt; dicant quando expletum fuerit vaticiniū? quo tempore Virgo pepererit? vbinam reperiatur filius Emmanuel? ſanè fruſtrà ad Ezechiam diuertunt, cùm ea nullo modo illi accommodari valeant. Sciant igitur hoc præclariſſimum eſſe de Meſſia teſtimonium à Vate exhibitum, neque ad alium illud transferri poſſe.

Verum enimuerò cùm hæc de temporali Meſſiæ generatione, quæ in humana illius natura complenda erat, à Vate dicta ſint; quarto loco diuina illius natura explicatur extremis illis verbis. ***Et vocabitur nomen eius Emmanuel.*** Id enim nomen diuinam ſimul, & humanam naturā exprimit (exponitur namque nobiſcum Deus) neque vlla de hac huius nominis interpretatione inter nos, & Hebræos controuerſia agitur. En quàm apertè hîc duplex Meſſiæ natura, diuina ſcilicet, & humana declaratur; cùm non aliud inſinuet nobiſcum Deus, quàm Deus homo. Neque enim exiſtimandum eſt, hoc Meſſiæ nomen tantùm appellatiuū eſſe; cùm tātùm ſubſtantiuum ſit: neque ad exteriorem nominis appellationem referri debeat; ſed ad intrinſecam illius naturam, ac ſubſtantiam declarandam à Vate exprimatur, quod ipſa quoque ratio perſuadet: nam & alibi apud eundem Eſaiam legimus Meſſiam appellandum eſſe, ***Admirabilem, conſiliarum, Deum, fortem, Patrem futuri ſeculi, Principem pacis.*** Quæ non appellatiua, ſed ſubſtantiua nomina duntaxat eſſe, atque ad ampliſsimas potiùs illius naturæ opes manifeſtandas, quàm ad externam nominis appellationem explicandam illi impoſita fuiſſe nemo ignorat. Cùm igitur Iſaias dicat Meſſiam intrinſecè Emmanuel vocandum eſſe, ac Deum eum homine coniunctum ad in- *Eſa. c. 9.*
E trinſecam Meſſiæ naturam pertinere, an non manifeſtum eſt, Meſſiam à Vate, non tam hominem, quàm Deum pronuntiari?

Qvartvm teſtimoniū eſt eiuſdē Iſaiæ c. 9 כי ילד ילד לנו בן נתן לנו ותהי המשרה על שכמו ויקרא שמו פלא יועץ אל גבור אבי עד שר שלום: למרבה המשרה ולשלום אין קץ על כסא דוד ועל ממלכתו להכין אתה ולסעדה במשפט ובצדקה מעתה ועד עולם ***chi ieled iullad lanu*** *Iſa. c. 9.*

lanu ben nittan lanu vattehi hammiſra ghal ſcichmou, vaykra ſcemo pele ioghets el gibbor aui ghad ſar ſchalom lemarbe hammiſrah vlſcialom ein kets ghal kiſſe David veghal mamelacheto lenachin otah vle ſaghadah bemiſphat vbitſadaca meghata veghad gholam. Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis: & factus eſt principatus ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſaculi, princeps pacis: multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis; ſuper ſolium David, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iuſtitia à modo, & vſque in ſempiternum. A

B PLVRA in hoc teſtimonio Meſſiæ diuinitatem manifeſtè exprimunt, quæ perperam Iudæi recentiores ad Ezechiam deflectere conantur, cùm nullo pacto in eũ quadrare poſſint: quis enim Iudæorum, qui in diuinis nominibus homini tribuendis ita auari ſunt, Ezechiam Dei nomine Admirabilem appellare audeat? quo nomine Deus duntaxat in Scripturis appellari ſolet, vt patet Iud. 13. cùm Angelus, qui Dei perſonam gerebat, Manue de nomine ſiſcitanti, reſpondit: *quid quaris nomen meum, quod eſt mirabile.* [Iudic. 13.] C Et quod magis vrget, quo pacto Dei nomen Ezechiæ conuenire volunt? Itáne deſipiunt, vt Ezechiam Deum אל appellandum putent? quo nomine apud Hebræos Deus tantùm appellari ſolet. Dicant præterea quomodo multiplicatum fuerit Ezechiæ imperium, qui ſolo diuiſo regno à Patre accepto contentus fuit: dicant quo pacto pacis illius non fuerit finis, qui ab exercitu Sennacherib inuaſus ſeipſum, vrbémque ſuam excidio proximam vidit? Dicant, qua ratione ſolium, ac Regnum David in iudicio, ac iuſtitia perpetuò confirmauerit, ac corroborauerit: cùm Manaſſem filium in regno ſucceſſorem acceperit, qui in idola prolapſus, & D ſolium, & Regnum David fœtidiſſimis abominationibus contaminatum amiſit? Dicant tandẽ, quo iure Pater ſempiternus, vel æternitatis nuncupetur, cuius penitus nunc proles extincta ſit?

[R. Moyſes Ægyptius.] MELIVS ergo proculdubio ſenſit R. Moyſes Ægyptius, qui ſcribens de dignitate, virtute, atque excellentia Regis Meſſię ad quoſdam Rabotenos, id eſt, Magiſtros Hebræos; docet nomina hæc cum epithetis ſuis, quæ hîc à Propheta deſcribuntur, dici de pueto naro, qui eſt Rex Meſſias. Præterea R. Auenazra [R. Auenaz.] in huius loci explicatione idem omnino ſentit, qui cùm à quibuſdam accuſaretur, E quòd Meſſiam Deum appellaret: timens è Synagoga expelli; coactus eſt, quæ dixerat, Ezechiæ Regi accommodare, quem poſtea R. Salomon [R. Salomon.] inſignis locorum, quæ de Meſſia ſunt, corruptor, & alij nonnulli ſequuti ſunt: quos tamen redarguit tranſlatio Chaldaica [Chald. tranſl.], quę hoc vaticinium non ad Ezechiam, A ſed ad Meſſiam refert, his verbis. *Infans natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, & ſuſcipiet legem ſupra ſe ad conſeruandum eam, & vocabitur nomen eius, mirabilis conſilio, Deus fortis, permanens in ſæcula ſæculorum Meßiach, ab ipſo pax multiplicabitur in diebus noſtris.*

FIXVM igitur ſit, ac immotum; vaticinium hoc de Meſſia intelligendum eſſe, cùm omnia palàm in eum quadrent: nam primò quòd Vates in præterito ait. *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis*; more Prophetico præteritum pro futuro vſurpat: Prophetis namque, qui futura velut præſentia cer- B nunt, illis etiam futura pręterita videntur; niſi malimus præteritum iſtud ad firmiſſimũ Dei decretum referre: ac ſi dicat, adeò fixum hoc eſſe Dei decretum, vt paruulus nobis naſcatur, vt non ſecus illud firmum ſit, quàm ſi iam natus eſſet.

NOTANDA præterea eſt diſtinctio illa Paruuli nati, & Filij dati; quandoquidem ſenſu non vacat: duplicem enim Meſſiæ naturam in vnico ſuppoſito vnitam inſinuat. Paruulus etenim natus, ad humanam naturam ex B. Maria Virgine genitam refertur: filius C verò datus æternam Meſſiæ generationem, & diuinam naturam, qua filius Dei eſt, complectitur: quapropter notandum eſt non dixiſſe Vatem, filium natum eſſe nobis, ſed datum; vt æternum illius à Patre ortum annueret: ſic enim teſtatur Ioan. 3. [Ioan. 3.] *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.*

APERTIVS deinde diuinam Meſsiæ naturam indicat, cùm ait. *Et vocabitur nomen eius Admirabilis.* Hebraicè פלא *Pele*, quo nomine Deus appellari ſolet in Scripturis: eo namque Angelus ille, qui Dei nomine Manue Patrẽ Samſonis alloquutus eſt, cùm illi Samſonis ortũ prædiceret, ſeipsũ appellauit, D vt habetur Iud. 13. למה זה תשאל לשמי והוא פלא. *lamah zeh tiſchal liſchmi vehu pele. Cur quaris nomen meum, quod eſt mirabile?* Inde nonnulli exiſtimarunt nomen *pele* proprium fuiſſe illius Angeli, qui cum Manue loquebatur: quam ſententiam Leo à Caſtro in hunc locum Iſaiæ, tribuit LXX. Interpr. Id tamen minùs certum eſt. Quòd ſi ob tantorum virorũ auctoritatem nonnihil eorum ſententiæ deferre volumus, eam duobus modis declarandam cenſeo: vel enim Angelus ille eo ſe nomine idcirco appellauit, quòd Dei maieſtatem tunc referret; cui duntaxat congruit E eſſe mirabilem, atque hoc veriſsimum eſſe puto: nam cùm Angelus tunc Dei perſonam gereret (vt ex ipſo literæ contextu patet) cùm Manue poſt Angeli diſceſſum ait. *Morte moriemur, quia vidimus Deum*, &c. De nomine interrogatus non aliud, quàm Dei nomen proferre debuit, vt ſe Dei perſonam referre indicaret, vel cum Angelum potiùs ipſum Dei Filium eſſe credimus, vt videntur non

nulli

Digitized by Google

nulli ex Catholicis Doctoribus ſentire: cui illud nomen ex ſui natura, qua Deus erat, congrueret: quemadmodum etiam eundem Angelum illum eſſe volunt, qui cum Iacob luctatus eſt; quod velut certum docet Synodus Smyrnenſis. Priorem ſententiam 70. eſſe exiſtimo: neque enim credibile eſt 70. peritiſſimos, ac eruditiſſimos viros, nomen quod ſolius Dei, propter naturæ excellentiam omnibus admirabilem proprium eſt, Angelo voluiſſe tribuere; niſi quatenus illius perſona fungeretur. Quapropter cùm Iſaias puerum hunc eodem *Pele* nomine, quo Deus appellari ſolet, vocitet; ſanè non obſcurè illum Deum appellat.

AT verò apertiſſimè citra omnẽ verborũ obſcuritatẽ, ac ſalebras proprio Dei nomine eundem Meſſiam Deum appellat, cùm ait. *Vaichare ſeu Vayikra ſcemo lele ioets el. Vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus.* Neque id vllo modo inficiari valent Hebræi, cùm El inter Dei nomina, quæ nulli abſolutè præterquàm Deo tribui ſolent annumeretur. Nam licèt interdum homines Deos appellatos eſſe ex Scripturis conſtet, vt Exod. c. 7. *Conſtitui te Deum Pharaonis*, & Pſ. 81. אני אמרתי אלהים אתם ובני עליון כלכם *ani amarti elohim attem vueni ghelion kullechem. Ego dixi Dy eſtis, & fily excelſi omnes:* nunquam tamen id nomen abſolutè illis attribuitur, niſi ſub aliqua circunſtantia. Moyſes enim Deus conſtituitur non abſolutè, ſed Pharaonis, Dauid quoque Deos Principes appellat, ſed ſub hac ratione, vt mortales ſint. *Vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut vnus de Principibus cadetis.* Hic verò nulla conditione appoſita Meſſias abſolutè Deus nuncupatur: vnde apertè colligitur illum abſolutè Deum à Vate pronuntiari. Hac ratione ſi quando iudices in Scripturis Deos appellari contingat, vt Exod. 22. *Ad Deos vtriuſque cauſa perueniat*, & eodem cap. אלהים לא תקלל *Elohim lo tekallel. Diis non detrahes*; ij non in ſingulari, ſed in plurali numero Dij, non Deus nuncupantur, quod apertè demonſtrat, eos non natura, ſed nuncupatione ſeu præſidẽdi officio eſſe Deos: at nõ ſic de Meſſia agitur: nam cùm Vates Meſſiam in ſingulari numero Deum vocandum eſſe affirmet: planè illum non nuncupatione tantùm, ſed natura Deum eſſe docet.

AT Iudæi iuniores cùm hac parte ſe preſſos vident, ab altera calumniam parant: verba enim huius loci, & ſenſum ita peruertunt, vt quod à Propheta dicitur. *Et vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis*, ipſi ſenſum, ac literam inuertant, atque ita locum eſſe exponendum dicant. *Deus noſter fortis, qui eſt admirabilis, conſiliarius, & Pater futuri ſæculi, vocabit puerum natum, hoc eſt, Regem Meſſiach Principem*

A *pem pacis.* Quæ ſanè expoſitio ita eſt à literæ veritate, ac genuino ſenſu aliena, vt oculis ipſis perſpici poſſit. Nam olim in Hebræo non fuiſſe *Vaikra vocabit*, ſed *Vehicare vocabitur*, ac Vehicare non vahijcra legendum eſſe apertè ipſa literæ expoſitio declarat: nam Vahijcra eſt verbum Kal, quod poſt ſe accuſatiuum regit: accuſatiui autem nota eſt eth, interdum lamed, vt Hebræis exploratum eſt: nam Gen. 1. *Vocauit Deus firmamentum cœlum.* Hebraicè, ויקרא אלהים לרקיע *Vahycra Eloim larakyangh*, *& vocauit aridam terram*, Hebraicè ויקרא אלהים ליבשה *Vahycra Eloim lata-*
B *baſſa:* vbi *lamed* eſt nota accuſatiui caſus. In 4. verò cap. *Et vocauit nomen eius Enos* ויקרא את שמו אנוש *Vahycra eth ſcemo Enos*, & infrà, ויקרא את-שמו *& vocauit Seth Vahycra eth ſcemos.* Demum iuxta Grammaticas regulas id obſeruari debet, accuſatiuo notam illam proponi. Nominatiuus autem nullam notam exigit: quapropter tunc nominatiuus agnoſcitur cùm ea nota caret; vt patet ex pluribus Scripturæ locis, vt Gen. 2. *Vocabitur virago* יקרא אשה *ycare iſſa.* & Geneſ. 21. ביצחק יקרא לך זרע *Beitſchac ycare leca zeragh.* *In Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Si itaque hoc
C loco legendum eſſet, *& vocabit nomen eius* ויקרא שמו *Vahycra ſcemò*, abſque dubio illi ſcemò, & aliis ſequentibus nominibus eſſet præponendus articulus notans accuſatiuum caſum; at cùm nullus ibi affigatur articulus, inde colligitur omnia in nominatiuo legenda eſſe; ac proinde cùm ea ab actiuo Vahijcra regi non poſſint, eò quòd accuſatiuum expetat; ſequitur legendum eſſe Vehicare paſſiuè, non Vahijcra: vt Grammaticalis ipſa conſtructio locum habeat.

ID verò maximè confirmat lectio 70. Interpretũ, quæ habet paſſiuè *vocatur*, non *vo-*
D *cabit*: cui accedit tranſlatio illa Chaldaica apud Iudæos inſignis, quæ ſic habet. *Et vocabitur nomen eius ab antè mirabilis conſilio, Deus fortis, permanens in ſæcula ſæculorum.* At Rabbini vt locum hunc euerterent, ne ſcilicet ex his nominibus cogerentur fateri, quòd Meſſias eſſet Deus, ex cognata dictione nonnulla puncta mutarunt, quibus non Vehicare, ſed Vahijcra legendum proponerent. Quod ſanè haud difficile illis fuit, cùm puncta tantum modò à 476. circiter annis poſt Chriſti ad-
E uentum in ſacra Biblia ab ipſis Hebræis, nimirum à R. Iacob. ben Naphtali, & ab Aaron ben Aſer inuecta fuerint, vt teſtis eſt Montanus, & Genebrardus in Chronologia, cùm priùs ſine punctis legerentur: atque illi pluſquam Varuniano odio Chriſtianæ fidei myſteria, ea præſertim, quæ ad Meſſiæ Diuinitatem pertinent, proſequerentur, ac abolere cuperent. Quapropter cùm eædem literæ tam in *Vehicare*, quàm in *Vahijcra* reperiantur, facillimũ illis fuit ob Chriſti odium eamerę,

quod erat ſub *coph*, ad *reſch* tranſponere, & A *coph* ſceua quieſcens ſubſternere: qua punctorum mutatione *ycari* in *ycra* transformarent, ſenſum inuerterent, ac Meſſiæ Diuinitatem, quæ inde apertè ſcatebat, ſupprimerent: ſed nec nobis legitimum præſidium deeſt, tametſi *vaycra* legendum eſſet. Nam quòd tertiæ perſonæ accipiantur ſæpe imperſonaliter, ſeu paſſiuè, neque ipſi Hebræi negare
Gen. 16. poſſunt, vt Gen. 16. *Vocabitur nomen puteo*, &c.
Leuit. 13. Leuit. c. 13. *Immundus immundus vocabitur.* Deu-
Deuter. 15. teron. 15. *Quoniam vocabitur remiſſio Iehoua.* His omnibus locis legitur ויקרא *vaycra*: vt hinc manifeſtè appareat Iudæos perfidia ma- B gis, quàm veritate pugnare, vt Meſſiæ Diuinitatem opprimant.

A T præterea confirmatur eiuſdem Diuinitas illis ſequentibus verbis, *Multiplicabi-*
Adrian Fin. *tur eius imperium.* Vbi Adrianus Fin. lib. 2.
Pet. Galat. Flag. cont. Iud. cap. 7. & Galat. lib. 7. arcan.
R. Hauchu. cap. 13. ex ſententia R. Hauchu celeberrimi
R. Haecados Thalmudiſtæ, & R. Haecados ſummæ apud Hebræos auctoritatis, abditiſſimum iis verbis myſterium contineri tradunt, cùm in dictione למרבה *lemarbe, multiplicandum* ponitur ם clauſa in medio dictionis, quæ apud Hebræos nunquam poni conſueuit; C præterquam in fine: ex quo non immeritò futuri Meſſiæ imperij æternitatem nunquam corrumpendam deſignari colligunt. Quod etiam ſequentia verba non obſcurè indicant *Et pacis non erit finis. Super ſolium Dauid, & ſuper Regnum eius ſedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iuſtitia, & iudicio amodò, & vſque in ſempiternum.* Iam quis imperij, pacis, iuſtitiæ, & iudicij æternitatem præterquàm ſoli Deo tribuat; cuius iuxta Sibyllinum dictum Imperium ſine fine manet? Cùm igitur cùm imperij, tum pacis, tum iuſtitiæ, tum iudicij æternitas ab Eſaia Meſſiæ tribua- D tur, apertiſſimè conſtat Meſſiam æternum eſſe; ac proinde eundem, cùm æternus aſſeritur, eſſe Deum.

Q V I N T V M teſtimonium ex eodem Iſaia
Iſa. c. 48. cap 48. declaratur illis verbis לא מראש בסתר דברתי מעת היותה שם אני ועתה אדני יהוה שלחני ורוחו *lo meros baſſether dibarti meghetb hetothab ſciam ani veghata adonai iehoua ſcelahhni veruhho. Non à principio in abſcondito locutus ſum, ex tempore antequam fierent, ego eram, & nunc Dominus Deus miſit me, & ſpiritus eius.* Hæc verba Dei ipſius eſſe nemo dubitare poteſt, qui priùs ex contextu literæ cum dicen- E tem agnouit שמע אלי יעקב וישראל מקראי אני הוא אני ראשון אף אני אחרון אף ידי יסדה ארץ *ſcemangh elai iaghakou veiſraël mekorai ani hu ani griſcion aph ani ahharon aph iadi iaſda erets. Audi me Iacob, & Iſraël, quem ego voco Ego ipſe, ego primus, ego nouiſſimus. Manus quoque mea fundauit terram*, &c. Iam verò à Iudæis quæro, quid de hoc teſtimonio ſentiant; nam A cùm Deus hîc apertè loquatur, & ſe à principio palàm loquutum, & ante omnem rerum creationem fuiſſe teſtatur: quomodo immediatè ſe à Domino Deo, & à ſpiritu eius miſſum dicit; neque vllis verborum ambagibus, aut ſermonũ implicationibus vſus hoc ipſum apertè pronuntiat? *Et nunc Dominus Deus miſit me, & ſpiritus eius.* Quid? an non apertè hîc Deus ſe à Deo miſſum fatetur, & à ſpiritu eius? At vnde hoc ſibi perſuadere poſſunt Hebræi, niſi Meſſiam Deum, ac Dei filium loquentem agnoſcant, qui à Patre Spiritu ſancto operante ad humanæ carnis aſſumptio- B nem miſſus fuerit? Hac enim ratione mitti competit filio: nam cùm is à Patre ab æterno genitus fuerit, inde mittendi auctoritas penes Patrem reſidet, à quo is totam eum generatione Diuinitatis naturam accepit. Diſcant igitur Hebræi Meſſiæ Dei hæc verba eſſe, quibus ſe ad orbis Redemptionem aliquãdo à Patre Deo mittẽdum eſſe declarat. Is enim eſt, qui à principio, cùm ipſa Patris ſapientia eſſet, palàm olim loquutus eſt, cùm legem traderet. Is eſt, qui cùm Deus eſſet, omnem temporis, ac mundi conſtitutionem anteceſſit. Is tandem eſt, quem Hebræi Meſſiam, ac C totius orbis Redemptorem humana carne indutum excipere deberent, velut à Deo miſſum; vt hinc ſe veros Iſraëlitas, ac Abrahæ filios declararent, dum non tantùm hominem, ſed & Deum eſſe credunt.

S E X T V M teſtimonium elicitur ex eodem Iſaia cap. 45. vbi de Meſſia agens, ait, Iſa. c. 45.
הרעיפו שמים ממעל ושחקים יזלו צדק תפתח ארץ ויפרו ישע *harghiphu ſamaim mimmaghal vſchakim izelu tſedek thiphethahh erets veiphru ieſagh. Rorate cœli deſuper, & nubes pluãt iuſtũ, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Tũ paucis interiectis אך בך אל ואין עוד אפס אלהים אכן אתה D אל מסתתר אלהי ישראל מושיע *ach bach el veen ghod ephem elohim achen atta el miſtatter elohe Iſraël moſciangh. Tantùm in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus, verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Saluator.* Ex ipſo textu literæ ſatis apertum eſt, extrema hæc verba ad iuſtum illum, de quo priùs fuerat ſermo, referenda eſſe: quod vel ex eo perſpicuum eſt, quòd Deus eſt, qui toto hoc capite loquitur, vt patet, cùm ex principio capitis, quod incipit. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro*: tum quia apre illa priora verba, ait. אני יהוה ואין עוד *ani Iehoua veen ghod. Ego Dominus, & non eſt alter*, &c. E Quapropter cùm toto illo capite vſque ad finem Deus ſermonem proſequatur; ſanè exploratum eſt, extrema quoque illa verba. *Tantùm in te eſt Deus*, &c. alterius non eſſe, quàm Dei loquentis: cùm verò tantùm de iuſto illo ac Saluatore tunc mentio fiat; inde manifeſtum eſt, ad eum tantummodò illa referri debere.

C O N T E N D V N T quidem Hebræi, cùm de

de Cyro Perſarum Rege in principio capitis
menrio fiat, rotum propterea caput ad Cy-
rum pertinere. Ar quamuis non inficier mul-
ta de Cyro ad literā eſſe intelligenda,& fortè
omnia de Cyro explicanda ſint vſque ad illa
verba. *Rorate cœli*,&c. Attamen vbi ad propo-
ſita verba ventum eſt, quæ ad finem capitis
vſque leguntur, Cyro nullo modo accōmo-
dari poſſunr: oſtendant enim Hebræi, quo-
modo iuſti nomen Cyro conueniat, qui cul-
tor idolorum ſemper extitit? quomodo cum
eo Iuſtitia,quæ omnia virtutum genera com-
plectitur, orta dicatur; qui nec primum fidei
fundamentū attigerit? quàm verò minus ſe-
quentia verba, quæ Dei appellationem inſi-
nuant, Cyro tribui debeant, ipſa tum ratio,
rum Religio docet. Reſtat igitur, vt de Rege
Meſſia ad literā hæc dicta ſint, quem iuſtum
per antonomaſiam Propheta vocat, velut iu-
ſtorum caput; eúmque è cœlo dandum pol-
licetur.

Devs igitur ipſe qui hîc loquitur,cùm di-
cat tantùm in illo iuſto, & Saluatore, quem
Meſſiam eſſe diximus,eſſe Deum;& non eſſe
abſque eo Deum; illúmque Deum abſcondi-
tum eſſe; Deum ipſum Iſraël Saluatorē: quis
apertè non videat, tanta hac diuini nominis
inculcatione Meſſiam hîc explicatiſsimè
Deum appellari? illa etenim verba אך בך אל
ואין עוד אפס אלהים *Ach bach el veen ghod
ephen Elohim. Tantùm in te eſt Deus, & non
eſt abſque te Deus.* Diuinam ipſius naturam in-
dicant, qua Patri conſubſtantialis eſt; quan-
doquidem hunc ſenſum reddunt, illum ita
Deum eſſe, vt neque à Patre diuiſus ſit, nec
Deus vnquam eſſe deſierit: ſequentia verò,
Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Saluator.
Diuinam quidem illius naturam pandūt; ſed
humanitati cōiunctam: perinde ac ſi diceret,
Deum abſconditum eſſe in carne, atque in
ea Saluatorem futurum. Id confirmatur ex
ipſa verborum conſonantia: nam quem priùs
è terra ſaluatorem germinandum eſſe prædi-
xerat, hunc ipſum poſtea Deum Iſraël nun-
cupat,quod ſanè non alia ratione factum cre-
dimus, quàm vt in vtraque natura, Meſſiam
Saluatorem fore homines expectarent.

Iſa.53. Evidentissime tandem idem Iſa. c.
53. circa fin. capitis, Meſſiæ diuinitatem ſe-
ptimo teſtimonio declarat, vbi de Meſſia
agens inquit, והוא חטא רבים נשא *Vehou
hhete rabim naſſa, & ipſe peccatū multorū dimiſit*,
ſic habet Hebræa lectio: nā tranſlatio D. Hie-
ronymi,quæ habet. *Et ipſe peccata multorum tu-
lit*, magis communem ſenſum, quàm literam
exprimit: litera verò Meſſiæ diuinitatē cla-
riùs aperit: nam idem verbum נשא *Naſſah*,
Exod.32. cum א *aleph* in fine habetur Exod. 32. vbi
enim trāsfert Hieronymus, אם תשא חטאתם
ואם אין מחני *Im tiſſa hhatta tham veim ayn
mehheni. Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me*,

A &c. ibi eſt verbum, תשא *tiſſah* dimitte, il-
lud idem quod hic Hieronymus, vertit per
verbum *tulit*. Quo ſuppoſito facilè Meſsiæ
diuinitas oſtenditur. Cùm enim nullus vn-
quam ex ipſorū Hebreorū ſententia peccata
dimittere poſsit niſi ſolus Deus; Deus ergo
erat Meſsias, à quo peccatorum remiſſio ma-
nare debuit. Neque etiā myſterio vacat,quòd
Hebraica litera de ſingulari peccato agit,
quod Hieronymus ad plurale tranſtulit. Eo
namque Meſsiæ aduentus cauſa redditur;
qui ad tollendum originale peccatum, quo
vniuerſum humanum genus corruptum fue-
B rat, quódque vnum in omnes propagatum
erat, potiſsimùm ordinabatur: atque id ma-
ximè Meſsiæ diuinitatem confirmat, cùm il-
lud peccati genus,præterquàm à Dei, ac me-
diatoris perſona expiari non poſſet; vt inferiùs
declarabitur.

Octavvm teſtimonium exaratur, ab Hierem. 14.
Hieremia c. 14. in hæc verba, למה תהיה
כגר בארץ וכארח נטה ללון: למה תהיה כאיש
נדהם כגבור לא יוכל להושיע *lamma tihieh
keger baarets vehoreahh natah lalun: lamma tihieh
keiſe nidham kegibbor lo iuchal lehoſciaigh. Qua-
re quaſi colonus futurus es in terra? & quaſi
C viator declinas ad manendum? Quare futurus
es quaſi vir vagus, & fortis, qui non poteſt ſal-
uare?* Hæc ad Deum Prophetæ verba eſſe ipſa
litera declarat: quæ tam priora, quàm ſequē-
tia verba,ad Deum dirigit: quò fit, vt planè à
litera alienum eſſet aliò, quàm ad Deum hæc
verba diuertere. Quid verò hoc loco quæ-
rat, quid admiretur Propheta, apertum eſt:
ſtupet primùm Deum terrarum, incolam fu-
turum eſſe. Quid hîc latibuli quærent Iudæi;
cùm Hieremiam clamantem audiant, Deum
colunum futurum eſſe in terra? Orbis inco-
lam,atque haud ſecus, quàm reliquos vulga-
D tes homines illius aliquando fore habitato-
rem? ſtupet prætetea, Deum membris mor-
talibus indutum, vagum, peregrinum, adue-
nam,qui nec domum,nec ſtabile domicilium
poſſideat, à mortalium oculis cernendum fo-
re: ſtupet,quòd is,quaſi vir vagus,atque alie-
ni domicilij hoſpes, inter homines habitet:
ſtupet tandem Deum immenſa fortitudine
præditum, adeò exhauſtum iri, vt etiam im-
becillis appareat, tanquam qui propria vir-
tute, ad ſalutem hominibus comparandam
deſtiturus videatur. Iam ſi candidè nobiſcum
agant Hebræi; videbunt profectò hæc Deo
E nullo pacto accomodari poſſe: qua enim ra-
tione Deus terrarum colonus, viator domi-
cilio carens, vir vagus, fortis denique, & in-
firmus dici poteſt; niſi totam hanc periodum
ad Meſſiam referant: quem vates Deum, ac
hominem futurum eſſe agnouit, ac proinde
terrarum incolam, peregrinum, mortalitate
ſeptum,alienæ domus habitatorem; humilem
tandem, & abiectum prædicat: qui cùm na-

tura Deus eſſet, neque rapinam arbitraretur eſſe ſe æqualem Deo: ac propterea fortis eſſet, ac propugnator ad ſaluandum: in humana tamen natura, ac ſui ipſius paſſione adeò ſeipſum exinaniuit, atque infirmum, ac imbecillem ſe videri paſſus eſt; vt inter dolores, ac cruciatus nihil, quod Saluatoris Maieſtatem referre poſſet, hominum oculis exhiberet. Hæc planè Meſſiæ ita commodè aptantur, vt non niſi violenter, ac coactè ad alium transferri poſsint. Quare indubiè exiſtimandum eſt Hieremiam, cùm hæc diceret, non aliò quàm ad Meſsiam reſpexiſſe, vt hinc illius nobis tum Diuinitas; tum humanitas B eluceret.

Hierem. cap. 23. NONVM teſtimonium extat apud eundem Hierem. cap. 23. his verbis הנה ימים באים נאם יהוה והקמתי לדוד צמח צדיק ומלך מלך והשכיל ועשה משפט וצדקה בארץ בימיו תושע יהודה וישראל ישכן לבטח וזה שמו אשר יקראו יהוה צדקנו *Hinne iamim baim neum Adonai vahakimoti le Dauid tſemach tſaddick vmalach melech vehiſchil veghaſcia miſphat vtſdacha baarets be iamau tuiaſagh iehuda veyſraël iyſchon labetach vezeh ſcemo aſcer yikreou Adonai tſidchenu.* Quæ verba Latinè ſonant. *Ecce dies veniunt, & ſuſcitabo Dauid germen iu-* C *ſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit; & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra: in diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſraël habitabit confidenter; & hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter.* Sanè effugere non valent Hebræi, quin fateri cogantur Vatem hoc loco de Meſſia agere; quandoquidem Targum Chaldaicum Ionathæ Benahoziel ita hunc locum exponit; *Et ſuſcitabo Dauidi Meſsiam iuſtum:* immò & priſci Thalmudiſtæ omnes vaticinium de Meſſia interpretantur.

Targum Ionathæ.

AT Iudæi iuniores, cùm negare non audeant locum de Meſſia exponendum eſſe, D eóque ſe maximè vrgeri videant Meſſiæ Diuinitatem hic expreſſam fateri; textum (vt illis mos eſt) conantur punctorum notatione corrumpere: cúmque tota huius teſtimonij vis à dictione יקראו *Icreu, vocabunt eum*, pendeat: callidè mutato ו in י affirmant non יקראו *Icreu, vocabunt eum*, ſed יקראו *Icreo*, vocabit eum, eſſe legendum; ita vt ſit ſenſus. Deus iuſtus noſter vocabit eum, ſcilicet, Meſſiam. Eorum tamen in ſacrum textum calũnia facilè refellitur ex Paraphraſi Chaldaica, quæ ita habet: *Et hoc eſt nomen eius, quo ipſi appellabunt eum*; & ex Hebraica expoſi- E tione ſuper Threnos Hierem. in qua leguntur hæc verba, in explicatione illius textus. *Quia elongatus eſt à me conſolator conuertens animam meam. Quod eſt nomen Meſſiæ? R. Abba dixit. Deus Iehouah eſt nomen eius, ſicut dictum eſt Hierem. cap. 23. Et hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter.* Ex quibus liquidò conſtat, Hebræos textum hunc in

Paraphraſis Chaldaica.

Hebraicus Comment. in Threnos.

odium Diuinitatis Meſsiæ corrupiſſe, cùm olim ante illos non Icreo, ſed Icreu, legeretur. Reſtat igitur vt diſsipata Hebræorum calumnia locus hic legitimo de Meſsia teſtimonio inſeruiat: in quo ſanè duplicem Meſſiæ naturam vates inſinuat, humanam ſcilicet & Diuinam. Cùm enim ait ex Dauide ſuſcitandum eſſe Meſsiam; humanam tunc illius naturam exprimit: cùm vniuerſis Hebræis in confeſſo ſit Meſsiam ex ſemine Dauid procreandum eſſe. Deinde diuinitatem apertè declarat, cùm Meſsiam Deum iuſtum noſtrum vocandum eſſe dicit: nam vbi Hieronymi lectio habet: Dominus, Hebræa habet יהוה *Iehouah*, quod eſt nomen Dei ineffabile.

DECIMMVM teſtimonium exerit Micheas cap. 5. hiſce verbis, ואתה בית לחם אפרתה צעיר להיות באלפי יהודה ממך לי יצא להיות מושל בישראל ומוצאתיו מקדם מימי עולם *Veattah Bethlehem Ephrata tſaghir lihiath be Alphe Iehudah mimmecha li Ieſſe lihioth Moſcel be Iſraël, vmotſatai mikedem mime gholam.* Quæ verba apud nos ſonãt. *Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël; & egreſſus eius ab initio æternitatis.* Locum hunc de Meſsia Rege intelligendum eſſe, vetuſtiſsima eſt apud Hebræos fama: nam R. Salomon licèt infenſiſſimus Chriſtianorum hoſtis, explicans illa verba. *Ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël,* affirmat hunc eſſe Regem Meſſiach, filium Dauid. Palàm igitur eſt tam Hebræis, quàm nobis, Vatem hoc loco primùm de natalitio Meſsiæ ſolo agere, cùm eum ex Bethlehẽ proditurum eſſe dicit. Naſciturum namque Meſsiam in Bethlehẽ antiqua eſt Hebręorum ſententia. Hinc enim ſciſcitanti Herodi, vbi Chriſtus naſceretur, reſponderunt proceres Hebræorum, in Bethlehẽ eſſe naſciturum: ſic enim ſcriptum eſt, *Et tu Bethlehem*, &c. Quod igitur ad Meſsiæ ortum, ac natiuitatis locum ſpectat nulla eſt (quam ſciam) inter nos, & Iudæos controuerſia: Iudæi enim eùm Meſsiam hominem tantùm eſſe ſibi perſuadeant, facilè his, quæ ſolam humanitatem inſinuant, conſentiunt. At Micheas hoc loco non ſolam Meſſiæ humanitatem: ſed & diuinitatem declarat. Humanitatem quidem, cùm ex Bethlehẽ naſciturum affirmat. Diuinitatem verò cùm egreſſum illius ab initio à diebus æternitatis manare dicit: ex Bethlehẽ enim egredietur vt homo, & à diebus æternitatis egredietur vt Deus.

Micheas c. 5.

R. Salomon.

SI Iudæi Meſsiam ſolùm hominem eſſe credunt, doceant, quomodo egreſſus eius ſit ab initio, à diebus æternitatis: niſi fingant hominem ab æterno creatum, quod tum à fide, tum à ratione prorſus diſſentaneum eſt: cùm nulla creatura, quæ tempore menſuratur,

tur, poſsit eſſe æterna. Cùm igitur æternitas ſit propria menſura Dei, neque aliquid præter Deum, æternum eſſe poſsit: diſcant hinc Meſsiam eſſe Deum, qui in diebus æternitatis (Michea teſte) extitetit. Hæc ſanè clariora ſunt, quàm vt aliquam calumniam pati debeant.

At iuniores Iudæi, ne illorum perfidiæ arma deſint, quibus fidem ac veritatem impugnent, ſubtiliorem quàm Iudæis mos ſit, euaſionem excogitarunt. Fingunt enim ante creatum mundum ſeptem à Deo condita eſſe; legem, pœnitentiam, gehennam, domum ſanctuarij, thronum gloriæ, hortum B voluptatis, & nomen Meſsiæ: quæ quamuis adhuc in mente diuina manerent, perinde tamen erant, ac ſi iam condita fuiſſent. At hoc nimis ſubtile eſt Iudæorum figmentum, cui refellendo vel ipſa vulgaris ratio ſufficiat. Nam primùm ſi Iudæi ſentiunt, hæc ſeptem duntaxat mundi creationem in Dei mente præceſſiſſe: planè nimis iniquè de Dei ſapientia, ac præſcientia opinantur, cui non hæc ſeptem tantùm, ſed & res omnes ab eo condendæ ab æterno præcognitæ, ac in idea præſentes fuerunt: ita vt nefas ſit aliquid C ab æterna Dei præſcientia ſubtrahere. Porrò ſi hoc modo Meſsiæ egreſſum tantummodò interpretari volunt, ſanè Prophetæ verbis nimis apertam vim inferunt, cui cœleſte aliquod, ac diuinum Meſsiæ præ cæteris priuilegium ſignificare propoſitum eſt; niſi inane quippiam ac ſuperſtitioſum Prophetæ verbis tribuere velint: at quodnam eſſet hoc Meſsiæ priuilegium, ſi ante mundi creationem ſolùm in mente diuina præcognitus extitiſſet; cùm & cæteri homines tam boni quàm mali, hoc modo ab ea præcogniti ac concepti fuerint? Equidem neque nobilior, D neque præſtantior eſſet Meſsiæ, quàm Luciferi, aut alterius dæmonis egreſſus: quod à Prophetæ ſenſu quàm maximè alienum exiſtimari debet.

Æqvvm igitur fuit, non inane, ſed eximium ac ſingulare hic priuilegium à Vate deſcribi, quod cæteris haud communicandum eſſet: atque illud eſt ipſa æterna à Patre natiuitas, qua à diebus æternitatis ex mente Patris primò genitus & egreſſus fuit: quod apertè ex ipſis Prophetæ verbis confirmatur. E Nam cùm is prius humanam ipſius naturam in Bethlehemi diuerſorio hominibus explicādam inſinuaſſet illis verbis. *Ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël.* Statim alterum illius egreſſum ab initio æternitatis deſcribit, quo diuinam ipſius natiuitatem aperitet: *Et egreſſus eius à diebus æternitatis.* Ita ſit, vt alter huius dominatoris Meſsiæ egreſſus humanus ſit, diuinus alter: quòd ſi primus egreſſus humanam natiuitatem indicat (vt notum eſt) cùm deinceps de ſecundo egreſſu

A ſu dicit: *Et egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis*; planè opus eſt, ſecundum egreſſum de æterna natiuitate intelligi; vt ſenſus ſenſui reſpondeat: atque id perinde eſt, ac ſi Vates diceret. Ex te Bethlehē mihi per temporalem generationem orietur Meſsias, cuius tamen diuinus ortus erit ab initio à diebus æternitatis. Videant Hebræi quàm apertè hæ Scripturæ textui quadrent, ex quibus tandem Meſsiæ diuinitatem debeant addiſcere.

At præclariſſimum eſt teſtimonium quod vndecimo loco nobis offert Zacharias cap. 2. *Zachar. 2.* ex quo Meſsiæ diuinitas ita apertè declaratur, vt nullus tergiuerſationi locus eſſe poſsit. Ibi enim ita ait: רני ושמחי בת ציון כי הנני־בא ושכנתי כתוכך נאם יהוה ונלוו גוים רבים אל יהוה ביום ההוא והיו לי לעם ושכנתי בתוכך וידעת כי יהוה צבאות שלחני אליך *ranni veſimbhi bath tſijon chi hinneni vaueſachanti betochech neum adonai veniluu goim rabbim el adonai baiom habu vehaiu li legham veſachanti betochch veiadangth chi adonai tſcenaoth ſcelabhani elaich*, quæ verba Latinè apud nos ſonant. *Lauda & lætare filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus, & applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui, & ſcies, quia Dominus exercituum miſit me ad te.*

Novvm ſanè, ac inauditum videtur eſſe hoc dicendi genus, quo hoc loco Zacharias vtitur, in quo ſententias inuoluere prorſus videtur: cùm Deum ipſum principio loquentem inducit, qui venturum ſe pollicetur, & habitaturum in medio Iſraëlitici populi: inde ad alium populum ſermonem conuertit, quem ſibi in populum applicandum eſſe prædicit. Poſtremò ipſemet Deus ſe à Domino exercituum miſſum declarat.

Hebræis quidem, qui Meſsiæ naturam ignorant, videbitur omnino inuoluta phraſis; at ſi ignorantiæ tenebras proiiciant: & nobiſcum Meſsiæ in hoc vaticinio myſteria contemplari velint; agnoſcent profectò, Meſsiæ hæc verba eſſe Zachariæ ore prolata; quæ apertiſsimè diuinam illius naturam declarant. Nam quòd Deus ait ſe venturum & habitaturum in medio Iſraëlitici populi, hoc inſinuat Deum ex Hebræorum genere humanam carnem aliquando ſuſcepturum fuiſſe. Quòd multas gentium turmas tunc ad Dominum applicandas dicit, quæ ſibi in populum cedant: id ad Chriſtianum populum optimo iure referri debet, quem ex errorum tenebris ereptum, Meſsiæ futurum populum eſſe pronunciat. Nam & hoc ipſum Dauid prædixerat Pſal. 2. cùm verba Dei ad Meſsiam referens ait. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, & paſsim id apud Iſaiam legitur cap. 2. 11. 19. Hierem. 9. 12. 16.

Oſeam 2. Quòd in medio huius populi habitaturum ſe dicit, eo Eccleſiæ Chriſtianæ ædificationem annuere voluit, quæ cùm fixa, & immobilis perpetuò ſtare debeat, in ea perpetuum vſque ad extremum Orbis occaſum ſibi domicilii elegit. Quòd tandem Deus eſt, qui ait ſe à Domino exercituum miſſum, iam is ad diuinam Meſsiæ à Patre generationem mentem monet extollere, vt eum velut legatum, ac Dei Patris nuncium agnoſcamus, qui vera iuſtitia, ac religione homines erudiret. Cùm verò id in ea natura, qua Patri conſubſtantialis eſt, præſtare non poſſet, humanā naturam ſuſcepit, in qua ſuſceptum Redemptoris munus exequi valeret. Poſtremò quòd ſe Dominum initio appellat, id apertè in eo Dei maieſtatem, ac naturam latere inſinuat. A B

Postremvm deniq; ex multis, quę ex Scripturis afferri poſſent, teſtimonium concludit idem Vates cap. 12. his verbis. ושפכתי על בית דויד ועל יושב ירושלם רוח חן ותחנונים והביטו אלי את אשר דקרו *veſaphachti ghal beth Dauid veghal Ioſeu Ieruſalam ruahh hhen vetahhnunim vehibitu elai eth aſſer dacharu*, quæ verba Latina editio ſic reddit. *Et effundam ſuper domum Dauid, & ſuper habitatores Hieruſalem ſpiritum gratiæ, & precum, & aſpicient ad me, quem confixerunt.* Verba ſunt Domini Dei exercituum, vt patet ex antecedentibus verbis. *Dixit Dominus extendens cælum, & fundans terram, & fingens ſpiritum hominis in eo*; & ex toto capite, in quo Deus ipſe loquitur. At quomodo idem Deus dicat ſe à domo Dauid, & habitatoribus Hieruſalē confixum iri: atq; ita confixum, vt etiam oculis ſpectandus ſit, & dolendum ſit ſuper eo, ſicut doleri ſolet in morte primogeniti? planè intelligi non poteſt, niſi ipſum Deum, hominem etiam futurum credamus: cui & videri, & configi competat: Deo ſiquidem, qui nec aſpectabilis eſt, nec vllis humanis paſſionibus obnoxius, ea congruere nullo modo poſſunt. Reliquum igitur eſt, vt de Meſſia illuſtris hic mentio fiat, quem Iudæi, atque habitatores Hieruſalem cruci aliquando affigere deberent: atque in eo confixum intueri. Quod etiam confirmat Iſai. cap. 53. illis verbis. ונראהו ולא מראה ונחמדהו נבזה וחדל אישים איש מכאבות וידוע חלי *venirehu velo mare venehhmidehu nivze vahhadal iſcim iſe machooth viduangh holi. Vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum deſpectum, & nouiſſimum virorum; virum dolorum, & ſcientem infirmitatē*; & infrà. והוא מחולל מפשעינו מדכא מעונתינו *vehu mehhelal mipheſciaghenu meduka meghauonotenu. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras: attritus eſt propter ſcelera noſtra*, &c. Quæ verba R. Moyſes Gerund. cuius doctrinam Iudæi plurimi faciunt, de Meſſia exponit, ſuper illud Geneſeos 24. *Et introduxit eam Iſaac. Hic eſt, inquit, Rex Meſſias, qui dedit cor ſuum ad petendum miſerationes pro Iſraël, & ad tenuandum, & ad humiliandum ſe pro eis: ſicut ſcriptum eſt Iſai. 53. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Cùm igitur Zacharias confixum, Iſaias verò vulneratum Deum humanis oculis adſpiciēdum eſſe pronunciēt: ſanè æquum eſt Iudæos mentem attollere, & Deum Meſſiam carne quidem crucifixū, ac vulneratum; diuinitate autem regnantem agnoſcere. Atque hæc de Scripturarum teſtimoniis ſint ſatis.

Iſai. 53.

R. Moyſes Gerund.

Demonſtratur ſecundò Diuinitas Meſſiæ ex nominibus, quibus Meſſias in Scripturis appellatur.

Articvlvs VIII.

Pleraqve Dei nomina partim ex Scripturis, partim ex Hebræorum traditione decerpta, quibus Deum benedictum nominant, apud Hebræos reperiri exploratum eſt, tum ex Hebræorum codicibus, tum ex Patrum teſtimonio: de iis enim agit Dionyſius Areop. lib. de diuin. nom. Petrus Galat. de arcan. Cathol. verit. & alij: quæ licèt varia ſint, ac multiplicia, vnam tamen Dei naturam, ſecundùm varios illius perfectionis gradus explicant. C

Inter hæc tametſi nonnulla reperiri contingat, quæ etiam aliis à Deo aptari poſſunt: quædam tamen ita Deo ſunt propria, ac (vt ita dicam) conſanguinea, atque ita diuinam naturam attingunt, vt alteri præterquàm Deo conuenire nullo modo poſſint. In his ſunt אל *el* שדי *ſadai* יהוה *iehouah*, quæ propriè ad declarandam Dei naturam pertinent, & iis ſæpiſſimè in Scripturis Deus nominatur: nam quòd nomen (*El*) ſoli Deo cōueniat, patet primùm Exod. 34. *Non incuruabis te Deo alteri.* לא תשתחוה לאל אחר *lo tiſihahauehh lael abher.* Deuter. 32. *Deus veritas*, אל אמונה *el hemunah. Deus terribilis.* Pſal. 89. אל נערץ *hel naagharets*; & paſſim. Deinde *Deum, ſadai* nomine appellari, quaſi vaſtatorem, vt quidam volunt à radice שדד *ſadad*, velut qui omnia poſſit perdere, & deuaſtare modò velit; Hebræis notum eſt, qui illud nomen ex mundi vaſtatione in diluuio facta, Deo tribuerunt: quod Græci *παντοκράτωρ*, & Latini *omnipotens* tranſtulerunt: tametſi alij nomen compoſitū eſſe velint ex *ſa* & *Dai*, quaſi ſibi ipſi ſufficiēs. At quidquid de illius etymo diuersè ſentiant; illud certum eſt, eo Deum ſolum nominari, vt patet Gen. 35. אני אל שדי *ani el ſadai. Ego Deus omnipotēs.* Iob 13. אני אל שדי אדבר *ani el ſadai adaber. Ego ad omnipotentem loquar*: & 22. cap. והיה שדי בצרך *veaiah ſadai betſarecha. Eritque omnipotens munitio tua.* Ezechiel. 1. *Vox omnipotentis* בקול שדי *kechol ſadai.* & alibi. Tandem de יהוה *iehouah* nomine nulla eſt dubitatio apud Hebræos, quin eo ſolus Deus D E

Exod. 34.

Deuter. 32.

Gen. 35.

Iob 13.

Digitized by Google

Deus nominetur. Eſt enim nomen Dei ineffabile, diuinam ſignificans eſſentiam: quod ita Hebræi venerantur, vt ob illius reuerentiam illud nunquam legant; ſed pro illo legant אדני *adonai.* Eſt enim à verbo הוה vel היה ſum, quaſi innuere velint, Deum eſſe ens illud ſupremum, omnium entium, & ſubſtantiarum cauſam, cum tandem qui ſolus perfectam, ac abſolutam habet exiſtentiam,

Exod. 3. vt patet Exod. 3. אהיה אשר אהיה אהיה שלחני אליכם *Ego ſum qui ſum, & qui eſt miſit me ad vos.* His igitur & aliis Deo tantùm propriis nominibus, cùm Meſſias in Scripturis nuncupetur, inde conſtat, Deum apertiſſimè pronunciari.

Pʀɪᴍᴠᴍ ergo quod ad nomen אל *El* ſpectat, eo Meſſiam appellatum in Scripturis

Iſa. 9. fuiſſe teſtis eſt Iſa. cap. 9. vbi Vates diuinam Meſſiæ naturam deſcribens ait: *Et vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus.* Hebraicè אל *El.* En quàm apertè Iſaias Meſ-

R. Salomon. ſiam Deum nominat: tametſi R. Salomon poſt Chriſtum, ad tollendam Chriſti noſtri Diuinitatem, vtpote illius infenſiſſimus hoſtis, teſtimonium ad Ezechiam deflectere conatur: quem in ſuperiori Demonſtratione confutauimus; vbi etiam de hoc teſtimonio fusè egimus. Quamobrem illud tantùm hîc addendum cenſeo: ferè omnes veteres Hebræos hoc Iſaiæ vaticinium de Meſſia intelligere.

Echa Rabethi. Nam in Echa Rabethi, id eſt, in expoſit. ſuper Threnos Hierem. R. Moſes Galilæus affirmat, vnum ex Meſſiæ nominibus eſſe *Salom.* i. *pacem:* quod ex hoc Iſaiæ teſtimonio colligit. *Nomen* (inquit) *quoque Meſſiæ vocatum eſt Salom. i. pax, ſicut dictum eſt Iſa. 9. Pater ſempiternus, Princeps, pax:* quo apertè declarat totum vaticinium de Meſſia exponendum eſſe. Ita quoque locum interpretatur D

Bereſchith. Rabba. Targum. Paraph. Chald. traditio in Bereſcith Rabba ſuper illud Gen. *Et dixit Pharao ad Ioſeph;* præterea Targum ac Paraphraſis Chaldaica teſtimonium illud non ad Ezechiam, ſed ad Meſſiam refert, ex quibus patet falſum eſſe illud commentum, quod R. Salomon de Ezechia ſibi confingit.

Vᴇɴɪᴏ ad aliud nomen שדי *ſadai*, quod Dei proprium eſſe diximus, ac omnipotentem ſignificare, quod inter Dei perfectiones atque attributa annumerari ſolet: eo enim infinita Dei virtus ac potentia exprimitur: cùm verò illud Scriptura Meſſiæ tribuat, nulli iure dubitandum eſt, quin Meſſias verus Deus exiſtat. Portò hoc nomine Meſſiam

Iob. 33. appellatum eſſe legimus Iob. cap. 33. vbi ſic habetur: *Spiritus Dei fecit me, & anima vel ſpiraculum omnipotentis viuificabit me*, Hebraicè ונשמת שדי תחיני *veniſchmath ſadai tehhaieni.* Notanda eſt dictio Hebræa נשמה *niſchmath*, quæ animam, vel ſpiraculum, vel ſpiritum ſignificat à נשן *naſchan*, quod eſt *ſpiro.* Eadem enim dictio legitur Geneſeos 2. vbi habetur:

A *Et inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ:* ibi eſt נשמת *niſchmath*, qua dictione poriſſimùm anima intellectiua deſignatur, vt ſubtiliter & acutè nonnulli annotarunt, qui hanc inter נפש *nephets*, & נשמה *niſchmath*, differentiã conſtituunt, vt *nephets* ſenſitiuæ animæ duntaxat nomen eſſe, qua edimus, generamus, mouemur, & alia vitæ munera, & functiones exercemus: *niſchmath* verò animam rationis participem, quam Græci νοῦν vocant, ac quodammodo cœleſtem, quippe quæ cum nomine (Samaim) affinitatem habeat, eſſe velint. Notandum eſt præterea verbum *techa-*

B *ieni*, *viuificabit me*, haberi in futuro, non in præterito, vt notum eſt, cùm ת ſit formariuum futuri, non præteriti.

Hɪs notatis; quæ obſecro poteſt eſſe hæc omnipotentis anima, quæ ſanctum virum viuificatura eſſet? Deum namque tam corporis, quàm animæ expertem eſſe, ipſa fides dictat, cùm puriſsima quædam mens ſit, ab omni rerum compoſitione quàm longè remota: anima verò ad corporis animationem veluti propria ipſius forma, ac compoſiti pars (vt notum eſt) ex ſeipſa tendat. Cùm

C igitur nulla per ſe diuinæ naturæ, quæ ſimpliciſsima eſt, ac incorporea poſsit anima ineſſe; planè neceſſe eſt ad Meſsiæ perſonam confugere, & ad duplicem id illius naturam referre: in quo cùm Deus & homo ſimul in ſuppoſiti vnitate coëant, hinc naturarum, atque idiomatum communicatio oritur; qua fit, vt quæ homini propria ſunt, Deo communicentur; & contrà quæ Dei ſunt, homini tribuantur. Quamobrem ſicut Deum hominem, aut verbum carnem factum aſſerere non veremur; ita Meſsiæ corpus, aut animam cùm hypoſtaticè Deo vniatur, Dei corpus, aut animam appellare haud formidamus: atque inde perſpicuum eſt, cùm Iob hoc loco Meſsiam Dei nomine *Sadai*, quod ſoli Deo congruit, appellar; eo apertè diuinam ipſius naturam declarare.

Pᴏʀʀᴏ quod ait Iob Meſsiæ animã ſe fore viuificandum; id ad Meſsiæ Redemptionem referri debet; qua deleta morte, quæ ab Adam in omnes illius poſteros regnauerat: ſpiritualis gratiæ vita omnibus reddita fuit. Ita enim de eo teſtatus eſt Iſa. cap. 53. Iſa. 53.

E מעמל נפשו יראה ישבע בדעתו יצדיק צדיק עבדי לרבים ועונתם הוא יסבל *meghamal naphſcio ijre iſcbangh bedanghto iatſdik tſadik ghaudi larabim vaghaonothã hu iſbol. Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit, & ſaturabitur: in ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit.* Venturus enim erat Meſsias miniſtrare, non miniſtrari, & animam ſuam dare in Redemptionem pro multis: hoc enim illud ſpirituale ſemen eſt Meſsiæ morte viuificandum, de quo idem Vates eodem capite prædixerat. *Si poſuerit pro peccato*

peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum. Atque id magis Meſſiæ Diuinitatem confirmat, cùm purus homo (vt ſuperiùs demunſtratum fuit) Deo pro humani generis culpa ſatisfacere non poſſet. Nam quo pacto lutuoſæ manus ſordes tergere poſſent, aut qua reconciliationis ſpe alteri inuiſus interceſſor adhiberetur? Cùm igitur tanta eſſet culpæ mors, quæ totum genus humanum inuaſerat: vt ab ea nulla præterquàm Dei hominis virtute excitari poſſet; opus fuit ſanctiſsimam illam Meſsiæ (Sadai) animam anguſtiis, ac doloribus excruciari, ac tandem è corpore ſolui, vt ab ea tandem humanum genus liberari, ac reſtitui poſſet. Quocirca rectè dixit Iob. anima (Sadai) ſe viuificandum fore.

At illuſtriſsimum eſt nomen Iehouah, quod ita ſolius Dei proprium eſſe tota Hebræorum antiquitas teſtata eſt; vt nemo (vt antea diximus) præ ſummæ Maieſtatis, quam in ſeipſo præfert, reuerentia, illud proferre audeat: quòd ſi, vt ſæpiſsimè accidit, in Scripturarum lectione in id nomen incidant, pro eo Adonai (tametſi nimis ſuperſtitiosè) legunt. De hoc nomine ſcribit R. Moyſes Ægyptius in lib. More prima primæ cap. 60. Omnia Dei nomina ab effectibus deriuata eſſe, præter hoc vnum; quod altiſsimo creatori proprium eſt. *Et non eſt dubium* (inquit) *quòd hoc nomen glorioſum, quod non profertur, neque dicebatur niſi in ſanctuario à Sacerdotibus Domini ſanctificatis, & ſolùm in benedictione Sacerdotum; & tunc etiam à Sacerdote magno, & in die ieiunij glorioſæ ſanctificationis, eſt nomen illud in quo non eſt participatio inter creatorem, & aliquid aliud.*

R. Moyſes Ægypt.

Hoc verò nomine appellandum eſſe Meſsiam ipſe imprimis Hierem. capit. 23. apertè docet illis verbis הנה ימים באים□ נאם□ יהוה והקמתי לדוד צמח צדיק *hinne iamim baim neum Iehoua vahakimothi ledauid tſemahh tſaddik. Ecce dies veniunt, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, &c. & hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter*, Hebraicè habetur יהוה צדקנו *Iehoua ghidchenu.* Diximus autem in præcedenti Demonſtratione, in qua hoc teſtimonium examinauimus; hoc Hieremiæ vaticinium ad literam intelligendum eſſe de Rege Meſsia.

Hierem. 23.

Atque his ſuffragatur Hebræorum traditio, quam notat Iacobus de Valentia in Pſalm. 8. in explicatione verſus. *Domine Dominus noſter quàm admirabile eſt nomen tuum,* &c. Vbi poſtquam aliam rationem aſsignauit, cur numen illud *Iehouah* haberetur apud Hebræos ineffabile, nimirum ob altiſsimum Trinitatis myſterium, ac filij Dei Incarnationem, quæ nomen illud continebat: quæ Patribus eò vſque ignota erant: iuxta illud Exod. 6. ושמי יהוה לא נודעתי להם *vſcemi Iehoua lo nodaghti lahem. Et magnū nomen meum*

Iacobus de Valent.

Exod. 6.

A *Iehouah non indicaui eis*, vel vt habet Hebræa lectio: *Et in nomine meo Iehouah non cognitus ſum eis.* Tria ait prænunciata fuiſſe in veteri teſtamento de hoc Dei nomine. Primum, quòd Meſsias in lege promiſſus eo nomine Patribus incognito vocari deberet; quod ex hoc Hieremiæ teſtimonio tanquam certum habebant. Secundum, quòd ſolus Rex Meſſias huius nominis vim, ac maieſtatem orbi declaraturus eſſet; quod ex illo Iſaiæ loco 64. colligebant, vbi dicitur לוא קרעת שמים□ ירדת להודיע שמך *lu karanghta ſciamam taradta lehodiangh ſcimcha. Vtinam diſrumperes* B *cælos, & deſcenderes, vt notum fieret nomen tuum.* Item ex alio. Pſalm. 95. שירו ליהוה ברכו שמו ספרו בגוים□ כבודו *Sciru lihoua barchu ſcemo ſapphru baggoim keuodo. Cantate Domino, & benedicite nomini eius, annunciate inter gentes gloriam eius:* atque huius rei fama in omnes modernos Iudæos etiam delapſa eſt, qui idcirco exiſtimant ſolos illos, qui Meſsiæ ſæculo viuent, huius nominis virtutes, ac proprietates agnituros. Hinc cunctos qui illius arcana, aut proprietates declarare audent, excommunicant, ac anathematizant: cùm id tantùm ad Meſsiam pertinere credāt. C Tertium, quòd ſolus Meſsias vocari deberet hoc nomine, ac induere huius nominis ſubſtantiam: cùm Meſsias nihil eſſe deberet niſi ipſum nomen Dei; quo ſenſu explicant illud Iſa. 30. הנה שם□ יהוה בא ממרחק *hinne ſcem Iehoua ba mimmehhak. Ecce nomen Domini venit de longinquo:* quo Dei nomine Meſsiam intelligunt. Conſtat igitur ex ipſa Hebræorum traditione Meſsiam ſolo Dei nomine appellandum eſſe, quod apertè illius Diuinitatem indicat.

Iſa. 64.

Pſal. 95.

Iſa. 30.

Atque id confirmatur ex Midras Tehillim in Pſalm. 20. vbi ſic habetur. *Vocauit* D *autem Regem Meſsiam nomine ſuo: & quod nomen eius? Deus Iehouah, vir pugnæ. Et de Rege Meſsia ſcriptum eſt Hierem. 23. Et hoc eſt nomen eius, quo vocabunt eum, Deus Iehouah, iuſtus noſter.*

At Iudæi iuniores, vt Scripturarum veritatem, qua illuminari poſſent, euadant: ad calumniam confugiunt; affirmántque alios præter Meſsiam hoc Dei nomine יהוה *Iehouah* eſſe in Scripturis appellatos: nam Ieruſalem hoc Dei nomine vocatam fuiſſe conſtat Ezechiel. vltimo ושם□ העיר מיום□ E יהוה שמה *veſcem haghir mijom Iehoua ſciamma. Et nomen ciuitatis ex illa die Dominus ibidem*; ibi *Iehouah:* idem aſſerunt de monte vbi immolandus erat Iſaac, qui vocatus eſt, *Dominus videbit.* יהוה *Iehouah*, vt habetur Geneſ. 22. Et de altari quem Moyſes ædificauit Exod. 17. quod vocatum eſt *Deus Iehouah ſignum meum.*

Geneſ. 22.

Exod. 17.

Ad hæc loca facilis eſt reſponſio: neque enim appellata ſunt nomine *Iehouah* ſimpliciter,

Digitized by Google

citer, ſed cum adiectione. Nam Ieruſalem A
non ait vates appellandam eſſe *Iehouah* ſimpliciter, ſed יהוה שמה *Iehouah ſcammahi. Dominus ibidem*; quod tranſlatio Chaldaica apertiùs manifeſtat, quæ ita locum explicat. *Et nomen Ciuitatis exponent à die, quo poſuit Deus Diuinitatem ſuam ibi.* Ita mons in quo ſacrificandus erat Iſaac, appellatus eſt *Iehouah* non ſimpliciter, ſed *Iehouah ijreh*, id eſt, *Dominus videbit*, quod eſt perinde, ac ſi diceretur, vt explicat Targum Chaldaicum, Abraham coluit, atque adorauit Deum in loco illo, & ibi fuit coram Deo. Eodem
modo cùm Moyſes vocauit altare in quo B
Deo victimas immolauerat, *Dominus ſignum meum*: idem planè eſt, ac ſi diceret Scriptura, Moyſes ædificauit altare Domino, qui fecit ſignum. Ex his liquidò apparet Hebræos loca illa potiùs ex Chriſtianæ Religionis odio, quàm ex vlla veritatis ſpecie cum Meſſia inuoluere.

PLERAQVE alia Dei nomina Meſſiæ tribuuntur, quæ Dei natura Meſſiam præditum indicant, veluti cùm vocatur *Germen Dei*
Isa. 4. ab Iſa. c. 4. ביום ההוא יהיה צמח יהוה לצבי ולכבוד ופרי הארץ לגאון ולתפארת לפליטת
ישראל *Baiom hahu ihie tſemahh Iehoua litſui vl-* C
chauod vphri haarets leguō vlthiphereth liphleitath Iſraël. In die illa erit germen Domini in magnificētia, & gloria, & fructus terræ ſublimis; & exultatio
Paraphraſis Chaldaica. *iis, qui fuerint ſaluati de Iſraël*: quem locũ Paraphraſis Chaldaica de Meſſia exponit his verbis. *In tempore illo erit Meſſias Dei in gaudium, & honorem.* At quonam modo Meſſias Dei germen dici poteſt; niſi eandem Dei naturam induat? Germen enim & radix eiuſdem prorſus naturæ eſſe debent: quapropter cùm Meſſias Dei germen ſit; germen verò à germinantis natura non diſsideat; inde exploratum eſt, Meſſiam Diuina natura prædi- D
tum eſſe. Neque tamen prætereunda ſunt cætera Prophetæ verba, quibus humanam Meſſiæ naturam Diuinæ aſſociatam declarat, cùm ait. *Et fructus terræ ſublimis*: quis enim eſt hic ſublimis terræ fructus; niſi humana Meſſiæ natura de virgine nata? de quo
Pſal. 67. Dauid Pſalm. 67. ſcribit. *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum ſuum.*
Isa. 45. Id confirmat Iſa. 45. qui hunc terræ fructum *Saluatorem*, ac *Meſsiam* appellat. *Aperiatur terra* (inquit) *& germinet Saluatorem*: ac propterea hoc loco ad inſinuandam hanc Saluatoris perſonam, rectè E
ſubiicit Vates. *Et exultatio iis qui ſaluati fuerint de Iſraël.* Hinc duplicem Meſſiæ naturam à vate exaratam habemus, Diuinam ſcilicet & humanam. Diuinam quidem aperit, cùm Dei germen appellat; humanam verò cùm terræ fructum ſublimem nuncupat: quandoquidem humana Chriſti natura nihil vnquam inter homines ſublimius fuit.

A MESSIAS præterea Dei filius vocatur
Pſalm. 2. illis verbis, יהוה אמר אלי בני אתה אני היום ילדתיך *Iehouah amar elai, beni atta ani* Pſal. 2.
haiom ieliditica. Dominus dixit ad me; Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quæ verba dicta eſſe
de Rege Meſſia teſtis eſt R. Salomon in gloſa, cui etiam & cæteri conſentiunt. Hinc R. Salomon.
Meſſiæ Diuinitas elucet: nam genitus à Patre naturaliter ſimilis eſt Patri, ac ſubſtantiam accipit à Patre: cùm igitur Pater naturaliter ſit Deus, ſequitur quòd filius illius Meſſias ſit etiam naturaliter Deus, ac Diuinam ſubſtantiam à Patre ſuſceperit.

B OBIICIENT profectò Iudæi, & Iſraël, & Salomonem à Deo filium nuncupari, vt
patet Exod. cap. 4. & 2. Reg. 7. & ſæpè in Exod. 4. 2. Reg. 7.
Scripturis Angeli, vel homines iuſti filij Dei nuncupantur. At reſpondeo, nullibi in Scripturis ſingularem hominem filium Dei abſolutè nominari, quemadmodum hoc loco. Nam quòd Deus populum Iſraël filium primogenitum appellauerit: cùm id in multitudinis numero de toto vno populo dicat, manifeſtè indicat, cum priuilegio potiùs, quàm natura, vel adoptione filium appellare: quo nomine frequenter ſenes ad bene-
C uolētiam in aliquos declarandam vti ſolent, cùm filios appellant. Quod verò ad Salomonem ſpectat, cùm de illo tantùm Deus pronuntiet. *Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in filium*, ex ipſa verborum forma manifeſtè declaratur Deum non de naturali, ſed de adoptiua filiatione tantùm agere., quæ etiam ad extraneos extenditur. Demum quòd Angeli, ac iuſti nonnunquam filij Dei in Scripturis appellari ſolent: ipſe multitudinis numerus manifeſtè oſtendit, eos nuncupatione tantùm, vel adoptione filios Dei nuncupari. At hoc loco abſolutè Meſsias
D Dei filius appellatur: quod ad nuncupationem, vel adoptionem referri non poteſt. Cùm neque in plurali numero, neque in obliquo filiũ nominet: ſed in ſingulari, ac in recto; *Filius meus es tu.* Idque magis confirmat ſequentibus verbis; *Ego hodie genui te*, quæ æternam potiùs ex ipſa locutionis forma, quàm temporalem Meſſiæ generationem pandunt. Primùm namque neque verbo *Bara*, quod *creare* ſignificat, aut rem ex nihilo efficere: ſed verbo *Ialad* vtitur, quod notat ex propria ſubſtantia aliquid producere: ne- Deuter. 32.
que illud Moyſi Deuter. 32. obiicere poſſunt
E ויטש אלוה עשהו וינבל צור ישעתו *vaytioſc eloah ghhaſahu vainabbel tſur ieſcinghhatho. Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui*, vel, *parturientis te*: ibi enim cùm ad populum Iſraël ſermonem dirigat, non niſi metaphoricè generationem ſumere poteſt: hîc verò de ſingulari Meſſia agitur, quem propterea ex Dei ſubſtantia genitum credere debemus. Deinde, ad id apertiùs inſinuan-

dum, vtitur pronomine אני *ani*, *ego*; quaſi diceret, non de alterius ſubſtantia, aut altero genetante genitus es, ſed de ipſiſſima mea natura ego genui te ô Meſsia. Poſtremò ad huius generationis æternitatem declarandā aduerbium illud היום *haiom hedie* vſurpat, quo ſanè oſtendit Meſſię generationem nulli temporum mutationi, aut initio ſubiectam eſſe: ſed ſemper hodiernam, præſentem, æternam, nulla præteritione, aut initio conſtantem à Patre manare.

His accedat aliud Meſſiæ nomen huic affine, quo plerumque Dei verbum in Scripturis appellatur. Ita enim habetur Pſa: 110. *Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis.* Vbi Targum Chaldaicum legit ac exponit, *Dixit Dominus verbo ſuo, ſede ad dexteram meā.* Porrò locum hunc de Meſſia intelligendum eſſe conſtanter defendit liber Collectionum his verbis. *Hoc patet* (ait) *ex eo, quod dixerunt in expoſitione Pſalmorum ſuper illum Pſal. Et dabis mihi ſcutum ſalutationem tuam: & dextera tua confortabit, vel fulciet me. Dixit R. Iordan in nomine R. Ama. In tempore futuro Deus ſanctus, & benedictus ſedere faciet Regem Meſſiam ad dexteram ſuam, ſicut dictam eſt Pſalm.* 110. *Dixit Deus Domino meo: ſede ad dexteram meam, quod Targum .i. tranſlatio Chaldaica Ionathan Benhuziel ſic exponit. Dixit Deus verbo ſuo: ſede ad dexteram meam.* Hæc ex lib. Collectionum: ex quibus facilè Meſsiæ Diuinitas eripit. Dei namque verbum, quod à fœcunda illius mente concipitur, cùm ipſa Dei ſapientia ſit, qua vniuerſa condidit, vt ait Dauid Pſ. 104. *Omnia in ſapientia feciſti*: neque enim alia Deo ſapientia ineſt, quàm ipſum verbum genitum, vt ex Salomone conſtat Prou.8. vbi ex perſona diuinæ ſapientiæ ait, *Dominus poſſedit me in initio viarū ſuarum.* Quòd ſi quæras, quòd ſit initium viarum Dei? ipſum eſt Dei verbum, quo ad rerum creationem properauit: quo ſenſu etiam accipitur illud Geneſeos 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* vbi nomine *principij* verbum ipſum diuinum ſignat: quæcunque .n. Deus ſiue in cœlis, ſiue in terris condidit, ea verbo ſuo perfecit, vt teſtis eſt Dauid Pſalm. 32. *verbo Domini cæli firmati ſunt*, &c. & Pſal. 148. *Ipſe dixit, & facta ſunt.* Hinc manifeſtum eſt, verbum Dei eſſe ipſam Dei ſubſtantiam ab illius mente manantem, ac tandem Deum ipſum: cùm Dei verbum, ac ſapientia, qua cuncta operatur, nihil aliud ſit quàm Deus ipſe: vnde tandem Meſsiam, qui Dei verbum ſæpè in Scripturis nuncupatur, Deum eſſe concludimus.

(Margin: B; Pſal. 110.; Targ. Chald.; C; Pſal. 104.; Prouerb. 8.; D; Gen. 1.; Pſal. 32.; Pſal. 148.; E)

Omitto quòd is nonnunquam *Pax* appellatur, vt Iſa.9. interdum *lux*, vt Pſalm.96. אור זרע לצדיק *or zaruangh latſaddik, lux orta eſt iuſto*, & apud Iſa c.9. יושבי בארץ צלמות אור נגה עליהם *Ioſcue beerets tſalmaueth or nagah hgalehem. Sedentibus in tenebris, & in vmbra* A *mortis lux orta eſt eis.* vbi *lux* nomine Meſsias intelligitur, vt habetur in Bereſcit Ketanni, id eſt, in expoſitione Geneſis minori: quandoque *Dei facies*, vt apud Malachiam cap. 3. הנני שלח מלאכי ופנה דרך לפני *hineni ſcioleahh malachi vphinna derech lephanai. Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam.* Vbi R. Moſes Hadarſan ſuper illud Gen.22. ביום השלישי וישא אברהם את עיניו *Beiom haſcliſci vaiſſcia abraham eth ghenau. In die tertia leuauit Abraham oculos ſuos*, &c. Dei faciem Meſsiam exponit: atque eodem ſenſu in Bereſcit Ketana, ſuper illud Geneſ. 3. וישלחהו יהוה אלהים מגן עדן *vaiſcialchehehu Iehoua elohim miggan gheden. Et emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis*: interpretatur. Aliis quoque nominibus, quæ Dei naturam indicant, Meſsias in Scripturis appellatur, quæ cùm Deo propria ſint, Meſſiam proculdubio Deum eſſe teſtantur.

(Margin: Iſai. 9.; Pſal. 96.; Iſai. 9.; Bereſcit Ketanni.; Malach. 3.; R. Moſes Hadarſan.)

Demonſtratur tertiò diuinitas Meſſiæ teſtimoniis veterum Hebræorum.

ARTICVLVS IX.

Adhæc veterum quoq; Hebræorum teſtimonia accedant, qui ante Chriſti aduentum Meſſiæ diuinitatem non obſcurè profeſſi ſunt: quorum auctoritas eo maiorem fidem ſibi vendicat, atq; omni exceptione maiorem ſe exhibet; quò longiùs ab omni Chriſtiani nominis odij ſuſpicione (quo iuniores Hebræi exagitari cœperunt) abſuiſſe credimus.

Principio igitur inter Hebræorum volumina, quæ fidem ſibi apud Hebræos cōciliant, Targum, ſiue Paraphraſim Chaldaicam ſemper grauiſſimę auctoritatis inter eos extitiſſe compertum eſt; vtpote à vetuſtiſſimis auctoribus ſtatim poſt captiuitatem Babylonicam confectam, quo tempore Hebræi Hebraicæ linguæ obliti Syriacam, ac Chaldaicam linguam redeuntes in Palæſtinam detulerunt. Huius Paraphraſis auctores præ cæteris fuerunt Onkelos, qui Pentateuchum vertit. Ionathas, qui & legem, & Prophetas tranſtulit. R. Ioſeph, qui in Pſalterium, Prouerbia, Iob, Eccleſiaſten, Cantica, Ruth, Eſther Paraphraſim edidit.

Ab hoc igitur volumine vt exordiamur; certum eſt huius Paraphraſis auctores totū Pſalm. 44. cuius initium eſt רחש לבי דבר טוב *rabhaſc libi dauar tou. Eructauit cor meū verbū bonum*; de Meſſia interpretari: quod in ipſo Pſalmi exordio profitentur, cùm verba hæc: *Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi*; de Meſſia exponunt. Porrò cùm totum Pſalmum de Meſſia exponunt, ſanè opus eſt, vt etiam octauum verſiculum, in quo legitur. *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi, virga directionis, virga regni tui, dilexiſti iuſtitiam,*

Digitized by Google

tiam, & odiſti iniquitatem, &c. de Meſſia dictum intelligant, cùm Vates inchoatum ſermonem cum Meſſia ad alterum non deflexerit: quod ipſa paraphraſis docet, quæ ita legit. *Dilexiſti iuſtitiam, ô Rex Meſsia*: quare conſequens eſt, vt etiam priora verba illa, *ſedes tua Deus in ſæculum ſæculi*, quæ illis coniuncta ſunt, ad Meſſiam referant; cùm nullo modo niſi coactè, ac violenter ad Apoſtrophen reuocari poſſint. Quod cùm ita ſit, quid luculentiùs ad declarandam Meſsiæ Diuinitatem dici poteſt, quàm cùm Deum Meſſiam appellat, cuius ſedem in ſæculũ ſæculi, id eſt, ab æterno poſitam eſſe affirmat? Planè hæc de ſolo homine dici non poſſunt: ac potiſſimùm id Hebræis minùs credibile eſſe debet, qui Diuini nominis nequaquam prodigi eſſe ſolent. Quapropter eùm hic aperta de Meſſia mentio fiat; tam ex Hebraico textu, quàm ex Chaldaica tranſlatione Meſſiam, de quo hîc agitur, Deum eſſe euincimus.

Iſa. 28. IDEM Chaldeus interpres verba illa Iſa. 28. ביום ההוא יהיה יהוה צבאות לעטרת צבי ולצפירת תפארה לשאר עמו *baiom habu ibie Iehoua tſebaoth laghatereth tſui veliſphirath tipharah liſciar ghammo. In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & ſertum exultationis reſiduo populi ſui*; de Meſſia interpretatur;

cap. 18. ſicut etiam quæ leguntur cap. decimooctauo, בעת ההיא יובל שי ליהוה צבאות עם ממשך ומורט *bagheth habi iuual ſciai laihoua tſabaoth gham memuſciach vmorath. In tempore illo deferetur munus Domino exercituum à populo diuulſo, & dilacerato*: quem locum etiam de Meſſia exponit commentarius in Geneſ. Bereſcit Ketana. Præterea locum illum cap. octauo,

cap. 8. וחכתי ליהוה המסתיר פניו מבית יעקב וקויתי לו *vehhikithi laihoua hammaſtir phanau mibeth Iaghakou vekucthi lo. Expectabo Dominum qui abſcondit faciem ſuam à Iacob, & præſtolabor eum.* Diſcipuli Rabbi Hija in Thalmud tractat. Sanhedrin ad Meſſiam referunt: nec verentur omnibus hiſce locis, in quibus nomen Dei ineffabile legitur, diuinum hoc nomen, quod nulli præterquàm Deo tribuendum eſt, Meſſiæ deferre: quod ſanè nullo modo efficerent, niſi Meſſiam Diuinitate prædituin eſſe exiſtimaſſent.

PRÆTEREA idem Paraphraſtes locum

Iſa. 9. illum Iſa. 9. *Paruulus datus eſt nobis, & filius natus eſt nobis*, &c. *Et vocabitur nomen eius admirabilis, Conſiliarius, Deus*, &c. de quo ſuperiùs

Hierem. 23. egimus, & alium Hierem. 23. *Ecce dies veniunt, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum*, &c. *Et hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter*, ad Meſſiam referendum eſſe ſentit. Cùm verò iis Meſſiæ Diuinitas clariſſimè explicetur, credendum eſt, illius Paraphraſis auctores de Meſſiæ Diuinitate non niſi præclarè ſenſiſſe.

Midr. Theill. EXTAT præterea Midras Theillim, id eſt, Commentarius in Pſalmos diuerſorum Rabbinorum explanationes in Pſalmos cõplectens, qui apud Hebræos magno in pretio habetur, ex quo præclara ad probandam Meſſiæ Diuinitatem teſtimonia colligi poſſunt. Is enim in Comment. Pſalm. 20. de *Pſal. 20.* nomine, ac natura Meſſiæ quærens, ait. *Quandoquidem ex ſubditis alicuius Regis carnis, & ſanguinis, hoc eſt, temporalis Regis, nemo illius nomine nuncupetur: quid eſt, quod Deus ſuo nomine appellat Meſſiam? & quod eſt? Certè Iehouah eſt illius nomen, ſicut dictum eſt: vir prælator omnipotens nomen eius.* Præclara ſanè argumentatio. Nam ſi ea terrenorum Regum animis proprij honoris cupiditas ineſſe ſolet, vt eum nequicquam ſibi minui patiantur: quid de ſupremo omnium Rege Deo Opt. Max. cenſendum eſt, cui gloria ſoli, & ex iure debetur, tanquam rerum omnium auctori? Quid? an exiſtimandum eſt eum gloriam ſuam, quæ tam latè, quàm ſuiipſius nomen extenditur, vt teſtatur Dauid Pſalm. 47. *Secundùm nomen* *Pſal. 47.* *tuum Deus, ita & laus tua.* ita parui pendere, vt eam ſimul cum diuino nomine in Meſſiam trãsferre voluerit, qui olim per Iſa. c. 48. *Iſa. 48.* dixit וכבודי לאחר לא אתן *vchebodi leahher lo etten. Gloriam meam alteri non dabo*; niſi Meſſiam eiuſdem ſecum naturæ, ac Diuinitatis participem agnoſceret? Quare inde rectè concluduut, cùm Meſsias proprio Dei nomine appelletur, Dei etiam natura præditum eſſe.

AD hæc idem Commentarius in Pſal. 93. *Pſal. 93.* explicans locum illum Pſalm. 71. שמש ינון שמו *ſchemes ijnnon ſcemon. Ante Solem permanet nomen eius*: quo loco Hebraicè habetur ינון *ynnon*, id eſt, filiabitur nomen eius, de Meſſia ad literam intelligit; cui etiam adſtipulatur R. Ioſeph cœcus. Et in Thalmud tractatu *R. Ioſeph cœcus.* Sandhedrin, ſchola R. Ianui de Meſsiæ nomine interrogata reſpondit. *Ijnnon eſt nomen* *Tract. Sanhedrin.* *eius, quod dictum eſt in Pſalm. 71. Ante Solem Ijnnon eſt nomen eius.* At exploratum eſt (vt ſuperiùs demonſtratum fuit) cùm Meſsiæ nomen ante Solis creationem, id eſt, ab æterno extiterit, & ſuprema illa Diuinæ filiationis appellatione præditum fuerit, illum ab hiſce huius Commentarij auctoribus, & Dei filium, & Deum proculdubio appellari. Quid enim aliud eſt Meſsiæ nomen ante Solis huius creationem filiatum eſſe; præterquàm Meſſiam ante omnem orbis conſtitutionem ab æterno genitum eſſe; ex quo æternus Dei filius ab hominibus agnoſci debeat?

AT præclariſsima ſunt quæ ſcribit R. *R. Haccados.* Haccados ſummæ apud Hebræos auctoritatis in his quæ ad Diuina myſteria pertinent, explicandis. Claruit is ante Chriſtum circa Iudæ Machabæi tempora, atque eo in honore apud omnes habitus eſt vt eum magiſtrum ſanctum appellauerint, id enim ſignificat

gnificat Rabbenus Haccados, id eſt, magiſter ſanctus. Hic Meſsiæ Diuinitatem palàm profeſſus eſt. Nam in Eſa. cap. 9. expreſsè docet Meſsiam, vt Deus, & homo futurus erat, appellandum fore *Emmanuel*, vt Deum, *admirabilem*, *Conſiliarium*, vt fortem, *Gheuer*, id eſt, *robuſtum*, vt æternum, *Patrem æternitatis*: vt ſub eo pax multiplicanda eſt, *Principē pacis*, quatenus animas ab Orco eſt liberaturus, Accelera, quatenus illarum Saluator, *Ieſum*. Quid pro Meſsiæ Diuinitate illuſtrius afferre poterat, quàm quòd illum Deum, æternum, Patrem æternitatis, Deum & hominem, Ieſum tandem ex ipſis Scripturarum penetralibus appellat?

VERVM nec minus illuſtria ſunt, quæ leguntur in Commentario eiuſdem capitis, vt habetur in libro, qui inſcribitur, Porta Lucis cap. 2. vbi is ex nomine Iehouah, quo Meſſiam appellandum eſſe cenſet; diuinam, atque humanam illius naturam colligit his verbis. *Quemadmodū litera* ה *He componitur ex daleth, & vau, ita rex Meſsias componitur ex diuinitate & humanitate: & ſicut hæc duo* ה *he, ſunt duo daleth, & ab his procedunt duo vau, tanquam duo filij qui ab ipſis oriuntur: ita in ſubſtantia Regis Meſsiæ inueniuntur duæ filiationes, quarum vna eſt diuinitatis, qua Dei filius eſt, altera erit humanitatis, qua erit filius Prophetiſſæ, de qua dixit Eſa. c. 8.* ואקרב אל הנביאה ותהר ותלדבן *weekrau el hanneuia vatahar veteledben. Et acceſsi ad Prophetiſſam, & concepit, & peperit filium. Et ſicut harum literarum daleth & vau, quæ conficiunt he; vnaquæque diſtincta eſt ab altera, quamquam ambæ ſint vna litera: ita in Meſsia ſubſtantia diuinitatis diſtincta erit à ſubſtantia humanitatis, & contrà, quæ duo ſimul iuncta ſunt, Meſsias.*

Lib. Porta Lucis.

IAM ſanè ad duplicem Meſsiæ naturam declarandā, quid apertiùs à Chriſtiano Theologo dici potuiſſet, ignoro: quem ſaltem Hebræi audire deberent, velut antiquum legis ſuæ doctorem; atque ab eo diſcere, quid de Meſsiæ natura ſentiendum ſit.

HVNC non longè ſequutus eſt R. Moyſes Hadarſan non leuis inter Hebræos auctoritatis doctor; qui in Geneſ. 41. explicans verba illa Sophon. 3. *Quia tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini*, vbi Hebraicè habetur יהוה *Iehouah*. Ita inquit: *Iehouah nihil eſt aliud, quam Rex Meſsias*: quod propriis verbis refertur in Thalmud. Atque idem ſcribens in Geneſ. 49. allegans verba Pſ. 49. אראנו בישע אלהים *arennu beieſciangh elohim. Et oſtendam illi ſalutare Dei. Hæc* (inquit) *vna eſt ex Scripturis magni ponderis, quòd ſaluatio Iſraël erit ſaluatio Dei, quia Deus ipſe erit precium & ſolutio ſuæ redemptionis: quemadmodum ſi quis haberet triticum ſecunda decima, vt redimeret illud.* Hinc Thalmudiſtica illa traditio ortum habuit. Deum

R. Moyſes Hadarſ.

A idcirco à latere Aquilonis partem imperfectam dimiſiſſe; vt ſi quiſpiam ſe Deum eſſe diceret, imperfectionem illam impleret: atque eo pacto diuinitas eius agnoſceretur: at illi ea imperfectionis nota (vt credendum eſt) malum ac peccatum intellexerunt, quo ſublato Meſsiæ diuinitas agnoſcenda eſſet; cùm ſola illius virtute illud tolli poſſet.

IONATAS præterea huius Moyſis contemporaneus (ni fallor) eandem Meſsiæ Diuinitatem profitetur, explanans verba illa Iſa. 9. *Et vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, Pater futuri ſæculi, vel æternitatis, princeps pacis*, vbi omnia de Meſsia in-B terpretatur; vbi enim apud nos legitur, *Princeps pacis* vertit ille; *Meſsias, vel Chriſtus pacis*. Et cùm eo conuenit R. Ioſes Galilæus in ſuis Lamentar. l. V. 16. vbi ait Meſſiam Patrem æternitatis nuncupandum eſſe; in cuius rei gratiam locum hunc Iſaiæ citat: ſicut etiam Commentarius in Gen. 45.

Ionatas. Iſa. 9. R. Ioſes Galilæus. Comment. in Geneſ.

ANTE hos R. Simeon Ben. Ioachai, qui vetuſtiſſimus inter Hebræos expoſitores habetur ante Chriſtum natum: in commentario qui *zoar* nuncupatur, explicans illud Gen. *Faciamus hominem ad imaginem*, &c. Ait de-C cretum eſſe, vt ſanctum corpus, & mulier ſimul incorporentur: id eſt, mulier ſanctum corpus concipiat, idque in quodam tertio ſæculo; videlicet in tertia Eccleſiæ periodo. Tunc verò per hoc ſanctum corpus orbem ſuperiorem cum inferiori conciliandum eſſe; Deum idcirco in terra ſicut in cœlo ſanctificandum. Spiritum ſanctum, velut è vagina quadam explicandum; id verò totum, corpus ſanctum, ſcilicet, Deum, & Spiritum ſanctum vnum eſſe; nempe Deum. Additque mulierem, ex qua verbum Dei hoc ſanctum corpus aſſumet, ſanctam, & bene-D dictam futuram inter omnes fœminas. Eò verò hæc omnia ſpectare manifeſtum eſt, vt Meſsiæ diuinam atque humanam naturam explicaret.

R. Simeon Ben. Ioachai.

QVOD etiam clariùs idem Rabbenus apertit apud Rabenum Haccados his verbis. *Deus ſanctus, & benedictus mittet filium ſanctum ſuum, & carne humana ſe induet. Veh illis, qui propter prauas ſuas opiniones erunt rebelles huic Meſsiæ, & reſpuent dicta, quibus præcipiet, vt mundificentur aqua mundificationis ad purganda eorum peccata. Ipſi verò non incedent in viis Deo gratis: nec facient voluntatem eius; ſed in-*E *genti iracundia perciti eum occident.* Iam huc arrigant aures Hebræi, diſcántque hoc illorum Rabbino doctore, non tantùm quid de Meſsiæ diuinitate ſentire debeant: verùm, & quid illis pertimeſcendum ſit, quandiu in ſua ipſorum perfidia perſiſtunt; vt nec Deum credere, nec ad mundificantem Baptiſmi aquam, qua peccata expiare poſſunt: velint accedere.

DEMVM idem Rabbenus in Geneſ. 10. exponens

Digitized by Google

Iob. 19. exponens verba illa Iob cap. 19. *Et in carne mea videbo Deum meum*: ita ioquit. Miſericordia, quæ procedit ab altiſſima ſapientia Dei, corouabitur à verbo; & carnem ſumet ex muliere. Cui adſtipulatur R. Nehumiah Pſalm. 16. in ea verba Pſalm. 16. אני בצדק אחזה פניך אשבעה בהקיץ תמונתך *ani vetſedek ehheze phanecha eſbeghah behakits temu natecha. Ego autem in iuſtitia apparebo conſpectus tuo: ſatiabor cùm apparuerit gloria tua*, vbi id ita expooit: ſatiabor, cùm videbo tuum Meſsiam, qui eſt imago tua: neque ab his diſſeotit R. Iſaac Arama io Geneſ. 47. exponens locum illum Pſalm. 146. (R. Iſaac Arama.) ישלח דברו וימסם *iſcelahh deuaro veiamſem. Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea*, apertè docet, per Dei verbum, Meſsiam ipſum intelligendum eſſe: cui ſuffragatur tranſlatio Chaldaica in Pſalm. 109. (Paraphraſt. Chald.) qui iuxta ſententiam veterum Hebræorum Meſsiæ myſteria complectitur: nam vbi legitur נאם יהוה לאדני *neum Iehoua ladoni. Dixit Dominus Domino meo*, ea vertit: *Dixit Dominus verbo ſuo*: qua verbi Dei appellatiooe proculdubio Meſsiæ diuinitatem inſiouar, vti ſuperiùs explicuimus, cùm verbum Dei ſit de natura, & eſſentia ipſius Dei.

R. Abba. ATQVI R. Abba in Lamentationes Hierem. Lament. I. V. 16. qoærit, quod futurum ſit Meſsiæ nomen? & ſibi ipſi reſpondet, יהוה שמו *Iehouah ſcemo, Deus eſt nomen eius*: in cuius rei confirmationem adducit locum Hierem. 23. *Et hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter.*

R. Kibba. VERVM R. Kibba in Lament. Hierem. quærens de eodem Meſsiæ oomine, apertè etiam ipſum Deum fatetur, ait enim eſſe נהירא *nehira, lux*, iuxta illud Dan. 2. הוא גלא עמיקתא ומסתרתא ידע מה בחשוכא ונהורא עמה שרא *hu gale ghamik itha vmſteratha iadangh, ma babhaſciocha vnorah ghimmeh ſcere. Ipſe reuelat profunda, & abſcondita, & nouit in tenebris conſtituta, & lux cum eo eſt*, id eſt, Meſsias; iuxta hunc ſeoſum R. Abba, & R. Iohanan in Pſalm. 86. (R. Abba. R. Iohanan.) vbi legitur באורך נראה אור *beorcha nireh or. Et in lumine tuo videbimus lumen. Sæpe*(inquiunt) *lampas Iſraël extincta fuerat, & accenſa; cùm interdum captiuus, interdum liber eſſet: ſed tandem non ampliùs petere oportet; vt caro, & ſanguis, hoc eſt, mortalis homo luceat nobis: ſed Deus ipſe in ſua ſubſtantia; iuxta illud, quod in pſalmis dictum eſt, Deus Dominus illuxit nobis: & in Eſa. Iſraël ſaluabitur in Iehouah.*

POSTREMO lubet ex ipſo Thalmud, quod Hebræi velut ſacros Bibliorum libros venerantur, Meſſiæ diuinitatem euineere. Nam certum eſt veteres Thalmudiſtas explicantes illud Micheæ 5. ומוצאתיו מקדם מימי עולם *vmotſaothau mikedem mime gholam. Egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis*, quem locum communiter de Meſſia interpretátur, ita expooere. *Ab initio*, id eſt, *à Deo æterno*, quod ſe ab antiqua traditione accepiſſe teſtantur, quæ Meſſiam à Deo æterno ortum habere declarat: quod perinde eſt, ac ſi dicerent, Meſsiam Dei filium naturalem eſſe, ac conſequenter Deum. Quod etiam alia traditio, quæ extat in Bereſcit Rabba, confirmat his verbis. *In illa hora Iſraël ad montes intendens erit, ſicut dictum eſt Pſalm.* 120. עזרי מעם יהוה עשה שמים וארץ *ghezri meghim Iehoua ghoſeh ſciamaim vaarets. Adiutor meus à Domino factore cæli, & terra. Porro de eo Scriptura dixit Pſal.* 145. אשרי שאל יעקב בעזרו *aſcrei ſceel iaghakon beghezro. Beatus cuius Deus Iacob in adiutorem eius. Hic eſt Meſsias, qui vocatus eſt adiutor, ſicut dictum eſt Pſal.* 19. ישלח עזרך מקדש *iſlahh ghazrecha mikkodeſ. Mittet adiutorem tuum de ſanctuario. Et vnde ipſe veniet? à Deo ſancto & benedicto. Simile eſt hoc hominibus ad iudicium venientibus, ac iudicem timentibus; quibus dicitur. Nolite timere à iudicio. Iudex enim amicus veſter eſt. Sic futurum eſt, vt filij Iſraël ſtent in iudicio coram Deo ſancto, & benedicto; quibus formidantibus Angeli miniſtery dicent. Ne timeatis à iudicio: iudex enim ciuis veſter eſt. Sicut dictum eſt Eſaia 45. capite.* הוא יבנה עירי וגלותי ישלח *hu iune ghiri vegaluthi iſcalleahh. Ipſe ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatem ſoluet, nonne cognoſcitis ipſum? Propinquus enim, & conſanguineus veſter eſt. Sicut dictum eſt Pſalm.* 148. לבני ישראל עם קרבו *liune Iſraël gham kerouo. Filius Iſraël populo propinquo, vel conſanguineo ſuo. Laudate* Deum. His pleráque alia Thalmudiſtæ veteres ſubiiciunt, quæ Meſsiæ diuinitatem (vt legeoti paret) manifeſtè oſtendunt.

HIS cooſentanea ſuot, quæ leguntur in libro Tanhuma, vbi explicatur illud Leuit. 25. (Lib. Tanhuma.) כי ימוך אחיך ומכר מאחזתו ובא גאלו הקרב אליו וגאל את ממכר אחיו *ki iamuch ahhicha vmachar meahhuzatho vua goalo hakkarou elau vegaaleth mimchar ahhiu. Quando pauper factus fuerit frater tuus, ac vendiderit de poſſeſſione ſua: & veniet redemptor eius, proximus, vel propinquus ei, & redimet*: ita habetur. *Et veniet Redemptor eius. Hic eſt* Deus *ſanctus & benedictus, ſicut dictum eſt Hierem.* 50. גאלם חזק יהוה צבאות שמו ריב יריב את ריבם *goalam hhazak Iehouah tſebaoth ſcemo riu iariu eth riuam. Redemptor eorum fortis* Deus (*Iehouah*) *exercituum nomen eius, diſceptans diſceptabit cauſam eorum; vel bellans bellabit bellum eorum; propinquus* vel *conſanguineus ei. Hic eſt* Deus *ſanctus, & benedictus ſicut dictum eſt Pſal.* 148. וירם קרן לעמו תהלה לכל חסידיו לבני ישראל עם קרבו *vaiarem keren leghammo thehilla lechal hhaſidau liunei Iſraël gham kerouo. Et exaltabit cornu populi ſui, laus vel gaudium omnibus piis, vel benignis eius filiis, Iſraël populo propinquo, vel conſanguineo ſuo.* Hæc ſanè non aliò, quàm ad inſinuandam Meſsiæ Dei incarnatiooem tendunt: & diui-

næ ac humanæ naturæ affinitatem, ac velut
conſanguinitatem in Chriſto futuram.

Thalmudiſt. POSTREMÒ his accedat, quod iidē Thal-
mudiſtæ in Gloſſa Pſalterij Pſalm. 21. ita ſcri-
bunt. *Dicit R. Anina in nomine R. Aha: quid eſt,*
Iſa. 11. *quod ſcribitur Iſa. 11.* והיתה מנחתו כבוד *veha-
ietha menuhatho kauod. Et erit ſepulchrum eius
glorioſum, vel requies eius glorioſa? Reſpondet quòd
Deus dabit Meſſia de gloria cœleſti: & rurſus
quid eſt Rex gloriæ? Iſte eſt Rex, qui partitus eſt de
gloria ſua timentibus eum. Dicunt Rabanam, id eſt
ſapientes. Regis temporalis nemo audet ferre ſuam
coronam, & Deus dabit eam Regi Meſſiæ, vt eſt
ſcriptum. Pones capiti eius coronam auri, & gem-
marum. Regis carnis, & ſanguinis purpura nemo
veſtitur. Et de Rege Meſſia ſcriptum eſt. Laudem,
vel confeſſionem, & decorem pones ſuper eum. Vo-
cauit autem Regem Meſſiam nomine ſuo, & quod
nomen eius? Deus Iehouah, vir pugnæ.* Huc ſpe-
ctat quod legitur in libro Sanhedrin in. cap.
Helec. *Dixit R. Iohanan. Si videris generatio-
nem ſe modicam facientem, ac procedentem, expe-
cta Meſſiam: ſicut dictum eſt Pſalm. 71.* כי אתה
עם עני תושיע ועינים רמות תשפיל *ki atta
gham ghani thoſciangh veghenaim ramoth taſphil.
Quia tu populum humilem ſaluabis, & oculos ſub-
limes deiicies, vel humiliabis. Dixit quoque R. Io-
hanan. Si videris generationem, ſuper quam multæ
tribulationes ſunt venientes; expecta Meſſiam, de*
Iſa. 59. *quo dictum eſt Iſa. 59.* ויראו ממערב את שם
יהוה וממזרח שמש את כבודו כי יבא כנהר צר
*veiru mimma gharau eth ſcem Iehoua vimm-
mizrahh ſcemeſce eth kiuodo ki iauo channahar
tſare. Et timebunt ab Occidente nomen Dei Ieho-
uah, & ab ortu Solis honorem,* vel, *gloriā eius, quia
veniet ſicut fluuius tribulans:* vnde conſtat Meſ-
ſiam vocari ab iis *Iehouah,* vt paſſim etiam in
aliis libris; & in Bereſcit Ketana ſuper illud
Gen. 49. לא יסור שבט מיהודה ומחקק מבין רגליו עד
כי יבא שילה *lo taſur ſceuet mihuda vmhhokek mi-
bein raglau ghad ki iauo ſcilo. Non recedet ſceptrū de
Iuda, & dux de femore eius, donec veniat Silo.* ita
ſcribitur. *Hi ſunt ſedētes Iabbez, id eſt, docētes ha-
lachet, id eſt, ſententias in Sanhedrin magna, quæ ſe-
det in conſiſtorio dolato in parte Iuda, de quibus di-
ctum eſt 1. lib. Paralip. 2. c.* ומשפחות ספרים ישבי
יעבץ *vmiſphehoth ſophrim Ioſues Iaghbets. Et fa-
miliæ Scribarum ſedentes Iabbez: donec veniat Silo,
id eſt, Meſſias: quia futurum eſt, vt gentes ſæculi
deferant munus Meſſiæ filio David; ſicut dictum*
Iſa. 18. *eſt Iſa. 18.* בעת ההיא יובל שי ליהוה צבאות
*bageth hahi iubal ſciai laihoua tſebaoth. In tempore
illo deferetur munus Deo Iehouah exercituum.* vbi
ſatis apertè conſtat eos Meſſiam, ac Deum
Iehouah pro eodē vſurpare; cū munus, quod
ex Scriptura Deo Iehouah deferendum pro-
bant, Meſſiæ offerendum exponunt. Tandem
Lib. Hacadmæ. in libro Hacadma, ait Caballiſta quidam. *Se-
cretum Regis Meſſiæ, hoc eſt, illius opus totum futu-
rum eſt in iod, he, & vau,* integrúmque illius no-
men ex his literis componendum eſſe tradit.

Ex quibus tandem concluditur Meſſiam eſſe
Deum Iehouah.

---

*Demonſtratur quartò Diuinitas
Meſſiæ rationibus.*

ARTICVLVS X.

SVPEREST vt præclariſſimam hanc
de Meſſiæ Diuinitate fidem, ac verita-
tem rationibus ex ipſo Scripturarum fonte
exhauſtis, Hebræorum mentibus inſtille-
mus. Harum autem rationum ſeriem quò
faciliùs ab ipſis capi, ac retineri queāt in duas
claſſes diſtribuemus. Prima erit earum, quæ
ad Meſſiæ finem, ac prædeſtinationem ſpe-
ctant. Altera illarum, quæ circa illius munus
verſantur: iis imperfectè illius Diuinitas de-
claratur; cùm illius aduentum, non ad hu-
manum tantùm, ſed ad diuinum quoque
opus exercendum, ordinatum agnoſcimus;
atque eum non hominis ſolummodò; ſed
Dei ſimul munus obire debere intelligimus.

QVÒD igitur ad primam attinet. Meſ-
ſiam in orbem venturum, non vt homines
temporali imperio regat, aut ab hoſtium ſer-
uitute humano pretio redimat, aut terrenis
opibus, ac honoribus augeat, vt Hebræi fal-
sò ſibi perſuadent: ſed vt dæmonum ſuper-
bam poteſtatem coërceat, animas ab eorum
poteſtate liberet; & diuinis, ac cœleſtibus di-
uitiis accumulet, communis, ac grauiſſima
eſt Scripturarum fides; quæ ex ipſa primùm
Meſſiæ promiſſione declaratur.

PRIMÒ namque tunc promiſſum fuiſſe
Meſſiam cùm Adæ lapſus humanum genus
peccati ſeruum effecerat, ipſa Geneſeos ver- Geneſ. 3.
ba cap. 3. teſtantur; nam ſtatim poſt Adæ
peccatum Deus in ſerpentem velut in mali
auctorem iudicium ferens, ait. ואיבה אשית
עקב בינך ובין האשה ובין זרעך הוא ישופך
ראש ואתה תשופנו *veeiua aſcith benecha
vbein haiſcia vbein zarghachah ihu ieſciu phecha
roſc veatta teſciuphennu ghakeu. Inimicitias po-
nam inter te, & mulierem, ſemen tuum, & ſemen
illius: & ipſum conteret caput tuum, & tu inſidia-
beris calcaneo eius* Atque hîc principio ſtatuen-
dum eſt, Deum non ſerpentem reptile ani-
mal, ſed ſerpentis nomine dæmonem allo-
qui; qui callida perſuaſione mulierem ad
peccatum pellexerat. Secus enim cogere-
mur rationis vſum, ac ſermonis beneficium
bruto animali tribuere; ac fabulas in ſacras
Scripturas inuehere: ídque citra controuer-
ſiam velut certum ſupponimus. Quòd ſi
Deus dæmonem ſerpentem appellat, ea cau-
ſa eſt, vel quia dæmon ſerpentis figura ad
Euam decipiendam vſus eſt, vel vt callidam
illius naturam ſub ſerpentis nomine decla-
raret: qui inter animantia ab ipſa Scriptura
callidiſſimus prædicatur.

EXPEN

Expendenda eſt ſecundo loco germana huius loci lectio; quoad illa præcipuè verba, *Ipſum contereret caput tuum*: nam in cæteris nulla eſt controuerſia. Varia fuit horum verborum lectio apud veteres: nam alij legunt *ipſa*, alij *ipſe*, alij *ipſum*. Qui legunt, *ipſa*, ſenſum ad Deiparam Virginem referunt; eum qua graues ſimultates gerit hîc tartareus ſerpens: atque inde fit, vt ob ſingularem Virginis in eum à Deo acceptam poteſtatem, ab ipſa illius caput conterendum eſſe ex ipſo textu eliciant, qui de ſerpentis cum muliere (quam Deiparam Virginem interpretantur) inimicitiis agit. B Neque ſanè aſpernanda eſt huiuſmodi lectio, cùm ſit grauiſsimorum Patrum. D. Ambroſ. lib. de fuga ſæcul. cap. 7. D. Auguſt. lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 36. & lib. 2. de Gen. cont. Manich. cap. 18. D. Io. Chryſoſt. hom. 17. in Gen. D. Greg. lib. 1. Mor. D. Bernardi hom. 2. de laud. virg. Eucherij lib. 2. in Gen. cap. 29 & aliorum. Demum ſit antiqua Eccleſiæ vulgata lectio. At LXX. verterunt *αὐτὸς*, *ipſe*. Ita etiam legit Paraphraſtes Chaldæus, quos poſtea D. Irenæus lib. 4 cont. hæreſ. cap. 78. Cyprianus lib. 2. teſtimoniorum aduerſus Iudæos c. 9. D. Hieronym. in quæſtion. Hebraicis in Gen. D. Petrus Chryſologus ſerm. 173. Demum verſio Ariæ Montani, Pagnini & Vatabli legit *ipſum*.

D. Ambroſius. D. Auguſtinus. D. Io. Chryſoſtomus. D. Gregorius. D. Bernardus. Eucherius. Paraphraſtes Chald. D. Irenæus. D. Cyprianus. D. Hieronymus. D. Pet. Chryſologus. Arias. Pagninus. Vatablus.

Qvapropter obſeruandum eſt, pro illo pronomine *ipſe*, in Hebræo haberi הוא *hu*, tribus literis ſcriptum ה, *he*, ו *vau ſurec*, & א *aleph*, quod eſt pronomen tertiæ perſonæ; quod tam in maſculino, quàm in neutro genere ſumi poteſt. Nam cùm Hebræi neutro genere careant, maſculinum pro neutro vſurpant. Hinc fit, vt ſi Hebraica dictio ex rigore expendi debeat, *ipſe*, vel *ipſum*, reddi oporteat. D Nam fœmininum *ipſa*, Hebraicè ſcribitur היא cum *he*, *iod*, & *aleph*, & eſt punctus chiric ſub *he*: poteſt tamen eadem dictio הִוא fœmininum reddere, ſublato ſurec à *vau*, & appoſito chiric ſub *he*, licèt rarò. Ita ſcribitur Gen. 3. vbi legitur: *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, ipſa dedit mihi de ligno, & comedi*; pro *ipſa*, habetur הִוא; ex quo patet, quòd cum fœmininum genus eiſdem literis apud Hebræos ſcribi poſsit, vnico duntaxat puncto tranſpoſito, quibus maſculinum ſcribitur, E priores ſententiæ Patres haud malè legerint *ipſa*; cùm puncta poſt quadringenteſimum poſt Chriſtum annum à Iudæis appoſita fuerint: ante quorum appoſitionem tam *ipſa*, quàm *ipſe*, aut *ipſum* legi poterat.

Geneſ. 3.

Porro quòd mulieris huius ſemen Meſsiam denotet, communis eſt veterum Hebræorum ſententia. Nam Targum Ieroſolymitanum, quod vetuſtiſsimum eſt, atque apud Hebræos celeberrimum, ex tot He- A bræorum Doctorum tranſlatione conflatum, atque expoſitionibus ditatum, id teſtatur his verbis. *Et erit, quando filij mulieris operam dabunt legi, & fecerint præcepta, tunc ſtudebunt tibi ſerpenti conterere caput, & occident te. Cùm verò deſeruerint filij mulieris præcepta legis, nec ſeruabunt mandata; tu operam dabis, vt mordeas eos in calcaneis eorum; & ita noceas eis: veruntamen remedium erit filiis mulieris, tibi verò ſerpenti nullum erit remedium: quandoquidem futurum eſt, vt amoueat morſum, qui futurus eſt in calcaneo, in fine dierum, in diebus ſcilicet Regis Meſsia.*

Targum Ieroſolym.

B Hoc itaque poſito id firmum habemus, ſtatim poſt Adæ lapſum, non antea Meſsiæ promiſsionem factam fuiſſe; cúmque tunc promiſſum eſſe, vt Diaboli caput, ac ſuperbiam contereret, cùm primùm ex primi hominis victoria illud erexit: quæ ex ipſo contextu aperta ſunt. Nunc ſupereſt; vt quale ſit iſtud Diaboli, ac ſerpentis caput, intelligamus. Myſticè enim hoc caput intelligendum eſſe, res ipſa fateri cogit: cùm Dæmon ſpiritus ſit, tam capite, quàm cæteris humanis membris ſuapte natura carens. Hoc autem C caput, vel ipſum originale peccatum fateri cogimur, quod cùm omnium peccatorum caput ſit, & origo, in omnia humani generis membra diffluit; vnde etiam originale nuncupatur: vel ipſam Dæmonis poteſtatē, quam primo illo hominis peccato in poſteros tranſfuſo, in omnes homines ſibi comparauit, vti teſtatur Iob. 41. והוא מלך על כל בני שחץ *vehu melech ghal col benei ſciahhats. Ipſe eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ.* Hinc propoſiti veritas elicitur; cùm Meſsiæ aduentum ob id potiſsimùm ordinatum habemus, vt primùm originali, ac cæteris deinde peccatis remedium afferret. D

Iob. 41.

Id confirmatur ex eodem capite 3. Geneſeos, vbi legitur Deum Adam, & Euæ tunicas pelliceas conſtruxiſſe ויעש יהוה אלהים לאדם ולאשתו כתנות עור וילבשם *vaighaſc Iehouah elohim leadam vliſceto kathnoth ghor vaialbiſcem. Fecit quoque Deus Adæ, & vxori eius tunicas pellicas; & induit eos.* Hæc verba iuxta hiſtoricum & literalem ſenſum, non metaphoricè tantùm intelligenda eſſe, docent D. Auguſtinus lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 39. & Rupertus lib. 3. de Trinit. & eius oper. cap. 27. E Cæterùm quamuis multæ rationes reddi valeant, cur Deus has illis tunicas parauerit; id enim fieri potuit primùm vt illos à cœli intemperie, ac temporum calamitatibus protegeret. Tum vt tuendæ honeſtatis illos admoneret, quæ ex nudi corporis áſpectu labefactari ſolet, deinde vt peccati damna agnoſcerent, quæ pudendam nuditatem illis efficerent; demum vt ſe præclara illa innocentiæ veſte expoliatos ob culpam ſcirent, quam à Deo in beneuolentiæ ſignum acceperant:

Geneſ. 3. S. Auguſtinus. Rupertus.

Digitized by Google

perant: at plures aliæ huius rei cauſæ ac rationes reddi poſſint.

In his tamen verbis, & re à Deo ipſo exhibita, cogimur iuxta Auguſtini, & Ruperti ſententiam abſconditum aliquod myſterium fateri. Cùm enim imprimis ex ipſo textu compertum ſit, ſtatim poſt patratum facinus, antequam vterque parens è Paradiſo voluptatis eiiceretur, eos his veſtibus contectos fuiſſe; ac præterea non quibuſlibet veſtium generibus; ſed tantùm pelliceis amictos fuiſſe: demum non ab alio, quàm à Deo ipſo has veſtes illis paratas fuiſſe; profectò in his abditiſſimum Meſſiæ myſterium ab ipſo B mundi exordio inchoatum nobis contemplandum ſe offert.

Nam quòd ſtatim poſt peccatum Deus pelliceas tunicas Adæ, & vxori parauerit; eò profectò futura Meſſiæ mors in peccati remedium adhibenda prænunciatur: cùm enim
Iſa. 53. perſpicuum ſit eundem Meſſiam ab Iſaia cap. 53. oui mactatæ comparari illis verbis כשה לטבח יובל *kaſce lattenabh iuual. Tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt.* Inde huius loci ſenſum facilè aſſequimur; has ſcilicet pelliceas tunicas, quæ Adæ, & vxori ex aliqua mactata oue in veſtimentorum vſum ceſſerunt, diuinæ C illius ouis, atque Agni immaculati, quem Joannes ab origine mundi occiſum prædicat, merita nobis condonata indicare; quibus perinde ac velleribus totius humani generis contracta ex peccato nuditas tegeretur: ac primi hominis culpa, quæ in omnes homines tranſfuſa cunctos Adæ filios morti adiudicauerat, Meſſiæ nece deleretur. Id verò cùm Deus tantummodò præſtare poſſet; hinc à Deo duntaxat, non ab alio hos Adæ, & vxori veſtes pelliceas paratas fuiſſe; ac Deum ipſum non Angelum, aut hominem, hoc redimendi hominis munus ſuſcepiſſe Moyſes de- D
Geneſ. 3. clarat cùm ait: *Fecit quoque Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas.* Quod ſanè non obſcu-
Pſal. 71. rè Regius pſaltes Pſalm. 71: quem de laudibus Meſſiæ vniuersè interpretantur, confirmat his verbis מתוך ומחמס יגאל נפשם *mitoch vmbhamas igal naphſciam. Ex vſuris, & iniquitate redimet animas eorum.* vbi *iniquitatis* nomen in ſingulari numero vſurpat, vt originalem culpã inſinuet; quæ cùm graui damnationis iugo vniuerſos Adæ filios opprimeret; ad illam expiandã, atque animas ab illius op- E preſſione redimendas; Meſſiam, de quo hîc agitur, præordinatum fuiſſe affirmat: neque tantùm à prima illa Adæ culpa in nos tranſfuſa, verùm & ab illius culpa vſuris, quibus reliqua omnia peccata complectitur, à Meſſia nos liberandos eſſe dicit. Cætera enim peccata, quæ poſt originale peccatum perpetrata ſunt, ab eo velut vſuræ à principali debito ſunt profecta, ea potiſſimùm ratione, quòd ad ea propter corruptum naturæ ſta- A tum, velut naturali quodam impulſu propellimur, qui tametſi voluntati vim non inferat, plerumque tamen has peccatorum vſuras etiam ab inuitis pectoribus exigit: eo planè ſenſu, quo olim dixit Paulus Rom. 7. *Non* *Rom. 7.* *enim quod volo bonum, hoc facio; ſed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio: iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.*

Cæterum quòd peccatum Adæ in omnes homines propagatum fuerit, ad quod delendum Meſſias potiſſimùm ordinatus ſit; præter ea quæ ſuperiùs diximus, etiam apertè demonſtratur ex illis verbis Geneſeos 17. *Geneſ. 17.* quibus Circuncifionis lex à Deo ſancita erat. וערל זכר אשר לא ימול את בשר ערלתו ונכרתה הנפש ההוא מעמיה *vegharel zachar aſcer lo immol eth beſar gharelatho venichretha hannepheſc habiu meghammeah. Maſculus, cuius præputij caro circunciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo.* Id enim apud Hebræos exploratum eſt deletionem illam à populo, æternæ damnationis pœnam inſinuare: quod vel ex eo probare licet, quod ipſi hodierni Hebræi hoc ipſum profitentur, cùm pueros ſuos circuncidentes, his verbis vtuntur. *Benedictus Deus, qui hoc fœdus circunciſionis nobis dedit, quia per hoc liberauit hunc puerum dilectum ab inferno.* Nam ſi ibi de temporali tantùm pœna ageretur, ea in puero octo dierum locum non haberet, qui ſuapte culpa non deliquit. Ob quam igitur culpam puer Hebræus octo dierum, qui nullam neque mortalem, neque venialem maculam contrahere potuit, damnationis ſententiam meretur? non ob aliam ſanè prætetquàm eam, quam ab Adam omnium parente propagatione contraxit.

An hanc igitur originis culpam delendam Meſsiæ aduentum potiſsimùm ordinatum fuiſſe; vberrimè oſtendit Iſaias cap. 53. *Iſa. 53.* vbi ſæpe repetit Meſsiam hominum peccata laturum. והוא מחולל מפשענו מדכא מעונתינו *vehu mehholal mippeſciaghenu meduka meghanonothenu. Ipſe* (inquit) *vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, &c. Et liuore eius ſanati ſanus.* Rurſus. *Et Dominus poſuit in eo iniquitates omnium noſtrûm.* vbi notanda eſt dictio illa vniuerſalis (omnium) quæ vniuerſalem culpam inſinuat. At ſingularem huic rei probationem adfert, quòd non ſemel etiam de ſingulari quodam peccato agit eodem capite, cùm ait: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum.* Et tandem finem capitis concludit his verbis והוא חטא רבים נשא *veoh chetheh rabbiim naſca. Et ipſe peccatum multorum tulit*, vt vertit Pagninus. Quodnam igitur erit hoc ſingulare multorum peccatum, ad quod tollendum Meſsias animam profundere deberet? planè vnum multorum (quo nomine totam hominum multitudinem complectitur)

tur) peccatum eſſe non poteſt, niſi ad Adæ peccatum in omnes transfuſum confugiamus, quo velut in capite, ac radice omnes homines infecti fuerunt; atque in eo aliena voluntate conſenſerunt. Neque inficiari valent Hebræi, quin totum illud caput de Meſſia exponendum ſit: cùm illud Chaldæus Paraphraſtes, qui publicè in Synagogis legitur, ad Meſſiam referat; vt manifeſtum eſt ex verbis præcedentis capitis. *Ecce intelliget ſeruus meus, & exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valde:* quæ connexionem habent cum ſequentis capitis verbis, vbi de eodem ſermonem proſequitur Vates, quæ verba ita exponit Paraphraſtes. *Ecce intelliget ſeruus meus Meſsias:* & apud Thalmudiſtas dictum caput de Meſsia intelligitur, vt patet ex cap. Helec. in libro Sanhedrin.

Chaldaus Paraphraſt.

DENIQVE hoc ipſum Daniel apertiſſimè teſtatur cap. 9. vbi de Meſsia agens ait. אתה ובין בדבר והבן במראה : שבעים שבעים נחתך על עמך ועל עיר קדשך לכלא הפשע ולהתם חטאת ולכפר עון ולהביא צדק עולמים ולחתם חזון ונביא ולמשח קדש קדשים *atta vuin baddauar vehaeun bammarch ſciaunghim ſciughim nehhtach ghal ghammecha veghal ghir kadſcecha lechalle hapheſciangh vlhathem hhattath vlchappher ghanon vlhaus tſedek gholamim velahhtom hhazon venaui velmſcioahh kodeſc kadaſcim. Tu ergo aduerte ſermonem, & intellige viſionem. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctã tuam, vt cõſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum.* Hic tandem Hebræos ſiſtere, ac dexteras nobis dare neceſſe eſt.

Daniel. 9.

QVANDOQVIDEM apertè his verbis de Meſſię aduentu agitur, de quo tot præclara Angelus Danieli vaticinatur, quòd ſcilicet finem peccato imponere debeat, iniquitatem delere, adducere iuſtitiam ſempiternam, implere viſiones & Prophetias: quæ omnia Meſsiæ à Prophetis tribuuntur: quamquam R. Salomon in alium ſenſum, nempe ad Hebræum populum hęc verba detorquere conetur, vt huius teſtimonij vim effugiat. At certè non tam coacta, quàm falſa ipſius expoſitio eſſe deprehenditur, cùm ea candidè cum Angeli verbis confertur: nam imprimis quòd exponit *(vt conſũmetur præuaricatio)* id eſt, vt deſiſtant à præuaricationibus, & peccatis, id manifeſtè falſum eſt; ſiquidem poſt euerſionem ſecundi templi (quo tempore hæc omnia accidere debuiſſe, & ipſe R. Salom. nobiſcum ſentit) nihil minùs Iudæi, quàm à peccatis deſtiterunt. Teſtes ſibi ipſis ſint, quot periuria, quot fraudes, quot veneficia, quot vſuras, quot pauperum expilationes, quibus in Dei legem præuaricantur, quotidie pariant, quot denique peccata pec-

R. Salomon.

A eatis accumulent, quibus potiùs antiquam præuaricationem augent, quàm eam aut minuunt, aut conſumunt.

QVÒD verò deinde alia verba ita interpretatur, *vt finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas,* id eſt, mereantur apud Deum tum propter pœnitentiam, ac vitæ renouationem, tum etiam propter modernæ captiuitatis labores, vt illorum iniquitas deleatur; vanum id quoque eſſe conuincitur: neque enim prioris vitæ emendatio, ac melioris inſtitutio (vt ipſimet norunt) peccatorum illis veniam parat: neque quæ maxima hæc iniquitas ſit, ob B quam expiandam tam grauem, ac diuturnam captiuitatem patiuntur etiamnum, nobis oſtendere valent. Nam cùm ob idololatriæ crimen, quod omnium grauiſsimum eſſe cenſetur; ſeptuaginta tantùm annorum captiuitatem in Babylonia perpeſsi fuerint: neque poſt eorum ab hac captiuitate reditum, ipſos aut idola coluiſſe, aut Prophetas occidiſſe proditum ſit: exerant nobis Iudæi, quodnam hoc ſit tam graue ſcelus, quod M. D. C. & amplius annorum captiuitate inexpiatum manet; nec huius adhuc captiuitatis terminum vident?

C PLANE ſi rem candidè perpendere velint, nullum huiuſmodi crimen ab ipſis poſt Babylonicam captiuitatem patratum oſtendere valent, quod priora omnia illa ſcelera grauitate antecelluerit: niſi proprium ſcelus in Chriſti internecione ab ipſis patratum, ſeu potiùs ſceleris huius impœnitentiam agnoſcere velint; ob quam diuturna, ac omnium luctuoſiſſima hac captiuitate mulctantur: de qua idem Angelus inferiùs agit, cùm ait. *Et poſt 62. hebdomades occidetur Chriſtus, & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt.*

CÆTERVM vndenam ſibi illucere vi- D dent iuſtitiam ſempiternam, quam R. Salomon eam eſſe explicat, qua in ſempiternum ex culparum expiatione iuſti fieri debent; cùm non modò 72. hebdomadarum ſpatium expirauerit, quo tempore euoluto ſtatim eam adducendam fore Angelus prædixit: verùm pluſquam ducentæ hebdomades poſt illud effluxerint, ex quo nec adhuc peccata finem acceperunt, nec iuſtitia ſempiterna illis adducta apparet?

DENIQVE neque impletas viſiones, & Prophetias, quas promiſſiones de Chriſto à Prophetis factas Salomon eſſe declarat; nec E Sanctum Sanctorum vnctum, id eſt, Templum, vt idem exponit à Meſſia ædificatum adhuc cernunt. Quapropter hac R. Salomonis expoſitione velut manifeſtè falſa merito reiecta, accipiant, Iudæi quid hoc loco Angelus ſignificare voluerit: nam cùm Meſſiam poſt 71. annorum hebdomadas ſtatim venturum prædixerit, quod etiam fatetur R. Salomon, hæc omnia præclara bona,

quę hîc commemorantur nobis ab ipſo Meſſia ſuo aduentu præſtanda fore docet. Primùm, *vt conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum*; quibus verbis non incongruè ſignificatur originale peccatum ita prorſus à Meſſia extinguendum eſſe, vt ſemel per illius Baptiſmum ſublatū, ampliùs (vt cętera peccata) non reuiuiſceret, neque, vt antea ſolebat, quoad reatum maneret: ſolum enim originale peccatum, cæteris actualibus culpis poſt Baptiſmum in hominum mentibus denuò pullulantibus, finem in Baptiſmo accipit: quò fit, vt quamuis de cæteris etiam culpis, quæ originalem ſequuntur, locus intelligi B poſſit; pro quibus Meſſias ſanguinis pretium exoluturus erat, quo ſanè per ſufficientiam ab omnibus, quoad efficaciam verò à multis erat ablaturus: magis tamen priora hæc verba de originali peccato accommodè dicta eſſe videntur: cùm poſteriora ad actuales culpas non obſcurè pertineant cùm dicitur. *Et deleatur iniquitas*: quo teſtimonio aſſeritur, cunctas hominum iniquitates, quæ ſingulari nomine pro plurali ſumpto explicantur, Meſſiæ ſanguine delendas fore: quod etiam

Iſa. 53. antea prædixerat Iſaias cap. 53. illis verbis, ויהוה הפגיע בו את עון כלנו *vaihoua hiphgiangh bo eth ghauon kullanu. Poſuit in eo* C *Dominus iniquitates omnium noſtrûm.* Hinc ſequitur à Meſſia adducendam fore iuſtitiam ſempiternam. Siue enim per iuſtitiam legem Euangelicam intelligimus, quæ per opus legis, ac ſui obſeruantiam homines iuſtificat; ſiue media ad iuſtificationem conferendam apta, veluti Sacramenta: ſiue ipſam Dei gratiam, qua homines formaliter iuſtificantur, exponamus; quoquomodo iuſtitiam accipiant: nemo præter Meſſiam eam in orbem ſempiternam adducere poterat. Is enim & legem, quæ homines iuſtificare poſſet, nul- D lo vnquam tempore abrogandam laturus erat: & ea Sacramenta inſtituturus erat, quæ iuſtitiam perfectam, & ſempiternam in orbe adducerent, quibus & perfectè homines iuſtificarentur, & perpetuam ſibi ſtabilitatem in Eccleſia vendicarent.

DENIQVE ſolus Meſſias gratiam nobis poſt peccatum mereri potuit, quæ perfecta, ac ſempiterna eſt hominis iuſtitia, qua verè iuſtus coram Deo efficitur: vt teſtatur Iſaias

Iſa. 53. c. 53. יצדיק צדיק עבדי לרבים *Iaſedik tſadik ghaueddij larabijm. Iuſtificabit ipſe ſeruus meus* E *multos.*

CVM verò additur ab Angelo. *Et impleatur viſio, & prophetia*; manifeſtè non modò Prophetarum oracula ad Meſſiam reſpexiſſe inſinuat, quæ in illius aduentu tandem expirare debeant: ſed tandiu futuros apud Iudæos Prophetas indicat, quoad Meſſias ipſe venerit: quod ſanè maximum Iudæis argumentum eſſe debet, Meſſiam iam veniſſe, ac

A omnes in eo expletas eſſe prophetias, cùm nullos ampliùs Prophetas inter eos ſurrexiſſe cernant.

POSTREMÒ cùm ita concludit Angelus. *Et vngatur Sanctus Sanctorum* Profectò Sole ipſo clarius Iudæis eſſe debet, hæc omnia de Meſſia dicta eſſe, quem Sanctum Sanctorum Angelus idcirco appellat, quòd Deum ſimul & hominem futurum agnoſceret, qui & hominum ſanctificator foret, & ab eo velut ex fonte vniuerſi gratiarum riuuli in cunctos effluerent, qui tam præteritis, quàm futuris orbis temporibus ſancti extitêre.

B PORRÒ quod ad rem ſpectat, conſtituto hoc probatæ veritatis fundamento, quòd ſcilicet Meſſias hominum peccata deleturus eſſet: iam non valent Hebræi Meſſiæ Diuinitatem, quæ hinc neceſſariò colligitur, inficiari. Cùm enim eò prærordinatus fuerit Meſſiæ aduentus, vt peccatum tum originale, tum actuale deleret, quod ſolus Deus duntaxat præſtare poteſt: quis hinc futurum Meſſiam Deum fore non agnoſcat?

PORRÒ ſoli Deo delendorum peccatorum ius reſeruatum eſſe teſtes ſunt Iſa. c. 43. אנכי Iſa. 43.
אנכי הוא מחה פשעיך למעני *anochi anochi hu* C *mobhe pheſciaghecha lemaghani. Ego ſum, ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Iob c. Iob 14.
14. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nõnne tu qui ſolus es?* Sap. 16. *Ne-* Sap. 16.
que herba, neque malagma ſanauit eos, ſed tuus Domine ſermo, qui ſanat omnia. Probatur autem hæc Theologica ratione: nam certum eſt ad peccati remiſſionem neceſſariò gratiæ infuſionem requiri, qua homo & iuſtus, & Deo gratus fiat: gratia autem cùm ſit creata qualitas, eam in homine ſimul & creari, & infundi opus eſt; vt ea iuſtus fiat: ſed cùm Deo tantùm rerum creatio competat, qui ſolus D res à non eſſe ad eſſe excitat, vtpote earum creator, qui vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt: inde neceſſariò ſequitur, gratiam non poſſe infundi niſi à Deo, à quo tantummodò poteſt creari. Hinc colligitur, quòd ſicut Deus ſolus gratiam creare poteſt & infundere, ita ſolus peccata remittere valet. Quo pacto igitur Meſſiæ peccatorum remiſſio, quæ gratiæ creationem, atque infuſionem præſupponit, tribui poſſet; niſi idem quoque Deus eſſet, ad quem gratiæ etiam creatio ſpectaret?

E QVAPROPTER Iſa. 51. Deus Meſ- Iſa. 51.
ſiam alloquens ait. ואשים דברי בפיך ובצל ידי כסיתיך לנטע שמים וליסד ארץ *vaaſcim dauarai bephicha vbtſel iadi kiſsithicha lintoangh ſciamaim veliſod arets. Poſui verba mea in ore tuo, & in vmbra manus meæ protexi te, vt plantes cœlos, & fundes terram.* Quis cœlum bis creandum, quod ſemel optimè creatum fuit, aut ſæpius fundandam terram eſſe ſentiat? Atqui ſpirituale cœlum, ipſam nimirum iuſtificationis

gratiam

gratiam creandam eſſe, & myſticam terram fundandam; hominum ſcilicet naturam gratia ſtabiliendam demonſtrat. Hoc autem futurum erat Meſſiæ opus, vt apertiùs idem
Iſa. 53. Iſaias indicat cap. 53. cùm ait: *Iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos*, vbi diuinum iuſtificationis opus Meſſiæ aſcribitur. Cùm igitur hoc iuſtificandi ius ac poteſtas, quod à diuino opere, nimirum à gratiæ creatione pendet, Dei tantùm eſſe agnoſcatur: neque vlli creaturæ commune eſſe poſſit: hinc liquidò Meſſiæ diuinitas declaratur, cùm illi diuina prorſus poteſtas tribuitur; quæ puto homini non congruit.

Id confirmatur: quandoquidem purus homo vniuerſalem naturæ iuſtificationem operari non poterat; idque duplici de cauſa. Prima eſt, quia ſecluſa abſoluta potentia Dei, homo in puris naturalibus conſtitutus alios iuſtificare non poterat; cùm ipſe ea ratione, quòd eandem peccati maculam ex Adæ filiatione contraxerat, iuſtificatore indigeret: quo pacto igitur is aliis iuſtificationem comparare poterat, qua ipſe carebat? Nemo enim alteri dare poteſt, quod non habet. Secunda eſt. Nam poſito quòd purus homo à Deo integra natura præditus crearetur, qui nullo peccati contagio infectus eſſet; is adhuc ad alios homines iuſtificandos imbecillis fuiſſet. Cùm enim iuſtificatio, qualis in homine à peccato redimendo exigitur, cæteris conferri non poſsit, præterquàm ex collatione propriæ iuſtitiæ, qua alij iuſti efficiuntur; nullus certè purus homo ſuam ipſius iuſtitiam cæteris communicare valet.

Propriæ enim iuſtitiæ communicatio duobus modis fit, vel ſecundùm ſubſtãtiam, vel ſecundùm meritum; vtraque communicatio puro homini impoſsibilis erat. Singularis enim iuſtitia ſecundùm ſubſtantiam per ſe incommunicabilis eſt. Nam eo ipſo quòd ſingularis eſt, in plures diſpertiri non valet; cùm proprium duntaxat ſubiectum, cui inhæret, perficere queat. Neque etiam ſecundùm meritum eſt communicabilis. Primò, quia gratia creata cùm ſeipſam tantùm perficiat, non habet vim ex natura ſua, vt per actus ſuos in alios ſe extendat: nec poteſt quiſquam eam aliis de condigno mereri, cùm ad proprium duntaxat meritum ordinetur. Atque eo fit, vt iuſtitia quæ huiuſmodi gratiam comitatur, cùm ſit tantùm iuſtitia in habente, non in aliis, cæteris communicari non poſsit. Hinc illud colligimus, quòd ſi ea aliis communicari debet, virtus aliqua infinita requiratur, quæ illam diuina quadam vi in alios extendat. Præterea opus puri hominis eum valoris gradum non obtinet; vt pro aliis ſatisfacere valeat, cùm ſit finitum, ac certis limitibus compreheoſum. Cùm igitur peccatum Adæ, quo tota humana natura col-
A lapſa eſt, non tam obiectiuè, quàm etiam extenſiuè fuerit infinitum, quatenus ſcilicet infinita naturæ indiuidua ſucceſsiuè inficere potuiſſet: iuſtitia verò puri hominis certos quantitatis gradus præſcriptos habeat; hinc neceſſariò elicimus, eam infinitis hominibus adæquari non poſſe.

Denique peccati grauitas cùm infinita ſit, non poteſt proportionatè, & adæquatè compenſari per ſatisfactionem exhibitam à perſona finita. Quamobrem cùm iuſtificationem neceſſariò præcedere debeat peccati ſatisfactio: inde fit, vt purus homo aliis iu-
B ſtificationem propria iuſtitia mereri non potuerit.

Confirmatur hæc ratio. Nam ſatisfactio exhibita à puro homine, qua iuſtitiam aliis mereri debet, ſemper infinitè diſtat à debito culpæ, cui proportionari debet: cùm autem ſatisfactio huiuſmodi non ſit proportionata culpæ; nec ea improportio gratia aliqua creata compenſari poſſit, quæ infinitum meritum nunquam attingit: inde habemus purum hominem nulli iuſtificationis gratiam mereri poſſe.

Cum igitur Meſsiæ, & peccatorum re-
C miſſionem, & iuſtificandi poteſtatem Scripturæ tribuant; an non hinc liquidò conſtat, eum non purum hominem, ſed Deum ſimul & hominem eſſe? hominem quidem, cui ex natura ſatisfacere competat; Deum verò, qui iuſtificandi vim, ac poteſtatem infinitam habeat.

Restat, vt ex Meſſiæ munere, ac functione diuinam in eo Maieſtatem elucere demonſtremus. Meſſiæ functio apertè in Scripturis declaratur. Omnes enim illum futurum orbis Saluatorem ac Redemptorem prędicant. Geneſ. 49. Iacob Patriarcha de Meſ- Geneſ. 49.
D ſia agens לישועתך קויתי יהוה *liſciughateeha kouithi Iehouah. Salutare* (inquit) *tuum expectabo Damine*: & eodem cap. לא יסור שבט מיהודה ומחקק מבין רגליו עד כי יבא שילה ולו יקהת עמים *lo iaſur ſceuet mihuda vmhhokek miben raglau ghad ki iauo ſcilo velo iakkehath ghammim. Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Iſa. 24. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iu-* Iſa. 24.
ſtum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem. &
E cap. 49. ונתתיך לאור גוים להיות ישועתי עד קצה הארץ *vnthatuha leor gaim lihioth iſciughathi ghad ketſe haarets. Dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ.* cap. 49.
& c. 62. למען ציון לא אחשה ולמען ירושלם לא אשקוט עד יצא כנגה צדקה וישועתה כלפיד יבער *lemaghan tſijon lo ehheſce vlmaghan Ieruſalaim lo eſckot ghad ietſe channoghah tſidkah viſciughathah kelaphid iughar. Propter Sion non tacebo, & propter Hieruſalem non quieſcam, donec egrediatur, vt ſplendor iuſtus eius, & Salua-* Cap 62.

tor eius , vt lampas accendatur & c.59. ובא לציון A
גואל ולשבי פשע ביעקב נאם יהוה ; ואני זאת
בריתי אותם *vua letſijon goel vlſiane pheſangh betaghakou neũ Iehouah,vani zoth berithi otham. Cùm venerit Sion Redemptor , & eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob , dicit Dominus. Hoc fœdus meum cum eis.*
Zachar. 9. Zachar.9. הנה מלכך יבוא לך צדיק ונושע *binne malkech iauo lach tſaddik venoſciangh. Ecce Rex tuus venit tibi iuſtus , & Saluator.* Quæ teſtimonia ad Meſſiam pertinere ſuperiùs oſtendimus. Cùm verò ſolius Dei hæc poteſtas ſit animas ſaluare,& perdere: vt ex ipſis Scripturis manifeſtum eſt , nam Pſal.
Pſalm.67. 67. ait Dauid האל לנו אל למושעות *hael lann el lemoſciegoth. Deus noſter, Deus ſaluos faciendi.* B
Iſa.12. Iſa.12. הנה אל ישועתי *binne el ieſcinghathi. Ecce Deus Saluator meus.* & cap. 43.
cap. 43. אנכי אנכי יהוה ואין מבלעדי מושיע *anochi anochi Iehouah veen mibalghadai moſciangh. Ego ſum, ego ſum Dominus, & non eſt abſque me Saluator.*
Oſea 13. Oſeæ 13. ומושיע אין בלתי *vmoſciangh ain bilti. Saluator non eſt præter me* : inde aperta ratione colligimus , Meſſiam non hominem tantùm, ſed & Deum eſſe.

A T contendunt Hebræi Meſſiam corporum duntaxat , non animarum eſſe Saluatorem. At ſi ita eſt,reſpondeant ipſi Dauidi,qui C
Pſalm.71. Pſalm. 71. qui totus ex Hebræorum ſententia de Meſſia eſt, ait יחס על דל ואביון ונפשות אביונים יושיע *iabhos ghal dal veeuion venaphſcioth euionim ioſciangh. Parcet pauperi & inopi, & animas pauperum ſaluas faciet.* Quòd ſi animam pro vita ibi vſurpari velint,quaſi is pauperes ab internecione corporum tantùm liberaturus ſit ; audiant quid ſequentibus verbis dicat Vates. *Ex vſuris , & iniquitate redimet animas eorum*:non igitur tantùm à corporum internecione ; ſed etiam , atque id potiùs, ab iniquitate , quæ mors animorum eſt, debet eripere : atque id clariùs etiam exponit D
Pſalm. 129. Pſalm. 129. והוא יפדה את ישראל מכל עונותיו *vehu iphde eth Iſraël mikol ghauonothau. Et ipſe redimet Iſraël ab omnibus iniquitatibus eius.*
Dan. 9. Reſpondeant Danieli c. 9. vbi ait,à Meſſia conſummandam eſſe præuaricationem & iniquitatem delendam : *Donec* (inquit) *conſũmetur præuaricatio , & finem accipiat peccatum.*
Sophon. 2. Reſpondeant Sophoniæ cap. 2. qui à Meſſia idolorum cultum expungendum eſſe dicit רזה אתכל אלהי הארץ וישתחוו לו איש ממקומו כל איי הגוים *razah ethcal elohei haarets veiſcthabhau lo iſc mimmekomo col ijei hagoim. Attenuabit omnes Deos terræ , & adorabunt eum viri, de loco ſuo; omnes inſulæ gentium.* E
Zachar. 13. Z iechariæ c. 13.idem aſſerenti והיה ביום ההוא אכרית את שמות העצבים מן הארץ ולא יזכרו עוד *vehaia batom hahu achrith eth ſcemoth haghatſabim min haarets velo izacru ghod. Et erit,in die illa diſperdã omnia nomina idolorum de terra,& non memorabũtur vltrà.* Quę non ad corporum,ſed ad animotum ſalutẽ pertinent.

A T præclariſſimum huius rei teſtimonium legitur Geneſ. 22. vbi primùm Abrahæ *Geneſ.22.*
Meſſias ex illius ſemine ſecundùm carnem procreandus promittitur והתברכו בזרעך כל גויי *vehhithbarchu bezar ghacha col gotei. In ſemine tuo* (inquit) *benedicentur omnes gentes.* Iam hîc quod calumnientur Hebræi , non habent; cùm ex omnium Hebræorum ſententia hic locus de Meſſia apertiſſimè exponatur. Porrò certum eſt hanc benedictionem , quæ à Meſſia (qui ſemen Abrahæ nuncupatur) in omnes orbis populos effundenda erat , non niſi orbis redemptionem præ ſe ferre, qua ſola peccati maledictio , quæ totum orbem inuaſerat , tolli deberet. Quorſum enim hæc toti orbi benedictio daretur , niſi ea communis quædam maledictio , cui totum humanum genus priùs ſubiectum erat,arceretur?

H A N C orbis redemptionem , quæ à Meſſia præſtanda erat, inſinuat Dauid Pſal. 129. *Pſal.129.*
cùm ait : *Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio* , vel vt habet Hebraica lectio. *Quia cum Domino miſericordia, & multa cum eo redemptio.* Multam, & copioſam Meſſiæ redemptionem propterea eſſe dicit ; quòd vniuerſum orbem complexura eſſet : qualis autem ea redemptio futura ſit,explicat cùm ait : *Et ipſe redimet Iſraël ex omnibus iniquitatibus eius.* Meſſias enim non corpora tantùm, ſed animas potiſsimùm redempturus erat : neque ab externa , & corporali captiuitate ; ſed potiſſimùm à graui peccati originalis , qua vniuerſi detinebantur, ſeruitute ; deinde à cæteris iniquitatibus , quæ primum illud peccatum ſequutæ ſunt, liberaturus erat :quod luculentiùs aperit Pſalm. 71. *Pſal. 71.*
illis verbis ; *Ex vſuris , & iniquitate redimet animas eorum* : ſiquidem prima illa , ac vniuerſalis peccati originalis obliquitas multas ſecum traxit actualium peccatorum culpas, quæ primæ illius culpæ , velut vſuræ fuerunt, vt hinc ſaltem diſcant Hebræi Meſſiæ aduentum non ad corpora , ſed ad animas pertinere, neque ad ipſorum tantùm , ſed ad totius humani generis lapſum ordinari.

Q V O D & ipſi Hebræi Doctores non ſemel profeſſi ſunt ; atque vt cæterorum teſtimonia taceam , in Bereſcith Rabba , id eſt,in expoſitione libri Geneſis , in ea verba cap. 2. *Hæ ſunt generationes cæli , & terræ , in creatione eorum.* ita legitur : *Dixit R Barachias. Quamuis creata fuerint ſecundùm plenitudinem ſuam , atque perfectionem , quando tamen Adam primus peccauit , diminuta ſunt , & corrupta , atque concuſſa, & vlteriùs ad decentem compoſitionem non reuertentur; donec veniat filius Peres, iuxta illud Ruth vltimo cap. Hæ ſunt generationes Peres. Quod plenarìè ſcriptum eſt , in ſignum ſcilicet, quòd omnia , quæ propter peccatum diminuta erant,per filium Peres perfici, atque compleri debebant.* Porrò hic filius Peres eſt ipſe Meſsias,vt

habetur

habetur in Veelle Semoth Rabba, id eſt, in expoſitione libri Exodi ad 21.cap. in ea verba. *Et iſta iudicia.* Peres autem is eſt iuxta recentiorum ſententiam, quem Phares communi, ſed corrupto vocabulo nominamus: ſed de iis fuſiùs adhuc aliàs agendum erit.

VIDEANT igitur Iudæi Meſsiam non tantùm Iſraëlitico populo, ſed etiam toti orbi promiſſum eſſe Saluatorem, quod etiam
Geneſ. 49. confirmatur Geneſ. 49. *Et ipſe erit expectatio*
Pſal. 71. *gentium.* Et Pſalm. 71. ויתברכו בו, כל-גוים יאשרוהו *veithbarchu vo col goim ieaſcruhu. Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ, omnes gen-*
Agg. 2. *tes magnificabunt eum.* & Aggæi 2. ובאו חמדת כל-הגוים *vuau hhemdath col-hagoim. Veniet deſideratus cunctis gentibus.*

HINC ſolidiſſima ratio colligitur; Meſſiam non corporum; ſed animarum præſertim eſſe redẽptorem: nam corporum redemptio, vel captiuitatem, vel pauperiem, vel anguſtias, vel aliam illis illatam calamitatem comitari debet, à qua liberari indigeant. At verò cùm ille vniuerſalis, ac communis omnium redemptor eſſe debeat: planè fieri non poteſt, vt omnes à captiuitate liberet, cùm omnes ſimul captiui eſſe non poſſint: ſiquidem alium captiuum, alium captiuantem, alium ſeruum, dominum alium eſſe neceſſe eſt. Quòd ſi captiuũ liberari cõtingat, quomodo liberabitur captiuans, cùm nullus ſit à quo redimi poſſit? At neq; omnes à bellorum ærũnis, vel à pauperie, vel ab anguſtiis liberare poteſt; cùm huiuſmodi calamitates communes eſſe non poſſint: neque omnibus ſimul contingere valeant. Nam ſi hi bellorum turbines ſuſtinent, illi contrà pace fruuntur. Si aliquos paupertas premit, alij diuitiis abundant: illos angit ægritudo, hos incolumitas ſolatur: ita fieret, vt paucorum duntaxat, non omnium redemptor eſſet. Cùm igitur Meſſias (vt probatum fuit) cunctorum vniuerſalis redemptor eſſe debeat: an non inde exploratum eſt, communem aliquam animarum calamitatem in totum hominum genus inuectam agnoſcẽdam eſſe, à qua neceſſe ſit omnes à Meſſia abſolui? At ea proculdubio alia eſſe non poteſt, quàm ipſum originale peccatum, aliis quoque actualibus peccatis ſtipatum, à quo vniuerſi homines obſtringuntur. Ita fit, vt Meſſias non corporum, ſed animarum præſertim ſit redemptor. Cùm verò animas à peccatis abſoluere (vt diximus) ſolius Dei opus ſit, inde perſpicuum eſt Meſſiæ Diuinitatem haud denegandam eſſe.

Iſa. 49. ID confirmat Iſaias capite 49. cùm ait. נקל מהיותך לי עבד להקים את שבטי יעקב ונצורי ישראל להשיב ונתתיך &c. *nakel mih tothecha li gheued lehakim eth ſciutei iaghakou vntſurei Iſrael lehaſiu vntbaticha,* &c. *Parum eſt, vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & feces Iſraël conuertendas. Dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ.* Quid huc afferre poſſunt Hebræi calumniæ? Clarum eſt de Meſsia vaticinium; cùm id Iſaiæ minimè accommodari valeat, qui Hebræo populo duntaxat datus eſt: quin etiam tantùm abeſt, vt mundo toti illuxerit, quòd neque ipſas Iſraelis feces conuertere potuit. Meſsiæ ergo hæc congruere debent, à quo in omnes gentes benedictio effundenda erat: atque hæc verba æterni Patris ſunt, quibus Meſsiam alloquitur; ac ſui muneris, ac functionis admonet; quæ eò rẽdit, vt non modò Hebrææ nationis; ſed etiã totius humani generis redemptor ſit: quod etiam confirmat cap. 55. illis verbis, הן עד לאומים נתתיו נגיד ומצוה לאמים *hen ghed leummim nethatin nagid vmtſaue leummim. Ecce, teſtem populis dedi eum, ducem, ac præceptorem gentibus.* En igitur Meſsiam totius orbis Redemptorem à Deo conſtitutum, à quo in vniuerſos homines ſalus effundenda fuit. cap. 55.

HOC ipſum idem Iſa. rurſus explicat c. 59. illis verbis, ובא לציון גואל ולשבי פשע ביעקב נאם יהוה ואני זאת בריתי אותם אמר יהוה רוחי אשר עליך ודברי אשר שמתי בפיך לא ימושו מפיך ומפי זרעך ומפי זרע זרעך אמר יהוה מעתה ועד עולם *vua letſijon goel vlſciaue pheſangh beiaghakou neum Iehouo vaani zoth berithi otham amar Iehoua ruhhi aſcer ghalecha vdbarai aſcer ſamthi bephicha lo iamuſcin miphicha vmphi Zarghacha vmphi Zarang zarghacha amar Iehoua meghata veghad-gholam. Cùm venerit Sion Redemptor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus. Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus. Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea; quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui, dicit Dominus, à modò, & vſque in ſempiternum.* Quòd vaticinium ad Meſsiam pertinere Hebræi ipſi profitentur, qui Meſſiam præſtolantes, hoc ipſum in ſuis quotidianis precibus vſurpant. Quid ergo Iudæi Meſsiam corporum, non animorum redemptorem ſibi fingunt, cùm apertè redemptorem expectare debeant, qui ab iniquitate illos redimat? Eam verò vel originalem, vel actualem accipiant: certo certius eſt, eos non niſi à Deo poſſe liberari: vt hinc ſaltem Meſſiam Deum eſſe agnoſcant, qui eos ab iniquitate poteſt abſoluere. cap. 59.

HIS ſuffragantur quæ idem Iſaias ſcribit cap. 61. רוח אדני יהוה עלי יען משח יהוה אתי לבשר ענוים שלחני לחבש לנשברי לב לקרא לשבוים דרור ולאסורים פקחקוח: לקרא שנת רצון ליהוה *ruahh Adonai iehoui ghalai iaghan maſciahh Iehoua othi leuaſer ghanauim ſcelahhani lahhaboſc leniſchere leu likro liſcuiim deror velaaſurim pekahhkoahh: likro ſcenath ratſon leihoua. Spiritus Domini* (ait) *ſuper me, eo quòd vnxerit Dominus me, ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, vt prædicarem ca-* cap. 61.

ptiuis indulgentiam, & clauſis apertionem: vt prædicarem annum placabilem Domino. Qui locus Meſſiæ futuras functiones declarat eas eſſe, vt animorum, non corporum ægritudines curet, & Deum hominibus deleta culpa placatum reddat. Quem locum maximè illuſtrant eiuſdem verba cap. 42. אני יהוה קראתיך בצדק ואחזק בידך ואצרך ואתנך לברית עם לאור גוים לפקח עינים עורות להוציא ממסגר אסיר מבית כלא ישבי חשך *ani Iehouah kerathicha beiſedek veahhazek beiadecha veetſarcha veetencha liurith gham leor goim liphkoahh ghenaim ghsuroth lehotſi mimmaſger aſir mibeth kele ioſcui hhoſcech. Ego Dominus vocaui te in iuſtitia, & apprehendi manum tuam, & ſeruaui te, & dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, vt aperires oculos cæcorum, & educeres de concluſione vinctum, & de domo carceris ſedentes in tenebris.* Nam cùm hîc apertè dicat Eſaias Meſſiam futurum eſſe in lucem gentium: iam quid per tenebras, per carcerem, per vinctos, per cæcos intelligendum ſit, apertè declarat: tenebras nimirum, ipſum eſſe peccatum: carcerem, peccati reatum; cæcos, populos errorum cæcitate detentos: vinctos peccatorum funibus, vel diaboli poteſtate ligatos; quos oportebat Meſſiæ aduentu liberari.

POSTREMO huc ſpectant quę idem Vates cap. 53. de Meſſiæ Redemptione diſſerit (cap. 53.) cùm ait: כלנו כצאן תעינו איש לדרכו פנינו ויהוה הפגיע בו את עון כלנו *cullanou caiſan thaghynou hyſch ledarcou panyno veiehouah hiphheggiagh bou eth gheon cullano. Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit, & poſuit Dominus in eo iniquitates omnium noſtrûm.* Et paulò ante finem capitis מעמל נפשו יראה ישבע בדעתו יצדיק צדיק עבדי לרבים ועונתם הוא יסבל: לכן אחלק לו ברבים ואת עצומים יחלק שלל *meghemal napheſchou yrehah yſſebagh bedaghtto iatſedik tſaduk ghabedî larabiim vaghauntam houh yſebbol: lacem hechalek lo varabiim veheth ghatſommim iechallek ſchalal. Pro eo quod laborauit anima eius, videbit, & ſaturabitur: in ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit. Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia.* Hic locus eorum omnium quæ diximus, ſummam perſtringit. Nam verba illa: *Omnes nos quaſi oues errauimus*, &c. communem omnium culpam ex Adam contractam explicant. Sequentia vero: *Et poſuit Dominus in eo iniquitates omnium noſtrûm*; redemptionis vim ac modum declarant: & Meſſiæ aduentum ad id potiſſimùm ordinatum eſſe indicant, vt hominum peccata deleret. Extrema verò illa verba: *Pro eo quòd laborauit anima eius*, &c. Meſſiæ munus fore exprimunt, vt animarum, impenſa illis iuſtificationis gratia, Saluatorem ac Redemptorem ſe exhibeat. Tandem illius in morte triumphum aperit, cùm ait: *Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia.* Meſſias enim per mortem ſuam gentes in hæreditatem accepturus erat, iuxta illud Pſalm. 2. (Pſalm. 2.) *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* vnde etiam LXX. legunt. *Propterea ipſe poſſidebit multos.* Et homines, qui ob Adæ peccatum erant Dæmonum ſpolia, ab illorum poteſtate liberaturus erat: vt habetur Luc. 11. (Luc. 11.) *Si autem fortior eo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet.* Ex iis omnibus præclara Meſſiæ diuinitatis Demonſtratio erumpit: cùm ea omnia, quæ diuinam per ſe virtutem exigunt, Meſſiæ apertiſſimè tribuuntur.

AT verò, vt omnis Hebræis de hac re dubitandi ratio præſcindatur: veterum Hebræorum teſtimonia audiant, qui ipſius originalis peccati maculam in omnes transfuſam, & Meſſiæ munus in eo conſiſtere affirmant, vt eam, ac reliquas omnes peccatorum maculas, quæ illam ſequutæ ſunt, deleat. Nam R. Ioſes in lib. Syphræ. (Lib. Syphra. R. Ioſes.) *Egredere (ait) & diſce meritum Regis Meſſiæ, & præmium iuſtorum ab antiquo Adam: cui non fuit datum niſi vnum præceptum de negatiuis, & tranſgreſſus eſt illud. Vide quot mortes decretæ ſunt ei, & generationibus eius, generationibúſque generationum. Porrò quænam menſura multiplicatur, menſuráne boni, an menſura vindictæ? Eſto dicens, quòd menſura boni multiplicatur: menſura verò vindictæ minuitur. Rex igitur Meſſias afflictus, & humiliatus ieiunio, pœniſque affectus meritum, & præmium omnibus retribuet: ſicut dictum eſt Iſa. 53. Et Dominus obuiare fecit in eo peccatum omnium noſtrûm.*

R. Moſes Hadarſan in Pſ. 48. ad illa verba (R. Moſes Hadarſan.) לא יראה השחת כי יראה חכמים ימותו *lo ireth haſciabhath chi ireth hhachamim imuthu. Non videbit infernum; cùm viderit ſapientes morientes. Hic textus (ait) dictus eſt de Rege Meſſia, qui morietur propter redimendos Patres, & poſtmodùm viuet in ſempiternum, nec videbit infernum, quemadmodum ſapientes qui moriuntur.*

MIDRAS Schir Haſchitim in illa verba (Midr. Schir Haſchirim.) Cant. 1. *Racemus copher. Meſſias (ait) erit Eccleſiæ vir omnis propitiationis, & naſcetur ex filiis Abrahæ, & ſatisfaciet pro peccatis, & poterit dicere menſuræ iudicis, ſatis eſt. Hunc autem Deus oppugnabit, & tradet pro ſuis.*

MIDRAS Ruth cap. 2. (Midr. Ruth.) *Meſſias (ait) morte ſua animas ab inferno liberaturus eſt.* Tandem Rabbenus Haccados lib. qui inſcribitur reuelator arcanorum. (R. Haccados.) *Meſſias (inquit) per ſuam ipſius mortem ſtirpem Adami ſaluam faciet, & animas ab inferno liberabit; quo nomine Ieſus vocabitur, id eſt, Saluator.* Ex iis igitur manifeſtum ſit; Meſſiam non hominem tantùm, ſed Deum etiam credendum eſſe: cùm vniuerſos homines tum à peccatorum maculis, tum ab inferno

Digitized by Google

inferno liberare poſsit, quod Dei tantùm opus eſſe demonſtratum fuit.

Demonſtratur duplex natura Meſſiæ, Diuina ſcilicet, & humana in vnico ſuppoſito copulata.

ARTICVLVS XI.

MESSIAM ſolùm hominem eſſe futurum noſtræ tempeſtatis Iudæi ita certò ſibi perſuaſum habent, vt maximum nefas exiſtiment quicquam ei niſi humanum aſcribere: quare ipſum & Dauid filium appellant, & ex tribu Iuda, quam idcirco regiam vo- B cant, naſciturum expectant: demum hunc Regem potentiſsimum, præclariſſimum opibus, ac regni potentia cæteris omnibus, qui retrò ante ſæculis in orbe dominati ſunt, Regibus præfulgentẽ ſibi fingunt. Quò fit, vt cũ aliquid de illi⁹ diuinitate audiũt; ſtatim velut inſani reiiciant, lites moueant, tragœdias excitent. At cœcorum hunc morbum eſſe conſtat, qui cùm Solem intueri non poſsint, Solem non eſſe credunt: immò hoc ipſum iis, qui ipſa Solis luce potiuntur, perſuadere ſtudent. Quapropter haud mirandum eſt, ſi C Hebræi Meſsiæ Diuinitatem non videant, quin etiam eam aliis pręripere geſtiant, ac ſolùm hominem eſſe concedant, cùm ſuamet perfidia excæcati vindices ſuæ infidelitatis pœnas luant.

1 AT verò in hoc tota veræ fidei ſumma poſita eſt, vt Meſsiam nõ tantùm hominem, ſed Deum etiam, & agnoſcant, & credant: neque in hoc demonſtrando nobis multùm elaborandum erit; cùm vniuerſa penè teſtimonia, quæ paſsim in Scripturis de Meſsia leguntur, illum & hominem, & Deum nobis inſinuent: ex quibus plurima, quæ nuper ad Meſsiæ Diuinitatem demonſtrandam attu- D limus; haud dubium eſt, quin huic probationi deſeruiant.

AT priuſquam Diuinis Scripturarum teſtimoniis rem aggrediamur; recolenda ſunt quæ ſuperiùs in 4. art. explicauimus; Meſsiæ nimirum aduentum duplici ex cauſa neceſſarium fuiſſe. Primò quidem, vt Diuinæ iuſtitiæ æquo iure ſatisfaceret: deinde vt ſuis laboribus, ac cruciatibus Adæ culpam in omnes homines propagatam deleret: atque inde perfectum redemptionis opus emergeret. Illud ſanè infinitum ſatisfactionis opus exigebat; vt id Deus ſolus præſtare poſſet, E quod tamen ſine homine moleſtiis, ac paſſionibus obnoxio perfici haud valebat: quò fit, vt vterque, & Deus, & homo ad humanæ redemptionis opus neceſſariò copulari deberent, id exigente & Dei iuſtitia, & hominis culpa. Nam vt præclarè Cyrillus Alexandr. Exegeſi ad Valer. de verb. Incarnat. (Cyril. Alex.) *Qui corporis* (inquit) *expers erat vt Deus, corpus* A *ſibi aptatum fatetur; quò eo pro nobis oblato ſuo nos omnes liuore, iuxta Prophetæ vocem ſanaret.* Atque (vt docet Anſelmus lib. 2. cur Deus homo cap. 6.) (Anſelmus.) *Satisfactionem nec poteſt facere, niſi Deus, nec debet niſi homo, neceſſe eſt, vt eam faciat Deus homo.*

ET quidem, ſi in hoc pauliſper immorari libet: cùm Deus ſit, ad quem hominis reparatio ſpectat (vt ſuperiùs demonſtratum fuit) ſiquidẽ is eſt, qui ſolus infinitum delicti pretium poteſt exoluere: ea certè ita fieri debet, vt inobedientia obedientia compenſetur; iuſtitia culpam, humilitas ſuperbiam ex- B pellat: denique delictum pœna, maledictionem gratia, mortem morte arceri æquum fuit. At hæc cùm ad humanam tantùm naturam pertineant; ſanè opus fuit Deum hominem fieri, vt obedientiam in humana natura exhiberet; iuſtitiam coleret; humilitatem oſtenderet; pœnas pro aliorum delictis exolueret; contractam ob peccatum maledictionem fugaret; ac tandem neci ſeipſum traderet, vt ab æterno interitu humanum genus vendicaret. Inde Cyprianus ſerm. de (Cyprianus.) Oper. & Eleemoſ. *Chriſtus* (ait) *hominis filius eſſe voluit, vt nos filios Dei faceret, humiliauit ſe,* C *vt populum, qui priùs iacebat, erigeret: vulneratus eſt, vt vulnera noſtra ſanaret: ſeruiuit vt ad libertatem ſeruientes extraheret: mori ſuſtinuit, vt immortalitatem omnibus exhiberet.*

ACCEDAT item quòd Meſsias cùm lapſi hominis Saluator futurus eſſet (vt paulò antè oſtendimus) ita Deus eſſe debebat; vt hominis etiam naturam indueret. Nam ſi homo non eſſet, quomodo is pro homine ſatisfacere valeret? aut qua ratione illius ſatisfactio ita humano generi prodeſſet, vt ea humana natura reparari poſſet? Siquidem æquum eſt, ab ea natura ſatisfactionem exi- D gi, quæ in primo parente velut in capite deliquit: hinc quemadmodum in vno Adamo tota natura lapſa eſt; ita in altero homine æquum eſt eam integram reſtitui. Ita enim noſter Paulus diſſerit 1. Cor. 15. (1. Cor. 15.) *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.* Quapropter æquum eſt, vt Meſsias non ſolùm Deus ſit, qui ſalutem ex diuina virtute hominibus conferat: verùm & homo ſit oportet, ex hominum ſtirpe progenitus, os ex oſſibus noſtris, & caro de carne noſtra, E qui in lapſa natura ſatisfactionem ſoluat; vt ſicut in Adam omnes peccato ſubiecti ad dæmonis ſeruitutem tranſierant: ita in Meſſia, excuſſo peccati iugo, ad libertatem filiorum Dei reuolent.

QVOD ſi quærat Hebræus, quonam pacto fieri poſſit, vt is peccati iugum confringere, ac hominum culpas eluere valeat; qui cùm humana natura præditus ſit, illius etiam

corru

Digitized by Google

corruptionem, ac peccati maculam ex Adæ propagatione contrahere debuit: nam ſi id eſt, cùm omnibus exploratum ſit, eum qui ſeruus eſt, aut immundus, neminem aut liberum, aut mundum efficere poſſe: hinc Meſſias culpæ labem nullo modo delere potuit, qui humana generationis via ad hominum naturam profectus eſt. At reſpondemus: Meſſiam etſi communem hominum naturam ad eluendam culpæ maculam ſuſcipere debuerit; non humano tamen generationis modo, qui ex virili ſemine, ac maris, & fœminæ concubitu exercetur; ſed diuino prorſus concipiendum fuiſſe: ac propterea diuino quodam, ac ſingulari (vt Meſſiam decebat) generationis ritu cum illo diſpenſatum fuiſſe; quo & homo fieret, & tamen ſine labe conciperetur. Dei namque conſilio decretum fuit, vt is operante Spiritu ſancto, de Virgine naſceretur; à qua carnem, qua homo fieret, illo agente ſuſciperet; neque vlla viri opera in ipſius generatione intercederet: quo ſanè factum eſt, vt culpæ maculam, quæ à viri carne in filios transfunditur, minimè contraxerit.

Nam ſicut Adæ, non Euæ peccatum totum humanum genus culpa ſua labefactauit; atque ab eo in omnes illius poſteros, qui ex virili ſemine ſunt progeniti, tranſmiſſum fuit: neque enim ſolum Euæ peccatum, quod ſingularis tantùm membri fuit, vniuerſalis culpæ rationem ità induere potuit, vt in alios ipſius poſteros ſuo contagio ſeſe extendere valeret, cùm ea humanæ ſobolis caput, aut radix non fuerit; ſed vir tantummodò, à quo & ipſa mulier ortum acceperat: inde fit vt ex Euæ peccato nihil prorſus infectionis in humanum genus illatum fuiſſet, ſi ſola Eua, non Adam peccaſſet. Ita originis peccatum, quod poſt Adam in totam humanam progeniem irrupit; non à muliere, ſed à viro duntaxat in filios transfunditur, qui ex ipſius ſeminis propagatione naſcuntur.

Atqve hæc inter alias potiſsima ratio eſt, cur Meſsias, licèt eandem hominis naturam cum cæteris aſſumpſerit, communem tamen hominis culpam non contraxerit: is enim cùm ſine viri ſemine de Virgine genitus ſit: nec quicquam à viro, quo homo fieret, acceperit; ab omni quoque peccati macula ab eo manante, qua illius natura labefactari poſſet, prorſus fuit immunis: licèt etiam dici poſſet eam eſſe carnem verbi Dei, quæ nulli peccato, ob intrinſecam cum Deo coniunctionem, obnoxia eſſe potuit, atque aliæ etiam rationes adduci valeant.

Hæc tamen, quæ de Meſsiæ ortu abſque virili ſemine ex Virgine naſcituri diximus, haud ignoro à Iudæis iunioribus irrideri, qui cùm de Meſsia nihil præterquàm humanum ſentiant; ipſius quoque natiuitatem inſtar cæterorum hominum culpæ ſordibus labefactatam aſſerere non verentur. At hi certè & ſacrarum Scripturarum veritatem, & antiquam Hebræorum, qui Chriſtum noſtrum præceſſerunt, fidem nimis perfidè oppugnant.

Nam præter exploratiſsimum Iſaiæ teſtimonium cap. 7. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*, &c. quod ſuprà articulo ſeptimo de Meſsia, ac illius ſanctiſsimæ Matris virginitate expoſuimus; ſunt etiam ſequentia verba, quæ hoc ipſum indicant, ſcilicet לםרבה המשרה *lemarbeh hamiſrah. Ad multiplicandum imperium*, vel, *vt multiplicetur imperium:* ex quo loco ob ם *mem* clauſam, quæ præter morem in medio dictionis *lemarbeh* apponitur; Rabbenus Haccados Meſsiæ Matrem perpetuò Virginem fore colligit in libro Gale Razeia, id eſt, reuelator ſecretorum: nam vbi ex his eiſdem verbis Meſsiæ Matris nomen, Mariam fore, Antoninum Conſulem Romanum, qui de hac reipſum interrogauerat, docuit. Tandem eiuſdem interrogationi reſpondens; cur diuiſa eſſet י *iod* in duo ה *he*; & quare interpoſita eſſet ב *beth* in medio nominis *Miriam*, id eſt, *Maria*: quidue ſignificare velit ם *mem* clauſa in medio huius dictionis *lemarbe*, quæ aperta eſſe deberet? Reſpondet his verbis. *Diuiſa eſt iod in duo he, vt nobis ſecreta admirabilia panderet. Quemadmodum enim he ex daleth, & vau componitur in hac figura* ה*: ita Rex Meſsias componitur ex diuinitate, & humanitate; & ſicut hæc duo he, ſunt duo daleth, ex quibus procedunt duo vau, tanquam duo filij, qui ab ipſis oriuntur hoc modo* הה*. Ita in ſubſtantia Regis Meſsiæ inueniuntur duæ filiationes: quarum vna eſt diuinitatis, qua Dei filius eſt: altera humanitatis, qua erit filius huius Propheteſſæ: & ſicut harum literarum daleth, & vau, quæ conficiunt he, vnaquaque eſt ab inuicem diſtincta, quamquam ſit vna litera: ſic enim ſcribitur* ה*. Ita in Meſsia ſubſtantia diuinitatis, & ſubſtantia humanitatis, quæ ſimul vnitæ ſunt, ſunt vnus Meſsias. Quòd autem beth huius dictionis lemarbe, poſitum ſit in medio nominis Miriam, id eſt, Maria, oſtendit huius Propheteſſæ mentem, & cogitationem omnem eſſe, vt ſuam Viginitatem conſeruet. Erit enim virgo mente, & actu, quoniam per beth, bethula, id eſt virgo, ſignificatur.* Iſa. 7.

Hvnc Meſsiæ ortum de Virgine explicauit Ezechiel cap. 44. his verbis. *Et conuertit me ad viam portæ ſanctuarij exterioris, quæ reſpiciebat ad Orientem, & erat clauſa. Et dixit Dominus ad me. Porta hæc clauſa erit, non aperietur, & vir non tranſibit per eam; quoniam Dominus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam, eritque clauſa.* Hic enim in Hebraico textu explicit verſus. Omitto Catholicos Patres, qui ferè omnes hunc locum de perpetua Deiparæ Ezech. 44.

Virginis

S. Hieronym. S. Cyprian. S. Auguſt. S. Ioã Chryſoſt. S. Ambroſ. S. Io. Damaſ. Euſeb. Emiſ.

Virginis integritate explicant. D. Hieronymus in Comment. huius loci. Cyprianus de Symbolo Apoſtolorum. Auguſtinus ſerm. 2. Natiuit. Domini, & ſerm. 14. Chryſoſtomus in hom. de Ioanne Baptiſta. Ambroſius Epiſt. 81. Damaſcenus lib. 4. Orthod. fid. cap. 15. Euſebius Emiſſ. homil. 1. de Natiuit. Domini, & alij ita exponunt: quorum tamen teſtimonia propter Iudæos prætereo. Locus hic ſi iuxta ſpiritualem ſenſum, quem vates obtendit, à Iudæis intelligatur, ſanè illuſtris eſt ad declarandum Regis Meſſię ex Virgine ortum. Quæ enim porta hæc ſanctuarij eſſe poterat, per quam Dominus Deus Iſraël ingreſſurus erat, præterquàm ſanctiſſimus matris Regis Meſſiæ vterus, in quo Deus ipſe humanam carnem ſibi aſſumere decreuerat? Quid illam ſemper clauſam fore ſignificat: niſi cum perpetua virginitate obſtruendam fore? Qua ratione ait virum nunquam per eam eſſe tranſiturum, niſi quòd puriſſima illius clauſtra nullo vnquam tempore virili opera violanda eſſe indicat? Denique quorſum illa porta ter clauſa à Vate repetitur: niſi quòd Meſſiæ Matrem ter Virginem appellat: Virginem nimirum ante partum, in partu, & poſt partum? Quo ſenſu etiam Salomon in Canticis ſponſæ vterum liliis vndique vallatum affirmat. *Venter tuus* (inquit) *ſicut aceruus tritici vallatus liliis.* (Cant. 7.) Cùm enim ſponſa hæc meritò Meſſiæ Mater eſſe credatur: cuius laudes Salomon decantat, dum illius ventrem velut aceruum tritici, id eſt, cœleſti illo pane grauidum, de quo Ioannes noſter cap. 6. *Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi;* (Ioan. 6.) liliis vallatum, ac circumſeptum prædicat, perinde eſt, ac ſi candidum, immaculatum, atque omni ex parte incorruptum, ac perpetuò virginem pronunciaret.

At ne hunc Chriſtianorum tantummodò ſenſum eſſe Iudæi ſuſpicentur, quo Ezechielis propoſitum teſtimonium expoſuimus; audiant antiquum, ac magnæ apud illos auctoritatis Rabbenum Simeonem Ben Iohai, qui in Commentariis libri Gen. hunc ipsũ ſenſum cõfirmat: vbi explicãs illa verba. *Faciamus hominem ad imaginem*, &c. ita ſcribit. *Quidnam intereſt inter antiquum, & iuniorem facierum? Hic eſt Dominus qui poſuit faciem viuentẽ in fœmina, quæ quidẽ facies eſt vir à vita, procedens à vita. Hæc inſuper facies eſt Paradiſus, in quo habitat ſpiritus iunioris facierum. At verò fœmina genuflectit, petitque veniam à ſpiritu, qui immittitur in illam, qui ſpiritus proceſſit ab altiſſimo throno Diuinitatis ad fœminam vnam. Et ſpiritus qui egreſſus eſt, ſiue qui proceſſit, eſt ſpiritus iunioris dierum quieſcens in deliciis Paradiſi. Hic autem vitarum ſpiritus præparatus fuit olim etiam ante tempus filio Dauidis, ad percipiendam ſapientiam. Ab illa autem fœmina magna virtute expertectus ſpiritus egreſſus eſt de vulua clauſa, paratus & aptatus eſſe Princeps altiſſimus. Is verò eſt Rex Meſſias.*

Mira ſunt quæ Rabbenus iſte his verbis complectitur, quibus recentiores Hebræi confundi debeant, cùm pleraque diuinæ fidei myſteria, quæ Rabbenus hic præclarè fatetur, ſumma perfidia conuellant. Nam imprimis, quod inter antiquum, & iuniorem facierum, ſiue dierum, & ſpiritum iunioris dierum diſtinguit, profectò in eo Trinitatis auguſtiſſimæ myſterium expreſsè inſinuat, in quo Patris perſonã iuxta Danielis Vaticiniũ (Dan. 7.) cap. 7. antiquum facierum, ſeu dierum appellat: Filij verò perſonam tanquam à Patre genitam iunioris dierum nomine explicat. Demum Spiritus ſancti perſonam exprimit, cùm illam iunioris dierum ſpiritum vocat, veluti qui non tantùm à Patre; ſed etiam à Filio procedit.

Deinde Incarnationis Diuinæ myſterium declarat, cùm ſubdit: ſpiritum, qui proceſſit ab altiſsimo throno Diuinitatis, in fœminam vnam, id eſt, Mariam Virginem vnicam præſtantiſsimam, atque inter omnes mulieres dignitate, ac excellentia ſingularem, immitti, quod perinde eſt ac ſi Angeli apud Lucã verba referret. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi.* (Luc. 1.) Ne verò quis dubitet hunc ſpiritum, quem in fœminam immittendum affirmat, eſſe Deum ipſum: hunc illum eſſe dicit, qui olim Salomonem Dauidis filium ſapientia imbuit: quem Deum nemo eſſe ignorat; cùm dicatur 3. Reg. 3. *Dedi tibi cor ſapiens, & intelligens.* (3. Reg. 3.) Denique vt Meſſiam abſque virili ſemine, ſola Spiritus ſancti opera, in vtero Virginis concipiendum, ac integris & ſaluis virginitatis ſigillis inde egreſſurum inſinuet; affirmat ex occluſo huius Virginis vtero emerſurum eum, qui paratus & aptatus eſt eſſe Princeps altiſsimus, ac glorioſiſsimus: hunc verò Regem Meſsiam fore ait.

Postremò, Salomon Prou. 30. hoc (Prou. 30.) ipſum præclarè explicat, ſi illius verba iuniores Hebræi rectè, ac non adultero; ſed maiorum ſenſu accipere vellent. Ibi enim ita ait. *Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: viam Aquila in cœlo; viam colubri ſuper petram; viam nauis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia.* Hæc tamen poſtrema verba ita legit Hebraicus textus ודרך גבר בעלמה *vedereka ghener veghalmah. Viam viri in puella*, vel *adoleſcentula:* ita etiam legit Pagninus. At præclariſſimè Chaldæus Paraphraſtes vertit. *Et viam viri in Virgine* Ex quo teſtimonio elicimus iuxta antiquorum Hebræorum ſententiam, virum hunc, de quo agit Sapiens, eſſe Regem Meſſiam, cuius viam, id eſt, generationem in Virgine ſe ignorare apertè fatetur. Ita hunc locum egregiè explicat Rabbi Haccados in libro Gale razera: vbi An-

Digitized by Google

tonino Proconſuli, qui ab eo huius loci expoſitionem poſtulauerat, his verbis reſpondet. *Magnam rem quæſiuiſti; ſed quia dictum eſt Prou.* *Prou. 11.* 11. *Qui abſcondit frumentum, id eſt, doctrinam vel expoſitionem legis, maledicetur in populis; dicam tibi rem admodum ſublimem. Via Aquilæ in cœlis, eſt Rex Meßias, qui poſt paßionem ſuam aſcendet in cœlum; quemadmodum dictum eſt* *Amos 9.* *Amos 9. cap. Qui ædificat in cœlo Aſcenſionem ſuã. Via nauis in medio maris, hic itidem eſt Rex Meßias, cuius vita ſicut nauis in medio mari agitabitur; ſicut dictum eſt Ieremiæ 30. cap.* *Ierem. 30.* *Quare vidi omnis viri manus ſuper lumbos ſuos. Viri, hoc eſt, Dei, qui Hebraicè dicitur* גבר *gheuer, id eſt, fortis vel potens: quoniam omnibus fortitudo, ſeu potentia eſt ipſe Deus. Et via colubri ſuper petram. Hic eſt etiam Rex Meßias, qui ſe faciet vt colubrum, quem Moyſes ſuper petram poſuit, vt duceret filios Iſraël in terram ſanctam. Rabbi autem Iodam dixit. Et via colubri ſuper petram. Hic eſt Rex Meßias, qui tranſibit per petram poſtquam ſepultus erit; & ab ipſa egredietur, nec videbitur, qua tranſierit:* *Exod. 33.* *ſicut dictum eſt Exod. 33. c. Ecce eſt locus apud me, & ſtabis ſuper petram; cùmque tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ. Et via gheuer, id eſt, viri, vel fortis, vel potentis in halma. Hic quoque eſt Deus amans filias Ieruſalem, vt generetur Rex Meßias ex vna earum. Concipiet autem, & pariet,* *Ierem. 31.* *remanebítque virgo: ſicut dictum eſt Ieremiæ 31. cap. Quia creauit Dominus nouum ſuper terram; fœmina circundabit gheuer, id eſt, virum fortem, ſeu potentem, hoc eſt, Deum.* Hæc R. Haccados ad verbum.

Sed quoniam iuniores Hebræi hanc huius loci expoſitionem idcirco labefactare conantur, quòd Sapiens deinde ſubiiciat. *Talis eſt & via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os ſuum, dicit; non ſum operata malum:* ex quibus verbis eliciunt, Sapientem non de virgine, ſed de corrupta priorem locum intelligere, cùm eam poſteà cum muliere adultera comparat.

At reſpondemus primò; minimè verum eſſe, quòd Salomon viam viri in adoleſcentula cum via mulieris adulteræ cõparet; ſed cùm de via mulieris adulteræ agit, eam velut quintum aliud conſtituit, quod ſe ignorare profitetur. Nam cùm priùs tria illa commemoraſſet, quæ illi difficilia videbantur, ac quartum addidiſſet, quod penitus ignorabat; tum quintum ſubiungit, ſcilicet viam mulieris adulteræ, quod ſibi æquè difficile, aut ignotum eſſe dicit. *Talis* (inquit) *eſt via mulieris adulteræ*, id eſt, æquè vt illa priora, difficilis cognitu.

Secvndò dico, quòd etſi comparatio aliqua fieret inter viam viri in adoleſcentula, & viam mulieris adulteræ, haud propterea euincere poſſunt adoleſcentulam pro corrupta virgine haberi debere. Nam comparatio non fit reſpectu vitij, aut corruptionis: A neque vis ſimilitudinis in eo ſita eſt; quòd ſicut hæc mulier eſt adultera, ita illa adoleſcentula ſit corrupta: ſed tota ſimilitudo, ac comparationis ratio intelligendi ſummam obſcuritatem reſpicit; qua fit, vt ſicut via viri in adoleſcentulà, ita & via mulieris adulteræ ſibi ignota ſit: quæ omnia ex ipſa textus ſerie aperta ſunt.

At verò ſi altiorem ſenſum, quem poſtrema hæc verba ex antiquorum Hebræorum ſententia obtinent, exploremus; viam mulieris adulteræ, ipſam Adæ primi parentis præuaricationem interpretabimur, qui meretricis inſtar B culpæ ſuæ excuſationem texuit, ac totum humanum genus ſuo peccato obſtrinxit: hoc enim modo idem R. Haccados *R. Haccados.* hunc locum exponit eodem libro. *Sic eſt* (inquit) *via mulieris adulteræ cum cæteris. Totum hoc egit Adam, qui de peccato ſuo ſeſe excuſauit, noluítque illud fateri, ſed dixit. Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Fecítque vt meretrix, quæ comedit, & os purgat, nihil mali ſe feciſſe contendens. Quamobrem rationi congruit, vt totus terrarum orbis plectatur. Et cùm venerit tempus ſaluationis, æquum eſt, vt Deus ad inferos deſcendat, eóſque ſaluet. Et hoc eſt quod di-* C *ctum eſt Ieremiæ 2. cap. Ecce ego iudicabor tecum, eò quòd dixeris; non peccaui.*

Qvamqvam etiam non immeritò dici poſſit, viam hanc mulieris adulteræ, eſſe Iudaicæ Synagogę perfidiam: neque enim ſemel, aut rarò, ſed ſæpiſſimè Deum Synagogam adulteram appellaſſe legimus. Ezechiel. *Ezech. 16.* 16. *Nec facta es quaſi meretrix faſtidio augens pretium, ſed quaſi mulier adultera, quæ ſuper virum ſuum inducit alienos.* Et infrà. *Et iudicabo te iudiciis adulterarum.* Ieremias quoque cap. 3. *Ierem.* meretricem, ac fornicariam vocat. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis.* Iſaias eanD dem meretricem nuncupat: *Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis?* demum apud Oſeam cap. 2. Micheam c. 1. Nahum cap. 3. atque alios Prophetas frequentiſſima ſunt huius rei teſtimonia: at præſertim tunc adultera eſſe cœpit, cùm à proprio Meſsia, quem ſponſum Deus illi deſtinauerat, receſsit; ac inſuper ſumma ignominia, ac mortis ſupplicio affecit. Atque hæc cauſa eſt, propter quam Salomon adulteræ Synagogæ viam, ac perfidiam tanta admiratione proſequitur, vt eam ſe minimè capere poſſe contendat. Cùm enim ea Meſsiam iuſtum tanquam panem E tot funium, flagellorum, ſpinarum, clauorum, pœnarum, conuitiorum, deriſionum dentibus in cruce deuorauerit, ac velut infernus viuum deglutierit: quem tamen tot cœleſtibus miraculis, dum viueret, illuſtrem conſpexerat; & iam defunctum etiamnum ſumma totius orbis exultatione velut Dei filium, ac omnium redemptorem vbique celebratum, ac diuinis honoribus affectum vi-

der-

Digitized by Google

det: cui non modò mirabilis, ſed & prodigioſa videri debet tanta illius perfidia; vt cùm tam ingens ac notorium crimen in ſponſum Meſſiam admiſerit: quaſi nihil mali operata fuerit, os ſuum impiè tergens, etiamnum erubeſcere neſciat, ſed proprium crimen maiori infidelitatis crimine augeat.

Sed vt ad rem redeamus. Ex his conſtat, Meſſiam cui reparandi hominis munus à Deo commiſſum eſt; Deum ſimul & hominem eſſe debere, Deum quidem infinita virtute, ac potentia præditum, qui lapſos erigere, ac perditos ſaluare poſſet. Hominem verò iuſtum, ſanctum, immaculatum, nulla peccati labe infectum: nam vt

Ad Hebr. 9. Paulus noſter ait. *Talis decebat, vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus*: vt hominum peccata delere poſſet, & culpæ mortem, quæ totum genus humanum inuaſerat, immerita ſuipſius nece confoderet: vt

S. Bernardus. Bernardus ait ad milites temp. cap. 11. *Sed vnde confidimus, quòd mortem abſtulit? hinc plane, quòd eam ipſe, qui non meruit, pertulit. Qua enim ratione iterum exigeretur à nobis, quod pro nobis ille iam ſoluit? qui peccati meritum tulit, ſuam nobis donando iuſtitiam; ipſe mortis debitum ſoluit, & reddidit vitam.* Atque illud eſt

1. Pet. 3. quod Paulus ait: *Chriſtus pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis: vt nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, viuificatus autem ſpiritu.*

Hinc Scripturarum oracula (vt rem tandem diuinis teſtimoniis expendamus) varia Meſſiæ nomina tribuunt, quæ vtramque & diuinam, & humanam ipſius naturam declarant. Ros enim in Scripturis appellatur,

Iſa. 45. vt patet apud Iſaiã c. 45. הרעיפו שמים ממעל ושחקים יזלו צדק *hareghyphou ſchamaim mimmaghal ouſchechakim yzelou tſedek. Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum*, &c. cum quo

Oſe. 14. etiam cõſpirat Oſeas c. 14. אהיה כטל לישראל יפרח כשושנה *ehie chattal leiſraël iphrahh kaſcioſcianna. Ego ero ros Iſraëli, & germinabit ſicut lilium*: quæ loca ad Meſſiam referunt Io-

Ionathas. nathas Ben Vziel, qui ita Chaldaicè vertit. *Erit verbum meum velut ros Iſraëli*: cùm idem, vt nuper diximus in Pſal. 110. Meſſiam ipſum

Midras. Thillim. Dei verbum eſſe dixiſſet. Et Midras Thillim in Pſalm. 44. titulum, qui eſt למנצח על ששנים *lamnatſeahh ghal ſcioſciannim. Victori, vel, ad victoriam ſuper liliis. Et tunc* (inquit) *adducam Goël, id eſt, Redemptionem, ſicut dictum eſt, Oſeæ 14. Ero ſicut ros Iſraeli.* Idem habetur in li-

Lib. Taanith. bro Taanith. Quòd igitur ros Meſſias appellatur; id diuinam illius naturam exprimit, quæ à cælorum ſublimitate ad nos manat. Eapropter petit Vates, vt cœli deſuper rorem diuinitatis effundant, ac diuinum verbum ſtillent, id eſt, vt è cœlo veniat Deus, qui Deiparæ Mariæ virginitatem in modum roris

A ſtillantis fœcundet: vt antea prædixerat David. *Deſcendet ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.* vbi velleris, ac Pſal. 71.
terræ nomine Meſſiæ Mater ſignificatur. Petit præterea, vt nubes, id eſt, veteris legis figuræ, quæ velut nubes Meſſia grauidæ erant, hunc diuinum rorem pluant; atque eum ad nos venire ſinant, qui terris iuſtitiam velut iuſtus pariat. Quæ omnia ad Meſſiæ diuinitatem pertinent.

At non ſolam diuinitatem è cœlo venire poſtulat; ſed vt Meſſiam hominem quoque fore inſinuet, terram aperiri efflagitat,

B quæ Saluatorem germinet תפתח ארץ ויפרו ישע *tiphethach herets veiphrou ieſchagh. Aperiatur* (inquit) *terra, & germinet Saluatorem.* Quiſnam ita rudis erit, vt terram hanc, quam Vates aperiri expetit, pro terræ elemento accipiendam ſentiat? ſiquidem terræ elementum cùm aperitur, non homines, ſed olera, vel arbores germinat: igitur terra hæc, quæ hominibus Saluatorem germinare debet, Meſſiæ Matrem inſinuat; quam ipſe quoque David eodem nomine terram appellat, cùm ait: *Benedixiſti Domine terram tuam, auertiſti captiui-* Pſal. 84.
tatem Iacob. & alibi: *Confiteantur tibi populi* Pſal. 66.

C *Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum ſuum.* Hanc ergo priùs terram aperiri expoſcit Vates, ac deinde ex ea Saluatorem oriri. Priùs enim Deipara Virgo conſenſus ſui ſinum Deo aperire, ac illius voci obtemperare debuit, quàm Meſſiam Saluatorem vtero ſuſciperet, ac tandem orbi pareret. Cùm igitur hoc terræ germen, nempe Virginis partus Meſſiæ humanitatem declaret. Ros verò è cœlo ſtillans illius diuinitatem inſinuet, hinc duplicem Meſſiæ naturam ex hoc Iſaiæ teſtimonio elicimus: atque illa loca de duplici Meſſiæ natura explicat

D Concilium Spalenſe tom. 2. Conc. c. 13. Conc. Spalenſe.

Agnus præterea ac dominator terræ appellatur ab eodem Iſa. cap. 16. שלחו כר מושל Iſa. c. 16.
ארץ מסלע מדברה אל הר בת ציון *ſcilhhu char moſcel erets miſſelangh midbara el har bath tſijon. Emitte* (inquit) *agnum Domine dominatorem terræ, de petra deſerti ad montem filia Sion.* Quæ verba nullus iure dubitare poteſt, quin ad Meſſiam referantur: quandoquidẽ ad eum referunt LXX. interpretes, & Paraphraſis Chaldaica. Nam illud recentiorum Iudæorum figmentum, quo contendunt hîc ſermonem

E haberi de centum millibus agnorum, quæ Rex Moabitarum Regi Iſraël pro tributo pendere ſoleret, deridendum potiùs arbitror, quàm refellendũ; cùm veritas ſuo ſe lumine prodat; vbi enim hîc de tributo, aut de Rege Iſraëlis mentio fit? ſi agnum tributum eſſe volunt, quomodo is terræ dominator aſſeritur?

Nec quemquam moueat Hebræa lectio, quæ habet, *ſcilhhu char moſcel erets. Emitte agnũ dominator, vel dominatoris terræ*: nam vt ra-

ceam proprium eſſe Iudæis ob Chriſtianæ fidei odium, vbi inſigne aliquod de Meſſiæ diuinitate teſtimonium in Scripturis occurrit, punctorum mutatione corrumpere: quod ſanè non abs re fuerit, hoc loco factum eſſe ſuſpicari. Nam D. Hieronymus, qui ita vertit, vt vulgata noſtra lectio habet, exactiſſimus fuit Hebraicarum literarum ac punctorum obſeruator, quæ ſuo duntaxat tempore in ſacras literas inuehi cœperunt: quapropter ei potiùs quàm R. Iacob, & alteri Aaron qui poſt Chriſtum ſacras literas punctuarunt, credendum eſſet. Quod ad verbum שלחו *ſcilchu* attinet, quod explicat numerum multitudinis; tametſi haberi deberet שלחו *ſcilcho*, id eſt, *emitte*, non cum ו *vau ſurec*, ſed cum ו *vau cholem*: attamen ſi aliquid Iudæis punctatoribus tribuere licet; nihil moramur: neque enim omnino nobis incommoda eſt huiuſmodi lectio: poteſt enim referri ad cœlos, vt Pagninus, & Vatablus ſentiunt, ita vt ſenſus ſit. O cœli mittite agnum dominatorem terræ, vti priùs idem Vates hac proſopopœia vſus fuerat, cùm dixerat; *Rorate cœli deſuper*, &c. Porrò Lxx. interpretes vertunt: *Mittam agnum dominatorem terræ*: quod magis noſtram, quàm Hebræorum lectionem confirmat.

D. Hieron.

CÆTERVM nomen *moſcel*, quod dominator, vel dominatoris tranſferunt; ſanè Hebræi negare non poſſunt, quin per accuſatiuum caſum etiam verti poſſit, dominatorem, cùm nulla ibi litera ſeruilis reperiatur, quæ diſtinguendis caſibus ſolet adhiberi: quò fit, vt tam accuſatiuo, quàm alteri caſui inſeruiat. At illud potiùs in accuſatiuo caſu, quàm altero legendum ſuadet, quòd Septuaginta interpretes, qui Hebraicarum vocum eruditiſsimi extitêre, in accuſatiuo, non in altero caſu nomen illud legunt, *dominatorem*, atque ita totam hanc periodum ad Deum loquentem referunt.

ABSTERSA igitur Hebræorum calumnia, quæ ad literam pertinet: reſtat iuxta germanam huius loci interpretationem, quam D. Hieronymus, D. Thomas, aliique viri doctiſſimi amplectuntur, celebrem hîc de ſolo Meſſia mentionem fieri: in quam ſententiam præter Chaldæum Paraphraſtem, venit & R. Dauid Kimhi, qui non ſolùm ſuæ tempeſtatis Iudæos: ſed etiam multorum antiquorum memoriam ingenij præſtantia ſuperauit. Duplex igitur Meſſiæ natura duplici hoc titulo explicatur: agnus enim cùm innocentiæ, ac ſacrificij typus ſit (manſuetiſſimum quippe animal, ac olim ſacrificiis dicatum eſſe agnoſcitur) humanam Meſſiæ naturam indicat, non tantùm à culpa alienam: ſed & pro hominum culpa Deo ſacrificandam: vt alibi idem Vates cap. 53. declarat; cùm ait. *Quaſi agnus coram tondente ſe obmute-*

D. Hieron.
D. Thomas.
Chald. Par.
R. Dauid Kimhi.
Iſai. 53.

A *ſcet.* At quis ſit hic terræ dominator, quem Vates cum agno copulat, facile eſt ex Malachia agnoſcere, qui cap. 3. de illo ita ſcribit. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam, & ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis.* Quem locum de Meſſia exponendum eſſe docent Hebræi veteres, qui & locum illum Micheæ 5. *Et tu Bethlehē Ephrata, &c. Ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël.* de Meſſia ſine controuerſia intelligunt: Deum enim quærebant Iſraelitæ, vt idem Iſaias teſtatur c. 58.

B ואותי יום יום ידרשון ודעת דרכי יחפצון *veothi iom iom idroſciun vedaghath darachai iehhpatſun. Me etenim de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt.* Hic igitur eſt cœli, & terræ dominator Deus benedictus, cuius imperio vniuerſa parent. Quò fit, vt cùm Vates *agnum dominatorem* mitti expoſcit, proculdubio Meſſiæ Dei, & hominis aduentum efflagitet.

Malach. 3.
Micheæ 5.
Iſai. 58.

AT illuſtriſſimum eſt Emmanuelis nomen, quo apud Iſai. 7. Meſſias appellatur. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur* C *nomen eius Emmanuel.* De hoc nomine ſuperiùs egimus: nam vt Hebræis notum eſt, *Emmanuel* dictio eſt aggregata ex *Emmanu*, & *El. Emmanu* ſignificat *nobiſcum*, *El* verò eſt Dei nomen; quò fit, vt vtraque dictio ſimul coniuncta reddat, *nobiſcū Deus*. Vnde nobis apertè diuina, atque humana Meſſiæ natura in eodem ſuppoſito coniuncto erumpit. Diuina quidem natura in Dei nomine *El*: humana verò in *Emmanu, nobiſcum*: perinde ac ſi diceretur, humanatus, vel incarnatus Deus: vt aliàs expoſuimus.

Iſai. cap. 7.

HIC tamen illud tantùm addendum volo, D iuxta Hebraicam lectionem legi oportere. וקראת שמו עמנואל *vekarath ſcemo Himmanuel. Et vocabis nomen eius Emmanuel.* cùm ibi ſit verbum *vekarath*, quod indicat ſecundam perſonam futuri: ita enim vertunt Lxx. Interpretes, & Pagn. licèt D. Hieron. trāſtulerit *vocabitur.* Fortè ad ſenſum componendum, ne viderentur poſteriora verba à ſuperioribus diſſonare: quæ in tertia, non in ſecunda perſona ipſe legenda putat. At ſi Hebraica litera ritè expendatur, etiam ſuperiora in ſecunda perſona videntur eſſe legenda: ita .n. habetur Hebraicè. *Hinne haghalmah harah veioleret ben vekerat ſcemo Himmanuel*, id eſt, E *Ecce Virgo prægnans, & pariens Filium, & vocabis nomen eius Emmanuel.* Quaſi Vates ſermonem ad Virginem conuertat, atque admirabundus exclamet. Ecce tu ô Virgo prægnans, & pariens filium, & vocabis nomen eius Emmanuel: qui ſenſus locum hunc non parum illuſtrat, cùm verbo ad verbū cum Archangeli dictis conueniat, qui Meſſiæ ortum Virgini annuncians, ait. *Ecce concipies in vtero, & paries*

Digitized by Google

partes filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Quòd A ſi verba verbis accommodaueris, nihil prorſus ex verbis Iſaiæ ab Angelo immutatum reperies præter ſolum nomen Emmanuel, cuius loco Angelus Ieſum ſuffecit.

A T ſortè vrgebunt Hebræi, qua ratione Chriſtus noſter non ſit appellatus Emmanuel, vel cur Angelus à Propheta diſcrepauerit, nomen illi Ieſu imponens, quem Vates Emmanuelem vocandum eſſe prædixerat? *Euthymius.* Reſpondet Euthymius, re ipſum vocatũ fuiſſe Emmanuelẽ, nuncupatione autem Ieſum. *Nomine* (inquit) *nullus vocauit Chriſtum Emmanuelem, re omnes: quia credentes eſſe Deum, & ho-* B *minem, confitebantur Deum eſſe nobiſcum: quòd Emmanuel ſignificat, nobiſcum Deus: nam Deus homo factus conuerſabatur inter homines: nam hic mos eſt Prophetis vocationes, & nomina appellare futuras actiones. Ita puer hic appellatus eſt citò prædare; citò ſpolia; non quòd hoc nomine ita vocatus ſit, ſed quòd hæc fecerit.* Idem ſentit Chryſoſt. *Chryſoſtomus.* in c. 1. Matth. hom. 5. *Ab effectu* (inquit) *appellatur Emmanuel. Eſt enim Scripturæ mos euentus rerum ponere nominum loco: quid enim eſt aliud vocabunt nomen eius Emmanuel, niſi videbunt oculi mortalium Deum inter homines ver-* C *ſantem?* Cur autem Ieſus nõ Emmanuel nuncupatus fuerit, declarat Lactantius lib. 4. cap. *Lactantius.* 12. *Emmanuel* (inquit) *nunquam vocitatus eſt, ſed Ieſus, qui Latinè dicitur Salutaris, ſiue Saluator, quia cunctis gentibus ſalutifer venit: ſed Propheta declarauit hoc nomine, quòd Deus ad homines in carne venturus eſſet. Emmanuel enim ſignificat, nobiſcum Deus: ſcilicet quia illo per Virginem nato confiteri homines oportebat, Deum ſecum eſſe in terra, & in carne mortali.* Sed huius rei teſtes nõ tantùm Chriſtianos, ſed & ipſos Hebræos Doctores habemus: nã R. Haccados in libro Galeſazeia ita ſcribit. *Quia Meſsias Deus, &* D *homo futurus eſt, vocatum eſt nomen eius Emmanuel, quod dicitur nobiſcũ Deus, in corpore ſcilicet, & carne noſtra, quemadmodum Iob teſtatur c. 19. dicens. Et ex carne mea videbo Deum.* Hinc manifeſtum eſt nullam eſſe inter Angelum, & Vatem, quoad nominis Meſſiæ impoſitionem, diſcrepantiam. Nam aliud eſt naturæ, aliud impoſitionis, ſeu effectus nomen. Natura enim quæ rei formam tribuit, nomen quoque ipſum, qua ipſa agnoſci poſſit; largitur: ſic humana natura, quæ homini tribuit eſſe, nomen etiam hominis impertit: neque enim homo eſſet, niſi humana natura quæ in homine ſubſiſtit, illud ei nomen tri- E bueret: Deus etiam non alia ratione Deus appellatur, niſi quia Deitatis natura, quæ in Deo altiſsimè elucet, Deum ipſum nominat. At nomen quod ad futuros effectus prænunciandos imponitur, plerumque non ad ipſius rei naturam, vel naturæ proprietates inſinuandas, ſed ad illius actus præſignificandos imponitur.

Q V O D in Ieſu & Emmanuele exploratum eſt; nam Emmanuel Meſsiæ naturam tantummodò intrinſecam declarat, qui ſcilicet futurus erat Deus homo: atque huc Vates aſpexit, cùm Meſsiam Emmanuelem vocauit. At Ieſus nomen impoſitionis fuit, quo futuræ ſalutis hominibus effectus indicabatur. *Ipſe enim,* ait Angelus, *ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Quamuis etiam naturam (obſcurè tamen) inſinuaret: cùm Ieſus, id eſt, Saluator eſſe non poſſet, niſi ſimul vtramque, diuinam & humanam naturam includeret.

N E Q V E ſilentio prætereunda cenſeo nomina iuſti, & pauperis; quæ à Zacharia cap. 9. Meſſiæ tribuuntur, cùm ait. גילי מאד *Zach. 9.* בת ציון הריעי בת ירושלם הנה מלכך יבוא לך צדיק ונושע הוא עני ורכב על חמור ועל עיר בן אתנות *gils meod bath tſijon harighi bath Ieruſcialaim hinne malkech iauo lach tſadik venoſcianghhu ghani verocheu ghal hamor veghal ghair ben athonoth. Exulta valde filia Sion, iubila filia Hieruſalem. Ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus, & Saluator; ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ.* Quibus Meſſiæ tum diuinitas, tum humanitas declaratur. Quis enim dubitare poteſt, quin hoc Zachariæ Vaticinium de Meſſia exponendum ſit: cùm vniuerſi Hebræi in hac ſententia conſpirent? nam R. Salomon id pro omnibus fatetur, qui in Gloſſa ita ait. *Ecce Rex tuus veniet tibi. Non poteſt hoc exponi, niſi de Rege Meſſia, quia dictum eſt hic. Et Dominium eius à mari vſque ad mare & à flumine vſque ad fines terræ. Et non inuenimus talem Dominatorem in domo ſecunda.* Idipſum antea quoque ſenſerat Rabbi Moyſes Hadarſan in expoſitione Geneſ. Cùm igitur iuſti nomen Meſſiæ aſcribitur, illud primùm ſtatuendum eſt, hoc nomine Deitatem aſtrui. Etenim iuſti nomen bifariam ſolet exponi. Primo quidem modo eſſentialiter, altero participatiuè. Primus modus ad Deum tantùm pertinet; qui non alia iuſtitia, quàm ea, qua Deus eſt, iuſtus dicitur: quò fit, vt non tam concreta, quàm abſtracta nomina Deo aſcribi ſoleant: hac enim ratione Deus ſæpe in Scripturis iuſtitia, miſericordia, ſalus, fortitudo, lux appellatur, cùm ea Deo eſſentialia, ac conſubſtantialia ſint: quapropter cùm iuſtitia Dei ſit ipſamet Dei eſſentia; hinc ea quoque eſſentialiter Deus iuſtus appellatur. Alter verò modus ad creaturas ſpectat, quæ ab inhærente ſibi iuſtitia, quæ diuinæ iuſtitiæ ſimilitudo quædam ac participatio eſt, iuſtæ nuncupantur.

A D M O N E O præterea iuſti nomen, velut etiam ſancti, vel fortis, vel Domini, vel alia huiuſmodi, quoties in Scripturis abſolutè ponuntur, ferè nunquam ad creaturas, ſed ad Deum creatorem duntaxat referri: eo

enim tunc ſignificatur nomen illud eſſentialiter ſumi: ac proinde Deo ſoli competere: quod ex pluribus Scripturæ locis manifeſtum eſſe poteſt. Nam ſæpe apud Iſaiã c. 9. & 30. capite *fortis Iſraël* abſolutè dicitur, quo nomine Deus ipſe duntaxat intelligitur. Præterea Dauid Pſ. 77. cùm ait: וקדוש ישראל התוו *vkdoſc Iſraël hithuu. Et ſanctum Iſraël exacerbauerunt.* Iſa. 5. ותבואה עצרת קדוש ישראל *vethauoa ghatſath kedoſc Iſraël. Veniat conſilium ſancti Iſraël*, & eodem cap. ואת אמרת קדוש ישראל נאצו *veeth imrath kodeſc Iſraël neiſu. Eloquium ſancti Iſraël blaſphemauerunt*: eo ſancti nomine abſolutè vſurpato, Deum ipſum intelligunt. Ita quoque cùm iuſtum Iſa. c. 1. abſolutè nominat, *vocaberis ciuitas iuſti*, & c. 45. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum*, & c. 62. עד יצא כנגה צדקה *ghad ietſe channogah tſidkah. Donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius*, ibi *iuſti* nomen Deum ipſum indicat, qui ſolus eſſentialiter, atque abſolutè iuſtus eſt: hac enim ratione iuſtus ad eſſentialem nominis vſurpationem trahitur.

Pſal. 77. *Iſa. 5.* *Iſa. 1.* *cap. 45.* *cap. 62.*

C**VM** igitur Meſſias in Scripturis iuſtus abſolutè nominatur; manifeſtum eſt illum hoc vel ſolo nomine Deum declarari: neque ad antonomaſiam cõfugere valent, tanquam Meſſias iuſtus antonomaſticè dicatur, velut iuſtorum omnium præſtantiſſimus, atque ea ratione etiam ad hominem referri poſſe dicant: nam tametſi in cæteris id verum eſſe poſſit; in Meſsia tamen locum non habet. Nam de Meſsia vaticinatum eſſe probauimus illud Iſa. c. 45. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtũ*, quem locũ ad antonomaſiã, neque ad hominem referre poſſunt, cùm illum à nubibus, & à cœlo venire depoſcat Vates. Relinquitur igitur ad Deum ſolum referri debere, de quo Dauid Pſalm. 18. ait, מקצה השמים מוצאו *mikſe haſciamaim motſao. A ſummo cœlo egreſsio eius.* Ita etiam hoc loco cùm Zacharias Meſsiam iuſtum abſolutè vocat; non ad hominem, ſed ad Deum refert, quod ipſe textus etiam declarat, cùm eundem iuſtum Dei nomine *hu* deinceps appellat: ita enim Hebraicè habetur יבוא לך צדיק ונושע הוא *iauoh lake tſadik venoſchagh hu. Veniet tibi iuſtus, & Saluator ipſe.* Neque enim inficiati valent Hebræi, *hu*, inter Dei nomina reponi; vt patet Iſa. 42. *Ego Deus, ipſe eſt nomen meum, hu ſcemo*; atque aliis paſsim locis: quò fit, vt ſi *tſadik* cum *hu* coniungimus; vt Prophetæ verba ſonant, hunc iuſtum Deum nominemus. Quamobrem cùm Zacharias ait, *Veniet tibi iuſtus, & Saluator ipſe*: id prorſus ſignificare voluit, quod Iſaias antea cap. 35. de Meſsia prænunciauerat dicens. *Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos.*

Iſa. 45. *Pſal. 18.* *Iſa. 42.* *Iſa. 35.*

C D

A**LTERVM** eſt pauperis nomen, quo humilis hominis natura non obſcurè aperitur; quæ in Meſſiæ perſona futura erat; quem

A priùs rerum omnium egeſtate, ac inopia laborantem, atque humanis infirmitatibus, ac paſſionibus obnoxium Vates Iſaias aſpexerat cap. 53. *Vidimus eum* (inquit) *deſpectum, ac nouiſſimum virorum, virum dolorum, ac ſcientem infirmitatem.* Et Dauid Pſalm. 21. qui totus eſt de humilitate Meſſiæ, eum plebis abiectionem, & hominum opprobrium futurum eſſe dixerat, ipſius Meſſiæ ore ita loquens, ואנכי תולעת ולא איש חרפת אדם ובזוי עם *veanoch tolaghath velo iſc hherphath Adam vbzui gham. Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobriũ hominum, & abiectio plebis.* Quare

Iſa. 53. *Pſal. 21.*

B non immeritò Zacharias eundem pauperem, ac humilem appellat, id eſt, humili, ac rerum omnium egena hominis natura præditum.

P**LVRA** tandem apud Iſaiam Meſſiæ nomina, non ſine admirabili Spiritus ſancti conſilio in vnum congeſta legimus; quæ partim diuinam, partim humanam illius nobis naturam indicant: nam is cap. 9. de Meſſiæ ortu agens. *Paruulus* (inquit) *natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis: & factus eſt principatus ſuper humerum eius. Et vocabitur nomen eius admirabilis, Conſiliarius, Deus, fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.* Vbi his nominibus alternatiuè à Vate Meſſiæ tũ diuinitas, tum humanitas explicatur hoc modo. *Paruulus natus eſt nobis.* En hominẽ Meſſiam, neq; enim puer, aut paruulus eſſe poſſet, vel ex fœmina naſci, niſi humana prẹditus eſſet natura: cùm verò ſubdit: *Filius datus eſt nobis.* En Meſſiam Deum, ac Dei filium, non ex fœmina natum, ſed tantùm è cœlo datum nobis à Patre, ob immenſam illius erga homines beneuolentiam: *ſic* enim *Deus* (ait Ioan. noſter) *dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Atque ita hunc locum explicat Diuus Ambroſius libr. 3. de fid. cap. 4. *Diſtingue* (ait) *ſingulorum momenta. Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis; & ſi ex Patre eſt natus, non nobis eſt natus, ſed datus; quaſi dicat: filius æterni Patris nobis datus eſt: & natus eſt puer nobis, neque nobis natus eſt filius æterni Patris, ſed nos per illum (per illum enim omnia facta ſunt) hic tamen filius æterni Patris nobis natus eſt puer: hoc eſt, qui eſt filius Dei, hic ex Maria natus eſt nobis puer.* Eandem interpretationem adhibet Epiphan. cont. Hæreſ. lib. 1. cont. Ebionitas, & Conc. Spalenſe 2. tom. 2. Conc. cap. 13. his verbis. *Paruulus enim Chriſtus ad ſuſceptæ humanitatis naturam pertinet, quia homo eſt factus; filius autem datus ad Diuinitatem, quia Dei filius.*

Iſa. 9. *Ioan. 3.* *S. Ambr.* *Epiphan.* *Concil. Spalenſe.*

E

A**DMIRABILEM** præterea vocat, Hebraicè פלא *Pele*, quod ſolius Dei nomen eſt, vt ſuperiùs declarauimus. Eo enim nomine Angelus ille, qui Dei perſonam referebat Iudic. 13. ſeipſum nominauit, cùm ait. *Cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile?* quod perinde eſt, ac ſi diceret, non aliud ſibi nomẽ eſſe præterquàm Deum, qui facit mirabilia,

Iudic. 13.

Deus

Deus faciens mirabilia. At cùm mox *conſiliarium* ſubdit, hominem docet; qui Euangelicam doctrinam, ac diuina conſilia, quibus homines perfecta fide, ac ſanctiſsimis moribus inſtruerentur, orbi expoſiturus, in carne apparere debebat. Huc enim ſpectant quæ
Iſa. 30. ab Iſaia dicta ſunt cap. 30. *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis. Hæc eſt via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram,*
D. Hieronym. *neque ad ſiniſtram.* Quem locum D. Hieron. in Comment. ſic illuſtrat. *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, id eſt, Chriſtum, ſcilicet te per ſe docentem, & per Apoſtolos; quorum audies verba monentium poſt tergum, etiam cùm te auertas, & nolis audire. Hæc via Euangelij eſt vera, ambulate in ea.* Eundem & Chaldæus Para-
Chaldæus Paraph. phraſtes ad Meſsiam refert, cùm ita illum transfert. *Et erunt oculi videntes diuinitatem eius.*

Rursus Deum appellat *El*, vt diuinitati teſtimonium ferat, cùm illud proprium Dei nomen ſit. Cui ſtatim nomen *fortis* annectit, vt humanitatis bella, quibus cum Tartareo hoſte in cruce pugnaturus erat, hominibus canat: atque inde fortis, & potens in
Pſal. 23. prælio à Regio Propheta deſcribitur Pſal. 23. מי זה מלך הכבוד יהוה עזוז וגבור יהוה גבור מלחמה *mi ze melech haccauod Iehouah ghizuz vegibbor Iehouah gibbor milhhama. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.* & in Midras Theillim in Pſalm. 20. Meſsias *vir pugnæ* nuncupatur.

Iterum Pater futuri ſæculi dicitur, vel vt Hebraicè legitur אבי עד *auij ghad. Pa-*
Clem. Alex. *ter æternitatis.* Clemens Alex. in Pædag. circa fin. cap. 4. legit, *Pater ſempiternus.* At quicquid legas, in idem recidit: quandoquidem & futurum ſæculum, quod poſt omnia tranſacta tempora venturum eſt, æternum erit: quò fit, vt ſæculum æternum ab ipſa æternitate non differat. Conſtat etiam, qui futuri æterni ſæculi, vel æternitatis eſt Pater; procul dubio Patrem ſempiternum eſſe: inde fit, vt quælibet harum lectionum vera ſit, neque inuicem diſsideāt: quin etiā Meſsiæ diuinitatem pari ſenſu luculentiſsimè declarēt. Quis enim æternitatis Pater eſſe poteſt, niſi Deus; qui ſolus æternus eſt, & omnium ſæculo-
Ariſtoteles 1. de cœlo. rum auctor? quod & ipſe Ariſtoteles agnouit primo de cœlo, qui Deum temporum, æternitatis, & vitæ omnium Patrem nominat. Quòd ſi Meſsias æternitatis Pater eſt, vt à Vate deſcribitur, eo ſanè nomine Deus nobis agnoſcendus proponitur.

At illi mox aliud ad eius humanitatem declarandam nomen aſſociatur, nimirum, *Princeps pacis.* Iudæi Meſsiam Principem pacis idcirco futurum expectant, quaſi is orbe ferro, ac armis ſubacto, pacifico illius imperio potiri debeat; atque hoc ſenſu ſequentia illa Iſaiæ verba: *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis:* ſicut etiam illa Da-
uid Pſalm. 71. יפרח בימיו צדיק ורב שלום עד *Pſal. 71.*
בלי ירח וירד מים עד ים ומנהר עד אפסי ארץ
iphrahh betamau tſaddik vero ſcialom ghad beli iareahh veierde miam ghad iam vminnahar ghad aphſe arets. Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna: & dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum; accipiunt: quò fit, vt totum ad temporalem, ac humanam tantùm pacem locum referant. At qui de Meſsiæ rebus meliùs iudicant; non de temporali Regni illius, quod ſpirituale duntaxat futurum eſt, pace hæc dicta exiſtimant, quæ vix vnquam diuturna eſſe poteſt: ſed ad ſolidiorem, ac perfectiorem pacis ſtatum Vatem aſpexiſſe docent; quæ perpetuam hominum cum Deo conciliationem complectitur. Atque ita fit, vt ſolus Meſsias Princeps pacis iure appellari debeat, qui ſolus Tartareo hoſte deuicto, pacificans per ſanguinem crucis vniuerſa, quæ in cœlis, ſiue quæ in terris ſunt, humanæ cum Deo reconciliationis, tanquam Dei & hominum mediator negotium peracturus erat: & adepto ſibi ſpirituali orbis imperio, velut Eccleſiæ Princeps, pacificum per fidem in Eccleſia, ad extremum vſque orbis interitum, regnum erat conſequuturus. Hinc manifeſtum eſt, quàm optimo iure is à Vate pacis Princeps dicatur. Atque hæc tum diuinitatis, tum humanitatis Meſſiæ ita clara ſunt inſignia, vt nonniſi temerè, ac infideliter negari poſsint.

Postremo ex ipſo Meſsiæ nomine vtraque illius, diuina, & humana natura apertè colligitur. Nam Meſsiæ nomen, quod Latini ab Hebræis mutuati ſunt: quod quidem apud Hebræos משיח *Meſsiach* dicitur, à Chaldæis משיחא *Meſsicha*, à Græcis χριστὸς *Chriſtus*, apud Latinos vnctum ſonat, à radice משח *maſſach*, quæ *vngere* ſignificat. Hinc Meſsiam Deum ſimul ac hominem elicimus. Duplex enim ex Scripturis vnctio habetur. Altera, qua vngitur Deus, id eſt, agnoſcitur, adoratur, colitur: altera, qua vngitur homo, vel in Regem, vel in Sacerdotem; vt olim mos fuit, atque idem etiam apud nos perſeuerat: vtraque tam Dei, quàm hominis vnctio Meſsiæ noſtro conuenit: diuina namque vnctione vnctus fuit; cùm illius diuinitas quæ priùs ignota erat, toti orbi manifeſta eſſe cœpit; & cuncti agnitam adorauerunt: tunc enim quodammodo vnctionem diuinitatis accepit, non qua Deus fieret; ſed qua Deus agnoſceretur, & agnitus coleretur.

Atque vt id leuiter eſſe nemo exiſtimet; huc ſpectat, quod ait Regius Vates

Pſal. 15.

Pſal. 15. Pſal. 15. כסאך אלהים עולם ועד שבט מישור שבט מלכותך אהבת צדק ותשנא רשע על כן משחך אלהים אלהיך שמן ששון מחבריך *keſacha elohim gholam vaghed ſcenet miſcior ſcenet malchutecha, ahaueta tſedek vntiſnia reſangh ghal ken meſciahhacha elohim eloecha ſcemẽ ſaſon mehaurecha. Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi, virga directionis, virga regni tui, dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatẽ; propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ cõſortibus tuis.* Quæ verba, vt nemini dubiũ ſit quin de Meſſia dicta ſint, Chaldæus
Ionathan. interpres ita tranſtulit. *Thronus tuus Deus in cælis in ſæcula ſæculorum, regnum forte ſceptrum regni tui. Et tu Rex Meſſias, quoniam dilexiſti iuſtitiam, & odiſti malitiam: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis, vel pluſquam ſocios, vel amicos tuos.* Deum enim (vt apertum eſt) hoc loco Propheta alloquitur, cùm ait. *Thronus tuus Deus perpetuus, & æternus*, vt habet Hebræa lectio, vel, *ſedes tua Deus in ſæculum ſæculi.* Porrò quid eſt, quòd Deum alloquens, quem throno æterno aſſidentem prædicat, eundem ſtatim à Deo vnctum teſtatur illis verbis. *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ?* Planè fatendum eſt, hanc non aliam, quàm Meſſiæ Diuinitatis vnctionem eſſe, non quâ is Diuinitatem accipere, ſed quâ Deus & agnoſci, & adorari deberet. Quo ſenſu & nos verba illa Apoc.
Apoc. 5. 5. accipimus. *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem.* Quam enim diuinitatem acciperet is, qui natura Deus eſt, Patri conſubſtantialis, & coæternus? at dignus fuit Agnus Meſſias Diuinitatem, id eſt, Diuinitatis honorem, adorationem, cultum ab hominibus accipere: qua etiam ratione ait Dauid, illum à Deo Diuinitatis vnctionem accepiſſe, id eſt, Diuinitatis cultum. Quod etiam teſtantur illa verba Chriſti ad
Ioan. 17. Patrem, quæ habentur apud Ioan. 17. quibus cùm Chriſtus Patrem rogaſſet. *Clarifica me Pater claritate quam habui, priuſquam mundus fieret*: ſtatim Pater è cœlo reſpondit. *Et clarificaui, & iterum clarificabo.* Pater filium ante mundum conditum clarificauit, cùm ex ſe genuit, ac diuinam illi claritatem, ac ſubſtantiam communicauit, atque id ad primam Meſſiæ clarificationem pertinet: at verò altera filij clarificatio fuit, cùm illius diuinitas vbique diffuſa, ab omnibus adorari cœpit.

Hinc myſterio non vacat gemina illa Dei repetitio, quam Vates adhibet, cùm ait. *Deus, Deus tuus:* quandoquidem Dei filius, qui Meſſias futurus erit, Diuinitatis teſtimonium, ac clarificationem tum à Patre, tum à Spiritu ſancto accepturus erat. Pater namque per ora Prophetarum de filio teſtatus
Ioan. 5. eſt, vt ait Ioannes cap. 5. *Scrutamini Scripturas, quia illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me*, &c. At Spiritus ſanctus per Euangeliſta-

A rum ſcripta, ac Apoſtolorum voces Meſſiæ Diuinitatem orbi teſtatam reliquit. *Tuus* autem pronomen additum fuit, ad declarandam Diuinæ naturæ in filio cum vtroque & Patre, & Spiritu ſancto conſubſtantialitatem, ac circumínceſsionem: qua fit, vt omnia eſſentialia, quæ Patris, aut Spiritus ſancti ſunt, filio etiam communicentur; contrà, quæ filij ſunt, ad Patrem, & Spiritum ſanctum pertineant; quippe qui extraneus non ſit à Patris, ac Spiritus ſancti natura; ſed vtriuſque perſonæ ſubſtantiam ſuam prorſus eſſe agnoſcat: atque inde rectè concludit Vates.
B Meſſiam quatenus Deus eſt, à Deo Patre, Deo ſuo, id eſt, eiuſdem ſubſtantiæ, Diuinæ naturæ, atque exultationis oleo, cùm ab eo genitus eſt, vnctum fuiſſe.

Altera verò vnctio ad hominem tantùm pertinet; qua Meſſias tanquam ſpiritualis Rex, ac Sacerdos à Patre vngendus fuit. De hac regni vnctione apertiſsima ſunt in Scripturis teſtimonia: nam Pſalm. 2. Dauid *Pſal. 2.*
ex Meſſiæ perſona ait. ואני נסכתי מלכי על ציון הר קדשי &c. *vaani naſachti malki ghal tſijon har kadſci. Ego autem conſtitutus ſum rex*
C *ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius*, &c. שאל ממני ואתנה גוים נחלתך *ſceal mimmenni veetenah goim nahhalathecha. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, &c.
Pſal. 71. אלהים משפטיך למלך תן וצדקתך לבן מלך *Elohim miſphathecha lemelech ten vetſidkathecha leuen melech. Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis*: quem *Pſal. 71.*
Pſalmum Iudæi ferè omnes de Meſſia exponunt. Iſaias c. 9. *Multiplicabitur eius imperium,* *Iſa. 9.*
& pacis non erit finis. Hierem. 23. ומלך מלך והשכיל *vmalach melech vehiſckil. Regnabit* *Hierem. 23.*
Rex, & ſapiens erit. Dan. 2. יקים אלה שמיא *Daniel. 2.*
D מלכו די לעלמין לא תתחבל ומלכותא לעם אחרן לא תשתבק *Ickim elah ſcemaia malchu di leghalmin lo thithhhabal vmalchutha leghamahharam lo thiſcteuek. Suſcitabit Deus cœli regnum, quod non corrumpetur, & regnum eius alteri non tradetur.* Zachar. 9. *Ecce Rex tuus* *Zachar. 9.*
veniet tibi, &c. Quæ teſtimonia licèt Iudæi ad temporale Meſſiæ regnum transferant, de ſpirituale tamen duntaxat intelligenda eſſe aliàs demõſtrabimus: quo Meſſias poſt mortem totum orbem non ferro, ſed fide ſibi ſubiecturus erat. Vnctus igitur fuit Meſſias in Regem à Deo, cùm excellentiſsimum illud nomen accepit, cui omne genu flectitur,
E & omnem tam in cœlis, quàm in terris poteſtatem nunquam corrumpendam ſibi comparauit, qua perpetuò in orbe regnare debet.

Porrò & Sacerdos vnctus fuit: de eo enim apertè Dauid pronunciat Pſalm. 110. אתה כהן לעולם על דברתי מלכי צדק *atta chohen legholam ghal diurathi malchi tſedek. Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchi*

Digitized by Google

Melchiſedech. Nam quòd Vates Meſſiæ Sacerdotium, non Aaroniticum, ſed ſecundùm ordinē Melchiſedech eſſe docet; eo declarat, illud non temporale, ſed æternum futurum, Aaroniticum enim Sacerdotium, cùm Meſſiæ Sacerdotium ea ratione figuraret, quòd illud hircos, & agnos immolaret, ac immolanda doceret, quæ ſicut Meſſiæ ſacrificium inſinuabant, ita finem eo ſacrificio acceptura erant; aliquando antiquandum fuit: tunc ſcilicet cùm Meſſiæ aduentu Sacerdotium Melchiſedech in ipſa Meſſiæ perſona inſtaurandum, ac perficiendum erat, quod quidem nullo vnquam tempore amplius abrogandum eſſet. Quapropter à Vate dictum fuit. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinē Melchiſedech*. Meſſias enim cùm non tauros, non vitulos, non oues, non arietes, ſed ſemetipſum in cruce Deo ſacrificium oblaturus eſſet, quo cætera omnia Aaronitica ſacrificia antiquaret, & ipſum duntaxat æternum permaneret: ea oblatione, quæ perpetuam apud Deum expiandorum ſcelerum vim erat habitura, æternum ſibi Sacerdotium comparauit. Aaroniticum quidem Sacerdotium, quod tot ſacrificiorum generibus refertum erat, vnico illo ſuipſius ſacrificio conſumpſit; & Melchiſedech Sacerdotium incruento ſacrificij genere, quod apud Chriſtianos, ac Catholicos in Miſſa offertur, ſuffultum inſtaurauit; ne vnquam illius ſacrificij memoria in hominum mentibus interiret: quod olim docuit Paulus noſter Hebr. 7. cùm de æterno Meſſiæ Sacerdotio diſſereret. *Et alij quidem* (ait) *plures facti ſunt Sacerdotes, eò quòd morte prohiberentur permanere: hic autem eò quòd maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium: vnde & ſaluare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum.*

NEQVE vlli dubitandum eſt huiuſmodi Sacerdotium ad humanam Meſſiæ naturam pertinere: nam tametſi æternum ſit Meſſiæ Sacerdotium, & ipſum Meſſiam in æternum permanere Paulus dicat: ipſum tamen Sacerdotij munus, quo in æternū Meſſias fungi debet, cùm ad Deum nullatenus ſpectare poſſit, qui Sacerdotij auctor, non miniſter eſt (neque enim is Sacerdotio fungi poteſt, qui Sacerdotum muneta, ac oblationes ipſo diuinitatis iure ſibi inceltum vendicat) Meſſiam hominem tantummodò comitatur. Id apertè declarauit Zachar. cap 3. cùm Ieſum illum Sacerdotem magnum, quo Meſſias vt nomine, ita & muneris functione ſignificabatur, veſte ſordida, ac ſanguine conſperſa indutum conſpexit: ſacra enim illa Meſſiæ caro, quæ diuinitatis quodammodo indumentum, quo obtegeretur, futura erat, ſordida, ac ſanguine cruentata tunc apparuit, cùm dirè cruci affixa, ac omnibus membris lacera, ſordidā peccatricis ſimilitudinem geſſit. Daniel tandem, cùm in medio hebdomadis Chriſtum Meſſiam occidendum eſſe dicit, apertè confirmat hanc Meſſiæ Sacerdotij vnctionem in mortali illius carne celebrandam.

SANCTVS Ioan. Damaſcenus de Orthod. fid. cap. 47. vtramque & diuinam, & humanam naturam in Meſſiæ numine incluſam alia ratione colligit: nam cùm Meſſias (vt diximus) vnctum iam apud Hebræos, quàm apud Latinos ſignificet, in eo & vngentis, & vncti naturam comprehendi affirmat; vngētis quidem Dei, vncti verò hominis: ibi .n. ita ait. τὸ Χριστὸς ὄνομα τῆς ὑποστάσεως λέγομεν, οὐ μονοτρόπως μὲν, ἀλλὰ τῶν δύο φύσεων ὑπάρχον σημαντικόν. αὐτὸς γὰρ ἑαυτὸ. ἔχρισεν. χρίων μὲν ὡς θεὸς, ὃς ἔχρισε τὸ σῶμα τῇ θεότητι αὐτοῦ: χριόμενος δὲ ὡς ἄνθρωπος, αὐτὸς γὰρ ἐστι τοῦτο κἀκεῖνο. χρίσις δὲ ἡ θεότης τῆς ἀνθρωπότητος, id eſt, *Chriſtus nomen ſuppoſiti dicimus, non ſolitariè quidem, ſed duarum naturarum ſignificatiuum exiſtens: ipſe enim ſeipſum vnxit. Vngens quidem vt Deus, qui corpus diuinitate ſua vnxit: vnctus verò vt homo; ipſe enim eſt hoc, & illud. Vnctio autem humanitatis diuinitas.*

PLVRA huiuſcemodi teſtimonia ſimul coaceruat Concilium Spalenſe 2. cap. 13. quibus duplicem Meſſiæ naturam tum aduerſus Iudæos, tum Hæreticos demonſtrat, quæ ſecundo tomo Conciliorum videri poſſunt. Hæc verò Iudæis ſufficiant. *Cōc. Spal. 2.*

Demonſtratur Meſſiæ munus propriè competere Filio Dei.

ARTICVLVS XII.

HACTENVS de duplici Meſſiæ natura diſſeruimus: vbi ſæpè Meſſiam Dei Filium eſſe diximus: ex quo noua dubitatio emergit. An Meſſiæ munus ad Filium Dei ſpectet, & qua ratione illud ipſi aſcribi debeat? quæ ſanè haud leuis eſt dubitatio: cùm æqua exiſtēte in tribus perſonis natura, æquè etiam omnia illis conuenire videantur, neq; munerum diſtinctio vlla eſſe poſſit, vbi omnimoda, ac ſimpliciſſima naturę vnitas agnoſcitur.

QVÆSTIO hæc tametſi minùs ad Iudæos ſpectet, qui Filij perſonam, ac diuinitatem negant; eatenus tamen neceſſaria eſt, quòd Iudæis Meſſię diuinitatem impugnantibus omnem anſam præſcindimus, quam ſibi vel ex Dei ſimplicitate, vel perſonarum æqualitate à nobis credita contra nos arripere valeant. Quapropter hac primùm Demonſtratione Iudæis demonſtrabimus Meſſiæ munus citra diuinæ æqualitatis præiudicium nō alteri perſonę, quàm Dei Filio competere. Altera verò perſonarum Trinitatem ſalua, ac ſarta tecta Dei ſimplicitate in diuinis

ſubſiſtere, humanis, ac diuinis teſtimoniis roborabimus.

Hic verò antequam ad demonſtrationem accedamus, Catholicè ſupponendum eſt, quod aliàs probabitur. Diuinam ſcilicet filij perſonam ita à Patris, ac Spiritus ſancti perſonis diſtingui, vt ſola potuerit hominem aſſumere, ac Meſſiæ munus exercere: nam cùm relatio, quæ in diuinis totius diſtinctionis fons eſt, & origo; tota ratio ſit, qua filij perſona à Patris, ac Spiritus ſancti perſona diſtinguitur: ad eam verò humanæ naturæ aſſumptio velut ad terminum ſiſtat; inde perſpicuum eſt, filium duntaxat humanam naturã ſibi hypoſtaticè copulaſſe, quamuis ipſum aſſumptionis opus ad omnes Trinitatis perſonas indiuiſè pertineat. Quod exemplo confirmari ſolet trium puellarum, quæ mediam ex iis veſte induunt: hæ enim tametſi tres ſint, duæque in ea induenda proprium opus exerceãt, media quoque ſeipſam induat: hæc tamen media duntaxat veſte induitur. Ita in Incarnationis myſterio intueri licet: nam tametſi tota perſonarum Trinitas ad Incarnationis opus conſpirauerit: ſola tamen media filij perſona carne induta fuit. Id etiam trium radiorum, qui à Sole fluunt, ſimilitudine declarari poteſt; qui cùm æquè lucidi ſint, eorum tamen medio per vitream feneſtram colore aliquo imbutam permeante, is ſolus coloratus apparet. Diuina ſiquidem eſſentia ac natura, Solis inſtar tres perſonas, velut radios, quibus tota ipſa continetur, in ſeipſa complectitur: in ea tametſi tres perſonæ diuinitatis luce inter ſe æquales ſint: attamen quoniam inter has ſolus filius, quæ media perſona eſt, ac velut radius à Patre procedens, ad humanam naturam variis paſſionibus coloratam tranſiit, is ſolus velut humanitate tinctus, ac mortali colore perfuſus viſus eſt.

Qvo ſuppoſito nunc ad demonſtrationem venio. Dico igitur, Meſſiæ munus propriè ad Dei filium ſpectare. Quod nonnullis rationibus ex Patrum teſtimoniis collectis facilè perſuadeo.

Prima ratio ex hominis creatione deſumitur. Homo enim cùm Dei verbo conditus ſit, æquum fuit lapſum à verbo reparari, vt ab eodem illius inſtauratio proficiſceretur, à quo prius creatus fuerat. Quæ ratio eſt Damaſceni oratione prima de Natiu. *Tantus* (inquit) *Domine in me tuus amor fuit, vt non per Angelos, aut vllam aliam creaturam ſalutis meæ negotium obieris; verùm, vt primam fictionem, ſic etiam inſtaurationẽ ipſemet efficiendã duxeris.* At dubium occurrit, quonam pacto verbum ſingularis hominum creator dici poſſit, cùm Gen. 1. hominis formatio toti Trinitati indiuiſè aſcribatur נעשה אדם בצלמנו כדמותנו *naghaſe adam betſalmenu kidmuthenu. Faciamus*

Damaſcen.

Geneſ. 1.

A *hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Illud enim verbum נעשה *naghaſe. Faciamus*, in numero multitudinis pronunciatum, perſonarum multitudinem, ac pluralitatem indicat, quæ hominis creationem perfecerunt. Non igitur ſolum verbum hominem condidit. Præterea D. Auguſt. ſententia eſt communiter à Theologis recepta, opera Trinitatis ad extra eſſe indiuiſa: qua ratione igitur aſtrui poteſt, quod Damaſcenus ait, hominem ſpecialiter à verbo conditum fuiſſe, cùm tota Trinitas hominis creationem effecerit? Auguſtinus.

B Nonnvlli Patres ſentiunt verbum idcirco hominis creatorem appellari, quod illius, ſicut & cæterarum rerum ſit cauſa exemplaris. Nam ſicut artifex priuſquam domum extruat, domus ideam, atque exemplar ſibi in animo collocat, ex qua deinde domũ conſtruit, ita diuinus artifex hominem, ac cæteras rerum naturas, non ſecus quàm per verbum mente genitum, quod rerum omnium idea, & exemplar eſt, condidit. Hanc ſententiam tuetur D. Auguſt. lib. 6. de Trinit. cap. 10. *Verbum* (inquit) *perfectum eſt, cui non deeſt* Auguſtinus.

C *aliquid, & ars quædam ſapientis Dei, plena omnium rationum viuentium. Ibi nouit omnia Deus, quæ fecit per ipſum.* Et lib. 10. de Ciuit Dei cap. 10. *In ſapientia Dei* (inquit) *ſunt infiniti quidam theſauri rerum intelligibilium, in quibus ſunt omnes inuiſibiles, atque incommutabiles rationes rerum etiam viſibilium, atque mutabilium, quæ per iſtam facta ſunt: quoniam Deus non aliquid neſciens fecit: quod neque de quolibet homine artifice rectè dici poteſt.* Atque huc ſpectat, quod ait Dauid Pſalm. 103. כלם בחכמה עשית *kullam behhachma ghaſitha. Omnia in ſapientia feciſti.* Quam ſententiam Pſal. 103.

D amplectitur quoque D. Cyrillus in Io. cap. 1. cùm per hanc genitam Patris ſapientiam omnia condita eſſe docet. Cyrillus.

Porro aliorum ſententia eſt, hominem à verbo conditum eſſe non ſolùm tanquam ab exemplari cauſa, ſed etiam tanquam ab efficienti, quod ſanè haud diſplicet. Nam, vt Theologi docent in prima ſentent. Dei verbum non tantùm intellectiuum, ſed etiam eſt operariuum rerum, quod primum ex Regio Vate probari poteſt Pſalm. 149. qui Pſal. 149. Dei verbo omnium rerum factionem tribuit הוא צוה ונבראו *hu tſiua venibraau. Ipſe dixit, & facta ſunt.* & Pſalm. 32. בדבר יהוה שמים Pſal. 32.

E *biduar Iehouah ſciamaim. Verbo Domini cæli firmati ſunt,* &c. dicere enim Dei eſt verbo operari. Deinde ex Paulo ad Heb. 1. *Portans omnia* Hebr. 1. *verbo virtutis ſuæ.* & 1. Corinth. 1. *Prædicamus* 1. Cor. 1. *Ieſum Chriſtum Dei virtutem:* vbi ſatis manifeſtum eſt, Dei virtutem eſſe efficacem, ac rerum operatricem, ac proinde cùm verbum Dei virtus à Paulo dicatur, illud eſſe rerum operatiuum.

In

In quo maximè à noſtro verbo differt, quod tantùm intellectiuum eſt. Neque enim ſi ego quippiam mente concipio, continuò illud operor; aut verbo meo illud efficio. At Dei verbum longè aliud eſt. Quicquid enim Deus verbo agendum intelligit, protiuus verbo ipſo operatur. Deus Angelos, cœlos, homines, terram, maria verbo intellexit; atque eadem accedente voluntate verbo molitus eſt. Demum quicquid Pater verbo, ac ſapientia ſua intelligit; illud verbo ſuo, quod eſt ſuamet virtus, perficit. Atque hinc frequenter Dei verbum brachium Domini appellatur, vt patet Iſa. 51. *Conſurge, conſurge brachium Domini, induere fortitudine. conſurge ſicut in diebus antiquis*: cui etiam ſuffragatur Maria Deipara in ſuo Cant cùm ait: *Fecit potentiam in brachio ſuo*, vbi brachij nomine Dei verbum intelligitur, tanquam virtus Dei rerum operatiua.

Iſa. 51.

Cvm igitur Dei verbo, quod filium Dei mente genitum eſſe diximus, tanquam operatiuæ Dei virtuti rerum creatio aſcribatur: haud mirum eſt, eidem hominis formationē tribui. Atq; vt id exēplo clarius fiat. Fingamus architectum regiam domum conſtruere velle. Is ante omnia domus ideam, ac exemplar mente concipit. Idea poſita accedit voluntas, quæ conſtruendæ domui aſſenſum præbet. At manus tandem domus ſtructuram molitur: tria hæc principia ita domui ædificandæ neceſſaria ſunt, vt horum altero ſublato, domus nunquam ædificari queat. Intellectus enim licèt domus ideam pariat, eam tamen re præſtare non poteſt, niſi voluntas accedat: voluntas ſi executiua manus vel brachij potentia careat, domum efficere non valet; ita fit, vt in homine hæc principia, ſi ſeorſim accipiantur, caſſa ſint, ac inania, ſimul verò copulata opus integrum, ac perfectum reddant.

Ita ſi hæc ad Deum quodammodo transferre licet. Cùm is regium hoc hominis opificium conſtructurus eſſet: Pater velut caput intellectu agit, ac opus mente pertractat: Spiritus ſanctus velut amor voluntate operatur, atque ad opus inclinat: at verbum velut Patris bracchium, ac virtus opus exequitur. Hæc tametſi in Deo reipſa indiuiſa ſint, tamen nihil impedit, quominùs per attributionis modum hæc ita in Deo intelligi poſſint: ideirco cùm verbo agendi virtus attribui ſoleat; hinc rectè Damaſcenus ait, hominem à verbo conditum eſſe; & inde grauiſſimè infert, cùm is peccato lapſus fuiſſet, verbo etiam inſtaurandum fuiſſe; vt ſicut primam fictionem, ſic & reſtaurationem efficeret. Cùm igitur Meſſiæ munus ſit lapſum hominem reſtituere, conſtat hac ratione, illud ad filium potiùs, quàm ad Patrem, aut Spiritum ſanctum pertinere.

Secvnda ratio. A Dei imagine in homine reformanda petitur, quæ ab alio præterquàm à Dei filio reformari non debuit. Hominem enim Dei imaginem eſſe nulli non exploratum eſt, cùm dicatur Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem*, &c. idq́ue confirmet regius Vates Pſal. 4. cùm ait. נִסָה עָלֵינוּ אוֹר פָּנֶיךָ יְהוָה *neſſa ghalenu or panecha Iehoua. Signatum eſt ſuper nos lumē vultus tui Domine:* hoc enim diuini vultus ſignum ipſa Dei imago eſt in homine inſculpta. At Dei filius cùm ſit ipſa imago Dei inuiſibilis (vt ait Paulus ad Coloſſenſ. 1.) ſanè ipſum magis decuit, hominem viſibilem Dei imaginem peccato deformatam reſtituere, quàm aut Patrem, aut Spiritum ſanctum. Quæ ratio eſt D. Ambroſij in Comment. Pſal. 118. Octon. 10. in ea verba, יָדֶיךָ עָשׂוּנִי *iadecha ghaſuni. Manus tuæ fecerunt me. Imago* (inquit) *id eſt, verbum Dei, ad eum, qui eſt ad imaginem, id eſt, hominem venit, & quærit imago eum, qui eſt ad ſimilitudinē ſui, vt iterum ſignet, vt iterum confirmet.* Quam etiam rationē pertractat Cyrill. lib. 1. in Io. c. 13. *Non erat* (inquit) *poſſibile aliter terreſtris hominis imaginē, id eſt, corruptionem, quam peccando induimus effugere: niſi cœleſtis hominis imago, & eius pulchritudo vocatione adoptionis nobis impreſſa eſſet: participes enim ipſius facti per Spiritum ſanctum, & ſuo ſignati ſigillo ad ſimilitudinem eius, & in primitiuam imaginis figuram conſcendimus.*

Gen. 1. *Pſal. 4.* *Coloſſ. 1.* *Ambroſius.* *Cyrill.*

Tertia ratio deſumitur ex ipſa hominis culpa: nam cùm mortuus eſſet homo propter culpam, is non ab alio ad vitam reuocari debuit, quàm à Dei filio, qui cœleſtis eſt medicus. Ita enim teſtatum habemus Sap. 16. *Neque herba, neque malagma ſanauit eos, ſed ſermo tuus Domine, qui ſanat*, &c. Et Dauid Pſalm. 106. יִשְׁלַח דְּבָרוֹ וְיִרְפָּאֵם וִימַלֵּט מִשְּׁחִיתוֹתָם *Iſla denaro veirphuem vimallet miſhlithothum. Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.* Quamobrem Iſaias de Meſſia agens cœleſtis Medici illi munus tribuit c. 61. *Spiritus Domini* (inquit) *ſuper me, eò quòd vnxerit me, euangelizare pauperibus miſit me, vt mederer contritis corde.* Chriſtus quoque frequenter ſeipſum Medicum appellat, vt Luc. 5. *Non egent qui ſani ſunt Medico, ſed qui malè habent.* Item Marci 2. & Matth. 9. Atque huc ſpectat illud Eliſei factum 4 Reg. 4. cùm puerum illum Sunamitidis mulieris ſuſcitauit, quod D. Aug. ad hanc rationem confirmandam affert Serm. 206. his verbis. *Puer Eliſai, id eſt, famulus typum habuit Moyſi, miſit enim Moyſem Deus cū baculo in Aegyptū; ſed baculus ſine Chriſto flagellare Aegyptū potuit: de peccato vero liberare, vel reſuſcitare non potuit. Opus erat, vt qui baculum miſerat, ipſe deſcēderet. Baculus ſine Eliſæo nihil valebat: quia crux ſine Chriſto nihil poterat. Inclinauit ſe Eliſæus, vt puerū reſuſcitaret: humiliauit ſe Chriſtus, vt mundum in peccatis iacentem erigeret. Videte quantùm vir ille perfectæ ætatis ſe contraxit, vt paruulo mortuo, ac iacenti congrueret:*

Sap. 16. *Pſal. 106.* *Iſa. 61.* *Luc. 5.* *Marc. 2.* *Matth. 9.* *4. Reg. 4* *Auguſtin.*

quia paruuli eramus, paruulum ſe fecit Chriſtus: quia mortui iacebamus, pius ſe medicus inclinauit.

Qvarta ratio eſt. Quòd cùm homines à diuina filiatione in diaboli mancipia per culpam degeneraſſent; æquum fuit, Dei filium Meſſiæ munus obire, vt homines rurſus in Dei filios adoptarentur. Hanc rationem Paulus apertè indicat ſcribens ad Galat. Galat. 4. cap. 4. *At vbi venit* (inquit) *plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret; vt adoptionem filiorum reciperemus.* & Hebr. 2. eandem clarius inſinuat ad Hebr. 2. *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per Paſſionem conſummare.* Ioan. 1. Quam etiam Ioan. 1. cap. annuit: *Quotquot* (inquit) *receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Hæc igitur cauſa fuit, cur Dei filius, non Pater, aut Spiritus ſanctus Meſſiæ perſonam ſubierit: vt qui natura filius Dei erat, plurimos Dei filios adoptione efficeret: & quos dura Satanæ ſeruitus premebat, in filiorum Dei libertatem vocaret, vt non ipſe vnicus eſſet Patri, ſed multos ſibi fratres adoptatos adſciſceret, quos ampliſſimæ ſuæ C hæreditatis conſortes haberet: vt docet Aug. Auguſtinus. tract. 2. in Io. *Vnicum* (ait) *filium Deus miſit in mundum, vt non eſſet vnicus, ſed fratres haberet adoptatos: non timuit ille habere cohæredes: quia hæreditas eius non fit anguſta, ſi multi eam poſſederint.* Rom. 8. Atque inde Paulus Rom. 8. Dei filium primogenitum vocat in multis fratribus, quod Auguſt. Auguſtin. cont. Secund. cap. 5. ita declarat. *Primogenitus eſt in multis fratribus, quos ei Pater ad fraternam ſocietatem, non æqualitate ſubſtantiæ, ſed adoptione gratiæ generauit.*

Qvinta ratio. Cùm primi illi parentes cæco ac inordinato illo ſcientiæ appetitu, D quo ad diuinam ſcientiam conſcendere geſtiebant, totam humanam progeniem peccati tenebris inuolutam, in craſſam quandam rerum diuinarum (ita vlciſcente Deo) ignorantiam demerſiſſent: planè conuenientiſſimum fuit, vt Dei filius, qui eſt ipſa Dei ſapientia, ad homines erudiendos, Meſſiæ munere fungeretur; & primas illas cæcitatis tenebras, quæ totum hominem inuaſerant, diuino ſapientię lumine depelleret. Hinc non Iſa. 55. immeritò Iſa. cap. 55. Meſſiam omnium gentium præceptorem vocat. *Ecce teſtem populis* E *dedi eum, Ducem, ac præceptorem gentibus.* Id enim futurum eſſe tempore Meſſiæ prædixerat Sophon. 3. Sophon. cap. 3. אהפך אל עמים שפה ברורה לקרא כלם בשם יהוה *ehpoch El ghammim ſciapha berurah likro kullam beſcem Iehouah. Vt reddat Deus labium electum populis, vt inuocent omnes in nomine Domini*; tunc enim terram ſcientia Domini replendam eſſe, velut inundantium fluctuum multitudine Iſaias

A teſtatur. Porrò rudes ac ignari homines, à quo rectiùs inſtrui poterant, quàm à Dei ſapientia, à qua priùs conditi fuerant: huc enim ſpectat quod ait Paul. ad Tit. 2. *Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus erudiens nos.* Tit. 2. Nam cùm mentis oculis graui illa ac denſa culpæ caligine homo excæcatos gereret; Dei filio opus erat, qui diuinæ ſapientiæ luto cæci oculos inungeret, & ab eo cæcitatis tenebras depelleret, quo cœleſte fidei lumen intueri poſſet: quod inſinuat Auguſt. tract. 44. in Ioan. *Venit Dominus* (ait) *quid fecit? magnum myſterium commendauit: expuit* Auguſtinus. B *in terra, de ſalina ſua lutum fecit, quia verbum caro factum, & inunxit oculos cæci.*

Sexta ratio. Dei filius eſt imago Patris, ac proinde totius diuinæ bonitatis, ſapientiæ, iuſtitiæ, ac perfectionis exemplar: quod nos pro modulo noſtro imitari opus erat, vt in diuinam imaginem transformaremur: ſed cùm diuinum hoc, ac inuiſibile exemplar ab homine conſpici non valeret: æquum fuit filium Dei hominem fieri, & humanam Meſſiæ perſonam induere, vt omnium oculis aſpectabile diuinum illud exemplar exhiberetur.

C Hanc rationem. D. Auguſt. ſerm. 52. de diuerſis indicat his verbis. Auguſtinus. *Homo ſequendus non erat, qui videri poterat, Deus ſequendus erat, qui videri non poterat: vt ergo exhiberetur homini, & qui ab homine videretur, & quem homo ſequeretur: Deus factus eſt homo.* Eandem inſinuat D. Greg. in cap. 33. Iob. in ea verba. Gregorius. *Si fuerit pro eo Angelus. Vitioſus* (inquit) *homo corrigi non poterat, niſi per Deum; videri autem debuit, qui corrigebat, vt præbendo imitationis formam anteacta malitia mutaret vitam.* Atque eandem confirmat lib. 29. Mor. cap. 1. *In natiuitate diuina* (ait) *Chriſtus ab huma-* D *no genere cognoſci non poterat; proinde in humanitate venit, vt videretur; videri voluit, vt imitaretur.*

Hvc videtur pertinere quod dictum fuit Moyſi Exod. 25. וראה ועשה בתבניתם אשר אתה מראה בהר *vreh vaghaſe bothaunitham aſcer atta mareh bahar. Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Nam qui imaginem aliquam ex exemplari depingit, exemplar inſpicit. Porrò filium Dei imitari quid aliud eſt, quàm filij Dei figuram ex ipſo in nobis depingere? Filium E igitur velut exemplar inſpicere debet, qui illius bonitatem, ſapientiam, miſericordiam, pietatem, charitatem, & cæteras virtutes in animum vult transferre; quod nullo modo fieri poſſet, niſi Dei filius in viſibili hominis natura cœleſte hoc exemplar nobis proponeret, ac Meſſiæ apud nos officium impleret.

Septima ratio. Lapſo homine vniuerſa ſimul cum homine corruerāt, quæ in eo velut in compendio continebantur. Porrò ad quem potius,

Digitized by Google

potiùs, quàm ad Dei verbũ ſpectat, per quod
facta ſunt omnia, humanam Meſſiæ naturam ſibi copulare, ac illius in terris munus
exercere; vt homine inſtaurato, vniuerſa
etiam cum homine reſtituerentur? Siquidem
exploratum eſt, hominem quodammodo
totius vniuerſi eſſe Epilogum. Cùm enim
quadruplex ſit creaturarum ordo, à principio ita à Deo inſtitutus, vt primus ſimplici
eſſe tantùm conſtaret. Secundus ea quæ vitam, ac vegetationem habent, amplectatur.
Tertius ſit eorum, quæ ſenſum, atque animationem ſibi vendicãt. Quartus denique ea
contineat, quæ intellectu, ac ratione prædita
sũt. In primo ordine lapides, mineralia, & cætera mixta inanimata recenſentur; quæ ſolo
eſſe contẽta ſunt. In ſecundo ſunt plantæ, arbores, & quæ vegetandi vim nanciſcuntur.
In tertio ſunt bruta, atque animalia, quæ
præter eſſe, & vitam, ſenſum etiam acceperunt. In quarto denique ſunt Angeli, & intelligentiæ, quæ ratione, & intellectu pollent. Porrò vniuerſi hi rerum ordines, in homine velut rerum omnium compendio elucebant, vt ab eo totius vniuerſi natura perficeretur: atque inde à Philoſophis μικρόκοσμος
paruus mundus appellatus eſt; quippe qui
omnia, quæ magno hoc rerum ambitu continentur, in ſe ipſo compendioſè colligeret.

At collapſo per culpam homine, velut
confracto vaſe, cuncta ſimul collapſa, ac diruta fuêre; quæ in eo continebantur. Quod
Ierem. 18. olim haud incongruè ſignificauit Ierem. c. 18.
וארד בית היוצר והנהו עשה מלאכה על
האבנים ונשחת הכלי אשר הוא עשה בחמר ביד היוצר
*vaered beth haiotſer vehinnehu ghoſe melacha
ghal haauenaim veniſhhath hakeli aſcer hu ghoſe
vahhomer betad haiotſer. Deſcendi* (inquit) *in
domum figuli, & ecce ipſe faciebat opus ſuper rotam,
& diſſipatum eſt vas, quod ipſe faciebat è luto manibus ſuis.* Homo ſiquidem vas eſt fictile, quod
Deus è luto formauerat: illud verò adhuc rerum voluente rota, per peccatum cõfractum
eſt, ac diſſipatum; cuius ruinam mox omnium rerum occaſus ſequutus eſt; an non
hæc à Dei filio inſtaurari debuit? Id non ob-
Habac. 3. ſcurè inſinuauit Habacuch 3. יהוה פעלך
בקרב שנים חייהו *Iehoua phaghalecha bekkereu
ſcianim hhaiehu. Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud.* Quodnam erat opus Dei,
niſi ipſa rerum creatio, quæ, vt diximus, opus
Diuini verbi fuit? Quid verò eſt opus Dei
viuificari, præterquàm vniuerſum, quod ante
Meſſię aduẽtum in homine corruerat, ab eo
inſtaurari, qui illius auctor, ac effictor extiterat? id enim declarãt verba illa; *opus tuũ*, quaſi
diceret, à te effictum, ac conditum: quapropter cùm ab altero præterquàm à proprio figulo confractum vas reparari non debeat, vt
habetur Hierem. loco citato. *Conuerſúſque
fecit illud vas alterum, ſicut placuerat in oculis*

A *eius.* Hoc planè modo cùm ob primi parentis culpam ingens hoc creaturarum vas admirabile verbi excelſi opus, cum homine
collapſum eſſet, atque confractum: æquum
fuit, à Diuino verbo Meſſiæ hominis functionem exercente inſtaurari. Id confirmat
Paulus ad Epheſ. 1. cùm ait; Deum inſtau- Epheſ. 1.
raſſe omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ
in terra ſunt.

Atqve huc ſpectat dictum illud Caie- Caietan.
tani in Comment. in 3. p. D. Thom. quæſt.
1. art. 1. verbi Diuini Incarnationem eſſe
eleuationem totius vniuerſi, quod clariùs
B iam antea explicauerat Ioann. Damaſc. in Damaſc.
oratione de Transfig. *Benigna* (inquit) *Patris voluntas in vnigenito filio rerum omnium connexionem effecit. Nam cùm paruus mundus homo
ſit, vt qui eſſentiæ omnis, tum in aſpectum cadentis, tum oculorum aciem effugientis, nodum, ac vinculum in ſeipſo ferat, atque hoc, & illud ſit, reuera benigna Dei voluntas hoc tulit, vt in vnigenito
filio Diuinitatis, & humanitatis, ac per eam conditarum omnium rerum connexio fieret.*

Octava ratio. Cùm homines in Adam
Dei ſcientiam plus æquo appeterent; והייתם
כאלהים ידעי טוב ורע *vihythem kelohim iod-
C ghe tou varangh. Eritis* (inquit ſerpens, cui
conſenſerunt) *ſicut Dij, ſcientes bonum, & malum*; hinc à Dei gratia, ac ſapientia exciderunt: atque à filio, qui eſt Dei ſapientia caſus occaſionem nacti fuerunt. Quamobrem
æquum fuit, eos à filio potiùs, quàm ab alio
à caſu erigi. Quam rationẽ latè expendit D.
Bernardus ſerm. 1. de aduentu. *Omnes* (in- Bernardus.
quit) *in Adam peccauimus, & in eo ſententiam
damnationis accepimus omnes: quid agat filius videns pro ſe zelare patrem, & nulli penitus parcere
creaturæ? Ecce inquit occaſione mei creaturas ſuas
Pater amittit: altitudinem meam primus An-
D gelus affectauit, & populum, qui ſibi crederet, habuit: ſed continuò Patris zelus grauiter
vindicauit in illum, percutiens eum pariter cum
omnibus ſuis plaga incurabili, caſtigatione crudeli.
Scientiam quoque, quæ nihilominus mea eſt, ſurripere voluit homo, & ne ille quidem miſertus eſt,
nec pepercit oculus eius, &c. Ergo vt ſciant, quia &
ego diligo Patrem, per me recipiat, quos quodammodo per me amiſiſſe videtur.*

Atqve huc referri poſſunt illa Ionæ
verba c. 1. *Tollite me, & mittite in mare, & ceſſabit
mare à vobis: ſcio enim ego quoniam propter me
tempeſtas hac grandis venit ſuper vos.* Peccauit
E homo diuinam ſcientiam, quæ filij propria
eſt, ſibi arrogare volens. De illo enim ait
Paul. ad Coloſſ. 2. *In quo ſunt omnes theſauri* ad Coloſſ. 2.
ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: atque inde mox horribilis diuinæ iræ tempeſtas humanum genus
exagitare cœpit. A filio orta fuerat procella,
quãdoquidem in eum homo deliquerat: mitti ergo debuit filius ex immenſa ſua erga hominem charitate in ingens pœnarum mare,

Digitized by Google

vt ſæuientem in humanum genus diuinæ vltionis tempeſtatem ſedaret. Quod etiã adnotauit Richard. Victorinus. *Quid eſt filius (ait) niſi Sapientia Dei? ſpecialiter itaque in Sapientiam peccauit, qui ſcientiam per rapinam obtinere voluit. Penſate ſi poteſtis, ex vno quàm iuſtum, ex altero quàm pium fuit, vt filij ſui iniuriam pater vindicaret, filius ignoſceret.*

Richard. Victorinus.

NONA ratio. Homo cùm Dei ſimilitudinem in ſeipſo gereret, Diuinitatis appetitu diuinam ſimilitudinem inuaſerat, atque hinc ad iumentorum ſimilitudinem delapſus eſt, vt ait Dauid Pſalm. 48. *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Ratio exigebat, vt filius, qui naturalis Patris ſimilitudo eſt, ad hominis lapſi ſimilitudinem deſcenderet, vt & illius ſimilitudinem repararet, & vtraque, & Dei, & hominis ſimilitudo in homine exiſteret. Huic rationi fauet quod ait Paulus ad Philip. 2. *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo; ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus:* quaſi diceret. Dei filius, qui in forma Dei erat; neque per rapinam, vt homo diuinam æqualitatem appetierat; ad hominis ſimilitudinem deſcendit, vt hominis ſimilitudinem, quæ in brutalem deſciuerat, ad diuinam extolleret.

Pſalm. 48.

Philip. 2.

HANC rationem acutè diſputat Richard. Victor. lib. de verb. Incarnat. cap. 10. his verbis: *Certè (ait) per præſumptionem vetiti, & quaſi per rapinam geſtiuit homo aſcendere ad ſimilitudinem Dei: vt igitur modus ſatisfactionis reſponderet modo præuaricationis: ratio exigebat, vt ruinæ noſtræ reparator, per exinanitionem deſcenderet de ſimilitudine Dei ad ſimilitudinem lapſi. Filius autem eſt imago, & figura Patris. Ipſum itaque iuxta congruum debitæ expiationis modum, oportuit deſcendere, & aſſumere ſimilitudinem hominis: vt vnus atque idem haberet ſimilitudinem Dei ex generatione diuina, & ſimilitudinem hominis ex generatione humana.*

Richard. Victor.

DECIMA ratio. Filius inter diuinas ſanctiſſimæ Trinitatis perſonas eſt medius; medius enim eſt inter Patrem, & Spiritum ſanctum. Ad illum igitur magis ſpectat mediatorem inter Deum, & hominem in Meſſiæ perſona fieri; qui natura medius eſt, quàm ad aliam perſonam. Huc ſpectat quod ait Paul. 1. ad Tim. 2. cùm Filium Dei mediatorem appellat: *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Et Rom. 8. *Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne; vt iuſtificatio legis impleretur in nobis:* neque enim poterat homo à peccato iuſtificari, niſi is qui medius in diuina natura erat, mediator pro homine in Meſſiæ perſona intercederet; & peccati pœnam idem ipſe, qui mediator erat, exolueret. Ita diſſerit Chryſoſt. tom. 3. hom. de Aſcenſ. *Vide (ait) qui medius, qui reconciliator acceſſit, non Angelus, non Archangelus, ſed ipſe filius Dei deprecatur. Et ſicut duobus virga ſeparatis, vnus in medio poſitus altercantium litem diſcordiámque diſſoluit: ita & Chriſtus fecit. Deus nobis iuſtè iraſcebatur, & contemnebamus iratum, & clementem Dominum declinabamus: & ſe medium Chriſtus ingeſſit, & ſociauit vtramque naturam, & nobis quod imminebat à Patre ſupplicium ipſe ſuſtinuit.*

1. Tim. 2.

Rom. 8.

Chryſoſtom.

VNDECIMA ratio. Opus diuinæ ſapientiæ fuit, Dei iuſtitiæ ob hominis culpam ſatisfactionis modum inuenire: neque enim ab alio, præterquàm à diuina ſapientia, debitus ſatisfactionis modus excogitari poterat: cùm igitur filius ſit ipſa Dei ſapientia, ad illum duntaxat pertinuit Meſſiæ perſonam ſubire, qua diuinæ iuſtitiæ faceret ſatis: cùm hic optimus, ac ſolus ſatisfactionis modus relictus eſſet, nam, vt ait Macharius Ægyptius hom. 20. *Tam grauiter lapſus eſt homo, vt nullus præter ſolum Dominum ſanare poſſit.* Huic rationi innititur Cyprianus lib. de idolorum vanitate, cùm ait. *Hic eſt virtus Dei, hic ratio, hic ſapientia eius & gloria; hic in virginem illabitur: carne Spiritu ſancto cooperante induitur: Deus cum homine miſcetur: hic Deus noſter, hic Chriſtus eſt, qui mediator duorum hominem induit, quem perducat ad Patrem.*

Macharius Aegypt.

Cyprianus.

DVODECIMA ratio. Æquum fuit, vt qui per verbum diaboli in mortem incurrerat, per verbum Dei ad vitam rediret; ne minùs Dei verbum in hominum ſalute præſtaret, quàm diaboli olim verbum in illorum perniciem, ac ruinam molitum fuerat. Aliæ permultæ rationes legi poſſunt apud Anſelmum lib. de Incarnatione verbi, & lib. 2. cur Deus homo: apud Athanaſium lib. de Incarnatione, Richard. Victor. de verbi Incarnatione. D. Thomam, Bonauenturam, & cæteros Scholaſticos.

Anſelmus. Athanaſius. Richard. Victor. S. Thomas. S. Bonauentura.

Trinitatis diuiniſſimæ myſterium demonſtratur primò ex Philoſophis.

ARTICVLVS XIII.

QVONIAM verò de Dei filio ac ſacroſancta Perſonarum Triade hactenus nonnullam mentionem fecimus, quæ Iudæis denſa quadam cæcitatis caligine demerſis, ac diuinarum rerum ignaris ſcandalum patit; ac propterea Chriſtianos calumniantur, quaſi inuiſam Scripturis, ac veræ fidei Deorum pluralitatem rurſus in orbem inuehant. Cùm enim Meſſiam Deum eſſe à nobis audiunt,

Dei

Dei filium à Patre miſſum, quem Spiritus ſancti opera in vtero Virginis incarnatum docemus: protinus Deorum Trinitatē à nobis velut conſtitutam opponunt. At ſanè non miranda, ſed potiùs miſeranda illorū cœcitas eſt, quam olim Iſaias præcinit cap. 6. nam vix Seraphim illi ter acclamarunt. קדוש קדוש קדוש יהוה צבאות וינעו אמות הספים מקול הקורא והבית ימלא עשן *kadoſc kadoſc kadoſc Iehoua tſebaoth, vaianu ghu ammoth haſsiphim mikkol hakkore vehabbaith immale ghaſcian. Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus exercituum:* protinus *commota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantis, & domus* B *repleta eſt fumo. Clamantibus ſiquidem*, vt ait Hieron. in Comment in Iſai. *Seraphim, & in tota terra myſterium Trinitatis prædicantibus, tunc ſcilicet, cùm poſt paſsionem Saluatoris myſterium Trinitatis terra vniuerſa cognouit: ſtatim commotum, ſiue ſublatum, vt habent* L x x. *ſuperliminare templi, & omnes illius cardines ceciderunt, Iudæorum templum repletum fumo; caligine, ac ignorantiæ tenebris.* Vt igitur hunc infidelitatis fumum à Iudæorum oculis depellamus, duo illis demonſtrabimus. Primum, in diuinis eſſe perſonarum Trinitatem: alterum, perſonarum Trinitatem cum Dei ſimplicitate non pugnare.

Hieronym.

A D primam igitur Demonſtrationem accedentes. Quemadmodum iis, qui vniuerſa rectè intueri volunt, cœleſtis Solis lux neceſſaria eſt, qua & eorum oculi illuſtrari, & ea, quæ oculis obiecta ſunt, conſpicibilia reddi poſſint. Ea verò non tota ſimul, ſed gradatim illis ſeſe offert, priùs in tenui, ac ſubobſcuro diei crepuſculo; ac deinde in clariori auroræ albeſcentis fulgore; tandem in fulgentiſſima meridiei luce. Ita planè iis contingit, qui Dei myſteria, præſertim altiſſimum Trinitatis Sacramentum inueſtigare volunt, quibus ipſa Dei lux omninò neceſſaria eſt. At verò ſicut ea non ſtatim tota emicuit, quoad hoc Trinitatis myſterium, neque ſtatim integra toto orbe diffuſa eſt: ſed tribus his gradibus ad perfectum conſcendit: vt primùm tenuiſſimo lumine velut diei crepuſculo ipſis Philoſophis illuxiſſe videatur: nam (vt ait Paulus ad Rom. 1.) *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtauit.* Clariùs deinde in priſcis ſacrarum Scripturarum monumentis ſeipſam exeruerit: clariſſimè tandem in Euangelio explicata fuerit. Ita cùm ea Iudæis modò à nobis aperienda ſit, æquum eſt tribus hiſce demonſtrationum gradibus ad perfectam huius myſterij lucem illorum mentes euehere.

P O R R Ò antequam ad Philoſophorum teſtimonia accedam; illud imprimis admonendum eſt iuxta D. Thom. p. 1. quæſt. 32. art. 1. & quæſt. 39. artic. 7. ac cæterorum Theologorum doctrinam; Trinitatis ſacroſanctæ myſterium tam longè humanum ſen-

A ſum excellere, ac hominum captum ſuperare, vt illud nemo vnquam, aut naturæ lumine, aut ratione, præterquàm Dei reuelatione, verbo, vel ſcripto prodita aſſequi potuerit: quò fit, vt quæ priſci illi Philoſophi olim leuiter, ac ſubobſcurè de illo attigerunt, ea vel ex maiorum traditione acceperint: quod prioribus illis Philoſophis fortè accidit, qui non longè à Noë, à Sem, ac cæteris illis Patriarchis, quibus haud à ratione diſſentaneum eſt credere, ineffabile hoc Trinitatis myſterium à Deo reuelatum fuiſſe: vel ex Moyſis libris hauſerint: id enim Platoni, ac B Platonicis D. Auguſtinus tribuit, quòd pleraque, atque ea præſertim quæ de myſterio Trinitatis inſinuaſſe videntur, ex Moſaicis ſcriptis collegerint. Demum ſi qui alij de hoc myſterio ſub inuolutis verborum ſalebris ſcripſerunt: id eos exaraſſe perſpectum eſt, quod ab aliis didicerant, vel quod ſcriberent, ignorarant.

P R I N C I P I O igitur à priſca illa veterum Philoſophorum Theologia exordiendum eſt, qui quò propiùs à diuina mūdi creatione abfuêre, eò rectiùs de Deo ſenſerunt. In his celebris eſt Mercurius ille Trimegi- C ſtus Ægyptius, qui ante Pharaonis tempora ſapientia floruit, de quo refert Suidas quòd propterea Trimegiſt⁹ appellatus fuerit, quòd de diuin Trinit. egregiè & ſcripſerit, & docuerit. *Mercurius* (inquit) *ter maximus: id. n. ſonat Græcè Trimegiſtos, fuit ſapiēs Aegyptius; floruit autē ante Pharaonem: appellatus autem eſt ter maximus, quoniam de Trinitate edidit oraculum: dicens in Trinitate vnam eſſe diuinitatem.* Quale verò illud oraculum fuerit mox ſequentibus verbis oſtendit. *Erat* (inquit) *lumen intellectuale ante lumē intellectuale, & erat ſemper mens mētis luminoſa, & nihil aliud erat, quàm horū vnitas, & ſpiritus omnia continens. Extra hūc nō Deus,* D *nō Angelus, nō ſubſtantia vlla alia: omnis. n. Dominus, & Pater, & Deus, & omnia ſub ipſum, & in ipſo ſunt: nam verbum eius perfectum exiſtens, & fœcundum, & opifex, lapſum in fœcunda natura, & aqua fœcunda prolificam fecit aquam.* Hæc Suidas ex Mercurio.

Suidas. Trimegiſt.

H I S verbis Trimegiſtus perſonarum in diuinis Trinitatem pandit: nam imprimis geminum illud intellectuale lumen, quorum alterum eſt altero prius: duplicem perſonam Patris, & Filij declarat, quarum naturā optimè, ac Catholicè *lucis* vocabulo explicat, E teſte Ioanne, qui de Dei natura agens illam luci comparat. *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ.* Atque is etiam à D. Iacobo Pater luminum dicitur, atque eò magis cum fide conſpirat, quò non ad corpoream, ſed ad intellectualem lucis naturam Dei naturam transfert. Quòd verò ait Trimegiſtus horum intellectualium luminum alterum altero eſſe prius, id Catholico ſenſu accipiendum eſt,

1. Ioan. 1.

Iacob. 1.

vt

v: non ad prioritatem temporis, ſed originis id referri debeat, quod à Catholica fide non diſcrepat: cùm & ipſa Eccleſia in Symbolo Niceno, ac Conſtantinopolitano id prædicet, cùm ait, Filium eſſe Deum de Deo, lumen de lumine. Rurſus duplicis mentis nomine duas has Trinitatis perſonas inſinuat, cùm ait. *Erat mens mentis luminoſa*, id eſt, Pater Filium generans: prima enim mens Pater eſt, ſecunda Filius: mens igitur mentis luminoſa eſt Pater, Filio diuinitatis ſubſtantiam communicans: nam quod eſt in lumine communicatio, id eſt in Patre generatio. Tertiam deinde Spiritus ſancti perſonam indicat, cùm ait. *Et ſpiritus omnia continens*; cui planè conſonat illud Salomonis de Spiritu ſancto eloquium. *Spiritus Domini repleuit Orbem terrarum, & hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis*: continet autem omnia Spiritus ſanctus diuinitate ſua, dum res omnes ab eo vitam, ac virtutem accipiunt, iuxta illud Dauidicum. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*. Poſtremò naturæ vnitatē deſcribit cùm ait. *Nihil aliud erat, quàm horum vnitas*. Quod perinde eſt, ac ſi diceret. Non Angeli, non dæmones, non elementa, non aliud denique erat, quàm Trinitas, id eſt, horum trium vnitas. Vnitas inquam non charitatis, non beneuolentiæ tantùm, ſed naturæ, eſſentiæ, ſubſtantiæ, Deitatis, quę in tribus vna ſemper exiſtebat.

Symbolum Nicen. — *Sap. 1.* — *Pſal. 32.*

At ne quis ſuſpicari poſſit, aliã fuiſſe Philoſophi huius mentem, quàm quę his verbis à nobis explicata ſuit; audiat eũdem diſtinctè Patris, Filij, ac Spiritus ſancti perſonas explicantem in eodem Pimandro his verbis. De Patre enim ait, ὁ δὲ νοῦς πατὴρ θεὸς. Mens verò Pater Deus. De filio, ὁ δ' ἐκ νοὸς φωτεινὸς λόγος υἱὸς θεοῦ. Ex mente lucidum verbum filius Dei: de quo alibi ſæpè loquitur, & Dei filium appellat perfectiſſimè genitum: atque eò progreditur, vt eum Patri conſubſtantialem eſſe affirmet hoc eodem capite. Οὐ διΐστανται ἀπ' ἀλλήλων. ἕνωσις γὰρ τούτων ἐστὶν ἡ ζωή: non enim (inquit) diſtant à ſe inuicem. Vnio enim horum eſt vita: & paulò infrà; ὁμοούσιος γὰρ ἦν. Conſubſtantialis enim erat. Tandem de Spiritu ſancto, & de tota Trinitate explicatiſſimè agit his verbis. Ὁ δὲ νοῦς ὁ θεὸς ἀρρενόθηλυς ὤν, ζωὴ καὶ φῶς ὑπάρχων, ἀπεκύησε λόγῳ ἕτερον νοῦν δημιουργόν, ὃς θεὸς τοῦ πυρὸς, καὶ πνεύματος ὢν ἐδημιούργησε, &c. Mens autem Deus vtriuſque ſexus fœcunditate pleniſſimus, vita, & lux cum verbo ſuo mentem alteram opificem peperit, qui quidem Deus ignis, ac ſpiritus numen. Admiranda planè verba: quibus Patrem generantem, verbum genitum, Spiritum ſanctum tanquam ignem, ac amorem ab vtroque procedentem ita apertè inſinuat, vt vix à Philoſopho maiora teſtimonia expeti valerent.

Mercur. Triſm.

Sed Trimegiſto vetuſtior Zoroaſter (is enim inter Chaldæos Abrahamo contemporaneus fuit) apertè etiam hoc Trinitatis myſterium indicauit, cuius fragmenta apud Franciſcum Patricium reperi. Is primùm Patris perſonam declarans, tanquam principium aliarum perſonarum, paternam Monadem vocat, inde Patris fœcunditatem, quoad aliarũ duarum perſonarum productionem, docet; tandem filij, ac Spiritus ſancti æqualitatem, ac conſubſtantialitatem cum Patre inſinuat his verbis. *Vbi paterna Monas eſt, ampliata eſt Monas, quæ duo generat. Dyas enim apud hunc ſedet, & intellectualibus fulget ſectionibus; & gubernare cuncta, & ordinare quodcunque non ordinatum. Toto enim in mundo lucet Trias, cuius Monas eſt Princeps.* Prima igitur fuit Monas paterna, quæ Pater eſt, prima in diuinis perſona, atque aliarum perſonarum principium. *Vbi* (inquit) *Paterna Monas eſt.* Deinde paterna hæc Monas ſeipſa fœcunda ad duarum perſonarum generationem, id eſt, productionem ſeſe extendit. *Ampliata* (inquit) *eſt Monas, quæ duo generat.* Hinc Dyas exurgit, duplex nimirum filij, & Spiritus ſancti perſona, quæ eadem cum Patre & naturę, & honoris, poteſtatiſque ſedem ſibi vendicant. Poſtremò concludit de tota Trinitate. *Toto enim mundo fulget Trias, cuius Monas eſt Princeps.* Quod perinde eſt, ac ſi diceret totam Trinitatem in mundi opificio operatam fuiſſe, licèt rerum creatio Patri tribuatur.

Zoroaſter.

Mirabile planè eſt, quàm apertè, ac Catholicè vetuſtiſſimi hi ſapiẽtes ante Chriſti aduentum, ante Moyſem, ante Prophetas, occultum hoc Trinitatis myſterium ſcriptis palàm profeſſi fuerint, quorum vix exigua, ac minutula quædam fragmenta ad nos peruenerunt: niſi quis exiſtimare malit (quod ſanè haud diſtat à vero) Zoroaſtrum, ac Trimegiſtum id myſterij non aliundè, quàm vel ab Abrahamo, cui Zoroaſter non tantùm contemporaneus fuit, ſed etiam conterraneus; vel à Moyſe accepiſſe, quibus iam à Deo reuelatum fuerat.

Iam verò quid Plato, ac Platonici de hoc Trinitatis myſterio ſenſerint, ac ſcripſerint, expendamus. Primùm quidem, ne quis fortè aliquid perperam, aut leuiter nos dicere ſuſpicetur, cùm Platonem, ac Platonicos ad hoc myſterium vocamus, teſtis eſt D. Auguſt. lib. 10. de Ciuit. Dei c. 23. Platonicos apertè de tribus perſonis ſcripſiſſe. Nam de Porphyrio Platonico agens. *Quæ autem* (inquit) *dicat eſſe principia tanquam Platonicus, nouimus. Dicit enim Deum Patrem, & Deum filium, quem Græcè appellat paternum intellectum, vel paternam mentem: de Spiritu autem ſancto aut nihil, aut non apertè aliquid dicit, quamuis*

Plato. — *Auguſt.* — *Porphyrius.*

uis quem alium dicat horum medium non intelligo. Si enim tertiam ſicut Plotinus, vbi de tribus principalibus ſubſtantiis diſputat, animæ naturam etiam iſte vellet intelligi, non vtique diceret horum mediũ, id eſt, Patris, & Filij medium. Poſtponit quippe Plotinus animæ naturam paterno intellectui: iſte cùm dicit medium, non poſtponit, ſed interponit. Et nimirum hoc dixit, vt potuit, ſiue vt voluit: quod nos Spiritum ſanctum, nec Patris tantùm, nec Filij tantùm, ſed vtriuſque ſpiritum dicimus. Conſtat igitur Auguſtini teſtimonio, Platonicos ex eorum principiis Trinitatis myſterium fateri.

Plotinus.

Plato.

A T Plato qui maiori ex parte priſcorum ſapientiæ hæres fuit, ad quem priorum Philoſophorum doctrina deuoluta fuit, inſtar multorum teſtis eſſe poteſt, quid de Trinitatis myſterio priſca illa ætas ſenſerit. Is enim in epiſt. ad Dionyſ. de Dei natura agens; primò quidem profitetur ſe per ænigmata, & inuolutè eſſe ſcripturum. Deinde ſententiam ſuam ita verbis aperit. *Circa omnium Regem omnia ſunt, & illius gratia exiſtunt omnia: illéque eſt cauſa omnium bonorum. Secundum autem circa ſecunda: & tertium circa tertia.*

Cyrillus.

H Æ C Platonis verba explicans Porphyrius apud Cyrillum adu. Iulian. ait: Platonem tres ſubſiſtentias, hypoſtaſes, ſiue perſonas conſtituere voluiſſe in Dei ſubſtantia: quæ quidem ſint velut tres in diuina ſubſtantia deſcenſus, vel diuinæ ſubſtantiæ in triplicem numerum fœcunditas: ait enim eſſe ſupremum, altiſſimúmque Deum ipſum per ſe bonum; poſt eum & ſecundum opificem; deinceps animam ſeu ſpiritum mundi, atque huc vſque Deitatem procedere: en Platonicam diuiniſſimæ Trinitatis doctrinam, qua primùm diuina ſubſtantia in tres perſonas, ac hypoſtaſes ſeipſam effundit, id eſt, manente eadem ſubſtantia trina perſonarum propagatio fit. Quid clariùs Chriſtianus Theologus de eſſentiæ vnitate, ac perſonarum numero ac diſtinctione dicere potuiſſet? Deinde diſtinctè ipſas perſonas recenſet: ac Patrem imprimis more antiquorum Philoſophorum Regem omnium, ac bonorum omnium fontem appellat; filium deinde ſecundum opificem nominat, id eſt, ſecundam à Patre perſonam; cui rerum opificium tribuitur, vnde & alibi ſæpe mentem opificem vocat; mentem inquam velut à Patris mente, velut mentale verbum genitam, à quo velut ab exemplari, ac operatiuo rerum omnium creatio profecta eſt. Denique Spiritum ſanctum animam mundi, ſeu ſpiritum appellat. Eodem enim vocabulo ἄνεμος, & ſpiritus & anima intelliguntur, & apud Latinos ſæpe pro eodem vſurpantur. Porrò quòd Spiritum ſanctum, mundi animam ac ſpiritum nominat, ea ratio eſt, quòd ſicut anima totum corpus viuificare cernitur: ita diuino Spiritu totum

A orbem viuificari, ali, conſeruari ei videbatur, iuxta illud Virgilianum carmen:

Virgilius.

Spiritus intus alit, totóſque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Mercur. Triſmegiſt.

Quod antea à Mercurio didicerat, qui in ſermone ad Aſclepium dixerat, ſpiritu agitari, ac viuificari omnem in mundo ſpeciem. Et in ſermone tertio. *Huius* (inquit) *Spiritus, de quo ſæpenumero dixi, omnia indigent: omnia portat ſecundùm dignitatem: omnia viuificat, & nutrit; & à ſancto fonte dependet: omnibus & viuentibus ſemper eſt auxiliator.* Neque id à fide diſſentaneum eſt, cùm hoc ipſum Eccleſia B in Symbolo Conſtantinopolitano profiteatur, cùm ait: *Credo in Spiritum ſanctum Dominum, & viuificantem.*

I D igitur quod Catholica fides docet; in diuinis nimirum primam perſonam eſſe Patrem, in quo omnia, ex quo omnia; & per quem omnia ſint, qui cæterarum diuinarum perſonarum principium ſit. Secundã Filium, cui tanquam exemplari rerum creatio aſcribitur. Tertiam Spiritum ſanctum, cui vita, ac rerum viuificatio tribuitur: totum (licèt ænigmaticè) vt ipſe priùs profitetur, Plato exprimit: nam quòd ad verborum illorum ex- C plicationem attinet, quibus ſecundam, & tertiam Filij, & Spiritus ſancti perſonã inſinuat: ita ex interpretatione Porphyrij accipienda ſunt, vt præpoſitio (circa) ad præcedentia, non ad poſteriora nomina referatur: ita vt reddat, circa ſecundum ſecunda, circa tertium tertia: tunc enim ſenſus eſt, quòd ſicut circa Regem omniũ, id eſt, Patrem, ſunt omnia, ità circa ſecundum Regem, id eſt, Filiũ, ita etiam circa tertium Regem, id eſt, Spiritum ſanctum. Iis autem declarare voluit Plato tres eſſe perſonas, vt dixerat Triſmegiſtus, à quibus tripliciter res defluerent. A Patre qui- D dem originaliter, veluti à totius Deitatis principio. A filio per creationem. A Spiritu ſancto per viuificationem.

Proclus.

Q V O D verò ita ſenſerit Plato (vt dictum eſt) teſtis eſt Proclus de tribus intelligentiis, qui de Amelij ſententia (cuius paulo pòſt afferemus teſtimonium) agens ait. *Has igitur tres mentes, & opifices ſtatuit Amelius, & quæ ſunt apud Platonem tres Reges, & quæ apud Orpheum tres Phanes, Vranos, Chronos.* Vides, iuxta quod à nobis expoſitum fuit, tres Reges Platonis ſententiæ tribui, quæ etiam eſt omnium Pla- E tonicorum ſententia. Sed de Platone ſatis.

Plotinus.

V E N I O ad Platonicos, inter quos Plotinus in Platonicorum familia illuſtriſſimus myſterium Trinitatis Philoſophorum more his verbis explicat. *Bonum gignit mentem, mens gignit animam.* Commune quippe fuit priſcis illis Philoſophiæ parentibus nomine boni, primi, ſummi, Regis omnium, Dei ſupremi primam Trinitatis perſonam, Patrem videlicet nuncupare. Mentem verò ipſum Filium;

A animam tandem Spiritum ſanctum, quod tum ex Trimegiſto, tum ex Platone probauimus: & fuſiùs etiam ex iis, quæ dicenda ſunt, probabimus. Hinc patet Plotinum ab antiquorum doctrina, quam de Trinitate tradiderunt, nullatenus diſſentire: cùm à bono, id eſt, à Patre mentem Filium, & à mente animam, id eſt, Spiritum ſanctum gigni affirmat: neque mirum videri debet, quòd is tum impropriè gignendi rationem ad Spiritus ſancti productionem, tum etiam ad ſolum Filium illius emanationem referat: nam vt ait Auguſt. loco ſuprà citato. Liberis B verbis loquuntur Philoſophi; nec in rebus ad intelligendum difficillimis offenſionem Religioſarum aurium pertimeſcunt: demum cùm ij omnem tanti myſterij notitiam nondum omnino aſſequuti eſſent, & vix eam ſummis labris deguſtaſſent, iis facilè ignoſcendum eſt, ſi aliquid fortè truncum, ac diminutum in hiſce myſteriis explicãdis proferant, quod nunc Plotino contingit, dum generationem Spiritui ſancto tribuit, atque eum à Filio tantùm generari tradit.

Amelius. A s t Amelium & ipſum illuſtrem Plato- C nicum audiamus, quid teſte Proclo de admirando hoc Trinitatis myſterio ſenſerit: illius enim ſcripta præter quædam quæ à Proclo ex illius dictis collecta ſunt penitus interierunt. Proclus. *Amelius* (ita ait Proclus) *triplicem facit opificem, & mentes tres, & reges tres. Eum qui eſt, eum qui habet, eum qui aſpicit. Differunt autem hi, quoniam prima mens verè eſt. Secunda eſt quidem intellectuale, quod eſt in ipſo: habet autem ante ſe, & participat omnino ipſum, & propter hoc eſt ſecunda: tertia verò eſt quidem* D *& ipſa, quod in eo intellectuale. Omnis enim mens conſociato intellectuali eadem eſt: habet autem quod eſt in ſecundo, & videt primum. Quantò enim ſit maior diſceſſus, tantò id quod habet, ſit obſcurius.* Hanc Amelij doctrinam quis non iure admiretur ita Catholica cum doctrina conſpirare, vt ab ea nullatenus niſi terminorum vſurpatione diſſideat? eo enim duntaxat à noſtra Theologia differt, quòd hæc mentis nomen ad ſubſtantialia Dei nomina transfert, illa ad relatiua, quod commune erat priſcis illis Philoſophis, qui cùm diuinas perſonas inſinuare vellent, ea ſcilicet vel men- E tium, vel numinum, vel deorum, vel opificum, vel Regum nominibus explicabãt, cùm tamen nullo modo iis propoſitum eſſet deorum pluralitatem ſtatuere, cùm ab ea omnino abhorrerent: quod ex eo patet, quòd illorum vnicam tantùm ſubſtantiam eſſe agnoſcebant: vt modò ex Amelio perſpicuum eſt, qui licèt tres mentes, Reges, ac opifices ſtatuat, omnes tamen ipſum eſſe, id eſt, ſubſtantiam, eſſentiam, naturam, participare affirmat.

P a t r e m igitur primam mentem dicit A eſſe per ſe exiſtentem, id eſt, non ab alio. En quem nos ingenitum fatemur, & aliarum perſonarum principium. Hinc illum nominat, *Eum qui eſt.* Filium deinde alteram mentem nuncupat, quæ priorem omnino participat, & ab ea quidquid eſt, habet. En Filium à Patre genitum, qui à Patre quicquid habet, per generationem accepit; ſubſtantiam, diuinitatem, potentiam, ſapientiam, poteſtatem, & cætera, quæ ad Deum conſtituendum pertinent. Inde ſecundam mentem appellari vult, *Eum qui habet:* non quòd hæc prima B illa mente vel minor, vel tempore poſterior ſit: ſed quòd ab ea originaliter in habendo pendeat. Neque id tacendum eſt, quòd vt propriam Filij emanationem declaret, qua à Patris intellectu tanquam verbum erumpit; hanc ſecundam mẽtem docet eſſe ipſum Eſſe intellectuale Patris. Poſtremò Spiritum ſanctum tertiam mentem, opificem, ac Regem appellat: quæ habet, quod in ſecundo eſt, & primum reſpicit. Quid ad declarandam Spiritus ſancti à Patre, Filióque proceſſionem vel aptiùs, vel luculentiùs dici potuit? habet, C inquit, quod eſt in ſecundo, hoc eſt, à Filio, quem ſecundam mentem appellauerat, eſſentialiter manat. Reſpicit autem primum, ſcilicet Patrem, velut primum ac fontale totius emanationis principium. Tandem hoc illud eſt, quod Eccleſia canit in Symbolo: *Qui à Patre, Filióque procedit.*

A m e l i v m ſequutus eſt Theodorus in Theodorus. Platonica familia inſignis, qui præclatè etiam de Trinitate ſcripſit; tametſi illius ſcripta ad nos nõ peruenerint: at verò de illo tradit Proclus; quòd tres vnius ſubſtantiæ iuxta prio- Proclus. D ris ſententiam opifices eſſe ſenſerit. *Tres* (inquit Proclus) *ſequutus Amelium dicit eſſe opifices Theodorus: nec eos ordinat mox poſt vnum, ſed ante deos intellectos, & intelligentes, aliúmque vocat mentem ſubſtantialem; alium ſubſtantiam mentalem: tertium fontem animarum: ac primum indiuiduum, ſecundum per omnia diſtributum; tertium facientem per ſingula diſtributionem.* Hæc Theodorus ex Proclo. Quos igitur Plato Reges, Amelius mentes, hos Theodorus opifices ſingillatim appellat. Quòd ſi ad perſonas (vt par eſt) opificis nomen referamus; E nihil præclariùs dictum. Tres enim perſonæ omnium rerum opifices veram Trinitatem efficiunt. At ne eſſentiæ vnitas deſit, quæ veræ Trinitati, quæ trium vnitas dicitur, neceſſaria eſt; horum primum vocat mentem ſubſtantialem, tanquam cæterorum ſubſtantiam, fundamentum, principium; qua Patris perſona, quæ cæterarum perſonarum principium, ac velut ſubſtantia eſt, inſinuatur. Secundum, ſubſtantiam mentalem nominat, quæ à prima mente proficiſcitur, gignitur, producitur, per modum mentis ac intellectus: quò fit, vt ſubſtãtiam mentalem idcirco

nuncupet,

nuncupet, tanquam mente conceptam: atque hac apertè Filij perſona exprimitur, ex Patris mente genita. Tertium, fontem animatum appellat, id eſt, viuificans principium: quod ſanè optimè Spiritus ſancti perſonam explicat, quæ Spiritus viuificans à Patribus appellatur.

Tres igitur hos opifices vnius naturæ eſſe declarat, cùm alterum alteri communicatum docet; atque hac ratione Patrem indiuiduum dicit, id eſt, non diſtributum ab alio, ingenitum; filium verò diſtributum per omnia: communicat enim cum vtraque perſona, cùm Diuinam naturam à Patre per generationem accipit, & acceptam per ſpirationẽ Spiritui ſancto ſimul cum Patre communicat. Poſtremò, Spiritum ſanctum facientem per ſingula diſtributionem: nam cùm is nexus ſit Patris, & Filij, complexus quidam (vt ait Aug.) & mutua ambotum amoris ſuauitas; iis ſeipſum, qui ſe illo diligunt, diſtribuit; atque inde inter homines is gratiarum, & chariſmatum diſtributor exiſtit, teſte

1. Cor. 12. Paulo 1. Corinth. 12. *Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem ſpiritum*, &c. *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult.*

Neque tamen fruſtra ait Theodorus, hos tres opifices, quos perſonarum Trinitatem ex illius ſententia annuere docuimus, ante Deos intellectos, & intelligentes eſſe collocatos. Nam Deorum intellectorum, & intelligentium nomine (vt priſcis mos erat, qui ne à vulgo diſcerperentur, Deorum nuncupationem vſurpabant) Angelos intelligit, quos idcirco in intellectos, & intelligentes diſtinguit, quòd (vt ait Dionyſius Areopagita) alij inferiores, alij ſuperiores ſint, hique in illos irradient, & ſapientiam, ac intelligentiam influant, dum illos ſupernis illuſtrationibus imbuunt: cùm igitur inferiores Angeli in ſuperiores veluti perfectiori lumine præditos intuentur; ac illorum ſapientiam intelligunt, haud mirum eſt, hos quidem intelligentes, illos verò intellectos à Theodoto appellari.

Porrò ſumma admiratione digna ſunt, quæ ante Plotinum, Amelium, Theodorum, Proclum, de huius myſterij maieſtate ſenſit, ac ſcripſit Numenius Pythagoricus in lib. de bono, his verbis. *Qui cogniturus eſt de primo Deo, & ſecundo, oportet priùs diſtinguat ſingula in ordine, & quadam animi tranquillitate. Tum ſi bene habere videatur, aggredi ad dicendum decorè, aliter abſiſtendum. Inuocato igitur Deo ſibi conſcio verbis aperire theſaurum cogitationum. Incipiamus autem ſic. Deus primus quidem in ſeipſo exiſtens, eſt ſimplex, quòd ipſe ſibi vbique coniunctus eſt, nec vnquam diuiduus. At & ſecundus Deus, & tertius eſt vnus. Verùm oportet noſſe Patrem primum Deum eſſe præ opifice Deo.*

Numenius Pythagoric.

Dei nomen ſi ad perſonæ nomen transferas, vti ſæpe dictum eſt priores Philoſophos eo ſenſu accepiſſe, tametſi aliqua licentia vſi fuerint. Iam non eſt in quo Numenij ſententiam à Catholica doctrina diſcrepare credamus. Quis enim Deus primus exiſtimandus eſt, niſi is, quem Trimegiſtus primam mentem; Zoroaſter paternam Monadem; Plato Regem omnium, primum, perfectiſſimum; Platonici primum opificem, bonum, vnum, indiuiduum; ac denium ipſe Numenius cum Catholica fide conſpirans, Patrem appellat? Hunc ergo in ſeipſo exiſtentem docet, ſimplicem, indiuiduum, ac ſibi ipſi vbique coniunctum. Nam licèt tribus perſonis Deitas communicetur, ipſa tamen vna, ſimplex, ac indiuidua manet; nec in perſonas diſpertitur; ſed prorſus ſibi ipſi coniuncta, & indiuiſibilis, tota apud omnes reſidet. Neque is ab alia perſona velut à principio pendet, ſed à ſeipſo exiſtens eſt, ac ingenitus, cęterarũ perſonarum fons, & origo. At ne quis exiſtimet ob ib Filium, & Spiritum ſanctum ab illius natura, ac ſubſtantia diſtare. *Secundus Deus* (inquit) *& tertius, eſt vnus*, ſcilicet Deus, vna Diuinitas, vna eſſentia, vna natura, vna ſubſtantia cum Patre. Sed quoniam fides in Patre fontem totius Deitatis, atque auctoritatẽ, quoad Filium agnoſcit, in Filio verò ſubauctoritatem; idcirco admonet Numenius Patrem primum Deum, ſcilicet, primam in Trinitate perſonam eſſe: poſt eum opificem Deum, id eſt, verbum, cui rerum opificium aſcribitur. Hinc liquidò patet Numenium, ac cæteros Pythagoreos, à quibus ipſe ſuam ſententiam decerpſit, nobiſcum in Trinitatis dogmate omnino eſſe concordes.

Atque hanc admirabilem Catholicæ fidei doctrinam poſt alios Platonicos tradit etiam Calcidius ſuper Timæum; vbi Platonem imitatus, qui tres illos in Diuinis Reges conſtituerat; tres ipſi Deos, priorum Philoſophorum more, vna tamen natura conſtantes affirmat, his verbis. *Vt igitur breui multa complectar, iſtius rei diſpoſitio talis mente concipienda eſt. Originem quidem rerum, ex qua cæteris omnibus, quæ ſunt, ſubſtantia miniſtratur, eſſe ſummum, & ineffabilem Deum: poſt quem prouidentia eius ſecundum Deum, latorem legis, & vtriuſque vitæ tam æternæ, quàm temporariæ. Tertiam eſſe porrò ſubſtantiam, quæ ſecunda mens, intellectúſque dicitur, quaſi quædam cuſtos legis æternæ: his ſubiectas fore rationabiles animas legi obſequentes, miniſtras vero poteſtates, naturam, fortunam, caſum, & dæmones inſpectores, ſpeculatoréſque meritorum. Ergo ſummus Deus iubet, ſecundus ordinat, tertius intimat.* Hæc Calcidius. vbi primùm agnoſcimus Calcidium trium Diuinitatem, id eſt, Trinitatem in Diuinis nobiſcum ſtatuere. Summum, & ineffabilem

Calcidius.

A Deum primo loco collocat: deinde ſecundum Deum, quem ſummi Dei prouidentiam, ac ſapientiam vocat. Tertium denique Deum, quem tertiam ſubſtantiam, & ſecundam mentem nuncupat. At licèt Catholicè (vt dictum fuit) tres Dij appellari non debeant, priſcis tamen, qui perſonæ nomen, quoad potuerunt, explicarunt (vt ſæpè diximus) ignoſcendum eſt: nam cùm iis perſonæ nomen adhuc ignotum eſſet, tametſi nomine errauerint: rei tamen fortè veritatem mente conceptam, vt potuerunt, expreſſerunt. Id ex Calcidio exploratum eſt, B qui tametſi tres Deos ſtatuat; horum tamen conſubſtantialitatem indicat, cùm vnum quidem ſummum, ac ineffabilem Deum conſtituit, à quo ſecundum, velut illius ſapientiam manare affirmat: tertium denique velut mentem ſecundam, ac Spiritum tanquam duobus procedentem, docet. Iam quis apertè horum trium conſubſtantialitatem non agnoſcat, cùm mens à ſapientia, ſapientia à mente, vtraque verò à ſummo illo Deo, in quo hæc tria ſubſtantialiter exiſtere dicit, non diſtinguantur? Certè hinc quilibet facilè diſcet, vnam eſſe horum trium C ſubſtantiam, præſertim apud hos Philoſophos, qui integram rantùm rei naturam ſpectandam proponunt, cùm in vnam omnino naturam coeant, licèt diuerſa nomina iuxta diſtincta illis attributa ſortiantur. Hæc ſanè ita conſiderata à Catholica fide non diſſentiunt, tametſi magis diſtincto, ac proprio nomine Patrem, Filium, ac Spiritum ſanctum appellare potuiſſet.

VERVM enimuerò quod ad horum nominum appellationem ſpectat, neque accuſandus eſt Calcidius quòd Patrem ſummum, ac ineffabilem Deum rerum originem D eſſe dixerit, a quo cæteris omnibus, quæ ſunt, ſubſtantia miniſtratur: nam hoc illud eſt quod de Patre ſchola Theologorum docet; eum ſcilicet primam eſſe in Diuinis perſonam, totius Deitatis, quæ tum in Filio, tum in Spiritu ſancto eſt, fontem, ac originem: ab eo ſiquidem omnis Diuina ſubſtantia in duas illas perſonas fluit, quæ licèt diſpari emanatione inter ſe, & à Patre diſtinguantur, in eadem tamen Patris ſubſtantia communicant: ita fit, vt Calcidius nihil à Chriſtiana fide, ac doctrina diſcrepet, niſi quòd tacito Patris nomine, quod Numenius E antè expreſſerat, Platonico more ſummum Deum appellat.

QVÒD verò Filium ſummi Dei Prouidentiam vocat, atque ei legis, ac vtriuſque vitæ tam temporariæ, quàm æternæ collationem defert, eo perſpicuè declarat, Filium non tantùm à Patris intellectu velut Diuinam ſapientiam, ad quam rerum omnium prouidentia ſpectat, genitum eſſe; ſed etiam hominem aliquando futurum, qui orbi nouam, ac perfectiſſimam legem conderet, vnde illuſtrior vitæ huius ſanctimonia, & æternæ felicitas comparari poſſit.

DENIQVE cùm Spiritum ſanctum tertiam ſubſtantiam, ac ſecundam mentem, intellectúmque eſſe admonet; primò quidem ſubſtantiæ appellatione hypoſtaſim, ac perſonam inſinuat, cum optimè Spiritum ſanctum tertiam in Trinitate perſonam collocat; quam mentem, ac intellectum iuxta priores Philoſophos appellat, vt illius naturam omnino incorpoream, ac intellectualem nobis proponat. Tandem ſecundam mentem nuncupat, non quidem ſecundam à primo ineffabili Deo, ſed tantùm ſecundam poſt mentem, ac prouidentiam genitam: ita vt tertium in Trinitate ordinem ſibi vendicet. Quod ipſe Calcidius poſtremò declarat, cùm harum perſonarum numerum ita diſtinguit, vt ſummus Deus iubeat, ſecundus ordinet, tertius intimet. Quandoquidem in Patre (vt Theologi docent) eſt authoritas quædam, quæ illi tanquam aliarum perſonarum principio debetur: quò fit, vt ei imperium non immeritò attribuatur, non quidem in Filium, aut Spiritum ſanctum abſolutè, cùm prorſus inter ſe æquales ſint, ac eiuſdem naturæ, & ſubſtantiæ, ſed tantùm attributiuè; ita vt ſecundùm quendam attributionis modum ordo in Diuinis perſonis conſtituatur: quò fit, vt in Patre iuxta ſacrarum literarum oracula mittendi quædam auctoritas inſideat; in Filio verò, ac Spiritu ſancto reſpectu Patris eadem non inſit. Quapropter Calcidius hanc in Patre auctoritatem, tam in Diuinis, quàm circa omnia agnoſcit, cùm ait. *Summus Deus iubet.* Filius verò cùm ſit ipſa Patris ſapientia genita, res omnes ad ſuos fines ordinat: hinc ille rerum ordinationem, ac diſpoſitionem ad Filium refert, cùm ait. *Secundus Deus ordinat.* Demum Spiritus ſanctus rerum omnia intima penetrat, peruadit, vim, atque efficaciam largitur, iuxta illud Paul. 1. Cor. 2. *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam* 1. Cor. 2. *profunda Dei*, cùm etiam is Spiritus ſit viuificans, à quo cœleſtis gratiæ in omnes vita fluit, inde ſeipſum cordibus intimè fundit, illabitur, intimat, vt in his æternam Dei legem, vnde hæc vita proficiſcitur, cuſtodiat: ita enim ait Paulus Rom. 5. *Charitas Dei dif-* Rom. 5. *fuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Atque inde Calcidius Spiritui ſancto, quem tertium Deum appellat, intimatoris, ac inhabitatoris munus tribuit, cùm ait. *Tertius Deus intimat.*

POSTREMÒ, quæ fuerit omnium Platonicorum, qui ſanè inter Philoſophos illuſtriores extiterũt, ſententia, declarat Proclus in libro de Theologia Platonis, his verbis. *Tria principia multis in locis faciunt. Bonum, men-* Proclus. *tem,*

tem, animam. Omne quod eſt mentem appellantes. Primum, ac præcipuum, & imparticipabile. Vnum vltra omnia præexiſtens, non modò vnitates eas, quæ participant; ſed etiam quæ participantur, laudatur per primam ſuppoſitionem. Quod omnium quidem ineffabiliter cauſa demonſtratur: ipſum autem in nulla re exiſtens, & ab omnibus ſegregatum nullam virtutem habens, neque proprietatem propinquam cum cæteris diis. Poſt hoc autem ſingulariter ſuperſubſtantiale, & ſupereminens, & imparticipabile ad omnes ſubſtantias. Vnitas eſt, participata quidem ab eo quod eſt, & circa ipſam primam ſubſtantiam ſubſiſtens, abundánſque adiectione participationis huius, quod primò vnum eſt. Hæc autem eſt ſuperſubſtantialis exiſtentia, & prima intelligibilis Trinitatis. Duobus igitur his exiſtentibus in prima Trinitate, nimirum vnitate, & ente, primáque gignente, ſecundo generato: & illa quidem perficiente, hoc autem perfecto: oportet ſanè mediam amborum exiſtere potentiam, per quam, & cum qua vnum ſubſtantificum eſt, & perfectiuum ipſius entis; nam & proceſſio eſt ab vno, & ab vno ipſius entis conuerſio per potentiam. Quid enim aliud cum vnitate ens, aut participatum facit vnum ab ente, quàm poteſtas? proceſſio enim eſt vnitatis, & extenſio ad ens. Trinitas igitur eſt hæc intellectualium faſtigium. Vnitas, potentia, ens. Alterum producens, alterum productum, potentia verò pendens ab vno coniuncta cum ente. Trinitas igitur hæc prima intellectualis. Vnitas, ens, & habitus amborum, per quem & vnitas entis eſt, & ens vnitatis. In his ſtupendè demonſtrante Platone, quòd & Pater mentis eſt Pater, & mens Patris, & quòd potentia occultata eſt inter ſuprema. Hactenus Proclus; quæ ſanè ita admiranda ſunt, vt vix credibile ſit, hæc à Platonicis proficiſci potuiſſe; nam quòd primùm tria à Platonicis principia cõſtituta eſſe dicit, nimirum, bonum, mentem, animam; quid horum principiorum nomine annuere velint, ſuperiùs declarauimus: iis enim trinam perſonarum diſtinctionem ſignificarunt, bonum ſcilicet Patrem, quem etiam Plato ſummum Regem nominat: mentem, Filium: animam, Spiritum ſanctum: porrò quòd vnum cum bono coniungunt, ens cum mente, potentiam cum anima: atque alio nomine altam Trinitatem in vno ente, & potentia videntur conſtituere; nomina quidem variant, ſed eandem prorſus rem retinent: nam cùm diuerſa ratione, iuxta varias illarum proprietates perſonas conſiderent: inde variis vocabulis ad eas explicandas vtuntur. Patrem ſiquidem cùm bonum appellant, eò tendunt, vt ſummam illius perfectionem, ac communicabilitatem declarent, qua bonorum omnium tam in diuinis, quàm in humanis Pater eſt: quo nomine etiam à D. Iacobo inſignitur cap. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum.* Cùm vero vnum nominant, eum totius diuinitatis fontem, ac principium inſinuant, cui vnitas competit; Filius verò ab iis mens dicitur, ad inſinuandum emanationis ſuæ modum, quo à Patre velut diuina quædam mens ſapientiſſima gignitur, quæ omnem Dei ſapientiam complectitur: ens verò alia ratione nuncupatur, quòd is ſcilicet omnium rerum exiſtentium principium ſit, & exemplar: qua ratione etiam ab ipſis Platonicis vocatur τὸ ὄν, id eſt, ipſum eſſe. Demum ſi Spiritum ſanctum ea ratione animam appellant, quòd ei rerum omnium viuificationem tribuant, eandem potentiam eſſe dicunt, vel habitum amborum, id eſt, Patris & Filij, alia ratione, nimirum quòd is amor ſit perſonalis inter has perſonas procedens, quo ſe mutuò Pater, & Filius ſuauiter complectuntur. Ita fit, vt cùm Platonici tria principia dicunt, bonum, mentem, animam; ſeu vnum, ens, & potentiam, ſiue habitum; nos nominibus, non rebus mutatis, tres perſonas Catholicè nominemus, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum.

Iacob. 1.

A

B

AT quid mirabilius, quàm à Philoſophis ipſius productionis modum, quo frequenter Theologi in Scholis ad hoc myſterium inſinuandum vti ſolent, explicari? Nam poſtquam vnius entis, ac potentiæ Trinitatem ſtatuit Proclus, addit ex Platonicorum ſententia; alterum eſſe producens, alterum productum, potentiam verò pendere ab vno coniuncto cum ente. Quid luculentius Chriſtianus Theologus dicere potuiſſet? planè id eſt, quod Theologia noſtra docet, Patrem ſcilicet eſſe producentem, Filium eſſe productum, Spiritum ſanctum à Patre, & Filio eſſe ſpiratum. Vide etiam quàm perſpicuè (quod hîc deerat) perſonarum conſubſtantialitatem explicet, cùm ait. *Trinitas igitur hæc prima intellectualis. Vnitas, ens, & habitus amborum: per quem & vnitas entis eſt, & ens vnitatis*: quaſi illud diceret, quod Eccleſia in Hymno canit: *In Patre totus Filius, & totus in verbo Pater.*

C

D

VENIO ad antiquiſſimum Orpheum Græcæ Theologiæ principem (ne Græcos ſilentio præterire videar) qui ante Philoſophos, ac Poëtas, quos priſcos Theologos vocant, inter Græcos floruit; ab eo ſiquidem & Pythagoras, & Plato ſacra diuinorum myſteria, quæ ipſe priùs ab Ægyptiis hauſerat (teſte Proclo) didicerunt. De hoc & Iuſtinus Martyr, & Cyrillus egregiè meminerunt. Hic igitur inter multa, quæ ſcripſit ſæculis noſtris admiranda; Patris, ac Filij perſonam (de Spiritu ſancto enim non niſi obſcurè agit) ita nobis teſtatas reliquit, vt nõ ab Ægyptiis, ſed à Catholicis Patribus, ac Doctoribus doctrinam decerpſiſſe videatur. Nam poſteaquam altiſſimum hoc myſterium declaraturus pro-

Orpheus.

E

fanis fores claudēdas eſſe dixit illo carmine:

Dicam queis fas eſt, claudatur porta profanis.

Ita myſterij declarationem aggreditur ad filium ſcribens, vbi inter alia hæc habet.

Inq; Dei Verbum aſpiciens huic ſemper adeſto
Defigens animi altas luces, perge viámque
Rectam, factorémque vnum nate aſpice mundi,
Immortalem; quem patrum fert fama priorum
Vnum, perfectúmque ſibi; tum perfici ab illo
Cetera, cúmque illis verſari, non tamen vllis
Cerni oculis hominum, ſed ſola mente videri.

V B I primùm ex Orphei Theologia id accipimus, Patrem ab eo Deum appellari: Filium verò verbum Dei: quod poſtea Ioannes in ſuo Euangelio clariùs expreſſit, cùm ait. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum:* ac deinde cùm huic verbo rerum creationem tribuit, ac κόσμοιο τυπωτὴν, formatorem mundi nuncupat, id perinde eſt, ac ſi diceret. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Atque vt nulla prorſus dubitatio oriri poſſit, quin Dei nomine Patrem, ſaltem materialiter intelligat, & Dei verbo ſummam Diuinitatem decernat, hoc extat illius expreſſius teſtimonium.

Te cælum (ait) *obteſtor, ſapiens opus omnipotētis,*
Vocem te Patris adiuro, quam protulit ipſe.

E N Patris nomen quod priùs à Mercurio Trimegiſto didicerat. En vocem, id eſt, Filium, ac verbum ex altiſſimi ore prodeuntem, à quo vniuerſa condita ſunt. Idem etiam in Argonautic. docet, primam ſcilicet omnium rerum parentem eſſe ſapientiam, cui (vt Spiritus ſancti perſonam inſinuet) iucundum amorem adiungit: atque hunc antiquiſſimum, ex ſeipſo perfectum affirmat, à quo vniuerſa producta, ac diſtincta fuerunt: atque inde illud Pherecidis dictum ortum fuit, quod à Proclo refertur; Deum ſcilicet, in amorem conuerſum fuiſſe, cùm mundum condere vellet.

Philo Iudæus. P O S T R E M Ò in Iudæorum gratiam lubet Philonem Iudæum inter Platonicos Philoſophos planè inſignem huc referre, vt non ſolùm Gentilium, ac cæterorum Philoſophorum concordia, ſed ſuorum, ac domeſticorum auctorum teſtimonio conuicti cedant. Is igitur in eo opere, quod inſcribitur. *Quæſtiones, & ſolutiones;* in hunc modum quærit, in ea verba Geneſ. 1. בצלם אלהים ברא אתו *betſelem elohim bara otho. Ad imaginem Dei fecit illum. Qua de cauſa* (inquit) *tanquam de altero Deo dicit. Ad imaginem Dei fecit hominem, non potiùs ad imaginem ſui? Præclarè, atque ſapienter id dixit Oraculum. Neque enim fieri potuit, vt vlla res creata ad ſimilitudinem altiſſimi, omniúmque Patris effigiaretur: ergo ad ſecundum Deum, qui eſt verbum eius. Debuit enim forma rationalis in animo hominis à verbo Diuino formari. Quandoquidem Deus qui eſt ante verbum, melior, & celſior eſt omni creatura rationali. Nam cùm in optima, ac ſeparata ſit Idea conſtitutus, non erat fas quicquam ei creatum aſſimilari.* Hæc Philonis verba tametſi nonnihil Gentilitium errorem de Deorum pluralitate redoleant: attamen ita perſpicuè (ſi Dei nomen ſaniùs ad perſonas referamus) vtramque Patris, ac Filij perſonā diſtinguunt, vt nihil de Patris, ac Filij Diuinitate clariùs, apertiúſque explicare potuerint: quò fit, vt niſi Iudæi mentis oculos graui cæcitatis caligine oppreſſos gererent, id apertiſſimè viderent. Primùm enim Patrem altiſſimum nominat; cui prolem, verbum Diuinum adiungit, quod ſecundum Deum appellat, id eſt, ſecundam perſonam, vt explicauimus.

Q V Ò D verò hominem non ad Patris, ſed ad verbi imaginem formatum eſſe dicit, Patrum teſtimonio non vacat, qui hominis formationem ad Diuini verbi, quod humanam carnem aliquando induturū eſſet, exemplar referunt. Hanc ſententiam amplectitur D. Athanaſius in quæſt. veter. teſtam. vbi ita ait. *Athanaſius.* *Prauidens Deus vnigeniti ſui Incarnationem, & humanæ naturæ aſſumptionem: cùm ſic illum, qui verus erat Deus, verum fore hominem præcognoſceret: atque vnam eandémque ſibi adorationem offerendam intelligeret, ipſe vnigenito dixit. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: non cum Angelis, ſed cum Filio ſermonem habens.* Idem ferè eiſdem verbis habet Theodoretus. *Theodor.* Demum quòd Deum ante Verbum eſſe ſentit, non ad temporis, ſed ad originis anterioritatem (vt Iudæum credere par erat, ne Deorum pluralitatem aſſereret) eum retuliſſe credendum eſt.

Philo Iud. A T non minùs præclara ſunt, quæ idem Philo in libris de agricultura ſcribit de vtraque hac Patris, ac Filij perſona. *Hæc omnia* (inquit) *ducit, ac gubernat aptiſſimè Paſtor, & Rex Deus, præfecto tanquam lege recta verbo ſuo, & primogenito Filio, qui hanc ordinis ſacri adminiſtrationem tanquam ſummi Regis magiſtratus ſuſtinet.* Vides Hebræe, Philonem Diuinum verbum Patris Filium appellare, cui rerum omnium præfectutam, & adminiſtrationem tribuit. Quòd ſi Philo hac præfectura verbum, ac Filium Patre minorem eſſe vellet, planè à fidei veritate deſciſceret: neque enim Filius inferiorem vel præfecturæ, vel magiſtratus conſeſſum à Patre obtinet: ſed parem omnino & æqualem. At ſi ita Filium rebus præfectum intelligat, vt propriam in eas poteſtatem exerceat, quam tamē à Patre per generationem acceptam habeat: in eo omnino cum Catholica fide conſpirat, quæ Filio rerum creationem, ac gubernationem tanquam æternæ Dei ſapientiæ aſcribit.

P RÆ T E R hæc, pleraque etiam alia tum ex Chaldæis, tum ex Græcis teſtimonia afferri poſſent, quæ altiſſimum Trinitatis myſterium attingunt: quò enim ſpectare poterat

Digitized by Google

tat trina illa Ægyptiorum acclamatio, qua Deum rerum omnium principium, quem tenebram appellabant, tanquam caliginoſa ſui luce circunſeptum, atque omnem creatum intellectum excellens, proſequebantur: quàm
Iſa. 6. quòd illos apud Iſaiam Seraphim tet acclamãtes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum*; imitabantur, vt triplici acclamatione tres eſſe perſonas in diuinis adorandas inſinuarent.

QVID etiam annuere poterat triplex illa verborum repetitio, quæ in Mineruæ templo apud Ægyptios inſcripta legũtur, *ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὄν, καὶ ἐσόμενον, καὶ τὸ ἐμὸν πέπλον οὐδείς πω θνητὸς ἀπεκάλυψεν. Ego ſum omne quod fuit, quod eſt, quod futurum eſt. Velum meum nemo mortaliũ hactenus reuelauit.* Quid inquam, præterquàm Trinitatis myſterium annuit, quod ſub triplici illa verborum forma latebat? cùm hac verborum paraphraſi nomen Dei ineffabile Tetragrammaton contineretur, quod tres illas exiſtentiæ differentias complectitur, iuxta Hebræorum interpretationem. Ita enim illud interpretantur. Qui eſt, qui erat, qui erit, quo Trinitatis myſterium contineri infrà demonſtrabimus. Sed vt ad Mineruæ titulum redeamus. *Qui fuit.* En Pater, prior quidem non tempore, ſed originis prioritate, quandoquidem ab eo cæteræ perſonæ originem accipiunt. *Qui eſt.* En Filius, qui à Græcis appellatur ipſum eſſe *τὸ
Ioan. c. 1. ὄν*, & apud Io. cap. 1. legitur: *In ipſo vita erat. Qui futurus eſt.* En Spiritum ſanctum, qui Filio emanatione poſterior, vltimus etiam orbi manifeſtandus erat.

SED allata hactenus Philoſophorum teſtimonia Hebræis ſufficiant, vt hinc facilè diſcant, non ita prorſus inauditam fuiſſe in orbe huius myſterij famã, quin ad ipſos quoque Philoſophos puriori naturæ lumine præditos peruenerit.

AT verò nulli exiſtimandum eſt (vt à principio diximus) illos abditiſſimum, ac planè diuinum hoc Trinitatis myſterium ſola natura duce attigiſſe, cùm eò naturæ lumen, abſque Dei illuſtratione pertingere nullo modo poſſit. Quapropter illos diuina aliqua luce illuſtratos fuiſſe credendum eſt, quam vel à Patriarchis, quibus contemporaneus fuit Zoroaſter, vel à Moyſe, cuius ætate Trimegiſtus in Ægypto floruit, vel à ſacris codicibus, quibus poſteriores Philoſophi vſi ſunt, hauſerunt. Nam exploratum eſt Græcos ſapientiam ab Ægyptiis didiciſſe, teſte Orpheo in Argonautis, qui teſtatur ſe vniuerſas, quæ prope Nilum ſunt, vrbes Memphim vſque peragraſſe, vt Ægyptiorum myſteria addiſceret. Græcos verò totam ſapientiam ſuam ab Orpheo hauſiſſe, teſtis eſt Proclus, qui omnem Græcorũ Theologiam ait eſſe Orphicæ initiationis alumnam. Ægyptij verò non niſi ab Hebræis quibuſcum diu verſati ſunt, ſacra didicerunt. Præterea Pythagoras (Strabone teſte) Ægyptios, Arabes, Chaldæos, Palæſtinos inuiſit, immò & Carmelum incoluit; vt inde diuina colligeret: idémque, vt ſcribit Hermyppus Pythagoricus, multa à Moyſis lege decerpſit. Plato etiã (teſte Plutarcho) in Ægyptum ſe tranſtulit, vbi Sechnuphim Heliopolitanum præceptorem habuit, à quo magni illius Trimegiſti doctrinam edoctus fuit.

DEMVM, quotquot altiſſimum ac ineffabile hoc Trinitatis myſterium vel ſupremis labiis deguſtarunt, vel de eo quantumuis obſcurè ſcripſerunt, id non ex naturæ riuulis, quæ per ſe ad diuiniora penetrare neſcit, ſed vel ex ſacrarum Scripturarum fontibus, vel aliunde à Deo hauſiſſe certiſſimum eſt: vt hinc diuinam ad hoc myſterium ritè capeſſendum, Hebræi fidei lucem omnino neceſſariam agnoſcant.

Idem demonſtratur ex veterum Scripturarum teſtimoniis.

ARTICVLVS XIV.

VENIO ad veterum Scripturarũ oracula, à quibus Iudæi veræ fidei, ac Religionis lucem ita ſe haurire putant, vt præter ea, quæ iis olim propoſita ſunt, aliud credere nefas exiſtiment. Demus id Hebræis, vt ſolis Hebræorum Scripturis res exagitetur. Fateor ſanè ſubobſcurè, ac multis ænigmatibus inuolutum hoc Trinitatis myſterium à Prophetis olim traditum fuiſſe; ea præſertim ratione, ne imbecilles Iudæorum animos, atque ad idololatriam procliues Trinitatis nomen offenderet, & cùm tres perſonas in Deo eſſe audirent, velut in fide paruuli, ac rudes tres deos eſſe ſibi perſuaderent. Quò olim reſpexiſſe videtur Hierem. cap. 1. cùm magna illa ſpiritus admiratione correptus exclamare cœpit אהה אדני יהוה הנה לא ידעתי דבר *ahah adonai Iehouah hinne lo iadanghti daber. A.A.A. Domine Deus, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum.* Nam cùm is Hebræi populi apud Deum perſonam gereret, quem paruulum vocat Paulus noſter, nec dum ad virilem ætatem prouectum; *Scribo* 1. Cor. 3.
(inquit) *vobis tanquam paruulis*, &c. Ea trina acclamatione Trinitatis myſterium inſinuare voluit, cui mox Dei vnitatem copulat *Domine Deus*, quod quidem adeò ineffabile illi viſum fuit, vt illud omnino ſe effari non poſſe fateatur, ea ratione, quòd puer Hebræus eſſet, ſub legis pædagogia detentus, neque adhuc in Euangelicum, ac Chriſtianum virum euaſiſſet.

AT

AT verò meminiſſe decet antiquum illud tabernaculum teſtimonij perpetuo vndique velo opertum fuiſſe: neque filios Iſraëlis in Moyſis faciem ob immenſam vultus illius claritatem, qua obrundebantur, niſi velo opertam oculos olim intendere potuiſſe: quibus ſanè Deus ſignificare voluit diuiniora legis myſteria, quæ in veteri illo Teſtamento velut grauido matris ventre continebantur, Hebræis nonniſi ſub velo, ac figurarum inuolucris propoſita fuiſſe, velut paruulis, quibus tanta vis oculis non ineraт, vt excellentiora fidei myſteria, quæ modò in Euangelica lege explicata ſunt, contemplari valerent. Quę ſanè tandiu Hebręorum oculis abſcondita eſſe debent, quandiu ſublato legis velo, in Euangelij lucem non reſpiciunt, quæ per antiqui illius teſtamẽti rimulas ſeſe (tametſi ſububſcurè) effundit.

ATQVE vt à Moyſe exordiar, is imprimis rerum creationem deſcribens, in ipſo exordio diſtinctam perſonarum Trinitatem velut delineatam relinquit dicens. בראשית ברא אלהים את השמים ואת הארץ *Bereſcith bara Eloim eth haſcimim veheth haarets. In principio creauit Deus cælum, & terram;* ita habet vulgata editio: at Hebraicè legitur. ברא אלהים *Bara Elohim. Creauit Dij.* Mirũ quidem videri debet, cur Moyſes doctiſſimus contra Grammaticorum legēs hoc loco nomen pluralis numeri cum verbo ſingulari copulauerit, cùm ita commodiùs dicere potuiſſet. *Bara Hel*, vel, *Eloa. Creauit Deus.* At plerique Patres idcirco ſentiunt Moyſem hac loquendi forma vſum fuiſſe, vt in ipſo Scripturæ ſuæ exordio, occulta quædam altiſſimi huius myſterij, quod totius fidei baſis aliquando foret, velut ſemina præiaceret: nomine enim multitudinis *Elohim*, diuinarũ perſonarum diſtinctionem inſinuare voluit; verbo autem ſingulari *Bara*, diuinæ Eſſentiæ vnitatem prænotauit: neque id myſterium tollit, quòd antiquiores ex Hebræis, vel etiam ex Catholicis doctoribus illud non obſeruauerint: nam Hebræi doctores, quibus meritò Deorum pluralitas inuiſa erat, ne ex huiuſmodi obſeruatione anſam populo ad idololatriam propenſo præberent ſuſpicandi plures eſſe Deos, ab ea obſeruatione haud mirum eſt abſtinuiſſe. Catholici verò doctores ex antiquioribus, quibus non cum Iudæis, ſed cum Gentilibus præcipua res erat, eadem planè ratione eam Scripturæ obſeruationem prætericrunt, ne recèns in iis fides concepta in diſcrimen adduceretur. At verò huius myſterij fide altis radicibus confirmata, ſana huius literæ obſeruatione reconditum Trinitatis myſterium cœpit illuceſcere. Quòd ſi aliqua his verbis improprietas ſe attollere videatur, meminiſſe debent tantæ molis eſſe hoc myſterium, vt

A veteres Scripturæ nũquam niſi fortè impro-
priè illud attingant: vt patet in teſtimoniis
Deut.6. *Audi Iſraël, Deus, Deus tuus, Deus vnus*
eſt. & Dauid. Pſ.63 *Benedicat nos Deus, Deus no-* Deut.6.
ſter, benedicat nos Deus. Vbi trina Dei appella- Pſal.67.
tione triuñm etiam Deum videntur aſſerere:
& Iſai.6. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Seraphim
ter acclamando, trinæ Deitatis opinionem Iſai.6.
videntur ingerere: quæ tamen loca Hebræi
veteres de Trinitatis myſterio expoſuerunt,
vt poſthac videbimus.

NEQVE ab hac interpretatione recede-
re valent Hebræi trita illa iam, ac obſoleta
B ratione, quòd אלהים *Elohim* fungatur offi-
cio ſingularis numeri: nam & ipſum eſſe plu-
ralis numeri, ac in numero multitudinis ſu-
mendum eſſe fatetur R. Moyſes Hadarſan
in expoſitione Gen. quæ illi aſcribitur, vbi R. Moyſes
hæc habentur. *Quæſierunt Hæretici à R. Semlat,* Hadarſ.
quot Dij creauerunt mundum? Reſpondit. Ego &
vos quæramus hoc à lege: dixerunt. Ecce ſcriptum
eſt 4. cap. Quæ eſt gens magna, quæ habeat Deos
appropinquantes ſibi, ecce duo reſſuioth, id eſt, prin-
cipia; dixit eis: legite finem verſus; Sicut Dominus
Deus noſter, in omni inuocatione noſtra ad eum,
non enim ſcriptum eſt ad eos, ſed ad eum. Aiunt
C *illi. Ecce adhuc ſcriptum eſt Iehos vlt. cap. Non po-*
teritis ſeruire Deo, quia אלהים *Elohim, Dij ſan-*
cti ipſe. Dixit eis, legite finem textus: non enim
dixit, quia Dij ſancti ipſi: ſed quia Dij ſancti ipſe.
Dixerunt iterum ei. Ecce ſcriptum eſt 2. Reg. 7. Quis
vt populus tuus, ſicut Iſraël gens vna in terra, pro-
pter quam iuerunt Dij ad redimendum? ait eis. Le-
gite quod conſequenter ſcriptum eſt, &c. Et in Be-
reſcit Ketana ſuper hunc locum ait R. Hu-
na: *Niſi hic ſermo ſcriptus fuiſſet, non licuiſſet* Bereſc. Ket.
dicere. Et creauit Elohim Dij cælum, & terram.
Ex iis liquidò conſtat, nomen *Elohim* ex He-
bræorum veterum ſententia ſemper multi-
D tudinis numero fungi: neque myſterio va-
care, cùm ſingulari verbo coniungitur. Hanc
interpretationem tuentur Magiſt. ſent. in 2.
Bellarm. Genebrard. de Trinit. cont. Ioſeph. Magiſt. ſent.
Alb. & ferè omnes Scholaſtici. Bellarmin. Genebrard.

• ORIGENES verò ex eodem Gen. loco:
ſedalia ratione, Trinitatis myſteriũ apertiùs Origenes.
docet; nam cùm Moyſes dixiſſet; *In princi-*
pio creauit Deus cælum, & terram; poſt pauca
ſubdit. *Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.*
Hinc tres Trinitatis perſonas colligit, pri-
mam Patris, quam Dei nomen inſinuat. *Crea-*
uit Deus; ſecundam Filij, cùm ait; *In principio,*
E id eſt, in verbo; tertiam Spiritus ſancti, cùm
Moyſes ſubdit, *Et ſpiritus Domini ferebatur*
ſuper aquas. Patrem enim Deum per antono-
maſiam appellari familiare eſt in ſacris lite-
ris: Dauid enim Patrem Deum antonoma-
ſticè nuncupat, cùm ait. *Verbo Domini cæli*
firmati ſunt. & alibi. נאם יהוה לאדני שב לימיני
neum Iehoua ladoni ſceu limini. Dixit Dominus
Domino meo; ſede à dextris meis. Quem locum
ita

ita vertit Ionathas, *Dixit Dominus verbo ſuo*: vt A ſuprà dictum fuit. Is enim cùm totius Diuinitatis fons ſit, ac principium Diuinarum perſonarū, ad illū antonomaſticè Dei nomē ſpectare debet; prima ergo Patris perſona Dei nomine à Moyſe ſignificatur. Tum ſecundam verbi perſonam ritè principium nuncupari ex iis quæ in ſuperiori demonſtratione diximus, facilè colligi poteſt, cùm verbo velut omnium rerum opifici rerum principium, ac creatio aſcribatur: quamobrem cùm Moyſes ait, Deum Patrem in verbo mundum condidiſſe, illud prorſus innuit, quod poſtea Dauid apertiùs declarauit, verbo ſci- B licet Domini cœlos firmatos eſſe; quódque Theologi noſtri communiter docent poſt Moyſem, & Ioannem, vniuerſa tam cœleſtia, quàm terreſtria per verbum à Patre condita eſſe. Poſtremò apertè tertiam Spiritus ſancti perſonam explicat, cùm ait. ורוח אלהים מרחפת על פני המים *Veruahh Elohim merahhephet ghal phene hammaim. Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, vel vt alia lectio habet, *calefaciebat aquas*, vt inde diuerſas rerum ſpecies produceret, formas extraheret, atque illis vim, & efficaciam tribueret. Aqua- C rum ſiquidem nomine confuſa illa rerum moles, atque indiſtinctum chaos ſignificabatur, vbi in eundem prorſus cum Dauide ſenſum conſpirat, qui huius tertiæ perſonæ munus attributum deſcribens ait. *Et Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Ita igitur ait Origenes in Geneſ. cap. 1. explicans hæc verba, *In principio creauit Deus cœlum, & terram. Quod eſt* (inquit) *omnium principium niſi Dominus noſter, & Saluator omnium Chriſtus Ieſus, primogenitus omnis creaturæ? In hoc ergo principio, hoc eſt, in verbo ſuo Deus cœlum, & terram fecit: ſicut & Euangeliſta Ioannes in initio Euangelij ſui, di-* D *cēs. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum*, &c. *Non ergo hic temporale aliquod principium dicit, ſed in principio, id eſt, in Saluatore factum eſſe dicit cœlum, & terram, & omnia quæ facta ſunt*, &c.

Origenes.

ILLVD quoque quod eodem cap. de hominis formatione legitur, non obſcurè Trinitatis ſacramentum indicat. Ibi enim iuxta vulgatam noſtram editionem ſic habetur. *Dixitque Deus; faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Hebraica verò litera ſic habet, ויאמר אלהים נעשה אדם בצלמנו כדמותנו *vaiomer Elohim naghaſſeh Adam betſalmenu kidmutenu. Et dixit Dy, faciamus hominem ſecundùm imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Duplex hîc nobis ſe offert argumentum ad hoc Trinitatis myſterium declarandum. Primum deſumitur à nomine *Elohim, Dy*, quod eſt pluralis numeri, ac multitudinem indicat. Nam vt priorem obſeruationem taceam, quæ parem hîc quoque vim habet, cùm eadem vis Grammaticæ legibus inferatur, quod ſanè myſterio non vacare credendum eſt. Qua ratione Moyſes, qui Dei vnitatem toties inculcat, modò eùm de hominis formatione agit, quod illuſtriſſimum ſolius Dei opus eſt; illam ad Deos in multitudinis numero referret, niſi occultum ſub hac loquendi forma myſterium occluderet; atque in his verbis non Deorum, ſed Diuinarum perſonarum pluralitatem contemplandam proponeret?

ALTERVM argumentum elicitur à verbo illo; *Faciamus*, quod ſingulari perſonæ minimè conuenit, niſi illud ad maieſtatis formam referre velint, qua plerumque Reges vti ſolent, qui plurale pro ſingulari numero ad propriam excellentiam oſtētandam vſurpant. At quicquid de Regibus ſentiant, illud proculdubio certum eſt, Deum in Scripturis nunquam hac loquendi forma citra myſterium vſum fuiſſe. Vbique enim in ſingulari numero ſeipſum exprimit, vt ſatis conſtat ex Geneſ. 15. *Ego protector tuus ſum*, Exod. 3. *Ego ſum, qui ſum*, & cap. 29. *Ego ſum Deus Abraham*, &c. & frequenter apud Prophetas. *Ego Dominus*, in ſingulari, nunquam in plurali. At eſto, Deo id conueniat. Quem obſecro Deus alloquitur? cum quo conſilium init? aut quem tandem operis ſocium ad hominis formationem vocat?

CONTENDVNT quidem iuniores Hebræi, Deum cœleſtem tunc Angelorum familiam conſuluiſſe: at quid inanius, ne dicam ſtultius? Quaſi verò Deus aliorum conſilio, aut opera egeat, cùm apertè Scriptura clamet. *Quis nouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?* atque id perſpicuè cum fide, ac litera ipſa pugnet? nam inde ſequeretur Angelos ad rerum creationem cum Deo concurrere, ac Dei opus, quod infinitam potentiam exigit, exercere poſſe; quod à Scripturarum fide prorſus diſſentaneum eſt, quæ Deum ſolum omnium rerum creatorem prædicat. Præterea cùm vna non poſſit eſſe Dei, & Angelorum imago, quandoquidem inter ſe natura infinitis gradibus diſtant, ad cuius tandem imaginem homo conditus eſſet? Atque ita hunc errorem refellit Procopius Gazæus in c. primum Geneſeos. *Sunt* (inquit) *qui Angelis eum loqui contendunt. Si Angelos vt ſocios Deus creationis aſciuit, certè genus creatum cum Deo increato, vel æterno condi-* E *dit hominem, ſeruúſque finxit ſeruum. Præterea quomodo poteſt opinio veſtra ſtabiliri, cùm continuò inferat.* Ad imaginem noſtram? *at non vna imago eſt Dei, & Angelorum; ſanctæ verò Trinitatis vna eſt imago diuinitùs conſiderata, & perpenſa in vnitate, vel proprietate Diuinitatis.* At egregiè Baſil. hom. 9. in Gen. hoc Iudæorum commentum refellit his verbis. *Multa ſunt, inquiunt, perſonæ, non vna, ad quas oratio Dei dirigitur. Angelis enim adſtantibus; faciamus*

Procopius.

Baſilius.

Digitized by Google

hominem dicit. Iudaicum profectò hoc eſt figmentum, & ex illorum odio in Chriſtum delira iſtius, & futilis fabulæ excogitatio deriuatiua eſt. Iſti enim vt ne vnum nempe Chriſtum admittant, innumeras introducunt perſonas; & per hoc quòd Filium habent deſpicatui, ſeruis ipſam conſultationis tribuunt dignitatem: conſeruóſque noſtros auctores noſtræ creationis efficiunt. Homo enim vt primum ſtatum aſſequitur ſuæ perfectionis, ad Angelorum rectà reducitur dignitatem. At quenam tandem creatura ſuo adæquari vnquam creatori poſſit? Conſidera autem id quod continenter ſequitur. Ad imaginem noſtram. *Quid ad hæc dicere paras? Num vna & Dei, & Angelorum imago eſt? Prorſus Filij, Patríſque forma eadem vt ſit, neceſſe. Formam* B *hic vt intelligamus, neceſſe eſt, quæ Diuinam addeceat maieſtatem; hoc eſt, non lineamentis conſtantem corporeis: ſed in peculiari numinis proprietate conſiſtentem.*

Ambroſius. C V M Baſilio conſentit D. Ambroſius lib. 6. Hexameron cap. 7. *Cui dicit Deus*, ait, faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram? *Non ſibi vtique, quia non dicit, faciam, ſed* faciamus: *non Angelis, quia miniſtri ſunt; ſerui autem cum Domino, & opera* C *cum auctore non poſſunt operationis habere conſortium: ſed dicit Filio, etiamſi Iudæi nolint, etiamſi Arriani repugnent. Sed & Iudæi conticeſcant, & Arriani cum ſuis patribus obmuteſcant, qui dum vnum à conſortio diuinæ operationis excludunt; plures inſerunt: & prærogatiuam, quam Filio negant, ſeruulis donant. Sed eſto, vt adminiculo ſeruulorum ad operandum Deus vobis indiguiſſe videatur: ſi operatio communis eſt cum Angelis Deo, nunquid Deo, & Angelis imago communis eſt? nunquid Angelis diceret.* Faciamus hominem ad noſtram imaginem, & ſimilitudinem? *Sed quid ſit imago Dei, audi dicentem.* Qui eſt D imago Dei inuiſibilis; & primogenitus vniuerſæ creaturæ. *Ipſe eſt imago Dei Patris, qui ſemper eſt, & erat in principio. Denique imago eſt, qui dicit.* Philippe, qui videt me, videt & Patrem. *Imago Dei eſt ſolus ille, qui dixit.* Ego, & Pater vnum ſumus. *Ita habens ſimilitudinem Patris, vt diuinitatis, & plenitudinis habeat vnitatem.* Eodem modo quoque Auguſti- *Auguſtin.* nus hunc locum explicat lib. 16. de Ciuit. Dei cap 6.

E x quo tertium argumentum Iudæis opponimus ex illis poſtremis verbis deſumptum. *Ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Nam cùm ibi Deus pronomine illo (*noſtram*) E multitudinem indicante vtatur, quo pacto id intelligi poteſt, niſi cum Deo alios quoque, aut Deos, aut diuinas perſonas iungamus? Cùm verò Deos multiplicari nefas ſit, planè opus eſt, vt de perſonarum diuinarum pluralitate locum exponant, ad quarum imaginem, ac ſimilitudinem homo conditus fuerit. Ita hoc argumentum illuſtrat S. Auguſtinus loco citato, *Poterat* (inquit) *& illud quan-* A *do factus eſt homo, de Angelis intelligi quod dictum eſt.* Faciamus hominem: *quia non dixit.* Faciam. *Sed quia ſequitur.* Ad imaginem noſtram, *nefas eſt credere, ad imaginem Angelorum hominem factum, aut eandem eſſe imaginem Angelorum, &* Dei: *& ideo rectè illic intelligitur pluralitas Trinitatis: quæ tamen Trinitas, quia vnus eſt* Deus, *etiam cum dixiſſet*, Faciamus. *Et fecit* (*inquit*) *Deus hominem ad imaginem Dei. Non dixit, fecerunt Dij, aut ad imaginem Deorum.*

I A M verò non habent Hebræi, quòd (vti ſolent) calumniari valeant *Elohim* ſingulari numero fungi, quoties cum ſingulari verbo B coniungitur: nam ſi ita eſſet, quid cauſæ eſſet, cur hoc loco non ſingulariter teneatur? ſi enim ſingularis locum obtineret, non *faciamus*, ſed *faciam* dicendum eſſet: neque *ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, quod multitudinem denotat, ſed *meam* aſſereretur. Cùm igitur omnia in numero multitudinis ſonent; ſanè exploratum eſt, in his Trinitatis myſterium ita agnoſci debere; vt in *Elohim* perſonarum diſtinctio eluceat. *Faciamus* verò indiuiſum trium perſonarum opus in hominis creatione inſinuet: cùm verò ait. C *Ad imaginem*, non imagines, eſſentiæ vnitatem pandat. Ita hunc locum exponit Iunilius Africanus in Gen. *Iunilius African.* *Quod dicitur* (inquit) Faciamus, *vna oſtenditur operatio trium perſonarum. In eo verò, quod ſequitur.* Ad imaginem, & ſimilitudinem nuſtram, *vna, & æqualis ſubſtantia eiuſdem Trinitatis indicatur. Quomodo enim vna eſſet ſimilitudo, & imago, ſi minor Patre Filius, ſi minor eſſet Filio Spiritus ſanctus, & ſi non conſubſtantialis eiuſdem poteſtatis eſſet gloria totius Trinitatis? aut quomodo diceretur.* Faciamus, *ſi trium in vna diuinitate non eſſet cooperatrix virtus?*

D H I S & pleraque alia ex Geneſi teſtimonia accedant, quæ diuinarum perſonarum pluralitatem confirmant. Nam Gen. 3. ita legitur. *Geneſ. 3.* *Et dixit* Dominus Deus. *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt.* Hebraicè ויאמר יהוה אלהים *vaiomer Iehouah elohim.* Dixit dij. Ac primùm quidem hac Deorum pluralitate ſæpius à nobis reperita perſonarum multitudo ſignificatur. At ea apertiùs declaratur, cùm Deus ipſe de Adamo, ſiue per ironiam (vt plerique volunt) ſiue ſeriò loquens, ait הן האדם היה כאחד ממנו *hen hadam hatah cheahhad memmenu. Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt.* Vnus enim comparatus mul- E titudini, diſtinctionem indicat, multi verò vni oppoſiti, multitudinem cum diſtinctione inſinuant: cùm igitur in voce illa, *vnus*, ſit diſtinctio, in altera *nobis*, multitudo lateat, quænam hæc in Deo, qui vnus tantummodò eſt, multitudo, ac diſtinctio eſſe poteſt; vt dicat, *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt*: Num plures dij ſunt, quorum Adam quaſi vnus euaſerit?

VANVM

A Vanvm profectò effugium quærunt,
qui ad Angelos confugiunt, vt cum iis Deum
ſermonem habuiſſe exiſtiment: quandoqui-
dem (vt ſuperiùs diximus) diſſentaneum eſt,
atque à Dei Maieſtate alienum, quòd is An-
gelos tanquam eiuſdem diuinitatis, ac Ma-
ieſtatis ſocios ſibi adſciuerit, quibus id dixiſ-
ſe deceat: neque Deum more ſummorum
Principum ſeipſum plurali numero alloqu-
tum fuiſſe ratione aliqua fulciri poteſt, vt
probat Theodoretus: cùm is non ſit Scriptu-
rarum mos, vt Deum plurali numero de
ſe loquentem inducant: vix enim trinus poſt
B hunc locus ex Scripturis offertur, vbi Deus
plurali numero de ſe loquatur: atque his om-
nibus Trinitatis myſterium inſinuatur. Pri-
Gen. 1. mus eſt Gen. 1. *Faciamus hominem*, &c. de quo
cap. 3. modò egimus. Secundus eſt cap. 3. *Faciamus*
cap. 11. *ei adiutorium ſimile ſibi.* Tertius eſt c. 11. *Venite,*
deſcendamus, & confundamus linguam eorum:
de quibus infrà agemus.

Restat igitur, vt hæc Dei verba ad
perſonarum Trinitatem referri debeant, ſi-
cut etiam priora illa. *Faciamus hominem ad*
imaginem, &c. & alia ſecundi capitis; *Facia-*
mus ei adiutorium ſimile ſibi, quibus indiuiſa
C Trinitatis operatio oſtenditur tã in hominis,
quàm in mulieris formatione. Porrò quòd
Deus ſingulariter ait. *Quaſi vnum ex no-*
bis: neque generatim loquitur; *quaſi nos*,
eo Filij perſonam indicare voluit, cuius
ſcientiam, atque æqualitatem Adam appe-
tierat, vt patet ex verbis ſerpentis. *Eritis ſi-*
cut Dij ſcientes bonum, & malum; quibus Deus
his verbis, *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis fa-*
ctus eſt, alludere voluit. Quapropter ex
hoc teſtimonio Trinitatis myſterium clarè
Rupertus. euincit Rupertus lib. 3. commentar. in Ge-
neſ. cap. 28. *Quid eſt* (inquit) *quaſi vnus ex*
D *nobis factus eſt? quaſi Deus factus eſt: eadem enim*
Trinitas hîc loquitur, quæ & ſuperiùs loquuta eſt;
pluraliter dicendo, Faciamus hominem ad imagi-
nem & ſimilitudinem noſtram. Eadem inquam
Trinitas hîc oſtendit, qualis Adam vitio ſuo fa-
ctus ſit, qua ſuprà propoſuerat; qualem illum facere
voluerit. Dicit ergo: Quaſi vnus ex nobis, nempe ex
tribus perſonis Trinitatis. Vnus eſt Pater, vnus eſt
Filius, vnus eſt Spiritus ſanctus, & hi tres vnum
ſunt: alius eſt enim Pater, alius Filius, alius Spiritus
ſanctus. Adam ergo, inquit Dominus Deus, qua-
ſi vnus ex nobis factus eſt, vt iam non ſimus
nos Trinitas, ſed quaternitas: quamquam non cum
E *Deo Deus, ſed contra Deum affectauerit eſſe*
Deus. Quod etiam ante Rupertum ſenſit
Auguſt. lib. vndecimo de Geneſ. ad literam
cap. 39.

Alterum quoque teſtimonium eſt
Gen. 11. Gen. 11. vbi Deus Babelicæ molis opus im-
perfectum fore decernens ait. הבה נרדה
ונבלה שם שפתם *hava nerda venaulah ſciam*
ſcephatham. Venite, deſcendamus, & confunda-
mus ibi linguam eorum. Quæri igitur poteſt
ab Hebræis, quinam illi ſint, quos Deus ad
hoc opus aggrediendum ſocios vocat? nam
ſi ad Angelos, vt ipſi ſentiunt, hæc Dei verba
referenda ſunt; quo ſocietatis iure illos
Deus ſibi ſocios adhibet illis verbis? *Venite,*
ac ſi diceret, mecum ſocij ac operis conſor-
tes, *deſcendamus*, pariter, *& confundamus*, no-
ſtra potentia, ac virtute *linguas eorum*, ne opus
perficiant. Quis Dei maieſtate indignum
non iudicet, Angelos Deo vel in opere, vel in
potentia, ac virtute aſſociari? Quòd ſi Ange-
lis id muneris imperare voluit, cur non di-
B xit; Ite, deſcendite, confundite, quod Deum
magis decebat? At ſi linguas confundere (vt
Caietanus ſenſit) ſolius Dei opus eſt, ſicut il-
lius proprium agnoſcitur, linguas inſtruere:
quomodo ad proprium Dei opus Angeli vo-
cantur?

Dicent, Angelos tanquam Dei coo-
peratores vocari. At Angelorum coopera-
tio finem potiùs, quàm ipſum opus reſpi-
cit. Idcirco enim Angeli Dei cooperato-
res dicuntur, quòd ad finem operis à Deo
propoſiti aſſequendum ſuum miniſterium
exhibent: atque hac ratione à Paulo admi-
C niſtratorij ſpiritus vocantur, in miniſterium
miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt
ſalutis: nam cùm hominum ſalus à Deo
intenta ſit; huic Angeli proprium mini-
ſterium exhibent, vt qui præordinati ſunt,
ſalutem aſſequantur. At Angelos Deo, in
ipſo opere, quod vel ad Deum tantùm ſpe-
ctat, vel Deus ipſe illud aggreditur, coope-
rari nemo (vt arbitror) vnquam dicet; cùm
Deus ad proprium opus exercendum An-
gelorum opera non indigeat. Nam tametſi
ſæpè Angelorum miniſterio vtatur, qui
proprio opere Imperatoris ſummi iuſſa
D exequuntur; ſæpè tamen ipſe quoque Deus
per ſe aliqua operatur. Cùm verò operi
alicui manum Deus admouet, nullos ſi-
bi in eo opere cooperatores vocat, ne
aliorum auxilio videatur indiguus. Quam-
obrem cùm Deus horum ædificantium
linguas confundere, atque huius operis
auctorem ſe eſſe velle declaret, videntur ſa-
nè fruſtra huc Angeli velut cooperatores
vocari.

Igitvr ad myſterium Trinitatis inſi-
nuandum illa Dei verba pertinere credi-
mus, vt Auguſt. ſentit de Ciuit. Dei libr. de-
E cimoſexto, cap. ſexto. *Poteſt* (inquit Auguſt.) August.
quod ſic dicitur, exponi de ſancta Trinitate, tan-
quam Pater dixerit ad Filium, & ad Spiritum
ſanctum; Venite, & deſcendentes confundamus
linguam eorum. Quam ſententiam etiam ſe-
quitur Rabanus, Gloſſa interlinearis, & Ru- Rabanus.
pertus libro quarto, Comment. in Geneſ. Gloſſ. inter. Rupertus.
cap. quadrageſimoſecundo, his verbis. *Pro-*
inde cùm dixit pluraliter: Venite, deſcendamus,

confundamus, non Angelorum multitudines ad auxilium cohortatur: ſed ad feriendam ſuperbiam ſe adeſſe teſtatur tota Trinitas vnus Deus: *quod ex oppoſito remedio magis liquet. Vbi enim in ore Apoſtolorum omnia reuocantur genera linguarum: eadem Trinitas ſeſe aperit hominibus, & ea die primùm in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti homines baptizantur; quæ vera ſtructura eſt altiſſima turris, qua in cælum homo conſcendit, cum* Deo *regnaturus.*

ALIVD præterea illuſtriſſimum teſtimonium eſt, quod habetur Gen. 18. vbi ſic legitur (Gen. 18.) וירא אליו יהוה באלני ממרא והוא ישב פתח האהל כחם היום וישא עיניו וירא והנה שלשה אנשים נצבים עליו וירא וירץ לקראתם מפתח האהל וישתחו ארצה *vaira elau Iehouah beeloni mamre vehu ioſceu phethahh haohel kehhom haiom vaijſcia ghenau vaiare vaiarats likratham mippethahh haohel vaijſtahhu artſa. Apparuit Dominus Abrahæ in conualle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui, in ipſo feruore diei. Cúmque eleuaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum, quos cùm vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum, & adorauit in terram, & dixit,* Domine *ſi inueni gratiã in oculis tuis*, &c. Vbi primo loco obſeruandum eſt, quòd Moyſes dicit Deum, non Angelos Abrahæ apparuiſſe. Hebraicè enim habetur וירא יהוה *vaira Iehouah*. Apparuit Deus: ita vt nullo modo in diſcrimen vocari poſſit; an hæc Abrahæ apparitio de Deo, an de Angelis intelligenda ſit, cùm litera apertè teſtetur, eam de Deo intelligi debere. Deinde Moyſes viſionem aperiens, ait tres viros illi apparuiſſe. Planè haud lubet in diſputationem ducere; an illi tres reuerà viri fuerint, aut viri tantùm ſpeciem geſſerint: vel ij Angeli fuerint, qui poſtea Sodomam ſubuertunt. Id profectò certum eſt, cùm Moyſes dicat hîc Deum Abrahæ apparuiſſe, idque litera non ſemel confirmet, cùm infrà ſæpius repetit ויאמר יהוה אל אברהם *vaiomer Iehouah el auraham*, &c. *Et dixit Dominus ad Abrahã, quid eſt hoc*, &c. Item ויהוה אמר המכסה אני מאברהם *vaihoua amar hamchaſe ani meaurahaam. Dixit Dominus, nunquid celare potero Abraham*, &c. Item: *Et dixit* Dominus, *clamor Sodomorum; & Gomorrheorum venit ad me*, &c. Vbi ſemper יהוה *Iehouah*, quod eſt nomen Dei ineffabile, repetitur: cùm trium virorum Abraham aſpectu potitus eſt, Deũ ipſum ſibi viſum fuiſſe dicit.

CVR autem trium virorum ſpecie Deus apparuerit, ſanè alia ratio reddi non poteſt, quàm quòd Trinitatis myſterium Abrahæ inſinuare voluit, qui Pater fidei, ac multarum gentium futurus erat. Siue ergo tres in Trinitate perſonæ tres virorũ ſpecies aſſumpſerint: vel ij tres Angeli extiterint, à Deo miſſi certo certius eſt, ea virorum trinitate, ſummam ac diuinam Trinitatem Abrahæ demonſtratam fuiſſe. Quæ eſt Origenis ſententia hom. 2. in Cant. Canticorum. (Origen.) *Quid enim aliud* (inquit) *fiebat tunc, cùm apparuerunt tres viri Abrahæ ſedenti ad quercum Mambre; licèt illa Angelorum ſpecies plus aliquid quàm Angelicum oſtenderit miniſterium? nam Trinitatis ibi myſterium prodebatur*; quam etiam ſequitur Rupertus lib. 5. comment. in Gen. c. vltimo, & (Rupertus.) fere eſt omnium Patrum communis.

NEQVE prætereũdum eſt teſtimonium illud quod legitur Geneſ. 19. ויהוה המטיר על סדם ועל עמרה גפרית ואש מאת יהוה מן השמים *vaihoua himtir ghal ſedom veghal ghamora gapherith vaeſc meeth Iehouah min haſciamaim. Igitur* Dominus *pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem à* Do*mino de cælo*; quo olim aduerſùs Iudæos, & Hæreticos pleriqne Patres vſi ſunt. Vbi vtrobique habetur *Iehouah, pluit Iehouah à Iehouah.* Gemina enim illa Dei repetitio, qua Deus à Deo pluere dicitur, cùm non fruſtra poſita ſit, diſtinctionem quandam indicat inter Deum pluentem, & Deum, à quo pluit; quæ cùm idcirco Deorum eſſe non poſſit, quòd ab ea fides omnino abhorreat, certè perſonarum eſſe opus eſt Neque ignoro nonnullos hanc dicendi formã ad Hebraiſmum, ac ſermonis Hebræi elegantiam referre, quaſi id annuere vellet Moyſes, *Dominum à Domino*, id eſt, à ſeipſo pluiſſe. Alios verò, vt Oleaſtrum, & Caietanum, ita verba illa interpretari, vt vox illa, *à* Do*mino*, tantummodò poſita ſit ad diſtinctionem conflagrationis naturalis, qua ardet aliqua pars terræ, cui contingit incendium ex inferioribus: atqui ad id declarandum ſatis fuiſſet dixiſſe, *de cælo*, neqne neceſſaria erat illa vox, *à* Do*mino*: neque illud ad Hebraiſmum, aut ſermonis elegantiam referre poſſunt, cùm huiuſmodi alibi non legatur. Eſſet quidem ſermonis elegantia, ſi Deus cum aliis de ſeipſo loquens, ſeipſum Dominum appellaret, vt Hierem. 2. (Hier. 2.) ודעי וראי כי רע ומר עזבך את יהוה אלהיך ולא נאם אדני יהוה *vdghi vri ki rangh vamar ghazbech eth Iehouah elohaich velo, neum adonai Iehoua. Scito & vide, quia malum, & amarum eſt dereliquiſſe te* Dominum Deum *tuum, dicit* Domi*nus*, &c. Et c. 3. אך דעי עונך כי ביהוה אלהיך פשעת *ach deghi ghauonech ki bahoua elohaich paſciaghat. Veruntamen ſcito iniquitatem tuam, quia in* Dominum D*eum tuum præuaricata es, ait* Domi*nus.* & alibi ſæpiſſime: at cùm Propheta de Deo loquitur, Dei nomen ita ingeminare, vt in eo diſtinctionem pariat, non tam nulla eſt ſermonis elegantia, quàm potiùs latens ibi myſterium perpẽdendum ſe offert. Quapropter hinc Trinitatis myſterium olim aduerſùs Iudæos, atque Hæreticos demonſtrarunt Iuſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, Tertullianus, & Cyprianus contra Iudæos, Irenæus contra hæreſes, Euſebius lib. 5. (Iuſtinus. Tertullian. Cyprianus. Euſeb. Cæſ.) de

Digitized by Google

Hilarius. Cyrillus. Conc. Syrm. de Demonſtr. Euang. Hilarius lib. 5. de Trinitate, Cyrillus lib. 1. contra Iulian. His tandem accedit Syrmienſe Concilium Can. 16. quod eiuſmodi expoſitionem tenendam præcipit his verbis. *Si quis illud quod ſcriptum eſt, Pluit Dominus à Domino, non de Patre, & Filio perceperit; ſed Deum Patrem à ſeipſo pluiſſe dixerit. Anathema ſit. Pluit enim Dominus Filius à Domino Patre.* De cuius Concilij auctoritate dubitandum non eſt, cùm in eo Photinianæ hæreſis damnatio conclamata fuerit; atque eidem D. Hilarius calculum præbeat.

IDEM Moyſes perſonarum in Diuinis Trinitatem videtur illi verbis annuere quæ habentur Deuter. 6. *Audi Iſraël, Dominus Deus noſter, Deus vnus eſt*, Hebraicè שמע ישראל יהוה אלהינו יהוה אחד *ſcemangh Iſraël Iehouah elohenu Iehouah hehhad.* Vbi obſeruandum eſt ter Moyſen hîc Deum nominare, cùm ſemel tantùm nominare potuiſſet: nam illi ſatis fuiſſet dicere: Audi Iſraël, Deus vnus eſt. Porrò ter Deum appellat, vt trina illa appellatione perſonarum Diuinarum Trinitatem occulto quodam myſterio pandat. At ne triplicem Deum aſſerere videatur, mox illarum in vna Deitatis natura ſubſiſtentiam annectit, *Deus* (inquit) *vnus eſt.* Vide quàm præclaris verbis maximum Chriſtianæ fidei myſterium occultum inſinuet.

AT ne Iudæis fabulas, vel Chriſtianorum ſomnia (vt aiunt) videamur venditare: teſtem illis locupletiſſimum adhibeo Simeonem Benioachai inter Iudæos expoſitores vetuſtiſſimum qui in libro Zoar hæc Deuteronomij verba ita interpretatur. *Ait* (inquit) *R. Ibba. Hic eſt ô Iſraël antiquus Iehouah Deus, qui eſt principium omnium rerum, antiquus antiquorum, hortus radicum, & omnium rerum perfectio, & dicitur Pater. Elohenu, id eſt, Deus noſter, profunditas fluminum, & fons ſcientiarum, quæ procedunt ab illo Patre. Et Filius vocatur Iehouah Deus. Hic eſt Spiritus ſanctus qui à duobus procedit, & vocatur menſura vocis. Vnus eſt, vt vnum cum alio concludat, & colliget. Neque enim alius ab alio diuidi poteſt. Et propterea ait. Schema, hoc eſt, congrega Iſraël hunc Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, eúmque fac vnam eſſentiam, vnámque ſubſtantiam, quia quicquid eſt in vno, eſt in alio. Totus fuit, & totus eſt, totúſque erit.* Quid hac explicatione admirabilius? quid grauius? quæ ſanè non Iudæo, ſed Chriſtiano, ac perfecto homine digna cenſenda ſit: quam modò nobis Iudæi calumniam parare valent, cùm non Chriſtianos, aut Catholicos, ſed Iudæos, atque ipſos grauiſſimæ auctoritatis homines Trinitatis aſſertores opponimus? aut quomodo noſtram huius loci explicationem reſpuere audent, quam doctiſſimus inter eos Rabbinus ita ſuo teſtimonio, ac auctoritate confirmat, vt nihil quod ad ritè tantum hoc Trinitatis myſterium declarandum pertineat, addendum videatur? Ita quoque hunc locum exponit inter Catholicos Euthym. in c. 12. Marci.

AD Iſaiam venio, qui hanc perſonarum Trinitatem non leuiter attingit cap. 6. vbi duos illos Seraphim ante Dei maieſtatem clamantes refert. *Et clamabant* (inquit) *alter ad alterum; Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* Trina acclamatio trinam Diuinarum perſonarum diſtinctionem ſignat, quæ cùm vnica illa & ſingulari Domini Dei exercituum voce concluditur, eſſentiæ vnitatem in qua tres illæ perſonæ conueniunt, oſtendit: neque à vero diſſentiunt, qui duos illos Seraphim duo teſtamenta interpretantur, quæ in hanc Trinitatis fidem conſpirant. Iſai.6.

HANC expoſitionem tradunt R. Simeon Benioachai in libro Zoar, vbi explicans hunc locum Iſaiæ, *Sanctus hic*, ait, *eſt Pater, Sanctus hic eſt Filius; Sanctus hic eſt Spiritus ſanctus*: & R. Ionathas Benuziel in Paraphraſi Chaldaica in hunc locum ait. *Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus ſanctus.* Ita teſtatur Galatinus lib. 2. cap. 1. de Arcanis Catholicæ veritatis ſe in antiquiſſimis manuſcriptis Libris legiſſe. Quapropter non immeritò Origenes hom. 4. in Iſaiam hinc teſtimonium ad inſinuandum Trinitatis myſterium colligit, cùm ait. *Ob id alter ad alterum clamabant, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Non eis ſufficit ſemel clamare Sanctus, neque bis, ſed perfectum Trinitatis numerum aſſumunt, vt multitudinem ſanctitatis manifeſtent Dei, quæ eſt trina ſanctitatis repetita communitas, Sanctitas Patris, Sanctitas vnigeniti Filij, & Spiritus ſancti.* Eandem expoſitionem ſequuntur Hieronymus, & Cyrillus in hunc locum. Dionyſius de cœl. Hierem. c. 7. Baſil. lib. 3. de Spiritu ſancto. Athanaſ. de Incarn. verb. Auguſt. de fide ad Pet. Gregor. libr. 29. Moral. cap. 16.

R. Simeon Benioachai. Zoar. R. Ionathas Benuziel. Galatinus. Origenes.

VERVM ante Eſaiam Regius Vates eandem quoque Diuinarum perſonarum diſtinctionem declarat Pſal. 33. בדבר יהוה שמים נעשו וברוח פיו כל צבאם *biduar Iehoua ſciamaim naghaſu vuruahh phiu col ſebaã. Verbo Domini* (ait) *cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Siquidem certum eſt tum apud Iudæos, tum apud Catholicos opus creationis totius vniuerſi à Deo manaſſe. Catholici verò rem accuratiùs expendentes illud toti Trinitati indiuiſè tribuunt, ea potiſſimùm ratione, quòd huiuſmodi opus, cùm externum ſit, ab eſſentia perſonarum mediatione fluat: quò fit, vt cùm eſſentia in tribus perſonis indiuiſa ſit, illud neceſſariò à tribus perſonis manare debeat. Neque hæc Iudæis dura nimiùm res videri debet, cùm hoc loco Dauid & creationis opus, & diuinarum perſonarum Trinitatem operi incumbentem, & indiuiſam illarum operationem luce Pſal.33.

Simeon Ben ioachai. Zoar.

clatiùs exponat. Nam cùm primo loco dicit cœlos Dei virtute eſſe firmatos, rerum creationem aperit; cœli enim nomine etiam ſub cœlo contenta complectitur. Deinde cùm ait hanc creationem verbo Domini, & Spiritu oris eius perfectam fuiſſe; Trinitatem ſimul, ac illius indiuiſum opus oſtendit. Verbum namque ipſum Filij perſonam è Patris intellectu genitam declarat: cùm autem hoc verbum Domini, id eſt, Patris eſſe addit, diſtinctam tunc à Filio generantis Patris perſonam eſſe docet. Demum cùm ſubdit, Spiritu oris eius ornatum toti vniuerſo acceſſiſſe, tertiam Trinitatis perſonam à Patre, Filióque procedentem inſinuat. Os enim ac ſapientia Patris eſt ipſe Filius. Quamobrem cùm Spiritum ſanctum affirmat eſſe Spiritum oris Domini, perinde eſt, ac ſi diceret Spiritum ſanctum à Patre, & Filio procedere.

Moyſes Hadarſan.

ATQVE hanc huius loci expoſitionem ne à nobis confictam eſſe Iudæi ſuſpicentur; probant inter alios R. Moyſes Hadarſan in lib. Gen. cap 42. ſuper illud. *Ioſeph ipſe potens ſuper terram.* Inquit. *Ita legitur R. Eleazar dixiſſe, non eſt creatus mundus, niſi verbo* Dei *ſancti benedicti, ſicut dictum eſt in Pſalm. 33. verbo Dei cœli facti ſunt; vbi & R. Simeon dixit; ſpirauit Deus Spiritum oris ſui, & creatus eſt mundus, ſicut dictum eſt Pſalm. 33. Et ſpiritu oris eius omnis exercitus eorum.* Hæc traditio. Ex qua cùm id colligatur, Deum, Verbum, & Spiritum in mundi productione concurriſſe, his apertè Trinitatem prædicant, quæ ex Patre, Verbò, vel Filio, ac Spiritu ſancto cõſtat. Hinc

Martialis.

Martialis Ep. ad Burdegal. c. 10 ex hoc Dauidis teſtimonio veram Trinitatem docet. *Verbo* (inquit) *Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Itaque nihil diſcretum in diuinitate Trinitatis ſentiatis, quia nobis vnus & idem* Deus, *qui cuncta creauit, Pater, & vnus & idem* Dominus, *per quem omnia facta ſunt, Filius eius Ieſus Chriſtus, & vnus idémque* Deus *Spiritus ſanctus, in quo omnia ſubſiſtunt. Et hæc in perſonis tria diuiſa, in diuinitate vnus* Deus *indiuiſus eſt.* Vide etiã Greg. Nyſſenum de Trinit. adu. Iudæos. Cyprian. lib. 2. cont. Iud. cap. 3. Amb in Symb. cap. 6. Aug. de Eſſent. Deit. & de Incarnat.

Gregor. Nyſſ. Cyprianus. Ambroſius. Auguſtinus.

IDEM in Pſalm. 49. cùm ait: *Deus Deorum* Dominus *loquutus eſt* Vbi Hebraica lectio habet אל אלהים יהוה דבר *El Elohim Iehouah dibber Deus, Deus, Deus loquutus eſt.* Hac trina Dei repetitione auctor Midras Theillim cenſet tres Dei proprietates, quibus vniuerſum condidit, contineri: quas idem prolato Eccleſ. cap 4. teſtimonio, *Funiculus triplex difficilè rumpitur*; de tribus perſonis in myſterio Trinitatis contentis exponit, quas ait difficile eſſe in eſſentiæ vnitate comprehendere. Cuius hæc verba ſunt. *Quamobrem memoratur nomen* Dei *ſancti, & benedicti*

Midr. Theillim.

Eccleſ. 4.

A *tribus vicibus? vt docereris, quòd his tribus nominibus Deus ſanctus, & benedictus mundum creauit, iuxta tres midoth, id eſt, proprietates, quibus mundus creatus eſt, quæ ſunt, ſapientia, ſcientia vel notitia, & prudentia. Sapientia vnde? ſicut dictum eſt Prou. 3.* יהוה בחכמה יסד ארץ *Iehouah bchhachma iaſad arets. Dominus in ſapientia fundauit terram. Scientia vel notitia vnde? ſicut dictum eſt ibidem. In notitia vel ſcientia abyſsi eruperunt. Prudentia vnde? ſicut dictum eſt vbi ſuprà. Aptauit vel ornauit cœlos prudentia. Et propter hoc ipſe inquit Exod. 20.* כי אנכי יהוה אלהיך אל קנא *ki anochi Iehouah elohecha el kanna.* B *Quoniam ego Deus, Deus tuus, Deus zelator. Ecce tres proprietates loco trium, quibus creatus eſt mundus. Sic etiam filij Gad, & filij Ruben dixerunt Ieboſue 22. Deus, Deus, Deus, Deus, Deus, Deus ipſe ſcit. Quidnam viderunt, vt hoc idem repeterent duabus vicibus? Dixerunt primò, Deus, Deus, Deus, quia in his creatus eſt mundus. Et deinde dixerunt, Deus, Deus, Deus, quia in his quoque tribus data eſt lex. Sed nunquid potuiſſet vnus eorum ſe ſolo ſeparatímque? nequaquam, ſed duo alij vniti cum eo neceſſariò creauerunt.* Hæc Thalmud, quibus hactenus tres diuinæ proprietates velut mundi ef- C fectrices indicantur, quibus diuinæ perſonæ (licèt obſcurè) ſignificantur. Nam cùm hic auctor magis Philoſophicè, quàm Scripturaliter agat, planè quam is ſapientiam vocat, Philoſophi mentem νοῦν, Catholici Patrem appellaſſent, à quo notitia, id eſt, verbum producitur: porrò ab his duobus prudentia, quæ Spiritum ſanctum deſignat ob id quòd ei rerum diſpoſitio tribuitur, manat. Quapropter cùm ab his tribus mundum fabrefactum, ac datam legem indiuiſim fuiſſe affirmat, id planè aſſerit, quod omnium Theologorum ſchola poſt Auguſtinum docet, opera nimirum ad D extra eſſe totius Trinitatis indiuiſè.

AT verò vt is omnem dubitationem tollat, quid harum trium proprietatum nomine indicare velit; idem in Midras Coheleth ſuper illud 4. capitis, quod Hebræi ita legunt. *Filum trinum non citò rumpitur.* Dixit (inquit) *R. Iohanan. Meliores ſunt duo, vir ſcilicet, & mulier, quàm vnus; hic ſcilicet per ſe, & illa per ſe: & filum trinum illud eſt Deus ſanctus, & benedictus, qui viſitat vtrumque in filiis. Quod autem ſubiunctum eſt, non citò rumpitur, ſenſus eius eſſe videtur, quòd myſterium trini, & vnius* E Dei *non facilè, nec citò diſcutitur.* Hunc ſenſum ex Catholicis amplectuntur Bredembachius, Peregrinus Herus, Faber in hunc locum, ac præterea Pintus in Ezechiel. cap. 23. & in Daniel. cap. 1.

Midras Coheleth.

Bredembachius. Peregrinus Herus. Faber. Pintus.

PRÆTEREA idem Vates Pſalm. 63. eandem perſonarum Trinitatem cum eſſentiæ vnitate coniunctam explicat, vbi ait יברכנו אלהים אלהינו יברכנו אלהים *ieuarchenu elohim elohenu ieuarchenu elohim. Benedicat nos* Deus, Deus

noſter, benedicat nos Deus. vbi ter repetitur nomen Dei. At ſanè haud fruſtra hæc trina repetitio Dei hîc apponitur, neque fruſtra Dauid ter Deum inuocat, vt ſibi benedicat, cùm ſemel inuocaſſe ſufficeret; trina enim illa Dei prolatione, atque inuocatione Deum in perſonis trinum inſinuare voluit: atque hinc à tota Trinitate benedictionis gratiam ſibi impertiri poſcebat: quam ſingulari tandem termino complectitur, cùm adiicit. *Et metuant eum omnes fines terræ*; vt illam vnica tantùm Deitate comprehenſam eſſe indicet. Quam
Alex. 1. interpretationem adhibet Alex. 1. Epiſt. 1. ad omnes Chriſti fideles. *Si Trinitas* (inquit) *non eſt, quare Dauid tertiò dixit. Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus? Si vnitas non eſt, quare cùm tertiò Deum nominaſſet, benedicat, dixit, & non benedicant, adiunxit?*

Plvra alia ex Dauide huc teſtimonia vocari poſſent, quæ Alexander primus ſimul coaceruat loco ſuprà citato, licèt ſparſim ab eo recitentur, ac pleraque alia quæ D. Gregorius Nyſſenus de Trinitate aduersùs Iudæos recenſet, quæ apud eos videri poſſunt.

Atqve vt Scripturarum teſtimoniis finem impouamus. Quis nõ intelligat Oſeam
Ose. 1. Prophetam, cùm ait cap. 1. והשעתים ביהוה אלהיהם *vehoſciangbtim bathona elohehem Saluabo eos in Domino Deo ſuo, dicit Dominus*; trina illa Dei ingeminatione Trinitatis ſacrum
Zachar. 3. myſterium adumbrare? Zachariam quoque illis cap. 3. verbis: ויאמר יהוה אל השטן יגער יהוה בך השטן ויגער יהוה בך *vaiomer Iehona el haſatan igghar Iehona becha haſatan veigghar Iehona becha. Dixit Dominus ad Satan. Increpet Dominus in te Satan, & increpet Dominus in te*, perſonarum diuinarum diſtinctionem annuere, cùm tres ibi Domini legantur. Primus, qui Satanam alloquitur: alter, qui in eum increpare debear: tertius, qui hanc increpationem ſit confirmaturus: & vbique יהוה *Iehouah* legitur; ne de altero, quàm de vero Deo locus intelligẽdus videatur. Atque eiuſmodi complura teſtimonia colligit Alexander primus Epiſt. 1. ad omnes orthodoxos, quę extat in tom. 1. Conc. *Si*
Genes. 1. per totum. *Trinitas non eſt* (inquit) *cur in Geneſ. libro dicitur,* ויאמר אלהים *vaiomer elohim, dixit Deus,* ויעש אלהים *vaiaghaſc elohim fecit* Deus, *&* ויברך אלהים *vaiuarech elohim, benedixit* Deus? *Si vnitas nõ eſt, quare tertiò dixit* Deus, *& Deos plurali numero non commendauit? Si Trinitas non eſt, quare in*
Exod. 34. *Exod. dictum eſt c. 3.* יהוה יהוה אל רחום וחנון *Iehona Iehona el rahhum vehhannun. Domine Domine, Domine miſerator, & miſericors? Si vnitas non eſt, quare dum tertiò Domine diceret, poſtea ſingulariter miſerator dixit, & non miſeratores, vt plures oſtenderet, intimauit? Si Trinitas non eſt,*
Esa. 37. *cur Iſaias dixit,* יהוה צבאות אלהי ישראל ישב הכרבים *Iehona tſebaoth elohe Iſrael Ioſceu bakeruuim.* Dominus Deus Sabaoth, Deus Iſraël

A *qui ſedes ſuper Cherubin? Si vnitas non eſt, cur qui ſedes, dixit, & non qui ſedetis, adſtruxit? Si Trinitas non eſt, cur in libro Regnorũ dicitur;* Domine *3. Reg. 8.*
Deus omnipotens, Deus Iſrael, ſermones tui fideles ſunt? Si vnitas non eſt, cur tui dicitur, & non veſtri potiùs intimatur? Si Trinitas non eſt, cur in Pſalm. 58. cantatur, ואתה יהוה אלהים צבאות אלהי ישראל הקיצה לפקד כל הגוים *veatta Iehona elohim tſebaoth elohe Iſrael hakitſa liphkod col hagoim. Domine* Deus *Psalm 58.*
virtutum, Deus *Iſraël intende ad viſitandas omnes gentes? Si vnitas non eſt, cur intende poſuit, & non intendite, vt prædicatus eſt, intimauit?* Atque
B alia pleraque, quæ his annectit.

Postremò, quoties in Scripturis Deus יהוה *Iehouah* appellatur; toties hoc ſacroſanctum Trinitatis myſterium contemplandum proponitur, vt Caballiſtarum quidam ex numero, & ſignificatione literarum colligunt. Ex tribus namque inter ſe differentibus literis nomen יהוה *Iehouah* componitur; ex י *iod*, ה *he*, ו *vau*: nam *he* vltimo loco poſita duntaxat repetitur, quæ tamen repetitio non caret myſterio, vt mox explicabimus. י *iod* igitur imprimis principium interpretantur Hebræi, quod primam Patris
C perſonam indicat, quæ vt aliarum perſonarum Diuinarum fons, & origo eſt, ita in Diuinis principium nominatur. ה *he*, eſſe aut vita dicitur, quo ſecunda Filij perſona inſinuatur; in qua velut in omnium ideatorum idea vniuerſa Diuinam vitam, & eſſe habent. ו *vau*, loco copulæ dictionibus apponitur, & virtutem ſignificat: quod tertiam Spiritus ſancti perſonam declarat, quæ cùm Diuina quædam Patris, & Filij copula ſit, ac nexus ab iis indiuisè procedens, eóſque æterno amoris vinculo complectens; tum etiam altiſſimi virtus appellatur, quippe quæ rebus
D omnibus virtutem indidit, vt teſtatur Dauid Pſalm. 33. *Et ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* *Psal. 33.* י *iod* ergo Patrem, ה *he* Filium, ו *vau* Spiritum ſanctum diſtinctam perſonarum Trinitatem demonſtrat. Porrò cùm hæ tres literæ ab inuicem diſtinctæ, vnica tantùm nominis voce comprehendantur, id inſinuant, quòd tota hæc perſonarum Trinitas proprietatibus ab inuicem diſtincta, vnica tantùm natura, ac eſſentia continetur.

Svperest quarta litera ה *he*, nimirum
E extremo loco repetitum, quod ſanè altiſſimum Meſſiæ myſterium indicat: quandoquidem eo Diuini verbi Incarnatio, quæ extremis orbis temporibus futura erat, declaratur. Nam cùm litera ה *he*, ſecundo loco collocata Filij perſonam denotet, eiuſdem ה *he*, vltimo loco repetitio, ipſum Filium æterna priùs generatione à Patre genitum: temporali curſus generatione orbi manifeſtandum, ac velut repetendum demonſtrat Gemina ſunt ה *he*, cùm vna duntaxat vox

ex

Digitized by Google

ex illis cæteris adiũctis literis formetur: nam geminæ ſuur in Meſſia naturæ, vni tantùm ſuppoſito, quod diuinum eſt, ac eiuſdem cum Patre, ac Spiritu ſancto ſubſtantiæ, innixæ. ה *he* tantummodò duplicatur, non י *iod*, aut ו *vau*; ſiquidem ita decretum erat, vt Filij perſona duntaxat, non Pater, aut Spiritus ſanctus humanam carnem per temporalem natiuitatem aſſumeret. Tres hę literæ non ſparſim, aut diuiſim: ſed ſimul cum vltimo ה *he* coniunctæ reperiuntur: vt hinc innoteſcat, perſonatum Trinitatem ſemper cum Meſſia fuiſſe coniunctam, neque vnquam ab eo ſeparatam. Denique cùm hæc literarum trinitas ita inter ſe connexa ſit, vt vnam duntaxat vocem יהוה *Iehouah* efficiat; hinc totam illarum perſonarum Trinitatem ita inter ſeſe colligatam eſſe colligimus, vt totus Pater in Filio, totus Filius in Patre, totus Filius, & Pater in Spiritu ſancto, & totus Spiritus ſanctus in Patre, & Filio, vnam duntaxat Deitatis naturam, atque ſubſtantiam præſtent.

Idem demonſtratur ex traditionibus veterum Hebræorum.

ARTICVLVS XV.

AT verò neque his deſunt veterũ Hebræorum teſtimonia, præter eos, quos hactenus recenſuimus, qui hoc Trinitatis ſacramentum agnouerunt, ac palàm profeſſi ſunt: nam R. Simeon Benioachai in lib. Zoar in verba illa Deut. 6. *Audi Iſraël*, &c. cuius teſtimonium ſuperiùs attulimus, apertè Diuinarum perſonarum Trinitatem prædicat; eandémque affirmat in cap. 6. Iſaiæ. Præclarus etiam huius Trinitatis aſſertor eſt R. Ionatham Benuziel in Paraphraſi Chaldaica in idem cap. Iſaiæ.

R. Simeon Benioachai. Zoar.

R. Ionatham Benuziel.

EGREGIE quoque de hoc myſterio ſcribit R. Iſaac Ben Schola, vir apud Hebræos celebris, in Commentariis ſuper Pſalmos, ac præſertim in Pſalmum 111. in ea verba; *Initium ſapientiæ timor Domini*, quæ ipſe ita legit. *Principium, ſapientia, timor Dei. Intellectus bonus omnibus facientibus ea.* Cuius Cõmẽtarij verba, quoniam nimis prolixa ſunt, compendioſè tantummodò referenda duxi. Statuit imprimis hic Rabbinus tres proprietates, quibus tres Diuinæ perſonæ inuicem diſtinguũtur, quas ex hoc Pſalmi verſiculo colligit, eſſe principium, ſapiẽtiam, & timorem Dei. Principium Deum ipſum appellat, id eſt, Patrem, quod ex ipſius verbis patet, quibus ita ait. *Itaque in hoc textu aduerte proprietatem hanc in dictione principium, in qua continetur ſapientia. Dixerunt igitur Doctores, quòd omnes Prophetæ prophetarunt in viſione non lucida: Moyſes autem prophetauit in viſione lucida, & clara: ſicut dictum eſt. Et viſum eſt principium ei.*

R. Iſaac Ben Schola.

A DE ſapientia, quæ eſt ſecunda proprietas, pleraque docet. Primum, eam מאין *meain*, id eſt, ab intellectu ſupremo & abſtractiſsimo Dei proficiſci: atque eam reperiri in dictione בראשית *Bereſchit*, id eſt, *in principio*. Demum occultiſsimam, & ab oculis omnium viuentium abſconditam, tum ſigillo ſecretorum occluſam eſſe docet. Secundũ eſt, quòd eam proprietatem intrinſecam vocat, exuberantiſsimam æris diuini venam, in qua fons ſiue emanatio deprehenditur. Hæc enim propria ipſius verba ſunt. Tertium, quòd ea ab antiquiorib. Rabbotenis appellatur מאין *Main*, id eſt, B incõprehenſibilis, eò quòd nullus ſit, qui hãc proprietatẽ intellectu valeat comprehẽdere.

DE timore Dei, quæ eſt tertia proprietas, docet eam eſſe declaratiuam, ac manifeſtatiuam principij. Poſtremò id de omnibus hiſce Dei proprietatibus affirmat, vocari ſcilicet facies; alterámque in altera viciſsim contineri, velut tres coronas in vnica corona. Hæc illius verba ſunt. *Et ſunt iſtæ tres proprietates vocatæ facies, continẽturque inuicem vna in alia. Et ideo dictum eſt, principium, ſapientia, timor Dei.* C *Et dicit Sapiens. Profectò timor Dei eſt ſapientia. Dictum quoque eſt, poſside ſapientiam, poſside prudentiam. Ecce didiciſti quòd tres iſtæ coronæ ſunt vna corona, vnita vnitate admodum perfecta. Et ſunt quid electiſsimum, tréſque firmitates mundi æquales; ſuntq́ luminaria aſcendentia, & ſupereminentia quod reliquum eſt, in tantùm quòd luce eorum cuncta illuminantur. Et quoniam ſunt ligamen vnum forte, atque inſeparabile, omnes comprehenduntur in vnum.*

PORRÒ ex his quæ Rabbinus hic docuit, apertè colligimus, eum rectè de diuinarum perſonarum Trinitate ſenſiſſe, neque D aliud ferè quicquã, quod ad hoc myſterium pertineret, prætermiſiſſe, quàm quòd perſonas ipſas proprio nomine Patrem, Filium, ac Spiritum ſanctum non appellat: nam quòd ad perſonæ nomen ſpectat, eam proprietatis appellatione explicat: in quo à Theologis non diſcrepat, qui in diuinis perſonis proprietatem agnoſcendam eſſe docent, ac ipsã proprietatem cum perſona identificatã tradunt. Eò fit, vt cùm Rabbinus iſte tres proprietates intrinſecas in Deo collocat, tres E perſonas in diuinis eſſe clarè fateatur.

QVOD verò is primam perſonam principium; ſecundam ſapientiam; tertiam, timorem Dei nuncupat, eò ſpectat, vt eas per attributa explicet: nam per principium primam Patris perſonam intelligit, quæ aliarum diuinarum perſonarum ingenitum principiũ eſt, ac fons. Per ſapientiam ab intellectu ſupremo Dei profectam, Filium Dei indicat, ſecundam in Trinitate perſonam, quæ eſt verbum, & ſapientia Patris ab ipſius intellectu genita: quam idcirco in Bereſchit reperiri ait, quòd per eam, ac in ea condita ſunt vniuer

vniuerſa, vti Moyſes air in principio *Bereſchit* Deum creaſſe cœlum, & terram. Ac prætcrea eſſe æris diuini exuberantiſſimam venam, quod perinde eſt, ac ſi diceret cũ Paulo noſtro, in Filio eſſe omnes theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditos. Demũ eſſe אין *ain*, id eſt, incõprehenſibilem: in quo cum
Coloſſ. 1. Paulo conuenit, qui ad Coloſſ. 1. eundem imaginem Dei inuiſibilem appellat, nulli creato intellectui aſpectabilem.

Tertiam deinde perſonam Spiritus ſancti, Dei timorem nuncupat ab effectu, eò quòd ea ſit, quæ Dei timorem hominum mentibus ingerit, ac per inhabitantem charitatem filialem timorem illis inſpirat, & in iis fouet: per hanc etiam perſona Patris, ac conſequenter Filij mundo declarata fuit, iuxta
Sap. 1. illud Sap. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia ſcientiam habet vocis.* Poſtremò quid magis Catholico viro dignum dicere potuit, quàm tres has diuinas proprietates ac perſonas ſe inuicem ita continere, vt omnes ab vnica Deitate comprehendantur: hoc enim illud eſt, quod Chriſtiana Theologorum ſchola docet, tres in diuinis perſonas vnam eſſe eſſentiam, atque ſubſtantiã, nulla naturæ diuerſitate diſcretas.

R. Haccados. At omnium illuſtriſſimus eſt R. Haccados, id eſt, Magiſter ſanctus, qui idcirco ita à Iudæis appellatus fuir, quòd diuina myſteria excellentiſſimè docuerit, ac vitæ ſanctimonia inter cæteros, qui ante Chriſtum Rabbinorum officio claruerunt, inſignis floruerit. Hic igitur in libro qui inſcribitur גלי רזים reuelator ſecretorum, ad Antoninum Conſulẽ ita ſcribit. *Quemadmodum Dei ſubſtantiæ notitiam nullam habere poſſumus, quoniam ea cognita ei ſimiles efficeremur: ita Dei nominis cognitionem habere nequimus. Nihilominus omnia eius nomina ſunt attributiua. Et quia nomen 4. literarum operationibus eius peculiarius eſt, oſtendítque eius notitiam perfectiorem, & illi accommodatiorem, prout nobis eſt poſſibile capere: & ex hoc nomine procedunt omnia. Ideo hoc nomen dictum eſt Sembammephoras, non quòd ipſum ſit nomen eius ſubſtantiale: ſed nos id dicimus, quoniam hoc eſt, quantùm noſtra facultas comprehendere poteſt, & altiùs aſcendere non poſſumus. Notare autem debes, nomen duodecim, noménque quadraginta duarum literarum, non eſſe nomina, quorum vnumquodque verbum duodecim literis conſtet, aut quadraginta duabus: ſed quodlibet eorum ſunt verba diuerſa, quæ vnum oſtendunt. Poſtquam autem hoc tibi aperui; animaduerte nomen 4. literarum, prout ſcriptio eius eſt, ſic enim ſcribitur in lingua noſtra Hebraica* יהוה *Iehouah: ipſum Deum generantem ſignificare: & quia non poteſt eſſe generans abſque generato: neceſſariò amor à generante in generatum, & è conuerſo procedere debet: quoniam ſi hoc non eſſet, non generaret. Et ſi non*

A *procederet amor à generato in generantem, diſtingueretúrque generatus à generante, duæ eſſent ſubſtantiæ. Propterea nos volumus, generantem, & generatum vnam eſſe ſubſtantiam. Idcirco neceſſe eſt ex altero in alterum procedere amorem. Eapropter ex his Sembammephoras derivatum eſt nomen duodecim literarum. Eſtq́, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, quæ in lingua noſtra Hebraica duodecim literis ſcribuntur. Quoniam autem non inuenitur aliquid in Deo, quod non ſit Deus: ex nomine duodecim literarum emanat nomen 42. literarum, quod eſt Pater Deus, Filius Deus, Spiritus ſanctus Deus, Trinitas in vnitate,*
B *& vnitas in Trinitate, quæ in Hebraico ſunt quadraginta duæ literæ. Notare autem debes, hæc nomina eſſe ex diuinis arcanis, quæ à quocunque occultari debent, quouſque veniat Meſſias iuſtus noſter. Illa tibi patefeci, tu autem ea fortiter occulta.*

Ex his manifeſtum eſt Iudæos falsò Chriſtianos calumniari, quaſi Deorum Trinitatem colant, cùm Trinitatis myſterium credunt: cùm illud & antiqua Scripturarum fides, & veterum Hebræorum dicta confirment. Plurima, quæ ex Euangelij, ac Noui Teſtamenti codicibus teſtimonia huc afferri
C poſſent, prudens omitto: cùm ea Iudæos, quibuſcum nobis res eſt, minimè conuincant.

Declaratur concordia vnitatis eſſentiæ cum Trinitate diuinarum perſonarum.

Articvlvs XVI.

Qvoniam verò inter cæteros recentiores Hebræos, qui poſt Chriſtũ Chriſtianæ fidei myſteria inſectati ſunt, R. Ioſeph *R. Ioſeph Albo.*
Albo in libro, quem inſcripſit de articulis legis Moſaicæ oratione 3. cap. 25. ita in hoc
D ſacroſanctum Trinitatis myſterium inuehitur, vt non ſolùm à fide, verùm & ab ipſa ratione abhorrere cenſeat, hac præſertim ratione; quòd manifeſtam contradictionem exiſtimet tria re diſtincta vnum numero eſſe, atque vnum numero tria eſſe poſſe. Quod ſi ita eſt (inquit) quonam modo vnitas Trinitas eſſe poteſt? aut Trinitas in vnitate conſiſtere? an non aperta contradictio aſſeritur cùm idem de ſeipſo negatur? Illud enim perinde eſt, ac ſi dicatur: Trinitas non eſt Trinitas, ſed vnitas. Et vnitas nòn eſt vnitas,
E cùm ſit Trinitas: ita ſit, vt Trinitas ſtatui non poſſit vnitate manente, niſi ſimul ipſa naturæ veritas deſtruatur.

At ſtat naturæ integra veritas, quam cæcus non videt Hebræus, neque in vllo Trinitatis myſterium minuitur, tametſi illud imminuere conetur Ioſephus. Quomodo enim in diuino hoc Trinitatis myſterio repugnantiæ monſtrum aliquod eſſe poteſt, in quo ſumma fides cum ſumma veritate coniuncta

eſt; neque enim vnquam fides licèt ardua ſit, ac inter diuina verſetur, veritati repugnat; cùm ea à ſuprema veritate emanet. Multa quidem fides dictat, quæ humanum ſenſum ſuperant, ac intelligentiam tranſcendunt; at abſit, vt falſum, aut irrationabile quippiam fidei ſubeſſe arbitremur, quæ ſi vera non eſſet, aut à ratione diſſentanea; protinus à fidei nomine excideret. Quapropter modò Iudæis demõſtrandũ eſt; in hoc ſupremo Trinitatis myſterio perſonarum numerũ naturæ vnitati non repugnare, neque naturę vnitatem perſonarum multitudinẽ repellere.

Principio igitur ſtatuendũ eſt, Deum eſſe infinitum ac infinitæ virtutis, adeóque omni ex parte infinitas perfectiones obtinere, vt quæcunque in Deo ſunt, quæ ad illius naturam ac ſubſtantiam ſpectant, omnino ſint infinita. Prætetea eum eſſe ſummum ac infinitum bonum; quæ duo etiam apud Iudæos de fide certiſſima eſſe debent: nam de Dei infinitate apertiſſima ſunt in Scripturis teſtimonia. David Pſalm. 144. גדול יהוה ומהלל מאד ולגדלתו אין חקר *gadol Iehouah vmehullal meod veligdullato ein hheker. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis.* Præterea Baruch 3. *Magnus eſt, & non habet finem, excelſus, & immenſus.* Quod etiam hac ratione probari poteſt. Nam omni ente finito poteſt aliquod ens eſſe ſimpliciter maius, ac perfectius: ſed Deo nihil poteſt eſſe maius, & perfectius. Igitur Deus non eſt ens finitum, ſed infinitum.

Pſal. 144. Baruch 3.

De bonitate Dei vndique Scripturarum teſtimonia erumpunt. Pſalmo 72. אך טוב לישראל אלהים *ake tou leiſraël Elohim. Quàm bonus Iſraël Deus.* Pſalm. 118. טוב-אתה *tou athah. Bonus tu.* Exod. 33. אני אעביר כל טובי על פניך *ani aghauir kal tou ghal phaneika. Ego oſtendam tibi omne bonum.* Et rurſus Pſalm. 105. הודו ליהוה כי טוב כי לעולם חסדו *hodu laihoua ki tou ki legholam hhaſdo. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius:* & alibi paſſim Scripturæ Dei bonitatem, ac perfectionem velut infinitã commendant. Porrò ipſa immenſa Dei bonitas cum ſummo illius amore coniuncta, haud patitur Deum in ſeipſo vnicum ac ſolitarium contineri, quin ſeipſum communicet. Ea ſiquidem eſt boni natura, vt ſemper extra ſeipſum fluat, ac ſeipſum aliis communicet. Id verò plus, minúſve ſecũdùm perfectiores, aut remiſſiores cuiuſque bonitatis gradus contingit. Conſtat autem (vt diximus) Deum excellentiſſimum ac infinitum bonum eſſe, cui non ſatis ſit ſeipſum in rerum productione definito modo creaturis communicaſſe: ſed ampliori, atque excellentiori communicatione Deo opus erat, quæ infinita eſſet, & ad infinitum ſeſe extenderet: vt inde infinitum bonum ſe oſtenderet; & infinita ac perfecta illius ſimilitudo, ad quam infinita bonitas tendit, haberi poſſet.

Pſalm. 72. Pſal. 118. Exod. 33. Pſal. 105.

Mundus quidem, & quicquid in eo conditum eſt, Diuinæ bonitatis veſtigium quodammodo fuit, non ſimilitudo. Homo cùm inter cætera ſanctius, ac perfectius animal à Deo conditum eſſet, Dei quidem ſimilitudo eſt; at imperfecta, ac deficiens; quod nonnulli ex duabus illis vocibus, quæ in Hebræo apponuntur, non immeritò deducunt. Voces autem ſunt צלם *Tſelem,* & דמות *Demuth,* quæ apud nos ſonant, imago, ſimilitudo: nam Geneſ. 1. habetur בצלמנו כדמותנו *Betſalmenu kidmutenu, ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Porrò צל *tſel* propriè *vmbram,* צלם *vmbratilem imaginem* ſignificat, qualem depingit David Pſal. 33. *Veruntamen in imagine pertranſit homo,* id eſt, ad modum vmbratilis imaginis euaneſcentis. Altera verò vox דמות *Demuth* plures ſignificationes patitur; quandoquidem à radice דמה *Dumah* oritur, quæ iuxta Pagninum ſignificat ſimilem eſſe, aſſimilare, ſuccidere, excidere, deficere, expectare, recogitare, exiſtimare, ſilere, tametſi duas potiſſimùm ſignificationes ſibi vendicet; quæ ſunt ſimilem eſſe, & ſilere; quò fit, vt vox illa *Demuth* indicet ſilentem, ac mutam quandam ſimilitudinem: qualis ea eſſe ſolet, quæ eſt inter opificem, & opus ab eo fabrefactum: atque hinc ſimilitudinis huius, nempe hominis, defectum colligimus: homo enim eſt ſimilitudo à Deo extranea, non naturam complectens, neque Diuinam naturam perfectè exprimens, ſed vmbræ inſtar Diuinam ſapientiam, prouidentiam, bonitatem, pietatem, ac etiam Trinitatis imaginis tantùm referens: quò fit, vt non niſi imperfectè, & vt creaturam decet, illi Diuina bonitas communicata fuerit.

Geneſ. 1. Pſal. 33.

Quod non obſcurè inſinuat modus ille loquendi, quo Scriptura vtitur cùm de hominis ſimilitudine agit, quem ad imaginem Dei conditum eſſe docet. *Ad imaginem,* ait, *& ſimilitudinem noſtram.* Nam tametſi homo Dei imago, ac ſimilitudo ſit, ita tamen imago eſt, vt ad imaginem ſit, vt docet Auguſtinus de Trinitate lib. 7. cap. vlt. *Sed* (inquit) *quia non omnino æqualis fiebat illa imago Dei, tanquam non ab illo nata, ſed ab eo creata, huius rei ſignificandæ cauſa, ita imago eſt, vt ad imaginem ſit, id eſt, non æquatur parilitate, ſed quadam ſimilitudine accedit.* Ex quo patet in homine imperfectam tantùm Dei ſimilitudinem collocatam eſſe. Quod vel hac ratione perſpicuum eſſe poteſt. Nam data analogia inter mundum, vel hominem, & ipſum Deum, maior proculdubio eſt ſimilitudo inter mundũ, & mũdum; & inter hominem, & hominẽ, quàm inter mundum, vel hominem, & Deũ: quo ſanè exploratum eſt, nec mundũ, nec hominem perfectam Dei ſimilitudinem gerere.

Auguſtinus.

BONI

Bonitas igitur Dei cùm infinita ſit, atque infinito modo ſeipſam communicare debeat: ne otioſam in Deo infinitatem eſſe arbitremur, ad naturæ vſque communicationem, quæ ſola infinita eſt, ac excellentiſſima, pertingere debuit: quæ communicatio vim habeat perfectè, & adæquatè exprimendi æternæ, ac infinitæ illius bonitatis ſimilitudinem, quæ per omnia Deo ſimilis ſit. Porrò hæc eſſe nõ poteſt, niſi is cui tota Dei bonitas cõmunicatur, Deus ſit; Deus inquã de Deo, lumen de lumine, qui incomprehenſam, ac infinitam Dei naturam in ſeipſo totam incomprehenſibili modo comprehendat. Inde fit, vt cùm hæc communicatio in Dei ſubſtantia fiat, penes quam attenditur idem, & non idem: ſicut mundo nihil eſt magis idem quàm ipſe mundus, & huic homini, quã hic homo: ita hic Deus de Deo procedẽs, natura ac ſubſtantia idem prorſus cum Deo ſit, ſola duntaxat cõmunicationis ab eo relatione diſtinctus. Atq; hinc perfectam, ac infinitam Diuinæ bonitatis imaginem ferat; quãdoquidem in ſeipſo totam Dei naturam, in qua ſumma, ac infinita Dei bonitas elucet, complectitur.

Porrò hæc communicatio creatis rebus haud poſſibilis eſt, quæ naturam non à ſeipſis; ſed à Deo acceptam habent, neque in eam ita imperium exercent, vt illam ſuo nutui ſubiiciant; quò fit, vt cùm nullum abſolutum ius in propriam naturam ſibi vendicent, eam etiam alteri communicare nullo modo poſſint. At Deo cui nihil omnino impoſſibile eſt, niſi quod maieſtatem ſuam minuit, haud difficilis eſt hæc propriæ naturæ communicatio, cùm ſuæ naturæ dominus ſit, eáque non tam Dei perfectionem exhauriat, quàm ad perfectius bonum, atque ampliorem Dei gloriam tendat. Hinc habetur Diuinæ naturæ fœcunditas, à Dei bonitate manans, quæ etſi vna, ac ſimpliciſſima ſit, ſalua tamen, ac ſarta tecta ſui vnitate ſeipſam alteri communicare valet.

Qvid hîc nobis Hebræus obſtrepet? quid ganniet? num intra rerum conditarum terminos Diuinam ipſam naturam colliget, vt ſeipſam communicare non poſſit? Planè Philoſophis notum eſt; ſecundas cauſas non magis in eo quòd ſunt, quàm in eo quòd cauſæ ſunt, à prima cauſa pendere: vt non modò per ſe ſubſiſtere, ſed nec agere quidem aliquid valeant, niſi virtutem à prima cauſa mutuatæ fuerint. Cùm igitur tanta in viuentibus fœcunditas inueniatur, vt vix vlla planta, vllum animal ſit, quæ vim ſibi ſimilia procreandi à Deo non acceperint: nihil tandem ſterilitate laboret; omnia feracia ſint, qua obſecro ratione Diuinam naturam, à qua hæc in omnia fœcunditas manat, infœcundam, ac ſterilem iudicare liceat? Si rerum

A propagationem, à qua totius vniuerſi vita, ac perfectio pendet, in humanis rebus intuemur; an illam à Diuinis, de quibus perfectiſſimè & ſentire, & loqui debemus, expungere æquum erit?

An tam parum æqui eſtis Iudæi, vt Deum qui omnibus generandi vim tribuit, generandi virtute non quidem humana, quæ infima eſt, ac ſorde non vacat; ſed Diuina, ac ineffabili, quæ Deum decet, expoliandum cenſeatis, atque æternam illi ſterilitatem affigendam eſſe exiſtimetis? Iam ſi Philoſophorum dictis minùs quod ad hoc myſte-
B rium confirmandum ſpectat, veſtro iudicio deferendum eſt. En Prophetarum oracula, ac Dei ipſius vocem apud Iſaiam cap. 66. id confirmantis. האני אשביר ולא אוליד יאמר יהוה אם אני המוליד ועצרתי אמר אלהיך *haani aſcbid velo olid iomar Iehoua am ani hamolidvegatſarti amar elohaich.* *Nũquid* (ait) *ego qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus, & ego qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero; ait Dominus Deus tuus?* Quid fruſtra in hoc nitimini? Tollite Diuinã fœcunditatem, & omnis alia de medio ſublata eſt fœcunditas. *Iſa. 66.*

C Certe Deum rerum omnium opificem fateri neceſſe eſt: atque hoc quodammodo Diuinæ artis opus fuit, qua mundum fabrefecit, ac velut æterna ſapientia genitum peperit. An non ars imitari debet naturam? Prior igitur in Deo eſſe debuit naturæ, quàm artis fœcunditas.

Devm præterea ex fide beatiſſimum didiciſtis: verumtamen ad beatitudinis perfectionem pertinet amicitia, & ſocietas. So-
D litudinem enim perfecta beatitudo expellit, quæ ſocios beatitudinis exigit, quibus delectetur. At num Deum idcirco Angelos, & homines creaſſe credendum eſt, vt illos ſuæ beatitudinis ſocios efficeret? fallũtur ſanè qui id ſentiunt: beatorum namq; ſocietas ad Dei beatitudinem non ſpectat, neque enim qui beati ſunt, Deum magis beatum efficiunt, cùm extra Deum ſint, Deus ſiquidem cùm extra ſe alio non indigeat, non niſi ſeipſo beatus exiſtit: quò fit, vt Angelorum, & hominum beatitudo ad Diuinæ potiùs bonitatis teſtimonium declarandum pertineat, quà factum eſt, vt ſe Deus creaturis fruibilem exhibere voluerit, quàm quòd ex ea aliquam
E ſibi beatitudinem acquirat.

At ego, eo ipſo quòd Diuina beatitudo extra ſe non integrè, ac perfectè, ſed imperfectè tantùm creaturis communicata fuerit, colligendum cenſeo, eam priùs perfectiſſimè intra naturam, ad neceſſariam ſocietatem ſibi conciliandam, ne perfecta beatitudinis communicatio deeſſet, communicatam fuiſſe. Neque perfecta, ac Deo digna ſocietas eſſe poſſet, niſi ea ex ſecretiſſimis Diuinæ naturæ viſceribus erumperet: quapropter ſicut

ad beatitudinis perfectionem perfecta hæc ſocietas requiritur, non quidem ad indigentiam aliquam in Deo ſtatuendam, ſi ſocietate careret: ſed ad ſummam tantummodò iocunditatem annuendam, quæ ex ſocietate Diuinarum perſonarum oritur; ita ad perfectam beatitudinis communicationem, naturæ communicatiò, quæ ad perſonas intra naturam extenditur, neceſſaria eſt. Potuit igitur natura Diuina ſeipſam communicans ad perſonas extendi tanquam beatitudinis ſocias, & ſeipſam in propria vnitate continere, cùm ea communicatio non extra, ſed intra naturam fiat.

POSTREMÒ Deum omnipotentem vbique Scripturarum oracula prædicant. Ergo is abſque vlla ſui imperfectione ſeipſum alteri communicare poteſt. Conſtat autem communicationem, quæ cùm naturarum multiplicatione fit, qualis in creaturis reperitur, Diuinam perfectionem minuere, cùm ea Dei naturam, ac maieſtatem ſcindat. Reliquum igitur eſt, vt retenta naturæ vnitate ſeipſum perſonis communicet, quod eſt perfectiſſimum, ac Diuinum tantùm communicationis genus; quod quidem Dei potentiæ ſubeſt; cui omnia poſſibilia ſunt, & quem perfectiſſimà decent. Hinc patet, Diuinam naturam non ita vnam ſtatuendam eſſe, vt omnino infœcunda, ac ſolitaria ſit, ſed cum vnitate etiam perſonarum fœcunditatem, ac diſtinctionem admittere.

QVIN verò ſit, aut quomodo intelligi queat hæc in vno Deo perſonarum diſtinctio, non facilè quilibet explicare poteſt: nam cùm excellentiſſima ſit, ac omnes humanæ intelligentiæ metas excedat, fide magis quam intelligentia comprehendi valet. Attamen dicamus, Diuinæ naturæ vnitatem, quàm ipſi quoque Hebræi fatentur, eam eſſe, quæ vnum Deum, vnam illius Deitatem, vnam maieſtatem, vnum imperium, vnam æternitatem, vnam perfectionem ſtruit; quæ ſi tollatur, mox omnem Diuinitatem deſtrui, ac concidere neceſſe eſt. Attamen hanc Dei naturam vnam quidem, non tamen ſolitariam, ſimplicem non infœcundam (vt dictum eſt) agnoſcimus: quapropter eam in perſonas diffuſam, non diſtinctam, communicatam, non ſeparatam docemus. Perſonæ quidem ab inuicem diſtinctæ ſunt, indiſtincta Deitas, vna enim exiſtente Diuina natura, cùm triplex illa communicationis relatio ante omne principium acceſſit, triplex perſona conſurrexit, eadem tamen in omnibus manente Deitatis vnitate, quæ à natura fluit.

TRES ſunt perſonę, quæ in vna Diuinitate communicant; haud tamen tres Dij nuncupari poſſunt, cùm vna tantùm trium ſit Diuinitas. Da tres Diuinitates, erunt tres Dij. Da vnam tantùm Diuinitatem, licèt pluribus communicatam, vnus erit Deus. Da vnam in tribus Diuinitatem, licèt tres ſint, qui in Diuinitate communicant, vnus tamen Deus ritè, & Catholicè aſſeritur. Si eadem numero natura tribus hominibus ineſſet, ſicut illis ineſt ſpecificè, ij, tres quidem perſonæ eſſent, à ſe inuicem perſonalitate diſtinctæ, vnus autem homo natura exiſteret, ſibi ipſi numerali naturæ vnitate idem; & proculdubio id Deus efficere poſſet, cùm perſona à natura ſit diſtincta, neque ab ea eſſentialiter pendeat: quò fit, vt propria naturæ vnitate ſibi relicta, in ea perſonas multiplicare valeat. Ita Diuina natura eadem numero in Patre, Filio, ac Spiritu ſancto exiſtente, licèt tres perſonæ ſint à ſe inuicem perſonalitate diſtinctæ: hæ tamen tres vnum ſunt, quæ in eandem numero naturam conſpirant. Denique Deorum multitudo locum habere non poteſt, vbi vna eſt tantùm Diuinitatis natura; & Diuinæ naturæ ſolitudo tollitur, vbi perſonarum Trinitas, quarum quælibet Deus eſt, creditur. An non Deo poſſibile eſt infinita efficere? Ac hæc intima Diuinæ naturæ communicatio infinita eſt, cur igitur eam efficere non poterit is, qui infinitus eſt, ac infinita virtute, ac bonitate præditus?

AT mirabile prorſus Iudæis videtur Trinitatem vnitati aſſociari poſſe. Pugnant vtraque manu, obluctantur; contradictiones ſtruunt; contendunt nos idem de eodem & affirmare, & negare: at fruſtra in cœlum nituntur, & cùm toto cœlo aberrent, recta ſe via incedere exiſtimant. Falleris Ioſeph: non idem affirmatur, & negatur, ſed aliud affirmatur, aliud negatur. Affirmatur perſonarum Trinitas, negatur naturæ: naturæ identitas aſſeueratur, perſonarum reiicitur. Tres perſonas aſſerimus, quarum quæque Deus eſt. Tres Deos repellimus, cùm vna tantùm ſit trium Diuinitas. Pater eſt Deus, idem Filius, idem Spiritus ſanctus: ergo tres Dij, malè infers, quandoquidem inferendum erat: ergo tres ſunt perſonæ, quæ vnum duntaxat Deum efficiunt, tres perſonæ, vnus Deus. Hoc Catholicum eſt, illud Hæreticum, ac Iudaicum.

ITA cum ais, ſi Trinitas eſt vnitas, ergo non Trinitas: & rurſus. Si vnitas eſt Trinitas, ergo non vnitas. Tibi ipſi reſponde: tu quodammodo trinus es, quandoquidem memoria, intellectu, voluntate præditus es; atque harum trium potentiarum trinitatem in te ipſo geris: atque idem vnus es, cùm vna tantum natura conſtes. Porrò ſi potentiarum trinitas, naturæ tuæ vnitatem impedit, & econuerſo naturæ tuæ vnitas trinitatem potentiarum tollit: quid te vnum prædicas,

cùm

A cùm trinus ſis? aut cur trinum te quodammodo iudicas, cùm vnus ſis, atque vna natura conſtes? Planè ſi rectè ſentis, id de teipſo iudicare debes, te quidem potentiis trinum, natura verò vnum exiſtere: neque potentiarum trinitatem cum naturæ tuæ vnitate confundendã eſſe. Id de diuina Trinitate ac vnitate exiſtimare debes. Cùm enim Trinitas diuina perſonas, non naturam reſpiciat, vnitas verò non ad perſonas, ſed ad naturam ſpectet: ſanè neque Trinitas vnitatẽ minuit, quæ naturę eſt, neque vnitas Trinitatem, quæ perſonarum eſt, tollit. Quare ex falſa ſuppo-
B ſitione erras, cùm ais. Si Trinitas eſt vnitas, ergo non Trinitas, & è contra; confundis enim Trinitatis, & vnitatis terminos, ac pro eodem ſupponere exiſtimas? at non ita eſt, nam vnitas pro eſſentia, ac natura ſupponit; Trinitas pro perſonis tantùm. In eſſentia vnitas eſt: in perſonis Trinitas: atque ob naturæ identitatem, quæ in tribus perſonis eſt, Trinitas vnitas dicitur, id eſt, tres perſonæ vna natura ſunt: & ob perſonarum diſtinctionem, quæ in vna natura ſubſiſtunt; vnitas Trinitas appellatur, id eſt, vna Eſſentia vel natura in tribus perſonis: ita fit, vt varia-
C ta ſuppoſitione nihil obſtet, quominùs Trinitas de vnitate, & è conuerſo, vnitas de Trinitate dici poſſit: quemadmodum de tribus illis hominibus dictum eſt, qui cùm in eadem natura numero conueniant, de iis verè enunciari poteſt, tres ſunt vnum, & vnum eſt tres.

EN quàm apertè ratio ipſa docet, nihil in hoc Trinitatis myſterio repugnantiæ, aut contradictionis ineſſe. Quòd ſi exempla ab ipſis rerum conditarum naturis mutuari licet, plurima ſanè non deſunt, quæ (tametſi imperfectè) diuinam tamen hanc Trinitatem indicant.

D RADIVS enim cùm ex Sole egreditur, [Tertullian.] (quo exemplo vtitur Tertull. in Apolog. cap. 21.) Sol ipſe eſt in radio, & radius à Solis natura non diſcinditur, nec ſeparatur, quamnis ad plura extendatur. Ex Sole verò, & radio, ſplendor emanat; neque is aliam quàm Solis ſubſtantiam ſibi vendicat, qua fulciatur. Tria igitur ſunt, Sol, radius, ſplendor, à ſe inuicem numero diſtincta: Sol enim differt à radio, radius verò non eſt ipſe ſplendor, qui à radio, & à Sole manat: eadem tamen eſt horum trium ſubſtantia; ita vt de iis rectè di-
E ci poſſit, Sol, radius, ſplendor licèt tria ſint, vnum tamen ſunt. Ita de diuina Trinitate (perfectiùs tamen) ſentire fas eſt. Nam ex fœcunda Patris natura, tanquam à Sole, ac totius Deitatis fonte, Filius velut radius generatur, ac velut lux de luce, lumen de lumine, Deus de Deo egreditur. Neque is à Patris natura vllo modo abeſt: cùm eandem Patris naturã generatione acceperit Ex vtroque vero Spiritus ſanctus velut ſplẽdor erumpit, ab iis non natura, ſed perſona diſtinctus: ita fit, vt cùm tres ſint perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus reipſa à ſe inuicem diſtinctæ, vna tamen in tribus ſubſtantia, vna natura, vna diuinitas ſit: nec quiſquam efficere poſſit (vt ait Nazianzenus) [Nazianzen.] vt cùm primùm vnum cogitare cœperit, mox trium fulgore non circundetur, & cùm tres diſcreuerit, in vnum non incidat.

ALTERO quoque exemplo vtitur Nyſſenus [Nyſſenus.] ad Simplicium de fide, quod etiam eſt Auguſtini [Auguſtinus.] de fide ad Catechumenos, vt rem hanc explicent. Ignis namque ex quo eſſe incipit, continuò ſplendorem ex ſe gignit, neque ignis ante ſplendorem, neque ſplendor poſt ignem; ſed vterque ſimul, & ignis & ſplendor exiſtunt, cùm tamen vna tantùm ignis natura igni, ac ſplendori ſubſternatur. Ex iis calor emanat, qui ex igne & ſplendore proficiſcitur; atque eidem prorſus ignis naturæ, ac ſubſtantiæ, qua ſplendor ſubſiſtit, innititur. En igitur perfecta Trinitas; ignis, ſplendor, calor; quæ tres ſunt, velut ignis hypoſtaſes à ſe inuicem proprietate diſtinctæ. En vnitas, quandoquidem tria hæc in vnam ignis naturam coëunt.

LIBET etiã ex Mathematicis aliud exemplum decerpere: cùm deſcribitur triangulus, à primo puncto linea recta ducitur ad ſecundum punctum, proinde ac ſi punctum (vt more Mathematicorum loquar) moueretur in punctum, & punctum gigneretur ex puncto. Hic igitur primùm ex vnius motu duo puncta relinquuntur; ducantur ex his duæ lineæ æquales ad tertium pũctum, quod rectis radiis vtrumque primum, ac ſecundum punctum reſpicit. Ita fit, vt ex tribus punctis ſe inuicem aſpectantibus, ac tribus æqualibus lineis, punctis indiuiſibilibus coniunctis perfectus triangulus conſurgat.

IAM quid in ſuprema illa Dei Trinitate agatur, hinc quantùm homini fas eſt, perſpicere licet. Attigite aures Hebræi, à prima enim Patris perſona, quæ velut punctum indiuidua eſt, innaſcibilis, ingenita, vna, ac ſimpliciſſima; ſecundum per generationis lineam punctum, Filij ſcilicet perſona producitur. Ita primo ordine primum punctum mouetur in ſecundum pũctum: nam ordine originis prior eſt Patris perſona ingenita, quam Filius genitus, Filius verò genitus eſt terminus, in quem primò Pater mouetur. Vterque verò tam Pater, quàm Filius in Spiritum ſanctum tanquam in tertium punctum mouentur: ab iis enim in agendo coniunctis tanquam ab vno principio tertia Spiritus ſancti perſona producitur, quæ æquis proceſſionis radiis, Patrẽ, & Filium reſpicit, quia æquè ab vtroque procedit, atque in eo omnis hic diuinus motus ſiſtit. Porrò quemadmodum tria illa indiuiſibilia puncta, quæ tres illas lineas

æquales concludunt, ex vna ttianguli natu-ra manant,ac vnum duntaxat ttiangulum efficiunt: ita tres hæ perſonæ diuinæ Pater,Filius, & Spiritus ſanctus ſibi inuicem coæternæ & coæquales,cùm ex vna Dei natura proficiſcantur, vnum duntaxar Deum efficiunt: arque ita tandem magnum illud atque immenſum Trinitatis diuinæ velut corpus conficitur, cuius centrum eſt Pater, longitudo Filius, latitudo Spiritus ſanctus, profundum ipſa diuina natura, quæ vna tribus his perſonis ſubſternitur.

COMPLVRES huiuſmodi ſimilitudines ex rebus creatis petere poſſumus, quæ increatam illam Trinitarem, & vniratem,cuius veſtigia ſunt, quodammodo inſinuant. Nam vt ab ipſa orbis totius mole exordiamur; illa(teſte Moyſe) trinitate continetur cœli,terræ, marinm; cuius etiam conſtitutio tribus periodis abſoluitur, creatione, diſpoſitione, ornatu; in plantis hæc etiam trinitas viget. Illæ enim radice, trunco, ramis conſtant, quæ vnam duntaxar arborem efficiunt. In aquis eſt ſcaturigo, latex, amnis,quæ in eandem fluminis naturam coëunt. In numeris, primus, ſecundus, & tertius numerus ternarium vnum numerum præſtant. In viuentibus eſſe, viuere, & moueri, brutum conſtituunt. In homine, memoria, intellectu, voluntate vna anima conſiſtit. Hominem autem viuum Chriſti membrum tria efficiunt, fides,ſpes,& charitas.

TEMPVS ex præterito, præſenti, & futuro vnum coaleſcit; dies vna veſperum, mane, & meridiem continet.Locus tergeminam habet poſitionis differentiam, ante, & retro,ſurſum,deorſum,dextrum,& ſiniſtrum. Corpus trinam habet dimenſionem, qua vnum conſtituitur, longitudinem, latitudinem, profunditatem.In artificialibus tres annuli cātenam efficiunt; denique in omnibus natura conſtantibus hæc trinitas elucet, natura, vis, vſus, modus, ſpecies; ordo, principium, medium,finis,materia,forma,priuatio.

ITAQVE vbique fulget ſplendidiſſima hæc Trinitatis imago, qua in diuinam illam ac ſupernam Triadem velut manu ducimur. Verùm hæ ſimilitudines quamuis diuinæ Trinitatis naturam quodammodo inſinuent, A nunquam tamen perfectè declarant, cùm plures accidentium ſint, pleræque etiam non realem, ſed rationis duntaxat diſtinctionem indicent: at verò his plerique Patres vtuntur, vt ex rerum conditarum trinitate, diuinarum perſonarum Trinitatem rationi haud repugnare oſtenderent.

AT ad Hebræos redeo, & ad Scripturarum teſtimonia. An putatis Hebræi leuiter ab Iſaia dictum fuiſſe cap. 40. Deum tribus *Iſai. 40.* digitis molem terræ appendere; neque plures, neque pauciores digitos quàm tres enumeraſſe? hac quippe digitorum trinitate diuinam B Trinitatem indicabat, quæ indiuiſibiliter diuiſa, & diuiſibiliter indiuiſa (vt ait D. Maximus) indiuiſè orbem condidit. Num fruſtrà Ezechiel commemorat in diuini il- *Ezech. 40.* lius Templi structura, vniuerſa trium menſura fuiſſe dimenſa? Et ſecundo Paralipom. 21. *2. Paralip. 21.* num fruſtrà trium optio datur Dauidi, quibus ob admiſſum facinus puniri deberet? Illud enim perfectū Triadis cultum, hoc vltionem in impios à tota Trinitate manare docet.

TANDEM ſuſpicite tres illos viros,quos C in amplexu nemorū vidit Abraham,& vnum *Geneſ. 18.* tantùm eſt alloquutus. Tres lapides, quos *cap. 28.* capiti ſuo ſuppoſuit Iacob Eſau fugiens,quos manè in vnum coaluiſſe ex Hebræorum ſententia inuenit. Tres propagines vitis, quas *cap. 40.* pincerna Regis ſuper caput ſuum excreſcere per ſomnum aſpexit. Tres igneos Solis ra- *Ecclef. 43.* dios, quibus tripliciter montes exuri, atque excoqui narrat Eccleſiaſticus. Hæc enim ad ſummam illam ac beatiſſimam Trinitatem vobis velut viam ſternunt, vt tres in Trinitate perſonas, tres ſubſiſtentias, tres hypo-D ſtaſes, vnam verò naturam; vnam ſubſtantiam, vnam Deitatem, vnum Deum credatis. Ex iis enim Trinitas, id eſt, trium vnitas conſtituitur.

EX his igitur apertè Iudæis demonſtratum ſit; Trinitatis myſterium, licèt arduum ac ineffabile ſit, neque Scripturis, neque veræ rationi repugnare; vt hinc diſcant cùm Meſſiam nos Deum eſſe dicimus, nos nihil nouum aut inauditum in veram fidem inuehere: ſed antiquam, atque omnibus ſæculis coæuam(tametſi hactenus occultam)fidei veritatem ſtatuere.

DEMON

DEMONSTRATIO
SECVNDA GENERALIS
SECVNDI SYMBOLI
aduerſùs Iudæos.

De Meßiæ aduentu iam præterito.

Præfatiuncula.

MESSIAE aduentũ adhuc ſuſpenſi præſtolantur Hebræi, & cũ luce meridiana clariùs eũ iam aduenisſe conſtet, adhuc tamen vana huic expectationi inhærentes inani hac ſeipſos ſpe fallunt: in quo ſanè miſeram antiqui illius Heli ſui ipſorum Sacerdotis cæcitatem videntur imitari: cuius olim oculos tam denſa (vt ſcribitur Reg.3.) caligo operuerat, vt ardentem in templo lucernam Domini intueri non poſſet: quod nunc quoque Synagogæ accidit, quæ fidei lumine orbata, in tam miſeras, ac horrendas cæcitatis tenebras incidit, vt affulgentem in Orbe Meßiæ aduentum agnoſcere non valeat. Quapropter hac ſecunda Demonſtratione Iudæorum oculos horribili hac perfidiæ caligine reſperſos, quoad fieri poterit, Deo fauente illuſtrare aggredior; in qua nouem articuli explicandi erunt.

Primus, Quòd promißiones de futuro Meßia in lege expreſſæ, non carnaliter, ſed ſpiritualiter ſunt intelligendæ.

Secundus, Quòd Meßias à Iudæis expectatus iampridem venit; id primùm demonſtratur ex Scripturis, quæ Meſſiæ aduentui tempus præſcribunt.

Tertius, Demonſtratur ſecundò ex ſubiectione Romani Imperij, & vniuerſali regno Chriſti iuxta Danielis vaticinium.

Quartus, Demonſtratur tertiò ex ſeptuaginta hebdomadarum (iuxta Danielis oraculum) tempore iam elapſo.

Quintus, Demonſtratur quartò ex deuaſtatione ſecundi templi iuxta Aggæi Prophetiam.

Sextus, Demonſtratur quintò ex oraculorum defectu, & idololatriæ interitu.

Septimus, Demonſtratur ſextò ex abrogatione legis, & Circunciſionis.

Octauus, Demonſtratur ſeptimò ex Hebræorum veterum teſtimoniis.

Nonus, Soluuntur obiecta recentiorum Iudæorum impugnantia Meſſiæ aduentum iam præteritum.

Quòd promiſſiones de futuro Meſſia in lege factæ non carnaliter, ſed ſpiritualiter ſunt intelligendæ

ARTICVLVS PRIMVS.

LEGIS promiſſiones, quę ad Regis Meſſiæ aduentum pertinent, Hebræi carnaliter, ac iuxta literæ corticem interpretantur: hinc duplex illorum error originem ducit. Pri-

A mus eſt, quòd Meſſiam proprio diuinitatis honore ſpoliant, & hominem duntaxat eſſe arbitrantur. Secundus, quòd ipſum nondum aduenisſe ſibi velut certum perſuaſum habent: atque inde perpetua illius expectatione exagitãtur. Duo igitur hîc docenda erunt. Primũ, legem ſpiritualiter intelligẽdam eſſe: ſecundum,

Digitized by Google

ſecundum, potiſſimas legis promiſſiones de Meſſia factas, non iuxta carnalem: ſed ſpiritualem ſenſum exponi debere.

PRINCIPIO, quòd ad legis intelligentiam ſpectat; mirabile eſt, quàm nudæ legis literæ carnales Hebræi fixi inhæreant, quoties myſterium aliquod in lege contemplandum proponitur, ita vt nec ab ea diuelli vllo modo poſſint: cùm tamen exploratum ſit, pleraque legis myſteria à Spiritu ſancto, qui legis auctor eſt, ita ab humano literæ ſenſu longè diſtantia propoſita eſſe, vt ea non niſi ſpiritualiter comprehendi valeant: quò fit, vt ad ea explicanda nobiliori, ac præſtantiori ſpiritus intelligentia opus ſit.

ID verò ne à nobis fortè confictum Iudæi arbitrentur, antiquiores ex Hebræis illis teſtes adhibeo, qui, vt refert Galat. de Arcan. Cat. fid. lib. 1. c. 6. duplicem in lege intelligentiam conſtituunt, vnam quidem literalem, quàm *Dabar caton* paruum verbum appellant, alteram verò ſpiritalem, quam *Dabar gadol*, verbum magnum vocant: atque iidem literalem ſenſum lucernæ comparant, quæ paruo pretio emitur, myſterium verò pretioſæ gemmę, ac margaritæ ſimilem dicunt, quæ in domo latet, & lucernæ beneficio conſpicitur. Denique interdum adeò myſticum ſenſum extollunt, vt illum certitudinem, ac clauem legis vocitent, *Buriah ſeeltorah.* Id teſtatur R. Moyſes in primo tractatu libri More his verbis. *Scito quòd clauis intelligentiæ vniuerſorum, quæ Prophetæ dixerunt, eſt intelligere parabolas & metaphoras, ac ſimilitudines, atque ænigmata. Scis etenim apud Oſeam cap. 12. dictum eſſe* וביד הנבי אם אדמה *vuiad hannevi im adammeh. In manu Prophetarum aſſimilabo: & iterùm apud Ezechielem cap. 17.* בן אדם חוד חידה ומשל משל אל בית ישראל *ben adam hhud hhidah vmſciol maſcial el beth Iſraël. Tibi fili Adam ænigmatiza ænigma, & parabolıza parabolam ad domum Iſraël.*

Galatinus.

R. Moyſes.

IDEM Rabbinus poſt pauca explicans locum illum Prou. 25. quem ita legit. *Poma aurea in cancellaturis argenteis, verbum dictum ſecundùm ambas facies ſuas. Audi* (ait) *quæſo huiuſce ſententiæ expoſitionem. Cancellaturæ argenteæ ſunt retiacula argentea, in quibus oculi ſunt minutiſſimi, pęnetrabiles tamē viſu. Eſt ergo ſenſus, quòd verbum dictum ſecundùm ambas facies ſuas, id eſt, ſecundùm interiorem, & exteriorem ſenſum, eſt ſicut pomum in retiaculo argenteo. Ac ſi dicat neceſſarium eſſe, vt ſit ſenſus exterior pretioſus, & bonus velut argentum: interior verò multò melior ſicut aurum: donec ſe habeat exterior ad interiorem, ſicut ſe habet argentum comparatum ad aurum. Neceſſe quoque eſt, vt ſit aliquid in exteriori ſenſu, quod ducat, ac trahat conſiderantem ad interiorem. Quemadmodum pomum aureum veſtitum retiaculo argenteo, cùm procul reſpicitur, vel abſque multo intuitu totum videtur argenteum: cùm verò ob valorem argenti, atque decorem, habens viſum perſpicacem prouocatus acceſſerit, videbit profectò aureum pomum intus latere. Sic igitur ſunt verba Prophetarum. Frequenter enim ea quæ exteriùs ſunt, ſapientia eſt vtilis ad multa: vt ad compoſitionem morum, ac ſtatus congregationis hominum: ſicut patet in ſuperficie Prouerbiorum Salomonis. Quæ autem interiùs ſunt, ſapientia eſt perutilis in credendis ſecundùm veritatem.* Hactenus Rabbi Moyſes Ægyptius, cui illud encomium Hebræi canunt, vt à Moyſe vſque ad hunc Moyſem, neminem maiorem ſurrexiſſe dicant.

ID verò confirmatur ex veterum Hebræorum doctrina. Nam ij quidem (teſte Petro Galat. de Arcan. Cat. fid. lib. 1. cap. 1.) duplicem à Deo legem latam eſſe aſſerunt, in Sinai alteram, quàm *Torah ſcebichetab*, id eſt, legem ſcripto traditam vocant, alteram verò quam *Thorah ſcebeal pe*, id eſt, ore tenus pronunciatam appellant; quæ quidem præter ipſius ſcriptæ legis explanationem nihil continet. Prima illa fuit tabulis lapideis digito Dei ſcripta: altera verò Moyſi ſeorſim ore tenus declarata. Quamobrem in libro Berachot, id eſt, benedictionum, aiunt priſci Thalmudiſtæ, Moyſem ab eodem Deo, & legem, & legis expoſitionem in monte Sinai accepiſſe. Hanc autem legis explanationem ad geminum ſenſum tendere, literalem nimirum, & ſpiritalem, ſiue myſticum, quorum neutrum Moyſes ſcripto exarauerit, ſed tantùm ore traditum reliquerit. Atque hanc eam eſſe legem affirmant, de qua in Capitulis Patrum ita ſcribitur. *Moyſes accepit legem de Sinai, & eam tradidit Iehoſuæ, Iehoſuas autem ſenioribus, ſeniores autem Prophetis, Prophetæ verò viris Synagogæ magnæ* Magnā autem Synagogam eam appellant, quæ fuit Eſdræ temporibus: neque hanc legem nunc omnino periiſſe exiſtimant; eam enim in ſapientioribus Hebræis, quos Cabaliſtas appellant, adhuc ſuperſtitem eſſe volunt: atque inde eam Cabalam vocitarunt, id eſt receptionem, quòd ea verbo tantùm reciperetur.

Galatinus.

Capitula Patrum.

HANC igitur exploratum eſt, duplicem eſſe quodammodo legem, carnalem ſcilicet, & ſpiritualem, quæ ab inuicem ſenſu diſtinguantur, lex carnalis literalem, & externum tantùm ſenſum ſibi vendicat, ſpiritalis verò myſticum, & internum. Hinc Gregor. Nazianz. in oratione funebri de laudibus Baſilij. *Moyſes* (ait) *duplicem legem ſanxit, literalem nimirum externè, ſpiritualem internè.* Et Orig. lib. 7. cont. Celſum ait: *Dicimus legem eſſe duplicem: alteram iuxta literam, alteram iuxta ſententiam, ſicut & maiores noſtri docuerunt.* Quò fit, vt ad veram legis intelligentiam aſſequendam ſola litera non ſufficiat: ſed ſpiritualis ſenſus quoque indagandus ſit.

Greg. Naz.

Origenes.

QVOD etiam ipſæ ſacræ literæ paſſim non

Pſal. 18. non obſcurè teſtantur. Nam Dauid Pſalm. A 118. ita Deum precatur, גל עיני ואביטה נפלאות מתורתך *gal ghenai veabbita niphlaoth mittorathecha. Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua*; & poſt pauca, הבינני ואצרה תורתך *hauineni veetſera thorathecha. Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam.* Quorſum obſecro Dauid à Deo peteret mentis oculos ſibi illuſtrari, & intelligentiam ad arcana legis myſteria contemplanda aperiri, ſi ſola legis litera ad illius intelligentiam ſatis eſſet? Porrò cùm Vates ſanctus ſolo literæ cortice non contentus ardentiori ſtudio ad internam legis contemplatio- B nem ſeratur, inde apertum eſt, præſtantiorem, ac perfectiorem ſub litera legis ſenſum magis expetendum latere.

Daniel.12. Id præclarè confirmat Dan. cap. 12. vbi Angelus, qui Danielem alloquebatur, ac Diuina myſteria illum edocebat, ita inquit, ואתה דניאל סתם הדברים וחתם הספר עד עת קץ ישטטו רבים ותרבה הדעת *veatta Daniel ſethom haddebarim vehhathom haſſepher ghad gheth kets iſciottu rabbim vethirbe haddaghath. Tu autem Daniel claude ſermones, & ſigna librum vſque ad ſtatutum tempus, plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſcientia.* Iam C verò quid hic ſignatus liber, & clauſi, atque occulti ſermones indicent, facillimum eſt iudicare; ipſum eſſe ſui vaticinij arcanum, quod nullis, aut ſaltem paucis, atque iis ſapientioribus myſtici ſenſus peritis patefaciendum erat, vt idem Angelus paulò pòſt affirmat, cùm eodem capite cum Daniele loquens ait, לך דניאל כי סתמים וחתמים הדברים עד עת קץ יתבררו ויתלבנו ויצרפו רבים והרשיעו רשעים ולא יבינו כל רשעים והמשכילים יבינו *lech Daniel ki ſethumim vahhathumim haddebarim ghad gheth kets itbbarru veithlabenu veitſarphu rabbim vehirſighu reſciaghim* D *velo iauinu col reſciaghim vehammaſkilim iauinu. Vade Daniel, quia clauſi ſunt, ſignatique ſermones vſque ad præfinitum tempus. Eligentur, & dealbabuntur, & quaſi ignis probabuntur multi, & impiè agent impij: porrò docti intelligent.* At quomodo id verum eſſet, ſi non myſticus ſenſus, ſed ſola litera in lege aſpectanda eſſet: quandoquidem non litera, ſed myſticus ſenſus eſt, qui in lege, ac Prophetarum verbis obſcuritatem parit?

At fortè dicent Hebræi, Scripturas quoad nonnullas Prophetarum viſiones, quibus E paſſim reſperſæ ſunt, obſcuras eſſe, ac difficiles, atque in his myſticum ſenſum eſſe indagandum: in cæteris verò eſſe perſpicuas, atque eas præſertim, quæ de Meſſia agunt. At illis nos præclariſſimum Vatem Iſaiam opponimus, qui cap. 29. vniuerſam legem iiſdem obſcuritatibus teneri affirmat; ac proinde totam myſticè exponendam eſſe,

Iſa.29. ותהי לכם חזות הכל כדברי הספר החתום אשר יתנו אתו אל יודע הספר לאמר קרא נא זה ואמר לא אוכל כי חתום הוא. *vattehi lachem hhazuth hakol kedibri haſſepher hehhathum aſcer ittenu otho el iodeangh haſſepher lemor kera na zeh veamar lo vchal ki hhathum hu. Et erit* (inquit) *vobis viſio omnium, ſicut verba libri ſignati, quem cùm dederint ſcienti literas, dicent, lege iſtum: & reſpondebit, non poſſum, ſignatus eſt enim.* Iam quid Iſaiæ reſpondere valent Hebræi? En vniuerſa figuris ſignata, vt ait Paulus noſter. *Omnia in figuris contingebant illis.* Reuoluant, perluſtrent, ſcrutentur vniuerſas, quas in lege, & Prophetis de Meſſia viſiones acceperunt, & omnes variis figuris, & ænigmatibus obuolutas, & quaſi voluminibus circunte ctas, ac ſigillis quibuſdam obſignatas (Iſaia teſte) eſſe intelligant.

An non viſio illa de Meſſia fuit, quæ legitur Geneſ. 17. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*, quæ tamen Iudæis obſignata eſt, neque illius ſenſum intelligunt? Certè illa de Meſſia viſio fuit, quæ habetur Gen. 49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittẽdus eſt.* Illa Num. 24. דרך כוכב מיעקב וקם שבט מישראל *darach kochau mijaghakob vekam ſcenet myſrael. Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga ex Iſraël.* Item illa Iſa. c. 9. *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, cuius imperium ſuper humerum eius. Et vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſæculi, Princeps pacis.* Item illa cap. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Item cap. 45. *Rorate cæli de ſuper, & nubes pluant iuſtum*, &c. Et totum cap. 53. vbi de Meſſiæ paſſione fusè agitur. Gen.17. Gen.49. Num.24. Iſa.9. cap. 7. cap. 45. cap. 53.

Adde etiam viſiones Ierem. c. 23. *Ecce dies veniunt, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum*, &c. *Et hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter.* Michææ 5. *Et tu Bethlehem terra Iuda*, &c. Zachar. 9. גם את בדם בריתך שלחתי אסיריך מבור *gam ath bedã veritech ſcillabhti aſiraich mibbor. Tu autẽ in ſanguine tuo eduxiſti vinctos de lacu.* Et c. 12. ושפכתי על בית דויד ועל יושב ירושלם רוח חן ותחנונים והביטו אלי את אשר דקרו *veſciaphachti ghal beth Dauid veghal ioſcene Ieruſcialaim ruahh hhen vethahhanunim vehibbitu elai eth aſcer dakaru. Effundam ſuper domum Dauid, & ſuper domum Ieruſalem ſpiritum gratiæ, & miſerationis, & aſpicient in me quem confixerunt.* Daniel. c. 9. *Et poſt hebdomades 72. occidetur Chriſtus, & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt.* Dauid Pſalm. 118. *Dixit Dominus Domino meo*, &c. *Ex vtero ante luciferum genui te.* & Pſalm. 71. qui totus eſt de Meſſia, & cæterorum Prophetarum viſiones, quæ ad Meſſiam pertinent. Neque enim vnquam Prophetæ vaticinati ſunt, niſi per ſomnium, aut viſionem, vt habetur Nom. 12. אם יהיה נביאכם יהוה במראה אליו אתודע בחלום אדבר בו *im ihie* Ierem. 23. Michea 5. Zach. 9. & 12. Dan. 9. Pſal 118. Pſal. 71. Num. 12.

meniachem Iehoua bammara elau eth vaddangh A *babhalom adaber bo. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, aut per ſomnium loquar ad eum.* Demum quotquot apud legem, aut Prophetas de Meſſia vaticinia extant, cuncta nec vllo quidem excepto, Hebræis futura eſſe quaſi verba libri ſignati, obſcura, & intellectu difficilia pronunciat Iſaias, quæ vix aliqui ex ſapientioribus, quorum mentes Deus illuſtrauerit, intelligere queat.

Miserabilis ſanè, ac deploranda Iudæorum conditio hîc ſpectanda eſt. Librum Iſaiæ accipient, quem Meſſiæ potiùs Euan- B geliſtam, quàm Prophetam dixerim. Hunc manibus geſtabunt, verſabunt, anxij reuoluent, vt Prophetæ ſenſum aſſequantur (proh dolor) nec tamen ad illius intelligentiam vnquam peruenire queunt: ſignatus eſt enim liber. At qua de cauſa illum non intelligunt? literæ enim tantùm inhærent, ſpiritum contemnunt. Externum tantùm legis ſenſum quærunt, internum reiiciunt, literæ corticem amplectuntur, myſtici ſenſus medullam reſpuunt: ita fit, vt ad veram legis intelligentiam nunquam pertingant. C

At mirabuntur Hebræi, quòd illis legis imperitiam obiicimus, moleſtè ferent, excandeſcent à nobis legis ignaros appellari; cùm ſoli apud ſe veram ſapientiam, ac legis peritiam eſſe iactent. At certè mirari deſinant, ac Iſaiam cap. 29. hanc poſterioribus Hebræis legis inſcitiam, ex occulto Dei iudicio in eos manantem, prædicentem audiant. הנני יוסף להפליא את העם הזה הפלא ופלא ואבדה חכמת חכמיו ובינת נבניו תסתתר *hinni ioſiph lehaphli eth hagham hazzeh haphle vaphele veaudah hhachmath hhachamau vuinath* D *neuonau tiſtatar. Ecce ego* (inquit) *addam, vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & ſtupendo. Peribit enim ſapientia à ſapientibus eius, & intellectus prudentium eius abſcondetur.* Grande ſanè, ac pluſquàm dici poſſit, ingens miraculum Hebræis recentioribus videtur, quod illos in ſummam animi admirationem ac ſtuporem ducit, cùm ſibi à Chriſtianis exprobrari audiunt, ſapientiam in Hebraiſmo periiſſe, Rabbinos ſuos à vera legis intelligentia penitus excidiſſe, Propheticorum oraculorum myſteria ab iis ignorari; ve- E rum Scripturarum ſenſum ab Hebræis ad Chriſtianos tranſiiſſe. Denique apud illos ita omnia veræ fidei myſteria clauſa, ac obſignata reperiri, vt omnia infidelitate plena ſint. Quid hoc Hebræis admirabilius, qui legem ac Prophetas à Deo acceperunt, ac teſte Baruch c. 3. ſibi omnem diſciplinæ ac ſapientiæ viam auditam eſſe affirmante.

At hoc ipſum non ſolùm Iſaiam, ſed Moyſen quoque illis prænunciaſſe meminerint
Deut. 32. Deut. 32. הם קנאוני בלא אל כעסוני בהבליהם ואני אקניאם בלא עם בגוי נבל אכעיסם *hem*

A *kinuni velo el kighaſuni behaulehem vaani akniem velo gham begoi naual achghiſem.* Cuius etiam rationem reddit eodem loco, nimirum ob illorum peccata hac Iudæos à Deo pœna mulctandos. *Ipſi* (inquit) *me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus ſuis. Et ego prouocabo eos in eo, qui non eſt populus, & in gente ſtulta irritabo illos.* Gentium populum Deus gentem ſtultam appellat, quòd in ſtultam Deorum opinionem prolapſus, ac ſimulachorum cultui deditus verum Deum ignoraret, ac propterea non po- B pulum tunc vocat, cùm necdum ab errorum tenebris vindicatum Deus in populum ſibi elegiſſet, ac filios Dei fide necdum purificatos effeciſſet: quod tamen ſuo tempore facturũ ſe Deus pollicebatur Oſeæ c. 1. והיה Oſea 1.
במקום אשר יאמר להם לא עמי אתם יאמר להם בני אל חי *vehaia bimkom aſcer ieamer lahem lo ghammi attem ieamer lahem beni el hai. Et erit* (ait) *in loco vbi dicetur eis, non populus meus vos, dicetur eis, filij Dei viuentis.* Is tandem proculdubio eſt Chriſtianus populus, qui cùm veræ fidei hæres à Deo inſtitutus in C Hebræi populi locum vocatus fuerit; veram etiam cum fide ſacrarum literarum intelligentiam aſſequutus eſt: atque inde Iudæorum æmulatio exorta eſt, quòd cũ nunc vera legis intelligentia præcedere videt, quem aliquando ſtultiſſimum per orbem diſperſum, velut Dei non populum aſpexit. At ſanè immeritò nos Iudæi æmulantur. Nam cùm nos Hebræo populo velut legis interpretes ſacrarum Scripturarum ſenſum aperiamus, à nobis potiùs veram legis doctrinam addiſcere, vnde ſalutem adipiſci poſſent, quàm aduer- D ſùm nos æmulationem concipere deberent.

Hoc igitur Hebræis firmum, atque indubitatum eſſe debet; duplicem eſſe legis ſenſum, quo illa omnino perfecta redditur; literalem nimirum, & ſpiritualem: habet literalem velut corpus, habet & ſpiritualem velut animam. Nam quemadmodum ſolum corpus abſque anima hominem perfectum non reddit; ita literalis ſenſus tantummodò ſublato ſpirituali imperfectam tantùm legem demonſtrat: vt igitur lex perfectiſſimam ſeſe exhibeat, vtroque ſenſu conſtare debet. Hinc E Moyſes, qui legis ſtatum præ ſe fert, faciem quidem ſplendidam, ac fulgentem; ſed velo tectam gerebat, vt hunc geminæ legis ſenſum inſinuaret. Lex enim intus ob ſpiritualem ſenſum fulget; foris verò literalis ſenſus legis faciem velut quodam velo obductam oculis ſpectandam præbet. At quemadmodum filij Iſraël Moyſis faciem ob affulgentem illius claritatem ferre non valebant, ſed velato duntaxat vultu eum ſibi loqui poſcebant: ita nunc quoque Hebræis contingit, qui cùm in interiora legis introſpicere, & myſtici ſenſus fulgorem intrò latentem ſuſti-

nere

nere non valeant, quoties Moyſen legunt, velatum intuentur, cùm verò ad literæ velum tantùm oculos defigunt, nec mente ad occultum myſtici ſenſus ſplendorem, quo illuſtrari poſſent, pertingunt, inde rudes, ac craſſas quaſdam de Meſſia imaginationes ſibi fingunt.

HIS ſibi perſuaſum habent, Meſſiam maximum in orbe fore bellatorem, qui plurima hoſtium ſtrage, ac cruentis prælijs, longè latéque diffuſum orbis Imperium ſibi comparare debeat, orbem ferro domare, vrbes extruere, opibus ac diuitijs affluere: præterea vxores ducere, liberos procreare, ac cætera huiuſmodi, quæ literam tantùm, ac carnem ſapiunt, præſtare debeat. Hanc verò conceptam de Meſſia opinionem ex ſola legis, ac Prophetarum litera colligunt. Nam de Meſſiæ bellis Regium Vatem agere volunt Pſal. 44. *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſimè, &c. Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent, in corda inimicorum regis.* Pſalm. 109. (Pſal. 44. / Pſal. 109.)
אדני על ימינך מחץ ביום אפו מלכים ידין בגוים מלא גויות מחץ ראש על ארץ רבה *adonai ghal seminecha mahhats beiom appo melachim iadin bagoim male geuioth mahhats roſc ghal erets ribba. Dominus à dextris tuis confregit in die iræ ſuæ Reges. Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquaſſabit capita in terra multorum.* Item Iſa. cap. 63. (Iſa. 63.) מדוע אדם ללבושך ובגדיך כדרך בגת פורה דרכתי לבדי ומעמים אין איש אתי ואדרכם באפי *madduangh adom liunſcecha vugadecha kedorech begath pura darachti leuaddi vmeghammim en iſc iti veedrechem beapi. Quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum; calcaui eos in furore meo.* His Prophetæ videntur Meſſiam bellatorem hoſtium ſanguine madidum depingere.

CVM verò de Meſſiæ Regno Prophetas differentes legunt. Dauidem Pſalm. 71. (Pſal. 71.) *Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum.* Iſa. 9. (Iſa. 9.) *Factus eſt principatus ſuper humerum eius.* Hierem. 23. (Hierem. 23.) *Regnabit rex, & ſapiens erit.* Daniel. 2. (Daniel. 2.) *Suſcitabit Deus cæli regnum, quod non corrumpetur, & regnum eius alteri non tradetur.* Zachar. 9. (Zachar. 9.) *Ecce rex tuus venit tibi.* Hinc temporaliter Meſſiam in orbe regnaturum ſperant, cuius Imperium toto orbo diffuſum, Hebræos totius orbis triumphatores, ac glorioſos præſtare debeat.

DENIQVE cum de Meſſiæ vxore interpretentur illud Pſalm. 44. (Pſalm. 44.) נצבה שגל לימינך בכתם אופיר *nitſcua ſcegal liminecha bichethem ophir. Aſtitit Regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato circundata varietate.* De Meſſiæ filiis illud eiuſdem Pſalm. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij. Constitues eos principes ſuper omnem terram.* Item illud Iſa. 53. (Iſa. 53.) יראה זרע יאריך *ire zeraugh iaarich. Videbit ſemen longæuum.*

A Meſſiæ procul dubio vxorem, & liberos tribuunt, quorum propagatione illius Imperium diuturnum fore expectant.

HAC igitur vana Meſſiæ expectatione freti Iudæi, illum quàm auidiſſimè efflagitant, vt eos quamprimùm à miſerabili, qua modò opprimuntur, calamitate liberatos, glorioſos inter omnes orbis totius populos rerum omnium opulentia refertos efficiat.

AT ego hic Iudæorum fidem expoſtulo, qui talem ſibi Meſſiam confingunt: an non illos puderet tã leuia, ac indigna de ſuo Meſſia cõfingere? Quid? an non præclariſſimũ Meſſiã B plus æquo deiiciunt, cùm bellatorem (licèt corpore robuſtum, ac ſtrenuum) efficiunt? Quale enim eſt corporis robur, quod annorum curriculis minuitur, quod ſenectute labitur, quod ægritudine teritur, quod tandem morte proſternitur? Planè dum illum ad prælia accinctum, hoſtes proſternere, acies profligare, ac cruento prælio ſuperatos, manibus poſt terga reuinctis, reges in triumphum ducere ſibi perſuadent, crudelem, ac ſanguinarium efficiunt, qui hoſtium ſanguine delectetur, cupidum qui aliena Regna in- C uadat: Tyrannum, qui violenter aliorum bona deprædetur: furem, qui non ſua poſſideat: variis tandem criminibus obnoxium volunt, cùm hoſtiles inimicitias gerere; ſanguinem profundere, & innumera populorum ſtrage Imperium ſibi comparare arbitrantur.

MESSIAM vrbium conditorem confingitis, Hebræi: at quam inde illi ſingularem laudem, ac gloriam paratis, cùm hæ hoſtium furori pateant, cùm obſidione capi, depopulari, ac deuaſtari ſæpe contingat, cùm terræmotibus abſorberi, incendiis conflagrare, D fluminum impetu obrui, ac demum vetuſtate labi poſſint?

MESSIÆ vxorem, ac liberos tribuitis. At num ignoratis vxoris nomen, licèt dulce ſit, plurimis tamen ærumnis eſſe refertum? quis enim quarundam vxorum inſolentias; quis pompas interdum ferre poſſit; quas amplæ dotes tumidas, genus inſolentes, forma verò ſuſpectas reddit, deformitas quoque facit inuiſas? Taceo quot in maritos fraudes excercent, quot ſimulationes, quot proditiones, quot plerumque ſuppoſitos partus, quot ementitas enutritiones, quot alieni ſe- E minis ſuſceptas meſſes. Quòd ſi in prudentem vxorem (quod rarò accidit) Meſſias incidat, quis inficiari poſſit liberorum procreationem, licèt bona ſit, intra continentiæ cancellos vix poſſe contineri, rarò à libidinis vitio liberam eſſe, cùm eam Venereis voluptatibus opus ſit foueri? Planè nimiùm difficile eſt, cùm Venus corpus delectat, animi intemperantiam non ſequi. Nam, vt Auguſt. in Soliloquiis nõ tam ſibi, quàm nobis loquens, (Auguſtinus.)

 ait.

ait. *Nihil enim ſentio, quod magis deiiciat animum virilem, quàm blandimenta fœminæ, corporúmque ille contactus, ſine quo uxor haberi non poteſt.* Quapropter rectè Hugo de Sancto Victore ſentit, vitam hominis quietam eſſe non poſſe, quem inquietat vxoris ſuſpicio, ſollicitat ancillarum ſumptus, conturbat filiorum peruerſitas.

Hugo Victor.

AMPLAS opes, Regij ſtatus, luxum, ac ſplendorem Meſſiæ deſertis. Parco. Neque enim Cæſarum calamitates, ac pericula animaduertitis. Clariſſimum quidem Regis nomen eſt, ſed obſcura res, eximia dignitas, ſed grauiſſima ſarcina: at quid confert nudum B dignitatis nomen, vbi res ipſa deeſt, vbi nunquã deeſt ſollicitudo? Quid Rex, quid Cæſar, cùm regnum moderandum ſuſcipit, præterquàm fulgidas compedes, claram miſeriam ſibi comparat? Quis Regum, ſi rectè attenderet, quàm grauis ſit regni ſarcina, qua ad curas, ſollicitudines, ac indicibiles miſerias, & pericula vocatur; regni gloriam, & tam ampli honoris faſtigium tot ærumnis compenſatum caperet? Ea enim Regibus lex impoſita eſt, vt aſſiduè omnium, quos regunt, timore obſtringantur. Inde optimè Seneca. *Regnantibus (inquit) multò peius periculum eſt,* C *quàm his, qui iudicantur. Hi enim ſingulos timent, illi vniuerſos.* Demum Regibus nullus locus tutus eſt, nulla certa fœlicitas, tam ſapientes, quàm inſipientes formidant. Timent celebritates hominum, timent feſta, timent ſolitudines non cuſtoditas, timent ipſos cuſtodes, nec inermes illos habere volunt, nec de armatis plurimùm confidunt: demum apud Reges omnia timore ſunt plena; vt hinc ſe maiorem Meſſiæ infœlicitatem comparare videant, quò ampliorem, ac grauiorem illi Imperij ſarcinam imponunt.

Seneca.

ACCEDAT, quòd Meſsiam orbem ferro D domiturum creditis: at quod ferro comparatur, ferro etiam plerumque amittitur. Quot Cæſares, quot Reges, aut hoſtium, aut ſuorum manibus à ſummo ſolio pulſos, vitam ſimul & regna amiſiſſe legimus? Quot Reges à regno in captiuitatem, à ſceptro in carceres tranſiſſe conſpeximus; alios exules, plurimos in acie cæſos, aut domi capite truncatos? Cùm enim hi fortunæ ludibrio expoſiti ſint, haud mirum, ſi quos fortunæ riſus attollit, ſic leuis illicò fletus deiiciat. E Denique violentam regnorum vſurpationem quis neſciat diuturnam eſſe non poſſe? ſed tot Regem violentum pericula comitari, quot hoſtes ſibi ex occupato per vim Imperio occultos comparauit?

POSTREMÒ vos à Meſsia omnibus calamitatibus liberandos, bonis omnibus accumulandos, ac omnibus populis glorioſiores, atque amplioribus honoribus ornatiores, quàm vnquam antea Hebræa gens extiterit, A fœliciter in Iudæam colligendos ſperatis. Heu quàm labilis ſpes (ô Hebræi) quam tandiu fas eſt in vobis incolumem ſeruari, quandiu Meſsiæ vita erit ſuperſtes. Quid tum? ſi noua poſt Meſsiam calamitas exurgar, ſi durior exciterur ſeruitus, ſi infœlicior captiuitas vrgeat, quò tandem hæc tam breui curriculo tandiu expectata veſtra fœlicitas euadet?

CERTE iniuriæ crimine non vacat, quòd celeberrimo Meſsiæ tam infima, ac vulgaria adſcribitis, quæ infidelis quiſque, ac facinoroſus ſibi vendicare poſſet. Quis Alexandro Macedone potentior fuit? quis Auguſto Cæſare glorioſior, qui imperij habenas ad extremos vſque Indos extenderunt, quos tamen idololatras, ac ſceleribus maculatos fuiſſe nemo ignorat? quò fit, vt non immeritò Meſsias ipſe illud Iſaiæ 46. vobis obiicere debeat. *Cui aſſimilaſtis me, aut adæquaſtis? cui comparaſtis me, & feciſtis ſimilem?*

Iſai. 46.

ERRATIS Hebræi, occidente vos litera: at ſi ad Scripturarum ſpiritum confugiatis, noua prælia, nouáque trophæa vobis menti eueſtigiò occurrent, quæ ſanctiſsimum Meſsiam toto orbe celeberrimum præſtare debent. Noua item illius imperia, noua mœnia, noua ſponſa, noua proles vobis contemplanda ſeſe offerent, quibus inter homines glorioſius, aut excellentius nihil excogitari poſsit. Agite, mentem humo attollite, & nobiſcum Meſsiæ bella, non hoſtium ſanguine eruenta, ſed animorum conuerſione pacifica, regnum non temporale, ſed æternum: opes non fortunæ ludibrio expoſitas, ſed tutas, ac immarceſsibiles: vrbes non latere, aut calce; ſed viuis hominum lapidibus conſtructas; vxorem, ac liberos non carnales, ſed ſpirituales, demum futuram illius redemptionem, non ab hoſtium ſeruitute, ſed à duriſsimo peccatorum iugo celebranda ſpectabitis.

HÆC Meſsiæ noſtri inclyti eximia geſta ſunt, quæ nobis Prophetarum oracula pollicentur. In his præclariſsimam illius laudem, ac ſolidiſsimum diuturnúmque ipſius imperium, non in hoſtium ſtrage, aut ingenti ſeruorum caterua, non in ambitioſo Regum luxu, aut caducis, ac perituris bonis collocamus. Cui enim dubium eſſe poteſt, quin præſtantior ſit animorum, quàm corporum redemptio; cùm animus corpore longè excellentior ſit? ſi quidem hoc mortale, ille immortalis, hoc carnis tantùm ſarcinam circũſert, ille Dei ſimilitudinem gerit. Hoc nihil præter terrenum ſapit; ille Diuini ſpiritus velut ſimulacrum cœleſtium contemplator eſt.

PLANE Regum poteſtas cùm terrena ſit, eò duntaxat pertingit, vt corpus à capti-

uitate

uitate liberare poſſit: neque vltrà ad liberandos animos ſeipſam extendere poteſt. Hoc igitur Meſſiæ præſtantiſſimum munus, hoc illius opus, hoc facinus ſingulare futurum erat, vt in animos ſui imperij ditionem diffunderet, ac illos peccati calamitate liberaret (vt aliàs demonſtratum fuit) neque enim vobis (ô Hebræi) ignotum eſſe arbitror, quàm ſacræ literæ perfectiſſimæ ſint, quantúmque nefas ſit, eas aut imperfectas iudicare, aut illarum perfectionem in diſcrimen adducere. Cùm igitur illæ Meſſiam nobis perfectiſſimum liberatorem polliceantur, cui fas erit dubitare, quin præcipuum, ac potiſſimum illius opus ad animarum liberationem tendat? Nulla etenim, aut ſanè exigua Meſſiæ laus ſupereſſet, ſi excuſſo temporali ab hominum corporibus iugo, animas graui Sathanæ ſeruitute oppreſſas relinqueret.

Hvc igitur reuocanda eſt omnis Meſſiæ laus, hæc illius imperia, hæc regia diademata, non auro, aut argento, aut lapillis contexta; ſed animabus ab eo fuſo cruore comparatis, veluti pretioſiſſimis lapillis compacta, quibus tandem ornari debeat, vt teſtatur Salomon Cant. 4. cùm Meſſiam in ſpiritu alloquens ait, אתי מלבנון תבואי תשורי מראש אמנה מראש שניר וחרמון ממעונות אריות מהררי נמרים *itti millonanon tauoi taſciuri meroſe amana meroſe ſcenir vehhermon mimmeghonoth araioth meharre nemerim. Veni de Libano, veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, de cubilibus leonum, de montibus pardorum*; vbi Salomon coronandum Meſſiam quidem eſſe affirmat, at de Libano, qui dealbario dicitur, de capite Amana, quod fides interpretatur, de vertice Sanir, & Hermon, quod deſtructionem vertunt. Inde enim Meſſiæ diademata velut excellentiſſimis gemmis conſtruenda erant, cùm deſtructo, ac debellato peccaro, plurimos ſibi fideles, fide priùs dealbatos, ac purificatos comparaſſet. Ac idcirco ſubdit. *De cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Neque enim aliud indomiti leones, ac pardi variis maculis reſperſi præterquàm homines inſinuant ſuperbia indomitos, ac variis criminibus irretitos: hi ſiquidem velut pretioſiſſimi lapilli Meſſiæ diadema compingunt, cùm depoſita ferarum natura, quam ex culpa contraxerant, & abſterſis peccatorum maculis, ac in virtutum ſtudia conuerſis, viuę, ac Chriſtianæ fidei virtute in agnos, ac columbas mutantur; ac velut cœleſtes quædam margaritæ Meſſiæ caput exornant. Hæc igitur præſtantiſſima non lapillorum, ſed fidelium hominum corona eſt, quæ præſtantiſſimo Meſſiæ debetur.

Cant. 4.

Hæc itaque perfectiori ſenſu exponenda ſunt, quæ de Meſſiæ excellentia, regno, honoribus, diuitiis, maieſtate apud Prophetas

A leguntur. Id enim fateri cogit ipſa Scripturarum veritas, ac concordia, quæ alioqui nullo modo haberi poſſet; quod facilè demonſtrari poteſt. Siquidem exploratum eſt iis, qui ſacras literas ſæpè præ manibus verſant, pleraque in iis Scripturis, quæ de Meſſia agunt, teſtimonia ſeſe exerere, quæ ſibi ipſis repugnare videantur, quæ tamen ſibi ipſis cohærentia eſſe oporret, ne lis inter Scripturas excitetur: hæc verò vnica hac ratione conciliari poſſunt.

Nam Dauid imprimis Meſſiam toto orbe regnaturum affirmat Pſalm. 71. *Et dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum.* Contrà verò Iſaias cap. 53. deſpectum, atque inglorium, ac nouiſſimum virorum deſcribit. *Et vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum. Deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus, vnde nec reputauimus eum.* Planè ſi Dauidis litera tantùm ſpectanda eſt, proculdubio in Iſaiæ contradictionem impingendum erit. Quid enim nouiſſimo virorum cùm totius orbis Monarcha commune eſt? Quomodo illuſtriſsimum virum C gloria vndique, ac populorum corona affulgentem, quiſpiam deſpectum eſſe ſibi perſuadeat? Quo pacto nulla prorſus in exiſtimatione habitum fore dicit Iſaias, quem Dauid glorioſum terræ dominatorem, ac populis iura daturum affirmat? Hæc ſanè nimis apertè inter ſe diſcrepant, ſi literæ tantùm ſenſus expendatur. Quapropter opus eſt ad ſpiritualem ſenſum confugere, vt Meſſiæ regnum non Regio ſceptro fulgens ſed ſpirituale futurum eſſe exiſtimemus.

Pſal. 71.

Iſa. 53.

Pari ratione cùm Iſaias cap. 9. Regem Meſſiam ampliſsimis illis titulis exornat, D quibus illuſtriſsimum, ac opulentiſſimum orbis Monarcham accumulari decet: illiúſque imperium ſine fine multiplicandum eſſe prædicat. *Et factus eſt principatus ſuper humerum eius. Et vocabitur nomen eius admirabilis, Conſiliarius, Deus, fortis, Pater futuri ſaculi, princeps pacis: multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis.* Si mordicùs literam defendimus, quid Zachariæ reſpondendum erit; qui cap. 9. eundem Meſſiam pauperem deſcribit, tenui aſello inſidentem? *Ecce Rex tuus venit tibi, iuſtus, & Saluator, & ipſe pauper, & E aſcendens ſuper aſinum, & ſuper pullum filium aſinæ.* Quid quæſo paupertati cum orbis terrarum imperio? Quis bellatorem, armis ſeptum, militum cateruis ſtipatum orbis tandem totius dominatorem illum eſſe ſibi in animum inducat, quem ſuper aſellum equitare audiat? quid tenni aſello cum equitum turmis conuenire poteſt?

Iſai. 9.

Zachar. 9.

Præterea cùm de Meſſiæ præliis Dauid diſſerens ait Pſalm. 44. חגר חרבך

Pſalm. 44.

diuino lumini rebelles ſeſe perpetuò exhibent; Meſſię aduentum, omnibus quibus poſſunt, viribus oppugnant: inde fit, vt non tam mentis cœcitate, quàm animi duritie, ac obſtinatione laborent. Quapropter etſi quòd ad hos ſpectat, planè deſperata res ſit, neque vlla demonſtratione iis opus ſit, quamdiu cum ipſa ratione pugnant: ipſa tamen veritatis lux omnium oculis obiicienda eſt, vt ſi minùs aliquos illuſtrare queat: alios ſaltem quos ſolus cœcitatis error irretitos tenet, diſſolutis eorum vinculis, liberè ad fidei viam ſuo fulgore pertrahat.

Illis igitur Meſſiam iam diu veniſſe duplici via demonſtrabimus. Prima erit ex Scripturis, quæ Meſſiæ aduentus tempus præfiniunt. Altera ex ſignis, quæ illius aduentum iam præteritum eſſe declarant.

Prima igitur via incedentes; primò nobis ſeſe offert in ipſo veſtibulo Iacob Patriarchæ de Meſſia vaticinium, quo illius aduentus tempus præſcribit id fore, cùm ablatum ſibi de tribu Iuda ſceptrum Iudæi perſpexerint: ita enim legitur Geneſ. 49. לא יסור שבט מיהודה ומחקק מבין רגליו עד כי יבא שילה *lo iaſur ſcheuet mihuda mehocheh miben veglau ghad chi iauo ſcilo*. Apud nos verò. *Non auferetur ſceptrum de domo Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt*. Hoc vaticinium de Meſſia exponendum eſſe omnes Iudæi conſentiunt. Nam R. Chahadias in ſua tranſlatione Arabica, R. Chanini de verborum ſignificatione, Chaldaica Paraphraſis, R. Moyſes Ægyptius ita locum exponunt, *donec veniat Meſſias*. Quò fit, vt cum antiquis Hebræis nulla nobis de hac re diſceptatio ſit, tametſi ex recentioribus nonnulli, quos infrà confutabimus, locum aliò detorqueant.

Gene. 49.

R. Chahadias. R. Chanini. Paraph. Chaldaica. R. Moyſes.

Hic igitur in primis expendenda eſt huius vaticinij litera. *Non auferetur* (inquit) *ſceptrum de domo Iuda, & dux de femore eius*. Planè inficiari non poſſunt Hebræi quin ſceptri appellatione poteſtas Regia deſignetur. Nam שבט *ſceuet*, quod eſt apud Hebræos, virgam dominantium ſignificat. Ita eſt Pſalm. 45. *Virga æquitatis, virga Regni tui*. Hebraicè שבט *ſceuet* Ezechiel. c. decimonono. *Non fuit in ea virga fortis ſceptrum dominantium*, שבט *ſceuet*. Amos c. 1. *Et diſperdam habitatorem de domo idoli, & tenentem ſceptrum de domo voluptatis*, שבט *ſceuet*. Zachar. c. 10. *Humiliabitur ſuperbia Aſſur, & ſceptrum Ægypti, recedet*, שבט *ſceuet*. Ducis verò nomen capitis alicuius præſidentiam, cui cæteri pareant, non obſcurè inſinuat; ſiue illud in ſpiritualibus, ſiue in temporalibus præſit: id enim nobiſcum ſentiunt Targum Chaldaic. Rab. Onkelos, cùm locùm hunc ita vertit. *Non auferetur qui facit poteſtatem de domo Iehuda, & ſcriba de filiis filiorum eius*. Et Targum Ieroſolymitanum, cùm ita legit. *Non deficient Reges de domo Iehuda, neque ſcribæ doctores legis de filiis filiorum eius*. In hoc ergo nulla eſſe debet controuerſia, cùm Hebræi Doctores nobiſcum ſentiant hîc Patriarcham de Iudæ ſceptro, ac Imperio agere.

Pſal. 45. *Ezech. 19.* *Amos. 1.* *Zach. 10.* *Targ. Chald.* *Targ. Ieroſol.*

At grauiſſimam controuerſiam mouent Iudæi ex voce שילה *Silo*, quam D. Hieronymus vertit *qui mittendus eſt*: atque hi in tres claſſes ſcinduntur. Nonnulli enim שילה *Silo*, oppidum interpretantur, in quo aliquandiu fuit Tabernaculum, & arca fœderis. Vaticinium verò nõ de Meſſia, ſed de Saüle intelligendum eſſe volunt, quem in Silo vnctum eſſe ferunt, quo tempore Regnum Iuda ad Benjamin, ex cuius tribu oriundus erat Saül, tranſlatum fuit.

Hieronym.

At hi ſola Scripturarum imperitia errant: nam, vt interim taceam, in Scripturis non haberi; donec veniat Rex vngendus in Silo; ſed donec veniat Silo: & antequam Saül Rex creatus eſſet, Arcam Dei in qua vnctio ſeruabatur, iam à Silo in Cariathiarim tranſlatam fuiſſe conſtet; & quod caput eſt, Saül non in Silo, ſed in Ramatha primò à Samuele in Regem vnctus fuerit: neque ibi, ſed in Maſpha, & Galgala Regem creatum eſſe certum ſit. Planè inanis omnino hæc eorum ratio eſt, qua à Iuda in Benjamin tranſlatum fuiſſe Regnum affirmant, quandoquidem tunc necdum tribus Iuda Regnum acceperat, quod transferri poſſet. An ita Scripturarum ignari ſunt, vt Dauidem viuo adhuc Saüle primum ex tribu Iuda Regem fuiſſe ignorent, cui Iſraëliticum Regnum collatum fuerit? Quæ igitur à Iuda Regni tranſlatio eſſe poterat, cui Regnum ipſum nondum collatum eſſet?

Alii eiuſdem claſſis Hebræi vaticinij huius verba ad Ieroboam referunt. Nam cùm decem tribus à Roboam Salomonis filio, ac Iſraëlitici Regni ſucceſſore receſſiſſent; vt habetur 3. Reg. 12. Ieroboam ſibi Regem delegerunt, qui de tribu Ephraim oriundus erat: quamobrem tunc primùm ſublatum à Iuda eſſe Regnum, & ad Ephraim conuolaſſe volunt. Ieroboam verò eo quòd in Silo Rex in decem tribus acclamatus fuerit, inde pro Silo vſurpaut: ita Patriarchæ dictum id inſinuare volunt. Donec veniat Silo, id eſt, Ieroboam, in Silo coronandus. Sed hi magis contradicendi libidine, quàm veritatis ſenſu contendunt, cùm apertè Scriptura dicat Ieroboam non in Silo, ſed in Sichem Regem coronatum fuiſſe, vt ibidem legitur. Tum etiam quia à Iuda non eſt omnino ablatum Regni ſceptrum, cùm duæ tribus Regi Roboam remanſerint; Iudæ nimirum, & Benjamin: quæ Regibus Iuda multò poſt in Regnum ceſſerunt: ex quo ſanè

3. Reg. 12.

liquet

liquet ob defectionem decem tribuum Regium ſceptrum in domo Iuda non defeciſſe.

Porrò altera claſſis eſt eorum, qui שילה *Silo*, ſuo ſenſu nobiſcum interpretantur, id eſt, qui mittendus eſt: ſed vrgent illud non de Meſſia, ſed de Nabuchodonoſore Aſſyriorum Rege intelligendum eſſe. Aiunt enim Nabuchodonoſorem ad punienda Hebræorum ſcelera à Deo miſſum fuiſſe, à quo cùm Sedechias Rex Iuda captus, ac in vincula coniectus eſſet, nullus deinceps in Iſraëlitico Regni Rex in illius locũ ſucceſſit: quò fit, vt illo extincto ſceptrum in domo Iuda ſimul extinctum fuerit.

At hi quoque hallucinantur: nam poſt Sedechiæ obitum, tametſi Regis nomen in Iſraëlitico populo, ac domo Iuda extinctum fuerit: haud tamen funditus euerſa eſt Iudæorum poteſtas, neque amiſſa omnino. Non enim defuerunt Duces ex tribu Iuda, qui in populo principatum gererent. Nam expletis ſeptuaginta captiuitatis annis Duces, ac Principes acceperunt Zorobabel, Eſdram, Nehemiam, ac fortiſſimos illos Machabæos, qui cùm Hebræum populum in priſtinam libertatem, ac gloriam vindicaſſent, perinde, ac Reges in populo principabantur: & longo pòſt tempore ſub Pontificatus titulo Regnum Iſraël obtinuerunt: atque his Ducibus, ac aliis ſibi ſuccedentibus Hebræorum Regnum tandiu potitum fuit, quouſque ad Herodem Idamei filium perueniſſet, quo tempore verus Meſſias Ieſus Chriſtus natus fuit.

Neqve nos mouere debet quòd Machabæi de tribu Leui extiterint, cùm Sacerdotio fungerentur: permixtæ enim ita erant duæ iſtæ tribus Iuda, & Leui, vt Machabæi ex tribu Iuda cenſerentur, præſertim cùm ex materno genere è tribu Iuda proficiſcerentur, vt habetur in libro Sanhedrin cap. Dine Mamonoth, id eſt, de iudiciis diuitiarum.

Lib. Sanhedrin.

At fortè obiicient, ſaltem per omnes illos ſeptuaginta captiuitatis annos ſceptrum à Iuda defeciſſe, cùm nullus tunc temporis Dux in Hebræo populo præter Nabuchodonoſorem imperauerit: at neque hoc admittimus; nam, vt ait R. Salomon in hunc locum, ſceptrum de domo Iuda per Babylonicam captiuitatem ablatum non fuit. Neque enim omnes Sanhedrin, qui Iudæorum capita erant, perierant, cùm ex iis plurimi in Babyloniam deſcenderint, atque ibi Iudæos ex Regis conſenſu iudicarint, vt teſtatur Midras Schir Haſchirim, id eſt, expoſitio Cant. Cantic. in ea verba, *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum.* Idem etiam ſentit Targum Chaldaic. Quapropter cùm iudices Sanhedrin, penes quos Iudæi populi poteſtas iudiciaria reſidebat, Babylonicæ captiuitatis tempore non defecerint: inde manifeſtum eſt, tunc à Iudæis ſceptrum minimè ablatum fuiſſe.

R. Salomon.

Midras Schir Haſchirim.

Targum Chald.

Hinc haud vereor affirmare, hoc Sancti Patriarchæ vaticinium ad geminum magiſtratum, ſeu poteſtatem reſpicere, quæ nunquam in Hebræo populo vſque ad Meſſiæ aduentum defutura erat, quarum altera eſt temporalis, altera ſpiritualis. Quam ſententiam mihi perſuadet tranſlatio Chaldaica, de qua ſuprà diximus, quæ ſic legit. *Non auferetur habens poteſtatem de domo Iuda* (in quo ſola poteſtas temporalis annuitur) *nec Scriba de filiis filiorum eius, vſque in ſæculum*; in quo tantùm ſpiritualis poteſtas elucet.

Tranſlat. Chald.

Hanc etiam confirmat Targum Ieroſolymitanum, quod nuper attulimus, quod vtramque diſtinctionem indicat. Demum in libro Sanhedrin cap. de iudiciis diuitiatum ita legitur. *Non recedet ſceptrum de Iuda. Hæc ſunt capita captiuitatum, quæ regebant Iſraël virga, & ſceptro. Et ſcriba de medio pedum eius. Hi ſunt filÿ filiorum Hillel.* Porrò gloſſa. *Capita* (inquit) *captiuitatum Babylonia fuerant Zorobabel, & ſui, ac Princeps qui fuit in terra Iſraël, filÿ verò filiorum Hillel fuerunt Sanhedrin.*

Targ. Ieroſol.

Lib. Sanhedrin.

Gloſſa.

Atque hac interpretatione facilè omnes Hebræorum calumniæ abſterguntur, quas hoc loco accumulant. Nam temporalem poteſtatem vſque ad Herodem Aſcalonitam in Hebræo populo permanſiſſe, teſtis eſt Ioſeph. lib. 11. Antiq. cap. 4. *Incoluerunt* (inquit) *Ieroſolyma Iudæi inſtituta ea Reip. forma, quæ per optimates adminiſtratur cum paucorum dominatu. Penes Pontifices enim fuit ſumma auctoritas donec Aſmonæorum, id eſt, Machabæorum gens Regnum obtinuit.* Hæc Ioſephus. Circa verò extrema Machabæorum tempora, pulſo Alexandro Iamneo, Herodes Aſcalonita Regnum Iudæorum à Cæſare obtinuit, & per quartam partem principari cœpit.

Ioſeph.

Porrò Sanhedrin Guazit, Collegium nimirum illud ſeptuaginta ſeniorum, quod ea omnia, quæ ad Religionem, ac legis controuerſias pertinebat, decernebat; nulli dubium eſt, quin integrè vſque ad Chriſtum noſtrum permanſerit: cùm ab eo is reus mortis iudicatus; ac Romano iudici condemnandus traditus fuerit: vtramque verò hanc poteſtatem Iudæis ab Herode biennio à Chriſti internecione ſublatam fuiſſe, Sanhedrin interfectis, perſpicuum eſt ex Sanhedrin Ieroſolymitano c. de iudiciis, & in Auen ezra cap. primo. Quo tempore duntaxat, non antea, vterque hic magiſtratus penitus deletus fuit, ac extinctus.

Sanhedrin Ieroſolymit. Auenezra.

Demvm ſi qui alij ſunt ex Hebræis, qui ad alium ſenſum vocem שילה *Silo*, quam ad Meſſiæ aduentum deflectere velint, iis grauiſſimum, ac vetuſtiſſimum Targũ Chaldaicum Onkelos meritò opponimus, quod ſanè tantæ apud Hebræos auctoritatis eſſe ſo-

Targ. Chald.

let, vt in difficillimis Scripturarum locis explicandis irrefragabilis illius tranſlatio cenſeatur. Illud autem ita locum transfert. *Non auſeretur, qui facit poteſtatem de domo Iehuda, & Scriba de filiis filiorum eius, donec veniat Meſſias, cuius eſt Regnum, & ei obedient populi, ſiue nationes gentium*: & Paraphraſim Ieroſolymitanam, quæ iiſdem ferè verbis idem aſſerit. *Non deficient* (inquit) *Reges de domo Iehuda, neque Scribæ Doctores legis de filiis filiorum eius, vſque ad tempus, quo veniet Rex Meſſias, cuius eſt Regnum, & ei ſubiicientur tandem omnes Reges terra.* Arquo hanc eſſe germanam, ac legitimam huius loci explanationem tuetur R. Dauid Kimhi, qui ad hoc probandũ multa antiquorũ Hebręorũ teſtimonia, ac rationes congerit.

Parap. Ieroſ. — R. Dauid Kimhi.

Hoc præterea confirmant verba, quæ idem vaticinium proximè conſequuntur: nã mox ſanctus Vates, ac Patriarcha ſubiungit. *Salutare tuum expectabo Domine.* Quæ verba ſic præclarè exponit Chaldæus Paraphraſtes. *Salutare tuum expecto Domine, dixit Pater noſter Iacob. Non expecto ſalutare Gedeonis filij Ioas, quæ eſt ſalus temporalis, neque ſalutare Samſonis filij Manue, quæ eſt ſalus transitoria: ſed expecto Redemptionem Meſſiæ filij Dauid, qui venturus eſt ad accerſendum ſibi filios Iſraël, cuius Redemptionem deſiderat anima mea.* Hæc ille. Ex quibus patet totum hoc vaticinium de Meſſia exponendum eſſe, ac vocem שילה *Silo* nihil pręter Meſſiam inſinuare.

Chald. Par.

Evacvata igitur circa vocẽ *Silo* cõtrouerſia, grauior nobis ex Iudæorum cauillatione ſeſe exerit difficultas ex dictione illa, *donec*, quam in Hebręo textu non haberi calumniantur, ac propterea ita legunt. *Lo iaſſur ſeuet migithuda mehochech miben raglauahd chi iauo Silo. Non auferetur ſceptrum de domo Iuda, & dux de femore eius in ſæculum, vel ſemper, & veniet Meſſias*: vbi ſimul coniungunt, ac confundunt duas illas voces רגליו *raglau*, & עד *gad*, quę diſtinctè pronunciari debent, quæ ſi coniunctim ſcribantur, videntur illum ſenſum reddere. At facilè ex ipſo textu Bibliorum hic cauillus diſſoluitur: neque enim in Bibliis *raglau* cum *gad* coniungitur, ſed vtraque dictio ſeorſim ſcribitur: nam ſub voce *raglau* apponitur hæc figura (֑) quæ apud Hebræos accentus *athnach* vocatur, quo indicatur poſt dictionem *raglau* punctum fieri debere, ſequentem verò dictionem illi nullo modo copulari poſſe. At ſub dictione *gad* alius accentus notatur huius formæ (֣) qui *iethiu* ab Hebræis nuncupatur, ſeu cornu prępoſitiuum, atque is oſtendit dictionem eſſe monoſyllabam, ac per ſe ſeparatam cõſiſtere.

Qvod verò *gad* idem ſignificet, quod apud Latinos *donec*, perſpicuum eſt primùm ex Iſa. cap. 42. vbi dicitur. *In veritate educet iudicium, non erit triſtis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium. donec*, Hebraicè *gad*. Item Pſ. 110. *Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Hebraicè עד *gad*. & Pſal. 71. *Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna. donec*, עד *ghad*. Id etiam approbat Chaldaica tranſlatio, quæ ita legit *ghad deiethe Meſſiach, donec veniat Meſſias.*

Iſai. 42. — Pſal. 110. — Pſal. 71.

3. At verò alia ratio eſt, & frequentior, quę apertiſſimè demonſtrat *ghad* in hoc Iacob vaticinio pro *donec* ſumendum eſſe: nam tametſi hæc vox duplicem ſignificationem ſibi vendicet: ſignificat enim *donec*, & *ſemper* attamen facile eſt agnoſcere, quam illarum ſibi copulet: cùm vox iſta *ghad* duabus literis apud Hebręos ſcribatur ע ſcilicet & ד, ex quibus componitur עד, quoties ſub ע notatur punctus (ַ) *patah* hoc modo עַד, tunc ſignificat *donec* cùm verò ſub ע ponitur punctus (ָ) *camets* hoc modo עָד, tũc ſumitur pro *ſẽper*. Quapropter cùm hoc loco *ghad* ſcribatur cum puncto *patah*, vt manifeſtum eſt ex autheuticis Bibliis Hebræorum, ſanè nulli dubium eſt, quin vox *gad* exponenda ſit, *donec*, non *ſemper*.

Abstersa igitur omni circa literam Hebræorum calumnia; nunc omni, qua poſſum, animi beneuolentia Iudæos ad huius vaticinij vim expendendam aduoco. Dicant obſecro, vbi modò Reges, ac Duces de domo Iuda ſibi principantes habeant? vbinam Regni ſceptrum obtineant? vbi leges ferant? vbi aliquod Imperij ius exerceant? vbinam ſacer ille Magiſtratus Sanhedrin apud illos vigeat? Planè hæc omnia ab eis ſublata non obſcurè vident, quæ tamen cùm ab eis omnino auferri iuxta Patriarchæ vaticinium minimè poſſent, donec veniret Meſſias: quid cauſę eſt, cur Meſſiam veniſſe non agnoſcãt? Equidem cùm tot temporum ſpacia elapſa ſint, & iam mille, ac ſexingenti ſupra duodecim anni abierint, quibus Regno, Ducibus, Magiſtratibus, Iudicibus, ac Prophetis ſe carere vident, quid vltrà cum aperta veritate pugnant; vt Meſſiam ex præclaro hoc Patriarchæ oraculo iamdiu aduenisſę haud fateri velint?

At miſeri miſerum ſibi ſolatium quærunt, dum ad fabulam illam, quam ſibi confingere ſolent, confugiunt; nimirum Iudæorum Regnum, ac Rempublicam vltra montes Caſpios à Deo ſarta tecta ſeruari: neque huc tranſmeare poſſe ob Sabatinum fluuiũ, qui iter intercipit, qui cùm cæteris hebdomadæ diebus maximas procellas excitet, die dũtaxat Sabbathi ſedatur, ac tutũ trãſmeantibus iter præſtat, cùm iam ipſis iter ſuſcipere non licet. Hæc mihi aliquando à Iudæo narrata fuêre. At hanc Hebræorum fabulam eſſe quàm plurima euincunt. Primùm enim neque Sabatus, aut Sabatinus fluuius inter Caſpios montes fluit, cùm ex Apenni-

no oriatur, & Samnites populos alluat, qui longè à Parthis, ac Medis populis diſtant. Porrò flumina, quæ ex Caſpiis montibus fluunt, teſte Volaterano Geograph. lib. 12. ſunt, Medus, Amardus, Cambyſes, Cyrus, qui Orientem verſùs fluentes in mare Hircanum deſinũt. Cæterùm vnde habent, quòd apud Medos, ſeu Parthos, inter quos Caſpij montes aſſurgunt, Iudæorum Regnum, ac Reſpublica floreat, cùm exploratum ſit omnes illas circumcirca Regiones partim Turcarum, partim verò Perſarum Imperio eſſe ſubiectas? Dicant igitur quænam Regio illa ſit vltra montes Caſpios ſita, quæ Iudæorum Regno pareat? Denique cùm tot ſuperioribus æuis, atque etiam hac noſtra ætate diligentiſsimi ſcriptores fuerint, ac ſint, qui vniuerſa orbis regna, quæ hactenus nobis cognita ſunt, ac illorum Reges accuratiſsimè tradiderunt: mirum ſanè eſſet, ſi aliquod Iudæorum Regnum adhuc ſuperſtes maneret, quòd illius nunquam meminiſſent.

Solent præterea nobis obtrudere Iudæorum Regnum apud Babylonem vigere, quòd etiam apertè falſum eſt: nam tametſi ibi Iudæorum copioſior multitudo, quàm in cæteris orbis partibus fortè reperiatur: nullo tamen in ea vrbe, aut Regione, quæ tota Sultano Babylonico paret, Regni ſceptro potiuntur; quapropter cùm nullus huic Iudæorum Regno locus in orbe relictus ſit; hinc ſanè perſpicuum eſt, illud non niſi fabuloſum exiſtimandum eſſe: atque vndique Iudæos à regnandi poteſtate iuxta Patriarchæ Vaticinium pulſos eſſe, vt inde ſaltem addiſcant Meſsiam iam in orbem veniſſe.

Porro ab hoc Iacob Patriarchæ Vaticinio haud diſſentaneum eſt, quod legitur
Ezech. 21. Ezech. 21. cùm Regem Iſraël alloquitur his verbis ואתה חלל רשע נשיא ישראל אשר בא יומו בעת עון קץ: כה אמר אדני יהוה הסיר המצנפת והרים העטרה זאת לא זאת השפלה הגבה והגבה השפיל עוה עוה עוה אשימנה גם זאת לא היה עד בא אשר לו המשפט ונתתיו *veatta hhalal raſciangh neſi Iſraël aſcer bo iomo beghethh ghonon kets: ko amar adonai Iehouo haſir hammitſnepheth veharim haghataro zoth lo zoth hoſciaphala hagbeah vehaggauoah haſcephil: ghouo, ghaua, ghaua aſcimenna, gham zoth lo hoia ghad bo aſcer lo hammiſcpat vnthatau. Tu autem profane, impie dux Iſraël, cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinito. Hæc dicit Dominus Deus. Aufer cidarim, tolle coronam, nónne hæc eſt, quæ humilem ſubleuauit, & ſublimem humiliauit? Iniquitatem, iniquitatẽ, iniquitatem ponam eam, & hoc non factũ eſt, donec veniret cuius eſt iudicium, & tradam ei.* Quibus verbis Deus Ioachim comminatur, ac ſimul prædicit Regni Iſraëlitici excidium, quod non ſtatim futurum erat: ſed tunc duntaxat, cùm aduenisset A ille, cui Regni ſceptrum, ac iudicium deferendum erat: hunc autem eſſe Meſsiam nulli dubitandum eſt, cùm de eo prædixerit Dauid, ei à Deo iudicium, ac iudiciariam poteſtatem tribuendam eſſe Pſalm. 71. *Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis.* Pſal. 71.
Idémque affirmet Iſa. 11. *Non ſecundùm viſionem oculorum iudicabit, neque ſecundùm auditum aurium arguet, ſed iudicabit in iuſtitia pauperes*, &c. Iſa. 11. Quod etiam confirmat Hierem. 23. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium, & iuſtitiam in* B *terra.* Hierem. 23.

Et licèt nonnulli hoc Vaticinium ad Nabuchodonoſorem referant, qui Ioachim captiuum in Babylonem tranſtulit, nullo tamen id fundamento affirmant: immò apertè contra ipſas Scripturas pugnant, quæ Ioachim iam tunc captiuom eſſe teſtantur, cùm Ezechiel prophetare cœpit. Illi enim vt habetur in exordio ſui Vaticinij c. 1. בחמשה לחדש Ezechiel 1. היא השנה החמישית לגלות המלך יוכין היה היה דבר יהוה אל *babhamiſcia labhodeſc hi haſciano babhomiſcith legaluth hommelech Ioiachin: haio haio deuar Iehoua el*, &c. C *In quinta menſis, & in onno quinto tranſmigrationis Regis Ioachim verbum* Domini *factum eſt*; ac Prophetiæ donum collatum fuit: quò fit, vt non de Nabuchodonoſore, ſed de Meſſia Ezechielis Vaticinium intelligendum ſit.

Confirmatur id ex verſione LXX. Interpretum, qui ita legunt. *Donec veniat cui congruit, & tradam ei.* At neque Nabuchodonoſori, neque alteri Tyrauno cõgruere poterat Regnum Iſraël, præterquàm Meſſiæ, cui à Deo promiſſum fuerat. Hinc colligitur, cùm ex Iudæis Duces in Iſraëlitico populo D defecerint; Meſſiam iam veniſſe.

Demonſtratur ſecundò ex ſubiectione Romani Imperij, & vniuerſali Regno Chriſti, iuxta Danielis Vaticinium.

Articvlvs III.

Iam verò accedat illuſtriſſimus Daniel huic noſtræ Demonſtrationi ad Iudæos conuincendos opportunus, cuius celebrem E auctoritatem, quam ſibi inter veros Dei Prophetas vendicauit, ſicut Hebræi minuere non poſſunt, ita neque apertam illius Vaticinij vim, quo clariſsimè Meſsiæ tempus indicatur, vllo pacto valent effugere. Duobus igitur Danielis Vaticiniis Iudæos aggredior, quæ duobus his articulis explicabuntur.

Primvm habetur cap. 2. vbi Daniel auctor illius ſtatuæ, quam Nabuchodonoſor in Dan. 2.

ſomnis videtat, caput aureum, pectus & brachia argentea, ventrem & femora ærea, ac demum tibias ferteas habentis Regi myſterium apetiens, in ea quatuor orbis Impetia ſignificati docuit. Etenim caput illud aureum primam Chaldæorum Monarchiam indicabat, pectus ac brachia argentea Perſarum, ac Medorum ſecundam, tertiam Græcorum venter & femora ærea deſignabant; quarta denique Romanorum Monarchia ferteis illis tibiis adumbrata fuit. Tum verò poſt hæc ſubiicit. *In diebus Regnorum illarum ſuſcitabit Deus cœli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & Regnum eius alteri populo* B *non tradetur. Comminuet autem, & conſumet vniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum; ſecundum quod vidiſti, quòd de monte abſciſſus eſt lapis ſine manibus, & comminuit teſtam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum*, &c.

Nemo eſt antiquorum Hebtæorum, qui hoc Danielis Vaticinium, quod ad extremum hoc orbis Impetium ſpectat, omnium ptæſtantiſſimũ, de Regis Meſſiæ Imperio non intellexetit. Quod inter alios docet Midras Theillim.i. Commentarius in Pſalmos ſuper titulum Pſalmi 17. his verbis. *Quando Meſ-* C *ſias cum velocitate veniet, non erunt dicentes canticum*, &c. *Donec cadat coram ipſo habens digitos, ſcilicet Regnum nequam, id eſt, Romanorum, de quo dictum eſt Dan. 2. Et digiti pedum ex parte ferrei, & ex parte teſtei; & ex parte Regnum erit ſolidum, & ex parte friuolum. Et in diebus regnorum illorum ſuſcitabit, vel ſtatuet Deus cœli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur. Conteret, & conſumet omnia iſta Regna, & ipſum ſtabit in æternum. Quemadmodum vidiſti, quòd de monte abſcidit ſe lapis abſque manibus, & contriuit ferrum, teſtam, æs, argentum, & aurum: iſte eſt Rex Meſſias, ſicut dictum eſt in Beteſcit Rabba*. Hæc ibi. D

Id veto magis confirmatur ex eo, quòd Vates Regnum hoc à Deo ſuſcitãdum, æternum fore prædicit; quod ſanè de alio præterquã de Meſſiæ Regno intelligi non poteſt; cùm & ratio, & Scripturarum fides apertè dictet, vnum dũtaxat Meſſiæ Imperium ſempiternum eſſe futurum, ve conſtat ex Pſalm. 88. *Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius, & thronum eius ſicut dies cœli*. Atque id ipſi antiqui Hebræorum Doctores conſtantiſſimè teneant, qui æternitatem Imperij Regis Meſſiæ ex ◻ *mem* clauſæ, quæ eſt in medio dictionis *lemarbe*, myſterio eliciunt; inter quos E ſunt R. Haceados libro qui inſcribitur reuelator ſecretorum, & R. Haueu.

Cæterum quòd lapis ille è monte abſque manibus abſciſſus, Meſſiam indicet è Virginis putiſſimo vtero abſque viri opera prodeuntem, ex Hebtæis teſtem habemus Commentarium in Pſalmos, quem ſuprà retulimus, ac præterea Rabbinum Haccados in libro Gabi razeia, R. Moyſen Hadarſan, & R. Simeonem Beniohai apud Galat. de arcan. Cat. verit. lib. 7. cap. 13. Ex Catholicis autem Patribus Irenæum lib. 3. adu. hær. cap. 28. Iuſtinum in Dialog. Auguſt. tract. 9. in Ioan. & Hieronymum.

Tria igitur in hoc Danielis Vaticinio nobis obſeruanda ſunt. Primum, Meſſiæ Regis Imperium circa priorum illorum Regnorum finem ſuſcitandum eſſe: ita vt vltimo illorum adhuc ſtante, nouum Meſſiæ Imperium conſurgere debeat. Id enim indicant verba Danielis, cùm ait. *In diebus Regnorum illorum ſuſcitabit Deus cœli Regnum*, &c. Non quidem omnium ſimul, cùm ſimul eſſe non poſſent, ſed ſucceſſiuè tantùm extiterint: verùm vltimo illorum adhuc ſtante Meſſiæ Regnum exeitabitur. Vltimũ verò eſt Regnum Romanorum; quod per ferrum ſignificatur: nam, vt declarauit Daniel eodem capite. *Quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, ſic Regnum hoc Romanorum comminuet, & conteret omnia hæc*: quod experimento ipſo comprobatum fuit; nam Romanorum Imperium vniuerſa orbis Regna ſub Auguſto Cæſare domuit, ac ſuæ ditioni ſubiugauit.

Secvndo quoque obſeruandũ eſt, Meſſiæ Impetium his omnibus Regnis finem eſſe impoſiturum; quod ipſe Vates præclarè explicat, cùm ait. *Comminuet autem, & conſumet vniuerſa Regna hæc*.

Postremo illud maximè expendendum eſt, Meſſiæ Imperium vniuerſale in toto orbe eſſe futurum. Id Vates declarat eodem capite dicens. *Lapis autem, qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram*. Hic enim lapis eſt Rex Meſſias, de quo Dauid Pſalmo 117. cecinit, *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli*. Qui quidem primò paruus, ac exiguus à Vate deſcribitur: quandoquidem obſcura eſſe debebant Regis Meſſiæ initia, tenuis familia, etſi Regia ſtirps, tenuis victus, parua ſupellex, ignobilis vita à mundano luxu, ac pompa longè ſemota, paruus denique ortus, contempta mors; quod præclarè Iſaias inſinuat cap. 53. illis verbis. *Et aſcendet ſicut virgultum coram eo, & tanquam radix de terra ſitienti, non eſt ei ſpecies neque decor*, &c. Quod perinde eſt, ac ſi diceret, Meſſiã velut paruum ac incultum lapidem futurum: qui tamen è virgineo vtero exiſus, vix mõſtruoſam illam tot Regnorum ſtatuam in morte petcuſſurus erat, mox in tantam amplitudinem erumpere debuit, vt vniuerſum orbem ſuo imperio occuparet. De hoc enim latiſsimo, ac vniuerſali Regno Meſſiæ teſtimonium ferunt Dauid Pſalmo 2. *Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*. Et Pſalm. 71. *Et dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque* ad

Margin notes: Midras Theillim. — Pſal. 17. — Pſal. 88. — R. Haccados. — R. Haueu. — Galatinus. — Irenæus. Iuſtinus. Auguſtinus. Hieronym. — Pſal. 117. — Iſa. 53. — Pſalm. 2. — Pſalm. 71.

ad terminos orbis terrarum,&c. *Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes Gentes ſeruient ei.* Iſa. cap. 53. *Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam ſuam.* Malach. cap. 1. *Ab ortu enim Solis vſque ad occaſum, magnũ eſt nomen meum in Gentibus.* Habachuch cap. 1. *Et ipſe de Regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt, ipſe ſuper omnem munitionem ridebit,* &c.

Iſai. 53. Malach. 1. Habacuch.

AT verò ne hæc Iudæis abſque ipſorum teſtimonio perſuadere videamur; legant Bereſchith Rabba ſuper illud Gen. 42. *Et Ioſeph ipſe potens factus eſt ſuper terram.* Vbi hoc Danielis Vaticiniũ de vniuerſali, ac æterno Meſſiæ Regno explanatum his verbis reperient. *Tradiderunt Magiſtri decem Reges dominatos eſſe à mundi initio, vſque ad finem eius. Horum autem primus eſt Deus Sanctus, & benedictus, qui dixit, & fuit mundus, hoc eſt, qui imperio verbi ſui mundum creauit. Secundus autem fuit Nemrod impius. Rex tertius fuit Ioſeph. Rex quartus fuit Salomon Rex Iſraël. Rex quintus fuit Nabuchodonoſor Rex Babylonis. Rex ſextus fuit Darius, qui ſuper Regnum Chaldæorum regnauit. Rex ſeptimus fuit Cyrus, qui à fine orbis vſque ad finem eius dominatus eſt, ſicut dictum eſt Eſdræ 1. c. & Paralip. vltimo: vbi ſic de eo dicitur. Dixit Cyrus Rex* פרס *Paras, id eſt, Perſidis, omnia regna terræ dedit mihi Dominus. Rex octauus fuit Alexander Macedo, qui ſuper vniuerſum orbem dominatus eſt, ſicut dictum eſt Dan. 8. Et ego fui intelligens. Et ecce hædus caprarum veniens ab Occidente ſuper faciem totius terræ. Rex verò nonus eſt ipſe Cæſar Auguſtus, qui vniuerſo orbi imperauit, ſicut dictum eſt Dan. 2. Et Regnum quartũ erit forte ſicut ferrum, quia ſicut ferrũ vniuerſa hæc cõminuet, & conteret. Rex autem decimus eſt Meſſias, qui regnabit à fine mundi vſque ad finem eius, ſicut dictum eſt Pſal. 72. Et dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos terræ. Item alia Scriptura dicit Daniel. 2. Et lapis, qui percuſſit ſtatuam, factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram. Et rurſus ibidem. Et in diebus Regum illorum ſuſcitabit, vel ſtatuet Deus cœli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & populo alteri non tradetur; & comminuet, & conteret omnia hæc Regna, & ipſum ſtabit in æternum. Et per Regnum hoc decimum reuertetur Regnum ad Dominum ſuum: atque ita qui fuit primus Rex, erit vltimus Rex.* Hæc omnia ibi ad verbum, præter aliqua quæ breuitatis gratiâ ommiſſa fuêre. Ex quibus ſanè conſtat veteres Hebræos non tam hunc Danielis locum de Meſſia intelligere, verùm & illius ſenſum eo modo, quo à nobis ſuperiùs expoſitus fuit, velut genuinum recipere.

Bereſchith Rabba.

ILLVD verò prætereundam non cenſeo, quòd in hoc teſtimonio modò allato, Hebræi veteres apertè Meſſię Diuinatem extremis illis verbis fatentur, cùm aiunt; eum ipſum, qui fuit primus Rex, vltimum quoque eſſe futurum. Nam primum Regem Deum commemorauerant, vltimum verò Regem Meſſiam. Iam verò ſi idem ſunt Rex primus, & Rex vltimus; planè conſtat Regem Meſſiam, qui extremus eſt, eſſe ipſum Deum, qui primo loco fuerat collocatus.

A

CÆTERVM de Regno Meſſiæ præclarè quoque ſcribit R. Moyſes Hadarſan in lib. Geneſ. explicans verba illa cap. 49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda.* vbi ita inquit. *Dixit ſceptrum, & non Regem: quoniam notum & manifeſtum eſt apud eum, quòd Reges eius non ſunt manſuri; ſed ſolùm quouſque veniat Silo, id eſt, Meſſias, qui eſt filius paruulus, qui erit ei poſt multos dies, vti expoſuit Ankelos de prophetia, & paruitate eius. Quoniam is eſt, cui aggregabuntur omnes gentes, & regnabit ſuper illas Regno Salomonis, id eſt, Regno pacis, ſicut ſcriptum eſt Pſal. 72. Et humiliabuntur ei omnes Reges, cunctæ gentes ſeruient ei. Et poſtea ipſe nemini humiliabitur: immò coram eo procident & proſternentur omnes. Et hoc eſt, quod ſcriptum eſt eodem in Pſalmo. Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius puluerem lingent.*

R. Moyſes Hadarſan.

B

HIS igitur ritè perſpectis, ac diligenter examinatis, iam Hebræis perſpicuum eſſe poteſt, num Meſſias venerit. Etenim in prima obſeruatione tempus venturi Meſſiæ à Daniele præſcriptum habemus, nimirum ſtante adhuc, ac ſuperſtite Romanorum Imperio, quo tempore Meſſiæ Regnum excitandum eſt. Altera quoque obſeruatione exploratum eſt, tempus Meſſiæ aduentui præſcriptum iam dudum elapſum eſſe: cùm vniuerſa hæc orbis Imperia finem iam habuiſſe conſpicimus. Nam primum Chaldæorum Imperium ſub Nino Beli filio inchoatum, ſub Balthazare Nabuchodonoſoris filio deſiit. Perſarum verò, ac Medorum Imperium cùm ſub Dario cœperit, ſub Alexandro Macedone finem accepit. Græcorum poſtea illud ſub Alexandro exortum, à Cæſare Auguſto deletum fuit, cui vniuerſus penè orbis paruit. Romanorum tandem Imperium, quod in Cæſare Auguſto ad orbis Monarchiam excreuerat, ſub triginta nouem Imperatoribus paulatim defluens, extremum tandem (tametſi fœlix) excidium in magno illo Conſtantino perpeſſum fuit: ſub eo enim Meſſiæ Regnum, quod tempore Auguſti Cæſaris ſub Chriſto noſtro auſpicatum fuerat, non tam in Romano Imperio, quàm in toto orbe florere cœpit. Nam vbi Conſtantinus Romanus Imperator, orbiſque Monarcha ſuſcepto Baptiſmo diuinitùs à lepra mandatus fuit; mox vltrò ſeipſum, ac Romanum Imperium Chriſto ſubiecit, ac ſummum Pontificem velut Chriſti Vicarium, ac ſupremum orbis Chriſtiani caput religioſè venerari cœpit. Cuius ſubiectionis ſignum mox protulit. Nam Imperiale diadema, Phry-

C D E

gium ſeu mitram, lorum, quod Imperatoris A collum circundare ſolet, purpuream chlamydem, coccineam tunicam, ac cætera Imperialia indumenta, ſimul cum Imperatorio ſceptro, Beato Syluestro, velut Chriſto Vicario, ac cæteris Pontificibus dono perpetuo contulit; ac præterea equi, cui Pontifex ipſe inſidebat, frænum tenens, velut ſtratoris officio fungens, humillimam Chriſto ſubiectionem, ac ſeruitutem his ſe gerere teſtatus eſt. Quæ omnia in ipſius Conſtantini donatione, ac edicto de ea promulgato videri poſſunt.

Qvapropter tunc proculdubio cōtigit, B quod longè antè Iſaias prædixerat cap. 26. illis verbis. *Quia incuruabit habitantes in excelſo, ciuitatem ſublimem humiliabit. Humiliabit eam vſque ad terram, detrahet eam vſque ad puluerem. Conculcabit eam pes; pedes pauperis, greſſus egenorum.* Quem locum R. Salomon de Meſſia, & vrbe Romana exponit, dicens. *Vrbem ſublimem humiliabit, id eſt, Romam, & Italiam, humiliabit inquam eam vſque ad terram: calcabit eam pes pedum pauperis, id eſt, Regis Meſſiæ, de quo dictum eſt Zachar. 9. Pauper, & equitans ſuper aſinam.* Deus ſiquidem Opt. Max. incuruauit habitantes in excelſo, cùm Romani C Imperij culmen ita deiecit, vt iugo Chriſtianæ fidei colla ſubderet, tunc vrbem ſublimem humiliauit, cùm Romam orbis, ac omnium gentium dominam, Pontificis Chriſti Vicarij pedibus, ac imperio calcandam præbuit. Tunc eam pes pauperis calcauit, cùm in ea Petrus Apoſtolos, qui priùs piſcator fuerat, Chriſti Pontificatum erexit, ac B. Syluester eam dono à Conſtantino Magno accepit.

Iſa. 26.

R. Salomon.

Cvm igitur Chriſtus Romanum Imperium, quod orbis caput erat, & Imperij ſedem in omnes orbis populos extendebat, ita D ſibi ſubiecerit, vt eum vnicum cœli & terræ Dominum agnoſcat, ac Deum colat: primò quidem certum eſt Romanum Imperium, quale Daniel ſub Imperatoribus ferreum deſcribit, deſciſſe. Nam quòd Iudæi illud adhuc ſub Pontifice Romano ſtare affirmant, omni prorſus rationis præſidio caret, ac facilè diluitur. Nam Vates imprimis, dum Romanorum Regnum ferreum futurum, ac cætera orbis Regna ferro ſibi ſubiugaturum ſcribit; apertè ipſorum errorem ſuggillat: cùm Romanus Pontifex non E ferro, ſed fide in toto orbe dominetur; neque illius Imperium, quod in cuncta Chriſtiani orbis Regna extendit, temporale, aut ferreum ſit, ſed tantū ſpirituale. Cęterùm pleraque alia de hoc Romanorum regno Daniel commemorat, veluti quòd in parte erit ſolidum, ex parte contritum; quòd diuiſum erit; quòd ſemine commiſcebitur; quæ ſpirituali Pontificis Regno minimè accommodari valent.

Prætereа, quicquid ſit de Pontificis Romani Imperio, ſanè exploratum eſt, Romanum Imperium, quale ſub Imperatoribus fuit, defeciſſe; cùm nullibi Romanus Imperator appareat, qui Imperij ius tam in Romanos, quàm cæteros orbis populos exerceat: ac terrenæ poteſtatis legibus orbem coërceat, quod tamen Daniel intellexit, cùm in hoc quarto Regno, Romanorum Monarchiam inſinuare voluerit. Falſum igitur eſt quòd Romana Monarchia, à Daniele ſub ferrei Regni metaphora deſcripta, adhuc ſtet ſub Romano Pontifice incolumis.

Deniqve vt Iudæis omnem erroris anſam præſcindamus, diſcant Romanum Pontificem, in quo Romanum Imperium ſartū tectum ſeruari ſibi perſuadent, non ſuo, ſed Chriſti nomine, cuius tantùm vicaria poteſtate fruitur, toti orbi præſidere: quò fit, vt Romanum Imperium apud homines tunc primùm prorſus euanuerit, cùm in cœlum ad Chriſtum euolauit.

Hinc ſecundò perſpicuè colligere debent, Meſſiam iam veniſſe, cùm Romanam Monarchiam iamdudum euerſam, ac illius Imperium diſſipatum, & in alios tranſlatum vident.

Tertia tandem obſeruatione id exploratum habemus, Regis Meſſiæ Imperium iam adueniſſe, cùm ſtante adhuc Romano Imperio, quintum ac nouum Ieſu Chriſti noſtri Regnum è cœlo excitatum fuit, non ferro, ſed fide propagandum; quod etſi ab humana Regum, ac Imperatorum potentia, omnibus machinis variè impugnatum fuerit, in eam tamen mox amplitudinem emerſit, vt Romanos Imperatores, Reges, ac totum orbem diuina ſibi poteſtate ſubiecerit. Ex quo tandem Hebræi agnoſcere, ac apud ſemetipſos concludere deberent, Ieſum verum eſſe Meſſiam, quod in tertia Demonſtratione Deo fauente explicabimus.

Demonſtratur tertiò ex ſeptuaginta Hebdomadarum (iuxta Danielis oraculum) tempore iam elapſo.

Articvlvs IV.

Alterum Danielis Vaticinium, quod ſanè grauiſſimum eſt, expendendum ſupereſt, in quo ſicut apertè declaratur, quo tempore Meſsias in orbem venturus eſſet, ita eo tempore elapſo facilè cum iam veniſſe demonſtratur.

Orabat igitur Daniel (vt legitur cap. 9.) pro captiuo populo Iudæorum qui adhuc in Babylone detinebatur. Cui ſtatim adfuit Gabriel Angelus, qui illum his verbis affatus

Daniel. 9.

affatus eſt, דניאל עתה יצאתי להשכילך בינה׃
בתחלת תחנוניך יצא דבר ואני באתי להגיד כי
חמודות אתה ובין בדבר והבן במראה׃ שבעים
שבעים נחתך על עמך ועל עיר קדשך לכלא
הפשע ולחתם חטאות ולכפר עון ולהביא
צדק עולמים ולחתם חזון ונביא ולמשח קדש
קדשים׃ ותדע ותשכל מן מצא דבר להשיב
ולבנות ירושלם עד משיח נגיד שבעים שבעה
ושבעים ששים ושנים תשוב ונבנתה רחוב
וחרוץ ובצוק העתים׃ ואחרי השבעים ששים
ושנים יכרת משיח ואין לו והעיר והקדש ישחית
עם נגיד הבא וקצו בשטף ועד קץ מלחמה
נחרצת שממות׃ והגביר ברית לרבים שבוע
אחד וחצי השבוע ישבית זבח ומנחה ועל כנף
שקוצים משמם ועד כלה ונחרצה תתך
על שמם׃ *Daniel ghatta iatſathi lehaſki lecha vina: bithhhillath tahanunecha iatſa dauar vaani bathi lehaggid ki hhamudoth atta vnim baddauar vehanen bammare ſciauughim ſciughim nethhtach ghal ghammecha veghal ghid kadſecha lecballe hhapeſciangh vlhathem hhattaoth vlchaper ghauon vlhaui tſeded gholamin velahhtom hhazon venaui velimſcioahh kodeſc kodeſcim vethedangh vethaſkel min motſa dauar lehaſciu velinoth Ieruſalaim ghad maſciahh nagid ſciauughim ſciugha veſciauughim ſciſcim vſenaim taſciuu venibnetha rehhou vehharutſ vutſok haghitim: veahhare haſciauughim ſciſcim vſenaim ikareth maſciahh veē lo vehaghir vehakkodeſc iaſchhith gham nagid habba vekitſo vaſceteph veghad kets milhha ma nehheretſcih ſciomemoth: vehighir berith larabbim ſciauuangh ehhad vahhatſi haſciauuangh iaſchith zeuahh vminhha veghal, kenaph ſcikkutſim meſciomem veghad kala venehharatſa titach ghal ſciomem. Daniel nunc egreſſus ſum vt docerem te. Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo: ego autem veni, vt indicarem tibi, quia vir deſideriorum es. Tu ergo animaduerte ſermonem, & intellige viſionem. Septuaginta Hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam tuam, vt conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna: & impleatur viſio, & prophetia, & vngatur ſanctus ſanctorum. Scito ergo, & animaduerte ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Hieruſalem, vſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt, & rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum, & poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt: & ciuitatem, & ſanctuarium diſſipabit cum duce venturo, & finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadæ deficiet hoſtia, & ſacrificium; & erit in templo abominatio deſolationis, & vſque ad conſummationem, & finem perſeuerabit deſolatio.*

Tam clarum, ac perſpicuum hoc de Meſſia eſt vaticinium, vt Iudæi illud inficiari A non audeant, quandoquidem in eo bis repetitur vox *Meſſiahh*, quoties nomen (Chriſtus) apud nos legitur, *vſque ad Meſſiam ducem hebdomades ſeptem*, &c. Item: *poſt hebdomades ſeptuaginta duas occidetur Meſſias.* Hinc cœca quorundam recentiorum Hebræorum inſania declaratur, qui vario errore circa vocis Meſſiæ acceptionem ducuntur. Quidam enim Meſſiam, de quo hic eſt ſermo, Cyrum, alij Nehemiam, alij Ieſum Sacerdotem magnũ, alij Zorobabelem, alij Agrippam fuiſſe exponunt; quorum impietas non tam in Chriſti odium, quàm in ſuam ipſo- B rum perniciem cedit, cùm ea ſeipſos veri Meſſiæ expectatione ſpolient: nam ſi Meſſiæ nomen aliò, quàm ad verum, ac expectatum Meſſiam liceat diſtrahere; nullus in Scripturis erit legitimus de Meſſia locus, quin hac ratione corrumpi, ac labefactari poſſit. Quapropter his omiſſis ad Vaticinium, quoad potiſsimas illius partes explicandum accedo.

Septvagenta hebdomades enumerat Angelus abbreuiatas, id eſt, definitas, ſtatutas, præſcriptas, quouſque adducatur iuſtitia ſempiterna, id eſt, Meſsias. Hunc enim locum ita C explicant R. Moyſes in Danielem, his verbis. *Iuſtitia ſempiterna, & ſanctuarium ſanctuariorum, vel ſanctus ſanctorum non niſi ipſe eſt Meſſias ſanctificatus de filiis David.* Confirmat hanc expoſitionẽ R. Barrachias in lib. Seder Olam explicans verba illa Iſa. c. 66. *Proxima eſt ſalus mea ad veniendum; & iuſtitia mea ad reuelandum*; vbi expreſsè docet ibi nomine iuſtitiæ Meſsiam intelligi, de quo, inquit, ſcriptum eſt Dan. 9. vt adducatur iuſtitia ſempiterna. Tandem id de Meſsia interpretantur R. Saadias in Daniel. R. Nahaman Gerundenſis, & R. Moſes Hadarſan.

R. Moyſes.
R. Barrachias.
R. Saadias.
R. Naham.
R. Moſes Hadarſan.

D Cvm verò Scripturæ Meſsiam non tantùm iuſtum in concreto, ſed iuſtitiam ipſam in abſtracto appellant, eo planè inſinuant Meſsiam non ſolùm hominem, ſed Deum quoque eſſe; nam exploratum eſt huiuſmodi abſtracta nomina nulli præterquàm Deo congruere: cùm enim illa rerum eſſentiam, ac excellentiam indicent, ſolius Dei eſt abſolutiſsimam, atque intimam rerum omnium perfectionem eminenter ſibi vendicare, vt D. Aug. ait. Vides bonũ cœlum, bonũ Angelum, bonum hominem, ipſa ſubſtantia boni Deus eſt: atque ita fit, vt plerumque in Scripturis Deus, ſalus, fortitudo, firmamentum, boni- E tas, ſapientia, miſericordia aliiſque abſtractis nominibus appellari ſoleat. Hinc cùm Daniel hoc nomine iuſtitiæ ſempiternæ Meſſiam exornat, non obſcurè inde illius diuinitatem colligendam docet.

Augustinus.

Nvnc propoſitum ab Angelo Meſsiæ venturi tempus examinandum eſt, quod ſeptuaginta Hebdomadibus continetur. *Septuaginta Hebdomades* (inquit) *abbreuiatæ ſunt ſuper*

populo

populo tuo,&c. Moderni Hebræi, vt effugium aliquod ab hoc vaticinio ſibi compatent, mirum in modum cruciantur: quidam enim iubilæorum, id eſt, quinquaginta annorum, alij ſęculorum, centum ſcilicet annorũ, hebdomadas eſſe volunt: ſed hi cùm nulla Scripturarum auctoritate innitantur; quin potiùs ipſa templi ruina, quæ intra harum 70. hebdomadarum tempus iam ſequuta eſt, vt Daniel prædixerat, cũ ipſis pugnet; facilè ſeipſis corruunt, neque alia confutatione indigent.

STATVENDVM igitur eſt ex Scripturis, duplex tantùm eſſe, non amplius hebdomadarum genus. Alias quidem dierum hebdomadas eſſe ex ipſo communi vſu conſtat,

B

Leuit. 23. & patet Leuit. cap. 23. vbi legitur. *Numerabitis ergo ab altero die Sabbathi, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum ſeptem hebdomadas plenas vſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, id eſt, quinquaginta dies, & ſic offeretis ſacrificium nouum Domino ex omnibus habitaculis veſtris.* Porrò alias annorum eſſe declaratur

Leuit. 25. Leuit. cap. 25. vbi de anno iubilæi agitur. וספרת לך שבע שבתת שנים שבע שנים שבע פעמים והיו לך ימי שבע שבתת השנים תשע וארבעים שנה׃ *veſapharta lecha ſcenangh ſcabbethoth*

C

ſcianim ſceũgh peghamim vehaiou lecha ieme ſceuangh ſcabbethoth haſcianim teſciangh vearbaghim ſciana. Numerabis (inquit Deus) *tibi quoque ſeptem hebdomadas annorum, id eſt, ſepties ſeptem quæ ſimul faciunt annos quadraginta nouem*, &c. Præter hæc duo hebdomadarum genera, dierum, & annorum; nullum aliud in Scripturis reperitur hebdomadis genus. Atque illæ quidem priores dierum hebdomades in communibus paſſim rebus vſurpantur. Hæ verò poſteriores annorum in magnis duntaxat, ac grauiſſimis locum habent.

CVM igitur grauiſſimum omnium ſententia hoc ſit de Meſsia vaticinium, neque hę

D

hebdomades dierum eſſe poſsint: ſiquidem templi deſolatio ibi ab Angelo prædicta, ab iis diſſentit; ſequitur eas eſſe annorum hebdomadas: in quo nobiſcum conſentiunt R. Saadias, R. Abraham, magnus Hebraicorum voluminum gluſſator in Danielem, R. Moyſes, & R. Salomon, & quotquot candidè hunc Danielis locum expoſuerunt.

R. Saadias. R. Abraham. R. Moyſes. R. Salomon.

HIS explicatis modò expendendum eſt, quo tempore harum hebdomadarum enumeratio inceperit, aut quando deſierit: plerique enim de hac temporis ſupputatione cõtrouerſiam mouent: nam alij à primo Cyri

E

Imperij anno, alij à 2. Artaxerxis, alij à 20 hoc hebdomadarum tempus inchoandum cenſent. At mihi videtur Angelum ſatis luculenter tempus explicaſſe, à quo ſeptuaginta hebdomades inchoandæ ſint, ita vt vix vlli de eo dubitandum ſit. *Scito* (inquit Angelus) *& animaduerte ab exitu ſermonis, vt ædificetur Hieruſalem, vſque ad Chriſtum ducem hebdomades*

A

ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt. Ex quo textu apertè colligitur hebdomadarum ſupputationem ab eo tempore inchoari debere, quo à Deo exiit ſermo ad Hieremiam, quo Hebræis templi inſtaurationem pollicebatur: ita enim legitur apud Hierem. c. 29. כי לפי מלאת לבבל שבעים שנה אפקד אתכם והקמתי עליכם את דברי הטוב להשיב אתכם אל המקום הזה׃ *ki lephi meloth leuanel ſcinghim ſciana ephkod ethchem vahakimothi ghalechem eth deuari hatton lehaſcin ethchem el hammakom hazze. Cùm cœperint impleri in Babylone ſeptuaginta anni, viſitabo vos, & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum, vt reducam vos ad locum iſtum*, & cap. 30. כה אמר יהוה הנני שב שבות אהלי יעקוב ומשכנותיו ארחם ונבנתה עיר על תלה וארמון על משפטו ישב *ko amar Iehoua hinni ſcian ſcenoth ahale iaghakou vmiſcknenothau arahhem veniunetha ghir ghal tilla vearmon ghal miſcpato ieſcen. Hæc dicit Dominus; ecce ego conuertam conuerſionem tabernaculorum Iacob, & tectis eius miſerebor, & ædificabitur ciuitas in excelſo ſuo, & templum iuxta ordinem ſuum fundabitur.* Hinc colligitur à tẽpore huius vaticinij, quod fuit circa annum 4. Regni Sedechiæ paulò poſt Iſraëlitici populi captiuitatem, harum hebdomadarum tempus inchoatum eſſe.

HINC Thalmudiſtæ in libro Seder Olam, & in Auenezta cap. 1. has Danielis hebdomadas à tempore deſtructionis primi templi exorſas ferunt, & vſque ad ſecundi euerſionem perueniſſe: quam ſententiam conſtanter tuetur Rab. Salomon, hac temporũ ſupputatione habita: nam ab euerſione primi templi vſque ad ſecundi excidium, quadringentos ſupra nonaginta annos enumerat, hac ratione. Primo enim templo deſtructo incepit Babylonica captiuitas, quæ 70. annorum ſpatium obtinuit, poſt quod rurſus templum inſtauratum fuit: vbi primùm 70. annos ſibi reponit. Porrò ab hac templi inſtauratione vſque ad illius excidium ſub Tito, & Veſpaſiano 420. anni ex illius ſententia effluxerunt. His igitur ſi ſeptuaginta illi anni iungantur: mox 490. annorum numerum efficient, quem ſeptuaginta Danielis hebdomades continent.

AT quamuis Thalmudiſtæ, ac R. Salomon in hac temporum ſupputatione, quam ſibi inter vtriuſque templi deſtructionẽ præfigunt, nonnihil exceſſerint: neq; enim Daniel hebdomadarum tempus, vſque ad templi deſtructionem extendit, ſed tantummodò vſque ad Meſſiæ aduentum; vt patet, cùm ait; *Vſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erũt.* Quò fit, vt totũ Meſſiæ vitæ tempus, ac præterea ſpatiũ illud, quod poſt Meſſiæ mortem vſque ad tẽpli euerſionem interceſſit, ab his auferri debeat, quod ſeptuaginta trium annorum ſpatium

Digitized by Google

tium reddit. Verùm cùm de paucis duntaxat annis ſit controuerſia, quamuis de hac annotum ſupputatione alij alia ſentiant, id nos parum vexat; quandoquidem, quòd ad præſens negotium ſpectat, id nobis ſufficit, quacunque illorum ſupputationis habita ratione, hoc hebdomadarum tempus iamptidem elapſum eſſe, ac proinde Meſſiam iamdiu in orbem veniſſe.

A t verò, vt omnis euadendi via iis intercipiatur, qui vel has hebdomadas nundum expiratas, vel Meſſiam nondum aduenisse volunt; vtrumque ex ipſo Danielis Vaticinio euinco. Siquidem exploratum eſt B hoc Danielis vaticinio duo tempora definiti: vnum Aduentus Meſſiæ, alterum deſtructionis Templi; quod ex ipſa vaticinij litera perſpicuum eſt. Nam Meſſiæ aduentus tempus 70. hebdomadarum eſſe illis verbis definitur. *Scito ergo, & animaduerte, ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Ieruſalem, vſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt*: neque id Hebræi vllo modo effugere valent. Porrò tempus deſtructionis ſecundi Tēpli non niſi poſt Meſſię necem expirandum à Daniele traditur. Ita enim habetur. *Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus*: tametſi Hebræi contendant C legendum eſſe, *excidetur*, non *occidetur*. Negant enim verbum, יכרת *ijccaret* ſignificare, quod apud nos ſonat *occidere*, vel *interficere*.

Geneſ. 9. At certè falluntur. Nam Geneſ. 9. vbi Latini legunt. *Statuam pactum meum vobiſcum, & non vltrà interficietur omnis caro*. Iudæi legunt, יכרת *ijccaret, interficietur*. Idem verbum quoque

3. Reg. 18. habetur 3. Reg. 18. vbi nos legimus, *Cùm interficeret Iezabel Prophetas Domini*; Hebræi habent. יכרת איזבל את נביאי יהוה *ijccaret Iezabel eth nebie Adonai*. Neque à no-

R. Salomon. bis diſſentit R. Salomon, qui tametſi vaticinium ad Regem Agrippam detorqueat, in quo ſummam animi ſui perfidiam declarat; attamen illum, quo tempore Templum corruit, interfectum falsò fuiſſe affirmat: quo ſanè indicat, ſe non alio ſenſu verbum *yccaret*, quod hic apponitur, interpretari, quàm *occidere*.

E x his igitur exploratum habemus priùs eſſe debere Meſſiæ aduentum quàm templi excidium. Cùm itaque Templum iampridem à Romanorum exercitu euerſum fuerit, ſanè euadere non valent quin hic fateri cogantur Meſſiæ aduentus tempora iamdiu expiraſſe. Quod tandem vel inuiti, vel ipſa rei veritate ſtimulati illorum plerique fatentur: nam inter Hebræos Doctores quos Emortrain nuncupant, quidam Rabbinus in lib. Sanhedrin, omnes Meſſiæ aduentus terminos elapſos eſſe conſtanter affirmat. Inter eos verò qui Gaom appellantur, in quibus illuſtriſſimus eſt R. Moyſes Ægyptius, is tradit A Meſſiam proculdubio anno ab orbe condito 4974. venturum. Atque hi tandem omnia Meſſiæ aduentus tempora iam elapſa eſſe vnanimes affirmant. Quò fit, vt ex his certiſſimum Iudæi ſibi argumentum conflare debeant, Meſſiam veniſſe.

Demonſtratur quartò ex Aggæi Vaticinio.

ARTICVLVS V.

NON minùs præclara videntur ad hanc B veritatem illuſtrandam, ac Iudæis perſuadendam, quæ olim Vates Aggæus diuino ſpiritu afflatus de Meſſiæ aduentu prædixit. *Adhuc vnum modicum, dicit Dominus, & ego* *Aggæi 2.*

moueho cælum, & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus, vel vt habet Hebræa lectio, *deſiderium cunctarum gentium, & replebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituū: meum eſt argentum, meū eſt aurū, dicit Dominus exercituum Magna erit gloria dom⁹ iſtius, pluſquā prima, dicit Dominus exercituū*. Planè nimis calūnioſè agerent Hebræi, ſi hoc Aggæi vaticinium aliò quàm ad Meſ- C ſiam pertraherent: nam illud de Meſſia intelligendum eſſe, apertè teſtatur R. Aquibba *R. Aquibba.*

in lib. Sanhedrin Guazit, vbi Aggæi verba ſic ab eo exponuntur. *Adhuc vnum modicum eſt Regni venturi Iſrael, ſcilicet poſt deſtructionem primæ domus; & poſt illud Regnum commouebo cælum, & terram, & mouebo omnes gentes, & veniet Meſſiach*.

H o c igitur poſito plura in hoc vaticinio expendenda ſunt. Primum eſt, hoc Aggæi vaticinium eò tendere, vt Zorobabelis, ac aliorum Iudæorum animos ad ſecundi templi ædificationem incenderet. Nam cùm D expletis ſeptuaginta annis, quibus in Babylonia captiui detenti fuerant Iudæi, à Dario Hyſtaſpis filio tandem libertate donati, ad priſtinas ſedes Hieroſolymam remeaſſent; nullo ibi primi templi veſtigio reperto, aliud Templum auctore Zorobabele, ac nouam vrbem ædificare cœperunt. Quot autem in hoc Templo ædificando, Samaritis, ac aliis finitimis gentibus contrà nitentibus, ac Templi ædificationem omni, qua poterant, vi impedientibus, labores perpeſſi ſint, E abundè narrant Eſdræ, ac Nehemiæ volumina, & tradit Ioſephus Antiq. lib. 11. cap. 5. *Ioſephus.*

Altera enim manu faciebant opus, altera ſtrictum gladium tenebant, vt vim aduerſariorum repellerent. Quamobrem ne his difficultatibus perterriti Iudæi ab incepto opere deſiſterent; miſit Deus Aggæum, ac Zachariam Prophetas, quibus ſuadentibus Zorobabel, ac cæteri Iudæi cœptam Templi ædificationem perficerent; vt habetur 1. Eſdræ c. 5. his verbis. *Prophetauerunt autem Ag-* *1. Eſdr. 5.*

gæus, & Zacharias filius Addo prophetantes ad Iudæos, qui erant in Iudæa, & Ieruſalem in nomine Dei Iſrael: tunc ſurrexerunt Zorobabel filius Salathiel, & Ioſue filius Ioſedech, & cœperunt ædificare Templum Dei in Ieruſalem, & cum eis Propheta Dei adiuuantes eos. Quapropter Aggæus hoc vaticinio, quo ampliorem Deus Iudæis huius ſecundi templi gloriam fore pollicetur, illos ad Templi ædificationem prouocat.

SECVNDO expendendum eſt, quod Deus ait, ampliorem, ac illuſtriorem futuram eſſe huius domus, id eſt, Templi ſecundi gloriam, quàm primi. *Magna* (inquit.) *erit gloria domus iſtius pluſquam primæ. Magna* enim poſitiuus pro comparatiuo ponitur, vt
Pſal. 117. ſæpe apud Hebræos: nã idem habetur Pſ 117. טוב לחסות ביהוה מבטח באדם ׀ טוב לחסות ביהוה מבטח בנדיבים *tou lahhaſoth baihoua mibbetoahh baadam: tou lahhaſoth baihoua mibbetoahh bindiuim. Bonum eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine, bonum eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in principibus; bonum*, id eſt, *melius.* Ita modò apud Aggæum, *magna*, id eſt, *maior.* At quonam modo id verum eſſe potuit, cùm primum illud Templum, quod à Salomone cœleſti planè ſapientia extructum fuerat, opibus, ornamentis, magnificentia ſecundum hoc Templum à Zorobabele excitatum antecelluiſſe neminem lateat? Nam quòd ad opulentiam ſpectat, primum Salomonis Templum ita lo-
3. Reg. 6. Ioſephus. cuples fuit, vt teſtatur 3. Reg. 6. & Ioſephus Antiq. lib. 8. cap. 2. vt nihil in Templo omnino fuerit, tectum, parietes, pauimentum domus oraculi, quin omnia auro tegerentur. At redeuntes Iudæi ex Babylone, nulla ſanè ratione credendum eſt, quòd tanta diuitiarum copia affluerent, vt præſtantius, ac maioribus diuitiis opulentius Templum, quàm id, quod Salomonis fuerat, extruere potuerint.

R. SALOMON maiorem gloriã huius ſecũdi Templi ex eo conatur aſtruere, quòd diutiùs permanſerit: at ſi ab eodem Rabbino quærimus; quot temporum, aut ſæculorum ſpatiis hoc illo magis diuturnum fuerit; decem tantummodò annorum ſpatia profert, quibus poſterius hoc illud prius ſuperaſſe tradit: opinatur enim Templum à Salomone extructum quadringentis decem annis: alterum verò à Zorobabele ſecundò ædificatum quadringentis viginti integrum perſtitiſſe: quæ ſanè leuiſſima, ac minimi momenti gloria exiſtimanda eſt, cuius Deus meminiſſe debeat. Deinde ædificij magnitudine hoc illo magis glorioſum eſſe ea ratione affirmat, quòd ab Herode hoc magnificentiùs extructum, atque auctum fuerit; at hallucinatur Salomon: nam ſi in his Templi gloria reponenda eſſet, profectò quicquid Herodes ad Templum hoc ſecundum addidit, nunquam eò pertingere potuit, vt auri copia, vaſorum multitudine, ſtructuræ magnificentia, ſacratum veſtium pretioſitate, gemmarum affluentia ad prioris illius Templi Salomonici amplitudinem, ac opulentiam propè accederet.

AT verò prioris Templi gloria non in auro, gemmis, aut ſtructuræ excellentia; ſed in his potiſſimùm ſita fuit; primò, quòd illud Arcam, propitiatorium, & Cherubim continebat; quod ſingulare illius Templi ornamentum erat: ac quidem Arcam illam fœderis adeò Iudæi venerabantur, vt ea à Philiſtiim capta, conſerent tranſlatam eſſe gloriam Domini de Iſraël, vt ſcribitur 1. Reg. 4. *1. Reg. 4.*
Secundò, quòd in priori Templo ad propitiatorium Dei reſponſa dabantur, oraculáque edebantur, quibus populus de iis, quæ agenda eſſent, inſtruebatur. Tertiò, *Vrim*, & *Thummim* in pectorali Pontificis affulgebant, quorum aſpectu Sacerdotes occulta cernebant, ac populo renunciabant. Hæc autem Vrim, & Thummim, quæ apud nos ſonant, doctrina, & veritas, ex ſententia R. Salomo- *R. Salom.*
nis nihil aliud erant, præterquàm ipſum nomen Dei tetragrammaton, quod Pontifex ſub lapidibus Rationalis incluſum gerebat. Quartò, quòd ſacer ille ignis, quem cuſto-
diri tam ſollicitè Moyſes Leuit. 6. præcepe- *Leuit. 6.*
rat, in Templo perenniter ardebat. Quintò, quòd Prophetiæ ſpiritus, quo Iudæi vſque ad ſecundi Templi ædificationem nunquam caruerunt omnino, in eo maximè vigebat. Sextò, quòd in eo ſacrum oleum aſſeruabatur, quo Reges, ac Pontifices vngebantur. Quæ omnia tempore ſecundi Templi penitus corruerunt. Nam Arca, propitiatorio, Cherubinis, ac ſimul cum his vrna mannæ, lenticula olei vnctionis, virga Aaron Iudæi tunc carere cœperunt, cùm in Babylonem captiui adducerentur. Ea ſiquidem ab Ieremia cùm in ſpelunca tempore tranſmigrationis abdita fuiſſent, nunquam deinceps Iudæis viſa fuiſſe plerique teſtantur. Nulla poſt hæc Dei oracula in Templo reddita fuiſſe; nec Vrim, & Thummim vltrà effulſiſſe, nec ignem, qui in primo Templo de cœlo deſcendens holocauſta comburebat, ampliùs deſcendiſſe; neque Dei gloriam, quæ in Sancta Sanctorum inter Cherubin apparere ſolebat, vltrà viſam fuiſſe. Denique Prophetiæ ſpiritum omnino poſt ſecundum Tẽplum in Hebræo populo extinctum fuiſſe, te-
ſtantur R. Samuel in lib. Sanhedrin Ieroſo- *R. Samuël.*
lymitano cap. *Ellu hen haggolin.* R. Salomon *R. Salomon.*
in Gloſſa verbi veeccabda, honorabo eam. R. *R. Aha.*
Aha in lib. Ioma. Id etiam confirmat Midras *Midras Sir*
Sir Haſchirim, id eſt, expoſitio Cant. Cantic. *Haſchirim.*
c. 8. explicans illud, *ſoror noſtra paruula eſt, & vbera non habet.*

ACCE

Thalmud.

Accedat præterea, quòd in Thalmud in lib. Yoma legitur primum Salomonis templum multas, ac præclaras à Deo excellentias habuiſſe, quas ſecundum aſſequi nunquam potuit. Prima fuit, quòd ſacrificiorum nidore mulier à fœtus abortu præſeruabatur; neque malè olebant vnquam carnes ſacrificiis dicatæ; nec muſca vnquam in macello templi viſa fuit, neque ſummum Pontificem in die propitiationis, morbi, aut alterius calamitatis caſus vnquam inuaſit; nec aliqua in panibus propoſitionum macula aliquando viſa fuit. Nunquam ſerpens, aut vllum ſerpentum genus morſu, vel veneno in Ieruſalem alicui nocuit. Ignis præterea, qui perpetuus ante altare aſſeruabatur, vi pluuiarum aliqua nunquam potuit extingui, atque eiuſdem ignis fumus, qui inſtar columnæ ſuper ignem ſurſum attollebatur, vento impediri nullo modo valebat. Quæ primi templi miracula confirmantur etiam in Thalmud Babylonico in cap. ſeptem dies. Quæ ſi vera ſint, conſtat ſanè ea tempore ſecundi templi omnino fuiſſe ſublata: atque ita habetur dicto capite. *Omnia* (inquit) *hæc ceſſauerunt per annos quadraginta ante deſtructionem templi, id eſt, primi, ſicut dictum eſt Pſalmo* 74. אותותינו לא ראינו אין עוד נביא ולא אתנו יודע עד מה *othothenu lo rainu en ghod naui velo ittanu iodeangh ghad ma. Signa noſtra non vidimus, iam non eſt Propheta, neque nobiſcum, qui ſciat vſquequò.*

Thalmud Babyl. — *Pſalm. 74.*

Ioſephus Iudæus.

Postremo id confirmat Ioſephus Antiq. lib. 11. cap. 3. his verbis. *Sacerdotes autem, & Leuitæ, cognationúmque Principes ætate prouectiores, qui & illud prius templum videre meminerant magnum & opulentum, & hoc recens pro præſentium fortunarum tenuitate deterius fieri animaduertebant, reputantes quantùm à priſca illa fœlicitate abeſſet, oborta inde mæſtitia temperari à lacrymis non poterant. Vulgus autem contentum erat præſenti templo, vt quod nulla priorum temporum comparatione ſeipſum cruciabat, nec vllum detrimentum factum quibat animaduertere.* Hæc Ioſephus. Ex quo exploratum eſt, primum illud Salomonis templum multò ſecundo præſtantius ac glorioſius fuiſſe.

Quæ cùm ita ſint, quid eſt, quòd Aggæus Dei nomine pollicetur huius ſecundæ domus gloriam primæ illius gloria ampliorem, ac vberiorem fore? Fuit ſanè huius poſtremæ domus gloria vnica ratione præſtantior, qua nulla maior, nulla dignior, nulláue excellentior excogitari potuit, quam idem Aggæus declarat, cùm ait: *Et veniet deſideratus cunctis gentibus.* Hunc verò deſideratum à cunctis gentibus ex libro Sanhedrin in cap. Helec Meſſiam interpretati ſumus, quem cunctarum gentium deſiderium, & expectationem Iacob Patriarcha futurum eſſe dicit Geneſ. 49. *Et ipſe erit* (inquit) *expectatio gentium*, &c. Hæc igitur ſumma ac perfectior ſecundi templi gloria fuit, quòd in eo Rex Meſſias, qui omnem Salomonis, ac cæterorum Regum gloriam antecellit, immò qui omnem Dei gloriam in ſeipſo comprehendit, ſedere, docere, euangelizare, ac innumera ſigna, ac miracula patrare voluit, hanc gloriam illud Salomonis templum aſſequi nunquam meruit: hæc tandem gloria ita omnem prioris templi gloriam obſcurauit, vt haud ſecus, quàm Sol cætera ſydera, hoc vno lumine omnia illius ornamenta ac ſplendorem concluſerit, ac compreſſerit.

Lib. Sanhedrin. — *Gen. 49.*

Neque verò dubitandum eſt, quin hæc domus gloria ad ſolum Meſſiæ aduentum ad ſecundum templum, non ad illius opes, aut ſtructuræ magnificentiam referenda ſit: id enim confirmant priora illa Aggæi verba. *Meum eſt argentum, meum eſt aurum, dicit Dominus*; quod perinde eſt, ac ſi diceret: id à vobis non efflagito, vt domus hæc auro, vel argento fulgeat, quòd ſi id appeterem, profectò id vobis elargirer; meum eſt enim aurum, & argentum, meæ opes; porrò aliam huic templo nobiliorem, ac præſtantiorem gloriam paro. *Nam adhuc vnum modicum, & ego mouebo cœlum, & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus, & replebo domum iſtam gloria.* Priùs ergo venturus erat Meſſias, ac deinde templum gloria replendum, vt hinc manifeſtum ſit, hanc templi gloriam à ſola Meſſiæ præſentia in illud manare debuiſſe.

Et quidem Iudæi negare non valent (modò nimis perfidè agere nollent) Meſſiam ad ſecundum hoc templum aliquando aduenturum fuiſſe; id enim apertè prædicat Malachias Propheta cap. 3. his verbis. *Ecce ego mittam Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis: Ecce venit, dicit Dominus exercituum.* Dominatoris nomine Meſſiam intelligi Iudæis exploratum eſt, cùm eodem nomine appellatur à Michea cap. 5. *Ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël*; quem locum explicans R. Salomon, ait. *Dominator iſte eſt Rex Meſsias filius Dauid*: quò fit, vt nulla dubitatio oriri poſſit, quin hoc nomine Meſſias intelligatur. Cùm igitur Malachias Meſſiam in templum aduenturum eſſe dicat, Aggæus verò priùs venturum Meſſiam, poſtea templum ampliori gloria, quàm prius exornandum affirmet: hinc apertè elicitur, omnem huius ſecundi templi gloriam à Meſsiæ præſentia pendere. Atque inde tandem ex Aggæo, & Malachia rectè concludimus,

Malach. 3. — *Michæ. 5.* — *R. Salomon.*

Digitized by Google

mus, quòd integro adhuc, ac incolumi exiſtente ſecundo Dei templo, Meſsias venturus eſſet.

Hinc ſponte nobis obuius fit verborum illorum ſenſus. *Adhuc vnum modicum, & ego mouebo*, &c. *& veniet deſideratus cunctis gentibus*; quibus celerem ac propinquum Meſſiæ aduentum fore declaratur, iuxta R. Aquibbæ gloſam, quæ ſic habet. *Adhuc vſque ad Meſsia reuelationem modicum tempus reſtat*: tametſi nonnulli recentiores Iudæi locum illum è manibus nobis eripere conentur, qui illa Dauidis auctoritate freti, quæ habetur Pſ. 89. כי אלף שנים בעיניך כיום אתמול כי יעבר *ki eleph ſcianim beghenecha keiom ethmol ki iaghauor. Mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna, quæ præterijt*, modicum iſtud, pro longiſsimo, ac diuturno tempore accipiunt. At quàuis illis reſponderi poſsit, non æquam eſſe debere vtriuſque loci intelligẽtiam: nam apud Dauidem, tempus Dei æternitati comparatur, quod perinde eſt, ac ſi iam tranſactum eſſet, cùm Dei æternitas omne poſt ſe tempus relinquat. At apud Aggæum tempus non cum æternitate, ſed cum tempore confertur: quò fit, vt etiam ante Deum, qui omnia, vt ſunt, intuetur, modicum illud non pro præterito, aut longiſsimo, ſed pro exiguo tempore haberi debeat. Attamen huius modici temporis declarationem lubet à Malachia petere: qui ait. *Et ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator, quem vos quæritis*. Hoc enim ſtatim, quod à Malachia ad celerem Meſsiæ aduentum oſtendendum aſſeritur, illud Aggæi modicum tempus, quale ſit, ac cuius durationis eſſe debeat, declarat. Nam etſi Malachias huius temporis breuitatem illis verbis: *Ecce, ego mittam, ſtatim veniet, ecce veniet*, quæ omnia temporis breuitatem indicant, non obſcurè inſinuet: verumtamen cùm ait. *Statim veniet ad templum ſanctum ſuum*; tempus Meſsiæ aduentus definitè præſcribit, atque illud eſſe affirmat, quandiu ſecundum templum integrum ſteterit. Cùm enim Meſsiam in templum illud venturum eſſe dicat, proculdubio prius venire debuit Meſsias, quàm templum illud ſolo æquaretur. Quamobrem id Iudæis fatendum eſt, vel vtrumque Vatem, tam Aggæum, quàm Malachiam hallucinatum fuiſſe (quod nefas eſt cogitare) vel ſecundo templo adhuc ſtante Meſsiam proculdubio veniſſe.

Postremvm tandem Aggæi argumentum de tempore aduentus Meſsiæ ſupereſt explicandum, quod illis verbis inſinuat. *Adhuc vnum modicum, & ego mouebo cælum, & terram, mare, & aridam; & mouebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus*. Omnes enim hæ orbis ac gentium commotiones, cùm Meſsiæ aduentum, vel præceſſuræ eſſent, vel illum comitari deberent; iis iam in orbe factis, fatendum eſt Meſsiam veniſſe.

Porro quales commotiones illæ futuræ eſſent, R. Salomon quamuis (vt ſui moris eſt) hoc Aggæi Vaticinium à Meſſia diuertere conetur; id tamen non ineptè (tametſi leuiter) explicaſſe videtur: is enim de his commotionibus ita ſentit, vt cœlum, terram, mare, ac reliqua miraculis cõmouenda eſſe exiſtimet. At R. Dauid de gentium commotione locum interpretatur, ita vt omnium corda à Deo commouenda ſint. Vterque verò has commotiones eò tendere arbitratur, vt ſecundi illius templi gloriam augerent. Verùm in hoc apertè hallucinati ſunt, cùm nulla huiuſmodi tum miraculorum, tum omnium gentium commotio tempore ſecundi templi viſa fuerit, nam miracula, quæ paulò ante templi excidium à Christo, ac Apoſtolis edita ſunt, non ad augendam illius templi gloriam, ſed ad fidem Christianam amplificandam tendebant. Gentium verò omnium commotio templi tantùm deſtructionem ſequuta eſt: quò fit, vt hæ nullo modo ad templi gloriam, ac maieſtatem pertinerent. Non igitur ad templum, ſed ad Meſſiam hæc rerum omnium commotio referri debet, vt ex ipſo Aggæo conſtat, qui tum à Deo orbem commouendum eſſe affirmat, cùm omnium gentium deſiderium, ipſe videlicet Meſſias, in orbem venturus eſſet: ac tum demum templi gloriam illius præſentia illuſtrandam.

Cæterum non tam in ipſo Meſſiæ aduentu, qui fuit ante ſecundi templi deuaſtationem (vt demonſtratum fuit) quàm etiam poſt, plurima ſigna ac miracula ad declarandum Meſſiæ aduentum, tam in cœlo, quàm in terris, ac mari edita fuiſſe ampliſſimos teſtes habemus, Euſebium Cæſarienſem, Oroſium, Abulenſem, Dionyſium Areopag. Senecam, Suetonium, Plinium, D. Antoninum, D. Bonauenturam, D. Thomam, Nicephorum, Ioſephum Hebræum, & alios. Nam Euſebius in Chronico anno extremo Iulij Cæſaris, cui poſtea Auguſtus ſucceſſit, ſub quo Chriſtus natus eſt; Romæ tres Soles exortos eſſe ait, qui paulatim in vnum orbẽ coïerunt. Ipſe verò Auguſtus, teſte Oroſio lib. 6. cap. 18. Romam ingrediens repentè liquido cœlo circulum in Iridis ſpeciem Solẽ ambiiſſe aſpexit, quo ſignificabatur (vt idem Oroſius ait) quaſi vnum eum auguſtum, ac potentiſſimum, ſolúmque clariſſimum in orbe monſtraret, cuius tempore venturus eſſet, qui ipſum Solem, mundúmque totum feciſſet & regeret. Idem ſcribunt Dionyſ. lib. 45. Senec. lib. 1. natural. quæſt. c. 2. Suetonius in vita Auguſti c. 95. Plinius lib. 2. c. 28.

De eodem Auguſto ſcribit Innocentius ſerm. 2. de Natali Domini; Virginem geſtan-

tem

Margin notes: R. Aquibbas. — R. Salomon. — R. Dauid. — Euſeb. Cæſar. — Oroſius. — Dionyſ. Seneca. Suetonius. Plinius. — Innocentius.

tem in vlnis filium in cœlo conſpexiſſe; quò factum eſt, vt Auguſtus importuno populi ſtudio, qui illi diuinum honorem deferre volebat, omnino reſiſteret; admonente illum Sibylla, vel, vt alij volunt, Sibyllinis tantùm verſibus edoctus; puerum illum ſe maiorem eſſe, ac ſolum adorandum.

Alivd præterea cœlum ſignum præſtitit; ſtellam nimirum, quæ Magos ab Oriente Ieroſolymam duxit, quæ nunquam antea viſa fuerat, atque ea duce Meſſiam infantem in Bethlehem repererunt, neque id Iudæis mirum videri debet: nam vt S. Maximus ait ſerm. 3. de Epiph. idcirco Magi apud Iſraël præcipuè natum Regem requirunt: quia Balaam ille ariolus ſtellam ex Iacob oriondam, & hominem ex Iſrael prophetauerat eſſe venturum. Neque alia innumera è cœlo delata ſigna defuerunt; quæ Meſſiæ aduentum ſignificarent.

S. Maximus.

Porro è terra, & aquis data eſſe Meſſiæ aduentus ſigna, teſtantur D. Bernardus, Surius, Abulenſis, D. Bonauent. & Petrus de Natalibus. Hi enim vineas Engaddi præter tempus floruiſſe tradunt. Præterea vniuerſa in Ægypto ſimulachra ſimul corruiſſe, templum Pacis Romæ funditus fuiſſe euerſum, aquæ fontem in oleum mutatum per totum diem, quo Chriſtus natus eſt in Tyberim fluxiſſe affirmant. Dion præter hæc lib. 45. multa alia recenſet prodigia, quæ hoc eodem tempore acciderunt, nam Iouis templum fulmine ictum narrat, lampadem ab Oriente in Occidentem non ſemel diſcurrentem viſam fuiſſe, nouam ſtellam multis diebus præter alias conſpectam, Solem triplici circulo amictum fuiſſe tradit, quorum vnus ardens ſpicarum coronam videbatur circunferre.

S. Bernard. Laur. Sur. S. Bonaun. Pet. de Nat. Abulenſis.

Dion.

His ac alijs pleriſque ſignis prænotatum, ac ſignificatum fuiſſe à Deo Meſſiæ aduentum ex hiſtoriographorum fide perſpicuum eſt. At nimis prolixi laboris eſſet, ſi vniuerſa, quæ Meſſiæ aduentum vel comitata, vel ſequuta ſunt, tam cœlo, quàm terris, ac cæteris orbis partibus miracula ingentia tum à Chriſto, tum ab Apoſtolis, ac cæteris Chriſti Diſcipulis in Meſſiæ aduentus confirmationem edita ſunt, conſcribere vellem; cùm ea tum apud ſacros, tum profanos ſcriptores legi poſsint.

At quid de omnium gentium commotione dicam; quæ ſanè ex Chriſti noſtri aduentu, ac illius fidei prædicatione tanta fuit, vt vniuerſus planè terrarum orbis, relicta idolorum ſuperſtitione, quæ illi ex longa omnium ferè ſæculorum præſcriptione propè naturalis erat, ſeipſum ad Chriſti noſtri fidem transtulerit? Quod ſanè fieri non potuiſſet, niſi Deus omnium populorū corda commouiſſet: hinc Dauid hanc omnium gentium commotionem à facie Domini exortam eſſe A docet Pſal. 113. מלפני אדון חולי ארץ מלפני אלוה יעקב ההפכי הצור אגם מים חלמיש למעינו מים *milliphne adon hhuli arets milliphne eloah iaghakon hahophchi hatſur agam maim hhallamiſc lemangh ienu maim. A facie* (inquit) *Domini mota eſt terra, à facie Dei Iacob. Qui conuertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* Vbi gentium conuerſionem metaphoricè deſcribit, quæ cùm priùs petris, ac rupibus ob cultus ſterilitatem, ac ſimulachrorum ſuperſtitionem, cui additæ erant, iure comparari poſſent; qua ſanè fiebat, vt parum ab ipſis lapidibus, quibus obſequia præbebant,

Pſal. 113.

B diſtarent; quemadmodum paulò infrà idem Vates affirmat. *Similes illis fiant, qui faciunt ea; & omnes qui confidunt in eis*; cùm vtrique Religionis ſenſu carerent: protinus Deo mouente in vberrima à diuinarum laudum flumina mutatæ, largiſsimos vbique veræ Religionis, ac doctrinæ riuulos emiſêre, vt olim prædixerat Iſa. cap. 35. והיה השרב לאגם וצמאון למבועי מים *vehaia haſcaraon laagam vetſimmaon lembbughe maim. Quæ erat arida erit in ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum.* Quapropter eandem commotionem Aggæus

Iſa. 35.

C hic quoque à Deo profectam aſſerit. עוד אחת מעט היא ואני מרעיש את כל הגוים ובאו חמדת כל הגוים *ghod ahhath meghad hi vaani vehir ghiaſcti eth col haggoim vuau hemdath col haggoim. Adhuc vnum modicum, & ego mouebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus.* Vt hinc ſaltem Hebræi addiſcant Meſſiam veniſſe; cùm totum orbem miraculis commotum, ac omnium gentium conuerſione iam in melius mutatum vident.

D *Demonſtratur quintò ex ſimulachrorum ruina, & oraculorum defectu.*

Articvlvs VI.

Fvtvrvm aliquando, vt adueniente Meſſia ſimulachrorum cultus, qui publicè olim exercebatur, in orbe deficeret, ac idololatria penitus expiraret; grauiſſima Scripturarum oracula teſtātur Nam Gen. 22. cùm primùm Deus Abrahæ Meſſiam ex ipſius ſemine naſciturum promiſit, in eo cunctas orbis nationes benedicendas, atque ab idolorum cultu, à quo ferè omnes detinebantur, reuocandas eſſe prædixit. *Benedicen-*

Geneſ. 22.

E *tur* (inquit) *in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Neque enim alia ratione intelligi poteſt, gentes idolorum cultui addictas à Meſſia benedicendas fore, niſi à ſimulachrorum veneratione ad vnius Dei cultum ab eodem prouocarentur.

In verò apertiùs adhuc explicat Iſa. cap. 2. his verbis. *Et eleuabitur Dominus ſolus in die illa, & idola penitus conterentur*, & infrà. *In die*

Iſa. 2.

illa proiiciet homo idola argenti ſui, & ſimulacra auri ſui, quæ fecerat ſibi, vt adoraret, &c. Dei eleuatio haud aliud eſt, quàm Dei ipſius glorificatio, quæ per fidem, ac publicum illius cultum fit: cùm verò ante Meſſiæ aduentum ob idolorum cultum longè latéque in orbe diſſeminatum, Deus quodammodo depreſſus videretur, futurum eſſe Vates prædicit, vt in ipſo Meſſiæ aduentu pulſa ab orbe idololatria, Deus ſolùs in hominum mentibus erigatur, ac illius maieſtas, quæ velut obſcura iacebat, per fidem ab omnibus cognita vbique effulgeat.

c. 31.

QVÒD rurſus confirmat cap. 31. cùm ait. *In die enim illa abiiciet vir idola argenti ſui, & idola auri ſui*, &c. Idola namque abiicere idem eſt, ac idolorum cultum reſpuere: quod tunc fieri debebat, cùm vera Dei fide per Meſſiam diſſeminata, homines ad Dei vnius cultum acceſſuri erant.

Zach. 13.

AT illuſtre eſt teſtimonium Zachariæ c. 13. vbi ita ſcribit. *Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, diſperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà; & pſeudoprophetam, & ſpiritum immundum auferam de terra.* Hunc locum de Meſſia intelligendum eſſe Hebræi fatentur: quò fit, vt minimè dubitare debeant, quin in ſalutifero illius aduentu, nomina illa idolorum Iouis, Martis, Saturni, Mercurij, Veneris, ac cæterorum dæmonum, qui diuinum honorem ſibi vſurpauerant, ac totum ferè orbem ſua ſuperſtitione occupauerant, diſperdenda eſſent; ac toto orbe effuganda: ita vt nec ipſa nominum veſtigia remanerent. Haud ſecus ſanè, quàm cùm exorto Sole noctis tenebræ effugantur. Meſſia namque adueniente, tanquam Sole exorto, denſæ illæ ſimulachrorum tenebræ, quæ orbem ferè vniuerſum idololatriæ caligine obſcurauerant, diſpellenda erant; vt noua cœleſtis fidei lux in mortalium mentibus illuceſceret.

Pſal. 103.

ATQVE huc ſpectaſſe videtur Dauid, cùm Pſalmo 103. ait. *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ*, &c. *Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabantur.* Quandiu enim veræ fidei, ac Religionis lumine in toto ferè terrarum orbe extincto, craſſa illa Diuinarum rerum ignorantia, idololatriæ tenebras mundo effudit; in hac orbis nocte feræ illæ ſylueſtres, Ioues, Martes, Neptuni, Saturni, Veneres, Iunones è Tartareis cauernis erumpẽtes plurimas orbis partes occuparunt, ac ſuis ſuperſtitionibus labefactarunt.

VERVM Meſſia in orbe apparente, hæc nocturna idolorum monſtra ſimul colligenda, ac colliganda erant: atque in inferni cubilibus collocanda, ne vltrà in hominum perniciem in orbe graſſarentur.

ID quoque non obſcurè tradit Sophonias cap. 3. vbi de venturi Meſſiæ temporibus agens, ait. *Tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & ſeruiant ei humero vno.* Alludere videtur Vates ad Hiſtoriam de diuiſione linguarum, quæ habetur Geneſ. 11. vbi dicitur. *Erat autem terra labij vnius, & ſermonum eorundem*: tum poſt pauca. *Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum*, &c. Nam quemadmodum ante linguarum diuiſionem terra vniuerſa erat labij vnius, quæ poſt diuiſionem in multa, ac varia idiomata proſciſſa fuit: ita homines antequam in idola defluerent, vno ore vnum Dei nomen inuocabant, ac velut labio vno, ac electo Dei Maieſtatem prædicabant: at vix in varium idolorum cultum proruerunt, ſtatim confuſum eſt labium, ac alij Iouem, alij Neptunum, alij Cererem, alij Vulcanum, & alia huiuſmodi Tartarea numina colere cœperunt.

Sophon. 3.

Gen. 11.

AT verò in aduentu Meſſiæ pollicetur Deus populis ſe electum labium redditurum: quò vniuerſi diſcant, iam non amplius diciſſo labio, Iouis, Martis, Saturni aut aliorum ſimulachrorum nomina velut diuina vſurpare; ſed vnius præpotentis Dei tantummodò (illis longè expulſis) vno labio nomen inuocare, ac colere: ac eidem vno humero, vno animo, vno conſenſu, vna fide ſeruire. Quem ſenſum etiam habet Chaldæus Paraphraſtes, cùm ita vertit. *Siquidem ita conuertam in omnes gentes locutionem vnam electam, vt precentur omnes in nomine Domini.* Huc enim ſpectat, quod ait Hier. c. 31. *Et non docebit vltrà vir proximũ ſuum, & vir fratrẽ ſuum, dicens, cognoſce Dominum. Omnes enim cognoſcent me à minimo eorum vſque ad maximũ, ait Dominus.* Atq; ita ſanè fieri decebat, vt qui fide, nõ ferro orbem vniuerſum ſibi ſubiugaturus erat; cunctos idolorum cultus, ac dęmonum ſuperſtitiones, quæ veram fidem oppugnabant, ab orbe expelleret.

Chald. Paraph.

Hier. 31.

HIS accedat & ipſe oraculorum defectus, atque altum idolorum ſilentium, quod Meſſię aduentum comitari debuit. Nemo enim ignorat ipſis tum ſacris, tum profanis literis teſtibus, quot oracula Stygia illa dęmonum numina, ſimulacris incluſa, conſulentibus rediderint: quot Delphicus Apollo, quot Iupiter Ammon, quot Solis arbor reſponſa ediderint. Denique de iis Iſaias c. 19. ait. *Interrogabunt ſimulacra ſua, & diuinos ſuos, & Pythones, & hariolos.*

Iſai. 19.

IAM verò nemo eſt, qui ſimulacrorum cultum iamdiu in orbe extinctum, idolorum nomina prorſus ex hominibus ęffugata, fana, lucos, delubra, templa penitus euerſa, & quæcunque ad idololatricam ſuperſtitionem pertinebant, tam longè pulſa eſſe non videat, vt nec ipſorum quidem veſtigium apud homines remanſerit.

ORACV

Oracvla verò alto ſilentio iampridem ſepulta fuiſſe, ipſi profani, ac Gentiles non ſemel conqueſti ſunt: nam Plutarchus integrum libellũ conſcripſit de defectu oraculorum. Strabo lib. 9. Geographiæ de Delphico Oraculo id pronunciat. *Hodie profectò in ſumma mendicitate Delphicum oraculum eſt.* De eodem quoque ſcribit Porphyrius lib. de reſponſis.

Plutarchus. *Strabo.* *Porphyrius.*

Ablata eſt Pythij vox haud reuocabilis vlli
Temporibus longis: etenim iam ceſsit Apollo,
Clauibus occluſus ſilet. Ergo ritè peractis
Diſcedas patria, & redeas ad limina, ſacris.

Deniqve iamdudum idola obmutuiſſe, atque omnem antiquorum oraculorum memoriam, vel vſum abhinc tot ſeculis euanuiſſe adeò certum eſt, vt nemo id inficiari queat. Quapropter id quoque Iudęis perſpicuum eſſe debet, Meſsiam iam veniſſe; cùm ea iampridem facta eſſe conſpiciunt, ac pręterita cernunt, quę Meſsię aduentum ex Dei teſtimonio comitari debebant.

Demonſtratur ſextò ex abrogatione legis, ac circunciſionis.

Articvlvs VII.

Inter alia Meſsiæ aduentus ſigna, quæ Scriptura commemorat, vnum, ac præcipuum eſt veteris legis, ac circunciſionis abrogatio: nam quemadmodum Solem tunc certò ortum eſſe agnoſcimus, cùm noctis tenebras, atque antelucanas vmbras toto Orbe fugatas cernimus: ita cùm tam lex, quàm circuncisio, nihil pręterquàm figurarum tenebras, ac futurorum bonorum vmbras, quæ Meſsiæ aduentum expectabant, omnium oculis obiicerent: iis nunc toto veræ Religionis Orbe pulſis, Meſsiam procul dubio veniſſe admonemur.

Veterem quidem legem aliquando quoad ceremonialia abrogandam fore olim prędixit Iſaias illis verbis. אל תזכרו ראשנות וקדמניות אל תתבננו הנני עשה חדשה עתה תצמח הלא תדעוה אף *al tizkeru riſcionoth vekadmonyoth al tithbonenu hinni ghoſeh hadaſcia ghatta thitſmah halo thedaghuah aph. Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini: ecce ego facio noua, & nunc orientur: vtique cognoſcetis ea.* Priora aliquando obliuione delenda, & antiqua nouis ſuccedentibus antiquanda eſſe Vates affirmat. At quænam hæc priora, & antiqua ſint, quæ etiam noua ſuccedere debeant, idẽ Vates proximis verbis declarat. אשים במדבר דרך בישמון נהרות *aſcim bammidbar derech biſcimon neharoth. Ponã* (inquit) *in deſerto viam, & in inuio flumina.* Erat apud Iſraëliticũm populum via, eáque antiqua: erat lex illa vetus, qua is ad vitam ducebatur, de qua Hierem. c. 6. עמדו על דרכים וראו ושאלו לנתבות עולם אי זה דרך הטוב ולכו בה ומצאו מרגוע לנפשכם *ghimdu ghal derachim vru veſciaalu lintibuoth gholam ei ze derech hattou vlchu vah vmitſu margoangh lenapſcechẽ. State* (inquit) *ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus veſtris.* In hac diuinæ legis via Regius Vates ſeipsũ exercebat, cùm diceret Pſal. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri; cùm dilataſti cor meum.* Hac ſe viuificari poſcebat cùm peteret; *In via tua viuifica me.* Hanc demum viam Domini ſanctam, & impollutam, tanquam ipſa puriſſima Dei eloquia continentem appellat Pſ. 17. האל תמים דרכו אמרת יהוה צרופה *hael tamim dar ko imrath Iehoua tſerupha. Deus meus* (ait) *impolluta via eius, eloquia Domini igne examinata.* Hanc igitur antiquam viam, hanc veterem legem in deſertũ ſe poſiturũ Deus affirmat, quandoquidem ita voluit aliquãdo ab hominibus deſeri, vt per eã nemo amplius incedere deberet. Demum ita abrogandam, antiquandam, ſepeliendam edicto ſanciuit, quaſi penitus à memoria ea exciſa videretur.

Pſal. 118. *Pſal. 17.*

Hæc priora, hæc antiqua illa ſunt, quæ Deus per Iſaiam haud meminiſſe iubet, vel ad ea aſpectum conuertere. *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini.*

Porrò noua, quæ Deus facturus erat, quæ nequaquam Iudæos effugere volebat, immò ante oculos illis ſæpè verſari; ea ſunt, cùm flumina per inuia, atque arida loca fluere iuſſiſſet, cùm ſcilicet nouam, ac Euangelicam legem condidiſſet, quæ fluminis inſtar aridas gentium mentes, nullo fidei, ac virtutum germine fœcundas irrigaret, ac per totum Orbem diffuſa, Chriſtianæ Eccleſiæ ciuitatem populorum conuerſione lætificaret.

Neqve ab hac interpretatione multùm diſtant Hebræi Doctores in quadam traditione, quæ habetur in libro Berachot Ieroſolymitano in cap. Korim, & in lib. Berachot Babylonico cap. Meemathai Corin. vbi verba illa Iſaiæ. *Ne memineritis priorum*, &c. exponentes, quæcunque Iudæis ante Meſſiæ aduentum collata ſunt, ſiue ſigna in Ægypto, ſiue manna in deſerto, ſiue lex, ſiue circunciſio, vniuerſa accidentia vocant: ſola ea quæ Meſſias Orbi conferet, ſubſtantiam appellãt. Lex igitur habuit ſe ad inſtar accidentis, quod poteſt adeſſe, & abeſſe. Cùm igitur accidentaria illa lex eſſet, neque aliud præter Meſſiæ legem haberet, quo ſubſiſteret, haud mirum, quòd Meſsiæ lege aduentante ea abroganda eſſet. Hinc in Midras Coheleth cap. 2. in ea verba. אמרתי אני בלבי לכה נא אנסכה בשמחה וראה בטוב והנה גם הוא הבל *amarti ani belibi lecha na anaſſecha beſimchha vreh betou vehinne gam hu hauel. Dixi ergò in corde meo, vadam, & affluam delicijs, & fruar bonis: & vidi quòd hæc quoque eſſet vanitas. Dixit*

Rabbi

A *Rabbi Hezkiya. Quia omnis lex, quam tu addiſcis in ſæculo iſto, vanitates ſunt coram lege Meſsia.*

Hierem. 31. AT luculentiùs Hierem. cap 31. hanc legis abrogationem prænuntiat הנה ימים באים נאם יהוה וכרתי את בית ישראל ואת בית יהודה ברית חדשה לא כברית אשר כרתי את אבותם ביום החזיקי בידם להוציאם מארץ מצרים אשר המה הפרו את בריתי ואנכי בעלתי בם נאם יהוה: כי זאת הברית אשר אכרת את בית ישראל אחרי הימים ההם נאם יהוה נתתי את תורתי בקרבם ועל לבם אכתבנה והייתי להם לאלהים והמה יהיו לי לעם *hinne iamim* B *baim neum Iehoua vecharatti eth beth Iſraël veth beth iehuda berith hadaſcia lo chaberith aſcer karatti eth anotham beiom hehheziki besadam lehotſiam meerets miſraim aſcer hemma hepheru eth berithi veanochi baghalti vam neum Iehoua ki zoth habberith aſcer echroth eth beth Iſraël abhare haiamim hahem neum Iehoua nathatti eth torathi bekirbam veghal libbam echtauenna vehaythi lahē lelohim vehemma ijhiu li legham: Ecce dies veniunt* (ait) *dicit Dominus, & feriam domui Iſraël, & domui Iuda fœdus nouum, non ſecundùm pactum quod pepigi cum Patribus ve-* C *ſtris in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti, pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſraël poſt dies illos, dicit Dominus. Dabo legem meam in viſceribus eorum & in corde eorum ſcribam eam, & ero ipſis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.* Quo ſanè teſtimonio antiquæ legis abrogatio ita apertè deſcribitur, vt nihil ea clariùs videri poſſit.

NEMO ſiquidem inficiari poteſt fœderis nomine legem ipſam ſignificari, cùm lex in Scripturis frequenter fœdus nuncupetur
Deuter. 9. vt patet Deut. cap. 9. ואפן וארד מן ההר וההר D בער באש ושני לוחות הברית על שתי ידי *vaephen vaered min hahar vehahar bogher baeſc vſcne luhoth habberith ghal ſcette iadi. Cúmque de monte ardente deſcenderem, & duas tabulas fœ-*
Exod. 33. *deris vtraque tenerem manu,* &c. Exod. 33. ויתן אל משה ככלתו לדבר אתו בהר סיני שני לחות העדות *vaiyten el moſce kechallotho ledabber itto behar Sinai ſcene luhhoth haghe-duth. Dedítque mihi Dominus completis huiuſcemodi ſermonibus in monte Sinai duas tabulas te-*
Hierem. 11. *ſtimonij.* Hierem. c. 11. שמעו את דברי הברית הזאת ועשיתם אתם *ſcimghu eth diure habberith hazzoth vaghaſcithem otham. Audite verba fœderis huius, & facite illa.* Item Deut. E
Deuter. 29. cap. 29. אלה דברי הברית אשר צוה יהוה *elle diure habberith aſcer tſiuah iehoua. Hæc ſunt verba fœderis quod præcepit Dominus.* Item Eze-
Ezech. 44. chiel. 44. ויפרו את בריתי אל כל תועבותיכם *vaiapheru yeth berithi el kol toghauothechem. Diſſoluiſtis pactũ meum in omnibus ſceleribus veſtris.* Quibus omnibus teſtimoniis perſpicuũ eſt *fœdus*, vel *pactum* pro lege ſumi debere.

A PORRO cùm nouum fœdus, aut nouam legem ſe conditurum Dominus polliceatur, omnino à priori illa lege diuerſam, quam antiquis Patribus ſanxerat, nulli dubitandum eſt, quin veterem illam legem antiquandam decernat, ac poſteriori lege conſtituta priorem delendam eſſe velit: neque enim duabos diuerſis ac pugnantibus legibus homines gubernati potuiſſent. Prior ergo poſteriori cedere, ac poſterior priorem legem arcere debuit. Pactum igitur, quod pepigit Deus cum Iudæorum patribus ipſa lex fuit à Deo Moyſi data in monte Oreb. No- B ua verò lex à Deo promulganda eſt lex Meſſiæ: quapropter hac adueniente prior illa delenda erat. Hinc Malachias c. 1. אין לי Malach. 1.
חפץ בכם אמר יהוה צבאות ומנחה לא ארצה מידכם: כי ממזרח שמש ועד מבואו גדול שמי בגוים ובכל מקום מקטר מגש לשמי ומנחה טהורה כי גדול שמי בגוים אמר יהוה צבאות: *en li hhephets bachem amar Iehoua tſenaoth vminhhah lo ertſeh mijedchem, ki mimmizrahh ſcemeſc veghad meuoo gadol ſcemi baggoim vuchol makom muktar muggaſc liſcmi vminhhah tehhorah ki gadol ſcemi baggoim amar* C *Iehoua tſebaoth. Non eſt* (inquit) *mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim Solis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Quibus verbis vtramque legem inſinuat: primam quidem Iudæis datam, in quam nulla amplius grata voluntate ſe affectum declarat, alteram gentibus collatam, in qua magnam ſuo nomini gloriam comparari affirmat: ac proinde cuncta veteris illius legis D munera velut inuiſa ſe reiecturum minatur.

ATQVE huc ſpectat illud Moyſis factum, cùm priores legis tabulas, quas digito Dei conſcriptas acceperat, ad radicem montis confregit, ſecundis tantùm integris ſeruatis: quomodo enim Moyſes tantùm facinus auſus eſſet, vt legis tabulas digito Dei ſcriptas, nulla diuinæ maieſtatis ratione habita proiectas confringeret, niſi myſticè id inſinuare voluiſſet, priorem illam legem, nimirum cæremonialia illa, ac iudicialia præcepta, quæ Iudæum populum alligabant, aliquando confringenda, ac delenda eſſe; tunc ſcilicet cùm ſecunda Meſſiæ lex ſuccederet. Atque inde E Meſſiam iam veniſſe colligimus, cùm priori, atque antiqua illa lege prorſus abrogata, nouam, ac vbique diffuſam Dei legem orbis excepit.

CÆTERVM Circuncisionis legem cum ea ſimul abrogandam fuiſſe facilè demonſtrari poteſt, ſi priùs, quid Circuncisio eſſet, vnde vim ſortiretur, & quandiu duratura eſſet, perſpectum ſit.

CIRCVN

CIRCVNCISIONEM primum ſignum fuiſſe externum fidei à Deo inſtitutum, quo Abrahæ poſteritas Meſsiam ex eorum genere naſciturum credere profitebatur, cuius fide ſalutem conſequi deberet, nemo ignorar: id enim ex ipſo textu Geneſ. 17. apertè colligitur, vbi ita legitur זאת בריתי אשר תשמרו ביני וביניכם ובין זרעך אחריך המול לכם כל זכר ונמלתם את בשר ערלתכם והיה לאות ברית ביני וביניכם *zoth berithi aſcer tiſcmeru beni vuenechem vben zarghacha abharecha himmol lachem* kol-*zachar vnmaltem eth beſar gharelathchem vehaia leoth berith beni vbenechem. Hoc eſt pactum quod obſeruabitis inter me, & vos, & ſemen tuum poſt te. Circuncidetur ex vobis omne maſculinum, & circuncidetis carnes præputij veſtri, vt ſit in ſignum fœderis inter me, & vos.* Et paulò infrà, והיתה בריתי בבשרכם לברית עולם : וערל זכר אשר לא ימול את בשר ערלתו ונכרתה הנפש ההוא מעמיה את בריתי הפר *vahaietha verithi biuſarchem liurith gholam : vegharel Zachar aſcer lo ijmmol eth beſar gharelatho venichretha hannepheſc hahiu meghammeaheth berithi hephar. Eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum. Maſculus cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo; quia pactum meum irritum fecit.*

VERVNTAMEN, vt tota res clariùs pateat, illud primò obſeruandum eſt: ante latã Circũciſionis legẽ, Meſsiæ promiſſionẽ Abrahæ factam fuiſſe: prima enim Meſſiæ promiſſio Abrahæ facta legitur Geneſeos c. 12. cùm primum illum Deus de Haran, & de cognatione ſua exire compulit; quæ res ne grauis, aut difficilis Abrahæ videretur, Meſſiam ex eo naſciturum pollicetur illis verbis. בך כל משפחות האדמה *becha kol miſcpehhoth haadama. In te benedicentur vniuerſæ cognationes terræ.* Poſt hanc verò cap. 17. Circunciſionis lex Hebræo populo, qui ex Abraham propagandus erat, ſancitur. At cur ea tantùm in genitali membro, non aliis membris perfiei iubetetur, nonnullæ quidem cauſæ aſsignari ſolent, præſertim à D. Thoma 3. p. q. 70. att. 3. ad 1. Prima eſt, quòd ea ad diminutionem carnalis concupiſcentiæ ordinaretur, quæ maximè in illis membris viget: ſecunda, quia erat in remediũ peccati originalis, quod per actũ generationis traducitur.

Genes. 12.
Genes. 17.
D. Thomas.

PRÆCIPVA verò ea fuiſſe videtur, quòd hoc exteriori ſigno in propagationis membro exhibito Hebræi Meſsię ex eorum ſemine naſcituri fidem profitebantur, à quo tum peccati originalis remedium, tum omnium benedictionum cumulum expectare debe-rent. Hinc illud primùm colligimus, Circuncißionem ad Meſsiæ promiſsionem, ac fidem referri: quamobrem illa ſignũ fœderis à Deo nuncupatur. *Et erit* (inquit) *ſignũ fœderis inter me, & inter vos.* Ecquodnam illud fœdus eſſe A cenſendum eſt, cuius ſignum eſſet Circunciſio? Non aliud planè, quàm quod ex Meſsiæ promiſsione priùs inter Deum, & Abraham initum fuerat, in quo omnium gentium illi benedictionem ſpoponderat. Atque hæc antiquiſsima Hebræorum ſententia fuit, qui idcirco Circunciſionẽ Abrahæ potiſsimùm datam eſſe cenſère ad confirmandam Meſſiæ promiſſionem, quem ex illius ſemine naſciturum priùs illi Deus pollicitus fuerat. Id quoque ipſa textus litera confirmat, quæ non alia ratione hoc fœdus in Hebræorum carne conſtitutum eſſe docet, quàm vt ex Hebræo- B rum carne naſciturum Meſſiam eſſe declararet. Quam ſententiam ex Catholicis tuentur auctor Operis imp. quod Auguſt. aſcribitur, quæſt. 12. Rupertus lib. 5. in Geneſ. c. 31. & alij quamplures.

Auct. oper. imperfect.
Rupertus.

Hoc igitur iacto fundamento, perſpicuum eſt Circunciſionem primò, ac per ſe ob culpæ originalis remedium non eſſe inſtitutam, cùm futura benedictio, qua culpa tũ originalis, tum actualis tollenda erat, ad Meſſiam pertineret, cuius Circunciſio, ac ſacrificia, quę in lege offerebantur, tantùm ſigna erant. Nec tamen inficior peccari originalis macu- C lam per Circunciſionis ſignum deleri, quarenus ſcilicet eo Hebręi profitebantur ſe in futurum Meſsiam credere, illúſque benedictiones expectare: quò ſanè fiebat, vt huius conceptę fidei virtute exteriori illo Circunciſionis ſigno à Deo inſtituto, adhibito, originale peccatum expiarent: ſi quidem & ſacrificia in fide venturi Meſsię in lege oblata eadem ratione actualem culpam delere poterant. Denique cùm exploratum ſit, à Meſſia abſolutè omnem totius orbis benedictionem manare, inde certiſſimum eſt, omnem etiam tam originalis, quàm actualis peccati D expiationem ab illius fide pendere.

HAEC verò, ſi à Iudęis paululùm deflectimus, Pauli teſtimonio luculentiora fient. Is enim ad Rom. ſcribens c. 4. Circunciſionem ſignaculum iuſtitię fidei appellat. *Et ſignum* (inquit) *accepit Circunciſionis ſignaculum iuſtitiæ fidei.* Iam hîc expendere opus eſt, Paulum iuſtitiam non Circuncisioni, ſed fidei aſcribere, quod ex Abrahę iuſtificatione priùs demonſtrauerat. Nam cùm Abrahę, vt habetur Geneſ. 15. Deus ampliſsimam ſeminis ſui propagationem polliceretur, ex quo E tãdem futuri Meſsię ortum expectare iubebatur והאמן אברם ביהוה ויחשבה לו צדקה *vehe-emin Aurã baihoua vaiahh ſcεneah lo tſed:ka. Credidit Abraham Deo,* ait Scriptura, *& reputatum eſt illi ad iuſtitiam:* atque hinc apertè colligit Abraham ante acceptam Circunciſionẽ, ex ſola venturi Meſſiæ fide concepta iuſtũ fuiſſe. Huc enim tota illa ratiocinatio ſpectat, qua probat hominem non ex Circunciſione, ſed ex fide Ieſu Chriſti eſſe iuſtificandum.

Rom. 4.
Genes. 15.

Dicimus enim(inquit)*quia reputata eſt Abrahæ fides ad iuſtitiã. Quomodo ergo reputata eſt? in Circunciſione, an in præputio? non in Circunciſione, ſed in præputio.* Ex quo illud ſequitur, Abraham non ex Circunciſione, ſed ex fide ante Circunciſionem iuſtum fuiſſe. At verò accedente Circunciſione ea ſignaculum quoddam illius iuſtitiæ fuit, quam ex fide iam ſibi comparauerat, ac veluti exterior quædam huius fidei profeſſio: ita vt tota Circunciſionis iuſtitia à Meſſiæ fide penderet, quam in ſe velut ſignaculo occluſam gerebat. Hoc Pauli verba præ ſe ferunt, cùm ait. *Et ſignum accepit Circunciſionis, ſignaculum iuſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio, vt ſit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iuſtitiam.*

Ex his demum aperitur, vnde Circunciſio culpæ originalis expiandæ vim, ac efficaciam ſortiretur. Nam cùm probatum ſit, eam per ſe, atque ex ſuæ inſtitutionis virtute, quæ eò tantùm ſpectabat, vt Meſſiæ promiſsionem ſignificaret, ad id ordinatam non fuiſſe: præſertim cùm Abraham ante Circunciſionem iuſtitiam ſit adeptus, & ſancti illi prioris ſæculi Patres, qui Abraham præceſſerunt, abſque Circunciſione ſalutem conſequuti fuerint; eáque duntaxat ſignum eſſet acceptæ iuſtitiæ: neque etiam exiſtimandum ſit, illam hanc vim à lege accepiſſe, cùm lege ipſa multo antiquior fuerit: reliquum eſt, vt à Meſſiæ venturi fide, quam ſub illo exteriori ſigno occultam geſtabat, hanc expiandi vim ſibi vendicauerit.

Cæterum, vt ad Iudæos reuertar, hoc illis ſtatutum eſſe debet; ad futuri Meſſiæ fidem tanquam antiquiorem, ac præſtantiorem, non ſolùm Circunciſionem, verùm etiam vniuerſam legem referri; quod ipſa res clamitat: nam Meſſiæ fides, ſi eum lege, ac Circunciſione conferatur, nulli dubium eſt, quin iis non ſolùm antiquior, & efficacior, verùm etiam ſtabilior, ac excellentior iudicanda ſit. Nam ſi de illius antiquitate, atque virtute lis eſt; ſanè nemo ignorat Meſſiæ fidem in legis naturæ Patribus nunquam non præceſſiſſe: qua operante in iis peccati originalis macula abſtergebatur: neque enim alioqui omnibus illis ſæculis, quę legem præceſſerunt, in quibus nec Circunciſio, nec vlla adhuc ſacrificia à lege inſtituta fuerant, tot iuſti extitiſſent, quos Scriptura commemorat, niſi fides mediatoris, quæ illis, vt iuſti fierent, neceſſaria erat, interceſſiſſet; cùm ergo Abel, Enoch, Noë, Abraham, Sara, Iſaac, Iacob, Ioſeph, Moyſes, & plerique alij ante legem iuſti fuerint, neque hanc à lege iuſtitiam adepti eſſent, ſanè opus eſt, vt eam ex fide futuri Meſſiæ ſibi comparauerint. Atque hinc apertum eſt, iuſtitiam non ex lege, aut Circunciſione; ſed ex antiquiori Meſſiæ fide, qua totum illud primum legis naturæ ſæculum iuſtificatum fuit, fuiſſe expectandam.

A

Cvm verò de illius conſtantia, ac ſtabilitate agitur; planè tanta eſt, vt Meſſiæ promiſsio celebri Dei iuramento firmata legatur Geneſ. 22. כי נשבעתי נאם יהוה כי יען אשר עשית את הדבר הזה ולא חשכת את בנך את יחידך כי ברך אברכך והרבה ארבה את זרעך ככוכבי השמים וכחול אשר על שפת הים וירש זרעך את שער איביו: והתברכו בזרעך כל גויי הארץ *be nuſchanhti neum Iehoua ki iaghan aſcer ghaſitha eth haddauar hazze velo hhaſachta eth bincha eth iehhidecha ki varech auarechcha veharbah arbeh eth zarghacha kechochue haſſamaim vechahhol aſcer ghal ſephath haiam veijraſc zarghucha eth ſcaghar oiuau vehithbarchu bezarghacha kol goiei haarets. Per memetipſum iurans, dicit Dominus, quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli; & velut arenam, quæ eſt in littore maris: poſsidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorũ: & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Atque ita firma, & conſtans hæc Dei promiſſio fuit, vt lex poſteriùs data non modò huius ſponſionis fidem non aboleuerit; ſed contrà ab ea lex euacuata fuerit (vt infrà dicemus) nam ſi lex huius promiſſi fidem ſuſtuliſſet, iuſtitia, ac gloriæ hæreditas non fidei, ſed legi deberetur: quòd ſi legi debita eſſet, hinc ferè opus eſſet, vt Abraham, Iſaac, Iacob, & quotquot ante legem fuerunt, tum à iuſtitia, tum à gloria excluderentur; quod apertè cum Scriptura pugnat, quæ eos velut ſanctos, ac iuſtos veneratur, vt patet Exod. 3. *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob.* Reſtat igitur, vt lex fidei cedat, quam idcirco lege ſtabiliorem eſſe neceſſe eſt, quòd hæc ad Meſſiam tantùm peruenire debeat, illa verò lege ipſa diuturnior, eum Meſſia ad extrema vſque orbis tempora permanſura ſit.

Genes. 22.

B

C

Exod. 3.

D

Tandem ſi de huius fidei perfectione res eſt; apertiſſimè illius præſtantia inde agnoſcitur, quòd gratiæ, & gloriæ benedictiones non legi, ſed fidei futuri Meſſiæ promittantur. In quo explicando duplex orbis ſtatus nobis perpendendus ſe offert. Primus eſt legis naturæ ſtatus, in quo cùm omnia ignorantiæ tenebris inuoluerentur, vix peccati infirmitas agnoſcebatur, cùm nulla Dei lex hominibus ſancita eſſet, ac ſola ea lex in homine vigeret, quæ à natura in eo inſita habebatur. Porrò huius ſtatus homines, eùm nullis ſacrificiorum legibus tenerentur, neque Circunciſionem, neque legem à Deo ſibi præſcriptã haberent, quibus peccata expiare poſſent, ſanè credere opus eſt, eos non omninò Meſſiæ fide caruiſſe, quã ex Patribus diuino lumine illuſtratis traditione hauſtam acceperant, quã docête ſacrificia Deo offerebant,

E

bant, atque aliis oblationibus propria ſcelera expiabant. Hi ergo tametſi apertam, ac diſtinctam Meſsiæ promiſsionem non accepiſſent, nonnulla tamen implicita, ac ſubobſcura illius cognitione fruebantur, cuius tandem fide ſalutem conſequebantur.

SECVNDVS eſt legis ſcriptæ ſtatus, quæ idcirco à Deo lata fuit, vt illas primi ſtatus tenebras depelleret, eáque explicatè traderet, quæ implicitè naturæ lege continebantur: neque enim exiſtimandum eſt, priori huic naturæ legi Moyſi lege quicquam additum fuiſſe, quod ad moralem illius ſtatum pertineret; cùm poſterior lex ad ampliorem duntaxat prioris declarationem data fuerit, vt ea tandem homo ad diſtinctam, ac perfectam diuini beneplaciti cognitionem illuſtraretur.

LEX ergo ſcripta naturæ lege cæremonias quaſdam duntaxat, ritus, ac iudicialia addidit, quæ ad moralem legis ſtatum non pertinebant. Ea verò idcirco Hebræo populo data fuêre, vt vel illum à cæteris orbis populis diſtinguerent, ex cuius genere Meſſias excitandus eſſet, ac velut ad illius aduentum præpararent, vel vt eum intra legis obedientiam continerent: quò fit, vt ad ea obſeruanda cæteri orbis populi nulla lege obſtringerentur, quibus vel ſola naturæ lex, cum implicita Meſſiæ fide coniuncta, vel ipſa Moyſi lex nulla cæremonialium, aut iudicialium ratione habita, ad ſalutem ſatis erat. Id manifeſtum eſt ex Iob, quem iuſtum, ac Dei amicum Scriptura commemorat qui tamen nec Hebræus fuit, nec Circumciſionis legem, aut cætera cæremonialia, vel iudicialia præcepta obſeruaſſe legitur.

HINC colligitur quatuor potiſſimùm de cauſis latam fuiſſe legem. Prima, vt ex lege nobis cognitio peccati adminiſtraretur, vt ait Paulus noſter. *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret mihi, non concupiſces: per legem enim cognitio peccati.* Secunda, vt per legis prohibitionem, qua prohibentur peccata, ac pœnarum atrocitatem, quas lex ſui tranſgreſſoribus minatur, faciliùs homines à patrandis ſceleribus deterrerentur. Tertia, vt per legem homo propriæ infirmitatis admonitus, naturæ imbecillitatem agnoſcens maiori ſtudio, ac celeriùs ad Dei auxilium accurreret. Poſtremò ob id data fuit lex, præceptis tum cęremonialibus, tum iudicialibus imbuta, vt ea futuras Meſſiæ benedictiones in nos diffundendas ſignaret, quæ potiſſimùm ratio fuit, cur ea expreſſam Meſſię promiſſionem contineret.

PORRÒ duplex hic orbis ſtatus ob id proculdubio imperfectus erat, quòd primus rudi quadam ignorantia duceretur: nec niſi confuſè in futurorum bonorum cognitione verſaretur. Secundus verò totus ex Meſſiæ A expectatione penderet: & quamuis ſcelerum grauitatem ex lege perſpectam haberet, nullam tamen ea expiandi ex ſe præterquàm ex fide Meſſiæ, quem venturum expectabat, vim ſortiretur. Ita ſanè factum eſt, vt paulatim Meſſiæ venturi cognitio per orbis periodos excreſceret, & in dies clarior illius fides, qua orbi ſalus promittebatur, euaderet. Ita benigniſſimo, ac ſapientiſsimo Deo cuncta ſuauiter diſponente, qui nullum vnquam orbis ſtatum hac Meſsiæ fide velut vnico ſuo remedio orbari paſſus eſt, quo homines ſalutem adipiſci valerent; donec vberrimus ille B benedictionum fons extremo tandem Meſſiæ aduentu in nos copioſiſsimè diffluerent.

ATQVE hinc antiquiſsimæ, ac perfectiſsimæ huius fidei vim elicimus, quæ ita longè legis virtutem antecellit, vt nullo alio ad id probandum argumento opus ſit, quàm ipſa intrinſeca legis notitia. Lex enim cùm vniuerſa ſub peccato, ac maledictione concluderet; vix ad peccati cognitionem, ac illius timorem homines pertrahebat. *Maledictus*, inquit Moyſes Deut. 26. *qui non permanſerit in omnibus his quæ ſcripta ſunt.* Præterea Deut. 26 temporalia duntaxat bona ſuis obſeruatoribus C pollicebatur, vt patet Iſa. 1. אם תאבו Iſa. 1. ושמעתם טוב הארץ תאכלו *im tou uſcmaghtem tuu haarets thokalu. Si volueritis, & audieritis me, bona terra comedetis.* Denium ad gratiam, qua perfectiſsima eſt animæ vita, ex ſe pertingere haud poterat: quò ſanè fiebat, vt legalia illa Sacraměta per ſe gratiam conferre, ac iuſtificare nullo modo poſſent, cùm ex Meſsiæ expectatione, vnde vniuerſæ gratiæ benedictiones emanaturæ erant, tantùm vim ſortirentur. Quòd ſi gratiam conferre viſa ſunt, qua homines iuſtificare poſſent, eam à venturi Meſsiæ fide ab illis mutuari D opus fuit, quæ cum illis coniuncta erat: quò fit, vt non propriam, ſed quam à fide mediatoris mutuata fuerant, gratiam conferrent.

INDE apud Ezechielem cap. 20. teſtatur Ezech. 20. Deus, ſe Hebræo populo legem, ac præcepta dediſſe non bona, וגם אני נתתי להם חקים לא טובים ומשפטים לא יחיו בהם ׃ ואטמא אתם במתנותם *vegam ani nathatti lahem hhukkim lo tonim vmiſcpatim lo ithiu vahem: vaatamme otham bemattenotham.* E *Et ego dedi eis* (ait) *præcepta non bona, & iudicia, in quibus non vinent; & pollui eos in donariis ſuis.* At quamobrem appellat Deus pręcepta ſua *non bona?* Quis vnquam Dei præcepta mala eſſe iudicet; quæ cùm à Deo profecta ſint, à quo omne malum quàm longiſsimè abeſt, mala omnino eſſe non poſſunt? At Deus mala eſſe non ait, ſed tantùm (non bona) mala ſiquidem lex eſſe non poterat, quæ malum prohibebat: at eam non bonam idcirco appellat, quòd ea homines ex ſe, ac

perfectè iuſtificare non valeret. Nam cùm ea tantùm vmbra eſſet, gratiæ quidem bonum, quo nullum in hominum vita præſtantius eſt, præſignabat; atque à Meſſiæ fide mutuatum hominibus conferebat; illud tamen in ſeipſa continere minimè poterat, cùm ad Meſſiæ fidem ſpectaret.

ACCEDAT, quòd ſi lex per ſe gratiam conferre non poterat, planè multò minùs gloriæ hæreditatem, quæ gratiam conſequitur, polliceri valebat: quò factum eſt, vt Abraham, Moyſes, ac cæteri priſci illi Patres, tametſi iuſti eſſent, gloriæ tamen hæreditatem vſque ad Meſſiæ aduentum conſequi haud valerent: quod Scriptura confirmat, cùm eos poſt mortem ad inferna deſcendiſſe ait, & neminem cœlum conſcendiſſe vſquam meminit: neque enim ancillæ filio Abrahæ poſſeſſio promiſſa fuit, ſed liberæ: quinimò ait Scriptura. *Eiice ancillam, & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac.* Illius igitur Iſaac duntaxat hæres conſtitutus fuit, in quo Meſſiæ promiſſio primùm ſtabilita fuerat, quæ ratio illîc redditur. *Quia* (inquit) *in Iſaac vocabitur tibi ſemen.*

Gen.21.

LEGI namque quæ ſeruilis erat, & Meſſiæ fidei famulabatur, gloriæ poſſeſſio, ac hæreditas haud debita erat, quinimò ab ea expelli aliquando debuit, vt Meſſiæ fidei hæreditas cederet, cui firmiſſimo Dei iureiurando promiſſa fuerat: quò fit, vt ab ea tam in Abraham, quàm in omnes ſpirituales Abrahæ filios omnis tum iuſtitiæ, tum gloriæ poſſeſsio detiuanda eſſet. Totam hanc materiam egregiè tractat D. Aug. lib. 3. cont. duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 3. & lib. 4. c. 5. & lib. de ſpiritu & gratia, vbi ita ſcribit. *Lex data eſt, vt gratia quæreretur, gratia data eſt, vt lex impleretur. Neque ſuo vitio implebatur lex, ſed vitio prudentia carnis; quod vitium per legem demonſtrandum, per gratiam ſanandum fuit. Quod enim impoſsibile erat legi, in qua infirmabantur per carnem, miſit Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iuſtitia legis impleretur in nobis, qui non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum.* Atque idem in Pſal. 36. conc. 3. de Meſsiæ fide diſſerens. *Dominus* (inquit) *ipſe in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, iunior fuit primis temporibus, & ecce iam ſenuit. Noſtis, & agnoſcitis, & intelligitis, quia in hoc poſiti eſtis, & ita credidiſtis, quia caput noſtrum Chriſtus eſt, corpus capitis illius nos ſumus. Nunquid ſoli nos, & non etiam illi, qui fuerunt ante nos? Omnes qui ab initio ſæculi fuerunt iuſti, caput Chriſtum habent. Illum enim venturum eſſe crediderunt, quem nos veniſſe iam credimus eius in fide, & ipſi ſanati ſunt, in cuius & nos: vt eſſet & ipſe totius caput ciuitatis Ieruſalem omnibus connumeratis fidelibus ab initio vſque in finem.*

D. Auguſt.

EX quibus manifeſtè colligitur, ad Meſſiæ fidem velut antiquiſſimam, ac perfectiſſimam, non modò Circunciſionem; ſed omnium quoque legalium præceptorum, ac Sacramentorum vim referri oportere.

HIS igitur explicatis facile nobis eſt elicere, quandiu Circunciſionis lex duratura eſſet, quæ tertia, ac potiſſima huius demonſtrationis pars eſt. Siquidem perſpicuum eſt ex his, tandiu legem, ac Circunciſionem duraturam fuiſſe, quandiu Meſſiæ promiſſio nondum impleta eſſet, ac Meſſias veniret, qui finem legi imponeret, & gratiæ benedictiones, quæ in lege, ac Circunciſione ſignificabantur, effunderet. Sed quoniam hæc potiſſima quæſtio eſt, de qua modò cum Iudæis agimus, ea paulò vberiùs explicanda eſt.

PLANE negare nõ poſſunt Hebræi (quod antea probauimus) quin tam Circunciſio, quàm lex, Meſſiæ aduentum præſtolaretur: Circunciſio enim ad confirmandas Meſſiæ promiſſiones inſtituta eſt; quapropter à Deo ſignum fœderis nuncupatur. Lex verò, cùm à ſpirituali illa lege penderet, quam Meſſias in credentium cordibus daturus ac inſculpturus erat, ad Meſſiam tantùm pertingere poterat, in quo tandem, velut vmbra lumine aduentante, euaneſcere debuit. Ita enim teſtatur Hierem. cap. 31. teſtimonio ſuperiùs citato. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſraël, & domui Iuda fœdus nouum, non ſecundùm pactum, quod pepigi cum Patribus eorum*, &c. Nam ſi diligenter Iudæi inueſtigare volunt, quale hoc nouum fœdus futurum eſſet, ac noua lex, quam non in lapideis tabulis, ſed in hominum cordibus ſcripturus erat; ſanè è veſtigio illis occurret futuri Meſſiæ lex, quæ non carnalis, aut imperfecta, quemadmodum illa prior Moyſi lex, ſed prorſus ſpiritualis, ac perfectiſſima eſſe debuit: atque ita viua, & efficax, vt gratiæ ſpiritus vſque ad animorum compagem ac medullas pertingeret. Quamobrem cùm in hac Meſſiæ lege, tam prior illa lex, quàm Circunciſio concludẽda eſſet, haud dubium, quòd ab ea etiam omnium promiſſionum, quibus innitebantur, finem expectabant.

Hierem. cap. 31.

ID etiam clariùs declarat ipſa fœderis natura: nam cùm tam lex, quàm circunciſio in Scripturis fœderis nomine nuncupentur, vt manifeſtum eſt ex priori Hieremiæ teſtimonio, & aliis, quæ ſuperiùs allata ſunt, planè conſtat fœderis naturã in eo potiſſimùm ſitam eſſe, vt mutua, ac reciproca in confederatis obligatio inducatur, qua alter alteri alicuius rei ſpõſione alligatur, atq; idcirco Circũciſio à Deo fœdus vocatur, quòd ea Deus Iſraëlitico populo quodam promiſſionis vinculo ſeipſum obſtrinxerit, quo illum in peculiarem ſibi populũ electurum, ac Meſſiam ex illius ſemine ſe illi daturum ſpopondit,

qui

qui illum in vera Dei Religione potiſſimùm inſtrueret, conſolaretur, ac malis omnibus eriperet, à quo tandem in omnes homines fons benedictionis erumperet. Hanc verò promiſsionem, quò magis certa, ac firma eſſet, exteriori Circuncisionis ſigno confirmare voluit; ne vnquam Hebræi dubitare poſſent, eam vel propter eorum ſcelera, vel alia de cauſa eſſe diſſoluendam. Quòd ſi ab hac promiſſionis lege, qua ſeipſum deuinxerat, Deus aliquando recedere voluiſſet, eodem ſanè tempore Circuncisionem, quæ illius ſignum inſtitutum fuerat, ab Hebræo populo ſuſtuliſſet.

At è veſtigio Deus Hebræum populum mutuo hoc obligationis vinculo ſibi obſtrinxit, vt nullum præter eum Deum agnoſceret, & Meſſiæ ſponſioni, quam iuramento affirmauerat, conſtantiſſima fide inhærens, illius ſignum, quod ei in Circuncisionis præcepto explicandum tradiderat, in ſua carne profiteretur. Atque eò factum eſt, vt Circuncisionē in Hebræo populo tantùm inſtitueret; tametſi Meſſiæ promiſſio ad totū orbē extenderetur: nam primùm Meſſiæ promiſsio ſoli Hebræo populo facta fuerat; licèt illius beneficium etiam in cæteras orbis gentes ſe extenderet. Deinde (quæ præcipua ratio eſt) cùm Meſſiæ promiſsio Abrahæ facta fuit, id illi duntaxat promiſſum eſt, Meſsiam ex illius ſemine naſciturum, vt manifeſtum eſt Gen. 12. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Quò fit, vt ad hanc Meſſiæ ex Hebræa carne originem confirmandam, carnis Circuncisio Hebræo populo data fuerit. Inde liquet promiſsionis fidē Circuncisione priorem eſſe, quam deinde Circuncisio tanquam illius ſignum ſequuta eſt; vt in Abraham perſpicuum eſt, qui priùs Meſsiæ promiſsioni credidit, ac deinde Circuncisionem tanquam demonſtratiuum illius fidei ſignum accepit.

Gene∫. 12.

Circuncisio igitur initi fœderis ſignum fuit, ac velut mutuæ inter Deum, & Hebræum populum obligationis chirographus; quæ partim plena, partim vacua erat, plena quidem promiſsione, re vacua, plena ſigno, vacua adhuc veritate; neque enim plena eſſe poterat, cùm adhuc Dei promiſſio impleta non eſſet, quam ſignificabat: nec tamen omnino vacua erat, cùm promiſsionis fidem contineret, cuius virtute tunc gratiam conferebat, ac futuram ampliorem pollicebatur.

Nam quemadmodum qui acceptæ pecuniæ chirographum creditori conſcribit, quandiu ſummam non perſoluit, chirographus partim plenus, partim vacuus agnoſcitur; plenus quidem, quia ſoluendi debiti promiſsionem continet, & ius ad debitorem compellendum ex eo acquirit: vacuus verò,

A quia debitum nondum exoluit. Ita prorſus ſe habet Circuncisio, quæ velut chirographus Dei manu conſcriptus, Meſsiæ promiſsionem Hebræo populo factam continebat; atque ea parte plena erat, cùm illius virtute gratiam ad originale peccatum expiandum conferret, & ius Hebræo populo ad poſtulandum ſibi Meſsiam acquiſitum præſtaret. At verò altera parte vacua erat, cùm necdum Meſsiæ promiſsio expleta eſſet, quam præſtolabatur.

Cum igitur tandiu maneat chirographus, quandiu ſumma nondum perſoluta B eſt; at ea extincta ſimul etiam chirographum extingui, ac priſtina vi carere neceſſe eſt; ne ius indebitum exigatur. Ita de Circuncisione ſentiendum eſt, quæ velut Dei chirographus Meſſiæ promiſſionē cōtinebat. Ea namque tandiu manere debuit, quoad Meſſiæ promiſſio impleretur, qua expleta velut extincto, ac perſoluto debito, ea ſimul extincta fuit. Ex his igitur Iudæis perſpectū ſit; neque legem, neque Circuncisionem perpetuò fuiſſe duraturam: ſed Meſſiæ aduentu extinguendam.

C At contrà obſtrepunt Hebræi legem, ac Circuncisionem æternam aſſerentes, quod ex ipſis Scripturarum oraculis probare contendunt. Nā de legis æternitate afferunt illud Exod. 13. למען תהיה תורת יהוה בפיך *lemaghan tihieh torath Iehona bephicha. Lex Domini ſemper ſit in ore tuo.* Et illud Leuit. 7. כי את חזה התנופה ואת שוק התרומה לקחתי מאת בני ישראל מזבחי שלמיהם ואתן אתם לאהרן הכהן ולבניו לחק עולם *ki eth bhaze hattenupha veeth ſiok hatteruma lakahhti meeth beni Iſraël mizziubhe ſcialmehem vaetten otham leaharon hakohen vlbanau lebhak gholam. Pectuſculum enim eleuationis, & armum ſe*-D *parationis tuli à filiis Iſraël de hoſtiis eorum pacificis, & dedi Aaron Sacerdoti, & filiis eius lege perpetua.* Item de Sabatho afferunt illud Exod. 31. ושמרו בני ישראל את השבת לעשות את השבת לדרתם ברית עולם ביני ובין בני ישראל אות הוא לעלם *veſciamru vene Iſraël eth haſciabboth laghaſoth eth haſſabbath ledorotham berith gholam beini vuen bene Iſraël oth hiu legholam. Cuſtodiant filij Iſraël Sabbathum, & celebrent illud in generationibus ſuis; pactum eſt ſempiternum inter me, & filios Iſraël, ſignúmque perpetuum.* De Paſchate Exod. 12. והיה היום הזה לכם לזכרון וחגתם אתו חג E ליהוה לדרתיכם חקת עולם תחגהו *vehaia haiom hazze lachem lezichcaron vehhaggothem otho bhag laihoua ledorothechem bhukkath gholam tehhagguhu. Habebitis autem hanc diem in monumentum, & celebrabitis eam ſolemnem Domino in generationibus veſtris cultu ſempiterno.* De feſto expiationum Leuit. c. 29. אך בעשור לחדש השביעי הזה יום הכפרים הוא מקרא יהיה לכם ; חקת עולם לדרתיכם בכל משבתכם

Exod 13.

Leuit. 7.

Exod. 31.

Exod. 12.

Leuit. 29.

Digitized by Google

ach beghaſor labhodeſc haſſe vighi hazzeh iom hakkippurim hu mikra kodeſc ihie lachem: bhukkath gholam ledorothechem bekol moſcuothechem. Decimo die menſis huius ſeptimi diei expiationum erit celeberrimus, & legitimum ſempiternum erit vobis in ſanctis generationibus, & habitationibus veſtris. De Circuncisionis verò
Geneſ. 17. perpetuitate afferunt illud Geneſ. 17. vbi Deus de Circuncisione agens ait, והקמתי את בריתי ביני וביניך ובין זרעך אחריך לדרתם לברית עולם *vahakimothi eth berithi beni vuenecha vuen zarghacha abharecha ledorotham liurith gholam. Statuam pactum meum inter me, & te, & inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis fœdere ſempiterno.* Et infrà, והיתה בריתי בבשרכם לברית עולם *vehaietha verithi biuſarchem liurith gholam. Eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum.*

His, atque aliis Scripturarum teſtimoniis, quæ afferri poſſent, duobus modis occurrimus. Atque illud imprimis ſtatuimus; Hebræorum legem tria præceptorum genera continere: quædam moralia, quæ ad mores, ac naturæ legem ſpectant; quædam cæremonialia, quæ ad cæremonias, ac ſacros quoſdam ritus Hebræo populo peculiares pertinent: tandem alia iudicialia, quæ ad iudicia, ac populi regimen, ac adminiſtrationem reſpiciunt. Porrò ea legis pars, quæ moralia præcepta continet, cùm ad legis naturæ ſtatum ſpectet, qui cum ipſo homine concreatus eſt, ac proinde dilabi nunquam poteſt, haudquaquam abroganda erat: quapropter ea ſola in lapideis illis tabulis à Deo conſcripta eſt; vt eam perpetuò is firmam, atque æternam indicaret. Cæterùm altera legis pars, quæ cæremonialia, ac iudicialia præcepta complectitur, cùm Meſſiæ aduentum expectaret (vt ſuprà demonſtratum fuit) ac proinde temporaria eſſet, noua Meſſiæ lege aduentante antiquanda fuit. Quare Scripturarum teſtimonia, quæ probant legem ea parte, qua moralis eſt, eſſe æternam; obuiis vlnis excipimus: neque à Iudæis in hac parte diſſentimus, quin etiam omnia Scripturarum teſtimonia, quæ legem æternam affirmant, ad hanc legis partem reſpicere dicimus. Verùm ſi quæ alia ſunt, quæ videantur legis æternitatem etiam in iis, quæ vel cæremonialia, aut iudicialia ſunt, aſſerere: veluti quæ de ſacrificiis, de Sacerdotum portionibus, de Paſchatis, ac expiationum feſtis, de Circuncisione allata ſunt, illam eo modo æternam pronunciari dicimus, quo ab eiſdem pleraque æterna dicuntur, quæ longum durationis tempus ſortiuntur.

Neque etiam dictio עולם *gholam*, quam Hebræi æternum interpretantur, ſemper æternum propriè ſignificat; ſed ſæpe etiam finitum tempus indicat. Nam tunc ſolùm *gholam*, æternum propriè inſinuat, cùm his iungitur, quæ ad Deum pertinent, velut Pſalm. 118. *In æternum Domine verbum tuum permanet in cælo.* & Pſal. 101. *Tu autem Domine in æternum permanes.* vbi habetur dictio עולם *gholam.* At verò cùm iis rebus additur, quæ humana inſinuant, non æternam, ſed temporariam tantummodò durationem innuit, vt patet ex pleriſque Scripturæ locis. Nam Ierem. 2. *A ſæculo confregiſti iugum meum.* Hebraicè בעולם *benghelam.* Neque enim ab æterno iugum confregerat, ſed tantùm à tempore legis datæ: ſeculum igitur, quod ab Hebræis עולם *gholam* dicitur, temporariam durationem inſinuat. Confirmatur Deut. 15. vbi de ſeruio Hebræo dicitur. *Aſſumes ſubulam, & perforabis aurem eius in ianua domus tuæ, & ſeruiet tibi vſque in æternum.* Hebraicè עד עולם *ghad gholam.* vbi Hebræus commentarius explicat, *vſque ad tempus Iubilæi.* Præterea 1. Reg. 1. Anna mater Samuëlis ait. *Ducam eum, vt appareat ante conſpectum Domini, & maneat ibi iugiter.* Hebraicè *ghab gholam*, vſque in æternum. Quo loco idem commentarius Ionathæ ait. *Vſque ad ſæculum Leuitarum*; quod vſque ad quinquageſimum annum extendebatur Item Prou. 22. *Ne tranſgrediaris terminos antiquos*, עולם *gholam.* 1. Reg. 27. *Erit mihi Dauid ſeruus ſempiternus*, עולם *gholam.* Denique hæc dictio in Scripturis (teſte R. Dauid Kimhi magno Hebraicę Grammatices profeſſore) longum tantùm tempus inſinuat. Quamobrem cùm hæc dictio tam legi, quàm Circuncisioni, quæ circa hominem verſantur, accommodari ſoleat, ea planè aliud non ſignificatur, quàm tam legem, quàm Circuncisionem longo tempore, id eſt, vſque ad Meſsiæ tempora eſſe duraturas.

Pſal. 118.
Pſal. 101.
Hier. 2.
Deut. 15.
1. Reg. 1.
Prou. 22.
1. Reg. 27.
R. Dauid Kimhi.

Ex his tandem concludere debent Iudæi Meſsiam iam veniſſe, cùm priorem Moyſis legem, ac Circuncisionis fœdus toto orbe abrogatum vident, ac nouam Euangelij legem vbique diſſeminatam eſſe, quæ non niſi in Meſsiæ aduentu fieri debuerunt.

Demonſtratur ſeptimò ex teſtimoniis veterum Hebræorum.

ARTICVLVS VIII.

MESSIÆ aduentus quo tempore futurus eſſet Hebræos veteres non latuit, quibus Scripturarum vis nō odium, ſed ſimplicem, atque apertam rei veritatem dictabat: quò fit, vt in iis Scripturarum locis exponendis, in quibus de Meſsia agitur nulla, aut modica inter ſe quæſtione laborarent: præſertim verò in explicando Iacob Patriarchæ vaticinio, de quo ſuprà egimus, illuſtriores quoſque conuenire video, de Meſsia illud

Digitized by Google

lud accipiendum eſſe. Ita apertiſsimè docent celebriora volumina ab illis edita. Nam
Zoar. in Zoar egregio volumine Caballiſtarum vniuerſi in hanc ſententiam coaleſcunt. In
Thalmud. veteri Thalmud lib. Sanhedrin Thalmudiſtæ ferè omnes eandem ſententiam ferunt;
Tharg. Chaldaic. Tharg. Ieroſolym. Commentaria Paraphraſtica Chaldaica, ac Ieroſolymitana idem ſentiunt. Demum celebriores ex Hebræis in hanc veritatem conſpirant.

R. Hama. HINC in Thalmud ait R. Hama filius R. Hanina. *Filius Dauid non veniet, donec principatus quantumuis exiguus erit in Iſraël:* atque in huius rei gratiam citat locum Iſa. 18. *Ante meſſem enim totus effloruit, & immatura perfectio germinabit:* & alium eodem cap. *In tempore illo deferetur munus Domino exercituum à populo conuulſo, & dilacerato.* Præterea R. Mili
R. Mili. citans R. Eliezer filium R. Simeon, locum ita exponit. *Filius Dauid non veniet, donec cuncti iudices, ac magiſtratus in Iſraël defecerint;* quod etiam confirmat ex Iſa. cap. 1. ואשיבה שפטיך כבראשנה ויעציך כבתחלה *veaſcina ſcophtaich keuariſciona veiophatſaich keuattehhillach. Et reſtituam iudices tuos, vt fuerunt priùs, & conſiliarios tuos ſicut antiquitùs.* Neque hîc
R. Moyſes Had. ſilentio prætereundum eſt, quod R. Moyſes Hadarſan magnæ apud Hebræos auctoritatis in Gen. 49. non immeritò obſeruat, iudices Sanhedrin qui 70. numero à Deo conſtituti erant, vſque ad Meſsiæ Regis aduentum non fuiſſe delendos, ex quo validum argumentum ducerent Hebræi, nullo ex anteactis captiuitarum temporibus Meſsiam veniſſe, cùm nondum hi iudices Sanhedrin extincti eſſent, ſed in illis captiuitatibus incolumes perſtitiſſent.

QVOD cùm ita ſit, inde nos euidentiſsimum aduersùs illos argumentum colligimus, Meſsiam iam veniſſe: cùm iampridem facet illi ſenatus Sanhedrin apud illos interierit, Herodis nimirum tempore; qui, vt omnem Hebræorum poteſtatem deleret, Sanhedrin trucidari iuſsit. Id verò quonam
Ioſeph. Iud. modo contigerit, narrant Ioſephus de bello Iudaico lib. 1. cap. 5. & cap. 25. & lib. 15. cap.
Philo. 10. Philo lib. de temporibus ita eueniſſe: nam Romani deuictis Ariſtobulo, & Hyrcano, qui ex Machabæorum genere poſtremi fuerunt, cùm iis Iudæorum Regnum ceſsiſſet, Herodem Antipatri Idumei filium Regem in Iudæa conſtituunt, qui cùm aduena eſſet, vt Iudæorum animos ſibi côciliaret, filiam Hyrcani, qui tunc à Parthis vinctus tenebatur, coniugio ſibi copulauit. At verò Hyrcano libertate donato, ac in patriam reuerſo, cùm vereretur Herodes, ne Hyrcanum Iudæi iterum ad Regnum extollerent, necem Hyrcano, & filiæ, quam ſibi vxorem acceperat, ac demum liberis, quos ab ea ſuſceperat, intulit. Neque verò eo contentus, vniuerſos

A etiam de domo Dauid, quos aliquo diuitiarum ſplendore inſignes, aut in populo illuſtriores reperire potuit, obtruncauit, illorum titulos ac genealogias combuſsit; Sacerdotes, ac Pontifices non iuxta legis ſcita, aut ex Leuitarum familia, ſed quos libuit, conſtituit. Tandem extremam in Iudices Sanhedrin crudelitatem exercuit, quos miſerè iugulari iuſsit, vt ſic tuta Regni ſede potiretur.

CVM ergo Iudæi non modò ſublatos ſibi Reges de domo Iuda, ſed & extinctû ſenatum Sanhedrin, ac demum Meſsiæ aduentus omnes terminos iam elapſos eſſe comperiant;
B quid adhuc cum aperta veritate bellum gerunt, vt necdum Meſsiam veniſſe agnoſcere velint?

CÆTERVM inter Hebræos nonnullas traditiones vigere perſpectum eſt, quæ cùm à vetuſtiſsimis Rabbinis manauerint, magnam apud illos vim obtinere debent. In his extat illa, quæ habetur in Thalmud in lib. Sabbat, & Sanhedrin, vbi R. Tanhuma cau- *R. Tanhuma.*
ſam inquirens propter quam ם *mem* clauſa in medio dictionis *lemarbe* in eo Vaticinio Iſa. cap. 9. *Multiplicabitur eius imperium*, &c. *Iſa. 9.*
C collocata eſſet: vocem de cœlo, vt ibi dicitur, ſic eum alloquentem audiuit: *Razili, Razili, id eſt, ſecretum mihi, ſecretum mihi.* Inde factum eſt, vt nonnulli ibi numerum annorum vſque ad Meſsiæ aduentum latere exiſtimarent: nam cùm ם *mem* ſexengenteſimum numerum indicet, inde eliciunt, inter hoc de Meſsia Vaticinium, & Meſsiæ aduentum, ſexcentorum annorum ſpatium intercedere. Et quidem ſi à quarto anno Regni Achaz, cùm Iſaiæ Vaticinium cœpit, exacta annorum ſupputatio fiat, parum à veritate diſtare comperitur: nam à quarto anno Re-
D gni Achaz iuxta Hebræorum ſupputationem (noſtram enim ſupputationem non attingo) ac potiſsimùm R. Salomonis, vſque ad vndecimum annum Regni Sedechiæ, quo tempore templum euerſum fuit à Nabuzardan, ac Hebræi in captiuitatem acti, anni centum quinquaginta ſuper vnum enumerãtur. Porrò à deſtructione primi templi vſque ad ſecundi deuaſtationem, anni quadringenti ſupra nonaginta effluxerunt, vt ſuperiùs ex R. Salomonis ſententia oſtendimus. Quò fit, vt hi omnes ſimul coniuncti 641. annos efficiant. Ab his ſi 41. anni tollantur, qui à Chriſti paſsione vſque ad vrbis exeidium, tem-
E plique ruinam elapſi ſunt; perfectus 600 annorum numerus habebitur ab hoc Iſaiæ Vaticinio vſque ad Meſsiæ aduentum elapſus, qui in litera *mem* continebatur. At certum eſt tempus hoc iam elapſum eſſe. Igitur Meſsias venit.

ALIA traditio habetur in Thalmud tra- *Thalmud tract. Sanhedrin.*
ctat. Sanhedrin his verbis. *Dixit R. Elias R. Iuda, fratri R. Sala. Non poteſt conſtare mundus minus*

nùt octogintaquinque Iubileis (id eſt , 4250. A annis) *& vltimo Iubilao veniet a bſque dubio filius Dauid : verumtamen neſcio, num in principio,* R. Aſſe. *an in fine illius hoc futurum ſit.* Et R. Aſſe ibidem cum eo in eandem ſententiam conſpirat. Eligant igitur ſibi Iudæi extremi illius Iubilæi aut principium,aut finem ; quod magis libuerit, cui ſi placet & alios Iubilæos addant : planè cùm ij omnes elapſi ſint, conſtat iam veniſſe Meſſiam.

R. Moyſes Ben Maimō. His accedat R. Moyſes Ben Maimon, qui in Epiſtola ad Iudæos Aphricanos cuiuſdam antiquiſſimæ traditionis meminit ; qua B dicitur Meſſiam circa 4474. orbis annum naſciturum. R. Moyſes Gerund. Leui ben Gerſon. Aliam referunt R. Moyſes Gerundenſis , & Leui Ben Gerſon in Pentateuch. quæ Meſſiam anno 5118. venturum pollicebatur. Verùm etſi hæ Hebræorum traditiones non parum à vera temporum ſupputatione aberrent , illas tamen viſum fuit referre, vt videant Hebræi, omnes Meſſiæ aduentus à ſe præſcriptas periodos iam elapſas fuiſſe; cùm modò iuxta Aſtronomorum calculum quinquies milleſimum quingenteſimum,ac ſeptuageſimum quartum orbis an- C num attingamus ; iuxta verò Hebræorum ſupputationem non minùs quàm 5248. anni fluxerint ab orbe condito : ac tandem ſua ipſorum ſententia conuicti Meſſiam proculdubio veniſſe agnoſcant.

Sanhedrin, Guazit. Postremò quædam extat Hebræorum traditio in lib. Sanhedrin Guazit,c.Col. Iſraël , & cap. vlt. vbi Meſſiæ aduentus tempus Scripturarū partim , partim Cabballiſtica via inueſtigant. Habent Hebræi (vt notum eſt) duas , & viginti literas , quarum D quælibet numeri vice fungitur. Nam prima, quæ א *Aleph* dicitur , numeri principium ſibi vendicat , id eſt , vnum , ב *Beth* duo ; ג *Ghimel* tria , ד *Daleth* quatuor , ה *He* quinque, ו *Vau* ſex , ז *Zain* ſeptem , ח *Chet* octo , ט *Teth* nouem, י *Iod* decem , כ *Caph* viginti , ל *Lamech* triginta , ם *Mem* quadraginta , נ *Nun* quinquaginta , ס *Samech* ſexaginta , ע *Hain* ſeptuaginta , פ *Pe* octoginta , צ *Tſadech* nonaginta , ק *Coph* centum , ר *Reſch* 200. ש *Schin* 300. ת *Tau* 400. Atque his Iudæi vtuntur ad quemlibet numerum componendum. Igitur cùm inueſtigare vo- E lunt tempus venturi Meſsiæ, primam א *Aleph* , atque vltimam ת *Tau* literam cum media , quæ eſt ם *Mem* copulant : hanc verò ם *Mem* Meſſiæ literam eſſe volunt , quandoquidem in ea clauſa in dictione *lemarbe* Iſaias Meſſiæ myſterium concluſit ; deinde omnes numeros,qui ab Aleph vſque ad ם *Mem* interiacent , his tribus annectunt ; ex quibus tandem numerus 605. annorum conſurgit , quem Meſſiæ tempus eſſe ferunt,ex quo ם *Mem* illa clauſa ab Iſaia prolata fuit. Ex his perſpicuum eſt Hebræis omnes Meſſiæ aduentus terminus ab ipſis Hebræis ſapientioribus præſcriptos iam diu expiraſſe.

At Hebræi cùm ſe his anguſtiis concluſos vident, aliud ſibi effugium quærunt. Alij ſiquidem Meſſię aduentus tempora iam præteriiſſe fatentur : ſed ob ſua ipſorum ſcelera Meſſiam non veniſſe ſibi confingunt ; hanc cauſam reddit R. Iacob filius R. Salomonis R. Iacob. R. Salomon in collectaneis de Meſſia , his verbis. *Duobus mille annis inanitas , quoniam nondum lex data erat, ſed mundus erat velut inanitas , & Chaos à primo homine vſque ad quinquageſimum ſecundum annum Abrahæ Duobus mille annis lex, nempe ab hominibus , quæ Abraham, & Sara Deo conuerterunt vſque ad Meſſiæ aduentum : duobus mille dies Meſſiæ. Debuit enim poſt expletos bis millenos annos legis aduenire Meſſias, & ſoluere captiuitatem Iſraëlis : at propter iniquitates noſtras, quæ multiplicatæ ſunt , Meſſias non affuit ad extremum quarti illius millenarij , elabentibus vltrà annis multis.* Eandem prorſus rationem reddit Gloſſa R. Salomonis,in qua ita ait, *Propter* R.Salomon. *peccata noſtra , quæ multiplicata ſunt , non venit Meſſias in fine quarti millenarij.*

At quàm leue, & friuolum ſit hoc effugium , facilè eſt ex eorum dictis aduertere. Nam in lib. Sanhedrin c. Helec. duo Rab- lib. Sanhedrin. boteni ita inuicem colloquuntur. *Scriptum eſt , ait R. Eliezer; Conuertimini filij reuertentes, & ſanabo auerſiones veſtras , ſed dixit R. Ioſue : Dictum eſt quòd gratis venundati eſtis , & gratis redimemini. Verum eſt , ait R. Eliezer , ſed etiam dictum eſt : Conuertimini ad me , & ego conuertar ad vos. At nos quoque legimus,dixit R. Ioſue. Ego vir veſter, & aſſumam vos , vnum de ciuitate, & duos de cognatione , & introducam vos in Sion. Immò ſcriptum eſt in Iſaia. Hæc dicit Dominus Redemptor Iſraël ſanctus eius ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem , ad ſeruum dominorum, quia abominationes noſtræ minimè decretum Dei impedient.* Tandem ait Eliezer. *Quid ergo ait Ierem. ſi conuerteris te Iſraël ? at inquit R. Ioſue. Quid ait Daniel , cùm ait ? Et audiui virum, qui indutus erat lineis, qui ſtabat ſuper aquas fluminis, cùm eleuaſſet dextram, & ſiniſtram ſuam in cælum , & iuraſſet per viuentem in æternum, quia in tempus, & tempora , & dimidium temporis.* Hìc conticuit R. Eliezer , ait Thalmud, acquieuitque verbis R. Ioſue, nimirum Meſſiæ aduentum Hebræorum peccatis impediri non potuiſſe.

At præterea exerant Hebræi illud peculiare crimen , cuius grauitate dilatus fuerit Meſſiæ aduentus. Olim quidem Iudæi non ſemel Deo fidem datam violarunt , cùm Deorum ſimulacris ſeipſos contaminarent, & veri Dei cultum repellerent , quod ſanè grauiſſimum flagitij genus cenſeri debet , cui vix aliud exæquari poſſit ; illud tamen diuerſis captiuitatibus perpeſsis expiarunt. Nuno

verò

Digitized by Google

verò cùm idololatriæ ſcelere minimè obſtricti ſint, & ardentiori ſtudio (vt videtur) ad legis exteriorem obſeruantiam ferantur: tamen ita ſeuerè à Deo puniantur, ita vniuerſalis omnibus iuſlicta ſit pœna, ita ſit diuturnum exilium; Templum exuſtum ſit, nunquam poſt tot annorum curricula inſtauratum, aut inſtaurandum; ciuitatem ſanctam, ac regiones ſuas alieni coram eis deuorent, nec vlla redeundi ſpes illis relicta ſit. Hac tandem adeò graui, ac diuturna captiuitate iam mille ſexcentis ſupra duodecim annis premantur, qua grauiſſima quæque ſcelera expiare debuiſſent. Quale nunc ſcelus referre valent quod Meſsiæ, quem liberatorem expectant, aduentum remorari potuerit? Vnū planè illud eſt quòd Meſsiā iam veniſſe agnoſcere nolunt, ſed repellūt. Quod præclarè olim prænunciauit Hieremias c. 5. Hierem. c. 5.

כי בגוד בגדו בי בית ישראל ובית יהודה נאם יהוה׃ כחשו ביהוה ויאמרו לוא הוא ולא תבוא עלינו רעה וחרב ורעב לוא נראה׃ והנביאים יהיו לרוח והדבר אין בהם כה יעשה להם׃ לכן כה אמר יהוה אלהי צבאות יען דברכם את הדבר הזה הנני נתן דברי בפיך לאש והעם הזה עצים ואכלתם׃ הנני מביא עליכם גוי ממרחק בית ישראל נאם יהוה גוי איתן הוא גוי מעולם הוא גוי לא תדע לשנו ולא תשמע מה ידבר׃ אשפתו כקבר פתוח כלם גבורים

ki bagod bagdu bi beth Iſraël vbeth Iehuda neum Iehoua: kihhaſeu baihoua vaiomeru lo hu velo thauo ghalenu ragha vehheren veraghau lo nireh: vehanneuijm yhiu leruahh vehaddiber en bahem ko ieghaſe lahem: lachem ko amar Iehoua elohe tſebaoth iaghan dabberchem eth baddauar hazze hinni nothen deuarai bephika loeſc vehaghā hazze ghetſim vaachalatham: hinni meui ghalechem goi mimerahok beth Iſraël neum Iehouah goi ethan hu goi megholam hu goi lo thedangh leſciono velo thiſmangh ma iedabber aſcpatho chekener pathuahh kullam gibborim. Præuaricatione .n. (inquit) *præuaricata eſt in me domus Iſraël, & domus Iuda, ait Dominus: negauerunt Dominum, & dixerunt, non eſt ipſe, neque veniet ſuper nos malum; gladium, & famem non videbimus: Prophetæ fuerunt in ventum loquuti, & reſponſum non fuit in eis. Hæc ergo euenient illis, hæc dicit Dominus Deus exercituū. Quia locuti eſtis verbum iſtud, ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem, & populū iſtum in ligna, & vorabit eos. Ecce ego adducam ſuper vos gentem de longinquo, domus Iſraël, ait Dominus; gentem robuſtam, gentem antiquā, gentem cuius ignorabis linguā, nec intelliges quid loquatur. Pharetra eius quaſi ſepulchrū patēs, vniuerſi fortes.*

Hactenvs duo Vates inſinuauit. Primum, quale ſit Iudæorum ſcelus, quod iram Dei aduerſùs illos concitauerit: illud enim explicat, cùm ait. *Negauerunt Dominum, & dixerunt, non eſt ipſe.* Negauerunt ſcilicet Meſſiam, quem totius orbis Dominum agnoſcere debuerunt, & dixerunt, *non eſt ipſe*, ſcilicet A qui venturus eſt, & quem Prophetæ venturum prædixerunt, ac idcirco Prophetæ fuerunt in ventum loquuti; quandoquidem nullam eis fidem adhibent, quæ de Meſſiæ aduentu clara teſtimonia proferuntur. Hoc ſcelus Iacob, hæc domus Iſraël, & domus Iuda grauiſſima præuaricatio fuit, cùm Meſſiam toti orbi notum, ac manifeſtum negant, quæ Dei furorem in eas excitat.

Alterum eſt; quinam illi ſint, quos Deus in tanti ſceleris vindictam excitauerit. Atque hanc eſſe ait gentem robuſtam, gentem antiquam, gentem cuius linguam ignorabunt, B ac proculdubio hæc gens Romanorum fuit, qua nulla robuſtior, vtpote quæ totum orbem domuerit, nulla inter illuſtriores orbis populos antiquior fuit; cuius denique linguā velut Hebræorum linguæ admodū diſſimilem Iudæi ignorabant. Hanc Deus in huius ſceleris pœnam in Iudæos excitauit.

At mirum ſanè eſt, quàm luculenter Hieremias ea pœnarum genera, quibus Iudæorum populus non tam olim ſub Tito, & Veſpaſiano, quàm modò afflictus eſt, aperiat: cùm ſubdit. *Et comedet ſegetes tuas, & panem tuum, deuorabit filios tuos, & filias tuas; comedet* C *gregem tuum, & armenta tua: comedet vineam tuam, & ficum tuam: & conteret vrbes munitas tuas, in quibus tu habes fiduciam gladio.* Hæc tandem ea pœna eſt, qua Hebræam gentem aliquando percutiendam olim Moyſes prædixit Deuter. 28. Deuter. 28.

ישא יהוה עליך גוי מרחק מקצה הארץ כאשר ידאה הנשר גוי אשר לא תשמע לשנו גוי עז פנים אשר לא ישא פנים לזקן ונער לא יחן׃ ואכל פרי בהמתך ופרי אדמתך עד השמדך אשר לא ישאיר לך דגן תירוש ויצהר שגר אלפיך ועשתרת צאנך עד האבידו אתך׃ והצר לך בכל שעריך עד רדת חמתיך הגבהות והבצרות אשר אתה בטח בהן בכל ארצך

Iiſſa Iehoua D *ghalecha goi merahok mikeſe haarets kaaſcer ydeh hannaſcer goi aſcer lo thiſmangh leſciono: goi ghaz panim aſcer lo yſſcia phanim lezaken venaghar lo iahon veachal peri vehemtecha vphri admathecha ghad hiſſciamedach aſcer lo iaſcir lecha dagan tiroſc veiitſhar ſcegar alaphecha veghaſcteroth tſonecha ghad haauidu othach vehetſar lecha bechol ſceghareccha ghad redeth hhomothecha haggeuohoth vehabbetſuroth aſcer attah boteahh bahen becol artſecha. Adducet Dominus ſuper te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus* E *in ſimilitudinem aquilæ volantis cum impetu, cuius linguam intelligere non poſſis: gentem procaciſſimam, quæ non deferat ſeni, nec miſereatur paruuli, & deuoret fructum iumentorum tuorum, ac fruges terræ tuæ, donec intereas, & non relinquat tibi triticum, vinum, & oleum; armenta boum, & greges ouiū, donec te diſperdat, & conterat in cunctis vrbibus tuis, & deſtruantur muri tui firmi, atque ſublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua.*

Notanda verò ſunt verba hæc quæ ſequuntur, quibus Moyſes vltimum vrbis

Ieruſalem excidium videtur digito demonſtrare. *Obſideberis* (ait) *intra portas tuas in omni terra tua, quam dabit tibi Dominus Deus tuus, & comedes fructum vteri tui, & carnes filiorum tuorum, ac filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus Deus tuus in anguſtia, & vaſtitate, qua opprimet te hoſtis tuus.* Neque enim ignorare poſſunt Iudæi, Ioſepho teſte de bello Iudaico lib. 7. cap. 8. in obſidione Ieruſalem, vnam inter cæteras mulierem proprium vteri ſui filium coctum comediſſe. Vltimam tandem Iudæorum calamitatem deſcribens Moyſes

Ioſephus Iud. concludit. *Diſperget te Dominus in omnes populos à ſummitate terræ vſq; ad terminos eius.* Quod quidem de Babylonica, aut priori aliqua captiuitate intelligere nequeunt, quæ ad ſingularem duntaxat populum terminata fuit: ſed de ea, qua modò per omnes mundi partes, ac orbis populos diſperſi ſunt, iuſta Dei in eos ſæuiente ira, ac illorum ſcelere exigenre, quo impiè Dei fidem reſpuunt, & Meſſiam tot Scripturarum oraculis, ac ſignis cœleſtibus probatum negant.

CÆTERVM Iudæorũ ſceleribus Meſſiæ aduentũ retardari nõ debuiſſe ipſimet fatentur: nã in lib. Sanhedrin cap. Helec. R. Iohanan,

Sanhedrin. R. Iuda, & R. Nehorai ita inquiũt. *Cùm veniet Meſſias pauci ſapientes erũt in Iſrael, multi ſeditioſi, præſtigiatores, magi, ſapientia Scribarum fatiſcet, & Theologorũ ſcholæ lupanaria erunt: tunc homines probi in Iſraël in abominatione erunt, & illius ſeculi facies erit inuerecunda.* Cùm igitur his vitiis vix addi quicquam poſsit, atque inter hæc venturum Meſsiam affirment, nulla ratio eſt, cur eorum ſceleribus Iudæi illius aduentum remoratum ſibi fingant.

TANDEM ipſa ratio id apertè dictat: nam cùm Meſsias non ſoli Iudæorum populo, ſed toti orbi promiſſus fuerit, vt manife-

Geneſ. 12. ſtum eſt Gen. 12. *In ſemine tuo benedicentur om-*

Geneſ. 49. *nes gentes.* Item cap. 49. *Et ipſe erit expectatio*

Iſa. 49. *gentium.* Iſai. 49. *Dedi te in lucem gentium, vt ſis*

Agg. 2. *ſalus mea vſque ad extremum terræ.* Aggæ. c. 2. ובאו חמדת כל הגוים *vuan bhemdath col haggoim. Et veniet deſideratus cunctis gentibus.* Cur vnius populi flagitium totius orbis remediũ illi iuramento promiſſum impediret?

POSTREMÒ alij ad fabulas confugiũt, ac fingunt Meſsiam natum eſſe eodem planè die, quo ſecundũ templum euerſum fuit,

Iſai. 66. quod ex illis verbis Iſaię eliciunt c. vlt. cũ ait. בטרם תחיל ילדה בטרם יבוא חבל לה והמליטה זכר *beterem tahhil ialadah beterem iauo bhebel lah vehimlitah zachar. Antequam parturiret peperit, antequàm veniret partus eius peperit maſculum.*

R. Moyſes Hadarſ. Quem locum ita olim rectè explicauerat R. Moyſes Hadarſan. *Antequàm ille oriatur, qui Iſraëli extremum ſeruitutis iugum imponet, Re-*

Ionath. *demptor naſcetur*; & Ionathas magni Hillel diſcipulus. *Antequàm illi extrema ſeruitus contingat, ſaluabitur: & ante illius partus dolores Chri-* A *ſtus reuelabitur.* Ex qua horum Rabbinorum, qui ante Chriſtum floruerunt, expoſitione illud confirmatur, quod nuper demonſtrauimus, Meſsiam nimirum ante ſecundi templi euerſionem eſſe aduenturum. Attamen inquiunt recentiores Iudæi illum vſque ad tempus latere. Quadringentis quidem annis in profundo Oceani, octingentis apud filios Chore, octuaginta ad fores Romanas

ALII veniſſe dicunt, ſed ipſum vltra montes Caſpios, qui maioris Armeniæ termini ſunt, degere: atque ibi Dei mandatum expectare, quo tempore illinc ad Iſraëlitici populi B liberationem egredi debeat. Quòd ſi ab eis quæratur, cur ibi ſaltem illum non inuiſunt; mox loca illa, ob Sabbaticũ fluuium, qui illorum aditũ intercludit, inacceſſa reſpõdent.

ALII Meſſiam per orbem miſerum, atque abiectum, ignotum vagari volunt. Et R. Ioſue in Thalmud illum ſe vidiſſe affir- R. Ioſue. mat, vlcera ſua inter pauperes alligantem. Ita veritatis remigio amiſſo cùm voluntariũ fidei nufragiũ Hebræi patiantur, totos ſe fabularum, atque errorum pelago committunt.

ILLVD verò Iudæis non aſpernandum conſilium eſt, quod R. Iacob in collectaneis R. Iacob.
C de Meſsia, vt habetur in Thalmud, in tract. Sanhedrin c. Helec. Iudæis omnibus ſequendum reliquit, cùm ait. *Ex pronunciatis Magiſtri expleti ſunt omnes termini poſiti de aduentu Meſsiæ, ac res pendet ex ſola pœnitentia, & bonis operibus.* Optimè ſanè Rabbenus iſte vanum, atque inane ſentit Meſsiam à Iudæis vlteriùs expectari, cùm Sole clarius ſit, omnes Meſsiæ aduentus terminos elapſos eſſe. At quàm piè, ac fideliter ſuos admonet (ſi modò audire vellent) rem, ac Iudæorum ſalutem à ſola pœnitentia pendere: hæc enim illis ſola via relicta eſt, qua tot malis exui poſſunt, vt om-
D nium quidem, ſed potiſsimùm illos abnegati Meſsiæ ſceleris pœniteat. Quem hactenus ignorarunt, agnoſcant, Deum eſſe credant; fidem illius amplectantur, doctrinam addiſcant, & vana illa Iudæorum ſuperſtitione relicta ad veram Chriſti Religionem ſe trãsferant. Hinc Deum placatum audient per os Ezechielis dicentem cap. decimoctauo Ezech. 18.
שובו והשיבו מכל פשעיכם ולא יהיה לכם למכשול עון : השליכו מעליכם את כל פשעיכם אשר פשעתם בם ועשו לכם לב חדש ורוח חדשה ולמה תמותו בית ישראל : כי
E לא אחפץ במות המת נאם אדני יהוה והשיבו וחיו *ſciuuu vehaſciun micol piſcghechem velo, ihieh lachem lemichſciol ghauon: haſclichu meghalechem eth kol piſcghechem aſcer peſciaghetem bam vaghaſciu lachem leu bhadaſc verua hh bhadaſcia velamma thamuthu beth Iſraël: ki lo ethpots bamoth hammeth neum adonai iehouih vehaſciuu vihhiu. Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas: proiicite à vobis om-*

nes

nes iniquitates veſtras, quibus prauaricati eſtis, & facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum, quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, reuertimini, & viuite.

Diluuntur Iudæorum obiecta.

ARTICVLVS IX.

RESTAT tandem Iudæorum, præſertim recentiorum noſtri temporis obiecta argumenta diſſoluere, quibus probare conantur, Meſſiam nondum veniſſe: quæ ſanè ita exilia ſunt, vt de iis meritò illud Iſa. c. 59. dici poſſit. *Telas araneæ texuerunt*, quas vel flatus ipſe facilè diſrūpere, ac diſſipare valeat. (Iſa. 59.)

PLVRIMA argumenta congerunt præſertim ex Iſa. cap. 2. vbi de Meſſiæ aduentu ita ſcribit. *Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent. Venite, & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem. Et iudicabit gentes, & arguet populos multos: & conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium: nec exercebuntur vltrà ad prælium.* (Iſa. 2.)

PRIMO igitur argumento ita inſipidè ratiocinantur. Meſſias venturus non eſt, niſi in nouiſſimis diebus: nouiſſimi dies nondum venerunt, igitur Meſſias nondum venit. Maior eſt Iſaiæ. Minor ad oculum patet. Nam ex quo Chriſtiani Meſſiam veniſſe affirmant, pluſquàm mille ſexengenti anni elapſi ſunt: non ergo hi ſunt nouiſſimi dies.

RESPONDETVR, Scripturis minimè inſolitum eſſe, tempus Meſsiæ nouiſsimum tempus appellare. Ita namque Iacob Patriarcha, cùm de futuro Meſsia cum filiis ſermonem haberet Geneſ. 49. eum in nouiſsimis diebus venturum affirmat. *Congregamini* (inquit) *vt annunciem, quæ ventura ſunt in nouiſſimis diebus*: ac poſtea ad Iudam conuerſus, ait. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat Silo*, id eſt, Meſsias: *& ipſe erit expectatio gentium.* Quem locum inſigniores Hebræorum Doctores de Meſſia interpretantur, vt in ſecundo articulo explicatum fuit. Quapropter haud opus eſt, nouiſſimos dies ita rigoroſè ſumi, vt per eos poſtremi illi tantùm dies intelligantur, qui orbis interitum proximè antecedere debent: ſed ſatis eſt, vt per nouiſſimos dies totum illud tempus ſumatur, quod ab ipſa orbis declinatione vſque ad ipſius occaſum fluit. (Geneſ. 49.)

TRIA enim orbis tempora numerantur. Primum tempus illius natiuitatis fuit, cùm primùm à Deo conditus fuit. Secundum incrementi, quod tunc primùm aſſequutus fuit, cùm ad perfectam virilitatem, iuxta præfixas diuinæ voluntatis metas, peruenit. Tertium ſenectæ, ac decrementi, quod totum illud tempus complectitur, quod à prima orbis declinatione, vſque ad illius interitum interfluit; quò fit, vt meritò hi nouiſſimi dies appellati poſſint. Porrò quòd Meſſias non in orbis iuuentute, aut virilitate, ſed in ipſius ſenecta, ac ingraueſcente iam illius ætate venturus eſſet, ex 4. Eſdræ cap. 14. facilè colligi poteſt, vbi ita legitur. *Sæculum perdidit iuuentutem ſuam, & tempora appropinquant ſeneſcere.* Quòd ſi Eſdræ temporibus, qui necdum perfectam ſecundi templi ædificationem vidit, orbis ad ſenectam peruenerat, quid de poſteriori tempeſtate ſentiendum erit; cùm poſt illa tot ſæcula effluxerint? an non nouiſsimi dies hi appellandi ſunt, qui mundi tum ſenectutem, tum decrepitam ætatem comitantur? Quamobrem cùm nos Meſſiam iam veniſſe aſſerimus: ac pluſquam mille ſexengintos annos effluxiſſe annuimus; ex quo Chriſtus noſter verus Meſsias, ac orbis Redemptor apparuit: hoc omne tempus inter nouiſsimos orbis dies meritò recenſemus, cùm hi illius ſenectutis dies ſint, qui nouiſsimi ab omnibus appellati ſolent. (4 Eſdr. 13.)

ARGVVNT ſecundò ex verbis Iſaiæ. Mons domus Domini nondum eleuatus eſt in vertice montium, neque erectus eſt ſuper omnes colles. Igitur Meſsias nondum venit. Carnalis oculus nihil præterquàm carnalia videt. Iudæi pro mente oculos carnales gerunt, haud mirum, quòd omnia carnaliter iudicent. Non de materiali domo Domini, ex lignis, calce, ac lapidibus (vt putant Iudæi) ſed de ſpirituali domo, Eccleſia videlicet ex Iudæis, & gentibus tanquam viuis lapidibus conſtruenda, hoc loco agitur, quæ in aduentu Meſsiæ paranda eſt. Quamobrem nec montes hi, aut colles lapidei, ſeu terrei cenſendi ſunt, ſuper quos hanc ſpiritualem Dei domum ædificandam Vates affirmat. Quis enim mentis compos credere valeat, Deum aliquando vniuerſos orbis terrarum montes ſimul collecturum, ac vnum duntaxat ſuper omnium montium verticem collocaturum, vt in eo domus Dei tandem conſtruatur? an non id faboloſum potiùs commentum, quàm grauem Scripturæ ſenſum præ ſe fert?

QVAPROPTER diſcant Hebræi, hos montes nō lapideos, ſed humanos eſſe, ipſos nimirum Meſsiæ Apoſtolos, quos Vates Eccleſiæ fundamenta futuros eſſe prænuntiat, iuxta Dauidis Vaticiniū Pſ. 86. *Fundamenta eius in montibus ſanctis.* Quandoquidē ſua ipſorū prædicatione orbem vniuerſum ad Meſsiæ fidē adducturi erāt; ex quo tandē Meſsiæ Eccleſia exurgeret. At nō fruſtrà Vates ait, montem vnum in verticem montium ſublatum iri, atque (Pſalm. 86.)

in eo domum Domini conſtruendam eſſe: nam inter Meſſiæ Apoſtolos vnus eligendus erat, qui cæterorum vertex ac Princeps futurus eſſet: in quo velut capite ac primario lapide Gentium Eccleſia ædificaretur: quod planè eueniſſe cernimus cùm in Petro Apoſtolorum Principe Catholica Eccleſia conſtructa fuit, teſtante Saluatore noſtro Matth.
Matth. 16. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

ARGVVNT tertiò ex eodem. Ad Meſſiam debent omnes gentes confluere: ſed nemo eſt, ad quẽ hactenus omnes gentes confluxerint: neque Chriſtus veſter, cùm plerique populi ſint, qui necdum illius fidem receperunt, velut Tartari, Mauri, Sarraceni, Indi: igitur Meſsias nondum venit.

DVPLEX hic adhibetur reſponſio. Prima eſt, cùm Vates ait, omnes gentes ad Meſſiam colligendas eſſe, non id dicere voluiſſe, quaſi nemo prorſus futurus ſit inter omnes orbis populos, qui ad Meſſiam venturus non ſit: ſiquidem certum eſt pleroſque in infidelitate permanſuros, qui ad Meſſiam non venient: de quibus ait Dauid Pſalm. 117.
Pſal. 117. *Lapidem, quem reprobauerant ædificantes, hic factus eſt in caput anguli*: & Daniel cap. 9.
Dan. 9. *Et non erit eius populus, qui eum negaturus eſt*; ac præterea Deuter. 18.
Deut. 18. *Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtam.* Sed ita hæc verba interpretanda ſunt, vt ex omnibus gentibus quamplurimi ad Meſſiam acceſſuri credantur.

ALTERA quoque reſponſio eſt; quòd Prophetæ verba non ita intelligenda ſunt, quaſi omnes gentes ſimul, ac eodem tempore ad Meſſiam confluere debeãt; neque enim id verba ipſa præ ſe ferunt, quæ cùm futurum tempus indicent, minimè fateri cogunt, hunc omnium gentium concurſum ſimul, ac eodem tempore futurum eſſe: ſufficiet igitur, vt eum ſucceſſiuè, ac paulatim fieri debere credamus; donec tandem Meſſiæ maieſtate per omnes gentes diffuſa, vniuerſæ eam venerentur, ac colant.

CVM igitur arguunt, neminem adhuc fuiſſe, ad quem velut ad Meſſiam omnes gentes confluxerint, atque inde id de Chriſto noſtro concludunt, non eſſe Meſſiam, ſanè apertè falluutur; immò aduersùs ſenſum ipſum pugnant, cùm oculis ipſis perſpiciant, Ieſu Chriſti noſtri nomen, ac maieſtatem adeò in toto orbe eſſe conſpicua, vt nulla inter tot orbis nationes tam Barbara, támque fera, aut agreſtis reperiatur, quæ etſi non tota, tamen ex parte, vel olim, vel modò Chriſto nomina non dederit, & ad illius fidem ac cultum non confluxerit. Quòd ſi aliqua fortè ſit, ad quam illius fama non peruenerit; planè haud dubitamus, quin ea quoque ad Chriſti gremium accurrere debeat: vt Dei ac Prophetarum oracula impleantur.

ARGVVNT quartò: tempore aduentus Meſſiæ populi conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces, non leuabit gens contra gentem gladium, neque exercebuntur vltrà ad prælium, vt ait Iſaias, quod etiam eiſdem ferè verbis confirmat Micheas cap. 4. Sed id nondum in orbe viſum fuit: nec ſumma hæc ac perpetua pax inter homines hactenus apparuit. Igitur Meſſiæ tempus nondum aduenit. Miche. 4.

RESPONDEO; hæc Prophetarum verba, ſi ritè intelligantur, iamdiu impleta fuiſſe; ſed cùm Hebręi cuncta Scripturarum myſteria carneis oculis aſpiciant, haud mirum eſt, quòd præter occidentem literam oculis obiectam, nihil altius mente pertractent. Summam ac perpetuam pacem in Meſſiæ aduentu, ac toto illius Imperio futuram, hæc Prophetarum verba orbi pollicentur; quam illa verborum periphraſis docet, cùm gladios in ligones, iacula in falces conuertenda: nec vllo ampliùs hoſtium motu terrendos homines, aut militari exercitatione defatigandos eſſe inſinuat. Hactenus cum Iudæis conuenimus: atque id primùm velut certum ex Prophetis ſtatuimus.

ALTERVM quoque communi conſenſu ſtatuendum eſt; quamquam hæc pax in diebus Meſſiæ oriri debeat; eam tamen non omnibus promiſſam eſſe; ſed iis tantummodò, qui ad Meſſiam confluent, qui diſciplinam ac legem eius recipient, qui denique in ſemitis eius ambulabunt: id enim apertè tum Iſaiæ, tum Micheæ textus indicant: nam cùm ait Micheas. *Et fluent ad eam populi, & properabunt gentes multæ, & dicent. Venite, aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos de viis ſuis, & ibimus in ſemitis eius*: de iiſdem planè intelligit, quæ ſequuntur. *Et concident gladios ſuos in vomeres, & haſtas ſuas in ligones*, &c. Miche. 4.

HIS poſitis; aſſurgant Hebræi à litera ad ſpiritum, quo præſertim ſacræ literæ exponendæ ſunt, ac intelligendæ; agnoſcántque pacem hanc à Meſſia in orbem afferendam, omnium præſtantiſſimam eſſe, ac propterea non corporum, quæ breui peritura ſunt: ſed animorũ eſſe, qui ſemper immortales viuunt: pax hęc ſumma, ac perfecta futura erat; quandoquidem ea ſumma inimicitia, qua Deus humanum genus, ob Adæ facinus, inuiſum habebat, Meſſiæ merito expellenda erat; vt homines Deo reconciliarentur. Hæc pax illa eſt diu ab hominibus expectata, quam ſolum Meſſiam decebat inter homines adferre. Quid terrenam, ac temporariam pacem à Meſſia Iudæi expectant? Legant Prophetas, quid de futura Meſſiæ pace ſentiant, nec aliam præterquàm animorum pacem nobis promiſſam reperient: an non Dauid de Meſ-

ſiæ

Pſalm.71. ſiæ pace agit Pſalmo 71. cùm ait? *Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis.* At iuſtitiam primo loco commemorat, quæ virtutum omnium cumulum ſimul cum Dei gratia, qua tandem homo iuſtus fit, complectitur: deinde pacem cum iuſtitia componit; vt Meſſiæ pacem non aliunde erumpere doceat, præterquàm ex cœleſtis gratiæ infuſione, quæ Meſſiæ merito hominibus condonanda eſt: ac propterea eam ſpiritualem potiùs, quàm temporalem expectandam eſſe inſinuat. Quod etiam clariùs aperit infrà, cùm ait. *Ex vſuris, & iniquitate redimet animas eorum.*

Iſai.9. QVID Iſaias ipſe? an non de pace Meſſiæ tempore futura agit cap. 9. cùm ait? *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis.* Sed qualis ea pax futura ſit, temporaliſne, aut ſpiritualis; corporis, aut animæ, mox aperit, cùm ſubdit. *Super ſolium Dauid, & ſuper Regnum eius ſedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iuſtitia, amodo & vſque in ſempiternum.* Quodnam eſt Regis Meſsiæ ſolium, ac Imperium præterquàm ipſa populorum corda, in quibus per fidem, & charitatem ſedere debuit? Videant igitur Hebræi, qualem Meſsias ſuis pacem allaturus C eſſet: non temporalem, ſed ſpiritualem duntaxat, qua illorum corda in iudicio, id eſt, in Diuinæ legis obſeruantia, ac iuſtitia, id eſt, in fide, ſpe, & charitate confirmari, ac corroborari deberent.

CVM igitur Vates dicunt conflandos eſſe gladios in vomeres, & lanceas in falces, neque vltrà gentes ad prælium eſſe exercendas; metonymia ab effectis deſſumpta, ſummam pacem iis futuram annunciant, qui ſeipſos Meſſiæ legi, ac Imperio ſubiecerint, ac illius cultum receperint: non eam quidem pacem, quæ à temporalium hoſtium furore D liberos reddat: ſed quę Dei inimicitiam diſſoluat, atque ab illius ira tutos ſeruet; quæ ſanè potior pax cenſeri debet.

ALIO quoque ſenſu hæc ipſa verba de maxima gratiæ diuinæ effuſione, quæ in aduentu Meſſiæ in homines futura erat, explicare poſſumus. Ex qua tanta in hominum animis conſcientiæ pax adducenda fuit, tum ob præclarum Meſſiæ exemplum imitandum tanta iuſtitiæ fames, ac patiendi ardor excitandus, vt non ſolùm gladios in vome- E res, lanceas in falces commutaturi eſſent, propria ſcilicet membra, ac ſenſus, quæ abſque Dei gratia arma erant, quibus Deum, ac proximum oppugnabant, in pacis, ac iuſtitię vomeres, ac falces verſuri eſſent, quibus & proprium animi agrum virtutibus colerent, ac iuſtitiæ fructus Deo gratiſſimos meterent: verùm etiam inter hoſtes, & perſecutores, inter ignes, & cruces mentis pacem ita ſer-

A uaturi eſſent, vt pro iis quoque hoſtibus à Deo veniam exorarent.

ARGVVNT quintò, ac poſtremò ex verbis Ieremiæ cap. 23. vbi Vates de aduentu Ierem. 23. Meſſiæ agens, ita ſcribit. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra.* Deinde populi Hebræi liberationem annectit, dicēs. *In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſraël habitabit confidenter, & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter.* Ex quo loco ita ratiocinantur. Cùm Meſſias venerit, populus Iudæorum ab omni captiui- B tate liberabitur: at is modò adhuc ſub grauiſſima captiuitate detinetur, nec vlla liberationis ſpes illi affulget, Meſsias igitur nondum venit. Hoc maximum illorum argumentum eſt: quod tamen facili negotio, tum ex Scripturis, tum ex ipſorummet teſtimoniis diſſoluitur.

QVAPROPTER id primùm meminiſſe debent Iudæi, quod ad quartum argumentum tanquam certum ſuppoſuimus; præclaras ſcilicet Dei promiſsiones in aduentu Meſsiæ explendas, eos tantùm comprehendere, qui Meſsiam recepturi ſunt, atque ei- C dem obtemperaturi; ſiue ij ex Iudæis, ſiue ex Gentibus ſint. Qua enim ratione ij Meſſiæ bonis potiri debent, qui eidem ſubiici, ac parere renuent? Dei ſiquidem præceptum eſt, vt vniuerſi Meſsiæ verbis obtemperent, quod expreſſum habetur Deuter. 18. *Pro-* Deut. 18. *phetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus tuus, ipſum audies.* Qui verò eidem obtemperare noluerint, tanquam Dei præcepto rebelles, non tantùm iis bonis expoliandi ſunt, quæ Meſsiæ aduentus orbi allaturus erat, ſed in grauiſsimam præterea Dei iram incidere debent, ex qua D diras ſceleris pœnas luant: quod apertè eodem loco his verbis exaratum habetur. *Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtā.* Quę verò hęc vltio futura ſit, aperit Moyſes infrà capite 28. vbi Deut. 28. plurimas illas, ac ſeueriſsimas Dei maledictiones, in Diuinæ legis præuaricatores effundendas coaceruat: inter quas & ſummas diſperſiones, ac diuturnas captiuitates enumerat his verbis. *Niſi cuſtodieris, & feceris omnia verba legis huius, quæ ſcripta ſunt in hoc volu-* E *mine; & timueris nomen eius glorioſum, & terribile; hoc eſt, Dominum Deum tuum; augebit Dominus plagas tuas, & plagas ſeminis tui; plagas magnas, & perſeuerantes; infirmitates peſſimas, & perpetuas, & conuertet in te omnes afflictiones Aegypti, quas timuiſti, & adhærebunt tibi,* &c. *Diſperget te Dominus in omnes populos, à ſummitate terræ vſque ad terminos eius,* &c. Quò fit, vt nemini iure dubitandum ſit, quin hæc Iudæi populi liberatio ab Ieremia prædicta,

in eos tantùm Iudæos ſe extendat, qui Meſſiæ legi ſeipſos ſubiicere debent, ac illius verbis obtemperare.

Qvod cùm ita ſit, cùm Ieremias Iudam ſaluandum eſſe affirmat, id de Iudæo populo adhuc præuaricatore, & Meſsiæ legibus rebelle intelligere nequeunt, cùm is tandiu grauiſsimæ Dei vindictæ ſubiaceat, ac in populos diſpergendus ſit, quandiu Diuino præcepto, de Meſsia recipiendo, ac colendo, inobediens fuerit. Quapropter fateri coguntur, hanc liberationem ad veros tantummodò Iudæos, id eſt, confitentes pertinere, qui Meſsiæ nomen, ac maieſtatem aliquando confiteri debent.

Id verò ne gratis abſque ipſorum teſtimonio à nobis dictum exiſtiment; audiant R. Moyſem Hadarſan in Geneſeos cap 41. in ea verba. Et dixit Pharao ad Ioſeph. *Ego Pharao, & abſque te non eleuabit vir manum ſuam:* ita hunc Ieremiæ locum explicantem. Ibi enim ita ſcribit. *Dixit R. Aba. Ex, Ego, carnis & ſanguinis, tu diſcis, ego, Dei ſancti & benedicti. Nam ſi ex eo, quod dixit Pharao ad Ioſeph. Ego* A *Pharao, meruit Ioſeph totam hanc benedictionem. Cùm venerit, ego, Dei ſancti & benedicti, de quo dictum eſt Iſa. 46. Ego feci, & ego leuabo, ego feram, & liberabo. Quantò magis admiror? Poteritne dici, quòd redemptor erit acceptator perſonarum? abſit. Omnes enim confitentes eum ore ſuo, & operibus ſuis, & corde ſuo, ſaluabit, & liberabit, ſicut ſcriptum eſt Ierem. 23. cap. In diebus eius ſaluabitur Iuda. Ac ſi dicat. Confitentes eum. Et iterum ipſe ait Iſa. 45. Conuertimini ad me, & ſaluabimini omnes fines terræ.*

R. Moyſes Hadarſan.

Ad argumentum igitur dicimus; fal-
B ſum eſſe, quòd omnis Iudæorum populus, adueniente Meſſia, à captiuitate liberetur: ſed is tantummodò, qui ſeipſum vltrò Meſſiæ legi ſubiiciet. Quamobrem ſi ab hac graui, ac diuturna captiuitate, quæ iam tot ſæculis in eos deſæuit, tandem liberari volunt, ad Ieſum Chriſtum verum Meſſiam quamprimùm accedant, agnoſcántque ſeriò, graues has calamitates, quibus perpetuò anguntur, iis ob aliam cauſam non accidere, quàm quòd verum Meſſiam à ſe abiiciunt, ac Diuinam ipſius legem contemnunt.

DEMONSTRA

DEMONSTRATIO
TERTIA GENERALIS
TERTII SYMBOLI
aduerſùs Iudæos.

De Ieſu Chriſto Meßia.

Præfatiuncula.

QVEMADMODVM *qui inter nocturnas caligines alterius faciem contemplari, ac vultum agnoſcere volunt, eo conſilio uti ſolent, ut affulgentem facem, aut lucernam, cuius fulgore illuſtrari valeant, anteferant. Haud ſecùs Iudæis, qui inter denſas cæcitatis, ac infidelitatis tenebras verſantur, conſultum eſſe debet, vt ſi Meßiæ vultum agnoſcere, atque illius agnitione tandem frui cupiant, clarißimam diuinarum Scripturarum facem, ac fidei lucernam præ ſe ferant, atque ea ſe illuſtrari patiantur.* Habemus *enim, ait Petrus noſter 2. epiſt. c. 1.* firmiorem Propheticum ſermonem, cui bene facitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies illuceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris. *Hoc enim lumine illuſtrati, Ieſum Chriſtum, cuius modò perfidiæ caligine præpediti, odio flagrant, verum Meßiam facilè agnoſcent; ac ſummo, & diuino (vt par eſt) honore proſequentur. Id verò ductore Deo modò illis demonſtrare aggredior nonnullis articulis.*

Articulus primus, Ieſum Chriſtum Dei Filium verum eſſe Meſſiam demonſtratur primò ex vaticiniis Iacob Patriarchæ, Danielis, & Aggæi.

Secundus, Idem demonſtratur ſecundò ex duodecim ſignis Meßiæ à Scriptura depromptis.

Tertius, demonſtratur idem tertiò ex aliis duodecim deſumptis ex paßione Meſſiæ.

Quartus, demonſtratur hoc ipſum quartò rationibus.

Quintus, Idem demonſtratur quintò ex teſtimoniis ſignorum, quæ Iudæis ipſis acciderunt.

Sextus, Diluuntur obiecta Iudæorum aſſerentia Ieſum Chriſtum non eſſe Meſſiam.

Septimus, Deteguntur impietates, & ineptiæ recentium Iudæorum.

Ieſum Chriſtum Dei Filium verum eſſe Meſſiam, demonſtratur primò ex Iacob Patriarchæ, Danielis, & Aggæi Vaticiniis.

ARTICVLVS PRIMVS.

QVANDOQVIDEM in præcedēti demonſtratione apertè probatum fuit, omnes Meſſiæ aduentui præfixas in Scripturis periodos iam elapſas eſſe; ex quo tandem ſequi opus ſit, eum iam veniſſe: hac extrema tandem Demonſtra- A tione, in qua Ieſum Chriſtum Dei Filium verum eſſe Meſſiam demonſtrare contendimus, rerum tandem ſummam attingimus, ac totam noſtram cum Hebræis controuerſiam abſoluimus: & ſiquidem ij verum illum Meſſiam agnoſcere, ac ipſius Religionem amplecti voluerint, veros ipſos Iſraëlitas, ac Dei

ſemen

Digitized by Google

ſemen celebrare licebit: ſi tamen ex aduerſo eidem (vt ſolent) detrectare, ac Chriſtianæ fidei, ac Religioni colla ſubdere, & toties probatæ veritati cedere renuerint; haud moleſtè ferant, ſi eos velut impios Dei deſertores, ac veri Meſsiæ occiſores, ac blaſphematores, Dei ipſius verbis ex Iſaiæ ore prolatis aggredimur. *Væ gēti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis: dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſrael, abalienati ſunt retrorſum.* Ac denique reprobæ, ac maledictæ à Deo Religionis ſectatores eiuſdem oraculo acclamamus, cùm ita ſubiungit. *Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus? Plenus ſum, holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Cùm veniretis ante conſpectum meum, quis quæſiuit hæc de manibus veſtris, vt ambularetis in atriis meis? Ne offeratis vltrà ſacrificium fruſtra: incenſum abominatio eſt mihi: Neomeniam, & Sabbathum, & feſtiuitates alias nō feram, iniqui ſunt cœtus veſtri; Calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odiuit anima mea, facta ſunt mihi moleſta, laborant ſuſtinens*, &c.

Primvm igitur iiſdem Prophetarum vocibus, quibus Meſſiam veniſſe probauimus, Ieſum Chriſtum Dei Filium verū eſſe Meſſiam in lege promiſſum demonſtrare aggredimur. In his porrò primum fuit Iacob Patriarchæ vaticiniū, quod explicatur Gen. 49. לא־יסור שבט מיהודה ומחקק מבין רגליו עד כי־יבא שילה *Non auferetur ſceptrum de domo Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus eſt.* Iuxta vulgatam lectionem, vel vt habet tranſlatio Chaldaica. *Non auferetur habens principatum à domo Iuda, neque Scriba à filiis filiorum eius, donec veniat Meſsias.* Vbi ex pleriſque Hebræorum Doctorum teſtimoniis probauimus vocem שילה *ſiloh* non pro loco orationis, ſed pro perſona Meſsiæ ſumendam eſſe. Vulgatus quidem Interpres vocem *ſiloh* à verbo שלח *ſalah* exprompramn iudicauit, quod ſignificat *mittere*; ac propterea tranſtulit, *Qui mittendus eſt.* At R. Dauid Kimhi

R. Dauid Kimhi.

cenſet hoc nomen deductum eſſe à vocabulo שליה *ſilya*, quod deſignat matricem, in qua infans in vtero matris includitur, ac ſæpe in Scripturis pro ipſo fœtu vſurpatur: quapropter ipſe vertit שילה *ſiloh*, id eſt, *filius eius*, ſcilicet Iudæ, qui eſt ipſe Meſsias.

Ita enim ſcribit in libro Seraſsim. *Vocatur* (ait) *Meſsias Princeps, & Dominator: mos n. dominantis eſt; vt ſit virga in manu eius, & quia virga diſciplinæ plebis in manu ipſius erit, ideo Mehokee etiam dicitur, quod Scribam ſignificat. Porrò donec veniat ſiloh, id eſt, filius eius fœminini generis exponitur. Et eſt prophetia de Meſsia. Deriuatúrque* שילה *ſiloh à vocabulo* שליה *ſilya, quod eſt ſacculus quidam, in quo manet infans in vtero matris, qui aliquando in Scriptura pro embrione in matrice ſumitur.* Hæc Kimhi.

Porrò duplicem poteſtatis ordinem his vaticinij verbis contineri, qui in Meſsiæ aduentu ab Hebræo populo auferri debet, conſtans eſt veterum Thalmudiſtarum ſententia (vt alias expoſuimus) qui in ſceptro, de quo hic agit Patriarcha, vel regiam poteſtatem, vel conſiſtorium Haggazith inſinuari docent, & per Scribam Collegium Sanhedrin, id eſt, ſeptuaginta Iudicum ſignificari volunt: ita enim legitur in Bereſcith Rabba.

Bereſcit Rabba.

Non recedet ſceptrum de Iuda, iſtud eſt liſcath, id eſt, camera, vel conſiſtorium Haggazith, id eſt, dolatum, ſeu politum, quod datum eſt in parte Iudæ, ſicut dictum eſt Pſalmo 77. Et repulit tabernaculum Ioſeph, & tribum Ephraim non elegit, ſed elegit tribum Iuda, &c. *Et Scriba de medio pedum eius. Iſti ſunt ſedentes, & dantes ſententias in Iſrael in Sanhedrin magna, quæ ſedet Beliſcath Haggazith, id eſt, in conſiſtorio dolato, ſeu polito in parte Iudæ.* Hæc ibi.

Ex hoc igitur Patriarchæ vaticinio ita expoſito, Ieſum Nazarenū verum eſſe Meſsiam apertè euincimus: nam ſi tunc Meſsias venturus erat, cùm ſceptrum, & Scriba, id eſt, Regia poteſtas, ſeu conſiſtoriū Haggazith, & Sanhedrin de domo Iuda recederent, ac omnino à Iudæo populo tollerentur: ſanè conſtat vtrāque poteſtatē tunc primùm à Iudæis ſublatam fuiſſe, cùm Ieſus noſter nouus Rex in orbe apparuit. Haud tamē ea vno tempore tota dilapſa eſt; ſed paulatim defluxit: nam regia quidem poteſtas in Herode Aſcalonita corruit, qui primus alienigena poſt Hyrcanū in Iudæa regnauit, ex quo tempore Regium ſceptrum Iudæis prorſus ereptum fuit, neque amplius ad eos rediit: vti fuſiùs in ſuperiori Demonſtratione declaratum fuit. Porrò huius Herodis Aſcalonitæ Regni anno circiter trigeſimo primo Ieſus noſter in Bethlehē natus fuit: à quo etiam ad necem quæſitus fuit, cùm ab eo ille ſibi eripi regnum formidaret, ob Regum Orientalium dicta, qui ad nouum Regem adorandum ſtella duce, in Iudæam conuenerant. Vt hinc Iudæi addiſcant, eo primùm tempore Ieſum Chriſtum verum Meſsiam natum fuiſſe, atque ab alienigenis agnitum, quo Regium ſceptrum à Iudæis ablatum, ad Gentes tranſlatum fuit.

Sanhedrin verò, ac Conſiſtorium Haggazith ſeu dolatum non multò pòſt à tertio huius nominis Herode Aggrippa, qui Herodis Antipatris filius, & Aſcalonitæ nepos fuit, ſtatim poſt Ieſu Chriſti noſtri iniuſtā necem prorſus extinctū fuit, atque ab eodem Regia Dauidis ſtirps omnino deleta: vt ex Ioſepho Iudæo, & ex Thalmud in Bauathra cap. Haſſutaphin ſuperiori Demonſtratione adnotauimus. Ex quibus tandem colligimus, nullum

nullum alium præter Ieſum Chriſtum no- A
ſtrum verum eſſe Meſsiam,cùm in ipſius ad-
uentu, & Regium à Iuda ſceptrum ablatum
fuerit, & Sanhedrin extinctum, ac res ipſa
clamitet eum eſſe, de quo idem Patriarcha
ſubiungit ולו יקהת עמים *velo ykeat gha-
mijm. Et ei obedient populi*, vel, *Ei obedientia po-
pulorum.* Cùm penè vniuerſum Orbem fide
illi ſubiectũ,eiuſdem legibus parere videant.

Cæterum quòd ad Danielis vatici-
nia attinet. Primum fuit quod legitur capite
ſecundo: vbi futuri Meſsiæ, iuxta omnium
ferè Hebræorum ſententiam (vti ſuprà de-
monſtrauimus) regnum deſcribit illis verbis. B
*In diebus Regnorum illorum ſuſcitabit Deus cæli
regnum, quod in æternum non diſsipabitur, & re-
gnum eius alteri populo non tradetur, comminuet
autem,& conſumet vniuerſa regna hæc, & ipſum
ſtabit in æternum.* Hîc recolenda, haud tamen
repetenda ſunt,quæ de quatuor Monarchiis,
quæ in Orbe floruerunt,atque earum extre-
ma Romanorum, ſuperiùs diſſeruimus: an-
te cuius euerſionem Meſsiæ Regnum in or-
be erigendum fuiſſe oſtendimus.

Porrò ex hoc vaticinio Ieſum noſtrũ
verum eſſe Meſsiam hoc modo colligimus.
Ieſus noſter Cæſare Auguſto Romanam C
Monarchiam tenente, ac regnante in Beth-
lehemitico oppido nat⁹ eſt, vt teſtatur Lucas
c. 2. eo ſanè tempore, quo Daniel venturum
Meſsiam prædixerat, ac illius regnum exci-
tandum. *In diebus*(ait)*regnorum illorum ſuſcita-
bit Deus cæli Regnum*, id eſt, vltimo Romano-
rum Imperio adhuc ſtante. Præterea is ve-
riùs, ac perfectiùs fide ſibi Romanorum Im-
perium ſubegit, quàm ſi illud armis, ferró-
que domuiſſet. Qui enim ampliſsima im-
peria vi, ferróque ſibi comparant, homi-
num quidem corpora ſibi ſubiecta habent,
at in animos imperium extendere nõ valent, D
qui ſæpe ab illorum ſeruitute quàm longè
abhorrent:cùm non ſponte,ſed violenter eiſ-
dem ſubiiciantur. At fides cùm in homine
dominatur,nõ tantùm corpus, ſed(quod po-
tiſsimum eſt)& animum adeò plenè,& inte-
grè ſibi ſubiicit, vt nihil prorſus in homine
ſit,quod illius obedientiam refugiat,aut per-
fectè ſubiectum non ſit.

Hoc ſanè pacto Dominus noſter Ieſus
non ferro, non armis, non vi vlla Romanum
Imperiũ debellauit, ſed illud fide ſibi ſubie-
cit:atque adeò perfectum huius ſubiectionis
vinculum fuit, vt ipſi Romani Imperatores, E
ac totius orbis populi eiſdem ſubiecti, nullo
prætérquàm Deo impellente, ſponte ſeipſos
totos, corpora, animas, ſuáque omnia Chri-
ſto noſtro ſubdiderint, ac verũ orbis Meſſiã,
ac Redemptorem, Regẽ Regum, atque vni-
cum cœli, terræque dominatorẽ agnouerint,
atque coluerint. Quod primùm Philippus
Romanus Imperator huius nominis primus,

tum Conſtantinus magnus toto orbe admi-
rante, ac ſimul exultante publicè illius fidem
amplexati declararunt. Igitur Ieſus Chriſtus
ipſe eſt verus Meſsias à Daniele prænũciatus.

Alterum Danielis vaticinium eſt de ſe-
ptuaginta duabus hebdomadibus, poſt quas
ſtatim Meſsias venturus erat, quod habetur
cap. 9. de quo infrà in quinto ſigno age-
mus, vbi natiuitatis Meſsiæ tempus aſsigna-
bimus. Hîc tamen prætereundam non cen-
ſeo annorum ſuppurationem, de exordio,
progreſſu, ac fine harum hebdomadarum,
quam tradit Petrus Galatinus de arcan. Ca-
thol.verit. lib. 4. c. 16. ex profanis tam Græ-
corum, quàm Latinorũ annalibus exprom-
ptam. Cenſet enim à vigeſimo anno Arta-
xerxis Longimani, à quo primùm exiit ver-
bum de Ieruſalem iterum ædificanda,harum
hebdomadarum enumerationem inchoari
debere: quo ſuppoſito facilè oſtendit, præ-
dictarum hebdomadarum numerum præ-
cisè vſque ad Ieſu Chriſti Paſsionem ac ne-
cem peruenire; his verbis.

Artaxerxes *itaque iſte poſtquàm ad readi-
ficandam Hieruſalem miſit Nehemiam, regnauit
adhuc annis viginti: poſt quem Xerxes ſecundus
menſibus duobus, deinde Sagdianus menſibus ſe-
ptem: deinde Darius ſecundus, qui dictus eſt No-
thus,id eſt,ſpurius,annis viginti nouem: deinde Ar-
taxerxes Mnemon,qui & Aſſuerus, & Arphaxat
appellatus eſt, annis quadraginta. Poſtea Artaxer-
xes Ochus, eius ex Eſther Hebræa filius annis vi-
ginti ſeptem: poſt quem Arſanus eius filius annis
quatuor.* Darius *demum tertius Arſani filius, in
quo defecit Perſarum Regnum, annis ſex. Et ſic
ab egreſſu verbi, vt iterum ædificaretur Hieruſalẽ,
huc uſque Perſarum Regum tempora connume-
rando, habentur anni centum viginti ſex minùs
tribus menſibus. Poſt* Darij *verò mortem Alexan-
der Macedo cognomento Magnus, in Regno Græco-
rum ſex regnauit annis, poſt quem Ptolemæus Lagi
filius annis quadraginta.* Deinde *Ptolemæus Phi-
ladelphus annis triginta octo: deinde Ptolemæus
Euergetes primus annis viginti quinque: deinde
Ptolemæus Philopator annis ſexdecim: deinde Pto-
lemæus Epiphanes annis viginti quatuor: deinde
Ptolemæus Philometor annis triginta quinque: de-
inde Ptolemæus Euergetes ſecundus annis viginti
nouem: deinde Ptolemæus Phiſcon annis decem, &
ſeptem: deinde Ptolemæus* Dionyſius *annis tri-
ginta: deniq; Cleopatra, in qua Græcorum Regnum
finem accepit, annis viginti duobus. A morte igitur
Darij tertij hactenus, trecenti colligũtur anni mi-
nùs vno, quibus Græcorum Regnum perduraſſe
conſtat. Octauianus verò Auguſtus poſt mortẽ Cleo-
patræ in Romanorum Regno annis imperauit qua-
draginta tribus, cui Tiberius ſucceſsit, cuius anno de-
cimooctauo paſſus eſt Chriſtus. Ab obitu ergo Cleo-
patræ vſque ad Chriſtũ paſſũ habentur anni ſexa-
ginta vnus: quibus ſi addantur anni, quos Perſarũ,
Græcorúmque Regum tempora ſupputando collegi-*

mus, habebuntur ab egreſſu verbi, vt iterum ædificaretur Ieruſalem, id eſt, à vigeſimo Artaxerxis Longimani anno, vſque ad Chriſtum paſſum, anni quadringenti octoginta ſeptem minùs tribus menſibus, qui ſeptuaginta complent hebdomadas minùs tribus annis, tribúſque menſibus. Siquidem in dimidio vltimæ hebdomadis Meſſias occidendus erat. Ex quibus tandem colligit determinatum Meſſiæ tempus ab Angelo Danieli tetectum in Domino noſtro Ieſu Chriſto præcisè impletum fuiſſe.

SED quoniam hæc tẽporum ſupputatio à nonnullis carpitur, præſertim ob ſupputationis initium, quod plerique non ad Artaxerxem Longimanum, ſed ad quartum annum Sedechiæ referunt, quo tempore Nabuchodonoſor in Chaldæa regnabat, aliam quæ nobis potior viſa fuit, inferiùs explicabimus.

Agg. 2. SVPEREST, vt ex Aggæi vaticinio Ieſum noſtrum verum eſſe Meſſiam euincamus. Vaticinium eſt. *Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum, & terram, & aridam, & mouebo omnes gentes. Et veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum eſt argentum, & meum eſt aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus iſtius nouiſsimæ pluſquam primæ, dicit Dominus exercituum.* Suppoſitis igitur, quæ circa huius vaticinij explicationem in ſuperiori Demonſtratione diximus, quibus Meſſiæ aduentum iam præteriiſſe oſtendimus, duplici hinc argumento Iudæos aggredior.

PRIMVM argumentum ex maxima illa commotione duco, quam futuram Vates prænunciat prioribus illis verbis. *Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes. Et veniet deſideratus cunctis gentibus:* vel vt vertit Pagninus. *Et veniet deſiderium omnium gentium* ובאו חמדת כל הגוים *vbau chemdath col hagoim. Et venient deſiderium omnium gentium.* Quæ poſtrema verba idcirco à vate apponuntur, vt hanc orbis commotionem tempore Meſſiæ futuram inſinuet. Nam tametſi in Hebræo textu habeatur plurale ובאו *vbau. Et venient*, ex quo Iudæi recentiores malè, ac perfidè colligunt, locum hunc minimè ad Meſſiam pertinere: attamen quando vetuſtiores Hebræi illud de Meſſia expoſuerunt, vt habetur in lib. Sanhedrin in cap. Helec, vbi ita legitur. *Sanhedrin.* *R. Akiba exponebat. Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum, & terram, & adducam deſiderium cunctarum gentium: de diebus Meſſiæ, & de Rege Meſſia, & de tempore quod fuit, poſt deſtructionem primæ domus. Alia expoſitio. Adhuc vnũ modicum eſt, modicum ſcilicet venturi regni Iſraël, poſt deſtructionem prioris domus. Et poſt illud regnum, ecce ego commouebo cælum, & terram, & aridam, & omnes gentes, & poſteà veniet Meſſias.* Quod

A teſtimonium citat Petrus Galatinus lib. 4. de Arcan. Cat. ver. cap. 9. *Pet. Galat.* Inde conſtat, verbum plurale pro ſingulari accipiendum eſſe, vt interdum in Scripturis fieri ſolet, veluti Iſa. 28. apud Hebræum textum. *Conculcabuntur corona ſuperbia.* LXX. legunt. *Conculcabitur corona ſuperbiæ.* & alibi paſſim.

CVM itaque maxima hæc totius orbis commotio propter Meſſiæ aduentum fieri debeat, vt ex ipſis verbis Aggæi colligitur: Meſſias verò ante ſecundi templi euerſionem aduenturus ſit (vt ſuprà demonſtratum fuit) ſi vera fateri volunt Hebræi, planè ne-B gare non poſſunt, ante deſtructionem ſecundi Templi, aliam nullam huiuſmodi commotionem in orbe accidiſſe, præter eam, quæ tum in natiuitate, tum in morte, tum etiam poſt mortem Ieſu Chriſti, toti orbi conſpicua fuit. Hæc enim commotio, vel per ſigna, ac miracula fieri debuit, quæ Meſſiæ aduentum comitarentur; vt his homines eum orbi aduenisse agnoſcerent: hanc Iſaias in Meſſię aduentu futuram inſinuat cap. 35. cùm ita ait. *Iſai. 35.* *Deus ipſe veniet, & ſaluabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt: tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lin-*C *gua mutorum.* Plurima namque ſigna Meſſiam comitari deberent, quibus ſe à Deo miſſum eſſe teſtaretur. Nec à nobis diſſentit R. Salomon, *R. Salomon.* qui hanc commotionem ſignorum, ac miraculorum oſtenſione futuram fuiſſe fatetur, tametſi aliò miracula torqueat.

PLVRA huiuſmodi ſigna, ac miracula in Ieſu noſtri aduentu facta eſſe iam priori Demonſtratione declarauimus, quæ tum è cœlo, tum è terra erumpere olim viſa ſunt: quæ verò is præſens virtute, ac potentia ſua præſtitit, dum apud Iudæos verſaretur, nullo numero, aut ratione comprehendi poſſunt, D cùm penè innumera eſſe Euangelicæ hiſtoriæ teſtentur: atque ea Iudæi ipſi inficiari non valeant, cùm Ioſephus Iudæus lib. 18. *Ioſephus Iudæus.* Antiquit. de illo ita ſcribat. *Eodem tempore fuit Ieſus, vir ſapiens, ſi tamen virum eum fas eſt dicere, erat enim mirabilium operum patrator.* At verò portenta, ac prodigia, quæ in ipſius morte viſa ſunt, inſueta Solis eclipſis, non vni tantùm regioni, aut climati, ſed toti orbi communis ingens terręmotus, veli templi diſciſſio, ſepulcrorum apertio, lapidum colliſio, E mortuorum reſurrectio, quæ ipſius obitum comitata ſunt, omnibus notiſſima fuêre. His etiam ea ſigna accedant, quæ in ipſius nomine poſteà in toto orbe patrata ſunt, quis illorum numerum perſtringat? cùm ea paſſim primi illius temporis fideles, qui in Chriſtum credebant, nullo diſcrimine molirentur, iuxta traditam ſibi ab ipſo poteſtatem, quæ habetur Marc. 16. *Marc. 16.* *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: in nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum*

tiſerum quid biberint, non eis nocebit, ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt. Quò fit, vt ſi hanc commotionem miraculis explendam exiſtiment, tanta miraculorum commotio Ieſum noſtrum tum comitata, tum ſequuta fuerit, quòd niſi propriam illi gloriam inuiderent, eundem mox Meſſiam cōclamarent.

ALTERA quoque commotio in Meſſiæ aduentu futura eſt, quæ per orbis, in meliorem ſtatum, ac Religionem, mutationem fiet. Noua enim lex à Meſsia orbi ſtatuenda erat, qua mundus à ſimulacrorum cultu ad veram Dei Religionem, atque à veteris legis vmbris, ac præceptis non bonis, ad veritatis lucem, ac perfecta vitæ mandata commouendus erat, ac reuocandus, iuxta Hieremiæ oraculum; c. 31. [Hierem. 31.] quod explicat his verbis. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouum, non ſecundùm pactum, quod pepigi cum Patribus veſtris in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti, pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus; ſed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael poſt dies illos. Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.*

PORRO quàm grauis in orbe commotio facta fuerit, cùm primum per Apoſtolos, ac cæteros fideles Ieſu Chriſti lex in eo prædicata fuit, quàm repentina orbis mutatio à ſimulachrorum cultu ad vnius veri Dei fidem, ac Religionem viſa fuerit, quàm breui tempore antiqua illa Deorum ſuperſtitio, tot ſæculis in orbe radicata, noua hac lege velut radicitùs auulſa fuerit, quàm citò dæmonum oracula defecerint, idololatria expirauerit, ac demum orbis vniuerſus ad meliorem virtutum frugem conuerſus fuerit, nullo ſanè reſte opus eſt, præterquàm ipſa hiſtoriarum fide, & oculorum aſpectu: vt hoc ſaltem Iudæi argumento conuicti, eum verum eſſe Meſſiam addiſcant, quem tam apertis ac ingentibus cœlorum, terrarum, ac hominum commotionibus velut digito demonſtrari cernunt.

ALTERVM argumentum ex poſterioribus verbis Aggæi deſumitur, cùm ait: *Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ plus quàm primæ, dicit Dominus exercituum.* Ex his quæ in ſuperiori Demonſtratione articulo quinto diximus, Sole clariùs cōſtat, ſecūdi templi gloriam non tam prioris illius à Salomone conſtructi gloriam, aut æquaſſe, aut ſuperâſſe; ſed nec ad eam propè acceſſiſſe: etenim ſiue hanc templi gloriam ad ſtructuræ magnificentiam ac opulentiam, ſiue ad præcipua tēpli ornamenta referant: ſanè poſterius templum priori illo multò ignobilius ac deterius fuit. Nam ſi de ſtructuræ magnificentia, ac opulentia agitur: certum eſt prius templum centum viginti cubitorum altitudinem obtinuiſſe, vt habetur 2. Paralip. 3. [2. Paral. 3.] & ex dolatis lapidibus extructum fuiſſe; nec non omnia auro tecta extitiſſe, cùm poſterius vix ſexaginta cubitorum altitudinem attigerit, atque ex impolitis lapidibus ædificatū fuerit, vt patet 1. Eſdræ c. 6. [1. Eſd. 6.] Denique neque omnia auro tegerentur, neque tot aureorum vaſorum copia, vt prius illud, abundauerit.

SI verò hanc gloriam de præcipuis templi ornamentis interpretantur, haud dubium eſt, quòd præſtantiora ac nobiliora ornamēta, quæ primum templum illuſtrarunt, ſecundo defuerūt. Defuit enim Arca Dei, Propitiatoriū, & Cherubini ſuper Propitiatoriū, defuerūt ſecūdò Vrim, & Thumim, hoc eſt, Rationale iudicij, quod ſummus Pōtifex geſtabat; defuit tertiò gloria Dei, quæ apparebat in oraculo tēpli, defuit quartò ignis ſacer, qui è cœlo deſcendebat, defuit tandē Spiritus propheticus: quandoquidē à Malachia, qui cum Aggæo, & Zacharia circa tēpus ædificationis ſecūdi tēpli prophetauit, nulli deinceps Prophetæ extitēre; quæ omnia confirmantur in Thalmud in lib. Sanhedrin Ieroſolymitano in cap. Ellu hen haggolin, & ex Gloſſa R. Salomonis, & ex lib. Yoma, & ex Midras Sir Haſſirim. [Thalmud. lib. Sanhedrin. Gloſſ. R. Salom. lib. Yoma. Midr. Sir. Haſſirim.] Deniq; id ſufficere deberet, quod in lib 1. Eſd. c. 3. [1. Eſd. 3.] legitur his verbis. *Plurimi etiā de Sacerdotibus, & Leuitis, qui viderāt templū prius, cùm fundatum eſſet, & hoc templū in oculis eorum, flebant voce magna.* Id verò non aliunde accidit, quàm quòd recens templum longè à primo gloria ac nobilitate diſtare cernerent: vt aliàs fuſiùs declarauimus.

QVOD cùm ita ſit, ſi Prophetæ verba vera eſſe volumus, planè opus eſt, vt ampliorē hanc gloriam, qua poſterius tēplum præ illo priori illuſtrius futurum erat, ad Meſſiæ præſentiam referamus, qua primum illud templum minimè illuſtratum fuit. Id verò apertè confirmat Malachias c. 3. [Malachias.] cùm ita de huius templi gloria vaticinatur. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meā. Et ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis.* Quæ verba de Meſſia intelligenda eſſe, aliàs, ex vocibus dominatoris, ac Angeli teſtamenti, quibus Meſſias inſinuatur, non obſcurè demonſtrauimus.

HINC Ieſum noſtrum verum eſſe Meſſiam euincimus. Nam cùm Meſſias ſua præſentia ſecundum templum illuſtraturus eſſet, & iam templum illud deuaſtatum ſit, nec vllus præter Ieſum noſtrum in templo illo apparuerit, qui Meſſiæ nomen, ac dignitatem apud homines aſſequutus fuerit, quem etiam maxima illa orbis commotio à Vate prædicta comitata fuit: equidem niſi perfidia potiùs, quàm ratione vti velint, id nobiſcum Iudæi fateri debent, non alium, quàm hunc ipſum in orbe Meſſiam expectandum eſſe.

Idem demonſtratur ex duodecim ſignis Meſſiæ à Scriptura deſumptis.

Articvlvs II.

IN huius ſymboli Demonſtratione ea nobis ratio ineunda eſt, quam ipſa naturæ lex, ac ordo præſcribit: ita enim faciliùs proteruorum calumnias effugere valebimus, quò ampliori naturæ luce veritas circunſepta, illuſtriorem ſeipſam exeret.

B Qvemadmodvm igitur cùm inſignis alicuius viri agnoſcendi ſtudio tenemur, ea nobis à natura ratio innata eſt, vt de illius ſtatura, oculis, effigie, & totius corporis ſtatu ſollicitè percontemur; & nonnunquam depictam illius imaginem ante oculos verſemus, vt ſi aliquando ei nos occurrere contingat, illum ex inſculptis animo ſignis agnoſcamus. Hoc ſanè Iudæis præſtare neceſſe eſt, ac naturam ducem ſequi, ſi celebratiſſimum Meſſiam tandem agnoſcere, atque eo frui velint. Nam cùm ij ardentiori ſtudio, quàm credibile ſit, ad eum agnoſcen-
C dum ferantur, iis opus eſt ſigna inueſtigare, quibus ille certò agnoſci poſſit, quæ vberrimè illis è Scripturis ſuppeditantur, vt ex iis quaſi collectam, ac depictam illius effigiem animo gerant. Ita planè fiet, vt non aliam quàm Ieſu Chriſti noſtri expreſſam imaginem vndique ex Scripturarum teſtimoniis depictam colligant; & ex ea tandem promiſſum, ac celeberrimum Meſſiam eum eſſe agnoſcant.

D Porrò tam exactè Scriptura expectatiſsimi Meſsiæ ſigna deſcribit, vt nihil quod ad Meſsiæ conceptum, ortum, parentes, ac genealogiam pertineat, omittat; nulla Meſsiæ actio, nulla virtus, nullum ferè verbum ſua linea, ac ſigno in Scriptura careat. Ex quo ſanè optimum Dei conſilium colligere licet, quo Meſsiæ perſonam idcirco tot illuſtriſsimis notis velut circunſeptam communire voluit, vt nemo falsò ſibi Meſsiæ perſonam vſurpare poſſet. Nã cùm impoſsibile ſit veri Meſsię ſigna omnia ſimul in alio homine conſpirare: planè cùm ea omnia in vno ad
E amuſsim collecta eſſe viderint, cunctáque, quæ tum in lege, tum in Prophetis de Meſsia prænunciata ſunt, in eum confluere: is profectò abſque diuini nominis iniuria, ac animi infidelitate, Meſsias negari non poteſt, cùm Dei teſtimonio probatus Meſsiam palàm ſe eſſe teſtetur.

Postqvam igitur vniuerſa veri Meſsiæ ſymbola, quæ nobis abundè Scripturæ ſuppeditãt, in vno Ieſu Chriſto congeſta explicauerimus, iis etiam abundè demonſtratum erit, illum verum eſſe Meſsiam, à lege, & Prophetis olim prædicatum, quorum te-
A ſtimonia nullo diſcrepante, is ex ſe illuſtriſsima exhibet: quò fit, vt grauiſsimo infidelitatis crimine eos alligari oporteat, qui illum deinceps Meſsiam eſſe non credunt.

Cæterum huiuſmodi ſigna viginti quatuor potiſsima enumerantur, quæ in duas claſſes diſtinguimus. Quædam enim ad illius genealogiam, vitam, ac mores pertinent; alia circa paſsionem, ac mortem verſantur, de quibus diſtinctè agendum erit.

Primum ſignum, Meſsiæ ſtirps.

Messiam ex Abrahæ ſtirpe Iudæis ſuſcitandum apertiſſimè Scripturarum oracula declarant: nam Geneſ. 17. Deus [Gen. 17.]
Abrahæ Meſſiam ex illius ſemine naſciturum eſſe pollicetur, cùm ait. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Quod etiam confirmatur ex 24. cap. Num. vbi Balaam diuino ſpiritu afflatus de Meſsia vaticinans, ait. *Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga ex Iſraël,* [Num. 24.]
C *& percutiet Duces Moab, vaſtabítque omnes filios Seth.* Quæ verba de Meſsia intelligenda eſſe teſtatur R. Ankelos, qui ea ita Chaldaicè [R. Ankelos.]
tranſtulit. *Surrexit Rex de domo Iacob, & nutriet ſe, & magnificabitur Meſsias ex Iſrael.* Quod etiam confirmant commentaria R. Moyſis Hadarſan in lib. Geneſ. in explicatione verborum cap. 49. [R. Moyses Hadarſan.]
Non recedet ſceptrum de Iuda, &c. vbi ſic habetur. *Hoc eſt, quod ait Balaam; egreſſa eſt ſtella ex Iacob, & reliqua. Et quando complebitur Prophetia hæc? cùm veniet Silo, id eſt, Meſsias.*

D Porrò cùm in Abrahæ ſtirpe duodecim tribus enumerentur, quæ ex totidem Iacob Patriarchæ filiis exortæ ſunt, ex ſola tribu illuſtriſsima Iudæ Meſsiam carnis originem ducturum eſſe, manifeſtè oſtendit eiuſdem Patriarchæ de Iuda vaticinium, quod habetur Geneſ. 49. Is enim cùm mor- [Geneſ. 49.]
ti proximus filios ſuos benedicturus ad ſe vocaſſet, vbi ad Iudam ventum eſt; mirè exhilaratus in hæc verba prorupit, יהודה
אתה יודוך אחיך ידך בערף איביך ישתחוו לך בני
אביך: גור אריה יהודה מטרף בני עלית כרע רבץ
E &c. כאריה וכלביא מי יקימנו *Iehuda atta todhucha ahhecha iadecha begnhoreph oiuecha iſctahhauu lecha beni auicha: gur arieh Iehuda mittereph beni ghalitha baragh rauats keariech veblaui mi iekimmennu. Iuda te laudabunt fratres tui, manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi aſcendiſti, requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum? Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de fæmore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.*

Hæc de Iuda prædixit Iacob, eò quòd diuino

diuino ſpiritu afflatus Meſſiam ex Iudæ ſtir- A pe oriundum prænoſceret. Atque hinc factum eſt, vt tribus hæc cæteris præſtantior deinceps haberetur, atque ei primæ deferrentur. Nam cùm Iſraëlitæ ab Ægypto recedentes ſub quatuor vexillis in Palæſtinam proficiſcerentur, primum vexillum ad Orientalem plagam ferebat tribus Iudæ, vt legitur

Num. 10. Num. 10. cùm dona tribuum Principes ad altaris dedicationem offerrent, vt traditur

Num. 7. Numer. 7. Naaſon Princeps tribus Iuda prima die obtulit. Præterea cùm poſt obitum Ioſue populus Dominum conſuluiſſet de duce creando, Dominus reſpondit יהודה יעלה B הנה נתתי את הארץ בידו *iehuda iaghale hinne nathatti eth haarets veiado. Iudas aſcendet, ecce tradidi terram in manu eius*, vt habetur Iudic.

Iudic. 1. 1. Iterum cùm ad bellum gerendum aduerſùs tribum Benjamin Imperatorem à Domino cæteræ tribus poſtulaſſent, vt legitur Iu-

Iudic. 20. dic. 20. annuit Dominus: *Iudas ſit dux veſter.* Denique hæc ſola tribus regia vocata fuit, atque ad Hebræorum regnum euecta ob id præſertim, quòd Meſſiæ ortui ſelecta fuerit, cui totius orbis principatus deſtinatus erat. Quapropter nunquam à Iuda regni ſceptrum auellendum eſſe Iacob ait, donec ex eo orietur Meſſias, qui ſublatum è Iuda regni ius in ſe transferret.

Porro de hoc primo ſigno nulla (vt arbitror) nobis cum Iudæis eſt diſceptatio. Ipſa enim genealogię Ieſu noſtri ſeries à Matthæo cap. 1. deſcripta apertè teſtatur, eum de tribu Iuda fuiſſe oriūdum. Nam de Iacob Vaticinio aliàs diſſeruimus: quamobrem ad ſecundum ſignum accedimus.

Secundum ſignum, Meſſiæ familia.

Ex familia Dauid Meſſiam propagandum eſſe ſecundùm carnem, omnibus notum eſt; cùm enim plurimæ in tribu Iudæ cognationes diſtinguerentur, ſola familia Dauid Meſſiæ promiſſionem à Deo accepit:

Iſa. 11. quod apertè docet Iſa. cap. 11. his verbis. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* vbi apud Hebræos pro *virga* legitur חטר *hhoter*, quam vocem Hebræi interpretantur *virgam*, pro radice גזע *gezaang*, quæ dictio ſignificat *radicem*. Hebræi tamen interpretantur *ſemen*, quapropter Pagninus vertit, *de ſemine*. Eſt & alia dictio in Hebræo textu ישי *Iſai*, cuius loco nos legimus, *Ieſſe*, ita enim legitur in Hebræo textu ויצא חטר מגזע ישי *veiatſah hhoter miggezaangh Iſai. Et egredietur virga de radice, vel ſtirpe Iſai.* Quam

Targ. Chald. lectionem quoque ſequitur Targum Chaldaicum, quod locum iſtum ita tranſtulit. *Egredietur Rex de filiis Iſai, & Chriſtus de filiis filiorum eius creſcet.*

At quî factum ſit, vt alij Ieſſe, alij Iſai legerent, ſanè non alia ratio fuit, quàm quòd Iſai Dauid pater duplici nomine vocabatur, Ieſſe, & Iſai: idcirco ad eundem inſinuandum Scripturæ nunc *Ieſſe*, nunc *Iſai* vocabulo vtuntur: atque id mihi perſuadet, quòd cùm in primo ſecūdi Regum frequentiſſimè Dauid filius Iſai nuncupetur, eundem tamen Eccleſiaſticus cap. 45. Ieſſe filium ap- Eccleſiaſt. 45. pellat. *Et teſtamentum* (inquit) *Dauid Regi filio Ieſſe de tribu Iuda.* Eadem & Iſai hoc loco, & alibi Ieſſe appellatione commemorat. Atqui vel Ieſſe, vel Iſai legatur, id certum eſt ex communi Hebręorum ſententia locum hunc de Meſſia explicari, quem omnes filium Dauid nuncupant, atque ex illius familia naſciturum affirmant.

Qvod etiam confirmat Hieremias c. 23. Hierem. 23. illis verbis. *Ecce dies veniunt, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra.* Qui locus à Iudæis de Meſſia explicatur, vt patet ex translatione Chaldaica, quæ, vbi nos habe- Paraphraſt. Chald. mus. *Et ſuſcitabo Dauid germen iuſtum*, ita exponit: *Et ſtatuam* Dauidi *Meſſiam iuſtum*; vt C aliàs demonſtratum fruit.

Hoc ipſum quoque teſtatur Dauid Pſ. 88. Pſalm. 88. נשבעתי לדוד עבדי: עד עולם אכין זרעך ושמתי לעד זרעו וכסאו כימי שמים *niſchanghti ledauid ghaudi ghad gholam achin zarghecha veſamti laghad zargho vechiſſo kime ſciamaijm. Iuraui* (ait Dominus) *Dauid ſeruo meo, vſque in æternum præparabo ſemen tuum; & ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius, & thronum eius ſicut dies cœli.* Quibus verbis Deus pollicetur Dauid, promiſſione iureiurando firmata, ſe ex illius ſemine Meſſiam excitaturum, cuius Imperium ſine fide manere debeat.

D Neqve ab hoc ſigno ipſi Iudæi diſcrepant, cùm ex Ieſu noſtri genealogia, quam tum Matthæus, tum Lucas contexuerunt, Sole clariùs conſtet, eum ex familia Dauidica ortum fuiſſe, quod ipſi quoque Hebræorum populi olim publicè profeſſi ſunt; cùm illi obuiam cum palmarum ramis procederent, ac fauſta illi acclamarent illis verbis. *Oſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini*: vt habetur apud Matthæum c. 21.

Tertium ſignum, locus Natiuitatis Meſſiæ.

E Bethlehem futurū eſſe Meſſiæ Natiuitatis locum clariſſimè explicat Micheas cap. 5. illis verbis ואתה בית לחם Mich. c. 5. אפרתה צעיר להיות באלפי יהודה ממך לי יצא להיות מושל בישראל *veatta bethlehhem Ephratha tſaghir lihioth bealphe iehuda mimmecha li ietſe lihioth moſcel beiſraël. Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur qui ſit dominator in Iſraël.* Hoc teſti-

 monium

monium citra controuerſiam Iudæi de Meſſia dicta excipiunt. Quapropter Chaldæus Paraphraſtes illud ita explicat. *Ex te egredietur Meſſias.* Et ipſe quoque R. Salomon in hæc verba, Ex te mihi egredietur, &c. affirmat hunc eſſe Regem Meſſiach.

Hoc quoque confirmaſſe videtur Vates Habacuch cap. 3. cùm ait. אלוה מתימן יבוא וקדוש מהר פארן *eloah mitteman iaue vekadoſe mehar pharan. Deus ab Auſtro veniet, & ſanctus de monte Pharan.* Bethlehem ſiquidem, ſi cum Hieruſalem comparetur, vergit ad Auſtralẽ plagam: quamobrem nomine Auſtri Bethlehem intelligit. Ac ne id à nobis confictum eſſe videatur: teſtatur Hieronymus hîc Hebræum quendam ita exponentem audiuiſſe, cuius verba ſunt. *Audiui* (inquit) *ego quendam Hebræum iſtum locum ita diſſerere; quòd Bethlehẽ ſit ad Auſtrum, in qua natus eſt Saluator, & ipſum eſſe de quo dicatur; Deus ab Auſtro veniet, hoc eſt, naſcetur in Bethlehem.*

Bereſcith Rabba.

His accedat & traditio quædam, quæ habetur in Thalmud, in lib. Bereſcith Rabba, id eſt, in expoſitinne magna Geneſeos, vbi legitur Iudæum quendam in agro laborantem extitiſſe, cuius bos præter morem mugitum extulit; quem cùm pertranſiens quidam Arabs audiſſet, Iudæo inquit, *Iudæe fili ſolue boues tuos, & vaſa tua ne cures, quoniam templum veſtrum, ac ſanctuarium corruit, quo dicto alterum bos mugitum edidit. Tunc Arabs, Iudæe fili rurſus ait; liga boues tuos, & apparatum eorũ, & præpara teipſum, quia natus eſt Rex Meſſias. Hæc Iudæus admiratus. Meſſias* (*inquit*) *natus eſt, & quod nomen eius? Reſpondit Arabs: Menahen, id eſt, conſolator. Dixit quoque Iudæus, & in quo loco? reſpondit Arabs. In Bethlehem Iuda.* Hæc traditio.

Iam verò nulli dubium eſſe poteſt, qui Ieſu noſtri ortum à Scriptoribus exaratum didicerit, quin is in Bethlehem natus fuerit: huius enim rei teſtis eſt Herodis Antipatri crudelitas, qui illum in Bethlehem natum, ac Iudæorum futurum Regem eſſe audiens, cũ regnum ſibi eripi pertimeſceret, ac puerum nullo ſigno agnoſcere poſſet, vniuerſos Bethlehemiticos infantes, quos duorũ annorum, ac minores deperit, interficiendos curauit: vt eum iis ſimul Ieſum vnum obtruncaret. Atque huius infantium cædis ab Herode patratæ in Bethlehem meminit Ethnicus auctor Macrobius lib. 2. Saturnal cap. 4. his verbis. *Cùm audiſſet* (inquit) *inter eos, quos in Syria Herodes Rex Iudæorum intra bimatum iuſſit interfici, filium quoque eius occiſum, ait, melius eſſe Herodis porcum eſſe, quàm filium.*

Neqve Hebræos mouere debet, quòd Ieſus noſter Nazarenus appellatus ſit: hic enim nodus facilè ſoluitur, ſi ſacras literas, ac hiſtorias perlegant: nam illum quidem poſt natiuitatem Nazareth oppidum cum parentibus incoluiſſe reperient, quo factum eſt, vt Nazarenus diceretur: eum tamen in Bethlehẽ, cùm in itinere eſſet, genitum fuiſſe, nec diutiùs, quàm lex Circuncisionis permitteret, ibi commoratum fuiſſe omnes teſtantur: quapropter mirũ haud videri debet, quòd nõ Bethlehemites, ſed Nazarenus appellatus ſit, cùm vltra octauũ natiuitatis diem in Bethlehẽ moratus non fuerit, Nazareth verò toto reliquo tempore incoluerit.

Quartum ſignum, Meſſiæ progenitores.

Illvstrissimvm extat apud Iſaiam teſtimonium cap. 7. Meſſiam ex Virgine naſciturum. *Ecce* (ait) *Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* De quo teſtimonio plura diximus in prima Demonſtratione, vbi copioſè de dictione *Haalma*, quod Virginem viro incognitam ſignificat, aduersùs recentiores noſtri temporis Iudæos diſſeruimus, eorúmque calumniam repulimus, qui hoc Eccleſiæ vaticinium ad Ezechiam rapere conantur. Iſa. 7.

Cætervm idem Iſaias hoc ipſum inſinuat cap. 45. cùm ait. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* In quo teſtimonio, quod de Meſſia explicandum eſſe aliàs demonſtrauimus, duo potiſſimùm notanda ſunt. Primum, nominibus iuſti, & Saluatoris, non plures, ſed vnam, ac eandem prorſus Meſſiæ perſonam ſignificari. Alterum verò, Meſſiam hunc partim è nubibus effundendum, partim è terra germinandum eſſe, quod tametſi ad duplicem illius naturam, diuinam, humanámque declarandam referri poſſit, tamen haud incommodè ad mirabilem illius ortum ex Virgine explicandum dictum eſſe interpretari poſſumus: nam cùm primùm è cœlis, ac nubibus ſtillandus eſſe dicitur, eo perſpicuè annuitur, Meſſiam non ex viri vllius opera, ſed diuina, ac cœleſti prorſus Spiritus ſancti virtute concipiendum eſſe. Cùm verò deinceps è terra germinandum eſſe ait; hac terræ germinatione puriſſimus Virginis partus declaratur, à qua Meſſias carnis originem tantùm ſumere deberet. Quod magis confirmat Hebræa lectio, quæ habet תפתח ארץ *tippetach heerets. Aperiat ſe terra*; vt Virginem ſolam ſeipſa abſque viri ſemine ſola Dei virtute fœcundam, Meſſiam generaſſe demonſtret.

Id etiam non obſcurè inſinuat verbum פתח *petach*, quod aperire ſignificat, in modũ arboris germinantis florem, quo ſanè nihil aut pulchrius, aut elegantius dici potuit ad Virgineum Mariæ ſanctiſſimæ partum declarandum. Sicut enim flos non ex ſemine, vt arbor ipſa, ſed ex arboris ſurculo cœlorum tantùm virtute, roréque è nubibus ſtillante óritur. Ita ſanè Meſſias, ceu flos candidiſſimus

mus ex virgine, non ex viri ſemine, ſed diuina tantùm virtute grauida erumpere debuit, vt alibi idem Iſaias videtur innuaſſe, cùm ait. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* vbi Virginem virgam, partum verò illius florem indicat.

Iſa. 62. Illvstre quoque eſt illud apud eundem Iſaiam teſtimonium cap. 62. quo Meſſiæ partum deſcribit. *Propter Sion* (inquit) *non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam, donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius, & Saluator eius, vt lampas accendatur.* Nam cùm Meſſiæ ortum ſplendori, qui ex Sole oritur, ac lampadi, quæ ex igne accenditur, comparat, eo profectò Meſſiam non communi, ac vulgari generationis modo concipiendum, ſed nouo quodam, ac inſolito, Virginis ſcilicet puriſſimo, ac pudiciſſimo partu generandum declarat. Nam quemadmodum Sol idem manẽs nõ minuitur radiis ab ipſo effuſis: ita Deipara Virgo cùm Meſſiam filium edidit, nullam omnino paſſa eſt ſuæ integritatis, ac virginitatis iacturam, ita vt Meſſiæ ortus ex Virgine, nihil aliud fuiſſe videatur, quàm quædam clariſſima ex nitido, atque incorrupto Sole ſplendoris emanatio, ac puriſsima lampadis accenſio.

Ierem. 31. Hvc ſpectat quod Ieremi. cap. 31. Meſſiæ conceptum admirans, ait, כי ברא יהוה חדשה בארץ נקבה תסובב גבר *ki vara Iehoua hhadaſſa baarets nekeuah teſobeu gaber. Creauit Dominus nouum ſuper terram. Fœmina circundabit virum.* His etenim verbis virgineum Mariæ conceptum explicare voluit, quæ fœtum non à viri congreſſu, quo illius virginitas violari poſſet, ſed intra ſe Spiritus ſancti virtute cœlitùs datum, vndique vero complexa eſt, ac inſtar circuli vndiquaque perfecti, ac integri, clauſa, ac integra circundedit. Ita locum hunc intellexit Hieronymus noſter in Comment. ſuper Ierem. *Audi* (inquit) *quod nunquam ante cognoueris. Nouam rem creauit Dominus ſuper terram. Abſque vllo ſemine, abſque vllo coitu, atque conceptu fœmina circundabit virum gremio vteri ſui.*

Hieronym.

At neque ab his diſſentiunt veteres Hebræi. Nam R. Moyſes Hadarſan in annotationibus explicans illud Pſalmi 84. *Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cœlo proſpexit*, ita ſcribit. *Dixit R. Ioden. Hæc eſt ſalus noſtra, quæ de terra orietur mediante Deo, eruntque coniuncta ambæ ſimul. Et cur dixit. Germinabit, ſiue pullulabit, & non dixit, naſcetur? Quia nimirum generatio, ſeu natiuitas eius non erit ſimilis generationi, ſeu natiuitati creaturarum, quæ ſunt in mundo, immò diuerſa, & diſtans abſque ſocio & coniunctione. Et hic erit Saluator noſter, & iuſtus noſter, quem mittet Deus.*

R. Moyſes Hadarſan.

R. Barrach. Præterea R. Barrachias apud eundem Moyſem Hadarſan in Commentariis in lib. Geneſeos. *Dixit* (inquit) *R. Barrachias, quòd Deus ſanctus, & benedictus ait Iſraëli. Vos dixiſtis coram me. Pupilli facti ſumus abſque patre. Redemptor quoque, quem conſtituam, ex vobis abſque patre erit; ſicut dictum eſt Zachar. 6.* הנה איש צמח שמו ומתחתיו יצמח *henne iſ tſemahh ſcemo vmittahh tau yiſmahh. Ecce vir, germen nomẽ eius, & de ſubter ſe germinabit. Et ſic etiam ipſe ait Iſaias c. 53.* ויעל כיונק לפניו וכשרש מארץ ציה *vaiaghal katonek lephanau vechaſſoreſc meerets tſia. Et aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix ex terra ſicca. De ipſo quoque Dauid inquit Pſ. 2. De matrice auroræ tibi ros natiuitatis tuæ: & ſuper ipſum etiã ſcriptũ eſt Pſ. 2.* אני היום ילדתיך *ani haiõ telidticha. Ego hodie genui te.* Hæc R. Moyſes; cuius teſtimonia ex Scripturis citata haud aſpernanda ſupr, cùm optimè ad hanc rem faciant.

Porrò hoc ſignum in Ieſu noſtro mirificè impletum fuiſſe apud Catholicos quidem certum eſt, qui ſacras Euangelij hiſtorias recipiunt, ac pleraque à Deo patrata miracula in huius dogmatis confirmationem authenticè deſcripta habent. Norunt enim, ac conſtantiſsimè confitẽtur Ieſum Chriſtum ex Maria Virgine genitum eſſe. Teſtem habent Matthæum c. 1. Lucam cap. primo. Symbolum Apoſtolorum, aliud Nicenum, aliud Conſtantinopolitanum.

Ivdæis verò qui Euangelicam hiſtoricam ſuſpectam habent, vel vnus ſaltem ſufficere deberet R. Haccados omni exceptione maior, qui in libro, qui inſcribitur, Reuelator ſecretorum; poſtquam Meſsiæ matrẽ Virginem futuram eſſe affirmauit, eam Mariam appellandam eſſe dicit: quod Matris Ieſu noſtri nomen fuiſſe nemo ignorat. Quæ omnia Caballiſticè colligit ex cap. 9. Iſaiæ, à dictione למרבה *lemarbe*: cuius verba referente Petro Galatino lib. 7. Arcan. Cathol. Pet. Galat. veritatis cap. 13. hîc lubet intexere, ne fabulas Iudæis venditarẽ videamur.

Hic igitur R. Haccados in libro Galerazeia in tertia petitione ad Antoninum Cõſulem ita ſcribit. *Quòd autem interrogaſti, quo nomine Propheteſſa vocetur: Maria eſt nomen eius, ideóque Iſaias cecinit cap. 9. dicens. Quia infans natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis; & infrà, ad multiplicandum imperium; quæ verba ſignificant Meſſiam à Deo generandum eſſe, qui multiplicabit imperium, qui eſt Dominus totius orbis, naſcetúrque ex Maria domina. Et hoc eſt quod dicit* למרבה המשרה *lemarbe hamiſra, id eſt, ad multiplicandum imperium. Ab his enim dictionibus oritur Miriam Sara, id eſt, Maria domina: hoc modo. Si accipies* ל *lamed,* ם *mem, &* ר *reſch, conſtituent primam particulam lemarbe, hoc eſt,* למר *lemar. Si autem acceperis* ה *He ex lemarbe, &* ה *huius dictionis* המשרה *hamiſrah, quarum ſingularum numerus eſt quinque, & ambæ decem conficiunt, ſignificat* י *Iod huius dictionis* מרים *Miriam, id eſt, Maria. Addito autem* ם *mem*

mem huius dictionis Hamiſra, ecce tibi מרים *mi-riam, id eſt, Maria. Ex dictione autē Hamiſra reſtat Sara, id eſt, Domina, quæ tribus literis ſcribitur* שרה*. Ecce tibi ex lemarbe, Hamiſra, quod idem, quod ad multiplicandum Imperium, ſiue principatum* שרה למרים *lemiriam Sara, id eſt, Mariæ Dominæ: vt nobis innoteſcat, hanc Mariam eſſe Dominam, & ſuperiorem vniuerſi, ac cælorum Reginam: dixit ei Antoninus. Quare igitur diuiſa eſt iod in duo* ה*: & cur interpoſita eſt* ב *in medio dictionis Miriam, id eſt, Maria: quidve ſignificat* ם *mem clauſa huius dictionis (lemarbe) quæ iure optimo aperta eſſe debebat: quandoquidem in media dictionis conſtituitur? Reſpondit. Diuiſa eſt* י *iod in duo* ה *he, vt nobis ſecreta admirabilia panderet. Quemadmodum enim* ה *he ex* ד *daleth, &* ו *vau componitur in hac figura* ה*, ita Rex Meſſias compo- ex diuinitate, & humanitate, & ſicuti hæc duo* הה *he ſunt duo* דד *daleth, ex quibus procedunt duo* וו *vau tanquam duo filij, qui ab ipſis oriuntur hoc modo* הה*. Ita in ſubſtantia Regis Meſſiæ inueniūtur duæ filiationes, quarum vna eſt diuinitatis, quæ Dei Filius eſt: altera humanitatis, quæ erit filius huius Prophetiſſæ. Et ſicut harum literarum* ד *daleth, &* ו *vau, quæ conficiunt* ה *he, vnaquæque eſt ab inuicem diſtincta; quanquam ſit vna litera: ſic enim ſcribitur* ה*, ita in Meſſia ſubſtantia diuinitatis, & ſubſtantia humanitatis, quæ ſimul vnitæ ſunt, ſunt vnus Meſſias. Quòd autem* ב *beth huius dictionis lemarbe poſitum ſit in medio nominis Miriam, id eſt, Maria, oſtendit huius Prophetiſſæ mentem, & cogitationem omnem eſſe, vt ſuam virginitatem conſeruet: erit enim Virgo mente, & actu; quoniam per* ב *beth Bethula ſignificatur.*

ADDIT præterea R. Haccanas filius Nehumiæ, hanc Mariam Virginem Meſſiæ matrem à Ioachin Eli progignendam, ex progenie Zorobabel de tribu Iuda futuram, ex qua Meſſias prodire deberet.

NEQVE ſilentio prætereundum eſt, quod ait Suidas in dictione Ἰησοῦς, vbi cuiuſdam Theodoſij Iudæi orationem refert, his verbis. *In templo Ieroſolymitano viginti duo erant Sacerdotes, & eorum aliquo decedente, cæteri in illius locum alium ſufficiebant. Contigit igitur vt Ieſus ob ſingularem illius pietatem, ac doctrinam ab iis eligeretur, & vt ſecundum morem patris, ac matris illius nomen in regiſtris conſcriberent, illos accerſerunt. Maria autem ſola duntaxat venit, cùm Ioſeph iam defunctus eſſet: cùm ergo Maria de Patris Ieſu nomine interrogaretur, depoſuit illa ex Spiritu ſancto ſe illum concepiſſe, & verba Angeli retulit. Mulieres etiam, quæ ex improuiſo ſuo partui adfuerāt, proprio nomine nuncupauit. Cuius rei cùm diligens conquiſitio ab eis facta eſſet, compertúmque verum eſſe, nomen illius inter Sacerdotes conſcriptū fuit, his verbis: Ieſus filius Dei viui, & Virginis Mariæ; fuit autem (aiebat Theadoſius ille) hoc volumen ab incendio templi ereptum, & in Tyberiadem tranſlatum, vbi occultiſſimè aſſeruatur. Et ipſemet vidi cùm inter præcipuos Iudæorum haberer, cui ob dignitatem, quam inter eos aſſequutus ſum, nihil propemodum abſconditur.* Hæc Suidas.

POSTREMÒ ipſæ Sibyllæ, quæ Ieſu noſtri natiuitatem multis ſęculis antecesſerunt, hoc ipſum oraculis ſuis declararunt: nam Sibylla Perſica, quæ ante Alexandrum Macedonem, cuius futura geſta prædixit, vaticinata fuit, ita de Ieſu noſtri ortu cecinit.

Virgine matre ſatus, pullo reſidebit aſello
Iocundus Princeps,&c. ——
Ille Deus caſta naſcetur Virgine magnus.

HAC prior Sibylla Delphica, vtpote quæ tempore Booz apud Hebræos, ac Lapitharū, & Centaurorum belli tempeſtate in Theſſalia Hierophile floruit, ita de Chriſto noſtro vaticinata eſt.

Huius pertentant ter gaudia magna Prophetæ
Eximij, qui virginea conceptus ab alua
Prodibit ſine contactu maris, omnia vincit
Hoc naturæ opera: at faciet, qui cuncta gubernat.

SIBYLLA quoque Samia, quæ inſignis fuit Numæ temporibus hoc carmine Ieſu noſtri ortum ex Virgine prædixit.

Ecce dies nigras quæ tollit læta tenebras
Mox veniet, ſoluens nodoſa volumina Vatum,
Gentis Iudææ referet vt carmina plebi;
Nunc poterunt clarum viuorum tangere Regem,
Humano quem Virgo ſinu inuiolata fouebit.
Annuit hoc cælum, rutilantia ſydera monſtrant.

DEMVM Sibylla Erithræa, quæ ante bellum Troianum vixit, omnibus antiquior, his verſibus Chriſti noſtri natiuitatem ex Virgine futuram proſequuta eſt.

Et breuis egreſſus Mariæ de Virginis aluo
Exorta eſt noua lux,&c. ——
Nuncius hinc tali affatur ſermone puellam,
Accipe Virgo Deum gremio intemerata pudico.

Ex quo ſigno Iudæis perſpicuum eſſe poteſt, Ieſum noſtrum verum eſſe Meſſiam, cùm eidem Meſſiæ progenitores, ac mirabilis ortus teſtimonium ferant.

Quintum ſignum, tempus Natiuitatis Meſſiæ.

DIXIMVS in præcedenti Demonſtratione Meſſiam ante ſecundi templi deſtructionem à Deo excitandum fuiſſe, atque id tum ex Aggæi, tum ex Malachiæ Vaticiniis, qui Meſſiam ad ſecundum templum venturum, illúdque ſua præſentia, ac miraculis illuſtraturum declarant, confirmauimus. Tandem apertiſſimè ex Septuaginta Danielis hebdomadibus, quæ ex ipſorum Iudæorum ſententia vix ſecundam templi euerſionem attingunt, atque iis totum Meſſiæ vitæ ſpatium includitur; Meſſiam ſtante adhuc ſecundo templo naſciturum eſſe demonſtrauimus: quod ſanè certo certius eſſe debet, cùm tot Prophetarum oracula in

eo

eo conſpirent: atque ipſi Hebræi (ſi tamen rectè iudicare velint) ab eo diſſentire nullo modo poſſint.

Qvæ cùm ita ſint; Ieſum Chriſtum ipſum eſſe Meſſiam facilè demonſtrari poteſt, cùm in eum hoc Meſſiæ ſignum optimè quadret: neque in hoc demonſtrando nobis elaborandum eſt, quandoquidem omnes tam ſacri, quàm profani ſcriptores id copioſiſsimè affirmant. Neque Iudæis ignotum eſt, eum ſub Auguſto Cæſare, quo tempore ex illius Edicto totus orbis deſcribebatur, natum fuiſſe, & poſt exactum triginta trium annorum, & aliquot menſium vitæ ſpatium, tandem ſub Tiberio paſſum fuiſſe, quo tempore Pontificatum inter Hebræos gerebat Caiphas, & pro Romano Imperatore Pontius Pilatus in Iudæa præſidebat, à quo ipſe Ieſus condemnatus fuit, ac Crucis ſupplicio Iudæis petentibus addictus. At templum Hieroſolymitanum exuſtum fuiſſe ſub Tito, ac Veſpaſiano poſt ſecundum obſidionis annum, & octo menſes, teſtis eſt Ioſephus de bello Iudaico lib. 7. cap. 17. & Tacitus lib. 2. cùm à 18. Tiberij anno, in quo Ieſus noſter paſſus eſt; vſque ad Titi, ac Veſpaſiani Imperium anni circiter 40. elapſi eſſent.

Ioſephus Iudæus. Corn. Tacitus.

Præterea ſi Danielis Hebdomadas ritè examinare volunt, inuenient profectò à quarto Sedechiæ anno, quo tempore (vt ſuprà oſtendimus) Dei ſermo de ædificando ſecundo templo ab Iſaiæ ore egreſſus eſt, vſque ad 41. Imperij Auguſti Cæſaris annum, in quo noſter Ieſus mortalem inter homines vitam colere cœpit, annos præcisè 490. qui 70. illis Danielis hebdomadibus continentur, elapſos fuiſſe; tametſi alij diuerſa ſentiant, qui incertam annorum ſupputationem à profanis ſcriptoribus decerptam ſequuntur; qua rem ſemper obſcuriorem, ac inuolutiorem reddunt. Quapropter hac annorum ſupputatione, quam à ſacris literis hauſimus, vtendū cenſeo: vt primùm ſeptuaginta anni vſque ad ſecundi templi extructionem enumerentur, quæ ſub Darij Nothi anno ſecundo cœpta eſt. Porrò à ſecundo anno Darij Nothi, vt adnotat Scaliger de emendatione temporum lib. 6. in Epilogiſmo Hebdomadum Danielis vſque ad excidium Hieroſolymorum anni 493. abſoluti ſunt, atque hi omnes ſimul iuncti 563. annos efficiunt; quibus & illi duo anni addendi ſunt, quibus Hieroſolyma obſeſſa fuit; atque ita redditur numerus annorum 565.

Scaliger.

Ab hoc igitur annorum numero ſi 33. anni, qui annorum vitæ Ieſu noſtri periodum continent, detrahantur; ac præterea 42. anni, qui vſque ad perfectum Hieroſolymorum excidium adiunctis duobus obſidionis annis effluxêre; præciſus 490. annorum numerus Chriſti noſtri Natiuitati relinquitur, qui 70. Danielis Hebdomadibus debetur. Quapropter cùm tempus à Daniele Meſsiæ aduentui præſcriptum optimè Ieſu noſtri Natiuitatis tempori reſpondeat, nemo iure dubitare poteſt, quin is Meſsias meritò cenſendus ſit.

Sextum ſignum, Gentium adoratio.

Inter alia quæ ſacri Vates diuino Spiritu afflati de Meſsia præclarè cecinerunt, id ſanè illuſtriſsimum eſt, quòd eum à Gentibus adorandum fore prædixerunt, velut ſummum omnium Regem ac ſupremum totius orbis Monarcham, cuius imperio vniuerſa ſubiici deberent. Primus inter hos Iacob Patriarcha Gen. cap. 49 de Meſsia agens; *Et ipſe* (inquit) *erit expectatio gentium.* vbi Hebræa lectio habet ולו יקהת עמים *velo ykeat ghammijm. Et ei obedientia populorum.* Ita vertit Pagninus. Ankelos legit, *Et ei auſcultabūt Gentes*, à radice יקה *iakah*, quod eſt audire, obtēperare, auſcultare, expectare: neque multū inter ſe hæ lectiones diſtant; tametſi diuerſæ videantur. Nam Meſsias idcirco Gentium expectatio dicitur, quòd illæ ſua obedientia, ac ſubiectione, qua Meſsiæ adhærere, illique fide ſubiici debebant, ipſius benedictiones expectarent, vt ſcriptum eſt Geneſ. 17. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ*: ac propterea illi populorum ac gentium obedientia debebatur, cùm Hebræo populo à Meſsiæ fide, ac obedientia deſciſcente, illæ in Meſsiæ populum accerſendæ eſſent.

Geneſ. 49. Ankelos. Geneſ. 17.

Qvod etiam præclarè demonſtrat Regius Vates Pſalm. 71. qui iuxta Hebræorum ſententiam, ac præſertim R. Salomonis totus de Meſsia eſt, vbi ita de Meſsia ſcribit וישתחוו לו כל מלכים כל גוים יעבדוהו *veiſchtahhauu lo chal melachim chal goim taghaneduhu. Et adorabunt eū omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient ei.* Et paulò antè dixerat. *Corā illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent.* Cùm enim Meſſias Rex longè latéque diffuſum Orbis imperium, ex Gentilium fide ſibi comparare debeat, planè ante ipſum æquum eſt, vt ſeſe prouoluant extremi Orbis incolæ Æthiopes, & qui priùs hoſtiles inimicitias ſimulacrorum venerationi dediti cum ipſo gerebant, tandem fidei ſubiecti, in perfectæ obedientiæ ſignum, ac ſummæ illius diuinitatis proteſtationem, terram ipſam coram eo deoſculentur, ac demiſſo in terram vultu, ſummam illius maieſtatem adorantes, illius imperio colla Reges ſubiciant, ſceptra deferant, & qui antea illius poteſtatem velut humilem aſpernabantur, ei deinceps ex remotioribus, ac fœlicioribus inſulis in perfectæ ſubiectionis declarationem, magnificentiſsima munera deferant: id enim ſignificare

Pſalm. 71.

voluit Dauid, cùm ait ibidem, מלכי תרשיש ואיים מנחה ישיבו מלכי שבא וסבא אשכר יקריבו *malechi tharſis iehiym minhah iaſciuu maleche ſcheba vſeba beſſechar iakriuu. Reges Tharſis, & inſulæ munera afferent, Reges Arabum, & Saba dona adducent.* Et infrà. *Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipſo ſemper, tota die benedicent ei.* Ea namque auri ac cæterorum munerum oblatio eò ſpectabat, vt Gentium Reges Meſſiam ſummum orbis eſſe Monarcham agnoſcerent; ac velut ſuprema Dei maieſtate præditum eo donorum teſtimonio adorarent.

B

Bereſcith Rabba. Atqve ita de Meſſia explicantur hæc verba in Bereſcith Rabba, vbi ita legitur. *Dixit Rabbenus quòd omnia munera illa, quæ dedit pater noſter Iacob Eſau, futurum eſt, vt Reges mundi Regi Meſſiæ reſtituant: vnde probatur hoc? Ex eo, quod ſcriptum eſt Pſal. 71.* מלכי תרשיש ואיים מנחה ישיבו *malchi tharſis vehiym minha iaſciuu. Reges Tharſis, & inſulæ munus adducent.* *Midras Theillim,* His conſona ſunt, quæ leguntur in Midras Theillim ſuper illa verba Pſalm. 87. *Memor ero Raab & Babylonis,* &c. *R. Ioſes filius Simeon, futurum eſt, vt nationes mundi adducant munera Regi Meſſiæ, ſicut dictum eſt Cant.* C *Cant. cap. 4. Munera dabis de capite Amana. Sequitur in eodem Pſalmo. Deus computabit, vel ſcribet in ſcriptura populos, iſte natus ibi ingiter, hoc eſt, ex illis populis, qui adducent munera Regi Meſſiæ, Deus Sanctus, & benedictus aſcribet eos cum Iſraël.* Hæc ibi.

Iſa. 60. At præclariſſimè Iſaias de hac Meſſiæ gloria, ac Gentium vocatione cap. 60. ſcribit his verbis. קומי אורי כי בא אורך וכבוד יהוה עליך זרח כי הנה החשך יכסה ארץ וערפל לאמים ועליך יזרח יהוה וכבודו עליך יראה והלכו גוים לאורך ומלכים לנגה זרחך D. *komi ori ki va orech vchuod Iehoua ghalaim zarah: kinne hahhſcech iechaſſeh erets vaghharaphel leummim veghhalaich izrahh Iehoua vchiuodo ghalaich ieraë: vehalchu goim leorech vmlachim lenogahh Zarehhech. Surge, illuminare, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos. Super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur, & ambulabunt gentes ad lumen tuum, & Reges ad ſplendorum ortus tui.* Et poſt pauca. אז תראי ונהרת ופחד ורחב לבבך כי יהפך עליך המון ים חיל גוים יבאו לך שפעת גמלים תכסך בכרי מדין ועיפה כלם משבא יבאו זהב ולבונה ישאו ותהלת יהוה יבשרו E *az tiri venaharte vphahhad verahau leuauech ki Iehaphech ghalaich hamon iam hhel goim iauon lach: ſciphghath gemallim cechaſſech bicbre midian veghepha kullam mſsba iauou zabau vl-uona yſſu vthhilloth Iehoua ienaſru. Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, Dromedary Madiam, & Epha.*

A *Omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.* Neque hîc dubitandum eſt, quin verba hæc de Meſſia interpretanda ſint, cùm ea de Meſsia exponant Hebræi in Bereſcith Rabba in explicatione verborum illorum cap. 25. *Et ſeparauit eos ab Iſaac filio ſuo, dum adhuc viueret, ad auſtralem plagam.* Ibi enim quærunt vnde probari poſſit, gentes venturas eſſe in diebus Meſsiæ, eique ſubiiciendas; atque hunc locum Iſaiæ proferunt. Quapropter R. Ionathas in Paraphraſi Chaldaica locum hunc ita exponit. *Surge, illuminare Ieruſalem, quia appropinquauit tempus ſaluationis tuæ: & honor Dei ſuper te reuelauit ſe. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo regna: ſuper te autem deſcendet Diuinitas Dei, & honor eius ſuper te reuelabitur. Et ibunt gentes ad lumen tuum, & Reges ad ſplendorem illuſtrationis tuæ, vel ad ſuſcipiendum ſplendorem tuum.* Porrò ſeptuaginta interpretes clariùs de Meſſia extrema illa verba interpretantur: legunt enim. *Omnes de Saba venient, ferentes aurum, & thus, & ſalutare Domini euangelizabunt:* quam lectionem ſequuntur Auctor Innomin. in Matt. cap. ſecundo. Eucherius Lugdun. in hunc locum. D. Proſper de prædictionibus Dei parte tertia, promiſſ. ſexta. Salutaris enim nomine Meſsias in Scripturis nuncupari ſolet, vt patet Geneſ. quadrageſimonono, vbi Iacob Patriarcha de Meſsia loquens, ait. *Salutare tuum expectabo Domine.* Quin etiam Euſeb. & Hieronym. hoc loco obſeruant pro σωτήριον, Hebraicam lectionem habere ipſum Ieſum iiſdem elementis, & characteribus, quibus Saluator noſter ſcribitur, quod intelligendum eſt de lectione Hebraica ſeptuaginta: nam lectio qua communiter Hebræi vtuntur, habet ותהלות *vteillet. Et laudes.*

Bereſcith Rabba. *R. Ionathas.* *LXX. Interp.* *Auct. Innom.* *Eucherius.* *Proſper.* *Geneſ. 49.* *Euſeb. Hieronym.*

Illvminandam igitur Hebræam Ieruſalem clariſſima Meſſiæ gloria præcinit Iſaias, quod tunc fieri debere ait, cùm gentium multitudo ad eam confluet; & potentiſſimi Reges cœleſtis luminis fulgore commoti, & admoniti, ad Meſſiæ ortus ſplendorem magno comitatu accurrent, vbi auri, & thuris muneribus ante illius pedes oblatis, quibus ſe illi ſubiectos fateri debent, illum Meſſiam, ac Saluatorem à Deo miſſum agnoſcent.

Qvod planè negare non poſſunt Hebræi, ita ad amuſsim, vt olim à Prophetis prædictum fuerat, erga Ieſum noſtrum actum fuiſſe. Nam in illius natali die nouam, ac fulgentem in cœlo ſtellam apparuiſſe, quæ cœleſtis Regis ortum ſignificaret. Tum extremæ Æthiopiæ Reges nouo illius ſplendore commotos, ea viæ duce Ieruſalem appuliſſe. Ab Herode Antipatre honorificè exceptos fuiſſe, de nato Meſſia Iudæorum pro-

ceres

Digitized by Google

ceres interrogaſſe. Natum puerum in Bethlehem reperiſſe, humi procumbẽtes adoraſſe, ac illi aurum, thus, & mirram tanquam Gẽtium primitias pro omnibus obtuliſſe ſacræ Euangeliorum hiſtoriæ copioſiſsimè teſtantur. *Matth. 2.* Matth. 2. Quod hoc clarius teſtimonium expectant Iudæi, quo Chriſtum noſtrum ipſum eſſe Meſsiam agnoſcant? quem teſte Iſaia noui cœleſtium luminum ſplendores ortum declarant, Gentium Reges procumbentes adorant; aurum, & thus ex inſulis pro muneribus deferunt: ac demum totius orbis Saluatorem, ac Meſsiam tot teſtimoniis prædicant. Chriſti igitur gloriam toto orbe affulgentem ſibi oriri, atque illius ſplendore ſe illuminari patiantur.

Septimum ſignum, Meſsiæ ſanctimonia.

MESSIAM, præter ea, quæ de illius Diuinitate prædicantur, virum ſingulari vitæ pietate inſignem, ac morum ſanctimonia illuſtrem, ſacræ literæ vbique nobis credendum proponunt. De illo ſiquidem *Pſalm. 44.* ſcribit Dauid Pſalm. 44. אהבת צדק ותשנא רשע על כן משחך אלהים אלהיך שמן ששון מחברך מר ואהלות קציעות כל בגדתיך *ahauta tſedek vatiſna reſciangh ghal ken meſciahhacha elohim elohecha ſcemen ſaſon mehhaurecha mo vaahaloth ketſigghoth kol bigdotecha. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitia præ conſortibus tuis, mirra, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis*, &c. Adeò illum iuſtitiæ, ac ſanctimoniæ amantiſsimum Vates deſcribit, vt non modò omnem impietatem, & quicquid ab æquitatis regula exorbitat, ſummo odio proſequatur, verùm etiam externam illam humanitatis veſtem, qua diuinitas regenda erat, denium quicquid in eo humanum erat futurum, corpus, animam, ſenſus, potentias, omnium virtutum odorem ſpirantia gerat, tam enim varius, ac multiplex virtutum, ac gratiarum odor ab eo manare debuit, vt nihil ei ad excellentiſsimi Meſsiæ munus obeundum deeſſet.

QVAMOBREM Iſaias illum cunctis cœleſtibus donis ornatum prædicat cap. 11. *Iſai. 11.* his verbis, ויצא חטר מגזע ישי ונצר משרשיו יפרה ונחה עליו רוח יהוה רוח חכמה ובינה רוח עצה וגבורה רוח דעת ויראת יהוה והריחו ביראת יהוה *veiatſa hhoter miggzangh yſſe venetſer miſſaraſciau yphre venahha ghalau ruahh Iehoua ruahh hhachma vuinah ruahh ghhetſa vguurah ruahh daghhath veyrath Iehoua: vaharihho beirath Iehoua. Et egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Si exactè vaticinij huius verba perpendere volumus, virga de radice Ieſſe à flore aſcendente diſtinguenda erit, ita vt virga præclariſsimam Meſsiæ Matrem, flos Meſsiam indicet, tametſi Hebræi tam virgam, quàm florem Meſsiam interpretentur. At priorem ſententiam magis frequenter Patres ſequuntur. D. Hier. in Comment. huius loci. *Hieronym.* Tertull. lib. adu. Iudæos c. 9. & lib. de coron. milit. cap. 15. & lib. de carne *Tertull.* Chriſti c. 2. Damaſc. oratione 1. & 2. de Natiu. B. M. Leo Magn. ſerm. de Natiuit. Domini. *Damaſcen.* *Leo Mag.* D. Chryſoſt. in Pſ. 22. & alij. *Chryſoſt.*

ITAQVE ſuper hunc Meſsiæ florem ſuauiſsimè olentem vniuerſa Spiritus ſancti dona effundenda eſſe, vniuerſa virtutum genera, cuncta gratiarum chariſmata, omnem denique ſanctimoniæ cumulum ſimul conſpirate, ac perpetua habitatione quieſcere debere Vates affirmat: ita humilitate, patientia, charitate, honeſtate, temperantia, iuſtitia, fortitudine, ſapientia, conſilio, ac cæteris virtutum ornamentis excoli, atque exornari debuit; vt is omnibus cunctarum virtirutum exemplar imitandum efficeretur, ac velut ſanctimoniæ totius ſcaturigo exiſteret, à qua omnium perfectionum riuuli in nos defluerent.

HINC ſponſa in Cantico Cant. c. 1. cùm *Cant. 1.* omnium virtutum genera ſimul in Meſsia colligenda eſſe præuideret, ait, צרור המור דודי לי בין שדי ילין *tſeror hammor dodi li bein ſadai ialyn. Faſciculus mirræ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Quibus verbis amantiſſimũ erga Meſsiam, quem dilectũ appellat, animum declarat, quo tandem in caſtiſsimi amoris ſignum efficere debet, vt vniuerſos illius ſanctitatis cumulos, velut faſcieulum ex odoriferis aromatibus confectum, quo mirificè illius animus recreetur, ſibi reponat, ac in ſinu recondat, vt perpetuò ſibi ob oculos verſari, ac nulla vnquam obliuione deleri poſsit.

NEQVE ab hoc ſigno Iudæi diſſentiunt, quandoquidem vniuerſa illa Scripturarum teſtimonia de Meſsia accipiunt, quæ Meſsiã, vel iuſtum antonomaſticè, velut illa apud Iſa. 45. & Hierem. 23. vbi Sanctum Sanctorum, & apud Danielem c. 9 nuncupant. *Iſai. 45.* *Hierem. 23.* *Dan. 9.*

PORRÒ Ieſu noſtri quis ſanctimoniam toto orbe illuſtriſsimam ignorat? Nam, vt interim Diuinam miraculorum atteſtationem taceam, qua eximia illius ſanctitas à Deo comprobata fuit: de qua mox ſequente ſigno agemus; quis inculpatos illius mores? quis carnis continentiam? quis voluptatum fugam? quis diuitiarum contemptum? quis crebra, ac quadragenaria ieiunia? quis ſacris in orationibus pernoctationes? quis ex-

actiſsimam legis obſeruantiam? quis inculpatam vitam? quis in viuendo temperantiã? quis in agendo prudentiam? quis in aduerſis fortitudinem? quis morum ſuauitatem? quis in tot laboribus, ac moleſtiis perferendis tolerantiam? quis deniq; perfectiſſimam illius vitam omni virtutum genere refertam non admiratur?

Adde, quòd ſi quis Euangelicam legem ab eo latam euoluat, facilè in ea perfectiſſimam illius vitæ normam, ac imaginem velut depictam deprehendet. Quò namque inimicorum dilectio? quò iniuriarum tolerantia? quò templorum veneratio? quò orationum frequentia? quò diuinis rebus honos habendus? quò rerum temporalium abdicatio? quò arcta vitæ continentia? quò illa erga parentes pietas? quò erga proximos charitas? quò ſumma illa erga Deum fiducia? denique quò humilitatis, obedientiæ, honeſtatis, manſuetudinis, modeſtiæ, ac cæterarũ virtutum ſtudium, cui in Euangelica lege incumbendum ſancit, ſpectare poteſt; quàm vt cœleſtem hominem, ac Deo ſimillimum inſtituat?

R. Samuel.

Hæc illuſtriſſimam Chriſti noſtri ſanctimoniam declarant, quam nec ipſi Iudæi inficiari valent, cùm R. Samuel Martochianus in epiſt. ad R. Iſaac Magiſtrum Synagogæ Subialmeræ id apertè fateatur, dum frequenter Ieſum noſtrum iuſtum appellat, ac Scripturarum teſtimonia, quæ de Meſsiæ eximia ſanctitate agunt, illi perfectè accommodari ſentiat, ac præſertim in 7. cap. cùm ait.

Expavesco *Domine mi, & timeo, quòd iſte Ieſus, quem colunt Chriſtiani, ſit ille iuſtus venditus pro argento ſecundum Amos Prophetam, & timeo quòd de ipſo ſunt hæc, quæ mihi accurrunt teſtimonia Prophetarum, & illa eadem in doctrina ſua valde apertè applicant Chriſtiani. Iſa. Propheta 1. cap. dicit,* הוי גוי חטא עם כבד עון זרע מרעים בנים משחיתים עזבו את יהוה נאצו את קדוש ישראל נזרו אחור *hoi goi hhote ghham cheued ghhauon mereghhim banim maſchhithim ghhazeuneth iehoua niatſu eth kedoſc Iſraël nazoru ahhor. va genti peccatrici, filiis ſceleratis, quoniam ipſi elõgauerunt ſe à* Deo, *& blaſphemauerunt ſanctum eius, & inclinati ſunt retrorſum.* Et poſtquàm plura huiuſmodi Iſa. teſtimonia protulit, inquit. *Timeo ego* Domine *mi, quòd iſte Ieſus ſit ille iuſtus, de quo dicit* Dauid *in Pſal.* 93. על נפש צדיק ודם נקי ירשיעו וישב עליהם את אונם וברעתם יצמיתם יצמיתם יהוה אלהינו *ghhal nephes tſadik vedam naki iarſcighhu vijraghhatham iatſmithem iatſmithem iehoua elohenu. Delectati ſunt in animam iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt, & propter hoc eiecit eos Deus, & diſperdet illos Dominus Deus noſter. Et timeo* Domine *mi, quòd iſte ſit ille iuſtus, de quo loquitur Hierem. cap. 9. cùm dicit, homo eſt, & quis eſt, qui intelliget eum? Item Hierem.* 10. *Species vultus noſtri, Chriſtus Deus, caput eſt pro peccatis noſtris, cui diximus: in vmbra tua viuemus inter gentes.* Tum plura huiuſmodi Prophetarum teſtimonia receuſet ibi, & cap. ſequenti, ex quibus tandem concludit Ieſum Chriſtum ipſum eſſe Meſſiam à Prophetis prædicatum.

Octauum ſignum, Miraculorum patratio.

Iſai 35.

Clarissimvs, ac patrandorum miraculorum virtute inſignis Meſsias in Orbe futurus eſt, vt teſtatur Iſaias cap. 35. cùm de Meſsiæ aduentus ſignis agens, ait. אז תפקחנה עיני עורים ואזני חרשים תפתחנה: אז ידלג כאיל פסח ותרן לשון אלם *az tipakahhna ghhene ghhiurim veazne hherſcim tipatahhna az iedalleg kaaial piſſeahh vetharon leſciom illem. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt: tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Qui locus R. Salomone teſte, qui totum hoc caput exponit de fœlicitate Iudæorum in aduentu Meſsiæ, de Meſſia explicari debet, à quo plurima eiuſmodi ſigna patrari debent. Quapropter R. Moyſes Hadarſan in Pſal. 74. affirmat ex ſententia R. Hatronai, Meſsiam in ſignis, & virtutibus venturum. Accedit quoque quòd in Midras Cohelet cap. 1. legitur; cuncta præcedentia ſigna pro nihilo habenda eſſe, ſi cum ſignis futuri Meſsiæ comparentur. Denique in Thalmud pleriſque in locis habetur, ſigna, quæ in diebus Meſsiæ in Regnis Gentilium edenda ſunt, ſi ad Ægyptiaca referantur, velut ſubſtantiam reſpectu accidentium futura eſſe.

R. Salomon. R. Moyſes. Hadarſ. Mid. Coheleth.

R. Moyſes Hadarſan.

Neqve prætereundum cenſeo aliud R. Moyſis Hadarſan teſtimonium, quod in Cõmentariis in Pſ. 74. refert; explicans illa verba Pſalmi. Signa noſtra non vidimus, iam non eſt Propheta, & nos non cognoſcet amplius. *Quidnam illud eſt* (inquit) *quod ſcriptum eſt, ſigna noſtra non vidimus, non eſt vltrà Propheta, neque nobiſcum, qui ſciat amplius? Reſpondit ei R. Aha. Hoc dictum eſt de generatione ſceleſtorum, qui non credent ſignis, quæ faciet Meſsias iuſtus noſter: ſed dicent de illo, quòd operabitur ea arte magica, & nominibus immunditiæ, & quòd ſigna, quæ ipſe dabit, non erant ſigna illa, quæ prophetauerunt Prophetæ de Meſsia, & quòd ſi ipſa erant, latebant eos, & quòd non erat inter eos Propheta, qui poſſet illis veritatem manifeſtare.* Hæc R. Moyſes ille, Ex quibus liquidò conſtat Meſsiam omnium virtutum ſignis in Orbe illuſtrem futurum eſſe.

At Iudæis haud ignotum eſſe arbitror, quot ſigna Ieſus noſter in Iudæa ſuo tempore ediderit, quot lumine captis viſum, quot ſurdis

ſurdis auditum, quot mutis vocem, quot in- A firmis incolumitatem, quot denique vita functis ſpiritum, ac vitam reſtituerit. Cuius rei teſtes ampliſſimi eſſe poſſent ſacræ Euangeliorum hiſtoriæ, ab Hebræis ipſis conſcriptæ, ſi iis Iudæi fidem adhibere vellent. Quòd ſi illis minùs deferre volunt, ſaltem Ioſepho Hebræo propriæ ſectæ viro credant, qui lib. 18. Antiquit. ita de Ieſu noſtro ſcribit. *Eodem tempore fuit Ieſus, vir ſapiens, ſi tamen virum eum fas eſt dicere. Erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum qui libenter vera ſuſcipiunt: pluriméſque tam ex Iudæis, quàm de gentibus ſectatores habuit. Chriſtus, id eſt, Meſſias* B *hic erat, quem accuſatum à noſtræ gentis Principibus Pilatus cùm addixiſſet cruci, nihilominùs non deſtiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant; apparuit enim eis tertia die viuus: ita vt diuinitus de eo Vates hæc, & alia multa miranda prædixerint.*

Ioſeph. Iud.

HIC Iudæos cogor compellare. Cùm tot Ieſus noſter ſigna, ac ingentia miracula patrauerit, vt nulla prorſus tergiuerſatione celari poſſint, quæ nulla præterquàm Dei virtute effici potuerunt: eáque ob id duntaxat præſtiterit, vt ex iis verus Dei Filius, ac Meſſias probaretur, quò impietatis miſeri ruunt, vt Dei teſtimonio falſum ſubeſſe exi- C ſtiment? Num Deum impietatis arguere audent, qui ſummam impietatem (qualis eſt Meſſiam ac Dei filium ſeſe falsò iactare) teſtimonio ſuo confirmare voluerit? Quid hîc excuſationis afferre valent Iudæi, qua ſe à ſumma perfidia liberent?

AT fabulam, vt ſolent, confingunt, aiúntque Ieſum rectà nouiſſe ineffabile Dei nomen יהוה *iehouah*, pronunciatione efferre: fingunt enim eam vim in nomine hoc Tetragrammato latere, vt ſi quis illud perfectè pronuntiare nouerit, illius virtute magna ſigna patrare poſſit. Porrò nomen illud à Sa- D lomone, lapidi, quod in templo aſſeruabatur, inſculptum fuiſſe memorant; quod fas quidem omnibus eſſet legere, nulli autem reſcribere: at illud magis riſu dignum, quod ferunt; ſiqui illud nomen ex lapide rectè proferre didiciſſent, ſtatim geminos leones catenis vinctos in tẽpli foribus obuios habebant, quorum horribili rugitu ita perterrefacti diſcedebant, vt ſtatim nominis prolationem obliuiſcerentur.

QVOD ſi ab eis quæramus quonam modo Ieſus noſter rectam illius nominis pronunciationem eſſet aſſequutus? Reſpondent; E eum ab illo quidem lapide didiciſſe, ſed leonis rugitus minimè pertimuiſſe. Lepida ſanè Hebræorum fabula; cui nec pueri ipſi fidem adhiberent.

AT cui mira, vel potiùs ridicula hæc res videri non debeat, quæ Scripturis, ac vniuerſis Hebræorum Doctoribus, qui tot retrò ſæculis floruerunt, prorſus ignota fuerit? Agite noui Hebræi, vndenam nouus hic lapis, ac lapidis ſculptura vobis reuelata fuêre? quis nouum hoc vobis arcanum patefecit? quis tandem nouus Spiritus rerum omnibus ignotarum reuelator in animos veſtros inſiluit? ſi à Salomone ineffabile illud Dei nomen in lapide exciſum fuit: cur is miracula nulla illius virtute edidit, cuius pronunciationem haud veriſimile eſt ignoraſſe? ſi intùs templi lapides prodigioſus ille lapis commiſcebatur, quid de eo factum eſt, cùm primò à Chaldæis euerſum fuit templũ, ac ſolo æquatum? quò leones abierunt lapidis tam ſolliciti cuſtodes? num trucidati fuêre, aut ſemper incolumes permanſêre. At vbinam per 70. annorum ſpatium, quo Iudæa ſine templo fuit, interea vitam degebant? at vndenam illis tam longum vitæ curriculum? quis deinceps nouo templo alligauit? quis lapidem demolitum inſtaurauit? Inſulſa fabula, quæ nulla præterquàm riſus confutatione indiget.

AT ſi nonnihil fabulis deferre volumus, habeat fabula hæc locum. Quid tum? ſanè ea propoſitam veritatem magis confirmat, ſi Iudæi ratione duce vti velint. Nam miracula, quæ ex recta hac Dei nominis prolatione edebantur, non ex magia, aut dæmonum opera; ſed ex Dei virtute proficiſci opus erat: neque enim Dei nomen vox magica erat, quæ ex dæmonum inſtitutione vim patrandorum miraculorum haberet; vt ipſimet fatentur, cùm illud & à Salomone lapidi inſculptum, & in templo aſſeruatum, & leones à Deo cuſtodes adhibitos fuiſſe affirmant. Præterea miracula cùm omnem creatæ naturæ virtutem excedant, nullius neque hominis, neque dæmonis, neque Angeli, præterquàm Dei virtute fieri poſſunt. Stat igitur ſolum Deum Opt. Max. cuius virtus in recta nominis ſui ineffabilis pronunciatione ex illorum ſententia latebat, miracula patrare. At quis vnquam niſi ſummè impius affirmare audeat, Deum ad falſitatis alicuius approbationem miracula edere; cum eo Deus ipſe mendacij argueretur?

EDIDERIT igitur Ieſus noſter (vt aiunt) miracula in virtute nominis Iehouah, num ſigna illa ſine Deo fiebant? an non Deum auctorem ſibi vendicabant; cuius teſtimonio id tandem verum eſſe affirmaretur, quod hominibus credendum proponebatur, nimirum Ieſum eſſe verum Meſſiam? Patrauit igitur Ieſus noſter maxima ſigna in nomine, ac virtute Dei, vt Meſſias crederetur, Dei illud teſtimonium certum ac irrefragabile fuit; in huius rei argumẽtum exhibitum. Ieſus igitur certo Dei teſtimonio verus Meſſias fuit.

QVOD ſi tandem eò perfidiæ Iudæi prolabantur, vt miracula à Chriſto noſtro, illiúſque Diſcipulis facta inficientur, iis illud Au-

Auguſtinus. guſt. lib. 12. de Ciu. Dei cap. 5. dictum ad illos conuincendos ſufficiat. *Si*(inquit)*per Apoſtolos Chriſti, vt eis crederetur, miracula facta eſſe non credunt, hoc nobis vnum grande miraculum ſufficit, quòd terrarũ orbis ſine miraculis credidit.*

Nonum ſignum, Meſſiæ prædicatio.

MESSIÆ inter cætera hoc potiſſimum munus futurum eſſe, vt vniuerſum orbem ſua, ac Diſcipulorum prædicatione inſtruat, olim Iſaias prædixit cap. 61. vbi Meſ- *Iſa. 61.* ſiæ perſonam, ac verba referens, ita inquit. *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd vnxerit Dominus me, ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem; vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo noſtro, vt conſolarer omnes lugentes, & ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleũmque gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris.* Hæc verba non ad alium; quàm ad Meſſiam pertinere, declarat ipſa Dei vnctio, qua is non ab homine, ſed à Dei Spiritu vngendus traditur. Nam cùm tabernaculum teſtimonij & arca Teſtamenti, menſaque cum vaſis ſuis oleo vncta ſint ab Aarone: Moyſes item Dei iuſſu Aaronem, ac filios eius inunxerit; Samuel quoque Saülem, ac Dauidem vnxerit. Reges tandem, ac Sacerdotes à Pontifice ſacro oleo vngerentur; ſolus Meſſias non ab hominibus, aut humano oleo, ſed à Deo Spiritus ſancti virtute vngendus fuit: vt dinina illa vnctione excellentiſſimi ſui muneris functio declararetur. Atque hinc Meſſiæ nomenclaturam obtinuit, id eſt, vncti, qua is ſolus à Deo vnctus dicendus eſſet. Quod præ- *Pſalm. 44.* clarè demonſtrat Regius Vates Pſalm. 44. vbi Meſſiam his verbis alloquitur. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* *Paraphraſt. Chald.* Quæ verba Chaldæus interpres (vt ſuperiùs attigimus) ad Meſſiam refert. Vides igitur Meſſiam non ab homine, ſed à Deo vnctum prædicari: neque humano oleo, ſed diuino, nimirum Spiritus ſancti virtute, quod Dauid oleum lætitiæ, & exultationis appellat eſſe inungendum. Quare cùm hoc loco perſona Meſſiæ apud Iſaiam à Deo Spiritus ſancti oleo, ac chariſmatum plenitudine ſe vnctam dicat, id quod antea cap. 11. clariùs explicauerat, cùm diceret. *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis; & replebit eum ſpiritus timoris Domini;* conſtat ſanè id ad ſolum Meſſiam referri oportere.

EN igitur præcipuum Meſſiæ munus, quod à Deo obeundum acceperat, quóque inter

A homines fungi debebat. *Ad annunciandum*(inquit) *manſuetis miſit me.* 70. vertunt: *Ad euangelizandum pauperibus miſit me.* Lectio Hebræa vtrumque habet, לבשר ענוים שלחני *lebaſcher ganauym ſelachanij.* Nam vox ענוים *ganauým*, tam pauperem, quàm manſuetum ſignificat, à radice ענה; *ghanah*, quæ latiſſimè patet: indicat enim reſpondere, loqui, teſtificari, clamare, canere, humiliare, manſueſcere, depauperare, affligere; quò fit, vt vtraque lectio germana ſit, atque in eundem ſenſum conſpiret. Nam tam pauperum, quàm manſuetorum nomine iuxta grauiſſimorum

B Patrum ſententiam, vt notat Pintus in Iſa. *Hector Pinctus* hoc loco humiles deſignantur. Tametſi D. *Ambroſius.* Ambroſ. in 4. c. Lucæ. Origen. in idem caput *Origenes* hom. 32. Theophylact. in eundem locum, ita *Theophylactus.* locum hunc Iſaiæ interpretentur, vt pauperum, vel manſuetorum appellatione Gentiles intelligant, qui neque legem habebant, neque Prophetas, & magna paupertate rerum cœleſtium tenebantur.

HVC igitur ſpectat Meſſię aduentus, vt his Euangelium annuntiaret, qui omnium diuinarum rerum inopia laborabant, vt peccatorum vulnera ſanaret, ac illorum confra-

C ctiones alligaret, qui nullum ſibi à lege paratum remedium haberent; vt iis indulgentiam, ac libertatem prædicaret, qui Satanæ iugo captiui premebantur; vt diuinæ beneuolentiæ tempora, ſimúlque vindictæ hominibus promulgaret; illa quidem ſi Meſſiæ prædicatione compuncti Deum pœnitentia placarent; hæc verò, ſi Meſſiæ fidem, ac conſilia reſpuerent. Poſtremò, vt lugentes, ac peccatorum ſuorum mœrore conſumptos, tam ex Iudæis, quàm ex Gentibus æternæ vitæ verbis conſolaretur, ac cœleſtium præmiorum pollicitatione demiſſos illorum animos

D ad ſuperiora erigeret.

PRÆSTANTISSIMVM hoc Meſſiæ munus futurum eſſe, & ipſi Hebræi veteres agnouerunt. Nam in Prœemio Midras hæc ver- *Midras.* ba leguntur. *In futuro Deus ſanctus, & benedictus erit ſedens, & exponens coram iuſtis ſenſum legis, & reuelans eis per manus Meſſiæ, ſicut dictum eſt Prou. 2. Reſeruat rectis legem, clypeus ambulantibus ſimpliciter.*

CÆTERVM de Diſcipulorum Meſſiæ prædicatione per totum orbem diffundenda,

E apertè ſcribit Dauid Pſ. 18. בכל הארץ יצא קום ובקצה תבל מליהם *Pſalm. 18.* *bechol baarets iatſa kauam vuktſe thebel millehem. In omnem terram* (ait) *exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Hi enim ſunt cœli, ac cœleſtes homines, qui Dei Meſſiæ gloriam enarrant, quorum prædicatione toti ferè orbi illius ſcientia, ac fides illuxit. Hi ſunt Meſſiæ filij, quos loco priorum Patrum, ac filiorum Iſraël ſibi peperit, ac velut primogenitos Euangelicæ prædicationis principes, ſuper

vniuer

vniuerſum orbem conſtituit; de quibus idem A Dauid Pſalm. 44. תחת אבתיך יהיו בניך תשיתמו לשרים בכל הארץ *tahhath anothecha ihiu vanecha teſcithemo leſciarim bechol haarets. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.* De his præcinit Iſa. cap. 60. מי אלה כעב תעופינה וכיונים אל ארבתיהם *mi elleh kaghau teghuphenah vechaionim el arubbothehem. Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?* 70. legunt, *& quaſi columbæ cum pullis.* Illi namque nubium inſtar, nullo terrenæ fæcis impedimento præpediti, altiùs ſeſe è terra extollentes, quandoquidem nihil terrenum B poſſidere elegerunt, ac in terra viuentes cœleſtem prorſus vitam duxerunt, Meſsiæ fidem celerrimo volatu vbique diſtillarunt; ac velut aligeræ columbæ, vniuerſum orbem peruolantes, ſua ſimplicitate plurimos Deo fidelium pullos pepererunt. Poſtremò de his agit Ierem. capit. decimoſexto, הנני שלח לדיגים רבים נאם יהוה ודיגום ואחרי כן אשלח לרבים צידים וצדום מעל כל הר ומעל כל גבעה ומנקיקי הסלעים *hinni ſcioleahh ledaiagim rabbim neum Iehoua vedigum veahhare chen eſclahhlerabbim tſaiadim vetſadum meghal col har vmeghal col gingha* C *vminnekike haſſelaghim. Ecce ego* (inquit) *mittam piſcatores multos, dicit Dominus, & piſcabuntur eos: & poſt hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum.* Piſcatores, ac venatores Meſſiæ Apoſtolos, ac Diſcipulos Vates appellat, quorum illud opus, ac ſollicitudo fuit, vt homines voluptatibus deditos, ac velut in mundi ſalo natantes cœleſti doctrina expiſcarentur: & qui agreſtem, ac ferinam inter vitiorum prærupta, ac ſimulachra vitam degebant, Euangelicæ legis præceptis comprehenſos venarentur, atque ad homi- D num vitam reuocarent.

Psalm. 44. — Iſai. 60. — Lxx. Int. — Ierem. 16.

PORRÒ neminem latere exiſtimo, quàm optimè hoc Meſſiæ ſignum Ieſu noſtro quadret. Is enim (vt Iudæis notum eſt) in tota Iudæa prædicationis munere functus eſt; ſæpe in Templo Ieroſolymitano publicè docuit, Prophetas interpretatus eſt, vitæ omnibus præcepta tradidit, doctrinam ſuam cœleſtibus ſignorum teſtimoniis communiuit. Deinceps vita functus Diſcipulos per orbem ad illius fidem, ac doctrinam diſſeminandam ire iuſſit, qui orbe tandem peragrato mundum illius fide imbutum Chriſtianum E effecerunt. Hoc cùm nullo alio, Iudæis ſaltem ipſa experientia teſte exploratum eſt. Ex quo illum verum eſſe Meſſiam concludere deberent.

Decimum ſignum, Propheticum munus.

CELEBERRIMVM Prophetiæ dono, ac cæteris omnibus Prophetis illuſtriorem Meſſiam fore teſtis eſt Moyſes Deut. 18. vbi de futuro Meſſia agens, ait. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies, vt petiſti à Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata eſt, atque dixiſti. Vltrà non audiam vocem* B *Domini mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar, & ait Dominus mihi. Bene omnia ſunt loquuti. Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore eius; loquetúrque ad eos omnia, quæ præcepero illi; qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtam.*

Deut. 18.

QVOD vaticinium tametſi de Meſſia clariſſimum ſit, aliò tamen quàm ad Meſſiam torquere conantur Hebræi: quidam enim de Ioſue dictum eſſe volunt. At non eſt cur id ſibi perſuadeant: nam cùm vox יקים *iakuym*, quod in Hebræo eſt, id eſt, ſu- C ſcitabo, vel ſuſcitare faciam, futuri temporis ſit, non præſentis, coniugationis Hiſphil, quod etiam Chaldaica Paraphraſis demonſtrat, quæ ita exponit. *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſicut tu es.* Et prætereà cuncta verba quæ ſequuntur, in futuro legantur, vt notum eſt, atque ea ita legat idem Chaldæus Paraphraſtes: qua ratione hæc vaticinij verba de Ioſue interpretari valent, qui quo tempore Deus Prophetam hunc futurum Iſraelitico populo pollicitus eſt, iam excitatus erat? Si ergo tunc Ioſue cum Moyſe àderat, quomodo is ſuſcitandus erat? Acce- D dat etiam quòd nullibi Scriptura commemorat Ioſue Prophetam fuiſſe, aut aliquo Prophetiæ dono claruiſſe.

ALII vaticinium ad Dauidem referunt, tanquam is excellentiſſimus ille Propheta extiterit, quem de medio fratrum ſuorum ſuſcitandum Deus pollicetur. At hi etiam hallucinantur. Nam etſi Dauid illuſtris admodùm Propheta fuerit: non tamen inſtar Moyſis legiſlator fuit, vt apertè vaticinij huius verba præ ſe ferunt; quæ maximum illum Prophetam Moyſi ſimilem, nimirum legiſlatorem futurum eſſe docent.

ALII tandem hæc Moyſi verba, non de E ſingulari aliquo Propheta, ſed de omnibus promiſcuè, quis ex Iſraëlitarum familia à Deo excitandi erant, dicta eſſe contendunt: at quàm inepta, atque à vero diſſentanea ſit horum Iudæorum ſententia, facilè ex ipſa textus litera elici poteſt, quæ non in multitudinis numero, ſed in ſingulari de vnico tantùm Propheta agit: at qua ratione Iudæi grauiſſi

uiſſimam hanc literam, quæ illuſtriſſimo myſterio nō, vacat, noua hac ac prioribus ſæculis inaudita interpretatione corrumpere nituntur? Certè Prophetam imprimis ſingularem, non Prophetas hoc loco Deus pollicetur. Deinde Prophetam hunc Moyſi ſimilem, ac legiſdatione parem eſſe futurum affirmat. At quis vnquam inter poſteriores Prophetas, qui Moyſem ſequuti ſunt, legiſlator Moyſi ſimilis extitit? Poſtremò, quod omnes aduerſariorum conatus eludit, hoc vaticinio aſſeritur, venturum hunc Prophetam, tam Prophetiæ dono, quàm legis ferendæ poteſtate nullatenus Moyſe inferiorem fore. Atqui ex Scripturis illud abſque vlla dubitatione certiſſimum eſt, neminem vnquam deinceps poſt Moyſem Prophetam illi ſimilem extitiſſe: id enim expreſsè habetur Deuter. 34. his verbis. *Et non ſurrexit vltrà Propheta in Iſraël, ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem.* Quæ verba ab Eſdra, qui vetus teſtamentum à Chaldæis exuſtum diuino ſpiritu reparauit, ibi appoſita fuiſſe ſatis veriſimile eſt, vt hinc euidentiùs conſtet, nulli præterquàm Regi Meſſiæ, qui Prophetiæ ſpiritu clariſſimus eſſe debuit, hæc vaticinij verba accommodari poſſe.

Deuter. 34.

QVOD etiam confirmatur ex Midras Cohelet, id eſt, ex Comment. in Eccleſiaſticum, vbi ſolus Meſſias cum Moyſe comparatur. Conſtat igitur hæc verba ad Meſſiam pertinere, qui illuſtriſſimus Propheta in orbe futurus eſſet.

Midras Cohelet.

AT verò Ieſum noſtrum excellentiſſimo Prophetiæ ſpiritu præditum fuiſſe, planè is ſolus ignorat, qui Eccleſiaſticæ, ac Euangelicæ hiſtoriæ, vel ſeriem neſcit, vel ei fidem adhibere renuit. Quot enim & quanta is ventura prædixerit, ex iis manifeſtum eſt, quæ iam eueniſſe cernimus. Quis miſerrimam Iudæorum captiuitatem, calamitatem, ſtragem, Hieroſolymorum obſidionem, deſtructionem, gentium victoriam ſub Tito, & Veſpaſiano futuram exactiùs deſcripſit, quàm is apud Lucam cap. 21. cùm ait? *Cum autem videritis circundari ab exercitu Hieruſalem, tunc ſcitote, quia appropinquauit deſolatio eius: tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes, & qui in medio eius diſcedant, & qui in regionibus non intrent in eam, quia dies vltionis hi ſunt, vt impleantur omnia quæ ſcripta ſunt: væ autem prægnantibus, ac nutrientibus in illis diebus: erit enim preſſura magna ſuper terram, & ira populo huic, & cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes; & Hieruſalem conculcabitur à gentibus donec impleantur tempora nationum.* Neque verò id ſemel, ſed térque, quatérque apud Euangeliſtas inculcat.

Luc. 21.

QVIS toto orbe præclariſſimi Templi euerſionem luculentiùs prænūciauit, quàm is apud Marcū c. 13. vbi cùm egregiam Templi ſtructuram Diſcipuli admirātes dicerent. *Magiſter aſpice quales lapides, & quales ſtructuræ*, interroganti Diſcipulo reſpondit. *Vides has omnes magnas ædificationes; non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.* & apud Matt. c. 23. *Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.*

Marc. 13. *Matth. 23.*

QVIS denique admirabilem Euangelicæ doctrinæ propagationem toto orbe diffundendam? quis Iudaicæ Synagogæ repudium? quis Gentium vocationem? quis Diſcipulorum neces? quis futurorum martyrum victorias? quis ſtabilem, ac perpetuam Chriſtianæ Religionis diuturnitatem? ac demum quis totius orbis futuram ad Chriſtianam fidem conuerſionem clariùs quàm Ieſus noſter aperuit; qui diuino hoc Prophetiæ ſpiritu præcellens, omnia futura nouerat: quo etiam Scripturis acerbiſsimam necem, ac poſt tres dies Reſurrectionem, demum poſt 40. in cœlum Aſcenſionem diuerſis Euangelicæ hiſtoriæ locis prænunciauit? Cur igitur is verus Meſsias cenſendus non ſit?

Vndecimum ſignum, noua legis promulgatio.

QVAMQVAM ex præcedenti Moyſis teſtimonio facilè probari poſsit, Meſſiam nouæ legis auctorem, ac promulgatorem fore, cùm ibi dicitur, *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui.* Moyſes ſiquidem primus fuit legiſlator, qui legem à Deo acceptam Hebræo populo tradidit. Porrò cùm Moyſi ſimilis in legis ferendæ munere futurus eſſet Meſsias, huic & nouam legem condere, & veterem antiquare facultas à Deo danda erat. At ne in re clariſsima ſacrorum teſtimoniorum inopia laborare videamur; extat præter id apertiſsimum Iſaiæ teſtimonium cap. 2. ונהרו אליו כל הגוים והלכו עמים רבים ואמרו לכו ונעלה אל הר יהוה אל בית אלהי יעקב וירנו מדרכיו ונלכה בארחתיו כי מציון תצא תורה ודבר יהוה מירושלם *venaharu elau kol haggoim vehalechu ghammim rabbim veameru lechu venaghale el har Iehoua el beth elohe iaghakon veiorenu midderachau venolecha beorhhothau ki mitſijon tetſe thorah vduar Iehoua miruſcialaim. Et venient ad eum omnes gentes, & ibunt gentes multæ, & dicent; venite, aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem.* Quo teſtimonio ad hoc ipſum demonſtrandum olim vſi ſunt Tertullianus aduerſùs

Iſa. 2. *Tertullian.*

Hilarius. Auguſtinus. Cyprianus. Euſeb. Caſ. Theodoret. sus Iudæos. Hilarius in Pſalmum 52. explicans illa verba. *Quis dabit ex Sion ſalutare Iſrael?* Auguſt. in cap. 1. Ioann. tract. 6. Cyprianus lib. 1. aduersùs Iudæos cap. 10. Euſeb. de Demonſtratione Euang. lib. 1. cap. 2. Theodoretus aduerſ. Iudæos, qui hoc vaticinio ſignificatum eſſe aiunt, nouam legem à Meſſia dandam fore. Siquidem perſpicuum eſt, hæc de prima Moyſis lege, quæ iam tot retrò ſæculis lata fuerat, exponi non poſſe: præſertim cùm illa in monte Sina data fuerit, hæc verò à Sion, & à Hieruſalem proficiſci deberet. Quapropter de Meſſiæ lege hìc agi opus eſt, quæ ab Hieruſalem per omnes Orbis populos diffundenda erat. Quamobrem *Auguſtinus.* D. Auguſtinus in oratione aduersùs Iudæos. De *Sion exiit lex* (inquit) *vbi Chriſtus eſt affectus cruce: lex & verbum Domini proceſſit ad gentes: lex enim, quæ per Moyſem data eſt, non prodiit ex Sion, ſed è Sina monte: nam accepta lege quadrageſima pòſt anno venêre Ieroſolyma. Euangelium verò Chriſti, & lex fidei, ex Ieruſalem proceſſit: vnde Dominus poſtquam reuixit, oſtendens omnia, quæ à Prophetis prædicta erant, eſſe completa, iuſſit Apoſtolos prædicare Euangelium, & vt inciperent ab Ieruſalem 24. cap. Lucæ, & vt lex Moyſis, quæ proceſſerat à monte Sina quinquageſimo die poſt celebratum Paſcha conſcripta eſt digito* Dei, *quo ſignificatur Spiritus S. ita lex iſta, quæ proceſſit ex Sion, poſt verum Paſcha celebratum, poſt Chriſti paſſionem quinquageſima pòſt die, hoc eſt, die Pentecoſtes, quo miſſus eſt Spiritus ſanctus, cōſcripta eſt digito Dei, hoc eſt, Spiritu ſancto miſſo non in tabulis lapideis, ſed in tabulis Apoſtolorum, & Euangeliſtarum, & ſanctorum omnium.* Hæc Auguſtinus.

NEQVE verò, vt Iudæis ſatisfiat, id tantùm Auguſtino, ac cæteris Catholicis Patribus teſtibus demonſtrare ſufficit: nam ita *R. Salomon.* quoque ſentit R. Salomon legem à Meſſia in Sion ferendam eſſe, explicans locum iſtum Iſaiæ. *Et eleuabitur ſuper omnes colles. Quid vult dicere* (inquit) *& eleuabitur ſuper omnes colles, niſi quia miraculum, quod erit factum in eo, erit maius quàm miraculum montis Sinai, & Carmeli, & Thabor? Et quod eſt illud miraculum? eſt illud quod dicit.* De *Sion exibit lex.*

Iſai. 42. NEQVE hoc tantùm loco Iſaias hoc de Meſſia docet, ſed illud ipſum confirmat c. 42. illis verbis. הן עבדי אתמך בו בחירי רצתה נפשי נתתי רוחי עליו משפט לגוים יוציא: *hen ghbaudi ethmach bo behhiri ratſtha naphſci nathatti ruhhi ghbalau miſcptat lagoim iotſi. Ecce ſeruus meus ſuſcipiam eum, electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea: dedi ſpiritum meum ſuper eum, iudicium gentibus proferet;* & poſt pauca. לא יכהה ולא ירוץ עד ישים בארץ משפט ולתורתו איים ייחלו *lo ykheh vela iaruts ghad iaſsym baarets miſſepat vletorato hiym ieiahhelu. Non erit triſtis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium, & legem eius inſulæ expectabant.* Atque

A vt hæc de Meſſia dicta eſſe nemo dubitet, audiatur Chaldæus Paraphraſtes, qui ita *Chald. Par.* hunc locum exponit. *Ecce ſeruus meus Meſſias, applicabo eum, dilectus meus, in quo ſibi complacuit verbum meum, dabo Spiritum ſanctum meum ſuper eum, iudicium meum populis reuelabit.* & deinceps. *Non erit laſſus, nec laborabit, donec dirigat in terra iudicium, & legem eius inſulæ expectabunt.* En nouam legem à Meſſia ferendam, quam gentes expectare debebant.

ATQVE huc ſpectat, quod idem Iſa. cap. 11. de Meſſia ſcribit. ביום ההוא שרש ישי אשר עמד לנס עמים אליו גוים ידרשו *beiō hahu ſcioreſc yſciai aſcer ghomed lenes ghhammim elau* B *goim yroſciu. In illa die erit radix Ieſſe, quæ ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur.* Quæ verba Commentarius Midras Tafin in verſic. Pſal. 20. *Domine in virtute tua lætabitur Rex;* ita explicat. Quid voluit dicere (inquit) Iſaias in cap. 11. quando dixit. *In illa die erit radix Ieſſe, quæ ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur?* Dixit R Haama. Non venit Rex Meſsias, niſi vt det gentibus ſæculi mandata.

IAM quid nobis celebrius ſe offert, quàm Ieſu noſtri Euangelica lex per omnes Orbis C plagas diffuſa, quæ vniuerſo Orbe reluctante, & in eam conſpirante, pugnantibus vndique, atque in eam frementibus Regibus, ac tyrannis promulgata, diuina tandem virtute vniuerſum ferè ſibi Orbem ſubiecit, atque adeò fœlicibus incrementis augetur, vt cùm iam per 1616. annos vigere cœperit, in dies tamen celebrior, ac illuſtrior euadat.

QVID hac Chriſti noſtri lege admirabilius, quæ non Philoſophos, non Oratores, nō opibus potentes, non nobilitate, ac generis proſapia inſignes: ſed pauperes, piſcatores, humanarum literarum ignaros, obſcuro ge- D nere ortos, plebeios tandem ſatores habuit? At qua ratione id factum eſſe exiſtimandum eſt? Ea planè, ne cœleſte opus humano conſilio aut inchoatum, aut perfectum videretur: ſed ad diuinam Legiſlatoris virtutem tantùm referri poſſet, illiúſque potentia, ac virtus magis eluceret, quò imbecilliora ad vniuerſum Orbem ſuæ legi ſubiugandum inſtrumenta adhibuit. Quamobrē Hier. in Cō- *Hieronym.* ment. in Matth. 4. *Piſcatores* (inquit) *& illiterati mittūtur ad prædicandum, ne fides credentium non virtute Dei, ſed eloquentia, atque doctrina fieri putaretur.*

E EQVIDEM, vt inquit Chryſoſtomus De- *Chryſoſtom.* monſtratione, quòd Chriſtus ſit Deus. *Magna res foret, & diuinæ virtutis, etiamſi nemo interturbaret, eſſétque pax ſumma, & multis ſimul admittentibus, & reluctante nullo, poſſe intra tam breue tempus, totum Orbem à conſuetudine mala, qua præoccupatus fuit, liberari, & in alium induci. Verùm hoc multò maius, quòd non ſolùm in aliam inducitur, ſed in multò difficiliorem: non ſolùm .n.*

diuerſa conſuetudo erat, ſed voluptate firmata. Duo violenta. Quæ enim acceperat à patribus, auis, & proauis, Philoſophis, & Rhetoribus, ea reſpuere docebatur, quod ſanè difficillimum erat: at difficilius nouam accipere conſuetudinem, illámque valdè laborioſam.

Abduxit enim Chriſtus à voluptate, & induxit ad ieiunium, abduxit ab amore opum, & induxit ad amorem paupertatis; abduxit à luxu, & induxit ad temperantiam; abduxit à via lata, & ſpatioſa; & induxit in anguſtam, & arctam. Et induxit aſſuetos via lata, & perſuaſit eis. Quot autem perſuaſit? non viginti, vel centum; ſed omnibus fermè ſub Sole habitantibus: & per quos perſuaſit? per viros duodecim illiteratos, ineloquentes, obſcuros, pauperes. Hi Eccleſiam ædificarunt. Quomodo, & qua ratione? virtute eius qui iuſſit; ille enim pranius omnia faciebat, reddens etiam facilia, quæ dura. Niſi enim diuina quadam virtus effeciſſet, nequaquam hæc vel principium, vel præludium accepiſſent. Ita egregiè Chryſoſtomus.

H**ENC** facilè Hebræi Ieſum noſtrũ Meſſiam eſſe agnoſcerent, ſi mentis oculos abſterſo pertinaciæ puluere ad legis ipſius excellentiam intenderent, quæ cùm omnium legum præſtantiſsima ſit, ac perfectum & planè cœleſtem hominem efficiat, non niſi à Deo proficiſci potuit. Moyſis quidem lex, cùm vni duntaxat Hebræo populo data eſſet, haud vltra Palæſtinæ terminos olim ſeſe extendit. At Euangelica Chriſti lex non vnum tantùm populum; ſed totius orbis populos complectitur. Huic Principes, huic Reges, huic Imperatores, huic Monarchæ humiles colla ſubdunt: ab hac viuendi præcepta accipiunt, hanc colunt, hanc ſuſpiciunt, hanc venerantur; pro hac opes ac ſanguinem profundunt, hanc armis, ope, opera, ad extremum vſque ſpiritum tuentur.

Q**VID** plura? lex Moyſis in tabulis lapideis conſcripta fuit, lex Chriſti hominum vi-
Hierem. 31. ſceribus infixa, vt habetur Hierem. 31. *Hoc erit pactum quod feriam cum domo Iſraël poſt dies illos, dicit Dominus. Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* Et confirmatur per traditionem R. Vddæ in Sir Haſsirim. Lex vetus temporaria fuit, quippe quæ ad Chriſtum Meſsiam tantùm duceret: at lex Chriſti æterna eſt, ac perpetuò duratura. Illa timoris fuit, hæc amoris: illa carnis, hæc ſpiritus; lex Moyſis vmbra fuit, lex Chriſti lux, vetus figura, noua veritas. Moyſes ad ſeruitutem, Chriſtus ad libertatem vocat. Demum Moyſis lex Meſsię aduentu delenda erat, & antiquanda (vt aliàs ex Iſaiæ cap. 1. oſtendimus) hæc à Chriſto dictata, ac Spiritu ſancto in fidelium cordibus conſcripta, nullo vnquam tempore delenda eſt: quapro-
Gloſſa Heb. pter optimè Gloſſa Hebræa in verba illa Eccleſiaſt. *Omnia vanitas*: concludit, legem omnem, quam in præſenti tempore addiſcimus, vanam eſſe, ſi cum Meſsiæ lege comparetur: quamobrem Ieſum noſtrum Hebræi eum eſſe legiſlatorem agnoſcant, quem Dauid Pſal.
9. ſummis votis efflagitabat, atque a Deo precabatur, cùm diceret. *Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos, vt ſciant gentes, quoniam homines ſunt.* *Pſal. 9.*

Duodecimum ſignum, Meſsiæ paupertas, & humilitas.

V**ATEM** Iſaiam non tam Prophetam, quàm Meſsiæ Euangeliſtam fuiſſe antiqua eſt Patrum ſententia: adeò enim apertè, ac dilucidè de Meſsia ſcripſit, vt illum digito demonſtraſſe videatur. Is igitur imprimis Meſsiæ aduentum ita humilem deſcribit, vt nihil illo humilius, aut pauperius excogitari poſsit: ita enim ait cap. 53. ויעל כיונק לפניו וכשרש מארץ ציה ונראהו ולא מראה ונחמדהו נבזה וחדל אישים *vaiaghal kaionek lephanan vechaſcio reſc meerets tſija: venirehn velo mareh venehhmedehn niuze vahhadal iſcim. Et aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti: & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum deſpectum, & nouiſsimum virorum.*

P**RINCIPIO** admonendum eſt, totum hoc 53. caput (quicquid nunc garriat R. Salomon) ab antiquis Hebræorum Doctoribus ad Meſsiam relatum eſſe. Nam & R. Ionathas in Paraphraſi Chaldęa, qua communiter Iudæi in Synagogis vtuntur, ad Meſsiam refert, cùm priora illa verba, quæ poſtrema ſunt capitis 52. *Ecce intelliget ſeruus meus*: à quibus pleríque Patres ſentiunt inchoandum eſſe 53. caput; ita exponit. *Ecce proſperabitur ſeruus meus Chriſtus*: ac deinceps totum hoc 53. caput de Chriſto explicat, vt patet intuenti, & pleríque alij veteres Rabbini de Meſsia intelligunt: vt paſſim explicabimus; quò fit, vt Gloſſa R. Salomonis, in qua totum caput de Hebræo populo exponit, violenta textus Biblici deprauatio potiùs, quàm expoſitio dici debeat. *Iſa. 53.* *R. Ionathas.*

H**OC** explicato, quid de Meſsiæ humilitate clariùs dici potuerit, ignoro. *Et aſcendet* (inquit) *ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti.* Venturus erat Meſsias non ſceptro, aut regia potentia fulgens: neque inſtar proceræ illius arboris, de qua legitur Dan. 4. *Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cælum*; ſed quaſi humile, ac tenellum virgultum, quod ex ſterili, atque inculto ſolo pullulat, ac velut radix tellure oppreſſa, quæ hominum conſpectum effugit. Quid tenero virgulto humilius? quid ſepulta radice ignobilius? *Dan. 4.*

H**OC** pacto Meſsiæ aduentus coram Hebræo

bræo populo ita humilis futurus erat, vt nulla externa ramorum fœcunditate luxuriaret, non opum, non regalium inſignium, non imperij nobilitate præclarus exiſteret; ſed nullam exteriùs ſpeciem,ac pulchritudinē oſtenderet: atque ita prorſus ignobilis appareret, vt nullum tam illuſtriſſimi Meſſiæ aſpectum, nullam maieſtatem, nullum ſignum præterquàm humilitatis præ ſe ferret: atque inde dictum ab Iſaia fuit. *Et vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum deſpectum, ac nouiſſimum virorum.* Neque enim Meſſias externam Regis faciem exhibere debuit, qui non temporale,& caducum;ſed æternum, ac cœleſte regnum ſuis comparare ſua humilitate veniebat.

Aт illud planè mirabile, quòd non tam nullo regio apparatu comitatū Meſſiam venturum eſſe ait, quàm etiam deſpectū., obſcurum, ignobilem, atque inter homines pauperem, ac nouiſsimum futurum affirmat; quod priùs, cùm illum radici comparaſſet, ſubobſcurè indicauerat. At ſanè mirum videri non debet: nam ſicut ex radicis humilitate vigor omnis in arborem ſeſe diffundit, ex qua tandem fructuum pulchritudo oritur: ita ex Meſsia ab hominibus deſpecto, neglecto, ignobili, ac varijs perſecutionum generibus oppreſſo,omnis hominum virtus, omnis gratia, omnis ſalus profecta eſt. Quamobrem

Auguſtinus. Auguſt. tom. 10. hom. 36. *Aſcendet* (inquit) *ſicut virgultum, & ſicut radix de terra ſitienti. Quare vt radix? ideo quia non eſt illi ſpecies, neque decor, paſſus eſt, humiliatus eſt, conſputus eſt, non habebat ſpeciem: homo apparebat, cùm Deus eſſet: ſed quomodo radix non eſt pulchra: ſed intus habet vim pulchritudinis ſuæ. Attendit arborem pulchram, amœnam, folijs virentem, fructibus opulentam: delectat aliquid de fructu carpere, ſub vmbra eius ſedere, & requieſcere ab aſtu; laudas totam illam pulchritudinem: ſi radix oſtendatur tibi, nulla pulchritudo in ea eſt: noli contemnere quod abiectum eſt, inde proceſsit quod miraris.*

Lxx. Interp. Hæc verba Septuaginta interpres ita vertunt: *Annunciauimus de illo ſicut puerulus coram ipſo, ſicut radix in terra ſitienti*: quam lectionem plerique ex Patribus ſequuntur.

Tertullian. Tertull. in lib. adu. Iudæos & adu. Marc. lib.
Origenes. 3. Origen. in cap. 10. ep. ad Rom.
Euſeb. Caſ. Euſeb. lib. 3. demonſtr. Euang. cap. 2. Poſſunt etiam ex Hebræo ita verti: *Aſcendet ſicut puer lactens facies eius*, vel *coram eo*: nam ינק *ianak*, in coniogatione Kal ſignificat ſugere, lactare, vt notat etiam Pagninus; quare vox ביונק *baionek*, *ſicut puer lactens* explicatur; לפניו *lephanau*, *facies eius*, vel *coram eo.* Ita hunc locum legit
Auguſtinus. Aug. de Ciuit. Dei lib. 18. c. 29. & de conſenſ.
Cyprianus. Euang. lib. 1. c. 31. Cyp. lib. 2. adu. Iudæos cap.
Iuſtinus. 12. Iuſtinus aduersùs Tryphonem, & in Apol.
Synod. 6. 2. pro Chriſtianis. His ſubſcribit Syn. 6. Con-

A ſtantinop. in fine action. 8. Atque hinc Meſſiæ humilitas confirmatur, cuius aduentus non admodùm præpotentis Regis, ſed ſicut pueruli infirmi, ac lac ſugentis eſſe debebat, vt ſumma erga homines humanitas declararetur, qui cùm in forma Dei eſſet, exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens, factus in ſimilitudinem infantis ſugentis vbera.

Iᴅ quidem Iudæis incredibilè videtur, qui Meſſiam ex Prophetarum oraculis orbis dominatorem expectant. At mirari deſinant: nam Meſſiæ quidem Regnum, atque
B imperium, illúdque ampliſſimum debebatur, quod per omnes orbis plagas ſeſe extenderet: at illud non terrenum, ſed ſpirituale futurum erat; neque enim is armorum vi, ac ſtrepitu, aut ſanguine in bello effuſo aliorum Regum more; ſed fide in totius orbis homines diffuſa imperium ſibi comparare debuit. Tandem Meſſiæ Regnum non humana Regum ſuperbia, ſed maxima humilitate parandum fuit.

Qᴠᴏᴅ præclariſſimè Zacharias cap. 9. illis verbis aperuit גילי מאד בת ציון הריעי בת ירושלם הנה מלכך יבוא לך צדיק ונושע הוא עני ורכב על חמור ועל עיר בן אתנות *gils meod bath tſijon harighi bath ieruſalaim hinne malkech iano lach tſaddik venoſciangh hu ghani verochen ghal bhamor vebhal ghayr ben athonoth. Exulta valde filia Sion, iubila ſatis filia Ieruſalem. Ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus, & Saluator: ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam; & ſuper pullum filium aſinæ.* *Zachar. 9.*
C
Neque enim dubium oriri poteſt, quin hæc de Meſſia dicta ſint, quandoquidem illuſtriores Hebræi hoc teſtimonium de Meſſia explicant; atque inter hos R. Moſes Hadarſan in expoſitione Geneſ. explicans illud capitis 49. אסרי לגפן עירה *oſri laggephen* *R. Moſ. Hadarſ.*
D *ghiroh. Ligans ad vitem pullum ſuum*, &c. ita ait: *Cùm venerit Meſſias in Ieruſalem, ipſe erit cingens aſinum ſuum, & equitabit, & ſuper eum veniet in Ieruſalem, vt ducat ſeipſum in paupertate, vel humilitate, ſicut ſcriptum eſt Zachar. 9. Pauper, & humilis equitans ſuper aſinam.* Præterea in Bereſcith Rabba in explicatione illorum verborum Gen. 49. לא יסור שבט מיהודה *lo iaſur ſcevet mihudah. Non recedet ſceptrum de Iuda*: ita habetur. *Hic eſt Rex Meſſias, qui venturus eſt ad conterendum gentes pedibus ſuis, quemadmodum dictum eſt Iſa. 26. Conculcabit eum pes, pes pauperis. Ille enim pauper eſt Meſ-*
E *ſias, de quo dictum eſt Zach. 9. Pauper, & equitans ſuper aſinam.* Neque ab hac interpretatione ipſe R. Salomon diſſentit, qui in Gloſſa ait, hoc non poſſe exponi præterquàm de Rege Meſſia. *Bereſcith Rabba.* *R. Salomon.*

Hoc ſigno Hebræi Ieſum noſtrum Meſſiam facilè agnoſcerent, ſi de ipſius humilitate, quam ex hiſtorijs ritè perſpectam habent, bene (vt par eſt) ſentirent. Neque enim

ignorant Chriſtum noſtrum humilem inter eos apparuiſſe, non opum ſuperbia, non Regiæ maieſtatis ſplendore inſignem, ſed humili fortuna, humili loco, humili ſorte, humili matre, humilibus omnibus contentum fuiſſe, vt humilem ſe eſſe Meſſiam oſtenderet. Quem enim latet Chriſtum noſtrum ita paupertatem coluiſſe, vt nec proprio domicilio potiretur? ita vt Diſcipulis de illius habitatione quærentibus reſponderet, Matth. 8. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet:* ita ignobilem, vt fabri filius putaretur; ita deſpectum, vt ſummo crucis ſupplicio affectus ab omnibus irrideretur.

At quod maximè Iudæorum animos illuſtrare deberet, vt eum verum Meſſiam agnoſcerent, præclarum illud exemplum fuit, quod apud Euangeliſtas legitur. Quis enim ignorat Ieſum noſtrum ita ſeipſum huic Zachariæ teſtimonio, ac vaticinio accommodaſſe, ac R. Moyſis Hadarſan, qui illum longè antè præceſsit, expoſitionem ita facto comprobaſſe; vt imminente iam Paſsionis tempore ſuper aſinam, ac pullum equitans Ieroſolymam ingreſſus fuerit, cui acclamare cœperunt pueri, *Oſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini?* Ita enim hoc factum exarat Matth. cap. 21. Matt. 21. *Cùm appropinquaſſet Ieſus Ieroſolymis, & veniſſet Bethphage ad montem Oliueti, tunc miſit duos Diſcipulos, dicens eis. Ite in caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea; ſoluite, & adducite mihi.* Et infrà: *Et adduxerunt aſinam, & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt*, &c.

Iam hic Chriſti noſtri apparatus, quidnam aliud, quàm quod à Zacharia tot antea ſæculis prædictum erat, in mentem reuocat, vt id planè tunc Ieroſolymitano populo de Chriſto noſtro dici poſſet, quod antea de illo Zacharias prænunciauerat. *Ecce Rex tuus venit tibi, iuſtus, & Saluator, ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ?* Quid turbarum palmarum ramos præ manibus geſtantium, ac veſtes proſternentium obuius occurſus? quid puerorum acclamatio, *Oſanna filio Dauid, benedictus*, &c. prætérquàm iubilum, ac exultationem ab eodem Vate prædictam referebat, qua in Meſſiæ aduentu Ieroſolymorum populus afficiendus erat? cùm ait. *Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Ieruſalem.* Quò fit, vt hic Propheticorum verborum, & Chriſti noſtri operum conſenſus, ac harmonia illum verum Meſſiam quaſi digito demonſtret.

Demonſtratur tertiò Ieſum Chriſtum eſſe Meßiam aliis duodecim ſignis hauſtis ex Paßione Meſſiæ à Prophetis prænunciata.

Articvlvs III.

His & alia duodecim ſigna, quæ ad Meſſiæ Paſsionem pertinent, lubet annectere, quæ cùm in Chriſto noſtro notiſsima ſint, illum apertè Meſsiam eſſe indicant. Primum ſignum eſt ipſa Meſsiæ Paſsio à Prophetis prænunciata. Paſſurum enim eſſe Meſsiam apertiſsimè docet Iſaias toto capite 53. Iſai. 53. qui idcirco in ipſo capitis exordio; propter recentiores Iudæos, quibus Meſsiæ Paſſio res planè incredibilis videnda erat, in ea admirationis verba prorumpit, מי האמין לשמעתנו וזרוע יהוה על מי נגלתה *mi heemin liſcemughathenu vuzroangh Iehoua ghal mi niglatha. Domine quis credidit auditui noſtro: & brachium Domini cui reuelatum eſt?* Tam enim admirabilis eſt Meſsiæ Dei Paſsio, vt ad eam demonſtrandam, non demonſtratione, ſed fide opus ſit, quam Iudæos ex Diuinis literis haurire oportet.

Porrò Iſaias de Meſſiæ Paſſione hoc capite agens ait. אכן חלינו הוא נשא ומכאבינו סבלם ואנחנו חשבנהו נגוע מכה אלהים ומענה והוא מחלל מפשענו מדכא מעונתינו מוסר שלומנו עליו ובחברתו נרפא לנו כלנו כצאן תעינו איש לדרכו פנינו ויהוה הפגיע בו את עון כלנו נגש והוא נענה *achen halaienu hu naſſa vmachobenu ſeualam vaanahhnu hhaſcauuhu naguangh mukeh elohim vmghhunneh vehu mehholal mippeſciaghhenu meduka meghhauonothenu muſar ſcelomenu ghhalau vuahhauurathe nirpa lanu: kullanu katſon taghhinu iſc ledarko paninu vathoua hiphgiangh bo eth ghhauon kullanu niggas vehu naghhaneh. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit, & nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit, & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum. Oblatus eſt quia ipſe voluit.* Atque, vt palàm fiat D. Hieronymum, cuius eſt hæc verſio, malè ab aliquibus carpi; quaſi verba hæc non benè reddiderit; lubet Lxx. Interpretum lectionem adhibere, qui Lxx. Interp. ita reddunt. *Iſte peccata noſtra portat, & pro nobis dolet: & nos putauimus eum in dolore, & plaga à Deo, & in afflictione. Ipſe autem vulneratus eſt propter peccata noſtra, & infirmatus eſt propter iniquitates noſtras, diſciplina pacis nobis ſuper eum, liuore eius omnes ſanati ſumus; omnes quaſi oues errauimus: homo in via ſua errauit, & Dominus tradidit eum iniquitatibus noſtris, & ipſe propter affli-*

afflictionem non aperuit os ſuum. His placet annectere verſionem Interlinearem, quę nomine Sanctis Pagoini, Benedicti Ariæ Mõtani, & aliorum cireunfertur, quæ Hebtaicam dictionem ad verbum ita reddit. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros baiulauit eos. Et nos reputauimus eum plagatum.* Hieron. vertit leproſum. Hebraica dictio נגוע *naguangh* latè patet; ſignificat enim tangere, percutere, flagellare, vulnerare, plagare: at licèt verbis diſcrepare videantur, re tamẽ idem ſunt. Nam, vt opportuoè ootat Leo à Caſtro, leproſum appellant Iudæi hominem percuſſum quacunque plaga, & afflictum. B *Et percuſſum Dei;* nota in Hebræo haberi, מכה אלהים *mucche elohim*, quod reddi poteſt, *percuſſum Deum:* à qua lectione tam Septuaginta, quàm Hierooymus abſtinuerunt, ne horrendum aliquid, aut incredibile humanis audiendum præbereot; cùm tamen iuxta Hebtaicam lectionem, ita ad verbum verti poſsit. *Et nos putauimus eum in afflictione, vel dolore percuſſum Deum, & humiliatum;* ex quo magis Meſsiæ Diuinitas confirmatur. *Et ipſe vulneratus à noſtris præuaricationibus, attritus ab iniquitatibus noſtris. Caſtigatio pacificationum* C *noſtrarum ſuper eum, & in liuore eius medicatum eſt nobis. Omnes nos tanquam ouis errauimus, vnuſquiſque ad viam ſuam conuerſi ſumus: & Dominus fecit occurrere in eum iniquitatem omnium noſtrûm, oppreſſus eſt, & ipſe afflictus eſt, & non aperiet os ſuum.* Hebraicè hæc extrema verba ita habentur נגש והוא נענה *nagas Iehu naghaneh.* quæ D. Hierooym. traoſtulit, *oblatus eſt, quia ipſe voluit:* io quo videtur tam ab Hebræa litera, quàm à cæteris interpretibus diſcrepare. At ſi Hebræa litera diligenter diſcutiatur, vel nulla, vel admodùm parua contentio erit. Nam quòd ad verbum D נגש *nagas* ſpectat, id arctare, affligere, opprimere, ſignificare haud diſſentimus, ac proinde verti poſſe, oppreſſus eſt, vel afflictus eſt. Neque ab his diſcrepat Hierooymus cùm vertit; oblatus eſt, ſiquidem non de quacunque oblatione agit, ſed de ea duntaxat, quæ per dolores, & afflictiones fit: quò fit, vt hæc Hieronymi verſio, cùm ait (oblatus eſt) idem prorſus indicet, ac ſi diceret, oblatus eſt oppreſsionibus, afflictionibus, vel oppreſſus eſt, afflictus eſt.

AT verò tota lis verſatur circa verbum נענה *naghaneh*, quod Hierooymus reddit, *voluit*, cæteri verò Interpretes afflictus eſt, vel E propter afflictionẽ, à radice ענה *ghana*, quę notat affligere: at facilis eſt concordia; nam ea radix vberrimè ſe extendit, ita vt denotet etiam reſpondere, exaudire; quapropter Symmachus (teſte Procopio) Græcè vertit, ϗ αὐτὸς ὑπήκουσε .i. *& ipſe exaudiuit*, vt ſit ſenſus; *Oblatus eſt, quia ipſe exaudiuit:* notum enim eſt apud Hebræos copulam coniun-A ctiuam (*Et*) ſæpiſſime pro cauſali (*quia*) vſurpari. Porrò Hieronymus non tam Symmachum, quàm extremam hanc verbi ſignificatiooem ſequutus, legendum cenſuit. *Quia ipſe voluit.* Quod planè idem eſt, ac ſi legeret. *Quia ipſe exaudiuit:* cùm idem vtriuſque verbi ſit ſenſus. Oblatus igitur eſt iuxta Symmachum, *quia ipſe exaudiuit*, id eſt, aſſenſit, voluit: & iuxta Hieronymum; *quia ipſe voluit, exaudiuit, aſſenſit.* Neque enim ſine aſſeoſu, atque exauditione voluiſſet. Atque hæc lectio videtur huic loco magis propria, quàm prior illa tam LXX. quàm aliorum, B cùm hæc clariorem ſenſum reddat.

ATQVE hanc fuiſſe veterum Hebræorum ſenteotiam, vt noo ſolùm ita legendum exiſtimarent, ſed ipſum quoq; Meſſiam voluntatias pro hominibus paſsiones ſubiturũ crederent; præclariſsimum extat R. Moyſis Hadarſan teſtimonium io expoſitione libri Geneſeos, vbi exponens verba illa primi capitis. *Fiat lux, & facta eſt lux;* longiuſcula, ſed iucunda oratione hoc ipſum demonſtrat.

Hoc eſt (inquit) *quod ſcriptum eſt Pſalmo 96.* אור זרע לצדיק *or Zeraangh latſaddik. Lux orta eſt iuſto. Dixit R. Abba. Scriptum eſt etiam* Dan. 2. C *Et lux cum eo. Hæc eſt enim lux Regis Meſsiæ; ſic enim de eo dictum eſt Pſalmo 36. Quoniam tecum eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Iſtud enim eſt lumen Regis Meſsiæ.* Docet *autem quòd Deus occultauerit Meſsiam, & generationem eius ſub throno gloriæ ſuæ.* Dixit *igitur Satan coram* Deo. *Domine mundi, hoc lumen ſub throno gloriæ tuæ reconditum, cuius eſt? Reſpondit ei; Meſsiæ, & generationis eius. Ait Satan coram eo. Domine mundi permitte me, & aduerſabor Meſsiæ, & generationi eius.* Dixit ei Deus. *Non poſſes contra eum. Ait rurſus coram eo Satan. Permitte me, & ego potero.* Dixit ei Deus *ſanctus, & benedi-*D *ctus. Si tu fueris Satan ita auſus in hoc, ego deſtruam ipſum de mundo: veruntamen nec vnam quidem animam illius generationis ego deſtruam. Móxque cæpit* Deus *ſanctus, & benedictus loqui cum Meſsia, eíque dixit. Meſsia iuſte meus, iſti qui reconditi ſunt apud te, huiuſmodi erunt, quòd futurum eſt, vt peccata eorum inducant te in iugum graue: oculi enim tui non videbunt lumen, & aures tuæ audient opprobrium magnum. Naſus tuus odorabit fætorem, & os tuum guſtabit amaritudinem, adhærebitq́; lingua tua palato tuo, & hærebit cutis tua oſsibus tuis, attenuabitúrque fortitudo tua à luctu, & gemitu. Eſtne ergo voluntas tua in eis?* E *ſi enim tu ſuper te hæc ſuſceperis, bene quidem erit: ſin autem, ecce ego abigam ea ex nunc. Reſpondit coram eo Meſsias. Domine mundi, ego quidem lætus ſuſcipio ſuper me tribulationes iſtas, ſiue tormenta: eo tamen pacto, quòd tu in diebus meis viuifices mortuos, & eos qui à primo Adam hactenus mortui fuerint: & non eos tantùm ſalues, ſed etiam illos, qui à lupis, & leonibus deuorati fuerint, ac illos, quos in æquoribus, & fluminibus ſubmergi contige-*

 rit:

vit: neque eos ſolùm, ſed etiam abortiuos. Neque abortiuos modò, verùm illos quoque qui aſcenderunt in præſcientia tua creandi, in diebus meis ſalues. Dixit ei Deus ſanctus, & benedictus. Concedo. Protinus igitur ſuſcepit ex dilectione ſuper ſe Meſſias tormenta omnia, & tribulationes, ſicut ſcriptum eſt Iſa. 53. Oblatus eſt, quia ipſe voluit. Hæc R. Moyſes, qui Chriſti noſtri aduentum longè præceſsit. In quibus etſi multa Catholicæ fidei conſona habeantur, quę recentiores Iudæos ſuggillant, veluti quæ de Meſsię diuinitate profert, cùm illum lucem appellat, ac cum eo Deum ante illius ortum de illius paſſionibus agere, cui ea conſentanea ſunt, quę ſcribuntur Ioan. 8. & 7. *Ego ſum lux mundi, & antequàm Abraham fieret ego ſum.* Quę de Satanę bellis aduersùs Meſsiam, & illius progeniem, futuros nimirum credentes, docet; vt planè illud Chriſti. Luc. 22. audiuiſſe videatur. *Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum.* Quę de Meſsiæ ouibus nō perituris affirmat, quod à Chriſto noſtro deſumpſiſſe videtur, cùm ait Ioan. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequũtur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribũt in æternũ, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Quæ de multiplicibus Meſsiæ paſsionibus aſſerit, quas ille ſponte, & ex charitate ſubiturus eſt. Quæ tandem de vniuerſis per Meſsiam viuificandis, quos per Adam interiiſſe contigerat. Illud tamen, quod de abortiuis ait per Meſsiæ merita ſaluandis, locum non habet, niſi eatenus eos ſaluandos fore exiſtimet, quòd à perpetuo damnatorum incendio liberos ac immunes cenſeat. Hinc tādem habemus 53. caput Iſaię de Meſsia explicari, ac Hieronymi lectionem, *oblatus eſt, quia ipſe voluit,* quæ etiam vulgata eſt, ab antiquiſsimo hoc Rabbeno probari, ac vſurpari.

CÆTERVM pleraque alia Scripturarum teſtimonia Meſſiam paſſurum eſſe indicant, veluti Pſalmus 21. qui totus eſt de Paſſione Meſſiæ. Daniel c. 9. *Et poſt Hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus.* Zachar. 12. *Et effundam ſuper domum Dauid & ſuper omnes habitantes Ieruſalem ſpiritum gratiæ, & precum, & aſpicient ad me quem confixerunt, & plangent eum planctu quaſi ſuper vnigenitum, & dolebunt ſuper eum, vt doleri ſolet in morte primogeniti.* Vbi aliàs in hoc Zachariæ teſtimonio adnotauimus, Deum qui his verbis loquitur, affirmare ſe aliquando ab habitatoribus Ieruſalem confixum iri, ac confixum propriis oculis aſpiciendum eſſe: ita enim in Hebræo textu habetur. Quod ſanè fieri non poſſet, niſi ipſe Deus Meſſiæ hominis perſonam indueret, ac in humana natura paſſionibus obnoxium ſeipſum redderet.

HOC ipſum confirmat Thalmudiſtica expoſitio in ea verba Deuteron. 32. ויבא

A אלוה אשר דקרו *veibbitu ela eth baſſer dakaru. Deum, qui te genuit dereliquiſti,* &c quæ habetur in libro Siphre. *Deum* (inquit) *qui te genuit, debilitabis, vel affliges, & obliuiſceris Deum vulneratum, vel occiſum, vel afflictum, vel doloratum tuum. Dixit Deus ſanctus, & benedictus. Omni tempore, quo ego quæſiui benefacere vobis, vos debilitaſtis ſupernam potentiam meam. Et obliuiſceris Deum doloratum tuum. Dixit R. Meir, Deum ſcilicet, qui doloratus erit pro te, vel per te. Deum inquam, qui anguſtiatus erit pro te, vel per te, ſicut dictum eſt Pſal. 47. Ibi dolor, vt parturientis.* Præclara ſunt hæc teſtimonia de Deo

B Meſſia, vt ex his Iudæi addiſcant, Meſſiam non hominem tantùm, ſed & Deum à variis promiſſum fuiſſe: nec nobis obſtrepant, cùm Ieſum Chriſtū verum Meſſiam, Deum ſimul, & hominem docemus.

PORRO paſſum eſſe Chriſtum noſtrum Iudæi ipſi non tam fatentur, quàm apertè exultant, ob immane in eum ab ipſis conceptum odium. At cùm Deum, ac Meſſiam fateri nolunt, quem ipſa ſaxa in illius obitu diſrupta, Templum Ieroſolymitanum à ſummo culmine vſque ad ima fundamenta diſciſſum, tenebræ per totum orbem effuſæ, ac

C tandem ipſi Gentiles tot prodigiis perterriti, palàm Deum, ac Meſſiam conteſtati ſunt, ſciant profectò ſe hominum ſenſu carere, ac Ethnicos, immò & ipſa ſaxa iure ipſis præferri debere.

SECVNDVM ſignum eſt Meſſiæ proditio, quam à familiari ac domeſtico patrandam Dauid prænunciauit Pſal. 40. גם איש שלומי אשר בטחתי בו אוכל לחמי הגדיל עלי עקב *gam iſc ſcelomi aſcer batahhti vo ochel lahhmi higdil ghhalai ghhakeu. Etenim* (ait) *homo pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.* De hac proditione idem Dauid

D Pſalm. 54. ita ſcribit לא אויב יחרפני ואשא לא משנאי עלי הגדיל ואסתר ממנו: ואתה אנוש כערכי אלופי ומידעי: אשר יחדו נמתיק סוד בבית אלהים נהלך ברגש *lo meſani ghhalai higdil veeſſather mimmennu: veattah enoſc keghherki alluphi vmiudda ghhi: aſcer iahhdau namtik ſod beueth elohim nehallech beragheſc. Si is qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo. Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum conſenſu.*

PRODITVS fuit Ieſus noſter à Iuda

E Iſcariote familiari illius, ac diſcipulo, quem menſæ ſodalem adhibebat, atque hanc illius proditionem diſcipulis concœnantibus prædixit, vt habetur Matt. 26. *Amen dico vobis, quia vnus ex vobis me traditurus eſt*: tum diſcipulis quęrentibus quis eſſet, reſpondit. *Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet.* Quo ſigno proditorem Iudam oſtendit.

TERTIVM ſignum, eſt Meſsię venditio, de qua agit Zacharias c. 11. his verbis. ויאמר

את שכרי שלשים כסף ויאמר יהוה אלי השליכהו אל היוצר אדר היקר אשר יקרתי מעליהם ואקחה שלשים הכסף ואשליך אתו בית יהוה אל היוצר *vayſckelu eth ſechari ſceloſcim kaſeph vaiomer Iehoua elai haſclichehu el haiotſer eder haikar aſcer iakarti meghalehem vackhhah ſceloſcim hakeſeph vaaſclik otho beth Iehoua el haiotſer. Appenderunt mercedem meam triginta argenteis. Et dixit Dominus ad me: proiice illum ad ſtatuarium, decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & proieci illos in domum Domini ad ſtatuarium.* Vides Hebræe Deum venditum triginta argenteis: quapropter hæc verba non niſi ad Deum Meſſiam referri poſſunt. Præterea Amos de hac Meſſiæ venditione ita inquit cap. 2. *Amos 2.* על שלשה פשעי ישראל ועל ארבעה לא אשיבנו על מכרם בכסף צדיק *ghal ſceloſcia phiſghe Iſraël veghal arbagha lo aſcimeunu ghal michram bakeſeph tſaddik. Super tribus ſceleribus Iſraël, & ſuper quatuor non conuertam eum, pro eo quòd vendiderit pro argento iuſtum.* Sæpiùs diximus, cùm *Iuſti* nomen abſolutè ponitur, eo Meſſiam deſignari. Quapropter cùm hîc *Iuſtus* abſolutè proferatur, exploratum eſt, hoc loco apertè de Meſſiæ venditione agi.

IAM verò an non mirabile Iudæis videri debet, vt ex Euangelica hiſtoria exploratum eſt, Ieſum noſtrum iiſdem triginta argenteis, quemadmodum antea à Prophetis prænunnunciatum fuerat, à Iuda venditum fuiſſe? *Matt. 26.* Narrans enim Matt c. 26. venditionis Chriſti modum ait. *Tunc abiit vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iſcariotes ad Principes Sacerdotum, & ait illis. Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos.* Hanc verò Ieſu noſtri venditionem eam prorſus eſſe, quam Amos longè antea Meſſiæ futurã eſſe prædixerat, teſtatur *R. Samuël.* R. Samuël epiſt. ad R. Iſaac cap. 8. his verbis.

EXPAVESCO *Domine mi ſuper his, quis fuit iſte iuſtus ſine peccato, de quo loquitur Iſa. Propheta. Et quis ſit ille iuſtus venditus pro argento, propter quod dicit Dominus per Amos Prophetam vbi ſuprà, quod in teſtimonium quarti ſceleris non transferet eos in terram promiſſionis ampliùs. Videtur etiam Domine mi, quòd completum eſt, quod ſcribitur Dan. cap. 9. vbi dicit. Poſtquam conſummata fuerint 62. hebdomadæ, occidetur Chriſtus, & tunc veniet populus cum Principe venturo, & deſtruet ciuitatem, & domum comminuet, & condemnabunt eam, & auferetur ſacrificium, & conſummabitur deſtructio perpetua. Et non eſt dubium Domine mi, quin deſtructio deſolationis perpetua ſit captiuitas iſta in qua ſumus, ſunt iam mille anni. Et apertè dicit Deus per Prophetam, quòd erit deſolatio perpetua poſt occiſionem Chriſti, ſicut eſt deſolatio noſtra, poſtquàm Ieſus fuit occiſus.* Hæc, & alia pleraque R. Samuël, ex quibus manifeſtum eſt, hanc iuſti Meſſiæ venditionem in Ieſu noſtri venditione expletam fuiſſe.

QVARTVM ſignum explicat Regius Vates Pſalm. 28. cùm Meſſiam ab hoſtibus *Pſalm. 28.* comprehendendum eſſe affirmat. *Circundederunt me* (ait) *vituli multi, tauri pingues obſederunt me, aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens, & rugiens.* De hac etiam Meſſiæ comprehenſione ita inquit Ier. Thren. 4. *Thren. 4.* *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris.* 70. habent. *LXX. Int.* *Captus eſt ἐν ταῖς διαφθοραῖς ἡμῶν, in corruptionibus noſtris.* Petrus Galar. *Pet. Galat.* Arcan. Cath. verit. lib. 8. cap. 10. & Ioan. Benedictus legunt. *Captus eſt in retibus, vel laqueis eorum.* Pagninus, & Brixianus vertunt. *Captus eſt in foueis eorum.* Quæ verſiones licèt diuerſæ videantur, omnes tamen in eandem recidunt cum vulgata editione, quæ non metaphoricè, vt cæteræ verſiones, ſed propriè genuinum ſenſum reddit. Nam cùm ea legit (*in peccatis*) eo nomine, & corruptiones animi, & retia, ſiue peccatorum funes, & foueæ, quæ peccatum inſinuant, explicantur. Porrò cùm Vates ait, in peccatis, vel retibus, vel corruptionibus, vel foueis noſtris, vel eorum; eo cauſa comprehenſionis Meſſiæ redditur; qui non ob ſua, ſed ob aliorum peccata captus eſt.

HEBRÆI verò, vt hoc Ieremiæ teſtimoniũ euadant, diuerſas expoſitiones ſomniant: quidam enim id ad Ioſiam Regem referunt, qui vt habetur 4. Reg. cap. 24. ab Ægyptiis in bello vulneratus domi diem ſuum obiit. At Ioſias tametſi ab Ægyptiis hoſtibus vulneratus, ac occiſus ſit, haud tamen ab iis captus fuit. Alij ad Regem Sedechiam confugiunt, qui à Babyloniis captus eſt, & ad Nabuchodonoſorem perductus in Babylonem, ibi inter vincula diem ſuum clauſit. At quomodo ſanctus Vates Sedechiam impium Regem, qui maleficiis delectabatur, & ipſum Ieremiam grauiter afflixerat, ſpiritum oris tui appellaret, ac ſub illius vmbra Hebræum populum inter Gentes victurum diceret, qui nec ſibi vnquam opitulari potuit, vt è vinculis exiret, cùm eo præſtantiſſimum duntaxat Regem, ac virtutibus præcellentem annuere voluerit? Patet igitur de ſola Meſſiæ captura hæc ab Ieremia dicta eſſe. Hoc enim teſtimonio ad id contra Iudæos demonſtrandum vſi ſunt Auguſt. lib. *Auguſtin.* 18. de ciuit. Dei cap. 33. Euſeb. Cæſar. libr. *Euſeb. Cæſar.* 4. de Demonſt. Euang. Cyprianus in Symb. *Cyprian.* Apoſtolor. Origen. homil. 8. in lib. Ioſue, & *Origen.* lib. 2. Periarchon cap. 6. Bernard. in ſerm. *Bernard.* 1. de aduentu, & 3. de Aſcenſione, & alij. Illud verò maximè locum hunc de Meſſia explicandum eſſe confirmat, quod in Hebræo textu legitur, משיח יהוה *Meſſiach Iehouah, Meſſias Deus.* Et quidem miror Pagninum nulla ratione vertiſſe potiùs *vnctum*

Domi

Domini, quàm *Meſſiam Deum*, cùm ad confirmanda fidei Chriſtianæ myſteria, aptior ſit ipſe Hebraicus textus: niſi fortè ea ratione adductus fuerit, quam ſuperiùs annuimus, ne id nimis, puſillis potiſsimùm, horribile videretur.

AT comprehenſum à Iudæorum miniſtris, omni leonum, ac ferarum genere crudelioribus, fuiſſe Ieſum noſtrum, indicat Euan-
Luc. 22. geliſtarum fides: nam Luc. 22. ita legitur. *Dixit autem Ieſus ad eos, qui venerant ad ſe, principes ſacerdotum, & magiſtratus templi, & ſeniores. Quaſi ad latronem exiſtis cum gladijs, & fuſtibus, cùm quotidie vobiſcum fuerim in templo, non extendiſtis manus in me: ſed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. Comprehendentes autem eum duxerunt in domum principis ſacerdotum.*

QVINTVM ſignum declarat Dauid, cùm Meſſiam ab iniquis teſtibus ante iudices ac-
Pſal. 34. cuſandum affirmat Pſal. 34. יקומון עדי חמס אשר לא ידעתי ישאלוני *iekumun ghede hhamas haſcher lo iaraghetti iiſſcaluni. Surgentes teſtes iniqui,*
Pſalm. 108. *quæ ignorabam, interrogabant me.* & Pſalm. 108. דברו אתי לשון שקר: ודברי שנאה סבבוני וילחמוני חנם *dibberu itti leſcion ſcaker: vedibre ſinah ſeuauuni vaylahhamuni hinnam. Locuti ſunt aduerſum me lingua doloſa, & ſermonibus odij circundederunt me, & expugnauerunt me gratis, pro eo vt me diligerent detrahebant mihi.* Atque ante eos colaphis percutiendum apertè prænunciat Hierem. Thren. 3. his verbis: *Sedebit ſolitarius, & tacebit, quia leuauit ſe ſuper ſe, ponet in puluere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes. Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis.* Lectio Hebræa ita habet ישב בדד וידם כי נטל עליו *ieſſeu badad vaiddom chi natal ghalau. Manebit ſolitarius, & ſilebit, quia portauit: vel baiulauit ſuper ſe.* Quam lectionem ſequuntur Hebræi in
Midras Echa. Midras Echa, vbi ita legitur, *Dixit R. Samuel* D *filius Hahman, quòd vocauit Deus ſanctus, & benedictus Angelos miniſterij, dixitque eis. Rex caro & ſanguis cùm luget, quid facit? Dixerunt ei. Sedet, & tacet. At ille dixit eis. Ego etiam ita faciam, & hoc eſt, quod ſcriptum eſt Threnorum 3. cap. Sedebit ſolus, & tacebit, quia baiulauit, vel tulit ſuper ſe* quod ad dolores, & anguſtias referri de-
Iſa. c. 53. bet, quas Meſſias iuxta Iſa. c. 53. ſuper ſe laturus erat אכן חלינו הוא נשא ומכאבינו סבלם *achem hhalaienu hu naſa vmachouenu ſeualam. Verè enim languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe baiulauit.* Quapropter ſequitur Hie-
Hierem. rem. יתן למכהו לחי ישבע בחרפה *ytten lemakkehu lehhi iſbangh behherpah. Dabit percutienti ſe maxillam: ſaturabitur opprobriis.* Quæ verba dicto libro Midras Echa, Samuel de Meſſia explicat, cùm ita priorem orationem proſequitur. *Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobrio: quare Rab. enucleans Scripturam hanc, perueniens que ad hos verſiculos, ſemper flebat.* Hæc in Midras Echa; vbi apertè hæc ad Meſſiam Deum referuntur. De eadem Meſſiæ maxil-

A læ percuiſſione loquitur Micheas 5. cap. *Virga percutient ſuper maxillam iudicis Iſraël.* At quis præclariſſimus hic Iudex Iſraël futurus erat, niſi ipſe Meſſias, qui iuxta Iſaiæ Vaticinium, Iſraëliticum regnum in iuſtitia, & iudicio amodò, & vſque in ſempiternum erat confirmaturus? Mich. 5.

HÆC de Chriſto noſtro dicta eſſe confirmat ipſe rei euentus. Is enim & falſis accuſationibus ante iudicum tribunalia impetitus, & colaphis impiè cæſus fuit: vt teſtatur Marc. cap. 14. *Et adduxerunt* (ait) *Ieſum ad* Marc. 14.
B *ſummum ſacerdotem.* & infrà: *Principes autem ſacerdotum, & omne Concilium quærebant falſum teſtimonium aduersùs Ieſum, vt eum morti traderent, nec inueniebant; multi autem teſtimonium falſum dicebant aduersùs eum, & conuenientia teſtimonia non erant.* Præterea Matth. cap. 26. Matth. 26.
Tunc (inquit) *expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt: alij autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes, prophetiza nobis Chriſte,* &c. Vt in eo prorſus impleretur, quod antea prædixerat Iſa. cap. 50. גוי נתתי למכים Iſa. 50.
ולחיי למרטים פני לא הסתרתי מכלמות ורק: *gevi nathatti lemakim vlhaiaj lemortim panai*
C *lo hiſtarti mikkelimmoth varok. Corpus meũ dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.*

SEXTVM ſignum panditur à Dauide Pſal. 34. cùm Meſſiam diriſſimè flagellis cæ- Pſal. 34.
dendum affirmat ובצלעי שמחו ונאספו נאספו עלי נכים ולא ידעתי קרעו ולא דמו *vuetſalghi ſamehhu veneeſaphu neſphu ghalai nechim velo iadangh karghu velo dammu. Et aduerſum me* (ait) *lætati ſunt, & conuenerunt, congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui.* & Pſal. 72.
ואהי נגוע כל היום ותוכחתי לבקרים *vaehi*
D *naghangh col haiom vethochahhti labekarim. Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis.* Item Hierem. Thren. 3. בלה בשרי ועורי שבר Thren. 3.
עצמותי *billah veſari veghori ſcibbar ghatſmothi. Vetuſtam fecit pellem meam, contriuit oſſa mea.* Atque eundem ſpinea corona coronandum præſignauit aries ille, quem inter veptes, & ſpinas repertum Abraham Deo in ſacrificium pro Iſaac obtulit. Meſſias enim ſpinis ſæuiſsimè dilaniatus, tandem in cruce ſeipſum Deo ſacrificium pro hominum culpis offerre debebat. Quod etiam apud Iſaiam exprimitur c. 5. cùm ibi dicitur כרם Iſa. 5.
E היה לידידי בקרן בן שמן *kerem haiah ledidi bekeren ben ſciamen. Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei*: & poſt pauca. ויקו לעשות ענבים ויעש באשים *vaikau laghaſoth ghanauim vaiaghas beaſcim. Et expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas.* vbi dictio Hebræa באשים *beaſſim*, æquiuoca eſt ad *labruſcas*, & *ſpinas.* Quamobrem LXX. legunt *ſpinas.* Et R Kimhi affirmat in hoc textu Iſaiæ *beaſcim*, eſſe genus ſpinarum. Lxx. Interp. R. Dauid Kimhi.

HÆC

Hæc pœnarum genera Chriſto noſtro A
delata fuiſſe, perſpectum eſt; id teſtantibus
Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19. Euangelicis hiſtoriis. Matth. cap. 27. Marc.
15. Luc. 23. Io. 19. nam Marcus Chriſti fla-
gellationem his verbis inſinuat. *Pilatus autem
volens populo ſatisfacere, dimiſit illis Barrabam,
Ieſum autem flagellatum tradidit eis.* ac præ-
terea eodem cap. *Et imponunt ei plectentes ſpi-
neam coronam.*

Septimvm ſignum exerit Dauid Pro-
Pſal. 73. pheta Pſalm. 73. vbi Meſſiam neci acerbiſſi-
mæ adiudicandum commemorat. *Captabunt*
(inquit) *in animam iuſti, & ſanguinem innocen-
tem condemnabunt.* Neque dubitandum eſt (vt B
aliàs diximus) quin abſoluta hac iuſti appel-
latione Meſſiam ipſum intelligat. At lucu-
lentiſſimis verbis id Sap. 2. à Salomone di-
uino tunc Spiritu inſtructo deſcribitur; vbi
Iudæorum conſilium aduersùs Meſſiam his
Sap. 2. verbis refert. *Circumueniamus* (ait) *ergo iuſtum,
quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operi-
bus noſtris, & improperat nobis peccata legis, &
diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Pro-
mittit ſe ſcientiam Dei habere, & Filium Dei ſe
nominat. Factus eſt nobis in traductionem cogi-
tationum noſtrarum. Grauis eſt nobis etiam ad
videndum, quoniam diſsimilis eſt aliis vita il-* C
*lius, & immutatæ ſunt viæ eius. Tanquam nu-
gaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à viis
noſtris, tanquam ab immunditiis, & præfert no-
uiſsima iuſtorum, & gloriatur patrem ſe habere
Deum. Videamus ergo ſi ſermones illius veri ſunt,
& tentemus quæ ventura ſunt illi, & ſciemus
quæ erunt nouiſsima illius. Si enim eſt verus Fi-
lius Dei, ſuſcipiet illum, & liberabit eum de ma-
nibus contrariorum. Contumelia & tormento in-
terrogemus eum, vt ſciamus reuerentiam eius, &
probemus patientiam illius. Morte turpiſsima con-
demnemus eum.*

Qvid de Chriſto noſtro luculentius D
Euangelici ſcriptores docere potuiſſent? pla-
nè tam apertè, ac tam dilucidè his verbis
Chriſti condemnationis cauſa deſcribitur,
tam perſpicuè Iudæorum Chriſtum con-
demnantium cogitationes panduntur; vt Ie-
ſu tantùm nomen hic deſuiſſe videatur, cu-
ius loco iuſti, id eſt, Meſſiæ nomen ſufficitur.
Quòd ſi Salomon iuſti nomine in Ieſum mu-
tato dixiſſet. Circumueniamus ergo Ieſum,
nulli ampliùs dubitandum eſſet, quin hæc,
quæ ſub Meſſiæ nomine de illius condemna-
tione narrat, ad Chriſtum noſtrum pertine-
rent, qui hanc mortis ſententiam vrgenti- E
bus vndique Iudæorum clamoribus ſubiit;
à quibus etiam dum cruci ſuffixus erat, deri-
Matth. 27. debatur illis verbis. *Si Filius Dei eſt, deſcendat
nunc de cruce, & credemus ei; confidit in Deo, li-
beret nunc ſi vult eum: dixit enim quia Filius
Dei ſum.*

Octavvm ſignum declaratur ab Iſa.
cap. 53. cùm Meſſiam tanquam ouem man-
A ſuetiſsimam ad necem ducendum eſſe præ-
dicit כשה לטבח יובל *kaſſeh lattebahh iu-
bal. Sicut ouis ad occiſionem ducetur.* Hieremias
verò illum velut Agnum ſacrificio deſtina-
tum cruci affigendum eſſe tradit cap. 11: ואני
ככבש אלוף יובל לטבוח ולא ידעתי כי עלי חשבו
מחשבות נשחיתה עץ בלחמו ונכריתנו מארץ חיים
ושמו לא יזכר עוד *vaani kechebes alluph io-
bal litboahh velo iadanghthi ki ghalai hhaſceuu
mahhaſciauoth naſchhitha ghets belahhmo ve-
nichrithennu meerets hhaiim uſcemo lo izzacher
ghod. Ego* (inquit) *quaſi agnus manſuetus, qui
portatur ad victimam, & non cognoui, quia co-*
B *gitauerunt ſuper me conſilia dicentes. Mittamus
lignum in panem eius, & eradamus eum de terra
viuentium, & nomen eius non memoretur am-
plius.*

Dvctvs fuit Ieſus noſter ad ſupplicium
crucis, quaſi Agnus qui ad victimam duci-
tur, nec vlla ab eo querelæ vox penitus au-
dita fuit, vt qua mentis conſtantia, qua man-
ſuetudine, qua patientia acerbiſsima tor-
menta ac mortem tolerauerit, poſſent Iu-
dæi addiſcere, atque inde Meſsiam illum
agnoſcere, qui Agni inſtar tot tormenta con-
ſtanter perferre paratus eſſet. Ea ſiquidem ab
C eo diu expectata ac deſiderata fuerant, vt ipſe
teſtatus eſt Luc. 12. *Baptiſmo habeo baptizari,* Luc. 12.
& quomodo coarctor, donec illud perficiatur: quò
fit, vt ea prompta voluntate, atque alacri ani-
mo ſponte ſubierit, vti Iſa. prædixerat. *Oblatus
eſt, quia ipſe voluit.*

Nonvm ſignum præbet Dauid Pſalmo
21. in quo Meſsiam manibus, pedibúſque
clauis configendum eſſe indicat: כארו ידי ורגלי
אספר כל עצמותי *karu iadai veraglai: aſaper col
ghaſmothai. Foderunt, inquit, manus meas, & pe-* Pſalm. 21.
des meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea. Et
quamuis Hebræi verbum כרו *caru*, quod *fode-*
D *re* ſignificat, quod in vetuſtis Bibliorum codi-
cibus habebatur, in כארי *caari*, id eſt, *ſicut leo*,
callidè mutauerint: attamen hanc eſſe He-
bræorum deprauationem, ac *caru* legendum
eſſe, facilè deprehēditur ex verſione LXX. In-
terpretum, qui legunt. *Foderunt*: prætcrea Pe-
trus Galat. de Arcan. cat. verit. lib. 8. c. 17. te-
ſtatur idem haberi in translatione Chaldai-
ca, qua Indi, atque Æthiopes vtuntur: neque
ab hac noſtra lectione omnino diſſentit Para-
phraſis Chaldaica, quæ verba iſta ſic exponit. Paraphraſ. Chald.
*Quoniam vallauerunt me cateruæ peccatorum im-
piorum, qui ſimiles ſunt canibus plurimis, congre-*
E *gatio malignorum circundedit me mordentes ma-
nus meas, & pedes meos.* Conſtat igitur legen-
dum eſſe *foderunt.* Quæ verba protulit Da-
uid in perſona Meſsiæ, quem manibus ac pe-
dibus in cruce configendum præuidebat. At-
que huc ſpectat quod ait Zach. c. 13. מה המכות Zach. c. 13.
האלה בין ידיך ואמר אשר הכיתי בית מאהבי: *mah
hammakkoth haelle ben iadeiha veamar aſcer
hukkethi beth meahaui. Quid ſunt plagæ iſtæ in me-*

dio manuum tuarum? & dicet. His plagatus ſum A *in domo eorum qui diligebant me*; vt hinc Prophetarum Meſsiæ paſsionem præcinentium harmoniam, ac concordiam intelligere liceat. Dauid namque Meſsiæ manus clauis fodiendas, id eſt, vulnerandas luget: at admiratur Zacharias, quòd illius manus plagis confoſſas mente intuetur, atque exclamat. *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?*

Id Chriſto noſtro accidiſſe ex immanitate Iudæorum tradunt Euangelicæ hiſtoriæ ſcri-
Matt.27. Marc.15. Ioan 19. Luc.23. ptores. Matt. cap. 27. Marc. 15. Io. 19. Lucas tādem his verbis c. 23. *Et poſtquā venerunt in locū, qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerūt eum.* Quò fit, B vt ſi ex legitimis Scripturarū ſignis Meſſias agnoſcendus eſt, Ieſum verum Meſsiā Iudæi agnoſcere debeant, qui exactiſsima Meſsiæ ſigna circunfert.

Decimvm ſignum ab eodem Regio
Pſal. 68. Vate deſcribitur Pſalm. 68. cùm Regi Meſſiæ inter Paſſionis anguſtias, ſel, & acetum propinandum eſſe affirmat, חרפה שברה לבי ואנושה ואקוה לנוד ואין ולמנחמים ולא מצאתי ויתנו בברותי ראש ולצמאי ישקוני חמץ *hherpha ſciaura libbi vaanuſcia vaakaue lanur vaayin velamnahamim velo matſathi: vajittenu beuarotthi roſc velitſmai iaſcku ni hhomets. Improperium* (ait) *expectauit cor meum, & miſeriam, & ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur, & non inueni. Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto.* Quod poſt eum Ierem. Thren. 3. ſub Meſſiæ perſona confirmat, בנה עלי ויקף ראש ותלאה *bana ghalai vaikkaph roſe vthlaah. Aedificauit* (inquit) *in gyro meo, & circundedit me felle, & labore.* Quaſi diceret: oppugnauit me Deus vndique anguſtiis, ac moleſtiis ob hominum peccata, neque vllis pepercit languoribus, quibus me paſſionis tempore obſideret: néve inter acerbiſſimos D corporis, & animi cruciatus, aliquod mihi ex verbis ſolatium quærerem, os meum felle, & abſynthio inebriauit, vt cùm verba promere vellem, ea mihi amaritudinem præberent. Quapropter eodem capite pium quemlibet hortatur, vt ſel, ac abſynthium iſtud, quod vniuerſas ipſius calamitates, ac dolores acerbiſſimos illius cauſa perpeſſos velut compendio claudit, iugiter mente ferat. *Recordare* (inquit) *paupertatis, & tranſgreſſionis meæ, abſynthij, & fellis.* Vbi notandum eſt, ומרודי *vmerudi*, quam vocem Hieronymus vertit, tranſgreſſionis meæ, non tranſgreſſionem alicuius E præcepti, aut culpam ſignificare: ſed deficientiam, ac tranſlationem à priori ſtatu, à radice מרד *marad*, quæ indicat deficere, attenuari, humiliari. Ita vt aptiſſimè verti poſſit, attenuationis, vel humiliationis, atque ita ſentit Pagninus. Nam ad inſinuandam tranſgreſſionem, vel inobedientiam eſt verbum aliud מרד *merad*, à quo מרי *meri*, rebel-

A lio, inobedientia. Quamobrem cùm Meſſias fideles hortatur, vt ſuæ tranſgreſſionis meminerint, id annuit, vt attenuationem, humiliationem, ac velut tranſitum ſuum à ſumma Dei maieſtate, ac maximis honoribus ad ſummum dedecus, ac ignominiam memoria retineant.

Hoc apertè de Chriſto noſtro dictum eſſe, certo certius eſt, qui cùm in maximis animi, & corporis anguſtiis in cruce verſaretur, ad illius ſitim ſedandam, qua inter acerbiſſimos cruciatus exæſtuabat, fel illi, & acetum propinatum fuit; id teſtatur Matth. c. Matt.27.
B 27. *Et dederunt ei bibere vinum cum felle mixtum.*

Vndecimvm ſignum extat apud eundem Vatem Dauid Pſalm. 21. vbi Meſſiæ Pſal. 21.
veſtes diuidendas eſſe ait, & in tunicam illius ludi ſortem eſſe mittendam, יחלקו בגדי להם ועל לבושי יפילו גורל *iehhallcku vegadai lahem veghal leuuſci iaphilu goral. Diuiſerunt* (ait) *ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Porrò ne hoc quidem ſignum Ieſu noſtro defuerit.

Videat Hebræus quàm apertè Chriſto noſtro hoc vaticinium accommodetur, cuius veſtes, dum in cruce eſſet, milites in-
C ter ſe diſpertiti ſunt, & in tunicam illius inconſutilem ſortem miſerunt; ita affirmat Io. Ioan 19.
c. 19. his verbis. *Milites ergo cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius (& fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis deſuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem. Non ſcindamus eam: ſed ſortiamur de illa cuius ſit.* En apertam Ieſu & Meſsiæ harmoniam,

Dvodecimvm tandem ſignum perſpicuum eſt apud Iſaiam cap. 54. vbi Meſſiam nulla expleta cauſæ cognitione, violenta morte intercipiendum, atque interficien-
D dum eſſe ait, מעצר וממשפט לקח ואת דורו מי ישוחח כי נגזר מארץ חיים מפשע עמי נגע למו *meghaiſer vmimmiſcpat lukkahh veeth doro mi ieſſohhehha chi nigezar meerets hhaym mipeſagh ghammi negaghlamo. De anguſtia, & de iudicio* (inquit) *ſublatus eſt. Generationem eius quis enarrabit? quia abſciſſus eſt de terra viuentium, propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* Hic nonnulla inter huius loci interpretes eſt controuerſia: nam Diuus Hieronymus ita Hieronym.
legit, vt in noſtra vulgata; Septuaginta verò habent, *in humilitate iudicium eius ſublatum eſt.* Idem habetur in Hebraico textu, quod
E verba vulgatæ editionis reddunt, *de anguſtia, & de iudicio ſublatus eſt.* Porrò cùm D. Lucas Actor. 8. 70. Interpretum lectio- LXX. Interp.
nem vſurpet, ac plerique antiqui Patres ita legant, Tertullianus libr. aduerſ. Iudæos, Tertull.
Chryſoſtom. tom. 5. oratione 3. & alij; ma- Chryſoſt.
nifeſtum eſt duplicem olim fuiſſe huius loci lectionem, vt notat Leo à Caſtro in Iſa. Leo à Caſtr.
hoc loco. At verò vtraque lectio in eo

con

conſpirat, vt Meſſiam abſque perfecto iudicio, & imperfecta cauſæ cognitione, è viuis ſublatum eſſe dicant. Quod D. Hier. imprimis lectio inſinuat, cùm ait illum de iudicio ſublatum eſſe, id eſt, antequam perfectum eſſet iudicium, imperfecta adhuc cauſa morti addictus eſt. LXX. verò idem annuunt, cùm legunt, in humilitate iudicium eius ſublatum eſt. Nam ob nimiam Meſſiæ humilitatem indignus iudicatus fuit (vt Procopius ait) cuius cauſa cognoſceretur, ac propterea nulla iuris ratione damnatum trucidarunt.

Procopius.

AT violentam illius necem illis verbis aperit. *Quia abſciſſus eſt de terra viuentium:* nam cum priùs Vates Meſſiam virgulto comparaſſet. *Aſcendet* (inquit) *ſicut virgultum coram eo*; virgultum hoc non ſuauiter extrahendum, ſed vi de terra abſcindendum, ac ſeparandum affirmat, quo violentam eius mortem declarat: quod clariùs etiam exprimunt 70. qui legunt, *quia tollitur de terra vita eius*: quam lectionem ſequuntur Chryſoſt. tom. 5. aduerſ. Iudæos homil. 3. Procop. in Iſa. Cyrillus in Comment. in Io. lib. 5. c. 2. Tertull. lib. adu. Iudæos, Aug. hom. 36. tom. 10. Neque enim Meſſiæ vita ex ſe paulatim ad diſſolutionem communi naturæ curſu fluere debuit: ſed ab hoſtibus violenter eripi, ac tormentorum vi auferri opus erat, vt is ob hominum ſcelera à Deo percuſſus dici poſſet.

Chryſoſt. Procop. Cyrillus. Tertull. Auguſtinus.

ID quoque confirmat Dan. c. 9. luculentiſſimis verbis, cùm ait, ואחרי השבעים ששים ושנים יכרת משיח. *Et poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus.* Quæ omnia de Chriſto noſtro dicta eſſe ipſe rei euentus demonſtrat. Quis enim necis acerbiſſimæ genus, quo nobis Ieſus noſter ſublatus eſt, pia memoria non retineat, cùm illius imago cruci affixa, vbique contemplanda ſe offerat?

Dan. 9.

PLERAQVE alia etiam poſt illius mortem Meſſiæ ſigna Scripturæ commemorant, veluti Reſurrectionis ſignum poſt tertium diem, quam prædixit Oſe. c. 6. יחינו מיומים ביום השלישי יקמנו *iehhaienu myomaim baiom haſſeliſi iekimenu. Viuificabit nos poſt duos dies, & die tertio ſuſcitabit nos.* Quod etiam R. Moyſes Hadarſan in Geneſ. velut Meſſiæ proprium agnoſcit. *Multa trinitates* (inquit) *habentur in Scriptura, & vna earum eſt Reſurrectio Meſſiæ.* Præterea Aſcenſionis in cœlum, de qua agit Dauid Pſalm. 67. עלית למרום שבית שבי לקחת מתנות באדם *ghalitha lammarom ſciauitha ſceui lakahbata mattanoth baadam. Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus.* De quo etiam meminit R. Haccados in libro Galerazeia. *Verſabitur* (inquit) *Meſſias poſt reſurrectionem ſuam cum iuſtis, qui audient præcepta eius 40. diebus in figuram illorum 40. dierum, quibus erit in deſerto ad affligendam animam ſuam antequam eum occiderint, & hiſperactis aſcendet in cœlum, ſedebit ad dexteram Dei, ſicut dictum eſt Pſalm. 110. Dixit Domino meo, ſede à dextris meis.*

Oſe. 6. R. Moyſ. Hadarſan. Pſal. 67. R. Haccad.

ACCEDAT etiã ſeſſionis ad dexteram Dei ſignum, quod explicat Dauid dicto Pſalm. 110. atque illud exponit R. Moyſes Hadarſan in verba illa Geneſ. 18. וירא אליו יהוה באלני ממרא *vaiera elau Iehoua beelone mamre. Et apparuit ei Dominus in ilice Mambre. In futuro enim Deus ſanctus, & benedictus ſedere faciet Meſſiam ad dexteram ſuam, ſicut dictum eſt. Dixit Dominus Domino meo*, &c. Eandem interpretationem adhibet auctor Midras Theillim in Pſalm. 17. *R. Iuden in nomine R. Chia dixit, futurum eſt, vt Deus ſanctus, & benedictus ſedere faciat Regem Meſſiam ad dexteram, ſicut dictum eſt Pſal. 110.*

Pſal. 110. R. Moyſes Hadarſan. Geneſ. 18. Midras Theillim. Pſal. 17.

QVÆ omnia ſigna in Ieſu noſtro impleta eſſe nemo præter Iudæum inficiatur. Is enim & poſt tertium diem reſurrexit, cuius rei teſtes locupletes ſunt penè innumeri, à quibus rediuiuus viſus eſt poſt reſurrectionem. Is quoque aſpectantibus pluſquàm quingentis viris palàm in cœlum aſcendit; is tandem ad dexteram Patris ſedet, ac tradito ſibi à Patre iudicio, orbem vniuerſum expletis illius periodis eſt iudicaturus: & ſupplicia, ac præmia quibuſque pro meritorum, ac culparum diuerſitate largiturus, vt olim prænunciauit Iſa. cap. 66. כי הנה יהוה באש יבוא וכסופה מרכבתיו להשיב בחמה אפו וגערתו בלהבי אש : כי באש יהוה נשפט ובחרבו את כל בשר ורבו חללי יהוה : *hinne Iehoua baeſciano vechaſſapha markeuothau lehaſciu vebhema appo vegaghbarato belahaue eſc: ki vaeſc Iehoua niſcpat vuchharbo eth col baſar verabbu hhallei Iehoua. Ecce Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadriga eius, reddere in indignatione furorem ſuum, & increpationem ſuam in flamma ignis: quia in igne Dominus diiudicabit, & in gladio ſuo ad omnem carnẽ, & multiplicabũtur interfecti à Domino.*

Iſa. 66.

CVM igitur hæc Meſſiæ exploratiſſima ſigna nulli præterquàm Ieſu noſtro vnquam conuenire potuerint, in eum verò tam mirificè quadrent; vt iis ad amuſſim delineatus eſſe videatur, mirum ſanè eſt, cur Hebræi tot præclariſſimis ſignis effigiatum, needũ Meſſiam agnoſcant: ſed hæc de Scripturarum teſtimoniis ſufficiant.

Demonſtratur quartò idem rationibus.

ARTICVLVS III.

EXPLICATIS ſacrarum literarum teſtimoniis, quibus apertè demonſtratum fuit Ieſum noſtrum verũ eſſe Chriſtum, ac Meſſiam, hoc ipſum nunc rationibus demonſtrare aggredior, quibus propoſita veritas magis illuſtretur.

PRIMA ratio deſumitur ex manifeſta Dei vindicta, qua grauiora crimina maturiùs vlciſci

eſſci ſo let, atque ea præſertim, quæ in diuinæ Maieſtatis nomen aliquo modo caput efferunt: ea enim plerunq; nulla interiecta mora ſeueriſſimo pœnarum genere proſequitur. Cuius rei teſtis eſt imprimis excellentiſſimus ille ſupremæ Hierarchiæ Seraph Lucifer, qui vix in ſummam Dei maieſtatē conſpirauit, ac ſupremum ſibi honoris ſolium, quod Deo aſſeruatum erat, nimis effrenata propriæ excellētię libidine ſibi vſurpare præſumpſit; ſtatim è cœlo deiectus, ac in Tartarum detruſus, meritas ſuæ temeritatis pœnas apud inferos exoluit, de quo Iſai. 14. ſub perſona Nabucodonoſoris. איך נפלת משמים הילל בן שחר נגדעת לארץ חולש על גוים : ואתה אמרת בלבבך השמים אעלה ממעל לכוכבי אל ארים כסאי ואשב בהר מועד בירכתי צפון : אעלה על במתי עב אדמה לעליון : אך אל שאול תורד אל ירכתי בור *ech naphalta miſſamayim helel benſciahhar nigdanghtha loarets holeſc ghhal goim: veatta amarta biluaucha haſſamaim eghhele mimmaghhal lechochue el arim kiſi veeſceu behar moghhed beiarkethe tſaphon eghhele ghhal bamathe ghhau eddame leghhelion: ach el ſceol turad el iarkethe bor. Quomodo* (ait) *cecidiſti de cœlo lucifer, qui manè oriebaris, corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo. In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis: aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo: veruntamen ad infernum detraheris, in profundum laci.*

Iſa. 14.

Neqve impunè Sennacherib, qui vix in Deum cœli impias illas protulit voces, quæ leguntur 4. Reg. 19. mox ſeueriſſima Dei vltio ſequuta eſt, qua factum eſt, vt eadem nocte copioſiſsima illius aciei agmina, quæ centum octuaginta quinque millium bellatorum erant, ea ſola culpa exigente proſtrata, atque interfecta fuerint.

4. Reg. 16.

Eandem quoque grauiſsimam Dei cenſuram ſubiit Nabuchodonoſor Rex Aſſyriorum, qui cùm erectum ſui ſimulacrum omnes adorare compelleret, diuinóſque ſibi honores quæreret, protinus Deo tantum flagitium vlciſcente, Regno, ac ratione ſpoliatus fœnum per agros boüm more paſsim comedens, brutalem vitam agere compulſus eſt, vt habetur Dan. 4. בה שעתא מלתא ספת על נבוכדנצר ומן אנשא טריד ועשבא כתורין יאכל *bath ſciaghatha milletha ſaphath ghal neuuchad neſſer vmin anaſcia terid veghhiſba chetorin iechul. Eadem hora ſermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſor, & ex hominibus abiectus eſt, & fœnum vt bos comedit.*

Dan. 4.

At in Antiochum Regem aperta Dei vindicta viſa eſt, quæ legitur 2. Machabæorum 9. qui ſimul, ac in Dei maieſtatem iniurius eſſe cœpit, & contra Dei leges Iudæos agere compulit: mox à vermibus corroſus, ac intolerabili fœtore inter dolores extinctus in ſeipſo diuinam vindictam ſenſit.

2. Machab. 9.

Eodem ſupplicii genere, & Herodem ſtatim à Deo affectum fuiſſe, ob diuinum ſibi affectatum honorem Eccleſiaſticæ hiſtoriæ non obſcurè tradunt. Quid plura? illud diuinæ virtutis proprium eſſe ſolet, vt nunquam diuinum ſibi honorem abſque ſeueriſſima pœnarum demonſtratione ſubripi patiatur: id enim per Iſaiam 42. teſtatur. אני יהוה הוא שמי וכבודי לאחר לא אתן *ani Iehoua hu ſcemi vchuodi leahher lo etten. Ego Dominus, hoc eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo.*

Ioſephus.

Iſaias 42.

Qvæ cùm ita ſint, iam qua ratione exiſtimare poſſunt Hebręi, Deum pręter morem eum tandiu impunem tuliſſe, qui diuinam ſibi maieſtatem verbo, factóque vendicauerit, ac vltrò diuinum Meſsię munus ſibi falsò aſcripſerit. Planè exploratum eſt Ieſum noſtrum, non ſemel, aut iterum, ſed frequenter diuinam auctoritatem pretuliſſe, cùm ſępiſsimè Dei Filium, vnum cum Deo, Patri ęqualem ſeipſum appellauetit. Preterea quoties condendarum legum, ac de Scripturis iudicandi, condemnandi, poteſtatem ſibi ſponte vendicauit? Demum cùm toties ſe apertè Chriſtum, ac Meſſiam à Deo miſſum publicis concionibus conteſtatus fuerit, ſanè mirari non deſino, quo pacto ſe ipſam tam diu Dei ira continere potuiſſet, quin mox in acerbiſſimum vindictæ genus in illum erupiſſet: ſi temerè eam ſibi gloriam, ac munus vſurpaſſet, quam nullus vnquam antea ſibi aſcribere auſus fuerat.

Parvm ſanè erat illum in Tartarum Luciferi inſtar demergi, aut ab Angelo trucidari, aut ratione, ac conſilio expoliatum in belluā verti, cum Antiocho, ac Herode à vermibus conſumptum, fœtentem, omnibus exoſum, nigram animam exhalare. Denique leuiora, ac miriora cuncta ſuppliciorum genera cenſenda erant; quàm vt tantum hoc cœlo, terríſque execrandum ſcelus expiare potuiſſet. Neque enim ſecus, quàm nouo, atque à Deo ſolo excogitato ſupplicij genere caſtigandum erat, cùm nouo, ac inexcogitato malitiæ genere perpetratum eſſet.

Verum non tam propter hæc aliqua in eum Dei ira deſæuit, vt ingens ſcelus eſſe putaretur; quin contra potiùs publica ſignorum demonſtratione illuſtriſſimum Deus illi teſtimonium tulit, ac quæcunq; de Dei maieſtate, de Meſſiæ munere, ac functione, de iudicandi auctoritate, velut propria ſibi vendicauit, ac ita eſſe hominibus perſuaſit; ea is è cœlo vera eſſe probauit: quid hoc teſtimonio euidentius? quid hoc argumento inſolubilius afferti poteſt, quo ſe Meſſiam eſſe apertiſſimè demonſtraret. Quo ſigno Iudæi Meſſiam luculentiùs agnoſcere vnquam poſſunt, quàm cùm ei non humana, quæ plerunque falle

fallere ſolent, ſed diuina prorſus teſtimonia ſuffragantur?

PLANE nonnulli inter Iudæos extiterunt, vt refert Ioſephus Antiq. lib. 18.c. 1.& lib. 17.c.12. 2. & lib. 20. c. 2. & 6. qui Meſſiæ nomen ſibi falsò aſcripſerunt: inter quos fuerunt Iudas Gaulonites, & alter Iudas filius Ezechiæ. Arhronges ouium paſtor, qui libertatē Hebræo populo pollicebatur. Paulò poſt regnante Agrippa ſurrexit Ægyptius quidam, qui ſe Prophetam, ac Meſſiam profitebatur, & Barcozbas teſte Thalmud tract. Sanhedrin cap. Helee, qui ſe Chriſtum palàm profeſſus eſt, cui Rabbinorum maior pars aſſentiri viſa eſt: de hoc enim R. Akiba Thalmudiſtarum ſuo tempore ſapientiſſimus habitus, ſecundum Aggæi caput, quod de Meſſia eſt, exponebat. Tandem ſub Cuſpio Fado Theudas quidam Meſſiam ſe eſſe cæteris perſuadebat. Hi tandem omnes breuiſſimo temporis ſpacio (flante Deo) perierunt, nec radices agere potuerunt.

Ioſephus.

PORRÒ ſi Ieſus noſter falsò ſibi, ac temerè hoc Meſſiæ nomen, ac munus vſurpauit, cur grauiſſimam Dei iram in tot alios graſſantem non ſuſtinuit? quare Deo flante non conſumptus? cur morte ſaltem non diſſipata illius conſilia fuêre? quo pacto adhuc poſt 1615. annos in Orbe viuit? quomodo ab vniuerſis ferè hominibus colitur, adoratur, inuocatur? Cur celeberrimum illius nomen, ac maieſtatem tot Orbis Reges demiſſo capite venerantur? Quid Monarchæ Euangelicæ legi, quæ vel illius morte extingui, vel tot tyrannorum rabie in eam excitata fruſtratim dilaniari debuit, ſponte colla ſubdunt? Quid adhuc, ſi Dei iniuria eſt, Chriſtianum nomen inter homines ſuperſtes viuit? cur maiora indies incrementa percipit?

QVIS non mirabiliſſimum illud eſſe iudicet, quòd cùm nullius vnquam quàm Ieſu noſtri ignominioſior interitus fuerit, qui ante omnium oculos proſcriptus, cruci affixus, mortis ſupplicio affectus, omnium etiam exiſtimatione iniquus habebatur, quem ob id maximè ab omnibus deſpici oportebat. Is tamen poſt mortem illuſtrior, quàm antea euaſerit, poſt ignominias glorioſior; poſt crucem celeberrimum ſibi Meſſiæ nomen in orbe comparauerit; poſt dira mortis ſupplicia vniuerſum orbem ad ſui cultum, atque adorationem perduxerit: ita vt neminem pudeat, Deum venerari, quem crucis ligno affixum fide concipit, ac mente intuetur. Nónne apertiſſima Iudæis hæc ſigna ſunt, quæ non humanum, ſed Diuinum prorſus hoc opus eſſe demonſtrant.

ACCENAT & ſecunda Ratio. Quòd ſi Ieſus noſter Regum, ac Principū auxilio fretus, aut hominum fauore ſuffultus id operis agreſſus eſſet, profectò humanum aliquid actum eſſe A quiſpiam exiſtimare poterat: ſed cùm nulla prorſus hominum virtute, aut potentia: immo toto terrarum orbe reluctante, viliſſimis duntaxat ex infima plebe ſibi hominibus electis, vniuerſas orbis ſuperſtitiones, idololatrias, ac dæmonum ſimulachra euerterit: ac ſola præeunte crucis ignominia aduerſus ſæculi Principatus, ac poteſtates; contra orbis Dominos ac Rectores; dæmum contra ſpirituales dæmonem nequitias decertarit. Tot Tyrannorum ſibi aduerſantiū impetus fregerit: nec vlla vnquam ſæuientium hominum tormenta, vllæ ſtrages, vlli potentiſſi- B morum Principum conatus, illius fidem, quantumlibet in eam omnes neruos tetenderint, euertere potuerint: ſed inter gladios, flammas, æquuleos, cruces, immaniſſimoſque cruciatus altiùs excreuerit, vt tandem ipſos Reges, ac Imperatores ſibi infenſos non armis, ſed diuina ſibi virtute ſubiecerit: certè Iudæis fatendum eſt, non humani, ſed diuini omnino conſilij rem eſſe.

EST & alia Ratio, quæ ex diuerſa propemodum operandi ratione deſumitur, quæ res diuinas ab humanis ſecernit. Humanæ ſi quidum res, ſæpe numero adeò præclaris initiis C erumpunt, vt inde ampliſſimos, ac mirabiles progreſſus polliceri videantur: vix tamen eruptæ paulatim deffluunt, ac ſua natura, ac imbecillitate oppreſſæ tandem dilabuntur. Contrà verò diuinorum operum ea natura eſt, vt tenui principio ſæpius inhæreant, & ſegniùs inde exurgere videantur. At mox diuina virtute auctæ, tam fœlicibus incrementis attolluntur, vt tandem in vbertimos, ac mirabiles profectus ſeſe extendant. Quod præclariſſimi viri Gamalielis inter Iudæos inſignis dicta demonſtrant: nam cùm in Concilio à Iudæis Iero- D ſolymis habito, de Apoſtolorum Chriſti noſtri expulſione ageretur: his verbis vniuerſum Rabbinorum, ac Sacerdotum cœtum affatus eſt, quæ habentur in Actis Apoſtolor. cap. 5. Act. 5.

VIRI *Iſraëlitæ, attendite vobis ſuper hominibus iſtis, quid acturi ſitis. Ante hos enim dies extitit Theudas, dicens ſe eſſe aliquem, cui conſentit numerus virorum circiter quadringentorum, qui occiſus eſt, & omnes qui credebant ei, diſſipati ſunt, & reducti ad nihilum. Poſt hunc extitit Iudas* E *Galilæus in diebus profeßionis, & auertit populum poſt ſe, & ipſe periit, & omnes quotquot conſenſerunt ei, diſperſi ſunt. Et nunc itaque dico vobis. Diſcedite ab hominibus iſtis, & ſinite illos, quoniam ſi eſt ex hominibus conſilium hoc aut opus, diſſoluetur: ſi verò ex Deo eſt, non poteritis diſſoluere, ne fortè & Deo repugnare inueniamini.*

NEQVE id fruſtra dixit. Nam domus ſi ſtabili ſundamento careat, facilè ruit. Arbor quoque ſi altiùs radices non egerit, ventorum impetu haud difficilè ſternitur. Ita huma-

num opus, aut conſilium, quod hominum prudentiæ innititur, & fixas in Deo radices non habet, breui tempore diſſolui neceſſe eſt; quandoquidem cœleſti virtute non alitur, quæ humanis actibus vim, ac conſtantiam tribuit.

Secvs verò iis accidit, quæ Deum auctorem habent: cùm enim ea à Deo proficiſcantur, ac diuino illius conſilio firmentur, quod nulla aduerſæ fortunæ tela pertimeſcit: fruſtra in ea hominum vis, aut dæmonum conatus aliquid moliuntur: fremant licèt hoſtes, furant dæmones, nullum non lapidem moueant, omnes neruos intendant, ac Dei opus oppugnent; nec minimum quidem (Deo prohibente) proficiant: diuinum opus maioribus in dies incrementis augetur, quouſque ſtatutæ periodi perfectionem attingat.

Idipsvm apertè in Chriſti noſtri cauſa videri poteſt. Agite nobiſcum Hebræi (candidos alloquor) quibus artibus proceres veſtri non vſi ſunt, quos lapides non mouerunt, vt aſſurgentem Chriſti noſtri Religionem extinguerent? Nam vbi primùm Ieroſolymis Chriſto adhuc ſuperſtite oriri cœpit, mox inſidias moliri, illius famam apud homines minuere, doctrinam calumniari, turbas in illius odium inflammare, vt vix naſcentem opprimerent, haud vnquam deſtiterunt. Eum verò cùm apud iudices læſæ maieſtatis reũ accuſare, neci adiudicare, cruci affigere, clauis confodere, iam iam expirantem contumeliis proſequi, ac tandem defunctum intra tumulum cuſtodibus adhibitis ſeruare voluerunt; quò hæc ſpectabant, niſi vt Chriſti fidem, ac Religionem vix natam vnà cum ipſo extinguerent, ac ſepelirent? planè ſi id humani conſilij opus fuiſſet, de Chriſtiana Religione omnino actum erat, D fieri enim neceſſe erat, vt ea in ipſis ſui ortus incunabulis nondum plenè nata interiret, ac cum ſuo auctore extremum excidium pateretur. At cùm contrà acciderit, & Chriſti Religio eo interempto, illius velut ſanguine fœcundata latiùs per orbem excreuerit, atque ingẽtem Chriſtianorum ſobolem pepererit, vt antea Iſa. c.53. prænunciauerat אם

Iſa. 53. תשים אשם נפשו יראה זרע יאריך ימים *im taſcim aſciam naphſcio ijreh zerangh iaarich iamim. Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbis ſemen longæuum:* ſanè fatendum eſt, non humani, ſed diuini conſilij id opus eſſe.

His accedat, quòd cùm tot orbis Imperia aduersùs Chriſtianã Religionem conſpirarent, cùm tot tormẽtorum generibus illam opperterẽt, cùm tot machinis dæmones ipſam debellare, ac proſternere tentarent; quo pacto illorum impetus ſuſtinere, ac illuſtrior inde exurgere potuiſſet, niſi diuinam ſibi virtutem coniunctam habuiſſet; quæ cunctis ſuperiorem efficeret? nã, vt Chryſoſt. ait in oratione cont. Iudæos. *Quot bella aduersùs Eccleſiã concitata ſunt? quot exercitus inſtructi? quot arma mota? quod afflictionum, ac vindictæ genus non excogitatum? ſartagines, catapultæ, lebetes, fornaces, lacus, & præcipitia, beſtiarum dentes, maria, & proſcriptiones, aliáque innumera tormentorum genera, neque dictis memoranda, nec factis toleranda Nihil horum diſſoluit Eccleſiam.* Ex quo facilè concludi poteſt hac ratione Ieſum noſtrum verum Meſſiam demonſtrari, cuius fides tot perſecutionum procellis exagitata nunquam naufragium paſſa eſt, ſed terra, inferiſque reluctantibus in hanc vſque diem integra, atque illuſtris perſeuerat. (A: Chryſoſtom.) (B)

Qvarta ratio colligitur ex repentina orbis in meliorem frugem mutatione; quam Chriſti lex operata eſt. Quid? an non mirabile eſt (Hebræi) Chriſti legem pedeſtrem tam citò vniuerſum orbem peragrare potuiſſe; atque à rudibus ac imperitis hominibus, quibus nulla dicendi ars, nulla facultas, nullum eloquentiæ flumen ineſſet, diſſeminatam, Philoſophorum tum Græcorum, tum Latinorum ſapientiam ita ſibi ſubieciſſe, vt ij ſponte Chriſtianæ Religioni cederent, ac in ea longè excellentiorem ſapientiam eſſe agnoſcerent? (C)

At mirabilius fuit, antiquiſsimas illas deorum ſuperſtitiones altis radicibus hominum mentibus tot ſæculorum præſcriptione infixas, quæ nulla vi diuelli poſſe videbantur, Chriſti lege eſſe conuulſas. Quis Ioues illos, Neptunos, Martes, Veneres, Mercurios, Saturnos, Bacchos, Ceteres, omnémque illam tot ſimulacrorum farraginem, quibus diuinus honos, ac cultus toto ferè orbe obrutus, ac vera Religio extincta videbatur, exturbare, euellere, atque expellere potuiſſet: niſi diuina virtus id ſibi muneris arrogaſſet? (D)

Plane id Chriſti Religio præſtitit, quæ vix in orbe diffuſa illa ſimulacrorum monſtra diuinum ſibi honorem vſurpantia, Ioues, Neptunos, Veneres, Bacchos, ita toto orbe effugauit, vt nec eorum aliquod inter homines veſtigium remanſerit. Tum è veſtigio vera Dei Religio florere cœpit; cœpit vigere & pietas: tandem in toto orbe Dei fides, ac cognitio inſtaurata fuit; vti Iſaias prædixerat cap. 2. ונשגב יהוה לבדו ביום ההוא והאלילים Iſa. c. 2.
E כליל יחלף *veniſgau Iehoua leuaddo baiom habu: vehaelilim kalil iahhaloph. Eleuabitur Dominus ſolus in illa die, & idola penitus conterentur:* & infrà ביום ההוא ישליך האדם את אלילי כספו ואת אלילי זהבו אשר עשו לו *baiom habu iaslich haadam eth elilei chaſpo veeth elilei zehabo aſcer ghaſu lo. In die illa proiiciet homo idola argenti ſui, & ſimulachra auri ſui, quæ fecerat ſibi.* & Zachar. cap. 13. והיה ביום ההוא נאם יהוה צבאות Zach. c. 13. אכרית את שמות העצבים מן הארץ ולא יזכרו עוד *vehaia baiom habu neũ Iehoua tſebaoth achrit*

aibrith eth ſcemoth haghatſabim min haarets velo izzachru ghod. Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, diſperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà. Quæ omnia in diebus Meſſiæ præſtaoda erant: vt hinc agnoſcant Hebræi, Ieſum ipſum eſſe Meſſiam, cuius Religione ſimulachrorum cultus penitus euerſus fuit.

ILLVD verò mirabiliſſimum videri debet, quòd Chriſti Religio id tam repentè præſtitit, vt nulla hominum ars, nulla potentia id vnquam efficere potuiſſet. Nam licèt voluptatibus vberem legem Chriſtus orbi ſanxiſſet, licèt carnis oblectationes, diuitias, honorum cumulos hominibus promiſiſſet: ſanè adhuc difficile videbatur, homines tam exiguo temporis ſpatio ad eam pertrahi poſſe. Cùm verò Chriſti lex voluptates hominibus execraodas proponat; cruces verò, labores, anguſtias, ſuipſius abnegationes, atque acerrimos conflictus cum dæmone perſuadeat; quomodo ea tam citò reluctante hominum natura tot populorum animis inſeri potuiſſet; idque tam fixè, ac profundè, vt pro ea tuenda tot hominum millia ſanguinem cum vita profundere non hæſitauerint: niſi quædam potentiſſima, ac diuina virtus, hominum mentes peruaſiſſet, quæ repentinæ huius mutationis auctor eſſet? *Magna res foret* (inquit Chryſoſt. demonſtrat. quòd Chriſtus ſit Deus) *& diuinæ virtutis, etiamſi nemo interturbaret, eſſetque pax ſumma, & multis ſimul adnitentibus, & reluctante nullo, poſſe intra tam breue tempus totũ orbem à conſuetudine mala qua præoccupatus fuit, liberari, & in aliam induci.* (*Chryſoſt.*)

DENIQVE, vt hanc rationem concludam, tam repentina, támque perfecta fuit hæc orbis mutatio, Chriſtianæ Religionis ac Euangelicæ legis virtute peracta; vt eam non minùs quàm primam illius creationem mirabilem eſſe ſentiam: cùm eadem diuina virtus, quæ orbis productionem antea molita fuerat, eiuſdem renouationi prorſus neceſſaria eſſet: vt docet Dauid Pſalm. 103. (*Pſalm. 103.*) תשלח רוחך יבראון *teſciallahh ruhhacha ibbareon. Emittes* (ait) *ſpiritum tuum, & creabuntur.* Quibus verbis rerum creationem (vt par eſt) Deo aſcribit, atque eidem earum renouationem tribuit, cùm addit, ותחדש פני אדמה *vthebhadeſch pene adamah. Et renouabis faciem terræ.*

CÆTERVM, quemadmodum qui poſt denſiſſimas noctis tenebras aërem vndique clariſſima luce fulgentem cernunt, Solis ortum inde certiſſimè colligunt: ita qui craſſiſſimas illas idololatriæ tenebras toto orbe expulſas vident, & clariſſima Dei vnius fidei luce terrarum orbem illuſtratum conſpiciunt; planè (niſi ſeipſos decipiant) Chriſtum eſſe Meſſiam ſibi certiſsimè perſuadere debent, à quo hæc fidei lux in totum orbem profecta ſit.

QVINTA ratio ex ipſa Chriſti noſtri Natiuitate depromitur, quæ eo ipſo tempore accidit quo Meſsias in orbe naſciturus traditur. Nam Meſsiam quarto mundi millenario naſciturum ex Danielis Vaticinio c. 9. ſuperiùs demonſtrauimus; vbi Hebræorum traditiones nonnullas recenſuimus, quæ hunc annorum numerum accipiunt: at præter eas lubet obſeruationem haud vulgarem, aut aſpernandam hoc loco inſerere.

SOLIS productionem vſque ad quartum diem à Deo dilatam fuiſſe tradit Moyſes Geneſ. 1. vt notum eſt. (*Geneſ. 1.*) *Dixit quoque Deus* יהי מארת ברקיע השמים להבדיל בין היום ובין הלילה *iehi meodoth birkijangh haſciamaim lehaudil ben haiom veben hallaiela. Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem, ac noctem.* & infrà ויהי ערב ויהי בקר יום רביעי *vaihi gheteu vaihi voker iom reuighi. Et factum eſt veſpere, & mane dies quartus.* At qua ratione, aut conſilio Deus id præſtiterit, nonnulli ad arcanum myſterium trahunt. Conſtat namque numerum quaternarium perfectiſſimum eſſe, tum quòd inter omnes numeros primus quadratus ſit, per quem cæteri omnes quadrati exiſtunt. Tum etiam quòd ſenarium in ſuis partibus includat, qui numerus inter primos perfectos numeratur; vnum enim, duo, & tria, quæ ſunt partes quaternarij, ſenarium præſtant. Demum quaternarius omnium numerorum eſt plenitudo. Nam cùm denarius numerus omnium numerorum ſummus ſit, omnis ſiquidem numerus denarij, vel partium eius eſt repetitio; hinc quaternarius omnium numerorum plenitudo appellatur, quòd denarium, ſi partes cum ſuo toto capiantur, in ſe adæquatè cõtineat: partes namque quaternarij ſunt vnum, duo, tria, totum verò quatuor: porrò hæc ſimul coniuncta denarium efficiunt. Cùm igitur quaternarius numerus ſit omnium numerorum plenitudo, inde elicimus quartum diem, quo formatus fuit Sol, omnium temporum eſſe plenitudinem.

AT quænam hæc plenitudo ſit, declarat Paulus noſter ad Galat. 4. (*Galat. 4.*) *At vbi venit* (inquit) *plenitudo temporis, miſit* Deus *filium ſuum natum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret.* Hæc illa temporum eſt plenitudo, de qua Daniel. 9. (*Dan. 9.*) *Scito ergo, & animaduerte ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Ieruſalem, vſque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſeptuaginta duæ erunt.* Perfecta enim hac temporis plenitudine diu expectatus Meſsias tandem è ſinu Patris, à quo ante ſæcula genitus fuerat, ſeſe in terras demittere, ac noua generatione in vtero Virginis concipi debuit, vt perfectiſſimum illud inter alia tempus eſſe agnoſceretur, quo Deus humana carne comprehenſus hominem Deo perfectiſsimè coniuncturus

erat,

erat, atque ea perfecta temporis plenitudo cenſeretur, quum vniuerſa Prophetarum oracula, quæ de Meſſia, aut verbis expreſſa, aut figuris velata erant, plenam Meſſiæ natiuitate veritatem eſſent aſſequuta, atque Angelicæ ſedes ſuis ſeſſoribus, Luciferi caſu deſtitutæ, certam hoc tempore inſtaurationis ſpem haberent, vt hæ breui electis animabus complerentur.

Hanc igitur temporis plenitudinẽ quarta hæc dies, in qua Sol formatus fuit, non obſcurè inſinuat, ea ſi quidem Meſſias fulgentiſſimus totius iuſtitiæ Sol à ſummo cœlo egrediens vniuerſum Orbem ſuo aduentu B erat illuſtraturus.

Qvod ipſi quoque peritiſſimi Iudæorum confirmant. Vetus enim Hebræorum dogma fuit, inter ſapientiores elapſum, ſex creationis rerũ dies omnium eorum vaticinium eſſe, quæ in ſex orbis millenariis gerenda eſſent: id enim tempus duntaxat orbis durationi præſcribunt: quod etiam ex Catholicis Doctoribus nõnulli ſuſtinẽt, ea ratione freti, quòd ſicut ſeptima die quieuit Deus ab omni opere, quod patrarat: ita ſeptimo orbis millenario rerum omnium, ac electorum quies

2.Petr 3. futura ſit, aſſerente Petro epiſt. 2. c. 3. *Vnum* C *hoc non lateat vos chariſſimi, quia vnus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies vnus.* Attamen quicquid ſit de hoc eorũ iudicio, ſatius enim eſt Chriſto credere di-

Matth 24. centi apud Matt. 24. *De die autem illo, & hora nemo ſcit,* &c. neque temerè aliquid aſſerendum eſt, cùm Act. primo Christus diſcipulos

Act. 1. increpet, id curioſiùs inquirentes illis verbis. *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Id tamen noſſe ſufficiat, quarto mundi millenario iuxta Hebræorum dogma, venturum fuiſſe Meſſiam, atque huius rei vaticinium in quarto creatio- D nis die præceſſiſſe.

Confirmatvr hoc Hebræorum dogma ex ſingulari quadam traditione, quæ

Thalmud. habetur in Thalmud in particula quæ inſcri-

Auodazara bitur Auodazara cap. Libne edeem. vbi ita legitur. *Dixit ergo R. Elias, ſex mille annorum mundus, duo mille inane, duo mille lex, duo mille Meſſias.* Inane totum illud tempus indicat, in quo nulla præterquàm naturæ lex viguit. Duo mille lex, ſcilicet Moyſi data. Duo mille Meſſias, ideſt, lex noua, quæ à Meſſia promulganda erat. E

At obſeruandum eſt, ea tempora non ita præcisè ab illis inſinuari, vt nihil extremorum ſibi inuicem communicari velint, ſed ita accipi volunt, vt ſicut ſecundo millenario legis naturæ non expleto ſucceſſit lex Circunciſionis data Abrahæ: ita ante quartum millenarium expletum venturus eſſet Meſſias.

Demonſtrandvm igitur eſt primùm ex annali Hebræorum computatione Chriſtum Ieſum in quarto millenario natum eſſe: nam ab Adam vſque ad diluuium numerant Hebræi 1556. annos, à diluuio vſque ad Abraham 292. Ita fit vt ab Adam vſque ad Abraham numerent annos 1848. quo tempore nulla adhuc à Deo lex hominibus data erat. Cœpit deinde lex Circunciſionis ſub Abraham promulgari, qui accepta Meſſiæ promiſſione, egreſſus de Haran Meſopotamiæ, migrat in Ægyptum. Ab hac peregrinatione vſque ad exitum filiorum Iſraël ab Ægypto, ſupputant annos 430. vt legitur expreſsè Exod. 12. Ab exitu Ægypti vſque ad templi ædificationem 480. vt habetur apertè 3. Reg. 6. à prima templi ædificatione vſque ad primam illius templi deſtructionem annos 410. ab hac verò vſq; ad ſecundum templi excidium, numerant annos 490. Ab iis ſi 42. annos detrahas, qui à Chriſti Ieſu internecione vſque ad templi euerſionem fluxerunt, ac præterea 33. vitæ Chriſti; efficient numerum annorum 3686. qui ab orbe condito vſque Chriſtum noſtrum elapſi ſunt.

Id verò iuxta Hebræorum ſupputationem dictum ſit: noſtri enim alia ſupputatione vtuntur, ſiquidem ab Adam vſq; ad Abraham numerant annos 2023. ab Abraham verò vſque ad Chriſtum annos 1935. Ita fit, vt totus numerus ab orbe condito vſque ad Chriſtum fuerit 3998. annorum. Atque hinc habetur tam iuxta Hebræorum, quàm Catholicorum ſupputationem Chriſtum noſtrum Optimum Maximum circa finẽ quarti millenarij natum eſſe, velut nouum orbis Solem, qui expulſis errorum tenebris noua fidei ſuæ luce mundum vniuerſum illuſtrauit: quò fit, vt illum Iudæi ſemota omni dubitatione verum Meſſiam agnoſcere debeãt.

Meminerint Hebræi (vt in eorum gratiam propoſitum Solis myſterium paulò ampliùs proſequar) Solem ex nube illa lucida, quæ prima die creata fuit, eſſe formatum: lucidam verò illam nubeculam, quid prohibet Patrẽ Abrahamum myſticè interpretari, qui primus veræ Religionis auctor fuit, primus fidei pater, primus, qui & naturæ legem abſolueret, & in diuina lege meditaretur, primus, qui vnius Dei cultum hominibus perſuaderet, primus, cum quo Angeli Dei familiariſſimè ſint verſati, primus, qui & errorum tenebras depellere, & dæmonibus, quos Paulus noſter Principes tenebrarum vocat, bellum indicere eſt aggreſſus; primus, qui Religionis amore patriam reliquerit, proprio filio propter Deum non pepercerit; in terra aliena ex Dei obedientia peregrinatus fuerit, Deum vna fide agnouerit, ac fidei merito iuſtificatus fuerit? Quapropter non fruſtrà nubeculæ illi comparatur, ex qua prima in orbem lux irrupit.

Fvit igitur ex hac prima Abrahæ nubecula

Right margin notes: Gen. 5. — Gen. 14. — Exod. 12. — 3. Reg. 6. — Daniel. 13. — Eſa. 60. — Pſal. 117. — Rom. 12. — 1. Reg. 18.

cula Sol ſurmatus: Siquidem Abrahæ primùm Meſſiæ promiſſio facta eſt, arque inde mortalibus diuinę Incarnationis dies illuxit, quo tandem perfectè Orbis illuminatus fuit. Ioan.8. Fœliciſſimus fanè dies, de quo Ioannis 8. Chriſtus noſter Iudæis ait. *Exultauit Abraham vt videret diem meum, vidit, & gauiſus eſt.* Vidit nimirum ſpiritu, vidit intellectu, vidit fide: Gen.24. hac enim ratione factum eſt, vt Gen. 24. ſeruo ſuo dixerit שים נא ידך תחת ירכי ואשביעך ביהוה אלהי השמים ואלהי הארץ *ſim na iadecha tahhath ierechi veaſchighacha baihoua elohe haſſamaim velohe haarets. Pone manum tuom ſuper femur meum, & iura mihi per* B *Deum cœli, & terræ.* Cùm enim exploratum ſit, iuramenta ab antiquis non femori, ſed capiti impoſita manu fieri ſolere, vt patet Daniel.13. Daniel. 13. vbi ſenes teſtimonium in Suſannam ferentes, manum illius capiti impoſuũt. Cur Abraham iuramentum à ſeruo exigens manum femori ſibi imponi poſceret; niſi ex ſuo femore Deum cœli humana carne indutum egrediendum prænoſceret?

Vidit ergo hanc quartam diem Abraham, in qua Sol, qui nunquam occidit; Sol, qui lucem habitat inacceſſibilem; Sol, qui iuxta Paulum ad Hebr. primo eſt ſplendor Patris, & figura ſubſtantiæ eius; Sol, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; Sol tandem, qui totius mundi lux futura erat hominibus apparuit, ac nouum Redemptionis diem aperuit. Atque hinc factum eſt, vt Iſaias c. 60. Iſai.60. nimia huius diei lætitia perfuſus exclamauerit קומי אורי כי בא אורך וכבוד יהוה עליך זרח והלכו גוים לאורך ומלכים לנגה זרחך *kumi ori ki va orech vchebuod Iehoua ghhalaich zarach: vehalechu goim leorech vmelachim lenogah zarehhech. Surge, illuminare Hieruſalem, quia venit lux tua, & gloria Domini ſuper te orta eſt, & ambulabunt gentes in* D *lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui.* Dauid quoque plurimùm in huius diei contemplatione exultauerit, Pſal.117. cùm ait Pſalmo 117. זה היום עשה יהוה נגילה ונשמחה בו *zeh haiom ghhaſah Iehoua nagilah veniſmehha vo. Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.* Atque hinc fortè natum eſt, quod Plato (ſi tamen licet Ethnicos ſacris miſcere) Solem dixit eſſe viſibilem Filium Dei. Quòd ſi id omninò non accipimus, licebit tamen Solem inuiſibilis Filij Dei imaginem, ac typum appellare; qui, vt faciliùs à uobis videri poſſet, inaſpectabilem ſibi innatam lucem nubecula contegere voluit, Ezech.32. quod antea Deus per Ezechielẽ c. 32. prædixerat, cùm ait. *Solem nube tegam.* Hæc enim illa nubecula fuit, de qua dicitur 3. Reg. 18. 3.Reg.18. *Nubecula parua quaſi veſtigium hominis aſcendebat.* Quæ puriſſimam illam Chriſti noſtri carnem referebat, qua factum fuit, vt Diuinita- A tis, ac maieſtatis illius radij nobis temperarentur.

At Hebræi in ſolam nubem oculos coniicientes, latentem Solem non modò non agnouerunt, aut coluerunt, ſed vndique accumulatis ſcelerum tenebris, diuino illius operum ac miraculorum ſplendori ſeſe opponentes innumeris contumeliis affecerunt, cùm potiùs hinc Meſſiam illum agnoſcere deberent.

Atque inde tandem ſexta ratio conſurgit, quæ illos in apertam Ieſu noſtri velut fœliciſſimi Meſſiæ cognitionem incedere B compellit: nam cùm in ſeipſos oculos conuertunt, ac toto orbe ſe profugos ac diſperſos vident, profectò ſi huius rei cauſam diligentiùs inquirant, apertiſſimè concludent grauiſſimum hoc ſupplicium, non niſi grauiſſimum, ac inexpiabile ſcelus conſequutum fuiſſe.

Nam ſi quiſpiam Regis filium, cui iure regnum debebatur, paterna domo, ac Regno pulſum toto Orbe exulem conſpiceret: an non id illi ob grauiſſimum ſcelus in Patrem admiſſum accidiſſe exiſtimaret? Id cùm Iſraëlitico populo eueniſſe videamus; quem C Deus chariſſimi, ac primogeniti filij loco habuit, vt patet Exod. 4. כה אמר יהוה בני בכרי ישראל Exod.4. *ko amar Iehoua beni vechori Iſrael. Hæc dicit Dominus Deus; primogenitus meus Iſraël.* Neque id fanè immeritò, cùm is primus in fide fuerit, primus in benedictionibus, primus in donis, primus in imperio, ad quem omni iure regni honor, ac Meſſiæ hæreditas ſpectabat: id enim teſtatur Chriſtus apud Matth. 12. *Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël.* Matt.12.

Iam quis hunc ipſum primogenitum, ac dilectiſſimum Dei filium modò cernit regno D pulſum, domo paterna eiectum, terra illa antiquiſſimo hæreditatis iure ab eo poſſeſſa exterminatum, Templo, Regno, Sacerdotio, Prophetis, ſacrificiis ſpoliatum, iam tot annorum centuriis diſperſum, exulem, ac toto Orbe profugum, cui nec vlla quidem Regiæ illius antiquæ Maieſtatis ornamenta ſuperſint, qui graue aliquod facinus ab eo commiſſum fuiſſe, ac ob id grauiſſima hac pœna mulctatum eſſe non agnoſcat?

Ponite vobis (obſecro) ante oculos E Hebræi, quot hactenus captiuitates ob præterita ſcelera à vobis in Deum patrata perpeſſi eſtis: agnoſciteq́; nullam vnquam tam diuturnam, nullam tam lacrymis dignam: nullam tam mœroris, ac deſolationis plenam: nullam tam longa Dei obliuione miſeram, nullam denique tam horribilem, atque omni liberationis ſpe vacuam captiuitatem vobis contigiſſe, quàm quæ nunc vobis à Deo inflicta eſt. Prima veſtra captiuitas à

A Chuſan Meſopotamiæ Rege exorta fuit, quę octo duntaxat annis durauit. Miſit autem vobis Deus ſaluatorem Othoniel, vt habetur Iudic. 3.

Iudic. 3.

SECVNDA ab Eglon Rege Moab excitata fuit, cui Patres veſtri 18. annis ſeruierunt, iis ad Dominum clamantibus miſit liberatorem Aod. Ita legitur Iud. 4.

Iudic. 4.

TERTIA paucorum annorum fuit ſub Iabim Rege Chanam, à qua per manus Barac liberati fuiſtis.

QVARTA à Madianitis ſeptem annorum ſpatio ſuſcitata Gedeonem Redemptorem accepit.

B

QVINTA fuit ſub Philiſtiim, & filiis Ammon, quæ vſque ad 18. annum progreſſa eſt, atque heclehprhe liberatore finē accepit.

SEXTAM iidem Philiſtiim denuò excitarunt, quæ vſque ad 40. annum protenſa eſt, à qua tandem per Samſonem, Samuelem, Saülem, Dauid liberati fuiſtis.

SEPTIMA tandem vobis à Nabuchodonoſore Aſſyriorum Rege orirur, quæ omnium maxima fuit: ea enim ſeptuaginta annorum ſpatio Iudæos ſub illius iugo ſeruos detinuit. Verùm poſt ſeptuaginta annos Cyro, ac Dario benignè in eos agentibus à Deo patriæ reſtituuntur.

C

SED extremæ huic veſtræ captiuitati quis finis, aut modus à Deo impoſitus eſt? Præteritis quidem diuturnior ſeptuaginta annorum fuit, ob idololatriæ crimen vobis inflicta, quo ſanè nullum grauius crimen excogitari poſſe videbatur; huic tamen ſeptuaginta annorum à Deo meta præſtituta fuit: cùm verò hac tempeſtate nullus inter vos vigeat illicitus idolorum cultus, cùm legis obſeruationi diligentiùs incumbatis: cùm frequentiora ieiunia, ac preces à vobis exerceantur.. Quid eſt quòd tot annorum centuriæ elapſæ ſunt, quibus grauiſſima adhuc hæc vos calamitas obruit, ac penè opprimit? Vnde tanta in vos Dei ira congeſta eſt, vt nullo idololatriæ, aut alterius publici criminis ſcelere commotus, Detis pœnæ modum, aut metam non ſtatuat?

D

PLANE ſi priſcas illas captiuitates animo reuoluitis, in iis vltricem quidem Dei virgam, ſed benignam, ac velut filiorum, qua Deus peccata leuiter punire ſolet, intueri licebit, quò fiebat, vt ad captiuorum ſolatium Prophetas mitteret, qui aliqua liberationis ſpe illorum moleſtias ſubleuarent, vt inde ipſa captiuitas ipſis leuior, ac tolerabilior efficeretur. At in grauiſſima hac tot annorum captiuitate, vnde vobis Prophetæ conſolatores erumpunt? vnde liberationis ſpes veſtris animis exurgit? Tot ſaluatores Patribus veſtris Deus antehac ſuſcitauit, qui eos in libertatem vindicarent; quid eſt, quòd

E

extrema hac calamitate oppreſſis nullus vobis ſaluator exurgit? nulla libertas promittitur? ſed grauior in dies calamitas fit, acerbior luctus, captiuitas diuturnior: immò nullo captiuante, aut perſequente ſola Dei ira exagitamini: & quod durius eſt, nulla ſolatij, aut futuræ libertatis ſpes vobis penitus illucet?

AN non illud vobis durum videri debet, quòd patres veſtri dum captiui detinerentur, ad Deum clamauerunt, & ſalui facti ſunt, vt ait Dauid Pſal. 21. בטחו ולא בושו *vatehhu velo voſciu. In Deo ſperauerunt, & non ſunt confuſi?* At quotidie vos per diem in Synagogis clamatis ad Dominum, & non exaudit, noctem in orationem inſumitis, & omnia ad inſipientiam vobis.

Pſal. 21.

HEV miſeri, agnoſcite iam ob immaniſſimam Meſſiæ cædem à patribus veſtris patratam hæc vobis accidere; hoc ſcelus, hoc facinus eſt, quod nullo vitulorum ſanguine, aut calamitatum perpeſſione, præterquàm ſola pœnitentia, expiari poteſt. Hæc ſola culpa eſt, quæ Deum olim Patrem, nunc vobis hoſtem teddidit, quæ filiorum virgam in lethiferum inimici arcum tetendit, quæ vos regno expulit, qui nimia crudelitate in ipſius hætedem Meſſiam graſſati eſtis, quæ toto orbe vagantes ob tantùm flagitium pellit, quæ captiuitatem auget, quæ Prophetas vobis ſubripit, quæ tandem omni ſolatio deſtitutos ad perditionem vocat.

CHRISTVM occidiſtis, quandoquidem patrum veſtrorum ſceleri Chriſtũ repellentes fauetis, ac velut ſubſcribitis: graue quidem ſcelus, ſed expiabile: at grauiſsimum & inexpiabile illud, quòd nulla ſceleris pœnitentia ducti, Meſsiam Chriſtum non agnoſcitis: quò ſanè fiet, vt acerbior ſemper luctus, ac calamitas diuturnior excreſcat.

PERPENDITE Hebræi, quo tempore hæc veſtra captiuitas cœpit: atque inde vobis manifeſtum erit, quo ſcelere agitante ab ea iactati ſitis. Certè tunc primùm eam vobis accidiſſe exploratum eſt, cùm 70. hebdomadum tempus expirare cœpit, cùm omnes Meſsiæ aduentus termini expleti fuerunt: cùm à vobis Chriſtus noſter occiſus eſt: cùm illius fidem, ac Religionem repuliſtis. An non expletum Danielis vaticinium agnoſcitis, in quo veſtræ captiuitatis cauſa iamdiu perſpecta eſt? Ita enim vaticinatus eſt Daniel c. 9. *Et poſt hebdomadas ſexaginta-duas occidetur Chriſtus, & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt, & ciuitatem, & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo, & finis eius vaſtitas.* Quid muſſitatis Hebræi? nequaquam in hanc calamitatem fortuitò incidiſtis, ſed Deo ſcelus veſtrum vlciſcente meritò pœnam hanc luitis.

Dan. 9.

NEQVE

NEQVE noſtra duntaxat hæc ſententia A eſt. Reuoluite quæſo quæ ſcribit R. Samuel epiſt. ad R. Iſaac cap. 26. *Pauco (inquit) Domine mi, quòd nos apoſtatauimus à Deo in primo aduentu iſtius iuſti, cui expreſsè conueniunt omnia, quæ ſcripta ſunt apud nos in libris legis, & Prophetarum. Propter quam apoſtaſiam Deus ſic protendit in longitudinem dierum captiuitatem iſtam nobis. Et ſi expectamus Saluatorem alium ab iſto iuſto, non prodeſt nobis. Sed argumentum nobis euidens eſt captiuitas illa, qua fuit in Babylonia 70. annis, & quantùm ad tempus, quia breue, quantùm ad gratiam, quia Daniel Propheta fuit captus cum nobis, qui erat amicus Dei, & per quem* B *conſolabatur nos de liberatione propinqua. Non etiam omnes tribus fuerant in ipſa captiuitate. Sed hæc captiuitas iam peruenit ad complementum mille annorum, nec eſt Daniel nobiſcum, & omnes tribus, nulla excepta, ſunt in diſperſione elongata à domo ſancta: ex quo ſignum eſt euidens, quod pro peccato generali, quod eſt in omnibus, quod peccatum cùm perſeuerat in nobis, perſeuerabit ira ſuper gentem noſtram ſine ſpe, & tamen expectamus aliquem alium, quæ expectatio non prodeſt nobis.*

R. Samuel.

ECCE quàm ſeriò R. Samuel totius huius ærumnoſæ captiuitatis cauſam à ſola Chriſti nece pendere agnoſcit. Atque illud C idem affirmauerat cap. 19. illis verbis. *Timeo Domine mi, quòd illud, quod Zacharias Propheta dixit cap. 13. Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis, fuit completum, quando nos percuſsimus Paſtorem iſtorum puerorum, & Sanctorum Apoſtolorum. Ex tunc nos oues diſperſi ſumus per vniuerſum orbem, & iſti filij noſtri ſcilicet Apoſtoli, ſurrexerunt loco Prophetarum; quod apparet ex hoc, quòd Deus poſt illos non miſit nobis Prophetam,* &c.

EX his igitur, quæ hactenus dicta ſunt, cùm apertè demonſtratum fuerit, vniuerſa Prophetarum vaticinia, quæ ad Meſsiam D ſpectant, optimè Ieſu noſtro congruere, ac præterea illum diuino miraculorum teſtimonio Meſsiam, ac Deum comprobatum fuiſſe; ipſius etiam Religionem ita mirificè inter tot Tyrannorum bella, ac perſecutiones ab infimæ notæ viris repentè toto orbe propagatam; tot præter hæc mirabiles, ac vberrimos fructus ex hac Chriſtianæ Religionis diſſeminatione in orbe natos. Demum cunctos Meſsiæ aduentui præfixos terminos in Chriſto noſtro expletos fuiſſe: vnde etiam ex illius immerita cæde Iudæorum extremam hanc atque infelicißimam E captiuitatem ortam eſſe collegimus: inde certiſsima demonſtratio elicitur, Ieſum noſtrum verum eſſe Meſsiam, ac præter eum neminem alium eſſe expectandum.

Demonſtratur quintò Ieſum Chriſtum eſſe Meſsiam ex ſignorum teſtimonijs, quæ ipſis Iudæis acciderunt.

ARTICVLVS IV.

SVPEREST, vt extremam huius demonſtrationis partem iis teſtimonijs concludamus, quæ à Iudæis negari minimè poſſunt: nam cùm plurima illis à Deo ſigna demonſtrata ſint, quæ obſtinatam illorum in Chriſtum noſtrum perfidiam apertiſsimè damnant: tum maximè, quæ ab iis circa ſanctiſsimam Chriſti carnem, quæ in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento aſſeruatur, miracula viſa ſunt, dum in eam hoſtili prorſus furore debaccharentur, certiſsimam illis fidem faciunt, cum non tantùm verum Meſſiam eſſe, ac Chriſtum in lege expectatum: ſed & Deum Opt. Max. qui ſupremum ſui ipſius cultum in hoc planè admirabili Sacramento à Chriſtianis ſibi exhibitum cœleſti teſtimonio confirmat. Atque hinc certiſsimè Iudæi addiſcent, illius fidem, ac Religionem nullo modo reſpuendam eſſe, quam diuino miraculorum teſtimonio non ſemel conteſtatam viderint.

HOC verò teſtimonij genus hîc aliis idcirco inſerendum cenſui, quòd ad conuincendos Iudæorum animos magis aptum mihi viſum fuerit, ac Iudaicis calumniis, ac tergiuerſationibus minùs obnoxium. Si modò ipſi, quæ ſibi certiſsimè acciderunt, fideliſſimis teſtibus probata pro veris haberi velent, neque cum aperta veritate, cuius ipſimet teſtes eſſe poſſunt, nimis proteruè contenderent.

BENIGNISSIMVS Deus, vt Iudaicæ gentis perfidiam, ac immane odium in Chriſtum cōceptum aliqua tandem ratione compeſceret (quod ſanè ſummæ illius erga rebellem populum, ac ſui filij interfectorem humanitatis non vulgare teſtimonium eſt) diuerſis poſt illius cæcitatem orbis temporibus paſsim admiranda ſigna exhibuit, quibus & ad patrati ſceleris pœnitentiam prouocaretur, & ad verum Meſsiam Chriſtum agnoſcendum, & illius fidem amplectendam pertraheretur.

ANNO enim poſt Chriſtum natum 360. vt teſtatur Amphilochius in vita D. Baſilij, Amphiloch. quodam tempore D. Baſilio diuina celebrante myſteria, Iudæus quidam ſe cum Chriſtiano populo immiſcuit, officij miniſterium explorare volens: vidétque in manibus Baſilij in partes diuidi infantem, & cùm omnes communicarent, acceſſit & ipſe: dataque eſt ei hoſtia verè caro facta; inde accepit, & calicem ſanguine repletum, vt reuerà eſt; illius quoque particeps effectus,

vtriuſque ſeruauit reliquias, & abiens domum oſtendit vxori ſuæ in dictorum confirmationem, narrauitque quid ſuis ipſe oculis conſpexiſſet. Itaque credens, quemadmodum reuera eſt, tremendum eſſe myſterium Chriſtianorum, altera luce venit ad Baſilium, poſtulans ſine dilatione ſe Chriſti ſigno conſignari. Sanctus autem Epiſcopus, nihil procraſtinans, ſed conſuetam Euchariſtiam offerens ei, qui vult omnes homines ſaluos fieri, baptizauit eũ cum omni domo ſua credentem in Dominum. Hęc ex Amphilochio. Id igitur cùm Iudæus propriis oculis aſpexerit, eóque miraculo commotus prioris perfidiæ maculis abſterſis illius fidem amplexus fuerit, quem antea odio proſequebatur, hoc ſanè argumento aliorum Iudæorum pertinaciam, ac infidelitatem reuincit.

At memorabile illud quod Meſsiæ temporibus circa annum Chriſti 550. miraculum editum fuiſſe narrat Euagrius lib. 4. cap. 35. his verbis. *Vetus conſuetudo fuit Conſtantinopoli, vt ſi quando multa admodum particulæ puri, & immaculati corporis Chriſti Dei noſtri ſupereſſent, pueri impuberes, qui ſcholam frequentabant, accerſerentur, eáſque manducarent. Quod cùm factum fuit, filius cuiuſdam hominis Hebræi quidem opinione, arte autem vitrarij, vnà cum pueris verſatus eſt; qui quidem parentibus percunctantibus ab eo cauſam moræ, reſpondit vti ſe res habuit, ſe cum aliis pueris pariter comediſſe. Hebræus bile, furore, & iracundia inflammatus in clibanum ardentem, in quo vitrum formare ſolebat, puerum coniicit. Poſtquam verò mater puerum quæritans reperire non potuit, paſsim per totam vrbem ibat, Deum cum gemitu obteſtans, & flebilibus lamentis ſe dedens. Triduo autem poſt ad oſtium officinæ viri ſui conſiſtens, luctu miſerabiliter diuexata nomine puerum compellat. Puer matris vocem vt agnouit, è clibano reſponſum dat. Mater effractis foribus intrò irrumpit, videt puerum in mediis carbonibus candentibus conſiſtentem, illæſum ab ignis incendio. Qui cùm rogaretur, quo pacto illæſus manſerit? Mulier (inquit) veſte amicta purpurea, crebrò ad me venit, porrexit aquam, qua carbonum flammas corpus ambientes extinguerem, cibum denique dedit quoties eſuriebam. Quare ad Iuſtinianum perlata, puerum cum matre lauacro regenerationis tingendos decernit: patrem autem pueri, qui recuſauit in numerum Chriſtianorum aſcribi, in Sycis cruci affigendum curauit.*

Quis Hebræorum non admiratur flammarum vim (virgine illius matre prohibente, cuius corpus ſi non pio, innoxio tamen ore ſuſceperat) Hebræum puerum non attigiſſe? quod ſæpe Chriſti martyribus inter incendia accidiſſe certum eſt: at præterea eſurienti cœleſtes cibos illi è cœlo allatos fuiſſe, quibus eo triduo aleretur? quis puero diuinam potentiam adfuiſſe non ſentiat, cuius ſola virtute trium illorum puerorum inſtar, qui à Nabuchodonoſore in fornacem ſuccenſam iniecti fuerant inter flammas illæſus perſtiterit? At quorſum hæc, niſi vt ſupremã, ac deificam Chriſto noſtro poteſtatem ineſſe credant, qui ſupremo, ac diuino miraculorum teſtimonio ſeipſum tam apertè Deum Iudæis eſſe probat?

Parisiis ingens illud accidit miraculum circa ſalutis noſtræ annum 1290. quo vera Chriſti fides Iudæis confirmata eſt, de quo ſcribit Fulgoſus lib. 1. cap. 6. & Nauclerus generat. 44. *Ioan. Baptiſta Fulgoſus. Nauclerus.*

Ivdævs quidam Pariſiis per inopem muliereulam, cui veſtem, quam ab ea pignoratam habebat, ſe gratis reſtituturũ promiſerat: conſecratam hoſtiam in Paſchate aſſequutus, cùm accenſo igne in ſartagine eam vellet aſſare; vt perſpexit eam non mutare formam, nec colorem, gladio eam pupugit, ex qua confeſtim ſanguis manauit. Re autem detecta, ſuperuenientibus Chriſtianis hoſtia in loco ei dicato reſtituta, Iudæi domus in templum conuerſa eſt: quæ etiam Saluatoris Bullienſis nomine appellatur, vbi hoſtia, & gladius etiam nunc oſtenduntur.

Havd diſsimile eſt, quod Auentinus narrat lib. 7. Annalium Vuirtzburgij, Mergethuimij, Norimbergæ, & in aliis oppidis antiquæ Franciæ eueniſſe circa Domini annum 1298. nam rumore diſsipato quòd à Iudæis Sacramenta corporis, & ſanguinis Chriſti furto ablata, ludibrio habita, atque in mortario piſtillo contuſa, atrum cruorem effudiſſent; cùm ij obſtinatiſsimè nec ſcelere, nec tanto miraculo commouerentur, viri atque mulieres cum patuulis, rebus, ac ſupellectilibus igne concremantur, vt qui vocantem Dei benignitatem audire reſpuebant, ſupplicij grauitatem vtroque igne terreſtri, atque Tartareo conſumpti experirentur. *Auentinus.*

Mirvm ſanè eſt, quàm auidè Iudæi, odio pluſquam Tartareo in Chriſtum acti, Chriſtum contumeliis denuò afficere affectent: quò fit, vt cùm illum in cœlis regnantem præſentem ſibi habere non poſsint, in corporis, & ſanguinis illius Sacramenta, vbi illum adeſſe intelligunt, omne crudelitatis (ſi quando illis copia ſit) genus exerceant. Id cùm paſsim perſpectum ſit: tum maximè anno Chriſti 1299. cunctis innotuit, vt refert Suffridus Miſnenſis lib. 3. de anno 1299. qui miraculum ita accidiſſe narrat. *Suffridus Miſnenſis.*

Iudæi perfidiſſimi (ait) *corpus Chriſti ſacrum in nocte ſancti Paſchatis emptum à cuſtode Eccleſiæ in Ciuitate Franconiæ, quæ Rutlingen dicitur, per diuerſas ciuitates, & caſtella aliis Iudæis diſtribuerunt. Quædam religioſæ mulieres, quæ ſacras vigilias ad tumulum crucifixi obſeruabant (ſicut moris eſt in Theutonia, cùm hora matutinarum de Eccleſia prodeuntes, irent ad excitandum Eccleſiæ Presbyterum,*

Digitized by Google

rum, vt crucifixum de monumento ante matutinas ſecundùm conſuetudinem ſubleuaret, viderêntque ſuper domum Iudæi,qui Sacramentum emerat, rutilare luminaria, cùm attonitæ ſtarent, & ſecum quærerent, ſuperueniens presbyter interrogat, quid conferant: vidénſque cum ipſis luminaria, compertóque quòd Iudæus cum cuſtode in Eccleſia fuiſſet, & iuxta altare, cautè vocat Iudicem ciuitatis, & quoſdam de ciuibus, qui irruentes in domum Iudæi ipſum, & cuſtodem Eccleſiæ ceperunt. Qui ſtatim coacti facinus perpetratum confeſsi ſunt. Iam verò vt dictam eſt, idem corpus Chriſti per diuerſas Iudæorum fuerat diſperſum manſiones, qui ſæpe dictum corpus Chriſti ſacratiſsimum, acubus, ac ſubulis pungentes, & in mortariolo tundentes, & per illas puncturas, & tunſiones ſanguinem elici conſpicientes; tandem in diuerſis locis ſub terra ſuffoderunt. Sed Deus *omnipotens Sacramentum ſalutis multis miraculis prodentibus, ſuis fidelibus propalauit. Quapropter Chriſtiani ſurgentes contra Iudæos, per diuerſas Ciuitates, & loca turmatim occiderunt. Contigit vt multi Iudæi ad quoddam caſtrum confugerent, & ſe ibidem forti manu defenſarent, cúmque Chriſtiani ad expugnandum caſtrum conueniſſent: quædam virgo Iudæa de eodem caſtro rogabat Chriſtianos, vt ipſam inde eriperent, & baptizarent: Iudæis ipſam deorſum trahentibus, & increpantibus, illa de manibus eorum elapſa de altitudine ſe præcipitem dedit: ſed ecce mirum in modum, quaſi manibus Angelicis portaretur illæſa deſcendit, & mox ad fidem Chriſti, & Baptiſmum confugit.* Hæc Suffridus. vbi cùm plurima notatu digna ſe offerant: illud imprimis quòd Chriſtus corpus ſuum licèt inter hoſtium domos clauderetur, haud paſſus eſt ſine honore eſſe, cùm plurima luminaria, quos Angelos fuiſſe haud ambigimus, ſecum inter hoſtes verſarentur. Deinde quòd ingenti miraculo corpus ſuum, ſub panis ſpeciebus incluſum ibi adeſſe declarauit; vbi acubus, ac ſubulis traiectum viuum cruorem emiſit: quo miraculo ſanè commoueri Iudæos æquum erat, vt illum Deum, ac hominem eſſe crederent, qui admiranda potentia viuum, ac procerum corpus tam breui hoſtiæ ſpatio contineri vellet. Poſtremò vindicem in Iudæos Dei iram intueri licet, qui nulla tanti miraculi nouitate cõmoti: ſed in Chriſti odio, ac ſcelere perſeuerantes meritas ſuæ impietatis pœnas dederunt. Demum ſummã in Hebræam Virginem Dei humanitatem admiratione proſequi æquum eſt, qui ad fidẽ venientem non tam benignè accepit, quàm Angelica manu ſubuectam ad ſacrum Baptiſmum perduxit. Id ſeriò perpendant Hebræi, neque in Chriſti odium tam pertinaces ferantur, quem potiùs apertis ſignis Deum, ac Meſſiam agnoſcere deberent.

Hermannus Schedelius.

Id etiam confirmatum fuit anno Chriſti 1337. vt teſtis eſt Hermannus Schedelius in Chronicis anno 1337. inſigni miraculo: nam

A cùm in oppido Bauariæ nomine Deckendorff, ſito in litore Danubij, Iudæi Ieſu Chriſti maieſtatem in diuiniſſimo Sacramento mirum in modum deſpexiſſent: id enim poſt varias punctiones in fornacem ignis poſuerunt, quod tamen ab igne illæſum manſit: in incude quoque malleis percuſſerunt, vnde plurima miracula coruſcarunt, quibus Iudæorum animi ad diuinæ præſentiæ, ac potentiæ veritatem intuendam illuſtrari poterant: id cùm deſpicerent Iudæi, mox in eos Dei ira efferbuit. Re enim diuino nutu cognita, Præfectus oppidi Harthmãnus de Degemberg cum ciuibus Iudæorum domus inuaſerunt, non ſexui, non ætati parcentes, veritate cognita debitis pœnis Iudæos afflixerunt, & neci dederunt. Sacramentum obſeruatum in Eccleſia ſepulchri Domini miraculis variis in eo oppido honorari cœpit.

Iacobus Meierus. Theodoricus Loer.

PRÆTEREA Iacobus Meierus Annal. Flandriæ lib. 33. & Theodoricus Loër de miraculis Bruxellæ editis, referunt Iudæos anno ſalutis 1368. menſe Iunio Bruxellæ venerabile corpus Chriſti pugionibus, & gladiis tranſuerberaſſe, vnde cruor copioſè effluxit, C ob quod horrendum ſcelus, cùm illi in perfidia obſtinatiores perſiſterent, in oppido viui concremati fuêre.

Ludouicus Guicciardinus.

IDEM ferè ſequenti anno quibuſdam Iudæis accidiſſe narrat Ludouicus Guicciardinus in deſcriptione Germaniæ inferioris: nam vt idem ſcribit, Ionathas Iudæus à Ioanne parocho D. Catharinæ aliquot hoſtias conſecratas redemit, & incurſu inimicorum in horto occiſus, eas vxori aſſeruandas reliquit, vxor Abrahamo filio: qui die Veneris ſancto emptam hoſtiam in cœtu Iudæorum cultello conſcidit, verùm copioſo profluente D ſanguine, mater Abrahami conuerſa miraculum euulgauit. Wenceſlaus Brabantiæ dux diligenti inquiſitiona facta, Abrahamum cum ſociis conſciis adhuc pertinacem ante ædem D. Catharinæ viuum exuri iubet; & hoſtiam in templo Cathedrali D. Gudilæ religioſè deponit. Quo ſanè facto mirabili illud conſpicitur, quod ait Chriſtus. *Duo erunt in domo, vnus aſſumetur, & alter relinquetur.* Eodem enim miraculo conſpecto mater ad fidem aſſumitur, filius in ſua perfidia relinquitur.

Matt 24

Hermannus Schedelius. Nauclerus. Nicolaus Mareſchalcus.

NEQVE ab his diſtat, quod Hermannus Schedelius in Chronicis, Nauclerus generat. E 5. Nicolaus Mareſchalcus Thurius referunt accidiſſ[e an]no Chriſti 1492. in oppido Sternberg die 22. menſis Octobris ſub dominio Principum Magnopolenſium: nam Eleazar Iudæus, & complices alij Petri Sacerdotis auxilio diuiniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum per hoſtias maiores, & minores obtinent, has Iudæorum more perfotant, ab iis cruor illicò proſilit, quo linteum Eleazari,

quo præcinctus erat, ſanguinis rubore perfuſus eſt. Hoc miraculo territi, rem ad Petrum Sacerdotem deferunt. At Principes Balthaſar, & Magnus fratres, re comperta cùm veſtigia vulnerum, quæ in hoſtiis remanſerant, cernerent, Iudæos ſceleris impœnitentes 30. numero igne cremandos adiudicant. Petro verò indicante Sacramentum panno cruentato inuolutum, quod ab eo in terram ſepultum fuerat, inuentum eſt cruore conſperſum.

Nicolaus Baſelius. Linturius Laur. Surius Rouerus Pōtanus.

SED memorabile illud planè eſt, quod aſſerentibus Nicolao Baſelio additione ad Chronicon Naucleri, Linturio appendice ad faſciculum temporum, Surio in Chronicis, Rouero Pontano lib. 5. rerum memorabiliũ, accidit anno Chriſti 1510. quod ab iis ita deſcribitur. In Februario intempeſta noctis hora circiter vigiliam noctis ſecundam, homo quidam ſacrilegus nomine Paulus Form, patria Pomeranus, & incola Pernagienſis ſub ditione Ioachimi Marchionis Brandeburgenſis Principis Electoris in villa, quæ vocatur Knobloch, Eccleſiam furtiuè intrauit, atque ciborium frangens, capſellam in qua venerabile Sacramentum Euchariſtię reconditum ſeruabatur, deauratam, cum hoſtiis, & particulis duabus conſecratis furatus eſt. Sequenti autem die furti pretium æſtimans monſtratile cum particula vna Iudæo cuidam emendum obtulit: nam antea particulam alteram indignus furcifer deglutierat. Iudæus verò capſellam ſiue monſtratile conſiderans: maius ait, & multò eſſet charius, quod his incluſum fuit vaſculis, quod ſi portaſſes digno pretio redemiſſem. At ſacrilegus ille excœcatus malitia de ſinu alteram extrahens hoſtiam Iudæo appretiandam tradidit. Verùm Iudæus appenſo vili pretio, nouem groſſis, quorum duo, & triginta florenum Rhenenſem faciunt, Domini, & Saluatoris noſtri corpus ſub ſacramentalibus ſpeciebus velatum ab iniquo venditore emit. Vtcunque actum ſit, mordet reum ſcelus cõmiſſum, timétque ſemper ſæua perturbata conſcientia: fugit mercator iniquiſſimos ad Vuendos, vbi fama præuolante factum omnibus innotuit. Reuerſus tandem ad propria captus, atque in tortura poſitus, crimen confitetur, & rei geſtæ ordinem recitat. Iudæus verò, qui Dominicũ corpus emerat, ad nudã ſuperpoſitum menſam pugione ſæpius vibrato, transforare tentabat, ſed Deo volente inter tot punctiones hoſtia permanſit integra. Quod videns malitia excœcatus Iudæus, in furiam actus dixit: *Si tu es Deus Chriſtianorum, manifeſta te in nomine mille dæmoniorum.* Quo dicto citiùs in tres ſciſſa partes particula ſanguineo per circunferentiam maduit rubore. Exterritus Iudæus particulas panno inuolutas per menſis ſpatium apud ſe tenuit, & deinde duobus aliis Brandeburgi, & Stendelij morantibus ſingulas particulas tranſmiſit, tertia ſibi reſeruata: quam rurſus menſæ impoſitam pugione conficit, vnde ſanguinis guttulæ dimanarunt. Conſternatus ille, & veritus ſe proditum iri, particulam abſumere nititur, ſed non valet: dehinc mittit in aquã, at illa enatat: tertiò in ignem proiicit, ſed nihil is hoſtiæ nocet. Ad extremũ ſub Paſchatis ſolẽnitatem azymos coxit panes, particulámque maſſulæ azymi panis cõmiſcens, in furnum iactauit, móxque furnus alioquin obſcurus reſplenduit, & maſſula illa in Iudæi faciem inſiluit. Nouo ille terrore correptus, maſſulam illam cum particula alteri cuidam Iudæo tranſmiſit. Iam res erat prolata in publicum, & Marchio Iudæos omnes in ſua ditione morantes Beolinum acciri, & in vinculis teneri iuſſit; habita autem ex illis quæſtione, præter alia flagitia faſſi ſunt ſe intra paucos admodùm annos ſeptem Chriſtianorum infantes acubus, ac punctionibus peremiſſe. Igitur in illos lata ſententia quadraginta flammis traditi ſunt, tres alij Iudæi Baptiſma perceperunt.

IAM hinc Iudæi apertè intueri valent, quàm candida ſit Chriſtianorum fides, qua Chriſtũm Ieſum velut Meſſiam, ac Deum colunt: quàm irrefragabilis Sacramentorum veritas, quam Deus tot cœleſtibus prodigiis confirmat. Quanta poſtremò ſit Chriſti noſtri Dei Optimi Max. in eos manſuetudo, qui tot iniuriis laceſſitus, ac vulneribus in Sacramento confoſſus, non ſtatim in acerbiſſima ſupplicia irrumpit: ſed tandiu impios ſceleſtis illius conatus ſuſtinet, patientiam patientia accumulat, miracula miraculis addit, quò vſque tandem is ſcelus agnoſceret, ac Diuinam virtutem cerneret. Quid impia illa vox (Si tu es Chriſtianorum Deus, manifeſta te in nomine mille dæmoniorum) pœnæ à Deo non merebatur? cui tamen Chriſtus velut morem gerens, vt ſæuientem hoſtis animum leniret, & ſe verè Deum illi oſtenderet, hoſtia tres in partes conciſa, Trinitatis in ea myſterium contineri patefecit: tum illam ſanguineo rubore perfundens, apertè hominem, ac Meſſiam ſe eſſe declarauit, qui aſſumptam carnem viuo ſanguine perfuſam, inter anguſtiſſima illa Sacramenti ſpatia diuina prorſus virtute concluderet. Atque his tandem omnibus Iudæis conteſtatum eſſe voluit, eos omni prorſus excuſatione indignos fore, qui illum deinceps Deum, ac Meſſiam eſſe negarent.

Rouerus Pontanus. Laur. Surius

HIS & aliud accedat miraculum, quo Chriſtus ſe Deum, ac Meſſiam Iudæis declarare voluit, quod in Poloniæ Regno accidit anno ſalutis 1556. cuius meminerunt Rouerus Pontanus rerum memorabilium lib. 5. & Laurentius Surius Commentario rerum in orbe geſtarum. Mulier quædam vilis Dorothea

thea Lazezcha nomine, profeſſione Chriſtiana, in oppidulo quodam Sachazeto Epiſcopatus Poſnaniæ, diſſito ab arce Louitz ſpatio trium milliarium Polonicorum, cuidam Iudæo nomine Bisheim, vel Benedicto aliquot annis ſeruierat: hanc Iudæus ille ſæpiùs interpellauit, vt ſacroſanctum Chriſti corpus more Chriſtianorum cum cæteris acceptum ipſi perferret: in eius flagitij præmium promittit mulieri tres Daleros, & crocotam rubro colore tinctam, ac ſericeis fimbriis obductam, & ornatam ſe daturum. Fœmina ſcelerata conditionem accipit, ac in ipſo peruigilio Paſchæ anno currente abit in pagum quendam, Cotzo dictum, Epiſcopo ſubiectum, vbi cum cæteris cõmunicantibus ad menſam Dominicam impœnitens, & ſine confeſſione accedit, ac inſtar Iudæ percipit Euchariſtiam, ac paulò pòſt extractam ſudariolo inuoluit, ac feria tertia Paſchæ Sachazetum reuerſa Iudæo hero ſuo illam tradidit: quo facto tres alij Iudæi huic oppidulo vicini, putà Michaleeus, Saehaus, & Ioſephus ad memoratum Iudæum veniunt, ac ſacroſanctam Euchariſtiam in ſuam Synagogam deferunt, atque eam pugionibus, ac cultris confodiunt: & ecce confeſtim ex illa hoſtia multus emanat cruor, quem perfidi Iudæi in vitreum calicem colligunt. Non diu latere potuit tam atrox facinus, ante omnes mulier illa ſceleſta Sachazeti comprehenditur, deinde Iudæus eius herus, qui cõfitentur omnem rem geſtam. Per id tempus Poloniæ Rex Sigiſmundus erat Vilnæ, quæ eſt Lituaniæ metropolis, ac eius rei certior factus, mãdat eius oppiduli præfecto ſecundario, vt rem eam diligenter inueſtiget: ac ſi eam, ita vt denunciatum erat, comperiret, in omnes eius flagitij conſcios extremo ſupplicio animaduertat. Itaque Dorothea, & Iudæus habita quæſtione die Veneris poſt Chriſti Aſcenſionem publicè flammis exuſti ſunt.

M. Ianſenius.

POSTREMVM tandem (vt his finem imponamus) ac inſigne illud miraculum accedat, quod memoriæ proditum eſt à M. Ianſenio Doccomenſi Friſio, Mercurij Gallobelgici lib. 4. ac nuper viſum fuit anno ſalutis 1591. *Iudæus quidam* (inquit) *Leo nomine in omni genere linguarum exercitatus, Praga nuper in Boëmia ad fidem conuerſus, & Chriſtianorum ſacris initiatus familiaritate cuiuſdam Franciſcani Petri Rodami, cui cura infirmorum erat concredita, quique morientibus ſalutare viaticum* E *adminiſtrabat, vtebatur. Diligenter obſeruarat vbi hoſtiæ conſecratæ reponerentur, & aſſeruarentur. Initio itaque menſis Septembris Iudæus hic Chriſtianus factus (vt & ferè omnes huius farinæ Recutiti) Iudaizans huiuſmodi hoſtias tres clàm ſurripuit, charta inuoluit, & Presburgum in Vngariam profectus, ad Iudæum in hoſpitium diuertit: cúmque aliquot dies hic commoraretur, ſæpe cum* A *hoſpite de Incarnatione Chriſti, déque Sacramento corporis, & ſanguinis eius diſputauit. Interrogauitque tandem hoſpes Leonem, an aliquando Sacramentum hoc percepiſſet? Reſpondit Leo ſe percepiſſe. Tandem eò prouecta eſt oratio, vt Leo tres conſecratas hoſtias Praga raptas de ſinu deprompſerit, & Iudæo ſpectandas dederit. Iudæus viſis hoſtiis, obnixè Leonem orauit, duas ſibi donaret: quod cùm ille recuſare non poſſet, Iudæus acceptas hoſtias in arculam repoſuit, & accuratè cuſtodiuit, donec Leo Presburgo Nikelsburgum proficiſceretur. Eo abſente Iudæus hic alios ſuæ ſectæ homines conuocat, eis hoſtias exhibet, ac quomodo eas adeptus eſſet,* B *commemorat. Collatis hi conſiliis plures Iudæos ad ſe vocant, vt experiantur ſitne in Sacramentis Chriſtianorum dolus, an potiùs ea vera ſint. Effundunt hoſtias in menſam, & pone eas cultrum. Hic vnus eorum arrepto cultro. Si, inquit, verè Chriſtianorum Deus ſis, hîc virtutem tuam exere: ſimulac cultrum in hoſtiam adegit, extemplo copioſus ſanguis effluxit. Territis hoc miraculo Iudæis, mox vindex Deus adfuit, & fulmine domum concuſſit, quæ igne correpta cum hoſpite, vxore, duabus filiabus, multíſque aliis Iudæis funditus exarſit. Tres tantummodò incolumes euaſerunt. Menſa, & hoſtiæ in medio iſto incendio ſaluæ intactæq́; remanſe-* C *runt. Gubernator vrbis, qui extra muros habitabat, tam ſæuum videns incendium, miſit famulos ſuos in vrbem, vt cauſam incendij inquirant, & illud cum oppidanis reſtinguant: qui cùm in vrbem veniſſent, didicerunt Iudæos aliquot iſtis in ædibus congregatos fuiſſe, quid verò egerint nemini conſtare, multis igne abſumptis tres euaſiſſe. Re ad Gubernatorem relata, tres illi Iudæi quæruntur, & inuenti in vincula coniiciuntur. Habita quæſtione, cùm diu ſcelus occultarent, tandem prodere coacti rem geſtam ordine narrarunt. Gubernator, vt tantum ſcelus debitis pœnis expiaret, Iudæos iſtos exquiſitiſſimis tormentis excarnificari, tertióque die* D *adactis per corpora ſeminiua palis in via regia collocari præcepit.*

HIC Iudæos cogor compellare. An non hæc idcirco in Chriſtum à Iudæis iſtis conuitia iactata ſunt, ac vulnerum ictus Sacramento inflicti, vt Chriſti Diuinitatem, ac potentiam explorarent? *Si* (inquiunt) *verè Chriſtianorum Deus ſis, hîc virtutem tuam exere.* Exeruit Chriſtus virtutem ſuam, Diuinitatis potentiam deiecto fulmine, ac Iudæis incenſis palàm aperuit: ac præterea effuſo è Sacramenti ſpeciebus cruore, ſe eum eſſe profeſſus eſt, cuius ſanguinem in cruce fuderunt. Quid igitur accepto ſigno adhuc in antiquam perfidiam iuratis? Quid adhuc illius fidem, ac Religionem reſpuitis, cuius potentiam, ac Diuinitatem maximo miraculo declaratam admiramini?

CERTE plurima vobis ſigna, ac miracula non fabuloſa, ſed vera, ac omni exceptione maiora fideliſſimè narrata ſunt, quibus ſeipſum vobis pius Chriſtus Deum,

ac

ac Meſsiam apertiſſimè inſinuauit, vt ex iis tandem diſcatis fruſtrà vos alterius Meſſiæ ſpe, atque expectatione ali. Quid obſecro in iis reprehendere, quid calumniæ parare poteſtis, quominùs tot cœleſtibus teſtimoniis excitati, ac ipſa rei veritate conuicti, nomen, fidémque Chriſto noſtro detis? Planè cum iis tantùm veſtra cæcitas, ac perfidia pugnat: qua fit, vt nec vlla vobis ſigna proſint, vt olim
Deut. 29. vobis Moyſes exprobrauit Deut. 29. illis verbis: *Vos vidiſtis vniuerſa quæ fecit Dominus coram vobis in terra Aegypti. Pharaoni, & omnibus ſeruis eius, vniuerſaq́ terræ illius: tentationes magnas, quas viderũt oculi tui, ſigna illa, portentáque ingentia: & non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes.*

FACESSITE ergo tenebras Iudæi, & Chriſtum Ieſum, quem tot Scripturarum teſtimonia, tot Prophetarum Vaticinia, tot argumenta, tot miracula Deum Sole illuſtriorem in orbe demonſtrant, tandem & Deum, & Meſſiam agnoſcite, eandémque nobiſcum Dei, & Chriſti Religionem vobis amplectendam proponite, vt illud tandem Oſeæ 1.
Oſe. 1. impleatur. *Congregabuntur filij Iuda, & filij Iſraël pariter, & ponent ſibimet caput vnum, & aſcendent de terra.*

Diluuntur obiectiones Iudæorum aſſerentium Ieſum Chriſtum non eſſe Meſsiam.

ARTICVLVS V.

EXTREMVM eſt, vt nonnulla Hebræorum argumenta, quæ partim ex R. Salomone, partim ex Ioſepho Albo, ac aliis collegimus, diluantur. Primum argumentum eſt. Si Ieſus verus fuiſſet Meſsias, magis à Synagoga, quàm ab alio agnitus fuiſſet, ac receptus. Sed Synagoga illum Meſſiam nec agnouit, nec recepit: ergo ille non fuit verus Meſsias. Maior patet ex eorum verbis
Ioan. 7. apud Io. 7. *Nunquid* (inquiunt) *aliquis Phariſæorum, aut Principum crediderunt in eum? ſed turba hæc quæ non nouit legem, maledicti ſunt.* Minor per ſe nota eſt.

HVIC argumento nonnulli reſpondent, Chriſtum à præcipuis Synagogæ Doctoribus agnitum, ac receptum fuiſſe; nam Simeon Iuſtus Diſcipulus Magni Hillel, qui 40. annorum ſpatio ſanctuario deſeruierat, illum Meſſiam eſſe agnouit, ac recepit: quapropter miro gaudio affectus exclamauit. *Nunc*
Luc. 2. *dimittis ſeruum tuum Domine ſecundùm verbum tuum in pace; quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Illum etiam Meſsiam agnouerunt Io. Baptiſta, quem magnum R. Iohanan Hebræi appellãt, Nicodemus, Gamaliel, & alij quamplures, de quibus in Act. Apoſt. 6. mentio fit,
Act. 6. cùm dicitur: *Multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei.* Atque id ſufficere volunt, vt à Synagoga Chriſtus tanquam Meſsias agnitus, ac receptus eſſe dicatur. Sed hi nimis hanc Hebræorum argumentationem extimeſcere videntur, quam potiùs explodere deberent. Neque enim neceſſe erat, vt qui Meſsias futurus erat, à Synagoga reciperetur, cùm Dei, ac Scripturarum teſtimonia abundè ſufficerent ad illum Meſsiam conſtituendum.

QVAPROPTER alio modo Hebræorum argumento reſpondemus, negando maiorem. Dicimus enim Meſsiam à Synagoga neque agnoſcendum, neque excipiendum fuiſſe: quò fit, vt magis oppoſitum argumentum pro nobis contra illos militet. Chriſtum nimirum ea ratione verum Meſſiam agnitum fuiſſe, quòd à Synagoga receptus non fuerit. Probatur hoc apertè ex Iſa. 6. qui de hac Iſa. 6.
Iudæorum futura cæcitate agens, ita ait לך
ואמרת לעם הזה שמעו שמוע ואל תבינו
וראו ראו ואל תדעו: השמן לב העם הזה ואזניו
הכבד ועיניו השע פן יראה בעיניו ובאזניו ישמע ולבבו
יבין ושב ורפא לו *Vade, & dices populo huic. Audite audientes, & nolite intelligere, & videte viſionem, & nolite cognoſcere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videant oculis ſuis, & auribus ſuis audiant, & corde ſuo intelligant, & conuertantur, & ſanem eos.* Et ne vllus dubitandi locus Hebræis relinquatur, quominùs hoc loco Iſaias de Synagogæ cæcitate, quæ verum Meſsiam ignoratura erat, loquatur; audiant ſequentia illius verba, quibus tempori circunſtantias, ac cæcitati meras præſcribit ואמר עד מתי
אדני ויאמר עד אשר אם שאו ערים מאין יושב
ובתים מאין אדם והאדמה תשאה שממה:
ורחק יהוה את האדם ורבה העזובה בקרב הארץ:
ועוד בה עשיריה ושבה והיתה לבער כאלה
וכאלון אשר בשלכת מצבת בם זרע קדש
מצבתה *Et dixi* (inquit) *vſquequò Domine? Et dixit: Donec deſolentur ciuitates abſque habitatore, & domus ſine homine, & terra relinquatur deſerta. Et longè faciet Dominus homines, & multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ. Et adhuc in ea decimatio, & conuertetur, & erit in oſtenſionem ſicut terebinthus, & ſicut quercus quæ expandit ramos ſuos. Semen ſanctum erit id quod ſteterit in ea.*

NOTA accuratè has temporum circunſtantias, quas hîc Iſaias deſcribit: ex quibus tunc maximè excæcandum fore Iudæorum populum facilè diſces; cùm is verum Meſſiam ac Chriſtum non agnouerit, ac repulerit: cuius rei mox ſigna, ac teſtimonia adhibet: tùnc enim in tantæ cæcitatis pœnam prænunciat Ieroſolymorum ciuitatem funditùs euertendam, neque vllum penitus ibi Iudæum habitatorem remanſurum: magnificam illam Dei domum, toti orbi illuſtrem, nullo Sacerdote in ea offerente, aut thus adolente

adolente ſolo æquandam; Iudæorum præterea regionem expulſis Iudæis deſertam futuram; Iudæos etiam à patria expellendos, ac per totum Orbem diſpergendos; Prophetas ab iis quoque longè futuros eſſe. Demum tandiu in ea cœcitate permanſuros ait, donec Gentilium populus, qui à Deo abiectus videbatur, ſub Meſſiæ lege longè, lateque propagatus fuerit. Poſt hęc tandē reliquias Iſraël à Deo colligendas, atque eximia ſanctitate illuſtrandas fore prædixit. Perpendant Iudæi diligenter hoc Iſaię vaticinium, ex quo addiſcent, venturū Meſſiam ob illius cœcitatem à Synagoga nec agnoſcendum, nec recipiendum.

Iſa. 53. EANDEM Iudæorum cœcitatem confirmat Iſa cap. 53. vbi Meſſiæ myſteria Iudæis explicare aggrediens, illis verbis exorditur. מי האמין לשמעתנו וזרוע יהוה על מי נגלתה *mi heemin liſemughhathenu vzeroangh Iehoua ghhalmi niglatha. Domine quis credidit auditui noſtro, aut brachium Domini cui reuelatum eſt?* Quaſi innueret, Meſſiæ myſteria à Iudæorum populo minimè eſſe credenda: atque eandem inſinuat c. 1. illis verbis. ידע שור קנהו וחמור אבוס בעליו ישראל לא ידע עמי לא התבונן *Iadangh ſcior konehu vahhmor ebus beghhalaiu iſrael lo iadangh ghammi lo hith bonan. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. Iſraël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* Quæ verba in Thalmud in lib. Siphre de futuro ſæculo Meſſiæ *Thalmud Siphre.* exponuntur. *Iſraël* (inquit) *non cognouit ea, quæ præterierunt: populus meus non intellexit ad ſæculum venturum.*

QVÒD verò neque à Synagoga excipiendus eſſet Meſſias, apertè teſtatur Dauid *Pſal 117.* Pſal. 117. vbi Meſſiam à Iudæis reprobandū eſſe dicit. אבן מאסו הבונים היתה לראש פנה *euen maaſu habunim haithah leroſc pinnah. Lapidem* (ait) *quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Quem locum de Meſſia interpretantur R. Ionathas in Paraphraſi *Par. Chald.* Chaldaica, & R. Salomon in Micheam. Id *R. Salomon. Zachar. 9.* cōfirmat Zachar. c. 9. vbi eum à Iudæis configendum eſſe ait. *Videbunt* (inquit) *in me, quem transfixerunt.* *Daniel 9.* Daniel verò apertiſſimè à Iudæorum populo Meſſiam occidendum eſſe affirmat, atque ab eo reſpuendum. *Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt.*

HINC orta eſt celebris illa Thalmudiſtarum ſententia, quæ habetur in Thalmud *Sanhedrin.* in lib. Sanhedrin in c. Helec: quo loco aiunt R. Samai, & R. Salomon. *Dictum eſt in Hierem. 3. Aſſumam vos, vnum de ciuitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion. Quemadmodum ex ſexcentis millibus Iſraël, qui egreſſi ſunt de Aegypto, duo tantùm ingreſſi ſunt terram Chanaam; Ioſue videlicet, & Caleb: ſic erit in diebus Meſſiæ.* Quapropter filij R. Hua in dicto

A lib. Sanhedrin cap. Dine Mammonoth, velut arcanum maximum pronunciant, Meſſiam futurum eſſe in petram ſcandali, vt Iſai. ait cap. 8. duabus domibus Iſraël, & ad laqueum, & ad ruinam habitatoribus Hieruſalem. Atque ibidem R. Iohanan, & R. Iacob aſſerunt, Gentiles in Iudæorum locum ſufficiendos eſſe, ob id quòd Dominum, ac Meſſiam ſpreuerint, ſicut equus ſubrogatur in locum bouis claudicantis. Demum ferè omnes Thalmudiſtæ conſentiunt, Dei Spiritum, qui Synagogæ aderat, in Simeone illo iuſto magni Hillelis diſcipulo deſiiſſe, quod non ſemel

B Thalmudici Doctores in dicto tract. Sanhedrin cap. Helec confirmant, vbi R. Iudas ait. *Cùm veniet filius Dauid pauci ſapientes erunt in Iſraël, & Scribarum ſapientia putreſcet, & Theologorum ſchola in lupanaria mutabuntur.* Quare non immeritò illis noſter Chriſtus exprobrauit. *Vos autem feciſtis domum Patris mei ſpeluncam latronum.* Præterea R. Hehotaij. *Illius temporis facies* (inquit) *ſine pudore erit.* *R. Hehotaij.* & R. Nehemias de Meſſiæ temporibus agens. *Iniquitas* (inquit) *in Iſraël in infinitum multiplicabitur, neque aliud, quàm peruerſitas, ac hæreſis tunc graſ-*

C *ſabitur. Immò* (ait R. Natronay.) *Chriſtus miracula magna faciet, & ea Magiæ, ac ſpiritus immundis aſcribent.*

TANDEM ſi quo ſpiritu Synagoga poſt Chriſtum regatur, Iudæi agnoſcere volunt, iis duntaxat ſufficiat volumen Thalmud attentè perlegere: quod profectò tot ineptiis, tot fabulis, tot blaſphemiis, tot ſcommatibus refertum reperient, vt non Iudæo homine, ſed rudi quolibet idololatra, Dei prorſus ignaro indigna cenſeri debeant.

QVÆ cùm ita ſint, ruit Hebræorum argumentum, quo probare contendunt Chri-

D ſtum verum Meſſiam non fuiſſe, ob id quòd à Synagoga agnitus, atque exceptus non fuerit, cùm demonſtratum ſit, verum Meſſiam à Synagoga reſpuendum eſſe: quapropter oppoſitum potiùs concludere debent, Chriſtum eo verum Meſſiam inter cætera ſigna demonſtrari, quòd à Synagoga Meſſias agnitus, aut acceptus non fuerit.

SECVNDVM argumentum. Verus Meſſias pacem Orbi afferre debet. Sed Ieſus non pacem, ſed bella in Orbe excitauit. Igitur non eſt verus Meſſias. Maior patet ex Pſalmo 71. *Et erit in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis.* Ex Iſaia capite ſecundo.

E וכתתו חרבותם לאתים וחניתותיהם למזמרות לא ישא גוי אל גוי חרב ולא ילמדו עוד מלחמה: *vechitethu hharuotham leittim vahanithothehem lemazmeroth lo yſſa goi el goi hereu velo ylmedu ghhod milhhama. Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, neque exercebuntur vltrà ad prælium:* & capite nono. לםרבה המשרה ולשלום אין קץ *leſarbeh*

erat, atque ea perfecta temporis plenitudo A cenſeretur, quum vniuerſa Prophetarum oracula, quæ de Meſſia, aut verbis expreſſa, aut figuris velata erant, plenam Meſſiæ natiuitate veritatem eſſent aſſequuta, atque Angelicæ ſedes ſuis ſeſſoribus, Luciferi caſu deſtitutæ, certam hoc tempore inſtaurationis ſpem haberent, vt hæ breui electis animabus complerentur.

HANC igitur temporis plenitudinẽ quarta hæc dies, in qua Sol formatus fuit, non obſcurè inſinuat, ea ſi quidem Meſſias fulgentiſſimus totius iuſtitiæ Sol à ſummo cœlo egrediens vniuerſum Orbem ſuo aduentu B erat illuſtraturus.

QVOD ipſi quoque peritiſſimi Iudæorum confirmant. Vetus enim Hebræorum dogma fuit, inter ſapientiores elapſum, ſex creationis rerũ dies omnium eorum vaticinium eſſe, quæ in ſex orbis millenariis gerenda eſſent: id enim tempus duntaxat orbis durationi præſcribunt: quod etiam ex Catholicis Doctoribus nõnulli ſuſtinẽt, ea ratione freti, quòd ſicut ſeptima die quieuit Deus ab omni opere, quod patrarat: ita ſeptimo orbis millenario rerum omnium, ac electorum quies

2.Petr 3.

futura ſit, aſſerente Petro epiſt. 2. c. 3. *Vnum* C *hoc non lateat vos chariſſimi; quia vnus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies vnus.* Attamen quicquid ſit de hoc eorũ iudicio, ſatius enim eſt Chriſto credere di-

Matth 24.

centi apud Matt. 24. *De die autem illo, & hora nemo ſcit,* &c. neque temerè aliquid aſſerendum eſt, cùm Act. primo Chriſtus diſcipulos

Act. 1.

increpet, id curioſiùs inquirentes illis verbis. *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Id tamen noſſe ſufficiat, quarto mundi millenario iuxta Hebræorum dogma, venturum fuiſſe Meſſiam, D atque huius rei vaticinium in quarto creationis die præceſſiſſe.

CONFIRMATVR hoc Hebræorum dogma ex ſingulari quadam traditione, quæ

Thalmud.
Auodazara

habetur in Thalmud in particula quæ inſcribitur Auodazara cap. Libne edeem. vbi ita legitur. *Dixit ergo R. Elias, ſex mille annorum mundus, duo mille inane, duo mille lex, duo mille Meſſias.* Inane totum illud tempus indicat, in quo nulla præterquàm naturæ lex viguit. Duo mille lex, ſcilicet Moyſi data. Duo mille Meſſias, ideſt, lex noua, quæ à Meſſia promulganda erat. E

AT obſeruandum eſt, ea tempora non ita præcisè ab illis inſinuari, vt nihil extremorum ſibi inuicem communicari velint, ſed ita accipi volunt, vt ſicut ſecundo millenario legis naturæ non expleto ſucceſſit lex Circunciſionis data Abrahæ: ita ante quartum millenarium expletum venturus eſſet Meſſias.

DEMONSTRANDVM igitur eſt primùm ex annali Hebræorum computatione Chriſtum Ieſum in quarto millenario natum eſſe: nam ab Adam vſque ad diluuium numerant Hebræi 1556. annos, à diluuio vſque ad Abraham 292. Ita fit vt ab Adam vſque ad Abraham numerent annos 1848. quo

Gen. 5.

tempore nulla adhuc à Deo lex hominibus data erat. Cœpit deinde lex Circunciſionis ſub Abraham promulgari, qui accepta Meſſiæ promiſſione, egreſſus de Haran Meſopo-

Gen. 14.

tamiæ, migrat in Ægyptum. Ab hac peregrinatione vſque ad exitum filiorum Iſraël ab Ægypto, ſupputant annos 430. vt legitur ex-

Exod. 12.

preſsè Exod. 12. Ab exitu Ægypti vſque ad templi ædificationem 480. vt habetur apertè

1.Reg. 6.

3. Reg. 6. à prima templi ædificatione vſque ad primam illius templi deſtructionem annos 410. ab hac verò vſq; ad ſecundum templi excidium, numerant annos 490. Ab iis ſi

Daniel. 15.

42. annos detrahas, qui à Chriſti Ieſu internecione vſque ad templi euerſionem fluxerunt, ac præterea 33. vitæ Chriſti; efficient numerum annorum 3686. qui ab orbe condito vſque Chriſtum noſtrum elapſi ſunt.

ID verò iuxta Hebræorum ſupputationem dictum ſit: noſtri enim alia ſupputatione vtuntur; ſiquidem ab Adam vſq; ad Abraham numerant annos 2023. ab Abraham verò vſque ad Chriſtum annos 1935. Ita fit, vt totus numerus ab orbe condito vſque ad Chriſtum fuerit 3998. annorum. Atque hinc habetur tam iuxta Hebræorum, quàm Catholicorum ſupputationem Chriſtum noſtrum Optimum Maximum circa finẽ quarti millenarij natum eſſe, velut nouum orbis

Isai. 60.

Solem, qui expulſis errorum tenebris noua fidei ſuæ luce mundum vniuerſum illuſtrauit: quò fit, vt illum Iudæi ſemota omni dubitatione verum Meſſiam agnoſcere debeãt.

MEMINERINT Hebræi (vt in eorum gratiam propoſitum Solis myſterium paulò ampliùs proſequar) Solem ex nube illa lucida, quæ prima die creata fuit, eſſe formatum: lucidam verò illam nubeculam, quid prohibet Patrẽ Abrahamum myſticè interpretari,

Psal. 117.

qui primus veræ Religionis auctor fuit, primus fidei pater, primus, qui & naturæ legem abſolueret, & in diuina lege meditaretur, primus, qui vnius Dei cultum hominibus perſuaderet, primus, cum quo Angeli Dei familiariſſimè ſint verſati, primus, qui & errorum tenebras depellere, & dæmonibus, quos Paulus noſter Principes tenebrarum vocat, bellum indicere eſt aggreſſus; primus, qui Religionis amore patriam reliquerit, proprio filio propter Deum non pepercerit, in terra aliena ex Dei obedientia peregrinatus fuerit, Deum viua fide agnouerit, ac fidei merito iuſtificatus fuerit? Quapropter non fruſtrà nubeculæ illi comparatur, ex qua prima in orbem lux irrupit.

Gen. 32.
3 Reg. 18.

FVIT igitur ex hac prima Abrahæ nube-
cula

cula Sol formatus: Siquidem Abrahæ pri-
mùm Meſſiæ promiſſio facta eſt, atque inde
mortalibus diuinę Incarnationis dies illuxit,
quo tandem perfectè Orbis illuminatus fuit.
Ioan. 8. Fœliciſſimus ſanè dies, de quo Ioannis 8.
Chriſtus noſter Iudæis ait. *Exultauit Abraham*
vt videret diem meum, vidit, & gauiſus eſt. Vidit
nimirum ſpiritu, vidit intellectu, vidit fide:
Gen. 24. hac enim ratione factum eſt, vt Gen. 24. ſer-
uo ſuo dixerit שים נא ידך תחת ירכי
ואשביעך ביהוה אלהי השמים ואלהי הארץ
ſim na iadecha tahhath ierechi veaſchighacha
baihoua elohe haſſamaim velohe haarets. Pone ma-
num tuam ſuper femur meum, & iura mihi per B
Deum cœli, & terræ. Cùm enim exploratum
ſit, iuramenta ab antiquis non femori, ſed
capiti impoſita manu fieri ſolere, vt patet
Daniel. 13. Daniel. 13. vbi ſenes teſtimonium in Suſan-
nam ferentes, manum illius capiti imponût.
Cur Abraham iuramentum à ſeruo exigens
manum femori ſibi imponi poſceret; niſi ex
ſuo femore Deum cœli humana carne indu-
tum egrediendum prænoſceret?

VIDIT ergo hanc quartam diem Abra-
ham, in qua Sol, qui nunquam occidit; Sol,
qui lucem habitat inacceſſibilem; Sol, qui
iuxta Paulum ad Hebr. primo eſt ſplendor C
Patris, & figura ſubſtantiæ eius; Sol, qui illu-
minat omnem hominem venientem in hunc
mundum; Sol tandem, qui totius mundi lux
futura erat hominibus apparuit, ac nouum
Redemptionis diem aperuit. Atque hinc fa-
Iſai. 60. ctum eſt, vt Iſaias c. 60. nimia huius diei læ-
titia perfuſus exclamauerit קומי אורי כי בא
אורך וכבוד יהוה עליך זרח והלכו גוים לאורך
ומלכים לנגה זרחך *kumi ori ki va orech vche-*
uod iehoua ghhalaich zarach: vehalechu goim
leorech vmelachim lenogah zarehhech. Surge, illu-
minare Hieruſalem, quia venit lux tua, & gloria
Domini ſuper te orta eſt, & ambulabunt gentes in D
lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui. Dauid
quoque plurimùm in huius diei contempla-
Pſal. 117. tione exultauerit, cùm ait Pſalmo 117. זה
היום עשה יהוה נגילה ונשמחה בו
zeh haiom ghhaſah iehoua nagilah veniſmehha
vo. Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus,
& lætemur in ea. Atque hinc fortè natum eſt,
quod Plato (ſi tamen licet Ethnicos ſacris
miſcere) Solem dixit eſſe viſibilem Filium
Dei. Quòd ſi id omninò non accipimus, li-
cebit tamen Solem inuiſibilis Filij Dei ima- E
ginem, ac typum appellare; qui, vt faciliùs
à nobis videri poſſet, inaſpectabilem ſibi in-
natam lucem nubecula contegere voluit,
Ezech. 32. quod antea Deus per Ezechielē c. 32. prædi-
xerat, cùm ait. *Solem nube tegam.* Hæc enim il-
3. Reg. 18. la nubecula fuit, de qua dicitur 3. Reg. 18.
Nubecula parua quaſi veſtigium hominis aſcende-
bat. Quæ puriſſimam illam Chriſti noſtri car-
nem referebat, qua factum fuit, vt Diuinita-

A tis, ac maieſtatis illius radij nobis tempera-
rentur.

AT Hebræi in ſolam nubem oculos con-
iicientes, latentem Solem non modò non
agnouerunt, aut coluerunt, ſed vndique ac-
cumulatis ſcelerum tenebris, diuino illius
operum ac miraculorum ſplendori ſeſe op-
ponentes innumeris contumeliis affecerunt,
cùm potiùs hinc Meſſiam illum agnoſcere
deberent.

ATQVE inde tandem ſexta ratio con-
ſurgit, quæ illos in apertam Ieſu noſtri velut
fœliciſſimi Meſſiæ cognitiónem incedere
B compellit: nam cùm in ſeipſos oculos con-
uertunt, ac toto orbe ſe profugos ac diſper-
ſos vident, profectò ſi huius rei cauſam dili-
gentiùs inquirant, apertiſſimè concludent
grauiſſimum hoc ſupplicium, non niſi gra-
uiſſimum, ac inexpiabile ſcelus conſequutum
fuiſſe.

NAM ſi quiſpiam Regis filium, cui iure
regnum debebatur, paterna domo, ac Regno
pulſum toto Orbe exulem conſpiceret: an
non id illi ob grauiſſimum ſcelus in Patrem
admiſſum accidiſſe exiſtimaret? Id cùm Iſ-
raëlitico populo eueniſſe videamus; quem
C Deus chariſſimi, ac primogeniti filij loco ha-
buit, vt patet Exod. 4. כה אמר יהוה בני Exod. 4
בכרי ישראל ko *amar Iehoua beni vechori Iſra-*
el. Hæc dicit Dominus Deus; primogenitus meus
Iſraël. Neque id ſanè immeritò, cùm is pri-
mus in fide fuerit, primus in benedictioni-
bus, primus in donis, primus in imperio, ad
quem omni iure regni honor, ac Meſſiæ hæ-
reditas ſpectabat: id enim teſtatur Chriſtus
apud Matth. 12. *Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ* Matt. 12
perierunt domus Iſraël.

IAM quis hunc ipſum primogenitum, ac
dilectiſſimum Dei filium modò cernit regno
D pulſum, domo paterna eiectum, terra illa an-
tiquiſſimo hæreditatis iure ab eo poſſeſſa
exterminatum, Templo, Regno, Sacerdotio,
Prophetis, ſacrificiis ſpoliatum, iam tot anno-
rum centuriis diſperſum, exulem, ac toto
Orbe profugum, cui nec vlla quidem Regiæ
illius antiquæ Maieſtatis ornamenta ſuper-
ſint, qui graue aliquod facinus ab eo com-
miſſum fuiſſe, ac ob id grauiſſima hac pœna
mulctatum eſſe non agnoſcat?

PONITE vobis (obſecro) ante oculos
E Hebræi, quot hactenus captiuitates ob præ-
terita ſcelera à vobis in Deum patrata per-
peſſi eſtis: agnoſciteq́; nullam vnquam tam
diuturnam, nullam tam lacrymis dignam:
nullam tam mœroris, ac deſolationis ple-
nam: nullam tam longa Dei obliuione mi-
ſeram, nullam denique tam horribilem, at-
que omni liberationis ſpe vacuam captiuita-
tem vobis contigiſſe, quàm quæ nunc vobis
à Deo inflicta eſt. Prima veſtra captiuitas à

Chuſan Meſopotamiæ Rege exorta fuit, quę octo duntaxat annis durauit. Miſit autem vobis Deus ſaluatorem Othoniel, vt habetur Iudic. 3. *Iudic. 3.*

SECVNDA ab Eglon Rege Moab excitata fuit, cui Patres veſtri 18. annis ſeruierunt, iis ad Dominum clamantibus miſit liberatorem Aod. Ita legitur Iud. 4. *Iudic. 4.*

TERTIA paucorum annorum fuit ſub Iabim Rege Chanam, à qua per manus Barac liberati fuiſtis.

QVARTA à Madianitis ſeptem annorum ſpatio ſuſcitata Gedeonem Redemptorem accepit.

QVINTA fuit ſub Philiſtiim, & filiis Ammon, quæ vſque ad 18. annum progreſſa eſt, atque Iephthe liberatore finẽ accepit.

SEXTAM iidem Philiſtiim denuò excitarunt, quæ vſque ad 40. annum protenſa eſt, à qua tandem per Samſonem, Samuelem, Saülem, Dauid liberati fuiſtis.

SEPTIMA tandem vobis à Nabuchodonoſore Aſſyriorum Rege oritur, quæ omnium maxima fuit: ea enim ſeptuaginta annorum ſpatio Iudæos ſub illius iugo ſeruos detinuit. Verùm poſt ſeptuaginta annos Cyro, ac Dario benignè in eos agentibus à Deo patriæ reſtituuntur.

SED extremæ huic veſtræ captiuitati quis finis, aut modus à Deo impoſitus eſt? Præteritis quidem diuturnior ſeptuaginta annorum fuit, ob idololatriæ crimen vobis inflicta, quo ſanè nullum grauius crimen excogitari poſſe videbatur; huic tamen ſeptuaginta annorum à Deo mera præſtituta fuit: cùm verò hac tempeſtate nullus inter vos vigeat illicitus idolorum cultus, cùm legis obſeruationi diligentiùs incumbatis: cùm frequentiora ieiunia, ac preces à vobis exerceantur.. Quid eſt quòd tot annorum centuriæ elapſæ ſunt, quibus grauiſſima adhuc hæc vos calamitas obruit, ac penè opprimit? Vnde tanta in vos Dei ira congeſta eſt, vt nullo idololatriæ, aut alterius publici criminis ſcelere commotus, Deus pœnæ modum, aut metam non ſtatuat?

PLANE ſi priſcas illas captiuitates animo reuolutis, in iis vltricem quidem Dei virgam, ſed benignam, ac velut filiorum, qua Deus peccata leuiter punire ſolet, intueri licebit, quò fiebat, vt ad captiuorum ſolatium Prophetas mitteret, qui aliqua liberationis ſpe illorum moleſtias ſubleuarent, vt inde ipſa captiuitas ipſis leuior, ac tolerabilior efficeretur. At in grauiſſima hac tot annorum captiuitate, vnde vobis Prophetæ conſolatores erumpunt? vnde liberationis ſpes veſtris animis exurgit? Tot ſaluatores Patribus veſtris Deus antehac ſuſcitauit, qui eos in libertatem vindicarent; quid eſt, quòd A extrema hac calamitate oppreſſis nullus vobis ſaluator exurgit? nulla libertas promittitur? ſed grauior in dies calamitas fit, acerbior luctus, captiuitas diuturnior: immò nullo captiuante, aut perſequente ſola Dei ira exagitamini: & quod durius eſt, nulla ſolatij, aut futuræ libertatis ſpes vobis penitus illucet?

AN non illud vobis durum videri debet, quòd patres veſtri dum captiui detinerentur, ad Deum clamauerunt, & ſalui facti ſunt, vt ait Dauid Pſal. 21. בטחו ולא בושו *Pſal. 21.* B *vatehhu velo voſciu. In Deo ſperauerunt, & non ſunt confuſi?* At quotidie vos per diem in Synagogis clamatis ad Dominum, & non exaudit, noctem in orationem inſumitis, & omnia ad inſipientiam vobis.

HEV miſeri, agnoſcite iam ob immaniſſimam Meſſiæ cædem à patribus veſtris patratam hæc vobis accidere; hoc ſcelus, hoc facinus eſt, quod nullo vitulorum ſanguine, aut calamitatum perpeſſione, præterquàm ſola pœnitentia, expiari poteſt. Hæc ſola culpa eſt, quæ Deum olim Patrem, nunc C vobis hoſtem reddidit, quæ filiorum virgam in lethiferum inimici arcum tetendit, quæ vos regno expulit, qui nimia crudelitate in ipſius hæredem Meſſiam graſſati eſtis, quæ toto orbe vagantes ob tantùm flagitium pellit, quæ captiuitatem auget, quæ Prophetas vobis ſubripit, quæ tandem omni ſolatio deſtitutos ad perditionem vocat.

CHRISTVM occidiſtis, quandoquidem patrum veſtrorum ſceleri Chriſtũ repellentes fauetis, ac velut ſubſcribitis: graue quidem D ſcelus, ſed expiabile: at grauiſsimum & inexpiabile illud, quòd nulla ſceleris pœnitentia ducti, Meſsiam Chriſtum non agnoſcitis: quò ſanè fiet, vt acerbior ſemper luctus, ac calamitas diuturnior excreſcat.

PERPENDITE Hebræi, quo tempore hæc veſtra captiuitas cœpit: atque inde vobis manifeſtum erit, quo ſcelere agitante ab ea iactati ſitis. Certè tunc primùm eam vobis accidiſſe exploratum eſt, cùm 70. hebdomadum tempus expirare cœpit, cùm omnes Meſsiæ aduentus termini expleti fuerunt: cùm à vobis Chriſtus noſter occiſus E eſt: cùm illius fidem, ac Religionem repuliſtis. An non expletum Danielis vaticinium agnoſcitis, in quo veſtræ captiuitatis cauſa iamdiu perſpecta eſt? Ita enim vaticinatus eſt Daniel c. 9. *Et poſt hebdomadas ſexagintaduas occidetur Chriſtus, & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt, & ciuitatem, & ſanctuarium diſsipabit populus cum duce venturo, & finis eius vaſtitas.* *Dan. 9.* Quid muſſitatis Hebræi? nequaquam in hanc calamitatem fortuitò incidiſtis, ſed Deo ſcelus veſtrum vlciſcente meritò pœnam hanc luitis.

R. Samuël.

NEQVE noſtra duntaxat hæc ſententia eſt. Reuoluite quæſo quæ ſcribit R. Samuël epiſt. ad R. Iſaac cap. 26. *Paueo* (inquit) *Domine mi, quòd nos apoſtauimus à Deo in primo aduentu iſtius iuſti, cui expreſsè conueniunt omnia, quæ ſcripta ſunt apud nos in libris legis, & Prophetarum. Propter quam apoſtaſiam Deus ſic protendit in longitudinem dierum captiuitatem iſtam nobis. Et ſi expectamus Saluatorem alium ab iſto iuſto, non prodeſt nobis. Sed argumentum nobis euidens eſt captiuitas illa, quæ fuit in Babylonia 70. annis, & quantùm ad tempus, quia breue, quantùm ad gratiam, quia Daniel Propheta fuit captus cum nobis, qui erat amicus Dei, & per quem conſolabatur nos de liberatione propinqua. Non etiam omnes tribus fuerant in ipſa captiuitate. Sed hæc captiuitas iam peruenit ad complementum mille annorum, nec eſt Daniel nobiſcum, & omnes tribus, nulla excepta, ſunt in diſperſione elongata à domo ſancta: ex quo ſignum eſt euidens, quòd pro peccato generali, quod eſt in omnibus, quod peccatum cùm perſeuerat in nobis, perſeuerabit ira ſuper gentem noſtram ſine ſpe, & tamen expectamus aliquem alium, quæ expectatio non prodeſt nobis.*

ECCE quàm ſeriò R. Samuël totius huius ærumnoſæ captiuitatis cauſam à ſola Chriſti nece pendere agnoſcit. Atque illud idem affirmauerat cap. 19. illis verbis. *Timeo Domine mi, quòd illud, quod Zacharias Propheta dixit cap. 13. Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis, fuit completum, quando nos percuſsimus Paſtorem iſtorum puerorum, & Sanctorum Apoſtolorum. Ex tunc nos oues diſperſi ſumus per vniuerſum orbem, & illi filij noſtri, ſcilicet Apoſtoli, ſurrexerunt loco Prophetarum; quod apparet ex hoc, quòd Deus poſt illos non miſit nobis Prophetam*, &c.

EX his igitur, quæ hactenus dicta ſunt, cùm apertè demonſtratum fuerit, vniuerſa Prophetarum vaticinia, quæ ad Meſsiam ſpectant, optimè Ieſu noſtro congruere, ac præterea illum diuino miraculorum teſtimonio Meſsiam, ac Deum comprobatum fuiſſe; ipſius etiam Religionem ita mirificè inter tot Tyrannorum bella, ac perſecutiones ab infimæ notæ viris repentè toto orbe propagatam; tot præter hæc mirabiles, ac vberrimos fructus ex hac Chriſtianæ Religionis diſſeminatione in orbe natos. Demum cunctos Meſsiæ aduentui præfixos terminos in Chriſto noſtro expletos fuiſſe: vnde etiam ex illius immerita cæde Iudæorum extremam hanc atque infœlicißimam captiuitatem ortam eſſe collegimus: inde certiſsima demonſtratio elicitur, Ieſum noſtrum verum eſſe Meſsiam, ac præter eum neminem alium eſſe expectandum.

Demonſtratur quintò Ieſum Chriſtum eſſe Meßiam ex ſignorum teſtimoniis, quæ ipſis Iudæis acciderunt.

ARTICVLVS IV.

SVPEREST, vt extremam huius demonſtrationis partem iis teſtimoniis concludamus, quæ à Iudæis negari minimè poſſunt: nam cùm plurima illis à Deo ſigna demonſtrata ſint, quæ obſtinatam illorum in Chriſtum noſtrum perfidiam apertiſsimè damnant: tum maximè, quæ ab iis circa ſanctiſsimam Chriſti carnem, quæ in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento aſſeruatur, miracula viſa ſunt, dum in eam hoſtili prorſus furore debaccharentur, certiſsimam illis fidem faciunt, eum non tantùm verum Meſſiam eſſe, ac Chriſtum in lege expectatum: ſed & Deum Opt. Max. qui ſupremum ſui ipſius cultum in hoc planè admirabili Sacramento à Chriſtianis ſibi exhibitum cœleſti teſtimonio confirmat. Atque hinc certiſsimè Iudæi addiſcent, illius fidem, ac Religionem nullo modo reſpuendam eſſe, quam diuino miraculorum teſtimonio non ſemel conteſtatam viderint.

HOC verò teſtimonij genus hîc aliis idcirco inſerendum cenſui, quòd ad conuincendos Iudæorum animos magis aptum mihi viſum fuerit, ac Iudaicis calumniis, ac tergiuerſationibus minùs obnoxium. Si modò ipſi, quæ ſibi certiſsimè acciderunt, fideliſſimis teſtibus probata pro veris haberi vellent, neque cum aperta veritate, cuius ipſimet teſtes eſſe poſſunt, nimis proteruè contenderent.

BENIGNISSIMVS Deus, vt Iudaicæ gentis perfidiam, ac immane odium in Chriſtum cõceptum aliqua tandem ratione compeſceret (quod ſanè ſummæ illius erga rebellem populum, ac ſui filij interfectorem humanitatis non vulgare teſtimonium eſt) diuerſis poſt illius cæcitatem orbis temporibus paſsim admiranda ſigna exhibuit, quibus & ad patrati ſceleris pœnitentiam prouocaretur, & ad verum Meſsiam Chriſtum agnoſcendum, & illius fidem amplectendam pertraheretur.

Amphiloch.

ANNO enim poſt Chriſtum natum 360, vt teſtatur Amphilochius in vita D. Baſilij; quodam tempore D. Baſilio diuina celebrante myſteria, Iudæus quidam ſe cum Chriſtiano populo immiſcuit, officij miniſterium explorare volens: vidétque in manibus Baſilij in partes diuidi infantem, & cùm omnes communicarent, acceſſit & ipſe: datáque eſt ei hoſtia verè caro facta; inde accepit, & calicem ſanguine repletum, vt reuerà eſt; illius quoque particeps effectus,

vtriuſque ſeruauit reliquias, & abiens domum oſtendit vxori ſuæ in dictorum confirmationem, narrauítque quid ſuis ipſe oculis conſpexiſſet. Itaque credens, quemadmodum reuera eſt, tremendum eſſe myſterium Chriſtianorum, altera luce venit ad Baſilium, poſtulans ſine dilatione ſe Chriſti ſigno conſignari. Sanctus autem Epiſcopus, nihil procraſtinans, ſed conſuetam Euchariſtiam offerens ei, qui vult omnes homines ſaluos fieri, baptizauit eũ cum omni domo ſua credentem in Dominum. Hęc ex Amphilochio. Id igitur cùm Iudæus propriis oculis aſpexerit, cóque miraculo commotus prioris perfidiæ maculis abſterſis illius fidem amplexus fuerit, quem antea odio proſequebatur, hoc ſanè argumento aliorum Iudæorum pertinaciam, ac infidelitatem reuincit.

At memorabile illud quod Meſsiæ temporibus circa annum Chriſti 550. miraculum editum fuiſſe narrat Euagrius lib. 4. cap. 35. his verbis. *Vetus conſuetudo fuit Conſtantinopoli, vt ſi quando multa admodùm particulæ puri, & immaculati corporis Chriſti Dei noſtri ſupereſſent, pueri impuberes, qui ſcholam frequentabant, accerſerentur, eáſque manducarent. Quod cùm factum fuit, filius cuiuſdam hominis Hebræi quidem opinione, arte autem vitrarij, vnà cum pueris verſatus eſt; qui quidem parentibus percunctantibus ab eo cauſam moræ, reſpondit vti ſe res habuit, ſe cum aliis pueris pariter comediſſe. Hebræus bile, furore, & iracundia inflammatus in clibanum ardentem, in quo vitrum formare ſolebat, puerum coniicit. Poſtquam verò mater puerum quæritans reperire non potuit, paſſim per totam vrbem ibat, Deum cum gemitu obteſtans, & flebilibus lamentis ſe dedens. Triduo autem poſt ad oſtium officinæ viri ſui conſiſtens, luctu miſerabiliter diuexata nomine puerum compellat. Puer matris vocem vt agnouit, è clibano reſponſum dat. Mater effractis foribus intrò irrumpit, videt puerum in mediis carbonibus candentibus conſiſtentem, illæſum ab ignis incendio. Qui cùm rogaretur, quo pacto illæſus manſerit? Mulier (inquit) veſte amicta purpurea, crebrò ad me venit, porrexit aquam, quæ carbonum flammas corpus ambientes extinguerem, cibum denique dedit quoties eſuriebam. Quare ad Iuſtinianum perlata, puerum cum matre lauacro regenerationis tingendos decernit; patrem autem pueri, qui recuſauit in numerum Chriſtianorum aſcribi, in Sycis cruci affigendum curauit.*

Qvis Hebræorum non admiratur flammarum vim (virgine illius matre prohibente, cuius corpus ſi non pio, innoxio tamen ore ſuſceperat) Hebræum puerum non attigiſſe? quod ſæpe Chriſti martyribus inter incendia accidiſſe certum eſt: at præterea eſurienti cœleſtes cibos illi è cœlo allatos fuiſſe, quibus eo triduo aleretur? quis puero diuinam potentiam adfuiſſe non ſentiat, cuius

A ſola virtute trium illorum puerorum inſtar, qui à Nabuchodonoſore in fornacem ſuccenſam iniecti fuerant inter flammas illæſus perſtiterit? At quorſum hæc, niſi vt ſupremã, ac deificam Chriſto noſtro poteſtatem ineſſe credant, qui ſupremo, ac diuino miraculorum teſtimonio ſeipſum tam apertè Deum Iudæis eſſe probat?

Pariſiis ingens illud accidit miraculum circa ſalutis noſtræ annum 1290. quo vera Chriſti fides Iudæis confirmata eſt, de quo ſcribit Fulgoſus lib. 1. cap. 6. & Nauclerus generat. 44.

Ioan. Baptiſta Fulgoſus. Nauclerus.

B Ivdævs quidam Pariſiis per inopem mulierculam, cui veſtem, quam ab ea pignoratam habebat, ſe gratis reſtituturũ promiſerat: conſecratam hoſtiam in Paſchate aſſequutus, eùm accenſo igne in ſartagine eam vellet aſſare; vt perſpexit eam non mutare formam, nec colorem, gladio eam pupugit, ex qua confeſtim ſanguis manauit. Re autem detecta, ſuperuenientibus Chriſtianis hoſtia in loco ei dicato reſtituta, Iudæi domus in templum conuerſa eſt: quæ etiam Saluatoris Bullientis nomine appellatur, vbi hoſtia, & gladius etiam nunc oſtenduntur.

C Havd diſsimile eſt, quod Auentinus narrat lib. 7. Annalium Vuirtzburgij, Mergethuimij, Norimbergæ, & in aliis oppidis antiquæ Franciæ eueniſſe circa Domini annum 1298. nam rumore diſsipato quòd à Iudæis Sacramenta corporis, & ſanguinis Chriſti furto ablata, ludibrio habita, atque in mortario piſtillo contuſa, atrum cruorem effudiſſent; cùm ij obſtinatiſsimè nec ſcelere, nec tanto miraculo commouerentur, viri atque mulieres cum paruulis, rebus, ac ſupellectilibus igne concremantur, vt qui vocantem Dei benignitatem audire reſpuebant, ſupplicij graD uitatem vtroque igne terreſtri, atque Tartareo conſumpti experirentur.

Auentinus.

Mirvm ſanè eſt, quàm auidè Iudæi, odio pluſquam Tartareo in Chriſtum acti, Chriſtum contumeliis denuò afficere affectent: quò fit, vt cùm illum in cœlis regnantem præſentem ſibi habere non poſsint, in corporis, & ſanguinis illius Sacramenta, vbi illum adeſſe intelligunt, omne crudelitatis (ſi quando illis copia ſit) genus exerceant. Id cùm paſsim perſpectum ſit: tum maximè anE no Chriſti 1299. cunctis innotuit, vt refert Suffridus Miſnenſis lib. 3. de anno 1299. qui miraculum ita accidiſſe narrat.

Suffridus Miſnenſis.

Iudæi perfidiſsimi (ait) corpus Chriſti ſacrum in nocte ſancti Paſchatis emptum à cuſtode Eccleſiæ in Ciuitate Franconia, quæ Ruthngen dicitur, per diuerſas ciuitates, & caſtella aliis Iudæis diſtribuerunt. Quædam religioſæ mulieres, quæ ſacras vigilias ad tumulum crucifixi obſeruabant (ſicut moris eſt in Theutonia, cùm hora matutinarum de Eccleſia prodeuntes, irent ad excitandum Eccleſiæ Presbyterum,

rum, vt crucifixum de monumento ante matutinas
ſecundùm conſuetudinem ſubleuaret, viderêntque
ſuper domum Iudæi, qui Sacramentum emerat, ru-
tilare luminaria, cùm attonitæ ſtarent, & ſecum
quærerent, ſuperueniens presbyter interrogat, quid
conferant: vidénſque cum ipſis luminaria, compertóque
quòd Iudæus cum cuſtode in Eccleſia fuiſſet,
& iuxta altare, cautè vocat Iudicem ciuitatis, &
quoſdam de ciuibus, qui irruentes in domum Iudæi
ipſum, & cuſtodem Eccleſiæ ceperunt. Qui ſtatim
coacti facinus perpetratum confeſſi ſunt. Iam verò
vt dictum eſt, idem corpus Chriſti per diuerſas Iu-
dæorum fuerat diſperſum manſiones, qui ſæpe di-
B *ctum corpus Chriſti ſacratiſſimum, acubus, ac*
ſubulis pungentes, & in mortariolo tundentes, &
per illas puncturas, & tunſiones ſanguinem elici
conſpicientes; tandem in diuerſis locis ſub terra ſuf-
foderunt. Sed Deus omnipotens Sacramentum ſa-
lutis multis miraculis prodentibus, ſuis fidelibus
propalauit. Quapropter Chriſtiani ſurgentes contra
Iudæos, per diuerſas Ciuitates, & loca turmatim
occiderunt. Contigit vt multi Iudæi ad quoddam
caſtrum confugerent, & ſe ibidem forti manu de-
fenſarent, cúmque Chriſtiani ad expugnandum ca-
ſtrum conueniſſent: quædam virgo Iudæa de eodem
C *caſtro rogabat Chriſtianos, vt ipſam inde eriperent,*
& baptizarent: Iudæis ipſam deorſum trahenti-
bus, & increpantibus, illa de manibus eorum elapſa
de altitudine ſe præcipitem dedit: ſed ecce mirum
in modum, quaſi manibus Angelicis portaretur il-
læſa deſcendit, & mox ad fidem Chriſti, & Baptiſ-
mum confugit. Hæc Suffridus. vbi cùm pluri-
rima notatu digna ſe offerant: illud impri-
mis quòd Chriſtus corpus ſuum licèt inter
hoſtium domos clauderetur, haud paſſus eſt
ſine honore eſſe, cùm plurima luminaria,
quos Angelos fuiſſe haud ambigimus, ſecum
inter hoſtes verſarentur. Deinde quòd in-
D genti miraculo corpus ſuum, ſub panis ſpe-
ciebus incluſum ibi adeſſe declarauit; vbi
acubus, ac ſubulis traiectum viuum cruorem
emiſit: quo miraculo ſanè commoueri Iu-
dæos æquum erat, vt illum Deum, ac homi-
nem eſſe crederent, qui admiranda potentia
viuum, ac procerum corpus tam breui hoſtię
ſpatio contineri vellet. Poſtremò vindicem
in Iudæos Dei iram intueri licet, qui nulla
tanti miraculi nouitate cõmoti: ſed in Chri-
ſti odio, ac ſcelere perſeuerantes meritas ſuæ
impietatis pœnas dederunt. Demum ſummã
in Hebræam Virginem Dei humanitatem
admiratione proſequi æquum eſt, qui ad fidẽ
E venientem non tam benignè accepit, quàm
Angelica manu ſubuectam ad ſacrum Ba-
ptiſmum perduxit. Id ſeriò perpendant He-
bræi, neque in Chriſti odium tam perti-
naces ferantur, quem potiùs apertis ſignis
Deum, ac Meſſiam agnoſcere deberent.

ID etiam confirmatum fuit anno Chriſti
1337. vt teſtis eſt Hermannus Schedelius in *Hermannus*
Chronicis anno 1337. inſigni miraculo: nam *Schedelius.*

A cùm in oppido Baccariæ nomine Decken-
dorff, ſito in litore Danubij, Iudæi Ieſu Chri-
ſti maieſtatem in diuiniſſimo Sacramento
mirum in modum deſpexiſſent: id enim poſt
varias punctiones in fornacem ignis poſue-
runt, quod tamen ab igne illæſum manſit: in
incude quoque malleis percuſſerunt, vnde
plurima miracula coruſcarunt, quibus Iu-
dæorum animi ad diuinæ præſentiæ, ac po-
tentiæ veritatem intuendam illuſtrari pote-
rant: id cùm deſpicerent Iudæi, mox in eos
Dei ira efferbuit. Re enim diuino nutu co-
gnita, Præfectus oppidi Harthmãnus de De-
B gemberg cum ciuibus Iudæorum domus in-
uaſerunt, non ſexui, non ætati parcentes, ve-
ritate cognita debitis pœnis Iudæos afflixe-
runt, & neci dederunt. Sacramentum obſer-
uatum in Eccleſia ſepulchri Domini mira-
culis variis in eo oppido honorari cœpit.

PRÆTEREA Iacobus Meierus Annal. *Iacobus Me-*
Flandriæ lib. 33. & Theodoricus Loër de mi- *ierus.*
raculis Bruxellæ editis, referunt Iudæos an- *Theodoricus Loer.*
no ſalutis 1368. menſe Iunio Bruxellæ vene-
rabile corpus Chriſti pugionibus, & gladiis
tranſuerberaſſe, vnde cruor copioſè effluxit,
C ob quod horrendum ſcelus, cùm illi in perfi-
dia obſtinatiores perſiſterent, in oppido viui
concremati fuêre.

IDEM ferè ſequenti anno quibuſdam Iu- *Ludouicus*
dæis accidiſſe narrat Ludouicus Guicciardi- *Guicciardi-*
nus in deſcriptione Germaniæ inferioris: *nus.*
nam vt idem ſcribit, Ionathas Iudæus à Ioan-
ne parocho D. Catharinæ aliquot hoſtias
conſecratas redemit, & incurſu inimicorum
in horto occiſus, eas vxori aſſeruandas reli-
quit, vxor Abrahamo filio: qui die Veneris
ſancto emptam hoſtiam in cœtu Iudæorum
cultello conſcidit, verùm copioſo profluente
D ſanguine, mater Abrahami conuerſa miracu-
lum euulgauit. Wenceſlaus Brabantiæ
dux diligenti inquiſitiona facta, Abrahamum
cum ſociis conſciis adhuc pertinacem ante
ædem D. Catharinæ viuum exuri iubet; &
hoſtiam in templo Cathedrali D. Gudilæ re-
ligioſè deponit. Quo ſanè facto mirabili il-
lud conſpicitur, quod ait Chriſtus. *Duo erunt*
in domo, vnus aſſumetur, & alter relinquetur.
Eodem enim miraculo conſpecto mater ad *Matt 24*
fidem aſſumitur, filius in ſua perfidia relin-
quitur.

NEQVE ab his diſtat, quod Hermannus *Hermannus*
Schedelius in Chronicis, Nauclerus generat. *Schedelius.*
E 5. Nicolaus Mareſchalcus Thurius referunt *Nauclerus*
accidiſſe anno Chriſti 1492. in oppido Stern- *Nicolaus*
berg die 22. menſis Octobris ſub dominio *Mareſchalcus.*
Principum Magnopolenſium: nam Eleazar
Iudæus, & complices alij Petri Sacerdotis
auxilio diuiniſſimum Euchariſtiæ Sacra-
mentum per hoſtias maiores, & minores ob-
tinent, has Iudæorum more perforant, ab iis
cruor illicò proſilit, quo linteum Eleazari,

 quo

thea Lazezcha nomine, profeſſione Chri- A
ſtiana, io oppidulo quodam Sachazeto Epi-
ſcopatus Poſnaniæ, diſſito ab arce Louitz
ſpatio trium milliarium Polonicorum, cui-
dam Iudæo nomioe Bisheim, vel Benedicto
aliquot annis ſeruierat: hanc Iudæus ille ſæ-
piùs interpellauit, vt ſacroſanctum Chriſti
corpus more Chriſtianorum cum cæteris ac-
ceptum ipſi perferret: in eius flagitij præ-
mium promittit mulieri tres Daleros, &
crocotam rubro colore tinctam, ac ſericis
fimbriis obductam, & otnatam ſe daturum.
Fœmina ſcelerata conditionem accipit, ac in
ipſo peruigilio Paſchæ anno currente abit in B
pagum quendam, Cotzo dictum, Epiſcopo
ſubiectum, vbi cum cæteris cõmunicantibus
ad menſam Dominicam impœnitens, & ſine
confeſſione accedit, ac inſtar Iudæ percipit
Euchariſtiam, ac paulò pòſt extractam ſuda-
riolo inuoluit, ac feria tertia Paſchæ Sacha-
zetum reuerſa Iudæo hero ſuo illam tradidit:
quo facto tres alij Iudæi huic oppidulo vici-
ni, purà Michalecus, Sachaus, & Ioſephus ad
memoratum Iudæum veniunt, ac ſacroſan-
ctàm Euchariſtiam in ſuam Synagogam de-
ferunt, atque eam pugiombus, ac cultris con-
fodiunt: & ecce coofeſtim ex illa hoſtia mul- C
tus emanat cruor, quem perfidi Iudæi in vi-
treum calicem colligunt. Non diu latere po-
tuit tam atrox facinus, ante omnes mulier il-
la ſceleſta Sachazeti comprehenditur, dein-
de Iudæus eius herus, qui cõfitentur omnem
rem geſtam. Per id tempus Poloniæ Rex Si-
giſmundus erat Vilnæ, quæ eſt Lituaniæ me-
tropolis, ac eius rei certior factus, mãdat eius
oppiduli præfecto ſecundario, vt rem eam
diligenrer inueſtiget: ac ſi eam, ita vt denun-
ciatum erat, comperiret, in omnes eius flagi-
tij conſcios extremo ſupplicio animaduertat.
Itaque Dorothea, & Iudæus habita quæſtio- D
nẽ die Veneris poſt Chriſti Aſcenſionem pu-
blicè flammis exuſti ſunt.

Postremvm tandem (vt his finem
imponamus) ac iosigne illud miraculum ac-
cedar, quod memoriæ proditum eſt à M. Ian-
ſenio Doccomenſi Friſio, Mercurij Gallo-
belgici lib. 4. ac nuper viſum fuit anno ſalu-
tis 1591. *Iudæus quidam* (inquit) *Leo nomine
in omni genere linguarum exercitatus, Pragæ nu-
per in Boëmia ad fidem conuerſus, & Chriſtiano-
rum ſacris initiatus familiaritate cuiuſdam Fran-
ciſcani Petri Rodami, cui cura infirmorum erat
concredita, quique morientibus ſalutare viaticum* E
*adminiſtrabat, vtebatur. Diligenter obſeruarat vbi
hoſtiæ conſecratæ reponerentur, & aſſeruarentur.
Initio itaque menſis Septembris Iudæus hic Chri-
ſtianus factus (vt & ferè omnes huius farinæ Re-
catiti) Iudaizans huiuſmodi hoſtias tres clàm ſur-
ripuit, chartæ inuoluit, & Presburgum in Vnga-
riam profectus, ad Iudæum in hoſpitium diuertit:
cúmque aliquot dies hic commoraretur, ſæpe cum*

M. Ianſe-
nius.

A *hoſpite de Incarnatione Chriſti, déque Sacramento
corporis, & ſanguinis eius diſputauit. Interrogauít-
que tandem hoſpes Leonem, an aliquando Sacra-
mentum hoc percepiſſet? Reſpondit Leo ſe percepiſſe.
Tandem eò prouecta eſt oratio, vt Leo tres conſecra-
tas hoſtias Pragæ raptas de ſinu deprompſerit, &
Iudæo ſpectandas dederit. Iudæus viſis hoſtiis, ob-
nixè Leonem orauit, duas ſibi donaret: quod cùm
ille recuſare non poſſet, Iudæus acceptas hoſtias in
arculam repoſuit, & accuratè cuſtodiuit, donec Leo
Presburgo Nikelsburgum proficiſceretur. Eo ab-
ſente Iudæus hic alios ſuæ ſectæ homines conuocat,
eis hoſtias exhibet, ac quomodo eas adeptus eſſet,*
B *commemorat. Collatis hi conſiliis plures Iudæos ad
ſe vocant, vt experiantur ſítne in Sacramentis
Chriſtianorum dolus, an potiùs ea vera ſint. Ef-
fundunt hoſtias in menſam, & pone eas cultrum.
Hic vnus eorum arrepto cultro. Si, inquit, verè Chri-
ſtianorum Deus ſis, hîc virtutem tuam exere: ſi-
mulac cultrum in hoſtiam adegit, extemplo copio-
ſus ſanguis effluxit. Territis hoc miraculo Iudæis,
mox vindex Deus adfuit, & fulmine domum con-
cuſſit, quæ igne correpta cum hoſpite, vxore, duabus
filiabus, multíſque aliis Iudæis funditus exarſit. Tres
tantummodo incolumes euaſerunt. Menſa, & ho-
ſtiæ in medio iſto incendio ſalua intactáq́; remanſe-*
C *runt. Gubernator vrbis, qui extra muros habitabat,
tam ſæuum videns incendium, miſit famulos ſuos
in vrbem, vt cauſam incendij inquirant, & illud
cum oppidanis reſtinguant: qui cùm in vrbem ve-
niſſent, didicerunt Iudæos aliquot iſtis in ædibus
congregatos fuiſſe, quid verò egerint nemini conſta-
re, multis igne abſumptis tres euaſiſſe. Re ad Gu-
bernatorem relata, tres illi Iudæi quæruntur, & in-
uenti in vincula coniiciuntur. Habita quæſtione,
cùm diu ſcelus occultarent, tandem prodere coacti
rem geſtam ordine narrarunt. Gubernator, vt tan-
tum ſcelus debitis pœnis expiaret, Iudæos iſtos ex-
quiſitiſſimis tormentis excarnificari, tertióque die*
D *adactis per corpora ſemiuiua palis in via regia collo-
cari præcepit.*

Hic Iudæos cogor compellare. An non
hæc idcirco in Chriſtum à Iudæis iſtis con-
uitia iactata ſunt, ac vulnerum ictus Sacra-
mento inflicti, vt Chriſti Diuinitatem, ac
potentiam explorarent? *Si* (inquiunt) *verè
Chriſtianorum Deus ſis, hic virtutem tuam exere.*
Exeruit Chriſtus virturem ſuam, Diuinitatis
potentiam deiecto fulmine, ac Iudæis incen-
ſis palàm aperuit: ac prætereà effuſo è Sacra-
menti ſpeciebus cruore, ſe eum eſſe profeſſus
eſt, cuius ſanguinem in cruce fuderunt.
E Quid igitur accepto ſigno adhuc in anti-
quam perfidiam iuratis? Quid adhuc illius
fidem, ac Religionem reſpuitis, cuius poten-
tiam, ac Diuinitatem maximo miraculo de-
claratam admiramini?

Certe plurima vobis ſigna, ac mira-
cula non fabuloſa, ſed vera, ac omni exce-
ptione maiora fideliſſimè narrata ſunt,
quibus ſeipſum vobis pius Chriſtus Deum,

ac

ac Meſsiam apertiſsimè inſinuauit, vt ex iis tandem diſcaris fruſtrà vos alterius Meſsiæ ſpe, atque expectatione ali. Quid obſecro in iis reprehendere, quid calumniæ parare poteſtis, quominùs tot cœleſtibus teſtimoniis excitati, ac ipſa rei veritate conuicti, nomen, fidémque Chriſto noſtro detis? Planè cum iis tantùm veſtra cæcitas, ac perfidia pugnat; qua fit, vt nec vlla vobis ſigna proſint, vt olim vobis Moyſes exprobrauit Deut. 29. illis verbis: *Vos vidiſtis vniuerſa quæ fecit Dominus coram vobis in terra Aegypti. Pharaoni, & omnibus ſeruis eius, vniuerſæq; terræ illius: tentationes magnas, quas viderũt oculi tui, ſigna illa, portentáque ingentia: & non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes.* Deut. 29.

Facessite ergo tenebras Iudæi, & Chriſtum Ieſum, quem tot Scripturarum teſtimonia, tot Prophetarum Vaticinia, tot argumenta, tot miracula Deum Sole illuſtriorem in orbe demonſtrant, tandem & Deum, & Meſsiam agnoſcite, eandémque nobiſcum Dei, & Chriſti Religionem vobis amplectendam proponite, vt illud tandem Oſeæ 1. impleatur. *Congregabuntur filij Iuda, & filij Iſraël pariter, & ponent ſibimet caput vnum, & aſcendent de terra.* Oſe. 1.

Diluuntur obiectiones Iudæorum aſſerentium Ieſum Chriſtum non eſſe Meſsiam.

ARTICVLVS V.

EXTREMVM eſt, vt nonnulla Hebræorum argumenta, quæ partim ex R. Salomone, partim ex Ioſepho Albo, ac aliis collegimus, diluantur. Primum argumentum eſt. Si Ieſus verus fuiſſet Meſsias, magis à Synagoga, quàm ab alio agnitus fuiſſet, ac receptus. Sed Synagoga illum Meſsiam nec agnouit, nec recepit: ergo ille non fuit verus Meſsias. Maior patet ex eorum verbis apud Io. 7. *Nunquid* (inquiunt) *aliquis Phariſæorum, aut Principum crediderunt in eum? ſed turba hæc quæ non nouit legem, maledicti ſunt.* Minor per ſe nota eſt. Ioan. 7.

Hvic argumento nonnulli reſpondent, Chriſtum à præcipuis Synagogæ Doctoribus agnitum, ac receptum fuiſſe; nam Simeon Iuſtus Diſcipulus Magni Hillel, qui 40. annorum ſpatio ſanctuario deſeruierat, illum Meſsiam eſſe agnouit, ac recepit: quapropter miro gaudio affectus exclamauit. *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace; quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Illum etiam Meſsiam agnouerunt Io. Baptiſta, quem magnum R. Iohanan Hebræi appellãt, Nicodemus, Gamaliel, & alij quamplures, de quibus in Act. Apoſt. 6. mentio fit, cùm dicitur: *Multa etiam turba Sacerdotum* Luc. 2. Act. 6.

obediebat fidei. Atque id ſufficere volunt, vt à Synagoga Chriſtus tanquam Meſsias agnitus, ac receptus eſſe dicatur. Sed hi nimis hanc Hebræorum argumentationem extimeſcere videntur, quam potiùs explodere deberent. Neque enim neceſſe erat, vt qui Meſsias futurus erat, à Synagoga reciperetur, cùm Dei, ac Scripturarum teſtimonia abundè ſufficerent ad illum Meſsiam conſtituendum.

Qvapropter alio modo Hebræorum argumento reſpondemus, negando maiorem. Dicimus enim Meſsiam à Synagoga neque agnoſcendum, neque excipiendum fuiſſe: quò fit, vt magis oppoſitum argumentum pro nobis contra illos militet. Chriſtum nimirum ea ratione verum Meſsiam agnitum fuiſſe, quòd à Synagoga receptus non fuerit. Probatur hoc apertè ex Iſa. 6. qui de hac Iudæorum futura cæcitate agens, ita ait לך ואמרת לעם הזה שמעו שמוע ואל תבינו וראו ראו ואל תדעו: השמן לב העם הזה ואזניו הכבד ועיניו השע פן יראה בעיניו ובאזניו ישמע ולבבו יבין ושב ורפא לו *Vade, & dices populo huic. Audite audientes, & nolite intelligere, & videte viſionem, & nolite cognoſcere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videant oculis ſuis, & auribus ſuis audiant, & corde ſuo intelligant, & conuertantur, & ſanem eos.* Et ne vllus dubitandi locus Hebræis relinquatur, quominùs hoc loco Iſaias de Synagogæ cæcitate, quæ verum Meſsiam ignoratura erat, loquatur; audiant ſequentia illius verba, quibus tempori circunſtantias, ac cæcitati metas præſcribit ואמר עד מתי אדני ויאמר עד אשר אם שאו ערים מאין יושב ובתים מאין אדם והאדמה תשאה שממה: ורחק יהוה את האדם ורבה העזובה בקרב הארץ: ועוד בה עשיריה ושבה והיתה לבער כאלה וכאלון אשר בשלכת מצבת בם זרע קדש מצבתה *Et dixi* (inquit) *vſquequò Domine? Et dixit: Donec deſolentur ciuitates abſque habitatore, & domus ſine homine, & terra relinquatur deſerta. Et longè faciet Dominus homines, & multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ. Et adhuc in ea decimatio, & conuertetur, & erit in oſtenſionem ſicut terebinthus, & ſicut quercus quæ expandit ramos ſuos. Semen ſanctum erit id quod ſteterit in ea.* Iſa. 53. Iſa. 6. Thalmud. Ignot. Iſal. 117. Par. Chald. R. Salomon Zachar. 9. Daniel 9.

Nota accuratè has temporum circunſtantias, quas hîc Iſaias deſcribit: ex quibus tunc maximè excæcandum fore Iudæorum populum facilè diſces; cùm is verum Meſsiam ac Chriſtum non agnouerit, ac repulerit: cuius rei mox ſigna, ac teſtimonia adhibet: tùnc enim in tantæ cæcitatis pœnam prænunciat Ieroſolymorum ciuitatem funditùs euertendam, neque vllum penitus ibi Iudæum habitatorem remanſurum: magnificam illam Dei domum, toti orbi illuſtrem, nullo Sacerdote in ea offerente, aut thus adolente 7. 8. Sanhedrin

adolente ſolo æquandam; Iudæorum prætetea regionem expulſis Iudæis deſertam futuram, Iudæus etiam à patria expellendos, ac per totum Orbem diſpergendus; Propheras ab iis quoque longè futuros eſſe. Demum tandiu in ea cœcitate permanſuros ait, donec Gentilium populus, qui à Deo abiectus videbatur, ſub Meſſiæ lege longè, latéque propagatus fuerit. Poſt hęc tandē reliquias Iſraël à Deo colligendas, atque eximia ſanctitate illuſtrandas fore prædixit. Perpendant Iudæi diligenter hoc Iſaię vaticinium, ex quo addiſcent, venturū Meſſiam ob illius cœcitatem à Synagoga nec agnoſcendum, nec recipiendum.

Isa.53. E ANDEM Iudæorum cœcitatem confirmat Iſa cap. 53. vbi Meſſiæ myſteria Iudæis explicare aggrediens, illis verbis exorditur. מי האמין לשמעתנו וזרוע יהוה על מי נגלתה *mi heemin liſcmughhathenu vZeroangh Iehoua ghhalmi niglatha. Domine quis credidit auditui noſtro, aut brachium Domini cui reuelatum eſt?* Quaſi innueret, Meſſiæ myſteria à Iudæorum populo minimè eſſe credenda: atque eandem inſinuat c. 1. illis verbis. ידע שור קנהו וחמור אבוס בעליו ישראל לא ידע עמי לא התבונן *iadangh ſcior konehu vahhmor enus beghhalain Iſraël lo iadangh ghammi lo hith bonan. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. Iſrael autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* Quæ verba in Thalmud in lib. Siphre de futuro ſæculo Meſſiæ exponuntur. *Iſrael* (inquit) *non cognouit ea, quæ præterierunt: populus meus non intellexit ad ſæculum venturum.*

Thalmud Siphre.

Q V Ò D verò neque à Synagoga excipiendus eſſet Meſſias, apertè teſtatur Dauid Pſal. 117. vbi Meſſiam à Iudæis reprobandū eſſe dicit. אבן מאסו הבונים היתה לראש פנה *euen maaſu habunim haithah leroſc pinnah. Lapidem* (ait) *quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Quem locum de Meſſia interpretantur R. Ionathas in Paraphraſi Chaldaica, & R. Salomon in Micheam. Id cōfirmat Zachar. c. 9. vbi cum à Iudæis configendum eſſe ait. *Videbunt* (inquit) *in me, quem transfixerunt.* Daniel verò apertiſſimè à Iudæorum populo Meſſiam occidendum eſſe affirmat, atque ab eo reſpuendum. *Et poſt hebdomades ſexagintaduas occidetur Chriſtus, & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt.*

Pſal. 117. Par. Chald. R. Salomon. Zachar. 9. Daniel 9.

H V N C orta eſt celebris illa Thalmudiſtarum ſententia, quæ habetur in Thalmud in lib. Sanhedrin in c. Helec: quo loco aiunt R. Samai, & R. Salomon. *Dictum eſt in Hierem. 3. Aſſumam vos, vnum de ciuitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion. Quemadmodum ex ſexcentis millibus Iſraël, qui egreſſi ſunt de Aegypto, duo tantùm ingreſſi ſunt terram Chanaam; Ioſue videlicet, & Caleb: ſic erit in diebus Meſſiæ.* Quapropter filij R. Hiia in dicto

Sanhedrin.

A lib. Sanhedrin cap. Dine Mammonoth, velut arcanum maximum pronunciant, Meſſiam futurum eſſe in petram ſcandali, vt Iſai. ait cap. 8. duabus domibus Iſraël, & ad laqueum, & ad ruinam habitatoribus Hieruſalem. Atque ibidem R. Iohanan, & R. Iacob aſſerunt, Gentiles in Iudæorun locum ſufficiendos eſſe, ob id quòd Dominum, ac Meſſiam ſpreuerint, ſicut equus ſubrogatur in locum bouis claudicantis. Demum ferè omnes Thalmudiſtæ conſentiunt, Dei Spiritum, qui Synagogæ aderat, in Simeone illo iuſto magni Hillelis diſcipulo deſiiſſe, quod non ſemel
B Thalmudici Doctores in dicto tract. Sanhedrin cap. Helec confirmant, vbi R. Iudas ait. *Cùm veniet filius Dauid pauci ſapientes erunt in Iſraël, & Scribarum ſapientia putreſcet, & Theologorum ſchola in lupanaria mutabuntur.* Quare non immeritò illis noſter Chriſtus exprobrauit. *Vos autem feciſtis domum Patris mei ſpeluncam latronum.* Prætetea R. Hehoraij. *Illius temporis facies* (inquit) *ſine pudore erit.* & R. Nehemias de Meſſiæ temporibus agens. *Iniquitas* (inquit) *in Iſraël in infinitum multiplicabitur, neque aliud, quàm peruerſitas, ac hæreſis tunc graſ-*
C *ſabitur. Immo* (ait R. Nattonay.) *Chriſtus miracula magna faciet, & ea Magiæ, ac ſpiritus immundis aſcribent.*

R. Hehoraij.

T ANDEM ſi quo ſpiritu Synagoga poſt Chriſtum regatur, Iudæi agnoſcere volunt, iis duntaxat ſufficiat volumen Thalmud attentè perlegere: quod profectò tot ineptiis, tot fabulis, tot blaſphemiis, tot ſcommatibus refertum reperient, vt non Iudæo homine, ſed rudi quolibet idololatra, Dei prorſus ignaro indigna cenſeri debeant.

Q V Æ cùm ita ſint, ruit Hebræorum argumentum, quo probare contendunt Chri-
D ſtum verum Meſſiam non fuiſſe, ob id quòd à Synagoga agnitus, atque exceptus non fuerit, cùm demonſtratum ſit, verum Meſſiam à Synagoga reſpuendum eſſe: quapropter oppoſitum potiùs concludere debent, Chriſtum eo verum Meſſiam inter cætera ſigna demonſtrari, quòd à Synagoga Meſſias agnitus, aut acceptus non fuerit.

S E C V N D V M argumentum. Verus Meſſias pacem Orbi adferre debet. Sed Ieſus non pacem, ſed bella in Orbe excitauit. Igitur non eſt verus Meſſias. Maior patet ex Pſalmo 71. *Et erit in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis.* Ex Iſaia capite ſecundo.
E וכתתו חרבותם לאתים וחניתותיהם למזמרות לא ישא גוי אל גוי חרב ולא ילמדו עוד מלחמה: *vechitethu bharuotham leittim vahanithothehem lemazmeroth lo yſſa goi el goi hereu velo ylmedu ghhod milhhama. Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, neque exercebuntur vltrà ad prælium:* & capite nono. לםרבה המשרה ולשלום אין קץ *leſarbeh*

 ham

hammiſra vlſcialom en kets. Multiplicabitur eius A *Imperium, & pacis non erit finis.* Minor probãtur: nam paulò poſt Chriſti obitum Romanorum cum Iudæis bella exorta ſunt, vnde ciuitatis, ac templi excidium ſequutum fuit.

At Iudæi cùm oculos, ac ſenſus carneos habeant, nihil mirum, quòd eodem planè ſpiritu carnaliter omnia exponant. Huic argumento vtcunque ſuprà reſponſum fuit, cùm de Meſſię promiſſionibus ageremus. Sed vt ſatis, ac ſupérque Iudæis fiat.

Dico rurſus Meſſiam aduentu ſuo pacem hominibus allaturum, non quidem cor- B porum, ſed præſertim animorum, quæ potiſſima, ac excellentiſſima in homine pax cenſeri debet, ſine qua externa corporum pax haud multùm profutura videtur. Hãnc animorum pacem deſtructo Sathanæ regno, ac ſoluto peccati vinculo, quo homines duriſſima illius ſeruitute detenti cum Deo bellum gerebant, Christus in orbem inuexit: ita de

Iſa. 25. ea olim vaticinatus eſt Iſa. c. 25. ובלע בהר הזה פני הלוט הלוט על כל העמים והמסכה הנסוכה על כל הגוים בלע המות לנצח ומחה אדני יהוה דמעה מעל כל פנים וחרפת עמו יסיר מעל כל הארץ *vaillangh* C *bahar hazze penei hallot hallot ghal kol haghammim: vehamaſſecha hanneſucha ghal kol haggoim billang hãmaueth lanetſahh vmahha Adonai Iehoua dimghah meghal kol panim vehherpath ghammo iaſir meghal kol haarets. Et præcipitabit Dominus in monte iſto faciem vinculi colligati ſuper omnes populos: & telam quam orditus eſt ſuper omnes nationes, præcipitabit mortem in ſempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium auferet de vniuerſa terra.* Cui per om-

Ierem. 30. nia ſubſcribit Ierem. c. 30. והיה ביום ההוא נאם D יהוה צבאות אשבר עלו מעל צוארך ומוסרותיך אנתק ולא יעבדו בו עוד זרים: ועבדו את יהוה אלהיהם ואת דוד מלכם אשר אקים להם *vehaiah vaiom hahu neum Iehoua tſebaoth eſcbor ghullo meghal tſauarecha vmoſrothecha anattek velo iaghauedu vo ghod zarim veghauedu eth Iehoua elohehem veeth dauid malkam aſcer akim lahem. Et erit in die illa, ait Dominus exercituum, conteram iugum eius de collo tuo, & vincula eius diſrumpã, & non dominabuntur ei amplius alieni, ſed ſeruient Domino Deo ſuo, & Dauid Regi ſuo, quem ſuſcitabo eis.*

Qvapropter hallucinantur Hebręi, cùm temporalem tantummodò pacem Meſ- E ſię aduentu ſibi pollicentur. Quòd ſi ab Iſa. addiſcere volunt, quænam pax à Meſſia orbi

Iſa. c. 32. deferenda ſit, ipſũ audiant c. 32. ſic docentẽ. ושכן במדבר משפט וצדקה בכרמל תשב: והיה מעשה הצדקה שלום ועבדת הצדקה השקט ובטח עד עולם: וישב עמי בנוה שלום ובמשכנות מבטחים ובמנוחת שאננות *veſcachan bammidbar miſcpat vtſedachah bakarmel teſceu: vehaiah maghaſce hatſedakah ſcialom vaghauorath hatſedakah haſcket vauetahh ghad gholam veiaſciau ghammi binue ſcialom vuemiſcchenoth mintahhim vbimnuhhoth ſciaanannotth. Et habitabit in ſolitudine iudicium, & iuſtitia in Charmel ſedebit. Et erit opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium, & ſecuritas vſque in ſempiternum. Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Vides (ô Iudæe) non temporalem, ſed ſpiritualem adeptæ iuſtitiæ pacem à Meſſia nobis promitti, quæ animorum, non corporum tranquillitatem pariat. Quòd ſi pacem illam expectas, quæ deſcribitur Iſa. 11. Iſai. 11.

וגר זאב עם כבש ונמר עם גדי ירבץ ועגל וכפיר ומריא יחדו ונער קטן נהג בם: ופרה ודב תרעינה יחדו ירבצו ילדיהן ואריה כבקר יאכל תבן *vegar zeeu ghim keues venamer ghim gedi yrbats veghegel vchephir vmeri iahhdau venaghar katon noheg bam: vpharah vadou tirghenah iahhdau yrbetſu ialdehen vearieh kabbakar iochal teuen. Habitabit lupus cum agno, & Pardus cum hædo accubabit: vitulus, & leo, & ouis ſimul morabuntur & puer paruulus minabit eos: vitulus, & vrſus paſcentur ſimul, requieſcent catuli eorum, & leo quaſi bos comedet paleas.* Agnoſce hanc dudum à Chriſto noſtro allatam eſſe, cùm Iudæos, ac Gentiles in vnam fidei regulam coniunxit. Iudæos inquam, qui aut illius iam fidem receperunt, aut ſub mundi finem recepturi ſunt. Atque ita hunc locum explicat R. Moyſes Benmaimon in Deuter. R. Moyſes Benmaimon. *Ne inducas* (inquit) *in animum, quòd tempore Chriſti orbis dies mutationem ſuſcipere debent, ſed cùm legis apud Iſaiam; habitabit lupus cum agno, veniat in mentem quod ait Ierem. 5.* זאב ערבות ישדדם נמר שקד על עריהם כל היוצא מהנה יטרף *zeeu gharauoth ieſciadedem namer ſcioked ghal gharehem kol haioiſe mehenna yttareph. Lupus ad veſperam vaſtauit eos, Pardus vigilans ſuper ciuitates eorum, omnis qui egreſſus fuerit ex eis capietur. Hoc eſt, quòd Iudæi, & Gentiles ad veram doctrinam ſe vertent, neque ſibi inuicem nocebunt, ſed in eodem comedent: iuxta quod ſcriptum eſt in Iſa. in eodem loco; Leo ſicut bos comedet paleas.* Eandem explicationem huic loco adhibet R. Dauid Kimhi. R. Dauid Kimhi.

Ex iis ſolutum manet ſecundum argum. Nam omnes auctoritates, quæ ad cõfirmationem maioris allatæ ſunt, de pace animorum, quæ expulſo peccato, vnde bellum animis indicebatur, ac Deo placato, mox in hominum mentibus oriri debuit, intelligendæ ſunt.

Tertivm argumentum. Meſſiæ aduentus in orbem magnificus, ac illuſtris eſſe debet: ſed Ieſu aduentus totus abiectus fuit; ergo non eſt Meſſias. Maior conſtat ex Iſa. c. Iſa. 9.
9. *Cuius imperium ſuper humerum eius, & vocabitur admirabilis, conſiliarius,* &c. ex Pſalm. 71. Pſal. 71.
וירד מים עד ים ומנהר עד אפסי ארץ: *vaierde mijam ghad iam vminnahar ghad apſei arets. Et dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum.* Ex Malach. 3. Malach. 3.
הנה בא אמר יהוה צבאות: ומי מכלכל את יום בואו ומי העמד בהראותו כי הוא כאש מצרף וכברית מכבסים

hinne

hinne va amar Iehoua tſebaoth vmi mechalekel eth tom boo vmi haghomed beheraotho ki hu kees mets areph vcheuorich mechabeſim. Ecce venit, dicet Dominus, & quis cogitare poterit diem aduentus eius, aut quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum, &c. Hæc omnia Meſsiæ aduentus virtutem, ac magnificentiam declarant.

IAM ſuperiùs huic argumento occurſum fuit, vbi fusè de Meſsiæ Regno, ac maieſtate egimus. Illud hic duntaxat addo, Meſsiæ aduentum non regia pompa magnificum, ſed humilem à Prophetis prædicari. Nam Iſa. 53.

Iſa. 53.

illum velut tenue virgultum, ac ſerpentem humi radicem ex inculta terra, nulla ſcilicet opum luxuria, humilem deſcribit. *Et aſcendet* (ait) *ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti.* Eundem præterea dicto cap. nouiſsimum virorum, infirmum, inglorium, deſpectum, cui nulla regis ſpecies, aut humanæ potentiæ decor inhæreat, vulneratum, liuidum, ærumnis confectum, contemplandum proponit. Zacharias præterea cap. 9. humilem, ac pauperem illius aduentum illis verbis depingit. *Ecce rex tuus venit tibi iuſtus, & Saluator, & ipſe pauper, aſcendens ſuper aſinam, & pullum filium aſinæ.*

Zach. 9.

HÆC profectò ſatis apertè demonſtrant Meſsiæ Regis maieſtatem haud Regum more opum magnificentia hominibus illius aduentu fuiſſe exhibendam: ſed ſub humili paupertatis, ac imbecillitatis facie omnino occultandam. Quo ſanè excellentiſſimæ illius gloriæ prouiſum fuit: nam quæ maior laus illi accidere potuit, quàm quòd tenui humilitate vniuerſum ſibi orbem ſubiecit? Præbeamus illi Alexandri Imperia, ac Cæſarum Monarchiam, & quicquid Regum potentia humanarum rerum ſibi vendicare poteſt. Quid tum? cùm ea potiùs illius neceſsitatis, atque indigentiæ, quàm virtutis teſtes eſſent, & illius gloriam, quæ in rerum omnium contemptu ſita eſt, magis minuerent, quàm augerent.

GLORIOSIVS quippe Moyſi fuit vna virgæ extenſione innumeras Pharaonis acies demergere, quàm eaſdem bello, ac plurima ſuorum cęde ſuperare. Dei etiam illuſtrior illa victoria fuit, qua Antiochi ſuperbiam ſola pediculorum acie proſtrauit, quàm ſi multa hominum millia ad eum ſibi ſubiiciendum compuliſſet.

ITA ſanè cùm Chriſtus noſter ſola humilitate vniuerſum ſibi orbem ſubiecit, cùm Paſsionis ignominia perpetuum ſibi regnum cœlo, terriſque comparauit: cùm cruci affixus de innumeris Tartareis hoſtibus triumphum reuexit: cùm ſolo Euangelicæ legis ſono, nullo armorum ſtrepitu idolorum ſimulachra proſtrauit; cùm immiſſa piſcatorum acie vniuerſam orbis ſapientiam ſuæ fidei ſubiugauit; cùm mortuus denique tantummodò colui voluit, ſuſpici, adorari. An non eximia hæc illius laus eſt, quæ Meſsiam illum nos fateri cogat?

QVOD ſi de illius imperio, opibus, gloria, magnificentia multa Scripturæ prædicant, ea non in externa illius aduentus facie, ſed in interno duntaxat, aut Diuinitatis, aut virtutum ſplendore quærenda ſunt. Præterea cùm non vnus duntaxat, ſed duplex futurus ſit Chriſti aduentus, primus quidem in carne humilis, alter verò ad Iudicium regia maieſtate ſplendens; multa de ſecundo aduentu Scripturæ affirmant, quæ Iudæi ad primum duntaxat referunt: quale eſt Malachiæ vaticinium extremo loco citatum, quod ſecundum tantùm Chriſti aduentum intuetur. Quapropter hoc Iudæorum argumentum ex falſa Scripturarum intelligentia procedit.

QVARTVM argumentum. Verus Meſſias Dei legi ſubiici debet; ſed Ieſus antiquam Dei legem immutauit, atque abrogauit: nam legem tulit, quæ Sabbathum non cuſtodit, Circuncisionem aufert, ſacrificia eradit, & legis ceremonias è medio tollit.

AT huic argumento facilis eſt reſponſio ex iis, quæ ſuperiùs adduximus, cùm de legis abrogatione, ac Circunciſione ageremus: vbi demonſtratum fuit, tam legem, quàm Circuncisionem ita à Deo inſtitutam eſſe, vt vtraque Meſſiæ aduentu finem acciperet: modò tamen ex abundanti addimus; tria præceptorum genera in lege Moyſis contineri, quædam moralia, quæ ad morum compoſitionem, alia ceremonialia, quæ ad ceremonias, alias iudicialia, quæ ad iudicia ferenda, & lites dirimendas pertinent.

MORALIA præcepta ea ſunt, quæ digito Dei in lapideis illis tabulis conſcripta, ac decem articulis diſtributa in monte Sinai tradita ſunt. Atque hæc quidem æterna ſunt, nec vllo modo antiquari potuerunt, cùm à naturæ lege ipſis hominibus inſita pendeant. Hæc legis potiſsimùm ſibi nomen vendicant, vt manifeſtum eſt: huic ſe Chriſtus noſter omnino ſubiecit, ac eam mirificè illuſtrauit. Cætera verò ceremonialia, ac iudicialia præcepta, cùm Decalogi velut quædam appendices eſſent, & ad illius ſubſtantiam minimè pertinerent; ſed ad Meſſiæ tantummodò promiſsionem ſpectarent, ea in aduentu Meſsiæ expirare compulſa ſunt, vt promiſsio veritati cederet.

HVIVSMODI ſunt Circumciſio, Sacrificia, Sacerdotium Aaroniticum, Arca Teſtamenti, Sabbathi obſeruãtia, quæ ad Meſsiam tendebant. Nam de Circunciſione dictum

fuit, eam Meſſiæ fidei ſignaculum fuiſſe, A quod Meſſiæ aduentu ceſſare debuit. Sacrificia verò quid peccatorum expiationi contuliſſent, ſi nihil præter hircorum, aut vitulorum ſanguinem continuiſſent, neque vlteriùs Meſſiæ ſanguinem, qua perfecta peccatorum expiatio promittebatur, figuraſſent? Quapropter Meſſiæ aduentu ea ſacrificia cum Sacerdotio antiquanda erant: vt nouum Meſſiæ Sacerdotium, ac ſacrificium ſuccederet. Idem eſt de reliquis tum cæremonialibus, tum iudicialibus præceptis exiſtimandum, vt ſuprà dictum fuit.

Cvm igitur obiiciunt Hebræi, Chriſti B lege veterem Moyſi legem abrogatam fuiſſe, profectò niſi calumniari velint, eos in ſolis cæremonialibus, ac iudicialibus præceptis ſiſtere neceſſe eſt, quæ ſanè antiquata eſſe non inficiamur, ea ratione, quòd ea cum Chriſto, cuius promiſſionem, ac figuram gerebant, ſimul ſtare non poſſent. Quòd verò ad moralia præcepta pertinet, ſanè tantùm abeſt, vt iis aliquo modo Chriſti legi derogatum fuerit, vt ab ea potiùs perfectione aucta, ac copioſiùs declarata, perfectiùs obſeruanda tradantur. Quòd ergo Chriſtus illas legis partes accidentales ſuſtu- C lit, perfectionis fuit, atque aduentatæ veritatis teſtimonium, quo planè Iudæi agnoſcere deberent, hoc ipſo illum Meſſiam magis declarari, quòd figuris, ac promiſſionibus Meſſiæ, quæ in iis includebantur, finē imponeret.

Vnica tantùm de Sabbathi abrogatione dubitatio tollenda eſt. Nam cùm Sabbathi obſeruantia ad Decalogi præcepta ſpectet, videtur eam Chriſti lege abrogari non potuiſſe.

Respondent nonnulli, Sabbathi obſeruantiam partim ad moralem, partim ad cæremonialem legis partem pertinere. Nam D quòd ſeptimus dies ſanctificari debeat, ad moralem legis ſtatum pertinet, quod abrogati non poteſt: quòd verò ſeptimus ille dies, illud Sabbathum ſit, quod Iudæi ex legis traditione obſeruant, cæremoniale eſſe nonnullis rationibus probant. Primò, quòd Sabbathum ſeptimum tantùm diem ab orbis creatione elapſum ſignificaret, quo Deus requieuit ab omni opere quod patrarat, vt patet Exod. 20. vbi ea ratio Sabbathinæ obſeruationis adducitur. *Memento vt diem Sabbathi ſanctifices, &c. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ* E *in eis ſunt, & requieuit in die ſeptimo, & idcirco benedixit Dominus diei Sabbathi, & ſanctificauit illum.* Deinde quòd Meſſiæ quietem in ſepulchro præſignaret, vel animarum requiem in ſinu Abrahæ: quæ cùm cæremoniam continerent, ea parte abrogari debuit. Quæ ſententia videtur eſſe D. Auguſt tract. 3. in Io. & Epiſt. 19. & 100.

Exod. 20.

D. Aug.

Aliis, inter quos eſt Toſtatus, & Pererius lib. 1. Geneſ. videtur, Sabbathi nomine non aliquem præcisè diem definiri, ſed eum duntaxat, quem ſanctificare ex hominum inſtitutione contingit: nam cùm Sabbathum requies exponatur, illud Sabbathum eſt, in quo requies operibus datur. Quod ita eſſe confirmat, primùm ipſe Scripturæ loquendi modus; nam Exod. 20. habet non Sabbathum præcisè, ſed tantummodò ſeptimum diem filiis Iſraël à Deo indictum fuiſſe. Ita enim habetur, ששת ימים תעבד ועשית כל מלאכתך ויום השביעי שבת ליהוה אלהיך *ſceſceth iamim taghanod veghaſitha kol melachtecha veiom haſcbighi ſciabbath lathoua elohecha. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, ſeptimo autem die Sabbathum Domini tui eſt.* vbi obſeruandum eſt Deum non dixiſſe, Sabbathum eſſe ſeptimum diem, ſed potiùs contrà ſeptimum diem Sabbathum Domini appellari, quaſi id innuere vellet, Sabbathi nomine non præcisè diem aliquem ſignificari; ſed eum tantùm diem illius appellatione deſignari, quem ſibi ab operibus vacandum elegerint, ſiue ille Sabbathi dies ſit, ſiue Dominicus.

Toſtatus, & Perer. lib. 1. in Gen.

Exod. 20.

Confirmatvr præterea: nam ſi datum eſſet præceptum obſeruationis Sabbathi, profectò datum eſſet primo homini, ac in ipſa naturæ lege inſitum eſſet: quò fit, vt protinus vniuerſos homines ad ſui obſeruationem obſtrinxiſſet. At conſtat nullam de diei Sabbathi obſeruatione apud priores patres mentionem factam fuiſſe. Neque vſquam legimus ſanctos Patriarchas diem Sabbathi obſeruaſſe: quòd ſi Diuina de Sabbathi die obſeruando inſtitutio data eſſet, ea ſaltem apud priores illos Patres ſeipſam exeruiſſet.

Qvòd verò Hebræi ſeptimum diem ad Sabbathum potiùs, quàm ad alium diem referre maluerint, iam non ex diuina inſtitutione, ſed vel ex maiorum traditione, vel à Moyſe accepiſſe ferunt; quò fit, vt illud nullo modo ad moralem legis ſtatum pertineat.

R. Moyſes Ægypt. lib. Sephri lib. de I &c.

Hæc ſententia in eo tantùm à priori diſcrepat, quòd hæc diem Sabbathi nulla Dei inſtitutione, neque morali, neque cæremoniali præceptum agnoſcit. De morali nulla eſt dubitatio, quin Sabbathum extra illius præceptum ſit. De cæremoniali verò non omnino id affirmare auderem, cùm frequenter Scripturæ diei Sabbathi obſeruandi meminerint, vt patet Deut. 5. *Obſerua diem Sabbathi, vt ſanctifices eum, ſicut præcepit tibi Dominus.* Item Num. 15. Ierem. 17. & aliis pleriſque locis, vbi pœnas minatur Deus iis, qui Sabbathi diem violant: quæ ſanè loca vix de alio præterquàm de Hebræorum Sabbatho exponi poſſunt. Arque

Deut. 5.

Num. 15. Ierem. 17.

Atque illud maximè confirmat, quòd cùm Hebræi poſt latam legem Sabbathi diem non alium pro ſeptimo colere cœperint, id illis à Moyſe diuinæ legis interprete ex diuina inſtitutione traditum eſſe certum eſt: quò fit, vt Sabbathi obſeruantia ad cæremoniale ſaltem legis præceptũ pertineat: quod exemplo confirmatum fuit, vt legitur Num. 15. vbi ille qui die Sabbathi ligna collegerat, Deo iubente lapidibus obrutus eſt; quare tutior mihi Auguſtini ſententia eſſe videtur, vt Sabbathini diei ſanctificatio partim ad moralem, partim ad cæremonialem legis ſtatum referri debeat.

Christvs igitur ſua lege non ſeptimum ſanctificationis diem expulit, quòd ad morale legis præceptum ſpectat, quin etiam illum magis ſua inſtitutione firmauit, ac colendum docuit: ſed latẽtem duntaxat in Sabbatho illo Hebræorum legis cæremoniam, velut caſſam, ac inanem antiquauit, ac in Dominicum diem ex Apoſtolorum inſtitutione commutauit; quem tunc ſeptimum diem Chriſti Eccleſia appellare cœpit, ac omnibus colendum tradidit: quò fit, vt ipſe Dominicus dies iure Sabbathum cõmuni appellatione à nobis nuncupari poſſet; vtpote à nobis ſanctificatus, ac ſeruilibus operibus vacuus; niſi ſolo nomine Iudaizandi periculum eſſet, & iis erroris anſa præberetur, qui nominis interpretationem ignorantes, illud cum Iudæorum Sabbatho confunderent.

His igitur amplisſimè (vt arbitror) ſatisfactum erit argumento Hebræorum. Chriſtus enim vt verum ſe Meſsiam eſſe probaret, eas omnes legis obſeruantias tollere debuit, quæ ipſius promiſsionem, aut figuram aliquam præ ſe ferrent.

R. Moyſes Ægypt. Lib. Sophrin. Lib. de Iudic.

Postremvm argumentum eſt R. Moyſis Ægyptij in lib. Sophrin, & lib. de Iudicibus, titulo de Regibus, & bellis eorum cap. 11. quod etiam omnibus Hebræis Doctoribus eſt commune. *Omnes Prophetæ* (inquit R. Moyſes) *locuti ſunt, quòd Meſsias eſt Redemptor Iſraël, & congregator eorum: ſed iſte dedit occaſionem ad perdendum Iſraël gladio, & ad diſpergendum reliquias eorum, & ad ſupprimendum eos. Ergo non eſt ipſe Meſsias.* Maiorem probat multis Scripturæ teſtimoniis. Iſa. 1. ציון במשפט תפדה *tſijon bemiſcpat tippadeh. Sion in iudicio redimetur.* cap. 59. ובא לציון גואל *vua letſijon goël. Cùm venerit Sion Redemptor.* c. 11. ונשא נס לגוים ואסף נדחי ישראל ונפצות יהודה *venaſca nes lagoim veaſaph nidhhe Iſraël vnephutſoth iehudah: Leuabit ſignum in nationibus, & congregabit profugos Iſraël, & diſperſos Iuda.* Hierem. 32. הנני מקבצם מכל הארצות אשר הדחתים שם באפי *hinne mekabbetſam mikal haaratſoth aſcer hiddahhtim ſcam beaphi. Ecce ego congregabo eos de vniuerſis terris, ad quas eieci eos in furore meo.* Ezech. 37. הנה אני לקח

Iſa. 1. & 11. & 59.

Hierem. 32.

Ezech. 37.

A את בני ישראל מבין הגוים אשר הלכו שם וקבצתי אתם מסביב והבאתי אותם אל אדמתם ועשיתי אתם לגוי אחד בארץ בהרי ישראל *hinne ani lokeach eth bene Iſraël mibben haggoim aſcer halechu ſcam vekibbatſi otham miſſauiu vehebethi otham el admatham veghaſithi otham legoi ehhad baarets vehare Iſraël. Aſſumam filios Iſraël de medio nationum, & congregabo eos vndique, & adducam eos in humum ſuam, & faciam eos gentem vnam in terra in montibus Iſraël.* Dauid Pſalm. 146. בונה ירושלם יהוה נדחי ישראל יכנס *boneh Ieruſcialaim Iehoua nidhe Iſraël iechannes. Aedificans Ieruſalem Dominus*
B *diſperſiones Iſraëlis congregabit.*

Psalm. 146.

Dvo continet maior iſtius argumenti Moyſis: primum, Meſsiam futurum eſſe Redemptorem Iſraël, ſecundum, illius congregatorem; & quamquam ſufficienter his in ſuperioribus demonſtrationibus occurſum fuerit; vbi de duplici Redemptione egimus. Hic tamen quoniam id locus poſtulat, vberiùs reſpondemus.

Dvo igitur ſupponenda ſunt, cùm de hac duplici Meſſiæ functione agimus. Primum, duplex eſſe tam Redemptionis, quàm congregationis genus. Alterum quidem altero
C præſtantius, primum corporum (vt alibi dictum fuit) ſecundum animorum. Cùm verò Scripturæ Meſſiæ aliquod munus aſcribunt, vt excellentiſſimum illum Meſſiam fore declarent, meminerint Hebræi, eas illi perfectiſſimum potiſsimùm modum aſcribere.

Secvndo, ſupponendum eſt duplices eſſe Iſraëlitas, quoſdam ſecundùm carnem ex Iſraël genitos, vel oriundos; alios verò non carne, ſed illius ſpiritu tantùm generatos. Illi quidem Iudæos ſolos ex Iacob ſtirpe ortos complectuntur. Hi verò quotquot tam ex Iudæis, quàm ex Gentilibus, qui Iſraëlis
D fidei, ac iuſtitiæ ſectatores fiunt, comprehendunt. Nam quemadmodum qui ex Gentibus olim ad Hebræorum Religionem conuolaſſent, inter Iſraëlitas computabantur, licèt fide tantùm, ac Religione, non genere Iſraëlitæ eſſent. Ita non ſolùm is Iſraëlita cenſeri debet, qui ab Iſraëlitica ſtirpe originem ducit, ſed is præſertim, qui Iſraëlis fidei, ac Religionis hæres fit, cùm præſtantior ſpiritus, quàm carnis cognatio eſſe agnoſcatur.

Præterea qui Iſraëlitæ nõ ſpiritu, ſed carne duntaxat nati ſunt; ij nomine tenus, non veri Iſraëlitæ cenſeri debent, cùm ad illos
E Meſsiæ promiſsio ſpectare non poſsit: nam tametſi Meſsiam in carne acciperent, illis tamen Meſsiæ benedictiones haud conferri debuerunt: quibus potiùs illud Ezech. 16. conuenit. *Hæc dicit Dominus Deus Ieruſalem. Radix tua, & generatio tua de terra Chanaam, pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* Neque enim alia ratione Ieroſolymitanũm populum ex Amorrhæis, ac Cethæis genitum af-

Ezech. 16.

firmat, quàm quòd illorum mores, ac viuendi licentiam imitarentur. Ita Paulus noſter ad Rom. 9. *Non omnes* (ait) *qui ex Iſraël ſunt, ij ſunt Iſraëlitæ, neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen: id eſt, non qui filij carnis, ij filij Dei, ſed qui filij ſunt ſunt promiſsionis, æſtimantur in ſemine.* Quapropter Abraham omnium credentium Pater dictus eſt, vt hinc non ſolùm Hebræorum, ſed etiam Gentilium, qui illius fidei veſtigia ſectarentur, Pater agnoſceretur; *vt ſit Pater omnium credentium* (ait Paulus noſter) *per præputium, vt reputetur & illis ad iuſtitiam, & ſit Pater Circumciſionis non iis tantùm qui ſunt ex Circumciſione: ſed iis qui ſectantur veſtigia fidei, quæ eſt in præputio Patris noſtri Abrahæ.*

NONNE omnibus æquè Iſraëlitis ab Ægypto egreſsis terræ Chanaam poſſeſsio promiſſa fuit? At quare non omnes ad eam peruenerunt? Cur tot in deſerto, gladio, igne, ferro conſumpti perierunt? ita vt ex ſexcentis millibus vix duo, Ioſue nimirum, & Caleb illam ingreſsi ſint? Ea nimirum ratione, quòd non omnibus, ſed tantùm veris Iſraëlitis promiſsio facta fuerit. Ita planè de Meſſiæ benedictionibus cenſendum eſt, quas ad eos duntaxat ſpectare opus eſt, qui veri Iſraëlitæ, non tantùm carne, ſed ſpiritu potiùs eſſe agnoſcuntur.

HIS ſuppoſitis facillimum erit Prophetatum loca, in quibus de Redemptione, & congregatione Iſraël agitur, quo ſenſu allata ſint, intelligere. Siquidem exploratum eſt ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, veramque tam Redemptionem, quàm congregationem ſpiritualiter intelligendam eſſe, vt redemptio non corporum, ſed animorum futura ſit: vt ex Pſalm. 71. probatum fuit. vbi Dauid de Meſsię Redemptione futura agens מתוך ומחמס יגאל נפשם *mittoch vmebhamas ijgal naphſciam. Ex vſuris* (ait) *& iniquitate redimet animas eorum.* & Pſalmo 129. והוא יפדה את ישראל מכל עונתיו *vehu iphdeh eth Iſraël mikol ghhauonothau. Et ipſe redimet Iſraël ex omnibus iniquitatibus eius.* Quod Redemptionis genus ad animum, vnde iniquitas fluit, non ad corpus referendum eſt. Cùm ergo Prophetæ Meſſiam Iſraël futurum Redemptorem pollicentur, præſtantiſſimũ Redemptionis genus inſinuant, quo animos à peccatorum iugo liberare debet. Atque inde patet, nõ ſolis Hebræis hanc Meſſiæ Redemptionem communicandam eſſe, ſed etiam Gentilibus, ac demum toti Orbi promiſſam fuiſſe, vt patet Exod. 17. cùm Abrahę dictum fuit. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Qua benedictione Orbis Redemptio proculdubio promittebatur. Quod maximè Iudæis notandum eſt, ne ſibi falsò perſuadeant Meſſiæ Redemptionem à Prophetis paſſim annunciatam, ſibi ipſis tantùm aſſeruatam

A fuiſſe, cùm etiã omnes Orbis populos complectatur, qui fidei merito inter Iſraëlitas, ac ſemen Abrahæ computantur.

IDEM planè de Iſraëlitarum congregatione per Meſſiam præſtanda ſentiendum eſt, quæ non de Iudæorum duntaxat in patriam reuocatione: ſed potiùs de omnium verè Iſraëlitarum, ac credentium ad Meſſiæ fidem vocatione exponenda eſt, vt illis Meſſiæ promiſſæ benedictiones communicari valeerent.

ERRANT Hebræi cum ſuo Moyſe Ægyptio, cùm Prophetarum oracula, quæ de hac Iſraëlitarum congregatione agunt, ſe-

B cus interpretantur, & temporalem, ſeu potiùs intellectualẽ, ac imaginariam Ieruſalem omnes orbis populos colligentem ſibi fingunt, quod non modò fieri impoſſibile eſt, ſed etiam prorſus incredibile.

PRÆCLARVM eſt Iſaiæ vaticinium c. 60. cui potiſſimùm innituntur, ad Iudæi populi gloriam Meſſiæ tempore declarandam, קומי אורי כי בא אורך וכבוד יהוה עליך זרח׃ כי הנה החשך יכסה ארץ וערפל לאמים ועליך יזרח יהוה וכבודו עליך יראה׃ והלכו גוים לאורך ומלכים לנגה זרחך׃ שאי סביב עיניך וראי כלם נקבצו באו לך בניך מרחוק ובאו ובנתיך על צד תאמנה׃ אז תראי ונהרת ופחד ורחב *kumi ori ki va orech vchuod iehoua ghhalaich Zerahh ki hin-*

C *neh hahhſcech iechaſſeh erets vaghharaphel leümim veghhalaich izrahh iehoua vchuodo ghhalaich ieraëh vehalechu goim leorech vmlachim lenogah Zarhhech ſei ſauiu ghhenaich vri kullam nikbetſu vai lach banaich merahhok iauou vuenothaich ghal tſad teamanah az tiri venaharte vphahhad verahhau. Surge, illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt, quia ecce tenebræ operient terrã, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, &*

D *Reges in ſplendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi: filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent. Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum;* & quæ toto illo capite ſequuntur. At quis hæc adeò incredibilia eſſe non videat, ſi iuxta literam explicentur, vt planè opus ſit, ea ſpiritualiter exponi? nam quę vnquã Hieruſalem tam lata extitit poſſet, quę cunctos Orbis populos caperet? Quis tam ingens illius ſplendor, vt Reges in lumine ſuo ambulare compellat? Vndenam erum-

E pere debent hi filij peregrinorum, qui huius vrbis muros erecturi ſunt, de quibus idem Vates paulò pòſt. *Et filij peregrinorum ædificabunt muros tuos?* Vnde illi totius Orbis monarchia deferenda eſt tam breui tempore, vt ſimul & à captiuitate liberari, & Orbis imperium obtinere valeat? vt paulò poſt Vates ſubdit. *Gens enim & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit.*

SI de noua Hieruſalẽ à Meſſia extruenda hæc

Eſa. 12.

Apocal. 21.

hæc interpretari volunt, quo pacto illam Solé, & Luna non indigere ait infrà eodem capite. *Non erit tibi amplius Sol ad lucendum, nec ſplendor Lunæ illuminabit te* Qua ratione nouus Sol materiali illo ſublato nunquam illi occidendus traditur: neque Lunæ ſplendor minuendus. *Non occidet vltrà Sol tuus, & Luna tua non minuetur?* Quis nouus Sol? quæ noua Luna? quis nouus Orbis? quæ noua Ieruſalem? qui noui populi? quæ noua congregatio hæc eſſe debet ſolo auditu incredibilis? Cui non exploratum eſt, hæc de materiali quadam Ieruſalem nullo modo exponi poſſe?

Agnoscant igitur Hebræi, hæc de noua Eccleſia à Chriſto noſtro erigenda ſpiritualiter à Propheta dicta eſſe, ad cuius ortum vndique ab Oriente, & Occidente collecti populi ad eam confluere viſi ſunt, atque illius fidei ſplendore quamplurimi Reges, ac Gentilium turmæ, qui ſimulachra colebant, illuſtrari, ad veram Dei cognitionem incedere cœperunt. Extollant Hebræi mentis oculos, cernántque populorum cateruas ad Chriſti Eccleſiam quotidie aduentare, quos velut filios de longè venientes, nimirum ab infidelitate diſſitos, læta ſuſcipit. En peregrinos nouæ huius Chriſtianæ Hieruſalem murorum extructores; ij nempe ſunt, quos longè à Dei cognitione aberrantes, ac toto orbe peregrinos à fide Synagoga diu abire ſiccis oculis paſſa eſt: ij ſunt, qui tanquam viui lapides Chriſti Eccleſiam ædificarunt.

Hæc Eccleſia, illa prorſus Hieruſalem eſt, cui totius Orbis ſpirituale imperium à
Ioann.21. Chriſto delatum eſt, cùm Petro dictum fuit, *Paſce agnos meos.* Huic vniuerſa terrarum regna ſubiici debent, atque ab ea fidei præcepta expectare: neque enim vlla gens, aut natio eſt, quæ illi parere renuat, quæ mox Dei ſententia æternæ mortis iudicium non ferat; cùm exploratum ſit, extra Eccleſiæ gremium nullam omnino ſalutem reperiri poſſe. Neque illud Chriſtianæ Eccleſiæ deeſt, quòd nullo Sole, aut Luna indiget: ſiquidem nullus præterquàm æternus ille, ac Diuinus Sol ſua illi ſapientia affulget; nulla Lunæ claritas hominum ſapientia illi prorſus neceſſa-
Apocal.21. ria eſt, cùm, ait Ioan. noſter, lucerna illius ſit agnus, ſcilicet Chriſtus ipſe.

Deniqve hoc in Chriſto noſtro impletum fuiſſe declarat Iſai. extremis illis verbis. הקטן יהיה לאלף והצעיר לגוי עצום אני יהוה בעתה אחישנה *Minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortiſſimam. Ego Dominus in tempore eius ſubitò faciam iſtud.* Ecquis iſte minimus fuit? Planè non alius præterquàm Chriſtus noſter, qui inter homines minimus fortuna, minimus terrenarum rerum copia, minimus in hominum exiſtimatione vixit; paruulus in præſepio, humilis in vita, deſpectus in

A Cruce, abiectus in morte omnibus viſus eſt; de quo Iſai. 53. *Vidimus eum nouiſſimum virorum.* Iſai.53.

Iam attendant Hebræi, quomodo minimus hic in mille excreuerit, & paruulus in gentem fortiſſimam euaſerit; quandoquidem Chriſtus noſter, qui in Cruce minimus omnium oculis videbatur; crucifixus mille, ac innumeras turmas populorum ad ſe traxit; & qui paruulus inter homines verſabatur, totius Chriſtianæ Eccleſiæ, quæ fortiſſimam in fide gentem complectitur, caput à Deo conſtitutus eſt? Hæc igitur Iſraëlitarum
B congregatio eſt, quam à Meſſia in Eccleſiam colligendam Prophetarum oracula decernunt. Longiùs aliquantulùm progreſſi ſumus, ſed neceſſariò.

Venio ad Moyſi argumentum, quod eùm totam ſuam vim ad carnalium Iſraëlitarum Redemptionem, ac congregationem referat: nihil inde concludit. Quòd ad minorem ſpectat, vbi Chriſtum noſtrum aſſerit dediſſe occaſionem ad perdendum Iſrael, & ad diſpergendum reliquias eorum, & ad ſupprimendum eos: quod Meſſiæ, quem Redemptorem expectant, repugnare videtur.
C Ab iis primùm percontari lubet; vnde id didicerint: quandoquidem neque Ioſephus Hebræus, neque illorum temporum Hiſtoriographi, qui Hieroſolymorum excidium narrant, huius cauſæ meminerunt. Fateri igitur illos opus eſt, vel ſuamet conſcientia tanti ſceleris teſte, vel Chriſto noſtro id illis prænunciante tandem agnouiſſe, id ſibi ſupplicij ob iniuſtam illius internecionem Deo vlciſcente accidiſſe: quòd ſi ita eſt, cur potiùs ipſi ſuum ſcelus non agnoſcunt, ac Chriſtum Meſſiam eſſe non profitentur, quem futura non latuiſſe perſpectum habent?
D Esto igitur, Chriſtus noſter perditionis, ac diſperſionis Iſraëlitici populi cauſa fuit, quid tum? An illud Meſſiæ muneri repugnat, cuius inter cætera illud eſſe agnouit Iſai. c. 7. לדעתו מאוס ברע ובחור בטוב *ledaghheto maos barangh vuabhor batton. Vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum?* An non id apertè prædixit Daniel cap. 9. *Et poſt hebdomadas ſexaginta-duas occidetur Chriſtus, & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt. Et ciuitatem, & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo, & finis eius*
E *vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio?*

Meminerint Hebræi omnes Dei promiſſiones, quæ in priuatam, vel hominis, vel populi alicuius vtilitatem feruntur, ita ab eo temperari ſolere, vt eas pro diuerſa, ac oppoſita hominum diſpoſitione mutare valeat. Heli Hebræorum Pontifici perpetua Sacerdotum ſui ſeminis propagatio à Deo promiſſa fuerat, cuius tamen promiſſionis fidem Deus deinceps reuocauit, cùm ea ſe indignū præſtitit; vt habetur 1. Regum 2. his verbis. 1.Reg.2.

אמר

A אמור אמרתי ביתך ובית אביך יתהלכו לפני עד עולם ועתה נאם יהוה חלילה לי כי מכבדי אכבד ובזי יקלו: הנה ימים באים וגדעתי את זרעך ואת זרע בית אביך: *amor amarti bethcha vaeth auicha ithhallechu lephanai ghad gholam veghatta neum Iehoua hhalila li ki mechabbedai achabbed vuozai iekallu: hinneh iamim baim vegadaghti eth zeroghacha veeth zeroangh beth auicha. Loquens loquutus ſum, vt domus tua, & domus patris tui miniſtraret in conſpectu meo vſque in ſempiternum. Nunc autem dicit Dominus. Abſit hoc à me: ſed quicunque glorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnent me erunt ignobiles. Ecce dies veniunt, & præcidam brachium* B *tuum, & brachium domus patris tui*, &c. Atque id apertè confirmat Hierem. c. 18. (Hierem. 18.) הנה כחמר ביד היוצר כן אתם בידי בית ישראל רגע אדבר על גוי ועל ממלכה לנתוש ולנתוץ ולהאביד ושב הגוי ההוא מרעתו אשר דברתי עליו ונחמתי על הרעה אשר חשבתי לעשות לו: ורגע אדבר על גוי ועל ממלכה לבנות ולנטוע: ועשה הרעה בעיני לבלתי שמע בקולי ונחמתי על הטובה אשר אמרתי להיטיב אותו *hinneh chabhomer beiad haiotſer ken attem beiadi beth Iſrael regangh adabber ghal goi veghal mamlacha linthoſc velinthots vlhaauid veſciau haggoi hahu meraghatho aſcer dibbarthi ghalau ve-* C *nihhamti ghal haraghah aſcer hhaſcianti laghaſoth lo: veregangh adabber ghal goi veghal mamlachah livnoth velintoangh: veghaſah harangh beghenai leuilti ſcemoangh bekoli venihhamti ghal hhattoua aſcer amarti lehetiu otho. Ecce* (inquit) *ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea, domus Iſraël. Repentè loquar aduerſum gentem, & aduerſus Regnum, vt eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod loquutus ſum aduerſus eam: agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei; & ſubitò loquar de gente, & de Regno, vt ædificem, & plantem* D *illud. Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam ſuper bono, quod locutus ſum, vt facerem ei.* Ex iis euidenter conſtat, omnes Dei promiſſiones ex hypoteſi procedere, ac diſpoſitionis conditionem ſibi coniunctam habere, qua ſublata ceſſat etiam ipſa Dei promiſſio, ac in ſupplicium vertitur.

Plane haud inficior Chriſtum non ad perdendos, ſed ad redimendos, ac ſpiritualiter colligendos Hebrǽos veniſſe, quod ipſemet non ſemel teſtatus eſt Matth. 15. (Matth. 15.) *Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus* E *Iſraël* & Io. 10. (Ioan. 10.) *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Sed cùm ij Redemptorem recipere noluerint, repudiauerint, neglexerint, flagellauerint, conſpuerint, reum mortis acclamauerint, cruci affixerint, tandem mori compulerint; æquum ſanè fuit, vt promiſſio Redemptionis cederet, ac in perditionem verteretur, collectio diſperſionem

A pareret, ac in tanti ſceleris pœnam ipſe Hebræum populum reſpiceret, vt quem Redemptorem excipere noluerunt, vltorem experirentur.

En Hebræi tam ærumnoſæ, ac diuturnæ veſtræ captiuitatis, & diſperſionis cauſam: non ea Chriſtus eſt: abſit, cùm vniuerſorum tam Hebrǽorum, quàm Gentilium Redemptor ſit: at vox ſanguinis Chriſti, quem extra Ieruſalem dirè interemiſtis, ad Deum de Iudæa clamat; clamat horrendum ſcelus, clamat patratum Deicidium. Clamat demum veſtra omnium perfidia, qua cum Redem- B ptore æternum bellum geritis. Hæc Romanas acies contra vos inſtruxit, hæc ciuitatem deuaſtauit. Hęc templum inuitis etiam ipſis hoſtibus ſuccendit: hæc Iſraël per orbem diſperſit; hæc profugos vbique terrarum pellit; hæc acerbiores quotidie calamitates, & ærumnas in Hebræum genus coaceruat. Hæc tandem Deum implacabilem, ac veſtris orationibus inexorabilem reddit.

Ne admiremini, viri Iudæi, Chriſtum cæteris omnibus Saluatorem, vobis tantummodò in petram ſcandali euadere. A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis C noſtris. At mihi credite, idem vobis etiam Saluator eſſe poterit, ſi hanc perfidiæ, ac obſtinationis petram, quam vos ipſi compingitis, ac perpetuò augetis, Chriſtianæ fidei malleo confringatis, ſi crucis ſcandalum in crucifixi Religionem commutaueritis, ſi veri Iſraëlitæ, non carne tantùm, ſed ſpiritu efficiamini.

Qvare aggrauatis Hebræi corda veſtra pluſquàm aggrauauerit Ægyptus, ac Pharao cor ſuum? Is enim poſtquam percuſſus eſt, tunc ſaltem Dei manum aduerſus eum pugnantem agnouit, ac propterea exclama- D uit; fugiamus Iſraëlem, quia Dominus pugnat pro eo: vos autem à Domino tot calamitatibus, atque anguſtiis confecti, ac penè conſumpti, nec dum Chriſtum Dominum, ſeu potiùs perfidiam veſtram contra vos præliantem agnoſcitis.

Iam ſi finem captiuitatibus imponi, ſi diſperſioni metam præſcribi, ſi è tot ærumnis eripi, ſi Redemptionis à Chriſto orbi vniuerſo allatæ fructus ad vos manare, ac demum veſtræ ſaloti proſpectum expetitis; hoc vnum vobis refugium relictum eſt, quod celeberrimi veſtri Emorrahin, atque inter (Emorrahin.) E eos inſignis R. Iacob in lib. Sanhedrin c. Helec velut vnicum, ac ſingulare proponunt. (R. Iacob.) Rem ſcilicet totam à pœnitentia pendere. (Talmud.) Planè ita eſt, ſi ritè illius verba intelligantur. Hæc enim ſola vobis ad ſalutem via relicta eſt. Hanc pœnitentiam, Iudæi fratres, arripite, quæ ſola poſt tot calamitatum naufragia vobis tabula eſſe poteſt. Hac duce ad Chri- (Iſa. 61.) (Ezechiel.) ſtum accedite, Meſsiā agnoſcite, Redempto-

rem

rem excipite, Chriſtianam fidem ac Religionem, quam hactenus tantopere exhortuiſtis, alacres ſuſcipite. Et dabit vobis Dominus coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris, & vocabimini fortes iuſtitiæ, & plantatio Domini ad glorificandum. Hæc ad argumenta ſufficiant.

De impietatibus, ac ineptiis Iudaicæ Religionis.

ARTICVLVS VI.

DECREVERAM ſymbolicis hiſce Demonſtrationibus aduersùs Iudæos hîc tandem finem imponere, cùm in inſanas Iudaicæ Religionis, quæ nunc inter Iudæos verſatur, impietates fortè incidi; quæ cùm execrabiliores mihi viſæ ſint, quàm quòd vlla aut fides, aut Religio ferre queat, eas non parùm ad Iudæorum ſuperſtitionem ab eorum animis conuellendam collaturas duxi, ſi eorum oculis extrema hac tandem libri periodo ſubiicerentur.

MISERA planè Religio, quæ eò poſt reprobatum Chriſtum dementiæ, ac impietatis prolapſa eſt, vt non ſolùm in naturæ legem, quam primò à Deo inſtitutam, ac hominum mentibus inſculptam cæteræ aliæ leges ſuſpiciunt, nec tantùm in Moſaïcam, quam certè ſingulari ſtudio colere deberet, impudentiſſimè feratur: verùm & multis modis in Deum ipſum totius Religionis auctorem deſæuiat. Quò ſanè fit, vt non tam ab omni Religionis iure penitus exciderit, quàm ipſa ſui conditione ſeipſam impiæ, ac improbiſſimæ ſuperſtitionis natura contaminatam declaret. Quapropter extremo hoc loco, ipſam ſuæmet Religionis impietatem Iudæis ante oculos ponendam duxi, vt hoc velut ſtimulo illis admoto, vel ad meliorem, ac ſanctiorem Chriſtianæ Religionis ſtatum amplexandum excitentur, vel ſaltem eo tanquam ſæua animi tempeſtate perpetuò exagitentur, donec tandem reſipiſcant.

ATQVE ab iis, quæ in naturæ legem impiè docent, exordiar. Quod ipſa natura exhorret, ac communi lege cautum eſt, ne quis ſcilicet humanum ſanguinem fundat, innoxium perimat, fratrem iugulet, id ſibi contra fas, ac naturæ iura impunè licere conſtantiſſimè aſſerunt Nulla Hebræis calumnia inuritur, legant Thalmud, vbi Rabbinum, qui non oderit hoſtem ſuum vſque ad mortem, & qui vindictam aduersùs eum non quæſierit, indignum nomine Rabbini eſſe ſcribunt in tractatu Zenachim. Præterea Chriſtianorum quemlibet, quacunque dignitate, atque

Thalmud.

Zenachim.

A auctoritate inſignem ab eis poſſe interfici, ac ſine peccato necari, haud ſecùs, quàm ſi ſerpentem Halias occiderent, affirmant, in tract. Auodazara, & notat magiſter Alphonſus conuerſus lib. de Bello Dei c. 44. vbi notat præceptum eſſe Iudæis ex Thalmudica doctrina, meliorem Chriſtianorum occidere, quæ verba R. Salomon ita interpretatur, com meliorem Chriſtianorum eſſe, qui magis Deo deuotus eſt, atque hoc præceptum, vt etiam refert R. Moyſes Ægyptius lib. de Mada habetur in dicto tractatu Auodazara, his verbis exaratum. *Eos qui ſequuntur regulam Ie-*
B *ſu Nazareni, ſi quis viderit inclinatos ad mortem, debet eos homo occidere, & ſi ſunt circa puteum, debet homo eos proiicere intus: & ponere vnum lapidem in ore putei, & ſi ſcala fuerit in puteo, debet homo eam amouere, ne ſcilicet per eam poſſit aſcendere.*

Auodazara. M. Alphonſus con.

R. Salomon.

R. Moyſ. Ægypt.

O præclaram Religionem, quæ naturæ iure violato, vnicuique occidendi proximum ſuum ius facit, quaſi verò natura ipſa dictante non didicerint, id in alterum præſtandum non eſſe, quod ſibi ab altero effici nollet? Hoc quidem naturæ præceptum eſt, quod & ipſa Dei lege ſancitum eſſe infi-
C ciari non poſſunt; cùm legant Exod. 20. אנכי יהוה אלהיך אשר הוצאתיך מארץ מצרים: לא תרצח: *anochi Iehoua elohecha aſcer hotſethicha meerets mitſraim. Ego ſum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti, non occides*, id eſt, nullum homicidium facies. Ita enim R. Salomon declarat, cùm ait. *Homicidium fieri à lege prohibitum eſt omnino.* Iam vnde habent Hebræi Chriſtianum ſibi licere occidere, cùm lex Chriſtianum non excipiat, ſed omnium homicidia æquè prohibeat? At hoc eſt eorum in Chriſtianos odium, quos גוים ערלי *goim gharele*, & אלילים *holilim*, id eſt, gentes incir-
D cunciſas, & idololatras vocant. Hæc illorum in Dei, ac naturæ legem non ferenda impietas eſt, qua exagitantur.

Exod. 20.

HAC verò impietate non tantùm in Chriſtianos: ſed etiam in quoſcunque tam Gentiles, quàm Iudæos ſæuiunt: nam in tract. Sanhedrin in c. Hellulıem gaim Zetaphin ita legitur. *Si quis ligauerit manus, ac pedes ſocy ſui, & cauſa huius mortuus fuerit fame, liber eſt ligator à morte. Præterea ſi decem homines percutiunt hominem decem fuſtibus, & occi-*
E *dunt eum, omnes ſunt liberi. Adde, quòd ſi quis alterum occidat, cuius pulmo lateribus vnitatur, quem morbum Iudæi zerepha appellant, aut alio morbo laborauerit, quo Iudæis prohibetur animalibus veſci: occiſor impunis eſto.* Accedat & illud quod habetur eodem libro. *Quòd ſi quiſpiam odio vel maleuolentia ductus, alterum in puteum iniecerit, in quo ſcala, vel lignei gradus eſſent, & ſcalam vel gradus ipſos aliàs abſtulerit, ſi interfectus moritur, qui illũ proiecit, nulla culpa tenetur, atque ab omni ſupplicio immunis eſt iudicandus.*

Sanhedrin Guazit. Poſtremò in lib. Sanhedrin Guazit; ſtatutum habetur, quòd ſi Petrus exempli gratiâ falsò Antonium delicti accuſauerit, ob quod Antonius velut reus morti adiudicetur. Si poſt Antonij mortem Petrus falſi teſtimonij conuictus fuerit, nihilominùs pœnam non mereatur, quia mortuus eſt; quaſi verò in omnibus huiuſce caſibus non æqua homicidij ratio in iis militare debeat, tam qui proximam homicidio cauſam præbent, quàm qui homicidium propriis manibus perpetrarunt, iuxta iuris regulam. *Qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur.* Hæc ſanè tam impia, & abſurda ſunt, vt alia confutatione nõ egeant, cùm ab ipſa naturæ lege apertè damnentur.

At obſcœna prorſus illa eſt aduersùs humanum, ac diuinum ius impietas, qua Iudæi belluis ipſis deteriores ipſo naturæ ordine immutato, vnicuique licere exiſtimant cum vxore, inuerſo naturæ vſu, ac in vaſe non debito Venerem exercere; quod ipſa bruta execrantur. Hoc verò turpiſsimum dogma *Thalmud. Lib. Calla. Lib. Nedarim.* expreſſum habent in Thalmud lib. Calla, & lib. Nedarim. vbi legitur; quòd cuiuſdam vxor cùm virum ſuum coram ſenioribus accuſaſſet, quòd coniugij pudicitiam maſculino coitu, ac naturæ ordine non ſeruato ſæpius euertiſſet. Illi hoc viro licere dixerunt, ea ratione quòd in lege tantùm cautum ſit, cum maſculo non concumbere.

O dignam ſempiterno igne doctrinam. Quis vnquam niſi Thalmudica ſapientia imbutus, hanc legis interpretationem excogitaſſet; atque horrendum facinus ipſo cœleſti igne expiandum, velut pium legis opus ſibi proponeret? quaſi verò eodem legis ca-
Leuit. 20. none quo Leuit. 20. ſancitur אשר ישכב את זכר משכבי אשה תועבה עשו שניהם מות יומתו *aſcer iſckau eth zachar miſckene iſſah togheuah ghaſu ſcenehem moth iumathu. Qui dormierit* D *cum maſculo coitu fœmineo, vterque operatus eſt nefas, morte moriatur;* omnis maſculinus coitus ſiue cum maſculo, ſiue cum fœmina, expreſsè non prohibeatur; cùm ipſum natura abhorreat: neque is vnquam vlla lege permiſſus ſit; quæ tam hæc inſania eſt, vt fœmineum coitum cum maſculo prohiberi, maſculinum verò cum muliere licere arbitrentur, perinde, ac ſi ſexum tantummodò, non ſexus abuſum lex vetaret, quem ipſa natura in brutis vitandum docet? Quis adeò vecors, ac inops mentis vnquam eſſe poteſt, qui vtrumque maſculinum coitum à lege prohiberi non agnoſcat, cùm eo & naturæ ordo euertatur, & naturæ finem ſuum, qui eſt ipſa liberorum procreatio non aſſequatur? At eò prolapſi ſunt miſeri homines, vt non ſolùm à Religione, ſed etiam ab ipſa naturæ via deflectant.

At verò qui à naturæ tramite aberrant, ſanè haud mirum eſt, quòd in ipſam quoque Moyſis legē à Deo inſtitutam impingāt. Quis A enim ignorat Moyſis legem ſub mortis cenſura prohibere ne quis patrem, aut matrem maledicat, aut contumelia afficiat, vt expreſſum habetur Leuit. 20. At Iudæi in lib. *Leuit. 20. Sanhedrin Guazit.* Sanhedrin Guazit, filiis liberè permittunt parentes verberare, dummodò non appareat vulnus, neque ſanguis effluxerit; tunc enim ſolùm delicti reos iuxta legis præceptum ſentiunt, cùm parentum ſanguinem fundunt.

O eximios legis interpretes. *In legem non peccant* (aiunt) *qui genitores verberibus inuadunt, niſi ſanguinem fundant, aut vulnus appa-* B *rens inſligant.* Quid ſi ſuffocent, ſtrangulent, veneno perimant: num legis præceptum tranſgrediūtur, cùm nullum ſanguinem fundant? num parricidij rei cenſendi ſunt? At illa leuis percuſſio eſt (aiunt) quæ citra vulnus & ſanguinem fit, quæ filium à culpa excuſat. At num percuſſione leuior eſt maledictio, quæ tamen ex legis præſcripto delicti, ac necis reum ipſum conſtituit?

Præterea quicquid eis libuerit Chriſtianis furari, ſubtrahere, vſuris ab iis extorquere, vi rapere, aſtu decipere, ſibi lege permiſſum docent in lib. Sanhedrin ex ſenten- *Sanhedrin.*
C tia R. Iſmaël, quod expreſsè lege prohibetur Exod. 20. *Non furaberis.* At audiant, qua *Exod. 20.* cautela ſeipſos à promiſſionibus, ac iuramentis liberent, ac ſuæ conſcientiæ prouideant: cùm promiſſiones, ac iuramenta violant. Solent Iudæi menſe ſeptimo, nocte ipſa quæ decimum diem præcedit, in quo feſtum expiationis ab iis celebratur, ad Rabbenos, ac Sacerdotes in Synagoga legis codicem in manibus geſtantes accedere, atque hæc, aut ſimilia verba proferre. *Ego Iſaac, vel Manaſſes Iudæus proteſtor coram Deo & vobis omnia promiſſa, ac iuramenta, quæ hoc vel futuro anno* D *alicui fecero, & ea me obſeruaturum pollicitus fuero, irrita omnino, ac inania fore, ac nullius ponderis non ſecus, quàm ſi ea facta non fuiſſent, cùm in ea animus non conſentiat.* His ita expreſſis ex Thalmudica doctrina ſibi perſuaſum habent, ſe ab omni violatæ fidei culpa expiari: ita vt omnino eis liberum ſit impunè quoſcunque, Chriſtianos imprimis dolis, ac fraudibus circumuenire. Demum vix vllum extat legis præceptum, quod peſtifera hac Thalmudica doctrina non corrumpant.

E Qvod verò Iudæorum mens exhorrere deberet, nec ipſis ſanctis viris, quos velut ſuæ fidei, ac Religionis teſtes illos venerari æquum eſſet, ſua impietate parcunt. Mirum enim eſt, quot illis, quos inſignis ſanctimoniæ laude claros Scriptura commemorat, ſcelera impingant. Nam de Noë qui teſte Scriptura Geneſ. 6. vir fuit iuſtus, ac perfectus, exponentes illud Gen. 9. וייקץ נח מיינו וידע את אשר עשה לו בנו הקטן *vaykets noahh myeno vaiedangh eth aſcer ghaſa lo beni hakkatan.*

Thalmud noi Yam. *Genes. 9.* *Sanhedrin.* *Genes. 35.* *R. Salomon.* *Genes. 39.* *Baba Met.* *Exod. 23.*

tan. Euigilans Noë ex vino cùm didiciſſet, quæ fecerat ei filius ſuus iunior. In Thalmud tract. Yama a Youi aquiporim quærunt, quæ ſint, quæ Chã fecerit patri, vbi altercantur duo Hebrei Doctores, & Ruhu Samuël de opere Cham. Ille enim ait opus iunioris filij illud fuiſſe, quòd patris virilia abſciderit, ac caſtrauerit. Hic verò, quòd cum patre dormiente copulam habuerit: concludunt tandem Thalmudiſtæ Cham vtrumque feciſſe. En turpem, & obſcœnam Iudæorum doctrinam; quæ tam ab ipſa Scripturæ veritate aliena eſt, quàm ab animi honeſtate ſeiuncta. Nam quid fecerit Cham palàm Scriptura docet, cùm ait. *Cùm vidiſſet Cham pater Chanaam, verenda ſcilicet patris ſui, nunciauit duobus fratribus ſuis.* At impuri homines id ſibi animo fingunt, quod minùs honeſtè mente ſecum voluunt.

Thalmud tract. Yama · *Geneſ. 9.*

ABRAHÆ præterea, qui Dei ore velut fidei, ac iuſtitiæ Pater celebratiſſimus extitit, ita famam commaculant, vt magum, ac præſtigiatorem prædicent, qui concubinarum ſuarum filios dæmonum inuocationem docuerit. Nam in Sanhedrin c. vltim. inquirentes, quæ ſint illa munera, quæ diſtribuit Abraham filiis concubinarum, vt habetur Geneſ. 25. reſpondent ea fuiſſe nomina immunditiæ, quæ Abraham illos docuit. Declarat autem R. Salomon hæc immunditiæ nomina eſſe dæmonum inuocationes.

Sanhedrin. · *Geneſ. 25.* · *R. Salomon.*

INVENIVNTVR quoque in caſtiſſimum Ioſeph, quem heræ ſuæ vxoris Putiphar concubitum refugiſſe ſacræ literæ teſtantur Geneſ. 39. Hi in tract. Hulim c. quod incipit Calhabacat, aiunt Ioſeph animo explendæ libidinis cum vxore Putiphar domum ingreſſum fuiſſe: eum verò mox à Gabriele Angelo genitalibus præciſum, ita vt ſcelus patrare non potuerit.

Geneſ. 39.

PLVRIMAS eorum obſcœnitates, quas in Dauid, in Iahel, in Salomon, in Moyſen ipſum, ac cæteros illuſtrioris vitæ viros congerunt, modeſtiæ cauſa omitto: ne his pudicæ fidelium aures offendantur, quibus ſanè Iudaica Religio eam ſe eſſe declarat, quę omni ſanctimonia ſublata rerum tantùm obſcœnitate delectetur.

POSTREMÒ hæc eò impietatis Religio prolapſa eſt, vt nec ipſi Diuinæ maieſtati parcat, tot namque facinoroſa, tot nefaria, tot indigna Deo tribuit, vt vix piorum aures ea ferre æquo animo poſſint. Primùm enim in Raba Mecha c. Hacoher, & Hapohel, Deum pollutum & immundum efficiunt. Ibi enim R. Iohanan primùm hoc argumento probat Deum eſſe Sacerdotem, quòd Exod. 25. præcipiat Deus ſibi omnium rerum primitias offerri: at primitiæ ſolis Sacerdotibus dantur, ergo Deus eſt Sacerdos. Atque hinc denuò ita ratiocinatur. Deuter. c. vlt. ſcribitur defuncto Moyſe, illum à Domino ſepultum fuiſſe: at Sacerdos, qui mortuum attingit, pollutus eſt, & immundus; Deus igitur pollutus & immundus eſt. At verò vt Deum ab immunditia expient, confingunt illum ſtatim balneum ingreſſum fuiſſe, non quidem aquæ, eò quòd Iſa. cap. 40. dixerit. מי מדד בשעלו מים *mi madad beſciaghalo maiim. Quis menſus eſt pugillo aquas?* & illæ nimis anguſtæ eſſent ad Deum ſuſcipiendum: ſed ignis, cùm Iſa. vlt. legatur הנה יהוה באש יבוא *hinneh iehoua baeſc iauo. Dominus in igne veniet.*

Raba Mech. · *Exod. 25.* · *Iſa. 40.*

PROH inſanam non hominum, ſed pecudum ſtoliditatem. Quot oſcitaria ſimul colligunt, vt Dei maieſtatem labefactent? En eximiam huius Religionis doctrinam, ac ratiocinationem: decimæ Sacerdotibus debentur, Deus decimas exigit, ergo Deus eſt Sacerdos; quaſi Deo tempore, vel natura antiquiores ſint Sacerdotes, vt ab iis ad Deum liceat inferre. Videant qualem Deum ſibi fingant ipſis hominibus, ac rebus poſteriorem. Quaſi verò non Deo, qui Sacerdotes inſtituit, priùs decimæ debeantur, quàm Sacerdotibus, qui Dei lege, ac præcepto decimas exigunt.

AT quid ſtolidius quàm Deum, ob id quòd Scriptura dicat Moyſem ab eo ſepultum fuiſſe, pollutum aſſerere? Num ſuis legibus Princeps ſubiicitur? nunquid legalem pollutionem Deus contrahere potuit, qui legem ipſam non ſibi, ſed hominibus inſtituit? Eſto, mortuum contrectauit: quibus manibus? quo contactu? quo opere Moyſem ſepeliuit? Iuſſione ſanè, imperio, quo Angelis Moyſi corpus ſepelire mandauit.

SED en inſignem dementiam: non aqua, ſed igne ſeipſum Deus expiauit. Ita deſipis Iudæe, vt Deum expiatione indigere ſentias? Quis erit balneus, qui Deum capiat? Breuis eſt aqua, num Deo amplior eſt ignis; vt infinitum, atque incomprehenſibilem claudere valeat? quid ſi ignem ipſe deſtrueret, quonam expiationis balneo vteretur? At hallucinatus eſt Iudæus, cùm Iſaiam legeret dicentem, *Dominus in igne veniet*: neque verborum ſenſum intellexit; venturus ſiquidem eſt Deus, ac igneum balneum paraturus, non ſibi, ſed Iudæis, ac iis, qui de Deo ita malè ſentiunt.

AT in peius ruunt, cùm Deum præterea mendacem ſtatuunt: nam in Raba Mecha c. Hacoher, exclamat R. Hyſmaël. *Magna res eſt pax, cùm Deus mendacium protulit, vt pacem inter Abraham, & Saram ſeruaret;* affertque illud Geneſ. 18. vbi cùm Angeli Abrahæ polliciti eſſent, quòd poſt annũ Sara vxor eius filiũ paritura eſſet. Riſit Sara poſt oſtium tabernaculi, dixitque, אחרי בלתי היתה לי עדנה ואדני זקן *abhare velothi haiethah li ghednah*

Raba Mech. · *Geneſ. 18.*

nah vadoni zaker. Poſtquam Dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo? Dominus autem cùm Saræ riſum reprehendit, Saræ verba repetens illa mutauit: neque dixit, *Dominus meus vetulus eſt*, ſed האף אמנם אלד ואני זקנתי *haap vmnam eled vaani zakanti. Nunquid ego paritura ſum anus?* Ne iurgia inter Abraham, & Saram miſceret, quòd illum vetulum appellaſſet, atque ita mendacium protulit. A

O Rabbinvm egregiè mendacem, non Deum: nam vnde Dei mendacium colligit, inde ſe mendacem prodit, neque enim Scripturæ verba integra profert. Vtrumque enim Sara dixerat, poſtquàm conſenui, & B Dominus meus vetulus eſt. Non verba mutauit Angelus, cùm Saram reprehendit, ſed priora retulit, poſteriora omiſit: atque ea tantùm retulit, quæ reprehenſione digna erant.

Neqve his terminis eorum ſiſtit impietas, poſt hæc enim, & Deum peccatorem nominant: nam in lib Berachot cap. 1. aiunt Deum immenſo dolore affici, quòd templũ Ieroſolymitanum deſtruxerit, ac propterea nimio angore affectum in qualibet noctis vigilia rugitus, atque eiulatus edere. *Væ mihi, quia deſtruxi domum meam, væ mihi, quoniam combuſſi templum meum, væ mihi, quia inter gentes ſeruitutis iugo oppreſſi filios meos.* Quaſi in his C magnum ſcelus patrauerit. Itáne Iudæi cœca hac, ac pene brutali mentis caligine inuoluuntur, vt tam apertè in Deum delirent? At mirum non eſt, cùm diuina in eos ſæuiente ira, omnis illos veritatis lux deſeruerit, & palpabiles errorum tenebræ patrati ſceleris vltrices exiſtant.

Eqvidem arbitror Deum non ſolùm qualibet noctis vigilia, ſed quolibet temporis momento velut leonem rugitus edere. At Iudæi, qui hos rugitus intellexerunt, vocula D vna decepti ſunt: neque enim clamat Deus, væ mihi, ſed væ tibi Iudæe, quia ob ſcelera tua domum meam ſolo æquaui, væ tibi Iudæe, quia ob iniuſtam Filij mei internecionem, quam molitus es, templum meum, & altare calce abieci, væ tibi Iudæe, quoniam propter duriſſimam cordis tui perfidiam, ac animi obſtinationem, qua Meſſiam tuum reſpuis, te inter gentes captiuitatis iugo afflixi, nec tamen adhuc ſcelus tuum agnoſcis. En veros Dei rugitus, quibus te moueri æquum eſſet, vt diuina in te vindicta finem acci- E peret.

Postremò eò cæcitatis, ac ſtultitiæ progrediuntur, vt Deum in Lunam peccaſſe dicant, cùm Solem illa clariorem condidit, quam ineptiam tradunt in Thalmud tractat. Hullim, quò factum eſt, vt in huius peccati expiationem, voluerit Deus quolibet nouilunio hircum in ſacrificium pro Dei peccato offerri.

O præclaram hominum ſtultitiam. En illuſtriſſima Iudaicæ Religionis ſtemmata, quæ cuius nobilitatis, & excellentiæ ea ſit, apertè demonſtrant. Planè ſicut vera illa Dei Religio cenſetur, quæ verum Deum continuo cultu proſequitur: ita proculdubio falſa illa exiſtimanda eſt, quæ aut falſum Deum ſibi colendum proponit, aut vero Deo impium cultum tribuit. Modò Iudæi ipſi Iudices ſint, num verus Deus ille cenſendus ſit, qui immundus, qui mendax, qui peccator, ac impius ab iis aſſeritur? Sanè cùm hæc Deo vero aſcribi non poſſint, inde elicere debent, nullum eis verum Deum, ac veram Religionem relictam eſſe. Iere. 4.

Porrò cætera, quæ Deo aſcribunt, tam inepta ſunt, vt magis riſu, quàm confutatione digna ſint: quærunt .n. in lib. Auenazra, quid Deus qualibet hora diei operis præſtet? Aiúntque Deum tribus primis horis, ſtudio legis Thalmudicę incumbere: aliis tribus infantes, qui morte pręuenti legem addiſcere non potuerunt, in lege inſtruere: tribus aliis mundum iudicare, reliquas verò tres cum piſce Leuiatan ludere. Hunc verò piſcem vaſtæ magnitudinis eſſe docent, cuius fœminam Deum occidiſſe ferunt, ne totum Orbem occuparet. Porrò illius carnes ſale conſperſas vſque ad Meſſiæ aduentum ab eo ſeruari volunt, vt iis tunc lautũ Iudęis conniuium inſtruat, quo tempore ex huius piſcis felle maximum Meſſiæ tabernaeulnm parandum eſt.

Asservnt præterea Deum quotidie geminas lacrymas in Oceaoum fundere, quas illos fulgores eſſe affirmant, qui ex ſtellis ſæpenumero videntur excidere. Deum etiam firmamentum perficere non valuiſſe, cùm diu in eo perficiendo elaborauerit, ac idcirco quoddam foramen in eo relictum eſſe, vt ſi quis ſe Deum eſſe diceret, illud cœli ſpatium illi perficiendũ obiiceretur. Rurſus inquirunt, quid Deus quaque die agat, ac reſpondent, eum ſuper Cherubim equitare, vt decem, & octo millia mundorum, quæ condidit, perluſtret. Ierem. 5.

Postremò tam multa de clauibus Chore, de lapide Dan, de mole Gog, de triumpho Moyſis poſt deuictos in cœlo Angelos, ac cæteris fabulis ridicula proferunt, aſſerunt, docent conſtantiſſimè, vt apertum ſit, nihil ſolidum, aut ſtabile, aut diuinum poſt patratum in Christi morte ſcelus ſibi relictum fuiſſe: ſed vniuerſa vana, inania, ridicula, fabulis plena, tum obſcœna, impia, execranda eadem fide amplexos fuiſſe. Quo ſanè apertè perſpicere deberent, illis non niſi vanam, mendacem, fabuloſam, turpem, impiam, ac ementitam Religionem ſupereſſe. Ezech.

Hev deploranda Religio, quò tandem impietatis, ac ſuperſtitionis prolapſa eſt, vt nihil

nihil niſi ineptum, niſi prauum, niſi impium de Dei maieſtate ſentiat? Heu miſeranda Hebræorum gens, quonam cœcitatis corruit, vt apertam, ac execrandam dæmonum ſuperſtitionem pro vera Religione colat?

HEV liceat mihi infœlicem huius populi ſtatum Ieremiæ verbis deflere. *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum? Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli?* An non auro clariùs (ô Hebræi) antiqua illa Synagogæ facies fulgebat, cùm in ea ſacra illa Dei Religio emicaret: cùm fides vbique auri inſtar eluceret; ac pietas virtutum omnium ſplendore illuſtrata corruſcaret? At vbinam modò illud eſt antiquum, ac eminentiſſimum Diuinæ Religionis aurum, quod olim in Synagoga enituit? vbi eximius Patriarcharum, ac Prophetarum fidei ſplendor, qui orbem vniuerſum in ſui admirationem rapiebat? vbi pietas, vbi ſapientia, vbi virtutum fulgor, vbi antiqua illa Hebræorum gloria, ac ſanctimonia, quæ aureum planè genus veſtrum reddebat, iam tandem deſiit. Heu quomodo obſcuratum eſt aurum, obſcurata Religio, denigrata fides, gloria in ignominiam verſa, pietas in impietatem, Religio in ſuperſtitionem degenerauit?

Thren. 4.

QVOMODO diſperſi ſunt lapides ſanctuarij? Prophetæ, ſcilicet illi, ac ſancti Sacerdotes, qui velut viui lapides antiquum illud ſanctuarium ædificabant, quorum ſingulari vitæ, ac morum ſanctimonia ſanè multò magis, quàm lapidum ſtructura Dei ſanctuarium attollebatur. Vbinam diſperſi ſunt, atq; ab Hebręo populo ita diuulſi, vt nec vnus quidem inter eos aut Propheta, aut verus Sacerdos reliquus appareat? Nam ſimul, ac templũ euerſum fuit, ac materiales illius ſãctuarij lapides huc atque illud diſperſi, omnis etiam Prophetarum, ac ſacrorum virorum virtus, ac ſanctimonia longè ab Hebræo populo diſperſa, ac dilapſa fuit, vt illud Ierem. 5. tandem impleretur, שוטטו בחוצות ירושלם וראו נא ודעו ובקשו ברחובותיה אם תמצאו איש אם יש עשה משפט מבקש אמונה *ſciotetu behhutſoth Ieruſcialaim vreu na vdghu vuakſcu virhhouotheah im timtſeu iſc im ieſc ghoſceh miſcpat meuakeſc emunah. Circuite vias Ieruſalem, & aſpicite & conſiderate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium & quærentem fidem.* Illud quoque Ezech. c. 7. הוה על הוה תבוא ושמעה אל שמועה תהיה ובקשו חזון מנביא ותורה תאבד מכהן ועצה מזקנים *houah ghal houah tauo vſcemugha el ſcemugha tihieh vuikſciu hhazon minnaui vethorah touad mikohen veghetſa mizzekenim. Conturbatio ſuper conturbationem veniet, & auditus ſuper auditum, & quærent viſionem de Propheta, & lex peribit à Sacerdote, & conſilium à ſenioribus.*

Ierem. 5.

Ezech. 7.

FILII *Sion inclyti, amicti auro primo*, qui olim à Deo fide concepti, Religione aucti, cœleſti doctrina educati, tot prodigiis ab Ægypto erepti, tam mira Dei ſollicitudine per deſertum ducti, vt de iis dixerit Moyſes Deuter. 32.: יסבבנהו יבוננהו יצרנהו כאישון עינו כנשר יעיר קנו על גוזליו ירחף יפרש כנפיו יקחהו ישאהו על אברתו *Ieſouuenehu ienonnehu itſerenhu keiſcion ghenno keneſcer iaghir kinno ghal gozalau ieraheph iphroſc kenaphau ijkkahhehu iſſaehu ghal euratho. Circumduxit eum, & docuit, & cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui, ſicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum, atque portauit in humeris ſuis*; qui tandem velut primogeniti, primi in fide, primi in donis, primi in imperio cœleſtium bonorum hæredes à Deo inſtituti fuerant.

Deuter. 32.

FILII *Sion* (inquit) *& amicti auro primo.* Prima Dei portio, primus populus, primus funiculus hæreditatis eius. Aurea planè gens, in qua vniuerſa Dei dona affulgebant, cui fides, cui Religio, cui lex, cui Sacerdotium, cui templum, cui prophetia, cui Meſſiæ promiſſio vni collata fuerat. *Quomodo nunc reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli?* Quomodo nunc adeò viles, atque omnium oculis abiectiſſimi videntur, perinde ac ſi vaſa teſtea, non homines eſſent? qui factum eſt, vt haud ſecus, quàm vas figuli à Deo confracti ſint, comminuti, contriti, contrita Ieruſalem, comminutum templum, diſſipatũ Sacerdotium, confractum ſceptrum, euulſa fides, erepta Religio, atque ij per Orbem diſperſi, ac comminuti ſint pluſquàm omnes gentes, ſicut conteritur lagena figuli contritione perualida, vt in iis tandem Ierem. vaticinium expleretur cap. 19. *Sic conteram populum iſtum, & ciuitatem iſtam, ſicut conteritur vas figuli, quod non poteſt vltrà inſtaurari?*

Ierem. 19.

AGNOSCITE tandem Hebræi hanc eſſe manum Dei validam, quam in vos ſuo furore exercet, ob excœcatam animi veſtri perfidiam, qua in vobis quotidie Chriſtus crucifigitur. Audite Ierem. cap. 19. *Ecce ego inducam ſuper ciuitatem hanc, & ſuper vrbes eius vniuerſa mala, quæ locutus ſum aduerſus eam, quoniam indurauerunt ceruicem ſuam, vt non audirent ſermones meos.* Cur flagella flagellis accumulatis? cur perpetuam iram Dei veſtra perfidia efficitis? Haud dubium quin acerbior calamitas, & durius ſeruituris iugum vos in dies afflictura ſint, quandiu animos hac perfidia alitis. En quid dicat Ezech. cap. 9. עון בית ישראל ויהודה גדול במאד מאד ותמלא הארץ דמים והעיר מלאה מטה: וגם אני לא תחוס עיני ולא אחמל דרכם בראשם נתתי: *ghanon beth Iſraël vihudad gadol bemod meod vattimmale haarets damim veha*

Ierem. 19.

Ezech. 9.

vehaghir maleah mutteh, vegam ani lo thahhos ghemi velo ehhmol darkam beroſciam nathatti. Iniquitas domus Iſraël, & Iuda magna eſt nimis valdè, & repleta eſt terra ſanguine, & ciuitas repleta eſt auerſione. Igitur & meus non parcet oculus, neque miſerebor, & viam eorum ſuper caput eorum reddam.

QVID fruſtrà Synagoga conqueritur, deuaſtatam à Romanis eſſe Ieruſalem, combuſtum templum, ablatum ſceptrum à domo Iuda, & antiquam illam Hebræi populi gloriam penitus corruiſſe, cùm Dominum Ieſum ſibi præeſſe noluerint, cùm impiè cruci affixerint, cùm innumera quotidie in eum conuitia iactent (vt manifeſtum eſt) cùm illius fidem, ac Religionem Tartareo planè odio proſequantur, cùm ſanctum illius nomen blaſphement, ac impiis adinuentionibus illius maieſtatem irritent? Audiant Iſaiam ampliſſimum huius rei teſtem c. 3. כשלה ירושלם ויהודה נפל כי לשונם ומעלליהם אל יהוה למרות עני כבודו: *chaſcelah ieruſcialaim vihudah naphal ki leſcionam vmgalhhallehem el Iehoua lamroth ghene chevodo. Ruit enim Ieruſalem, & Iudas concidit, quia lingua eorum, & adinuentiones eorum contra Dominum, vt prouocarent oculos maieſtatis eius.* Hæc ſunt, quæ perpetuam vobis calamitatem pariunt, ſupplicia ſuppliciis addunt, captiuitatem penè intolerabilem reddunt, diſperſos in omnes orbis populos expellunt, gaudium tympanorum, dulcedinem citharæ, ſonitum lætantium, ac omnem cordis exultationem ab Iſraël longè abiiciunt, anguſtias velut parturientis, dolores, gemitus ac ſingultus augent. Et quod miſerrimum eſt, omnem liberationis ſpem à vobis auferunt, & Deum planè inexorabilem efficiunt. Audite Hieremiam Hebræi quid 30. c. de perpetua veſtra hac calamitate prædixerit כי כה אמר יהוה אנוש לשברך נחלה מכתך אין דן דינך למזור רפאות תעלה אין לך : כל מאהביך שכחוך אותך לא ידרשו כי מכת אויב הכיתיך מוסר אכזרי על רב עונך עצמו חטאתיך מה תזעק על שברך אנוש מכאבך על רב עונך עצמו חטאתיך עשיתי אלה לך *ki ve amar Iehoua annuſc leſciu rech nahhlah makathech: eim dan dinech lemazor rephuoth teghala eim lach: kol meahauaich ſcechehhuch othach lo ijdroſciu ki makath oieu hikithich muſar achzari ghal rou ghauonech ghaſcmu hhattothaich: mah tizghak ghal ſciurech annuſc machouech ghal rou ghauonech ghaſcmu hhattotaich ghaſiſthi elle lach. Hæc dicit Dominus; inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua. Non eſt qui iudicet iudicium tuum ad alligandum, curationum vtilitas non eſt tibi. Omnes amatores tui obliti ſunt tui, téque non quærent; plaga enim inimici percuſſi te, caſtigatione crudeli. Propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta ſunt peccata tua. Quid clamas ſuper contritione tua? inſanabilis eſt dolor tuus, propter multitudinem iniquitatis tuæ, & propter dura peccata tua feci hæc tibi.*

Ier. 30.

HEV nunc ſaltem reſipiſcite Iudæi, redite præuaricatores ad cor. Solue vincula colli tui captiua filia Sion, ſolue perfidiæ catenas, ſolue colligationes impietatis, ſolue obſtinationis faſciculos deprimentes, vt tandem in iudicio redimatis, & reducat te Dominus in iuſtitia. O térque quatérque beatam ſi abſtuleris de medio tui cateuam, qua nunc execrabilis perfidiæ vinculis alligaris, ſi deſieris manum contra Dominum, ac Chriſtum eius extendere: ſi Ieſum nunc ſaltem Deum, ac Meſſiam agnoueris, quem Gentilium populus, ac totus terrarum orbis non ſui, ſed Hebræi generis Meſſiam & agnouit, & excepit; ſi captiuam te illius fidei dederis, ac ſuaue illius iugum non excuſſeris. Planè orietur in tenebris lux tua. Ablatis enim perfidiæ tenebris noua, ac diuina gratiæ, & ſalutis lux tibi affulgebit: quandoquidem nouus hic tibi Meſſiæ Sol iuſtitię ſplendoribus implebit animam tuam. Quamobrem & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies. Nulla erit priorum calamitatum memoria, quæ priùs animo tenebras, ac luctum comparabant, in maximum tibi gaudium vertentur. Ceſſabunt anguſtiæ, fugiet dolor & gemitus, gloria Domini colliget te.

POST hæc vocaberis ciuitas iuſti, vrbs fidelis; atque illud Iſa. 51. explebitur, ופדויי Iſa. 51.
יהוה ישובון ובאו ציון ברנה ושמחת עולם על ראשם ששון ושמחה ישיגון נסו יגון ואנחה אנכי אנכי הוא מנחמכם *vphduiei Iehoua ieſciyuun vuao tſijon berinnah veſimhhat gholam ghal roſciam ſaſou v:ſimhhah iaſſiguu naſu iagon vaanahhah: anochi anochi hu menahhemchem. Et nunc qui redempti ſunt à Domino, reuertentur, & venient in Sion laudantes, & lætitia ſempiterna ſuper capita eorum: gaudium & lætitiam tenebunt, fugiet dolor, & gemitus. Ego, ego ipſe conſolabor vos.* Illud quoque quod cap. 52. ſcribit, בשוב יהוה ציון : פצחו רננו יחדו חרבות ירושלם כי נחם יהוה עמו גאל ירושלם *beſciub Iehoua tſijon pitſhhu rannenu iahhdau hharenoth Ieruſcialaim: ki nihham Iehoua ghammo gaal Ieruſcialaim. Cùm conuerterit Dominus Sion, gaudete, & laudate ſimul deſerta Ieruſalem, quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, redemit Ieruſalem.*

SED tu Domine Deus iuſtus, & miſericors faciens iuſtitiam in vno, & cuſtodiens miſericordiam cum mille, intuere quid acciderit populo tuo, populo iſti quem poſſediſti ab initio, populo quem redemiſti in brachio virtutis tuę, vt eſſet pars tua, & portio tua deſiderabilis. Afflixiſti Domine populũ tuum vehementer, filios Iſraël, antiquum funiculum hæreditatis tuæ, pro eo quòd abiecerunt te, & puerum tuum Ieſum, quem tradiderunt ante faciem Pilati, tu Domine repuliſti eos, & abieciſti, & diſperſiſti in vniuerſas terras,

terras, diſſipaſti eos in furore tuo, iratus es, nec miſertus es illis. Populus tuus, populus ille, quem poſſediſti, captiuus ductus eſt in omnes gentes, factus eſt in opprobrium populorum; dederunt omnes contra eum vocem ſuam, quia præuaricati ſunt pactum tuũ, & receſſerunt, ne audirent vocem filij tui, & præceptis ſuis obedirent, quem Saluatorem conſtituiſti eis. Propterea ſtillauit ſuper eos maledictio, & deteſtatio, quæ ſcripta eſt in libris Prophetarum: & induxiſti ſuper eos malum grande, quale nunquam fuit, maledictio, ira, indignatio, furor, vindicta, anguſtia vorauit eos. Et contritio, & deſolatio, & vaſtitas conſumpſit illos, quia tu Domine locutus es ſuper eos malum.

Ivstvs es Domine, & rectum iudicium tuum, planè vniuerſæ viæ tuæ veritas, ac magna, & incomprehenſibilia iudicia tua, quia iudicaſti populum rebellem, poſuiſti ciuitatem in tumulum, vrbem fortem in ruinam, domum alienorum, vt non ſit ciuitas, & in æternum non ædificetur, gentem perfidam in laqueum, & in formidinem. Sed tu Domine Deus miſericors, ac multæ miſericordiæ, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob: hoc tibi nomen, hoc memoriale tuum in deſiderio animæ. Auertatur obſecro ira tua à populo iſto multo, populo conuulſo, ac dilacerato; illumina cor populi huius, & aures eius aperi, vt videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur ad Dominum Deum ſuum, & ad Chriſtum Regem ſuum; & ſanes contritiones eius. Educ populum hunc cæcum, & oculos habentem de cæcitatis tenebris, vt videant te Deum verum, & agnoſcant Filium tuum, quem miſiſti Ieſum Chriſtum, illuſtra faciem tuam ſuper eum ne amplius obdormiat in morte. Inclina Deus aurem tuam, & audi,

A aperi oculos tuos, & vide tribulationes eorum. Anguſtia poſſedit eos, ſicut anguſtia parturientis; corruerunt in iniquitatibus ſuis, conturbati ſunt in ira tua, Synagoga dilecta tua facta eſt in miraculum omnibus gentibus; viderunt eam omnes tranſeuntes per viam, & deriſerunt eam; ipſa verò gemens, tota die mœrore confecta, plorans plorauit in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eius, non eſt, qui conſoletur eam.

Non eſt vltrà Domine Deus populo tuo, & Iſraël quondam dilecto tuo, holocauſtum, neque ſacrificium, neque oblatio, neque incenſum, neque locus primitiarum coram te,
B vt poſſint inuenire miſericordiam, vbi eſt Domine zelus tuus, & multitudo viſcerum tuorum: tu enim Pater eorum, & creator, & Redemptor eorum, Abraham neſciuit eos, & Iſraël ignorauit eos. Tu Domine Pater eorum, & Saluator eorum à ſæculo nomen tuum.

Placare Domine, placare, reſpice in Chriſtum tuum, & in puerum ſanctum tuum Ieſum, quem conſtituiſti Redemptorem vniuerſorum. Ipſe illis ſit & Princeps, & dux, & Propheta, & holocauſtum, & ſacrificium, & oblatio, & incenſum, & primitiæ, & propitiatio. Inuocetur nomen tuum, & nomen ſan-
C cti filij tui Ieſu ſuper populum iſtum, vt audias vocem laudis eius, & enarrent vniuerſa mirabilia tua. Atque hi à Domino redempti decantabunt nomen ſanctum tuum, & nobiſcum pariter laudabunt redemptricem manum Filij tui. Hi erunt germen Domini, & ſemen ſanctum vocabuntur, cùm ſuſceperis Iacob ſeruum tuum, & Iſraël dilectum tuum, vt non modò magnum ſit nomen tuum in Gentibus, ſed etiam notus ſis in Iudæa Deus, in Iſraël magnum, & glorioſum nomen tuum.

Laus Deo Opt. Max.

Errata quæ in primo libro contra Atheiſtas exciderunt, ſic emenda.

PAg. 1.l.13 *Redemptoorem*, Redemptorem.ibid.l.14.*aduerſis*, aduerſus.p.12.c.2.l.54. *omnibus*, hominibus.p. 15.c. 2.l. 44. *vnquam*, nunquam.p.26.c.2.l.59.*quam*,quæ.p.31.c.1.l.51.*ſempiternam*,ſempiternum.p.46.c.2.l.9.*primum*,vtrumque.p.44. c.1.l.59.*cauſam*,caſum.p.51.c.1.l.11.*aly*,hi.p.59.c.2.l.27.*em,anat*,emanat.p.71.c.2.l.16.*natura*,natura.p.76. c. 1.l.20.*ratione*, rationem.p.78.c.1.l.12.*eam*,eum.p.85. c.1.l.60.*ſapenurò*,ſæpenumerò.p.100.c.2.l.40.*exterminy*,exterminium.p.115.c.1.l.16. *vea*,viræ.p.119.c.1.l.37. *ab*, ad.p.125.c.2.l.12.*origino*, origine.ibid.c.1.l.38.*ingram*, integram.p.140.c.1. l. 7. *aulſo*, auulſo.p. 160.c.2.l. 52.*corru*,corporis.p.162.c.2.l.8.*debat*, debet.p.167.c.1.l.7.*Eccleſiaſticus*,Eccleſiaſtes.p.170.l.5.*fita*,ſitu.p.102.c. 2.l. 60.*fuerretur*,fruetetur.p.218.c.1.l.8. *mentione*,mentionem.p.234.c.1.l.46.*credemus*,credimus.p.281.c.1.l.17.*declaro*,declarare. p.285.c.1.l.6,*extinctum*,extinctam.p.287.c.2.l.6.*ridecu*,ridiculi.p.198.c.2.l.20.*maximam*,maximum.

Errata quæ in ſecundo libro contra Iudæos exciderunt, ſic emenda.

PAg. 18.col.1.D.lin.2.*creaturam*, creaturarum.pag.27. col.1.C.lin.13.*exendere*, extendere. pag.15. col.1.C.lin.4.*ſignicat*, ſignificat.pag.35.col.1.C.*ſic*,ſit.pag.35.col.1.B.lin.7.*ſuam*,ſuum.pag.35.col.2.D.lin.2.*Meſſia*,Meſſiæ.pag.47.col.1.B.lin.12. *cotur*, cogetur. pag.122. col.1.A.lin.6. *Propheta*, Prophetæ. pag.123.col.2.A.lin.9. *per-ſtior*, perfectior.pag.148.col.1.E.lin.9. *pro-ſto*,profectò.pag.152. col.1. B. lin.5. *compo-ur*, componitur. pag.155. col.1. A. lin.9. *ſplendores*, ſplendore. pag.161. col.2. C.lin.5.*at*,atque.pag.171. col.1.A.lin.12.*trucidartun*, trucidarunt pag.175.col.2.D.lin.12.*ſiquidum*, ſiquidem. pag.181.col.1. A.lin.12.*dictam*,dictum.

INDEX.

INDEX
RERVM ET VERBORVM,
QVÆ IN PRIMO DEMONSTRATIONVM SYMBOLORVM CONTRA Atheiſtas libro continentur.

Numerus ad paginam remittit, litera locum deſignat: vbi cum litera numerus additur, columnam ſecundam denotat.

A

ABADDON, vel ſcheol tachthijot inferiorem mãſionẽ inferni apud Hebræos ſignificat. 214.d.2
Abaillardi Hæretici ante iudicium à beatis Deum videri negabant. 233.c
Abrahæ ſinus iuſtorum tantùm animas ante Chriſti aduentum recipiebat. 282.b.2
Abrahæ, Lazari, ac diuitis Epulonis animæ quæ inter ſe loquentes inducuntur Luc. 16. de animarum tranſmigratione doctrinam futilem arguunt. 130.c
Abſurda quot conſequantur, ſi eſſentia beatitudinis tantummodò in voluntate includatur. 195. d. e.2
Abſurda quot conſequantur, ſi anima ex qualitatum temperamento, & certa humorum compoſitione aſſurgere dicatur. 124.c.d.2
Abyſſus eſt terræ vorago, locúſque dæmonum, in quo cum impiis cruciantur. 286.a
Academiæ locus inſalubris à Platone cur electus. 178.d
Academicorum Schola præclarè de intellectiua animę natura ſenſit. 127.e.2
Accidens non variat rationem ſubſtantiæ. 294.b.2
Accidens ad ſubſtantiæ naturam non pertinet, neque cum ea ad vnum conſtituendũ coniungi poteſt. 125.d
Accidentibus tantùm, non ſubſtantiis competit corruptionis modus per accidens. 150.d
Actio Dei eſt ſuamet ſubſtantia. 29.c.1
Actio eſt ſimilium in genere, & in eadem materia communicantium. 63.c.1.d
Actio ſpeculatiua intellectus ſi à voluntate ſeiuncta ſit, merè naturalis eſt. 191.c
Actiones immanentes, & tranſeuntes in Deo. 29.c.1
Actus humani à bonitate finis potiſſimùm bonitatem ſuam naciſcuntur. 211.a
Adam apud Hebræos nihil, præterquàm hominem inſinuat. 118.c.1.e
Adam homo nuncupatus, vt fragilis naturæ, ac breui perituræ conditionis admoneatur. 103.a
Adam omnibus naturæ bonis cohoneſtatus fuit. 50. c. 2.b. Diuinam ſimilitudinem ſibi appetiit. ibid. Ob culpam ſe ſuóſque poſteros æternæ mortis nexibus alligauit. ibid.e
Adæ culpa diuina ſapientia operante Diuini verbi incarnationem, Paſſionem, orbis redemptionem, atque alia bona peperit. 50.e.2.c
Ægritudo duplex ſtatuitur ex duplici dolore manans. 164.c
Ægyptiorum ſapientia inter prophanos Philoſophos prima omnium floruit. 269.a
Ægyptiorum ſapientia reſurrectionẽ admiſit. 244.a
Aër cõpreſſus, & coãguſtatus in vẽtos exprimitur. 25.c.1
Aër Hebræorum mannati comparatus. 24.c.2
Aëris amplitudo, & diuitiæ conditoris benignitatem, ac virtutem declarant. 24.c.2
Aëris natura inconſumpta manet, tametſi tot numero homines illum ſpirando attrahant. 25.c.1
Aërẽ Diog. Apollon. quomodo Deũ eſſe ſenſerit. 21.c
Æternitas menſurã, menſura ęternitatẽ expellit. 22.e.2
Æternitas ſimul tota eſt. 28.e.2
Æternitatem animus ſibi ipſi apperit, cùm in ſe ipſo eam concipiat, intelligat, & comprehendat. 154.d.2
Æternitatem pœnarum damnatorum Origenes aliquando docuit. 277.c.d
in Æternitate ſpatium opinari vitium eſt. 30.e.2
Æternum, & incorruptibile principio differunt. 31.c.1
Afflictiuum commune omnium malorum ſpirituum ignis eſt ex doctrina S. Thomæ. 298.d.2
Agmen damnatorum eſſe veluti gregem in inferno vnde colligatur. 279.c
Alexand. Aphrodiſei obiectio, quòd intellectus agẽs ſit ipſe Deus, à Philop. & Simplicio confutatur. 136.c.2
Algazelus contra Auerroëm pro mundi creatione pugnat. 32.c.2
Algazeli de Deo omniũ rerũ conditore ſententia. 32.c.2
Algazeli ratio pro principio temporis. 29.c.1
Altare, ſub quo Martyrum animæ eſſe dicuntur, Bernardus exiſtimat eſſe Chriſti humanitatem, qua Sancti vſque ad iudicium fruuntur. 236.b.2
Amor alio modo ſe habet in appetente beatitudinem, quàm in poſſidente. 195.c.d
Anabaptiſtæ corporum reſurrectionem nec apertè fatentur, nec dilucidè negant. 245.c.2
Anabaptiſtę nonnulli poſt extremum iudicij diem Deũ omnium miſerturum arbitrantur. 272.a.2
Anabaptiſtarum quorundam error circa animam intellectiuam refutatur. 97.b.c. d. Argumenta quibus conantur eam impugnare, exploduntur. ibid.
Anaſtaſius Imperator ob κακοπιστίας ante tempus morte deletus. 9.col.1
Anaſtaſius Imperator in ſomnis de Atheiſtica impietate correptus, & caſtigatus. 9.c.1
Anaxagoræ ſententia de mente mundi creatrice, ab Ariſtotele laudata. 21.c.1
Anaxagoræ de Deo ſententia. 21.c
Anaxgorę Deus mens ſapientiſſima, ac rerum omnium productrix fuit. 21.c
Anaxagoræ de Deo ſentẽtia à Platone cõmendata. 21.c
Anaximenes animam aëreum corpuſculum eſſe credidit, cum Diogene Apolloniata, & Critia. 114.b

Angeli,& animæ cùm corporei eſſe dicuntur apud aliquos è Patribus, non vt materiale ſonat, ſed vt compoſitum, vox (*corporeum*) ſumenda eſt. 127.b
Angeli in Scripturis nõnunquam Dij nũcupantur. 87.c.1.c.d. Hoc aſtrorũ nomine ſæpe in ſacris literis intelliguntur. 88.c.1.a. Eoſdem Plato ſub aſtrorum appellatione inſinuat, cùm minores Deos in aſtra & dæmones diſtinguit. 87.c.2.e. Cur ita à Platone nũcupati fuerint, explicatur. 88.c.1.a. Angeli humanarũ rerum curatores ſunt. ibid.b. Subſtantiæ abſtractæ, fœliciſſimæ, beatiſſimæ, optimam vitam degẽtes, ex Ariſtotele. ibid.c. Intelligibiles, ac inflexibiles mundi ſuſtẽtatores cur à Chaldæis dicti fuerint. ib.e.& c.2.a
Angelorum,& dæmonum differẽtia innuitur. 90.c.1.a
Angelis nulla ratione creandi poteſtas cõpetit. 129.c.a
Angelos natura nõ eſſe immortales, ſed Dei gratia, quo ſẽſu Sophron. Patriarcha Ieroſolym. ſcripſerit. 141.a.a
Anima ſi ea Dei eſſentia eſſet inalterabilis, vtiq; ſẽper eſſet 115.c.1.c. Animã ex traduce à parẽtibus, corporum more neq; ſeminatã, neque de potẽtia materiæ eductam verbis Zachar. elucidatur. 115.c.1.& a.a.b.c
Anima cur ea Dei ſubſtantia eſſe non poſſit, pluribus argumentis demonſtratur. 514. Concilij Braccarenſis I. aduerſùs eos, qui animas ex Dei ſubſtantia extitiſſe affirmant, Canon refertur. ibid.c.a.b
Anima rationalis cùm ſit cæterorum vita, neceſſe eſt eſſe eſſentiam per ſe viuentem. 552.d.e
Anima tunc orta cenſetur, cùm à Deo in corpore creatur. 120.c
Animæ brutorum ſunt quidem aliquid præter corpus, ſed non ſine corpore, aut extra corpus. 96.c.2.e
Anima,& corpus inter ſe genere, ac ſubſtantia diſtincta ſunt. 97.c.a
Anima corporali aliqua inſpicatione nequaquam creata fuit. 113.c.a.c.d
Anima rationalis non tam ſubſtantiæ genere, quàm ipſius productionis modo à corpore ſecernitur. 98.a
Anima viuificandi corporis vim à Deo accipiens, non tamen non eget virtute Dei. 522.a.2
Anima non eſt omnis compoſitionis expers. 527.c
Anima corpori non innititur tanquam ſubiecto, ſed eo vtitur tanquam inſtrumento. 150.c
Anima in homine conſideratur tanquam forma, corpus tanquam materia. 150.a.2
Anima rationalis nullo modo eſt educta ex potentia materiæ, cùm illa Dei inſpiratione creata extrinſecus corpori aduenerit. 98.c.d
Anima virtute prædita, fortuna omni ſuperior. 44.c.1.b
Anima non modò corporalia omnia intelligit, verũ & ipſa intelligendo tranſcendit. 550.c.1.b. Eadem ad ipſum Deum aſcendit, illiúſque ſubſtantiam, ac naturam ſcrutatur. ibi.b. Quòd ipſamet ſit incorporea, ea ipſius ſubſtãtia, ac potentiis demõſtratur. ibi.c.d. Anima ſuapte natura ad infinita properat. ibi.e. Hæc quò longiùs à corporeis diſcedit, eò perfectiùs operatur. ibid.c.2.a.b. Idem à corporeis voluptatibus, & è contrario probatur. ibi.c. Animæ potentias, intellectum, & voluntatem, non eſſe quantas, nec organicas; ideóque & ipſam, ſicut & potentias omnino immaterialem eſſe declaratur. ibid.d.e. Anima tam ſecundùm intellectum, quàm volũtatem in ſeipſam refluit, ideò à corpore libera. ibid.e
Anima quo pacto ignis inferni æterna ſupplicia toleret, Chryſoſtomus explicat. 277.c.a
Anima bifariam conſideratur, vel in ratione animandi, vel in ratione naturæ. 150.c.2. Vtroque modo conſiderata immortalis aſſeritur. ibid.
Anima cùm imago Dei ſit, nullo modo illius ſubſtãtia dici poteſt. 114.c.2.b.c. Si anima eſſet pars diuinæ ſubſtãtiæ, tot eſſent Dij, quot homines exiſtũt. ibi.d.e. Si eadem eſſet pars diuinæ ſubſtantiæ, infiniti naturam in ſe includeret. 115.c.1.a.b
Anima quomodo adhæreat corpori. 155.d.a
Anima ſtatim poſt perfectam corporis organizationẽ, eidem à Deo creatur, ac infunditur. 120.c.1.b.c
Anima duplici parte conſtat, Diuina & humana. 93.c.1.d. Aliquid eſſe præter corpus probatur exemplo dormientis. ibid.e. Decerptam eſſe ex mente Diuina illuſtratur ea fabula Promethei. ibid.c.2.a.b.c. Hac intellectiua anima homo à cæteris animantibus diſtat. ibid.d.e.& 94.c.1.c.d
Anima inter entia nobiliſſimũ ſibi locũ vendicat. 97.a
Anima licèt per ſe ſenſibilis non ſit, ex variis tamen operationibus agnoſcitur. 95.c.2.d
Anima pleraque facinora ſine corpore perpetrat, ob quæ ſine corpore plectitur. 281.a
Anima ſeparata duplici pœnarum genere affici poteſt naturaliter. 293.b.a
Anima non tantùm ea incorporeæ naturæ ſimilitudine, ſed ea aliis permultis, tum maieſtatis, tũ immortalitatis, tum diuinæ Trinitatis ſymbolis figuram Dei gerit. 98.b.a
Anima nullam præterquàm in Deo veram tranquillitatem reperit. 119.c.1.d
Animæ origo Auguſtino aliquando difficilis viſa fuit. 116.c.1.a
Animæ vniuſcuiuſq; impij remorſus ſi ſit infernus, tot erunt inferni, quot impij exiſtunt. 283.a.a
Animæ ſeparatæ per ſe, ac naturaliter quæ pœna competere poſſit. 293.c
Animæ ſubſtantiam quàm aptè declaret vox Hebræa *naphah*, expenditur. 98.b
Animæ immortalitatem negantes eò reſpiciunt, vt nullo conſcientiæ ſtimulo agitentur. 91.& 92.c.1.c.d
Animæ cognitio quò difficilior, eò vtilior. 91.c.1.a.b
Animæ naturam veluti typis quibuſdam tectam grauiores Philoſophi tradiderunt. 123.b
Animæ origo,& natura quæ ſit inter Philoſophos non conuenit. 104.b
Animæ definitio ab Ariſtotele allata, non ſatis perfectè quid ſit anima, exponit. 123.d.c.2. Catholicorum Doctorũ definitiones illius examinãtur. 124.a.b.c.d
Animæ in Purgatorio exiſtentes ſenſus paſſiones æquo animo accipiant, ac in iis nonnunquam ad tempus lætantur. a 94.a.Id gratiæ opus eſt, non naturæ. ibid.
Animæ nec ſunt à ſubſtantia Dei abſciſſæ, vel ex ſemine propagatæ, vel ab Adæ anima traductæ. 128.d.a
Animæ ad inferos detruſæ eſſe non deſinunt. 143.a.a
Animæ Sanctorum, quandiu à corporibus ſeiunctæ ſunt, plenam, ac perfectam gloriæ retributionem non poſſident. 255.c.d.a
Animæ improborum poſt extremum iudicij diem, non temporales; ſed æternas delictorum pœnas luent. 275.b.c
Animæ iuſtorum purgatæ non expectato extremi iudicij die in cœlum recipiuntur. 300.b
Animam non eſſe Dei flatum in hominis corpus immiſſum, tanquam diuini ſpiritus particulam demonſtratur. 254.c.1.b
Animam quodammodo corpoream efficit relatio intrinſeca ad corpus, qua ratione illud dici poteſt corporeum, quod à corpore liberum non eſt; ſed intrinſecam ad corpus relationem habet. 296.c
Animam ſine phantaſmate intelligere non poſſe dicit Ariſtoteles habita ratione præſentis animæ ſtatus, quo corpori intellectus annexus eſt. 135. Intelligentem oportere phantaſmata ſpeculari, ex ipſo hoc elucidat. ibid.
Animam rationalem nihil eſſe præter Dei ſpiritum in cunctis animantibus vnicum, olim Libertini confinxerunt. 113.c.1.c
Animam ſublato corpore non eſſe ſpiritum, aut immaterialem ſubſtantiam, inter Atheiſtarum principia annumeratur. 87.c.1.e.& 2.a

Animam humanam liberè à ſeipſa ad operandum moueri; quæcunque verò corpori, ac materiæ alligantur; liberam, ac ſolutam operationem habere non poſſe declaratur.111.c.1.a.b.c.d. Animus hominis nulli cæleſti neceſſitati ſubditur, ac proinde inter corporeas ſubſtantias (quæ cœlo ſubiciuntur) minimè collocatur.112.c.1.a.b.c. Corporeum nequaquam eſſe animum, qui corporis commoda non tuetur, ex ipſo voluntatis imperio manifeſtè apparet.112.c.2.b animarum origo contra Hæreticos oſtenditur. 112.c.2.c. Animas à Dei ſubſtantia tanquam diuinas quaſdam particulas excindi, quorundam Hæreticorum error.112.c.2.d. Hic error refellitur.113.c.2.a.b. Animas rationales eſſe corporeas, atque à parentum ſemine genitas, quorundam Philoſophorum & Hæreticorum error.112.c.2.c. Omnes animas ab initio ſimul creatas, nunc tantùm in corpora infundi, error ab Eccleſia damnatus.113.c.1.a.b. Animas neque à Deo creari, neque infundi: ſed à corporibus in corpora iam hominum, quàm ferarum tranſmigrare, Pythagoreorum error. ibid.

Animam intellectiuam neceſſariò in homine ponendam eſſe demonſtratur.92.per totum artic. Eam nihil eſſe præter corpus Anabaptiſtarum quidam aſſerunt.92.c.2. Ipſius origo deſcribitur.ibid. d.e. Illius dignitas ex Mercurio Trimegiſto explicatur. 93.a.b

Animam rationalem, ac intellectiuam homini ineſſe, præclara corporis ſtructura indicat.94.c.1.e.& c. 2. a.b. Idem ex rationali animæ vi in agẽdo colligitur. ibid.c.2.b.c.d.e. Sciendi, & addiſcẽdi cupiditas animo innata intellectiuam animã homini ineſſe probant.p.95.c.1.a.b. Hoc ipſum demonſtratur ex multarum rerum inuentione, quas animus excogitat. ibid.b.c. Item ex electione, & deliberatione. ibi.c.d. Præterea ex præſtantiſſimo fine, ad quem altiùs, quã cætera bruta hominis animus fertur. ibid.e.& c. 2. a. b. Ex boni cupiditate animo innata. ibid.c.d.e

Animam præceſſit potentia tam ad eſſe, quàm ad non eſſe, quæ extitit in Deo, non in anima ipſa. 152.a

Animam, & mentem, ψυχὴν, & νοῦν Ariſtoteles quomodo vſurpet. 137.a

Animarum natura in cœlo non mutatur, ſed tantùm iuxta prioris conditionis rationem perficitur.194.e.2

Animarum ſumma beatitudo in quo ſita ſit. 171.b

Animarum tranſmigratio quibus argumentis refellatur.121.d.e. Gentilium fabulam nugatoriam Patres nuncupant. ibid.b.2

Animas à parentibus ſimul cum corpore minimè genitas fuiſſe, pluribus tam Scripturarum, quàm Patrũ teſtimoniis aſſeritur. 215.c.1.& 2.116.per totum.

Animas impiorum à corpore ſolutas ad inferos ante iudicium non deuolui qui negant, teſtimonio Pſal. 48.apertè coarguuntur. 279.a

Animas ante corpora creatas in cœlo peccaſſe, & in peccati pœnã in corpora velut in carceres detruſas, Orig. error.118.c.2.e. hic error Paganiſmum redolẽs refutatur. 119.c.1.a.b.c. Animas ante corpora fuiſſe, fabuloſum oſtenditur.p.120.c.2.c.d.e. Vindicantur loca Scripturæ, quæ huic error fauere videntur. 119.c.1.b.per totum.

Animas ſimul cum corpore extingui, Anabapriſtarum eſt error.98.e.2. Luculenter refutatur tum rationibus, tum Scripturæ teſtimoniis. ibid.& 99.a.b.c.d

Animus in homine Rex. 37.c.1.a

Animus humanum corpus imperio regit. 37.c.1.a

Animus ſenſibus comprehendi non poteſt. 37.c.1.a

Animus in homine imperans, Deum vniuerſi rectorem docet. 37.c.1.b

Animus ita eſt in corpore, vt corporum more ab eo circunſcribi, ſuſtineri, aut recipi negetur. 167.c. In corpore eſt velut corporis viuificator, rector, ac moderator.ibid. Corporis modum non ſequitur: ſed inſtar formæ immaterialis totum corpus immaterialiter peruadit. ibid.

Animus ſibi non apperit æternitatem ea ratione, quòd videat ſuæ naturæ eſſe impoſſibilem. 154.d.2

Animus vitiis, ac prauis cupiditatibus ferè belluinus efficitur. 16.c.1

Animus enervatus fœlicitate, ac deliciis marceſcit.48. col.2.e

Animus dupliciter intelligit, aut per phantaſmata, aut per ſpecies ſibi innatas. 166.d.e

Animus quibus rebus alatur.155.e. Ex iiſdem nutritur, quibus conſtituitur. ibid.b.2

Anim⁹ vitiis perturbatus pręſentẽ Deũ nõ cernit.18.c.2

Animus ſibi relictus ſponte Deum agnoſcit. 18.c.1

Animi origo qua ratione à Deo eſſe agnoſcatur.40.c.1.d

Animi bona non priùs aſſequitur homo, quàm ſcientiis, ac virtutibus ſit ornatus. 176.c.2

Animũ nõ dolere, quo ſẽſu intelligat Tullius.164.c.d.2

Animum noſſe, planè ab omnibus diuiniſſimum iudicatur. 94.b

Animalia vita in humido. 21.e

Animalium origo ab humido. 21.e

Animalium irrationalium inſtinctus ſine Dei prouidentia non eſt. 23.c.2

Animalium reparatio per progeniem. 23.c.2

Animaliũ diuerſus ſexus à Dei prouidẽtia manãs.23.c.2

Animalium quorundam, ac vermium exemplo, qui in ignibus, ac feruentibus aquis viuunt, demonſtratur corporum ſupplicia etiam eſſe æterna. 300.d

Animalium inſtinctus, quo ſeipſa tuentur, illis à Dei prouidentia inditus. 47.c.1.d

Animalium minutiſſimorum admirabilis membrorum diſpoſitio, ac vis. 23.c.2

Anſelmus beatitudinem quomodo definiat. 203.d.2

Antiquitas quæ propiùs à mundi ortu abfuit, puriori naturæ lumine potita eſt. 137.d.2

Anticipatio naturæ eſt ipſe naturalis hominis diſcurſus. 17.c.2

Apellitæ Reſurrectionem apertè tollebant. 243.a.2

Apes ex bubulis carnibus interdum ortæ. 23.c.2

Apum induſtria admirabilis explicatur. 24.c.1

Apibus tanta induſtria non niſi à Deo profecta.24.c.1

Appetitus duplex eſt in animo; alter ab intellectu; alter à voluntate fluit. 204.a

Appetitus animi rationalis auidè ad corporis diſſolutionem anhelat. 167.e.2

Appetitus cuiuſque rei naturalis nunquam ſuo fine fruſtratur. 154.c.2

Apprehenſio diſconuenientis dolorem generat, qui ſpectat ad animum.164.a.2. Nullam diſſolutionem patit; ſed tantùm pœnam. ibid.

Aqua, aër, aut terra non minùs ad animarum in inferno detentionem conferrent, quàm ignis, ſi tantùm in illas agit per detentionem. 291.a.2

Aquis vis ſpiritus ab initio ingenita. 23.c.1

Aquas in nubibus ſiſtere, ac colligare Dei omnipotentis eſt opus. 25.c.1

Araneæ ingenium, & aucupium in Deum ducit.24.c.1

Araneæ artes referuntur. 24.c.1

Aranearum mirabilis ars ad Deum referri debet.24.c.1

Arbitrij libertas non niſi cum immortali natura coniuncta eſſe poteſt. 140.b.2

Archangeli vocem in Reſurrectione nonnulli ſolum mentale Chriſti imperium peruersè interpretantur. 254.c. Alij item Chriſtum ipſum intelligunt. ibid.e

Arcticus magnetem ad ſe trahit. 62.c.2 d

Argumenta pro rerum creatione ex elementis petita. 25.c.1.& 2

Argumentum efficax ad Dei exiſtentiam probandam à rerum principiis petitum. 37.c.2.d.a

Armeni Deum à beatis ante extremum diem iudicij non videri affirmarunt. 233.e

Articulus de animæ immortalitate à Luthero improbatus, & inſtar portenti habitus. 139.c.2
Ariſtoteles mundi æternitatis aſſertor. 27.c.2
Ariſtoteles à motu inferiorum primum motorem colligit. 27.c.2
Ariſtoteles infinitū tempus in natura conſtituit. 27.c.2
Ariſtoteles quid de animarum ſtatu, atque origine pronuntiet. 105.b.a
Ariſtoteles naturam ex motu ſempiternā ſtatuit. 28.c.2
Ariſtoteles animā potiùs immortalem aſſeruit, quàm negauit. 131.b.2
Ariſtoteles quid de ſubſtantiis ſeparatis ſenſerit. 30.c.1
Ariſtoteles primum motorem ſemper mouere malè ſenſit. 28.c.a
Ariſtoteles contra omnium antiquorum ſententiam mundum æternum aſſeruit. 27.c.2
Ariſtoteles tempus ſempiternum ſtatuendo, ſeipſum impugnat. 27.c.2
Ariſtoteles cur cauſarum infinitum numerum damnet. 27.c.2
Ariſtoteles ſibi ipſi repugnans. 31.c.1
Ariſtoteles inuolutè de animæ immortalitate locutus. 135.a.b.c
Ariſtoteles malè æternitatem cœli ex incorruptibilitate concludit. 31.c.1
Ariſtoteles quid caſum & fortunam eſſe ſenſerit. 43.c.2.a.b
Ariſtoteles quibus verbis miſeriam hominis deſcribat. 182.d.e
Ariſtoteles quomodo intelligentias, & cœleſtia corpora eſſe demonſtret. 96.c.2
Ariſtotelis ratio pro tēporis æternitate carpitur. 28.c.a
Ariſtotelis argumentum, quo Deum mutationi ſubiicit, refellitur. 30.c.a
Ariſtotelis ratio, qua probat primū motorem ſemper mouere, vana ac futilis. 28.c.2
Ariſtotelis præclara ſimilitudo quomodo motus omnes à primo oriantur. 33.c.1.e
Ariſtotelis argumenta pro mundi æternitate ſoluuntur. 27.c.2
Ariſtotelis de mente mundi productrice ab Anaxagora prædicata, encomium. 22.c.1
Ariſtotelem quo pacto nonnulli excuſent, quòd duplicem fœlicitatem aſſeruerit. 280.c
Ariſtotelem ſententiam de mundi æternitate mutaſſe conijcitur. 32.c.2
Aſtra in corpora tantummodò influere nonnullis rationibus aſſeritur. 63. col.1.e. In hominis voluntatem non influere eſt de fide. ibid.c.2.a. Eiſdem hominis voluntatem non ſubiici, probatur Philoſophica ratione. ibid. Præterea ex incommodis, quæ id ſequerentur. ibid.b.c
Aſtra indirectè in animum agere, quorundam Theologorum eſt ſententia, quæ explicatur. 63.c.1.c.d.e
Aſtra quædam malefica eſſe Aſtronomorum communis ſententia eſt, ſed falſa. 64.col.1.c.d. pleriſque rationibus confutatur. ibid.c.d
Aſtra non eſſe ſigna certa naturalia rerum futurarum, optima ratione probatur à D. Thoma. 69.c.2.d.e. Aliis quoque rationibus demonſtratur. 70.c.1.e. & c.2.a.b. Tanquam cauſæ vniuerſales agunt. 70.c.2. futura certò, neque non certò præſignare non poſſunt, cùm per modum naturæ, non cognitionis agant. ibidem.c.1.a.b.c. Illorum actio à particularibus cauſis impediri poteſt. ibid.a
Aſtra tametſi qualitates, quibus corpus afficitur, ac deinde animus inclinatur, in corpus influant: haud tamen ob id inducta iis actio in animum competit. 65.c.1.e
Aſtra quoties in corpora agunt, non per modum fati agunt, ſed per modum naturæ. 65.c.2.a. Id probatur ex incommodis quæ ſequerentur. ibid.a.b. Id potiſſimùm demonſtratur in corporibus humanis, quibus voluntas dominatur. ibid.
Aſtra indirectè in animum agere aſſerentium reiicienda quidem ſententia non eſt, ſed tamē minùs probabilis. 64.c.1.e. Duo incommoda hanc ſententiam comitantur, quæ explicantur. ibid.c.2.a.b. Refellitur hæc ſententia alia quoque ratione. ibid.c
Aſtra nec directè, nec indirectè in hominis voluntatem agere, auctoris ſententia. 64.c.2.d
Aſtra quamuis directè in corpus agant, non tamen indirectè in animū agūt; ratio explicatur. 65.c.1.b.c.d
Aſtra rariſſimè copulantur. 32.c.2
Aſtrorum coniunctionibus parua, vel magna animalia generantur. 32.c.2
Aſtrorum vis, & efficientia ex conſtellatione manans Aſtrologis haud ignota. 67. c.1.d. Illorum aſpectus in morborum curatione obſeruandus. ibidem. Ob aſtrorum imperitiam prædictiones Aſtronomorum ſæpe vanæ ac fallaces euadunt. ibidem.e. Illorum occultiſſima vis nō omnibus Aſtronomis nota. ibidem.c.2.a. Inde ſæpiſſime falluntur. ibid.b
Aſtrorū coniunctiones ſe inuicē mutuò expellūt. 32.c.2
Aſtrorum influxus omnes bonos eſſe Trimegiſtus in Memphiticis columnis ſcriptum reliquit. 64.c.1.c
Aſtrorū coniunctiones æternę eſſe non poſſunt. 32.c.2
Aſtrorum quolibet influxu nulla rebus contingentia minuitur. 65.c.2.b. Eo natura non deſtruitur, ſed perficitur. ibid.
Aſtrorum perpetui curſus ac ordinati progreſſus in Dei admirationem ducunt. 26.c.2
Aſtrorum quædam ſigna æſtatis, alia hyemis. 26.c.2
Aſtrorum actio indirecta, licèt mediis ſenſibus, ſi in animum deſinit, repudianda eſt. 65.c.1.a
Aſtrorum motus, ortus, occaſus certis temporibus præfixus, Deo auctore carere non poteſt. 26.c.1
Aſtrorum actio à cœlorum motu pendet. ibid.d
Aſtrorum actionem omnem ab hominis voluntate excludendam eſſe Concilia definiunt. 65.c.1.a
Aſtris actio indirecta in animum non competit, ſi indirectè agere ſit per aliquid ad aliud tēdere. 65.c.1.c
Aſtris actionem indirectam in hominis voluntatem denegare, tutius eſſe, aucturis eſt ſententia. 65.c.1.b
Aſtrologia in duplicem partem diuiditur, in naturalem, & iudicianam. 62.c.1.e
Aſtrologia iudiciaria, ſeu diuinatrix ab antiquioribus Philoſophis ſæpe fuit deriſa. 58.c.1.d.e
Aſtrologiæ imperitus medicus ex Hippocratis ſententia tanquam cæcus cenſetur, qui baculo viam examinat. 63.c.1.e
Aſtrologiæ iudiciariæ operam nauans Aquila ab Eccleſia pulſus fuit. 58.c.2.e
Aſtrologi iudiciarij Senatuſconſulto olim ab vrbe expulſi fuerunt. 66.c.1.b. Hi à pleriſque Catholicis ſcriptoribus recentioribus ſcriptis exagitantur. ibidem.c.d. In eos multæ Iuſtinianæ leges, Pontificum decreta, & Concilia animaduertunt. ibid.d.e. Cōtra Aſtronomos iudicianos viget ſeuera conſtitutio Sixti V. Pontificis Maximi. ibid.e. & 67.c.1.e
Aſtrologia iudiciaria non parum bonis moribus eſt pernicioſa, dum ſcelerum cauſas tacitè in ſtellas refert. 66.c.2.a
Aſtrologi ſeu Mathematici libros eam artem profitentis Auguſtinus publicè combuſſit. 59.c.1.a
Aſtronomi iudiciarij diuinum honorem videntur ſibi aucupari. 67.c.2.c. neque certò, neque non certò de futuris contingentibus ſucceſſibus quicquam debent prædicere. 67.col.2. & 68.col.1.a. Ab ordinariis locorum, & inquiſitoribus poſſunt, & debent puniri. 68.b. Certò liberas hominum actiones prædicentes parum à Paganis diſtant. ibidem.d.e. Non certò, & ex coniectura eaſdem prognoſticantes rationibus confutantur. ibidem.col.2.a.b.c.d.e.

Prædicentes

Prædicentes fortuitos rerum euentus refelluntur rationibus.p.69. c.1. d.e. Patrum teſtimonijs mendacij arguũtur.ibid.c.2.a.b.& ſequentibus.Illorum ſapientiam telæ araneæ cõparat D.Ambroſius.ibid. e.d. Eorundem ars ac ſcientia à D. Baſilio explicatur, ac refellitur. pag.68. c.2. d.e. & 69. c.1.a.b.c
Aſtronomi, quæ ad naturalem cœli ſtatum pertinent, valent præcognoſcere, veluti Planetarũ ortus, obitus, eclipſes, & p.66.c.2.d.e. Quæ etiam cauſas naturales ex ſyderum diſpoſitione habent, vt imbres, tonitrua, tempeſtates, ſterilitates, &c. p.67.c.b. Hi tamen caſus fortuitos, & quæcunque ab hominum arbitrio pendent, nullo modo valent præcognoſcere.p.67.c.1.b.c.His ex conſtitutione Sixti V.iudicia & natiuitates hominum facere prohibetur.ibidem. c.1.e. & p.68. c.1. a. Præterquàm circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam Aſtrologiæ artem exercere iis cautum eſt ex cõſtitutione Sixti V.
Aſtronomi Fatarij ſi vera quandoque prædicunt, id occulto dæmonum inſtinctu faciunt. p.62.c.1.a
Aſtronomi Fatarij inter Atheiſtas collocãdi. p.58.c.b. Rerum adminiſtrationem à Dei prouidẽtia tollunt, ibid.Cuncta fatali ſyderũ neceſſitati ſubiiciũt.ibid.
Aſtronomi Fatarij quare in veritatem interdum incidant. p.62.c.2.b.c
Aſtronomorũ Fatum à D.Gregorio carpitur.p.61.c.1.a. Quid ſit inueſtigatur,ac velut inane refellitur.ibid. a.b. Quæ illud incommoda ſequantur, explicatur. ibid.b.c.Illud pleraque impoſſibilia, & abſurda comitantur.ibidem.d.e. & c.2.a.Innumera ferè ipſius damna recenſentur,quib. humanum genus afficitur,quæ tandem in illud tendunt, vt nullus omnino colatur, aut rogetur Deus.ibidem. col.2. b.c.d.e
Aſtronomorum ars in futuris prædicendis ex Auguſtini ſententia nulla. p.62.c.1.a
Aſtronomorum nonnulla dogmata confutantur, quibus fato hominem ſubiiciunt. p.60.c.2.e
Aſtronomos conſulentes, vt fortuitos caſus velut certos ex cœleſtibus cauſis, ab iis diſcant mortaliter peccant. p.70.c.2.d
Aſtronomos iudiciarios Bion deridebat, quòd piſces iuxta ſe natantes non viderent, illos verò, qui in cœlo ſunt, videant. p.58.c.1.e
Atheiſmus doctrinarum diſcordiam ſequitur. p.9.c.2
Aſtronomos iudiciarios, qui humanas actiones certò prognoſticantur, cauendos iubent ſacræ literæ.p.66. c.2.b.e
Atheiſmus Deum ab orbe expellit. p.8.c.1
Atheiſmus ex Caluini Inſtitutionib. excitatus.p.11.c.2
Atheiſmus hæreſis filius. p.10.c.1
Atheiſmus in Polonia impunè graſſatur. p.11.c.2
Atheiſmus abyſſo comparatus. p.1
Atheiſmus orbis totius monſtrum. p.7.c.2
Atheiſmus omnium hæreſum profundum. p.10.c.1
Atheiſmus in Germania ex concordia Bergenſi excitatus. p.11.c.1
Atheiſmus hæreſeon pereuntium finis. p.10.c.2
Atheiſmus quàm latè per orbem pateat. p.10. per totum artic.
Atheiſmi in Anglia publici profeſſores. p.11.c.1
Atheiſmi libri publicè in Anglia teruntur. p.11.c.2
Atheiſmi libri per Galliam frequentes. p.10.c.2
Atheiſtæ brutis animantibus deteriores. p.10.c.1
Atheiſtæ omnem poſſibilis ac contingentis naturam fati poſitione deſtruunt. p.55.c.1.b
Atheiſtæ Deum in quo ſunt, mouentur, ac viuunt, non agnoſcunt. p.18.c.2
Atheiſtæ in reprobum ſenſum traditi. p.18.c.2
Atheiſtæ naturæ teſtimonio confutandi. 275.c
Atheiſtæ dum ſibi ipſis conſulunt, ac ſuos liberos hortantur ad virtutes, fatum extinguunt. p.54.c.2.e
Atheiſtæ inde Deum nullũ eſſe ſibi perſuadent, quòd mala ſimul cui bonis per orbem diffundi aſpiciunt. p.49.c.1.d
Atheiſtæ ignorare poſſunt, an Deus ſit. p.16.c.1
Atheiſtæ qua pœna mulctari debeant. p.19.c.1
Atheiſtæ cõtra ipſam hominũ naturã pugnant.p.17.c.2
Atheiſtæ propriæ naturæ perduelles. p.17.c.2
Atheiſtæ blãdis huius vitæ voluptatibus ebrij. p.19.c.2
Atheiſtæ primùm omnem de Deo memoriam à ſe expellunt, deinde diuinitatis ſenſum ſepeliunt.p.9.c.1
Atheiſtæ omnibus animantibus peiores. p.8.c.1
Atheiſtæ ex ſumma peccandi libidine, ac malorum conſuetudine geniti. p.9.c.1
Atheiſtæ cum Deo omnem rerum prouidentiam euertunt. p.42.c.2.d
Atheiſtæ cuiuſdam horrendum Epiphonema. p.9.c.1
Atheiſtæ quamplurimi ex Caluiniano Euangelio geniti. p.11.c.2
Atheiſtæ nullũm ſuum flagitiorum vindicem Deum habere volunt. p.9.c.2
Atheiſtæ Deum idcirco à ſe excutiunt, vt liberiùs in omne vitiorum genus ſe dedant. p.9.c.2
Atheiſtæ per omnes hæreticorũ ſectas diſperſi. p.10.c.2
Atheiſtæ cur ſectam ſub alicuius auctoris nomine non inſtituant. p.10.c.2
Atheiſtæ hæreticorum fæces & excrementa. p.10.c.2
Atheiſtæ inſenſibilibus rebus inſenſibiliores.p.43.c.1.c
Atheiſtarum argumentatio, qua futura neceſſariò euenire affirmant, tanquam falſa reiicitur. p.56.c.1.b.e
Atheiſtarum proprius, ac hæreditarius eſt error animam affirmare corpoream. 104.2.2
Atheiſtarum quidam fato, alij fortunæ rerum adminiſtrationem committunt. p.42.c.2.d
Atheiſtarum aduersùs Dei prouidentiam obiecta proferuntur. p.43.c.1.a.b
Atheiſtarum obiectiones diſſoluuntur. p.46.c.1.2
Atheiſtarum impietas quo ſupplicio puniẽda. p.17.c.2
Atheiſtarum nonnulli cuncta fato ineuitabili euenire putant. p.51.c.1.e
Atheiſtarum ſecta quos potiſſimùm errores foueat.p.1
Atheiſtarum argumentatio ab inuiſibilitate Dei ad illius negationẽ refellitur.p.79.c.2.b.c.& ſequentib.
Atheiſtarum primus articulus, Chriſtianum hominem à bellua non differre. p.11.c.2.
Atheiſtarum ſtolida argumentatio. p.9.c.1
Atheiſtarũ genus inſipiens à Vate appellatur. p.9.c.1
Atheiſtarum infœliciſſimus exitus. p.8.c.2
Atheiſtarum argumentatio, qua probant fato omnia euenire, eo quòd cuncta cauſis antegreſſis fiant, à Tullio optimè diſſoluitur. p.56.c.2.d.e
Atheiſtarũ argumẽta, quibus aduersùs animæ immortalitatẽ pugnant, referuntur. p.91.c.1.e.& c.2.a.b
Atheiſtarum opinio de caſu, & fortuna refellitur.p.42. c.1.d
Atheiſtis naturæ lux occidit. p.19.c.2
Atheiſtas ſumma malitia parit. p.9.c.1
Atheiſtas effrænis animi libertas, ac viuendi licentia gignit. p.9.c.2
Athenienſium præclarum facinus.p.13.c.1.& p.17.c.2
Atheologicum cuiuſdam paradoxum. p.12.c.1
Attributa diuina ex rebus creatis confusè tantùm percipiuntur. p.17.c.1
Auguſtinus omne fortuitum, ac caſuale rebus tollit. p.45.c.1.c
Auguſtinus quo loco libros Machabæorũ inter Scripturas Veteris Teſtamenti enumeret. 216.d.2
Auguſtinus aliquando dubitauit, quo in loco animæ beatificarentur.240.b.2.In cœlo empyreo eas conſtituit. ibid.c.2
Auguſtinus dolet fortunæ nomen ſibi interdum excidiſſe. p.45.c.2.d
Auguſtini explicatio ad ea Pauli verba, *Nolumus expoliari.* 167.c.2

Auerrois ſententia in omnibus vnam duntaxat animam ſtatuentis, Catholicæ veritati, & veræ Philoſophiæ infenſiſſima eſt. 111.c.2

Auicenna corporum Reſurrectionem naturaliter fieri non poſſe exiſtimauit. 244.c.2

Auicennæ de creatione animarum error quis fuerit. 129.c.2.Seleuco, & Hermiæ idem adſcribitur. ibid.

Auium cantus tam varius nonniſi à Deo emanare poteſt. p.14.c.1

Aues cymbalo ſimiles, & quare. p.26.c.2

Axioma Philoſophicum, *Corruptionem materiæ ſequitur corruptio formæ*; diſtinctione illuſtratur. 164.d.2

B

BAnnis argumenta contra ignis pœnam ſoluuntur. 298.b.c.d

Bannis reſponſio, qua aſſerit oportere multa Scripturarum loca de pœnis, quas damnatorum animæ, ac dæmones in inferno patiuntur, metaphoricè, ac per exaggerationem explicare, non ſatis tuta aduersùs hæreticos. 291.a.b.Cùm igne combuſtionem à Scripturis traditam metaphoricam eſſe cenſet, quo ſe nodo implicet. ibid.

Baptiſmus corporũ reſurrectionẽ non cõfert. 251.d.2

Baptiſmi aquæ non ſignificatione tantùm, dum corpus abluunt, ſed reipſa animæ maculas abſtergunt. 295.b.2

Baptizari pro mortuis quid ſit. 250.c.251.b

Baſilius omnem dubitationem tollit iis qui ignem inferni corporeum eſſe ambigunt. 289.c.2

Beatitudo formalis quomodo ab Auguſtino definiatur. 199.a

Beatitudo qua ratione vita æterna vocetur. 143.d

Beatitudo biſariam conſideratur; vt eſt ipſum ſummum bonum, quo beati efficimur; deinde vt eſt delectatio ſummi boni, quæ in animo oritur. 187.d

Beatitudo eſſentialis non poteſt adæquatè in ſola operatione intellectus conſiſtere. 190.a.b

Beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. 161.c

Beatitudo vera perfectè in hac vita haberi non poteſt. 181.e.2

Beatitudo tanquam ſummum bonum voluntati offertur; intellectui tanquam ſummũ verum. 196.b.2

Beatitudinis perfectæ cognitionem inſigniores Philoſophi non ſunt aſſequuti. 177.b

Beati internùs diuinitatis aſpectu reficiuntur; externùs verò dulciſſima Chriſti humanitatis inſpectione oblectantur. 237.d.2

Beatorum charitas ſemper fit perfectior, ac perpetuò manet. 192.c.2

Beatorum corpora, quemadmodum & animæ plurimùm inter ſe gloria diſtabunt. 265.a

Beatorum animæ in cœlo nunc iis deliciis fruuntur, perfectioribus tamen, quas in corpore ex ſenſibus percepiſſent. 296.a.2

Bergenſis concordia Atheiſmum in Germania peperit. p.11.c.1

Bernardi de auro, & argento ſcita vox. 177.d

Bias Prienæus in ſapientia ſummam beatitudinis ſitam eſſe voluit. 177.a

Bias nullũ bonũ eſſe putauit præter virtutẽ. p.48.c.2.d

Binarium ac ternarium numerum Pythagorei animæ tribuunt. 223.c. Numerum illum Plato quomodo exponat. ibid.d.e

Boëtius quam tradat beatitudinis definitionem. 175.d

Boëtus, & Epicurus conſtare animam ex aëre, & igne voluerunt. 204.c

Bonum ipſum, & boni aſſequutio qua ratione differunt. 193.a

Bonum omne fundatur in eſſe. 154.b

Boni idea pro obiecto externo à Platone ponitur, quod eſt ipſe Deus. 185.c

Bona homini data ſunt, vt ea amplecteretur; mala vt ea caueret. p.49.c.2.b

Bona facere diuinæ naturæ eſt opus, vt ignis calefacere, & lucis illuminare: ſed ex malis bona elicere diuinæ ſapientiæ officium. 49.c.2.d

Bona vera in virtutibus, ac honeſtis rebus quærenda. p.48.c.1.e

Bona viſionis, & bona fruitionis quo medio comparentur. 204.a

Bona vera, ac vera mala quæ ſint. p.48.c.1.b

Bonorum genera apud Philoſophos tria recenſentur. 176.b.2

Boni, & mali quinam cenſendi ſint. p.49.c.1.a

Boni veris malis affici, & mali veris bonis potiri non valent. p.48.c.2.a

Braccarenſis Concilij, contra hæreſim Origeniſtarum de animarum præexiſtentia decretum. 121.b

Breuitas, leuitas, & raritas ad incorporalem habitum (quoad fieri poteſt) corpus deducunt, & quomodo. 149.c

Bruta cur prona terram aſpiciant. p.18.c.2

Bruta cur ſolitaria degant. p.39.c.1.b

Brutorum animæ exteriùs non adueniunt. 205.c.2

Brutorum animæ quomodo à rationalibus hominum animabus diſtinguantur. 98.e

Brutorum animæ, ſunt quædam corporis vires animales, quæ per totum corpus diſſipantur. 145.d.2

Brutis neceſſaria in ipſo ortu à Dei prouidentia tributa. p.47.c.1.d

C

CAlamitas virtutis occaſio eſt. p.48.c.2.b

Calamitates ad æternæ vitæ coronam conferunt. p.49.c.1.c.

Calamitates vulgi tantùm opinione malæ ſunt, reuera autem bonæ. p.49.c.2.b.c

Calamitates non expoſcendæ. p.48.c.2.b

Calicis nomen damnatorum pœnas apud inferos indicare vnde colligitur. 273.c.d. Proprietates illius calicis deſcriptæ. ibid.e

Calor quodammodo ex humido. p.21.c

Calor ſeu complexio calida per corpuſculi ſinus commeans à quibus exiſtimetur eſſe anima. 214.c

Caloris proprium eſt penetrare, ac diſſoluere. 124.a.2. corporis augmentum perficere non poteſt. ibid.

Caluinus nullum omnino infernum corporalem, aut ſubterraneum eſſe ſentit. 283.a

Caluinus quo cauillo Purgatorij probationem ex loco Matth. eludere tentet. 218.a

Caluini notatur impudentia, negantis ne minimum quidem apicem apud Patres videri de precibus, ac ſuffragiis pro defunctis exhibendis. 227.d.e. Ante mille trecentos annos in Eccleſia receptum eſſe, vt preces pro mortuis fundantur, non negat, ſed improbat. ibid.a.2

Caluini argumenta aduersùs peccatorum differentiam examinantur. 211.b.c.d.2

Caluini Inſtitutiones viam ad Atheiſmum ſternunt. p.11.c.2

Caluinianum Euangelium ex Caluiniano Atheum præſtat. p.11.c.2

Caluiniani Stoicorum hæredes in neganda peccatorum differentia. 210.c.2

Caluiniſtarum hæreſim, qui animam libera facultate priuant, hæc aſſertio, *Anima eſt ſubſtantia libera*, confodit. 128.b

Canones pœnitentiales quid contineant. 230.d.2

Carcerem animæ qui appellat infernum, extra animam conſtituit. 283.c.2

Caro quæ ad hominis ſubſtantiam conſtituendam ſatis eſt, quæque primo ab anima animatur, ad Reſurrectionis veritatem ſufficit. 259.a.b.2

Cato non ſyderea,ſed propria actione animum afficit. p.65.c.1.d

Carnalis homo nomine *Adam*, rationalis nomine *Enos* ſignificatur apud Hebræos. 103.e

Caſus & fortuna nihil ſunt, cùm res ad efficientes cauſas redeunt. p.44.c.2.a

Cauſa qua quis in agendo mutatur, quæ ſit. p.30.c.1

Cauſa prima cum omnibus inferioribus cauſis agit. p. 31.c.2

Cauſa reditus, intenſionis, ac intermiſſionis febrium. p.33.c.2.d

Cauſæ omnes, ac effectus contingentes ſunt,ſi ad Dei voluntatem referantur. p.56.c.1.d.e

Cauſæ aliæ contingentes, aliæ liberæ ſunt ex quibus contingentes, non neceſſarij effectus manant. pag.56.c.1. e

Cauſæ naturales naturæ modum, non fati neceſſitatem ſequuntur.p. 57.col. 1.a.Naturalem non fatalem neceſſitatem ſuis effectis imponunt. ibid. b

Cauſæ naturales à fortuna ſunt liberæ ex Ariſtotele. p.44.c.1. c

Cauſarum æterna, ac præfixa ſeries tam eſt à ratione diſſentanea, quàm ipſa mundi æternitas. pag. 55. c. 2. b

Cauſarum ſeriem infinitam qui ponunt, tot Deos ſtatuunt,quot æternæ rerum cauſæ exiſtunt. pag.56. c. 1.2

Cauſarum diſtinctio in naturales,& voluntarias fatum interimit. p.57.c.2.a

Centrum terræ eſſe infernum ea D. Gregorio colligitur. 287. q. conſentiunt Ethnici. ibid. c

Charitatis præmium eſt fruino. 192.e

Chaos à Trimegiſto ſub tenebrarum nomine commemoratum. p.20.c.1

Chriſtus per *altare* ex communi expoſitorum ſententia, in Apocalypſi denotatur.237. c.Ita appellatur, quia ſuper eum offeruntur Patri omnia vota humanæ iuſtitiæ. ibid.d

Chriſtus Math. 5. tria pœnarum genera explicat iuxta triplicem delicti grauitatem, quæ in altera vita exercenda ſunt. 219.c

Chriſtus morti proximus mortem timuit. 167.d.2

Chriſti tempeſtate Sadducæi, & Samaritani Reſurrectionem negabant. 243.c

Chriſti Sacerdotium ab Iſaia altare Domini nuncupatur. p.4.c.1

Chriſto quæ naſcendi cauſa fuerit. 260.2

Chriſti meritum promeretur cordis dolor, oris confeſſio, animi anguſtia, ac pœnitudo. 218.b

Chriſtiani omnes, qui ſupra Chriſti fidem velut fundamentum varij generis opera ædificant, architecti appellantur. 219. b.2

Chryſoſtomus quam differentiam inter ignem noſtrum, & ignem inferni conſtituat. 277. d.2

Chryſoſtomi de morte præclara admonitio. 168. a.2

Chryſoſtomi ſententia de Lazaro mendico,quem ſeotis de Reſurrectione nihil potuiſſe philoſophari, maximè probatur. 149.a.2

Cibus, & alimentum vt in naturam aliti pertranſeant, ei admodùm cognata eſſe debent. 155.b.2

Claritas, impaſſibilitas, agilitas, ſubtilitas ſunt quatuor dotes, quibus beatorum corpora exornantur. 267.c

Cœlum cur æther nuncupatum. p.31.c.2

Cœlum quis à nobis abeſſe voluerit, non terram,non aquam, & cætera elementa. pag.16.c.1

Cœlum circulariter, ac perpetuò mouetur. p.38. c.1. e

Cœlorum motus à Deo tanquam à principio intelligentias mouente. p.38.c.2.a

Cœlum ex Ariſtotele miſcellaneum quoddam ex calido,& humido. p.30.c.1

Cœlum an ſit æternum,eò quòd habitaculum eſt æternarum ſubſtantiarum. 167.e

Cœlum habere immortalitatem ſabricatam Plato aſſerit. p.34.c.1.e

Cœlum ex diuina virtute ſecundùm Platonem inſeneſcibile. p.34.c.1.e

Cœlorum orbes cur non ſeneſcant, aut dilabantur, cùm per tot annorum millia ſupra nos ferantur. p.26.c.1

Cœlorum orbes cur à ſeipſis moueri non poſſint. p.38.c.2.a

Cœlorum materia adhuc ignota. p.25. c.2

Cœlorum orbes etſi diuerſis motibus cieantur, regulam tamen in diuerſitate ſeruant. p.26.c.1

Cœlorum motus horologio comparatus. pag.38. c. 2.b.e

Cœlorum motus eſt velut diuerſarum fidium in cithara ſinus. p.36.c.2.b

Cœlorum motus temporis parens. p.28.c.2

Cœlorum motus à caſu eſſe non poſſunt. pag.38. c. 1. e

Cœleſtium contemplatio tandem in Deum conditorem deſinit. p.26.c.1

Cœleſtium contemplatio ad Deum ducit. p. 19.c.1

Cognitio omnis noſtra ortum habet à ſenſo. pag.15. col.1.

Cognitio omnis à ſpecie, aut phantaſmate oritur. 104. b

Cognitioni, an affectioni ſit aſſignanda beatitudo. 187.c. 2

Cometas bella, mortem, ac huiuſmodi humanos caſus naturaliter præſignare, vulgi error, & ſuperſtitio eſt.p.70.c.1.b.Hi tamen ex diuinæ prouidentiæ lege,ac ordinatione vera ſignificare poſſunt.ibid. c.d. Diuinæ iræ plerumque nos admonent. ibidem. c. Vitam in melius commutare, & Deum lacrymis placare hortantur. ibid.d.e

Compoſitio diſſolutionis ac interitus eſt origo. p.85. col.1. a

Compoſitio cùm non cadat in animam, indiſſolubilem oſtendit. 150.d.e.a

Concilium Nicenum II. quomodo non reprobarit Ioan. Theſſal.ſententiam animas corporeas eſſe dicentis. 126.c.a

Conciliorum conſenſus in dogmate de Purgatorio demonſtratur. 216.d.e.2

Conflagrationis igne, qui corporum Reſurrectionem immediatè antecedet, omnia viuorum corpora abſumentur. 253.b.a

Conſcientiæ ſtimuli quomodo immortalitatis animæ teſtimonium ſint. 155.c.d

Conſolatio ex animæ immortalitate quibus oriatur. 147. b

Conſubſtantialitatis vox apud Plotinum agentem de anima, quo ſenſu ſit accipienda. 133.c.a

Contemplatio quædam mutatio. p.30.c.1

Contemplatiuus intellectus, qui ſimplicia tractat,non eget phantaſmate. 166.d.a

Contingentiæ radix ex ſententia D. Thomæ eſt ipſa diuina voluntas. pag.72.c. 1. e. ad eam conſtituendam duo concurrunt,Dei ſcilicet voluntas, & cauſa contingens. ibid. c.1.a. Qui eam ex defectu ſecundæ cauſæ oriri cenſent, plurima incommoda ſtatuunt. ibid.c. 2. d.e

Contingentia ante rei euentum nullam certam veritatem aſtruunt. pag.57.c.2.c.Poſt rei euentum ſemper ſunt vera. ibid. d.e

Contradictionis repugnantia in eo ſita eſt,vt idem de ſeipſo affirmetur, & negetur. 294.d

Contraria alibi repugnantia inter ſe in ſeipſa vnit anima, ac conciliat,dum ea intelligit,ac ſub eadem ſcientia congregat. 150.b. Ab iis maiorem ſui per-

fectionem haurit. ibid.
Controuerſia D. Thomæ & Scoti an Deum eſſe, ſit per ſe notum, cooetlatur. p.14.c.1
Cor terræ Matth. 12. infernus appellatur, vbi ſancti Patres detinebantur. 287.a
Corpus velut fictile vas, in quo animus includitur. p.94.c.1.b
Corpus animæ vehiculum. p.36.c.2.e
Corpus hominis ea ratione mortale agnoſcitur, quòd ex elementis à Deo compactum ſit. 140. a.2
Corpus humanum quibus, & quot humoribus conſtituatur. p. 33.c.2.d
Corpus omne certis quibuſdam temporum periodis mutationes patitur. 149. c.2
Corpus natura ſua nihil agit, ſed tantùm paſſioni ſubiicitur, iuxta Platonem. 149. b.
Corpus potiùs in morte animæ ſubtrahitur, quàm anima corpori. 151.b
Corpus cœleſte quatenus ſubiectum eſt circulari motui, à nobis per motum cognoſcitur. 97.a
Corpus non carneum poſt Reſurrectionem futurum, ſed aëreum, vel ſpiritale Ioannes Ieroſolymitanus contendebat. 259.e
Corporis humani proportio mirabilis. p.39.c. 2.e
Corporis bona iucunda, ac delectabilia appellantur, quibus humanum corpus delectatione afficitur. 176.e.2
Corporis formam negantes eſſe animam, erroris arguuntur. 137. e. In eo numero fuerunt Themiſtius, Theophraſtus, & Auerroës. ibid.
Corporis, atque qualitatum temperamentum ad vitam conſtituendam non ſufficiunt. 125.2
Corporis, & animæ differentia notatur. 98.a. Toto genere diſtinguuntur. ibid.
Corporis humani contemplatio. p.26.c.2
Corpori anima in Reſurrectione iterum copulata, cum eo ſimul beatitudine perfruetur. 233.d.2
Corpori vita æterna promittitur cùm ad animæ contubernium excitabitur. 143.b
in Corpore humano cur membra diuerſa. p.27.c.1
Corporum gloriam, non animarum vſque ad iudicium differri Bernardus cenſuit. 237.c
Corporum fœlicitas ex quibus oriatur. 265.b.2. Ad eorum ſtatum quot requirantur. ibid.
Corporum mutua penetratio naturæ penitus eſt inuiſa, & impoſſibilis. 126.a
Corporum cœleſtium motus ac diſpoſitio, ſupremum illis ſpiritum præeſſe docet. p.20.c.1
Corporibus inhærere dicuntur formæ immateriales, cùm illa viuificant, ac regunt. 152. a. b. a. Ipſum eſſe proprium ſibi inſeparabile habent. ibid.
Corporibus impiorum pœna debetur, quòd in peccatis animæ ſocia fuerint, ac velut iniquitatis vaſa. 300.b
Corporeum apud Scholaſticos Theologos quid ſonet. 127. a
Corporea ab incorporeis per diuerſas actiones ab eis fluentes ſecernimus. 157.a
Corporea omnia quantitate conſtant, qua ſe diuiſibilia præſtant. 107.c.2
Corruptio non fit ſine præuia mutatione. 149.c.2
Corruptio vnde ortum ducat. 140.c
Coruus per os conceptus. p.23.c.a
Crates Thebanus magnum auri pondus in mare proiecit. p.48.c.a.d
Creatio noua dicenda eſſet, non Reſurrectio, ſi eadem numero corpora non reſurgerent. 258.b.2
Creatio propriè eſt productio ex nihilo. 129.d.2
Creatio rerum Diuinæ potentiæ teſtimonium, pag.36. col.1.e
Creationis, durationis, & extinctionis dies quomodo differant. 283.b.2
Creaturarum contemplatio ad naturalem Dei cognitionem neceſſaria. p.15.c.1
Creatum aliquod bonum quomodo beatitudo dicatur. 187.e
Crux Chriſti crucifixi imago, ſtatua, & columna. pag.4.c.1.
Crux, titulus iuxta altare Domini quomodo ſit, explicatur. p.4.c.1
Cruciatum maximum Scripturæ ignem minantur damnatis per combuſtionem, non detentionem. 292.c.2
Culicis exigui animalis contemplatio. p.23.c.2
Culicis quædam proprietates explicantur. p.23.c.2
Culpa dimiſſa, temporalis pœna reſtat exoluenda. 230. e
Culpa peccati aut in præſenti vita, aut in futura ſine pœnitentia nunquam remittitur. 218.b
Cultus diuinus in genuflexione conſiſtit, & per eam deſignatur. 223.a
Curioſitas Atheiſmum generat, ac fouet. p.9.c.a
Curioſi rerum diuinarum ſcrutatores Icaro comparantur. p.9.c.2
Curioſi diuinarum Scripturarum indagatores facilè à Deo decidunt. p. 9. c.2

D

DÆMON falſæ Religionis pater, & auctor. p.3. col.1
Dæmon merus ſpiritus eſt abſque vlla relatione ad corpus. 296.b
Dæmonis nomen variè ab antiquis Philoſophis, præſertim à Platone vſurpatum fuiſſe explicatur. p.88. e.2.a. b. Ij quandoque Dij à Platone nuncupati. ibid. b. Dæmones quaſi δαίμονας, id eſt, ſapientes, interpretatus eſt Heſiodus. ibid.c. Mundi Rectores à Platone appellati. ibid. a. Homines ſapientiſſimos poſt mortem in Dæmonas verti, quid ſit explicatur. ibid.e
Dæmonis Etymon à δαιμάω, quod eſt *exterreo, expauefacio* dictum. p. 89.e.2.c. Idem ab Hebræo nomini שדי ſchadai, quod eſt *euerſor*, ac *vaſtator*, ortum ducere explicatur. ibid.c.d
Dæmones qui in caliginoſo aëre verſantur, vel ab inferis veniunt, quomodo igne inferni torqueantur cùm ibi non ſint. 298.d.e.a
Dæmones quomodo vera, ac communi eorum damnatorum animabus ignis pœna plectantur difficilè explicatur. 296.d.e.2.297.b
Dæmones, ac damnati vti poſſunt, & debent geniculatione, licèt Dei odium in pectore geſtent. 223.c
Dæmonum nomine veteres Philoſophi quos appellabant. 171.e.2
Dæmonum natura omnium bonorum vaſtatrix deſcribitur. p.89.c.2. e. Ipſorum malignitas ſub furiarum nomine deſcripta. ibid. b. malos ſpiritus, ac malos genios appellauit Plato. p.88.e.2. d. mendaces, malefici, decipiendi artifices, impuri ſpiritus, ſordidi, Stygij canes, feræ agreſtes, malorum carnifices paſſim à ſapientioribus Chaldæis appellari. p. 88.c. 2. e. & p.89. c.1.a.b. Illorum ſupplicia variè ab antiquis deſcribuntur. p.89.c.1.d.e. & c. 2. a. volucres cœli nonnunquam in Scripturis appellantur. p 90. col.1.
Dæmonum, ac Angelorum differentia innuitur. p.90. col.1.a
Damni pœna impiorum animabus oritur, quòd ſe perpetuò à beatiſſima Dei viſione, ac ſupremo bonorum cumulo excluſos vident. 299. b.c. Hoc pœnæ genus longè omnes alias ſenſus pœnas atrocitate antecellit. ibid.
Damnatorum corpora etiam poſt Reſurrectionem futura ſunt materialia. 288.e

Damna

Damnatorum pœnas ante extremum iudicij diem apud inferos nullas eſſe; ſed omnia ſupplicia impijs poſt iudicium reſeruari, Lutheri, & Caluini hæreſis fuit. 272.b.a

Dauid quo ſenſu dixerit animam ſuam ex inferno eſſe erutam. 215.b

Dauid Georgius extinctam hæreſim negantem Reſurrectionem hac tempeſtate ſuſcitauit. 243.c.2

Defunctorum animæ ſtatim poſt mortem ad iudicium vocantur. 206.c.2

Democritus de anima quid ſenſerit. 104.d

Democritus fortunam, ac fatum aſſeruit rebus dominari. 41.c.2.e

Democritus Pythagoricum dogma de corporum Reſurrectione palàm profeſſus eſt. 244.d.e

Democritus & Homerus oculorum lumine orbati, ſumma fuêre acie ingenij. 157.d

Demonſtratio veræ Religionis per ſymbola quomodo certa ſit. 5.c.1

Demonſtratio veræ Religionis per ſymbola Patrum communis. 5.c.1

Deus à Philoſophis cur in immaterialium, ac intelligibilium rerum genere conſtitutus fuerit. 80.c.1.c. Ob id, quòd inaſpectabilis eſt, excellentiſſima natura præditus colligitur. ibid. c.2.a. Ab homine mortali quare videri non poſſit. ibid. b. Ex effectibus ſe viſibilem omnibus præbet. ibid. c. Dei eſſentia per faciem, effectus per poſteriora ſignificantur. ibid. Eum ex effectis eſſe viſibilem, exemplis illuſtratur. ibid. c.d.e. & 81.c.1.a. Illius veſtigium totius hæc orbis eſt moles. 81.c.1.a. Cuncta viſibilia creauit, vt in omnibus cerneretur. ibid. a.b. Omnes rerum eſſentias peruadit. ibid. b. Cum ſenſibilibus rebus eſt ſenſibilis, cum intelligibilibus intelligibilis. ibid. c. Rebus omnibus intimus. ibid. c.d. A Philoſophis τὸ ὂν, à Græcis τετραγράμματον, ab Hebræis יהוה nuncupatur. ibid. d. Rerum omnium eſſentia per quam omnia in ſeipſis exiſtunt. ibid. d.e. Proprio eſſe rerum omnium eſſe eſſentiat. ibid. c.a.a. Ab antiquis τὸ πᾶν, id eſt, ipſum vniuerſum fuit appellatus. ibid. Ex Seneca eſt mens vniuerſi totum quod vides, & quod non vides. ibid. b. Semper, & vbique eſt, ex Simplicio. ibid. In rerum adminiſtratione non laborat. ibid. c. Manibus attrectari poteſt, & circumferri. ibid. c. In rerum natura eſt potentiſſimus. ibid. e

Deus à Platone τὸ ὂν ipſum quod eſt, appellatus. 78.c.2.d. & 81.c.1.d. Eundem ſupremum, æternum ineffabilem, ſeipſo perfectum vocat. ibid. De illo Platonici excellentiùs præ cæteris ſectis opinati ſunt. ibid. e. Præclara de illius maieſtate Procli dicta. 78.c.2.e. & 79.col.1.a. Egregiè de ipſo Ariſtoteles ſenſit. 79.c.1.b. In eo aſſerendo vulgi, & ſapientum ſententiæ ſibi obuiam occurrerunt. ibid. Ipſius cognitionem vitia, ac voluptates in animo obruunt. ibid.c.d

Deus in agendo à rebus non pendet, ſed econtrà. 72.c.2.c. Res iuxta proprias naturas mouet. ibid. Eſt efficax cauſa rerum. ibid. d. Illius actio à cauſarum defectu non poteſt impediri. ibid. e. Omnes futuros euentus prædefinit. 73.c.1.2

Deus præſcientia ſua non cogit facienda eſſe, quæ futura ſunt. 76.c.1.d. Vindicat iuſtus, quæ fieri non cogit præſcius. ibid. d. Omnia præſcit, quorum ipſe auctor eſt, nec tamen omnium, quæ præſcit, ipſe auctor eſt. ibid.d. Ipſius præſcientiam rebus neceſſitatem non imponere exemplo illuſtratur. ibid. d. e. & c.2.a

Deus manibus attrectatur. 19.c.1

Deum manibus attrectari quid ſit. 19.c.1

Deus rebus omnibus ineſt, viuit, mouetur. 19.c.1

Deus non longè ab vnoquoque noſtrûm. 19.c.1

Deum qui non agnoſcit, ſenſu indiget. 19.c.1

Deus ſemper potuit mundum creare. 29.c.2

Deus rerum humanarum menſura comprehendi non poteſt. 30.c.1

Deus viuentium, non mortuorum cùm dicitur, animas immortales innuimus. 140.d.2

Deus ex malis quæ non ſparſit, bona metit. 50.c.2.a

Deus propterea eſſe credendus eſt, quia eſt inuiſibilis. 79.c.2.b. Ex ipſius inuiſibilitate Tullius eiuſdem fidem aſtruit. 79.c.2.c. & 80.c.1.a

Deus ex Philoſophorum ſententia prima rerum cauſa. 131.c.2

Deus ex hominis opificio manifeſtus. 39.c.2.d.e

Deus mens creatrix & fœcunda à Trimegiſto appellatus. 20.c.1

Deus ex rerum diſtinctione demonſtratur. 37.c.1.b

Deus ex rerum compoſitione notus. 38.c.1.b

Deus vniuerſaliter in omnes naturales cauſas influit. 30.c.2

Deus plenè rerum eſſentias poſſidet. 30.c.1

Deus noluit mundum ab æterno creare, ſed in tempore. 29.c.2

Deus eſt ſuum eſſe, & ſuum agere. 30.c.1

Deus immobilis cauſa. 29.c.2

Deus cùm animam condidit, non extra corpus; ſed in corpore illam creauit. 296.b

Deus cauſa effectiua mundi. 31.c.2

Deus eſt actus voluntarius. 29.c.2

Deus motor in tempore. 29.c.1

Dei virtus infinita inde colligitur, quòd res à non eſſe ad eſſe producit. 38.c.1.a

Deus naturæ principium ab Ariſtotele aſſeritur. 30.col.1

Deus non tantùm iuſtorum Pater; ſed etiam iudex exiſtit. 232.a.2

Deus in Scripturis cur paſſim Deus vltionum dicatur. 232.b

Deus per voluntatem rerum motui alligatus, non per neceſſitatem. 28.c.2

Deus hominis pictor. 39.c.2.b

Deus ab æterno creaturas non mouet. 29.c.1

Deus hominis curator, ex Trimegiſto. 41.c.2.b

Deus eſt ſuum eſſe. 14.c.1

Deus intelligendo quare ab obiecto pati non poſſit. 30.c.1

Deus non ſemper operatus eſt in mundi opificio. 34.c.2.b

Deus ſemper opifex, nunquam otioſus. 34.c.2.b

Deus ſemper mundi opifex quomodo fuerit. 29.c.2

Deus eſt primum verum, à quo omnis veritas manat. 24.c.2.b.c. Vnico, ac ſimplici intuitu vniuerſa perluſtrat. ibid. c. Præſcium futurorum Tullius negauit. ibid.e

Deus conſilium non mutauit, cùm de non creante factus eſt creans. 30.c.2

Deus quare non poſſit contradictoria efficere. 8.c.2

Deus ex rerum prouidentia agnoſcitur. 41.c.2.b

Deus abſque vlla ſui mutatione mundum non conditum condidit. 30.c.2

Deus intra naturæ leges non occludendus. 30.c.1

Deus cauſa finalis mundi. 31.c.2

Deus cùm animam accipere dicitur, eam ita à corpore ſoluit, vt tamen in corpore non extinguat. 98.d

Deus quare mutari non poſſit. 30.c.1

Deus ſolus hominis artifex. 40.c.2.b

Deus ex cœlorum motibus hominibus innoteſcit. 38.col.1.e

Deus vndequaque laudandus, ex Trimegiſto. 40.col.2.d

Deus ex rerum prouidentia demonſtratur. 40.c.2.e

Deus ab æterno mundum in tempore condere voluit. 30.c.2

Deus eſt actus per ſuam eſſentiam perpetuus, ex Ariſtotele. 29.c.1
Deus in ipſo naturalis luminis apice deliteſcit. 18.c.1
Dei notitia hominum mentibus indita. 12.c.1
Deus ſicut non poteſt comprehendi quid ſit, ita nec ignorari quòd ſit, quomodo intelligi debeat. 16.c.2
Dei notio ante omnem rationis vſum animo inſita. 12.c.2
Dei notio naturæ quædam anticipatio. 12.c.2
Dei nomen ferè apud omnes naturas quadriliterum. 13.c.1
Dei nomen quadriliterum quadruplicem illius excellentiam indicat ſecundùm Platonicos. 13.c.1
Dei cognitionem naturalis ratio ſuppeditat. 16.c.2
Deum eſſe naturali ratiocinatione notum eſt. 16.c.2
Deus ignorari non poteſt, ſi homo ratiocinatione vtatur. 16.c.2
Diuina eſſentia ex creatis rebus manifeſta. 16.c.2
Dei ſcientiam eſſe cauſam rerum probatur ex communi Scripturarum, & Theologorum conſenſu. 76. c.1. b. c. d. Ea duobus modis à nobis concipitur, perfectè ſcilicet vel adæquatè, & diſtinctè. ibidem. e. & 77. c. 1. a. b. & ſequentibus. Ea Deus aliqua ſcit, quæ non vult. ibid. 77. c.1.b. Ea cum voluntate, potentia, ac cæteris Dei attributis identificatur. ibidem. a. b. At voluntate diſtincta à nobis concipitur. ibidem. b. Artificis exemplo declaratur qua ratione ea à voluntate, & potentia diſtincta concipi valeat. ibidem. c. d. Si à voluntate diuina ſeiuncta concipiatur, non eſt effectiua, ſed tantùm cognitiua, aut exemplaris cauſa rerum. ibidem. d. tantummodò cum Dei voluntate coniunctam eſſe effectiuam cauſam rerum demonſtratur. ibid. c.2. a.b.c. A voluntate diſtinctè concepta, eſt tantùm principium cognitiuum, aut directiuum. ibidem. c.1.e
Dei apparitiones omnes ſub aliqua ſenſibili ſpecie hominibus factæ (iuxta Dionyſij Areop. ſententiam) immediatè per Angelos exhibitæ fuerunt. 85. c.1. c.d. Deus quamuis hominibus in corporea ſpecie appareat, non corporeus eſt cenſendus; id pluribus exemplis illuſtratur. ibidem. e. & c. 2. a. Quoties hominibus viſibiliter apparet, rebus ipſis congruam aſſumit ſpeciem, propter quam apparere dignatur. ibidem. c. 2. b
In Dei natura prædicanda Poëtarum, & Philoſophorum conſenſus. 78.c.2.b
Dei verbum vera Religione antiquius. 6.c.1
Dei potentiam intra naturæ vires concludentes Philoſophi, Reſurrectionem corporum incredibilem eſſe dixerunt. 260.b
Dei immortalitas per ſe neceſſaria eſt, & abſoluta: animæ non item, cùm à diuina potentia pendeat. 141.d
Dei voluntas liberis hominum voluntatibus dominatur, tametſi nullam neceſſitatem inferat. 56.c.1.d
Dei horribilis in reprobos animaduerſio, cùm illos in reprobum ſenſum tradit. 18.c.2
Dei oculum nihil omnino effugit. 45.c.2.b
Dei prouidentia in plantarum ſeminibus latens. 41. c.1.c.
Dei prouidentia ex diffuſa arborum radice, cortice, foliis colligitur. 42.c.1.c.d
Dei imago in homine eſſe non poſſet ſine ſimilitudine incorporeæ naturæ eius animæ. 98.b.2. Ea baſis eſt, & fundamentum cæterarum. ibid.
Dei eſſentiam ſanctorum animę ante extremum diem iudicij in cœlo vident. 134.2
Dei notitia ex vitæ corporis ſimilitudine hauſta. 29.c.2
Dei ingentes notitiæ à natura ingenitæ. 18.c.1
Dei notitia quædam Philoſophia eſt à natura hauſta. 18.c.1
Dei halitus ſeu ſpiraculum, quo hominis anima condita fuit, quid præ ſe ferat, declaratur. 113. c.2. a.b.c.d. e. & 114. c. 1. a. Eo præſtantiſſima animæ rationalis conditio exprimitur. 113. c.1. Inde anima rationalis facta eſt æternorum capax, ac cœleſtis beatitudinis particeps. 114.c.1.a
Dei cognitio non ita homini inſita, quin aliqua Demonſtratione indigeat. 15.c.2
Dei cognitio perfecta ſola fide haberi poteſt. 15.c.2
Dei prouidentia etiam in minimis rebus elucet. 24. c. a
Dei naturæ opus eſt bona facere, haud ſecus quàm ignis calefacere, & lucis illuminare; ſed ſapientiæ ex malis bona elicere. 49.c.2.d
Dei imperio ſubiacent quæcunque naturali cauſarum operatione fiunt. 56.c.1.e
Dei imago, ad quam conditus dicitur homo, ad corpus cùm nullo modo referri poſſit, ad animam refertur ex Patrum communi ſententia. 98.c.2
Dei opera admiratione magis quàm ratione comprehenduntur. 45.c.1.d
Deus maior eſt corde noſtro. 45.c.1.d
Dei maieſtas ex infimis quoque rebus declaratur. 38. c.2.d
Dei inſtitutio veræ Religionis eſt parens. 3.c.1
Dei nulla poteſt eſſe imago aut phantaſma. 16.c.1
Dei perfectionem quæcunque ſpectant, vnum & idem in Deo ſunt. 134.d
Dei prouidentia non tantùm circa vniuerſalia, ſed etiam circa particularia. 41.c.2.b
Dei opificium ex variis rerum effectis fit perſpicuum. 39.c.1.a.b.c.
Dei cognitio ex rerum contemplatione Philoſophis manifeſta. 15.c.1
Dei opera mirabiliora maximè in maris profundo conſpiciuntur. 47.c.1.b
Dei actio eſt ſuamet ſubſtantia. 29.c.1
Dei veſtigia præclariora in cœlorum orbibus enitent. 25.c.2
Dei prouidentia erga bruta animalia. 23.c.2
Deo quoties humana membra tribuuntur, metaphoricè ac myſticè explicari debent. 86. c. 1. a. Quid huiuſcemodi membra Deo aſcripta ſignificent, Patrum ſententiis explicatur. ibidem. b.c.d.e. Horum membrorum ſignificatione diuinas efficientias, & immenſas operationes Dei ſentire debemus. ibid. e. Concilij Forointienſis de membrorum, quæ Deo tribuuntur, ſignificatione doctrina inſinuatur. ibidem. c.2.a
in Deo quod non eſt, eſt nihil. 40.c.2.d
in Deo actiones immanentes & tranſeuntes. 29.c.1
in Deo, & à Deo omnia. 40.c.2.d
Deum quilibet videt in ſeipſo. 18.c.1
Deum nolle agnoſcere ſummum delictum. 18.c.1
Deo nihil extra ſe quærendum, cum omnia in ſe habeat. 30.c.1
Deum eſſe incorporeum demonſtratur toto articulo 21. 22. c. 1. & ſequentibus. Is incorporeus à Trimegiſto aſſeritur. ibidem. a. b. Spiritus indefatigabilis ab Aſclepio nuncupatur. ibidem. c. ex Empedocle eſt ſphera intellectualis, cuius centrum vbique eſt, circunferentia nuſquam. ibid. d. A Thalete mens dictus, quæ ex aquis cuncta produxit. ibidem. Vnitas ſumma à Pythagora appellatur, & qua ratione, explicatur. ibidem. e. & c. 2. a. Ex ipſius inuiſibilitate, æternitate, infinitate, ac immortalitate Deus incorporeus eſſe probatur. ibidem. a. b. c. Ex verbis Senecæ præclarè incorporeus deſcribitur. ibidem. d. Intelligi non poteſt, niſi mens ſoluta, libera, ſegregataque ab omni concretione corporea. ibidem. d. In mundo eſt inuiſibilis, quemadmodum animus in corpore. 83. c. 1. a. Eum mixtum eſſe cum

materia

materia,indecorum ea Plutarcho. ibidem.a.b.Eum non eſſe mixtum cum materia, duabus rationibus probatur à Plutarcho,quæ explicantur.ibidem. b.c.d. Ipſum eſſe ipſam ſubſtantiam bout aſſeruit Epictetus. ibid.d
Deum eſſe corporeum hæretici nonnulli exiſtimarunt, & qua ratione ducti fuerint, eaplicatur. 83. e.2.b.c.d.e. Non eſſe corporeum aduersùs Anthropomorphitas, & Bongomilios, & alios Hæreticos demonſtratur toto artic. 2a. p. 83. & ſeqoentibus.
Deum eſſe qoomodo ſit per ſe notum. 14.c.a
Deum eſſe non ita per ſe notum, vt ignorari non poſſit. 14.c.a
Deum eſſe multis modis demonſtrari poteſt. 15.c.r
Deum eſſe quare Demonſtratione indigeat. 15.c.t
Deum latere, ac pariter per totum orbem emicare aſſeruit Trimegiſtus. 78. c. t. e. Solum bonom, ſolum ſanctum, ſolom ingenitom, ſolum æternum, ſolom vnum,ac totum idem appellat. ibid.c.a.a
Deom eſſe incorporeum Scripturæ daclarant, cùm aliqood corporeum ſimulachrum eidem erigi prohibent. 84. c. t. a. b. Idem probant, cùm illum inuiſibilem prædicant. ibidem.b. Deus ea eo quòd à Scripturis ſpiritus appellatur, incorporeus aſſeritur. ibidem. c. Idem Patrum teſtimoniis à corpore ſulutus probatur. ibidem. d. e. Deus quia incircunſcriptus eſt,idcirco corpore caret.ibidem.c.2.a. Non eſſet infinitus ſi eſſet corporeus. ibid.b. Cùm ſit vbique totus, idcirco impoſſibile eſt, vt ſit corporeus. ibidem. e. Cùm nullum corpus ſit abſque compoſitione, ſi Deus eſſet corporeus,compoſitione non careret.ibidem.d.S. Deus corpore conſtaret, non eſſet infinitus, nec infinitæ virtutis, ac perfectionis. ibidem.d. Deum eſſe corporis expertem ex ipſius immortalitate demonſtratur. ibid. e. & 85.c.1. a. Illius ſimplicitas pluribus argumentis illuſtratur. 85.c.t.s.b
Deum ſenſus ac ſenſibilia demonſtant. 40.c.1.a
Deum prænoſcere, ſed non prædetermioare ea quæ ſunt in nobis, cùm Damaſcenus ait, quo ſeoſu id intelligendum ſit. 73.c.1.d
Deum eſſe eus independeus naturaliter noo poteſt cognoſci. 16.c.t
Deum eſſe demonſtrat vniuerſalis omoium gentium conſenſus. 78.c.t.a
Deum eſſe,an ſit per ſe notum. 14.c.t
Deum eſſe, nihil in natora manifeſtius. 19.c.t
Deum & intelligeotias Ariſtoteles extra cœlom collocat. 3t.c.t
Deum eſſe ideam omnium bonorom quomodo Plato affirmet. 185.b
Deum qui negant, artificium ſuo artifice priuant. 10.c.a
Deom eſſe motorem æternum, quomodo verum,aut falſum ſit. 29.c.t
Deum eſſe ea rerum ordine demonſtratur. 36.c.1.e
Deum ab omnibus videri quid ſit. 18.c.t
Dij minores,quos Plato cum ſummo Deo ſtatuit,quomodo intelligendi ſint. 87.c.2.d.e.& 88.c.t.2
Deorum innomera illa multitudo,quæ olim à Gentilibus colebatur,vnde ſit profecta. 132.c.d
Deorum iuramentum per Stygiam paludem ſacrum. 21.e
Diabolistarum ſocietas io Gallia numeroſiſſima. 20. col. 2
Diagoras Melius primos Atheus. 8.c.t
Dies Domini in Scripturis duplex acceptio. 221.a.b.c.d
Dies inſignes in Scripturis tres nomerantur. 285,b.2
Dilatationis, ac profunditatis conditiones inferno additæ, nihil ad damnatorum miſeriam; ſed ad loci tantùm qualitatem pertinent. 285.d.2
Dilectio Dei eſt omnis beatitudinis fons, & origo. 192.b.2.A beatitudine excludi noo poteſt tanqoam accidentale præmium. ibid.
Dilectio eſt ſimilium in natura. 158.c.a
Dilectioni Dei nonniſi eſſentialis beatitodo debetur. 195.d.2
Diogenis Apolloniatæ de rerum principio ſententia. 21.c
Diogenes Apolloniata aërem Deum eſſe ſenſit. 21.c
Diſtinctio animarum vnde probetur. 122.d.e
Diuina ioſtitia grauiores ſenſus pœnas, quàm ſolam detentionem dæmonibus, ac damnatis irrogat. 292.b.a
Diuinæ ſapientiæ opera humanæ mentis oculum excellunt. 43.c.1.d
Diuinæ ſapieotiæ opera non redarguenda, ſed admiranda. 43.c.1.e
Diuinæ ſapientiæ opera redarguere impiiſſimi animi ſignom. 43.c.t.e
Diuinæ voluntatis decretom cum rerom contingentia,& hominis libertate non pugnare eaemplo declaratur. 73.c.2.e.& c.2.a.b.c
Diuinæ naturæ ſimilitudo nulla poteſt arte hominum effingi. 84. c.1.b. Eidem corporeum ſimulachrum ſtatuere, vt corporea eſſe credatur, impium eſt, atque à Dei lege vetitum.ibidem.a.b. Corpoream ſimilitudinem eidem affingere, cur à lege prohibitum fuerit. ibid.
Diuinitas ſola eſt æterna, quæ ſine vllo principio exiſtit. 56.c.t.a
Diuinitatis aliquis ſenſus cunctis orbis nationibus ſemper fuit communis. 78.c.t.a.b
Diuinorum operum melior pars noo oculis,ſed cogitatione viſenda. 80.c.1.e
Diuinorum attriburotom excellentia ea creatis rebus imperfectè cognoſcitur. 17.c.t
Diuitis, & Lazari veram eſſe hiſtoriam, non parabolam Patres teſtantur. 280. b.c.d.2. Prope Chriſti tempora vtrumque vixiſſe tradit Hebræorum traditio. ibid.e.2
Diuiti Epuloni cur in inferno os, & lingoa tribuitur. 296.c.2
Diuturnitatem temporis non niſi per ſimilitudinem [illegible] *gholam* indicare oſtenditur. 277.a
Doctores,a Prædicatores Euangelij non tantùm ſunt architecti,ſed reliqui omnes Chriſtiani, qui Chriſto ſuperædificant. 219.c.a
Doctrinarum diſcordia in Atheiſmum deſinit. 9.c.2
Dogma Platonicom de ideis ab Ariſtotele malè oppugnatur. 185.d.e
Dolor ortus ea diuiſione contioui ad corpus, non ad animum pertinet. 164.a.a
Dormitio futuram corporum Reſurrectionem neceſſariò indicat. 253.c.2
Doplex mortis diſtinctio in Scripturis notatur. 142. c a. Prior ea corporis, & animæ diſſolutione oritur:poſterior ex peccato originali. ibid.

E

ECcleſiæ conſuetudo, qua pro defunctis ſacrificia offert,ex Apoſtolico dogmate ortũ ducit.225.c
Eccleſiæ perſecutiones ingentium bonorum cauſæ fuerunt. 50.c.t.d.e
Eccleſiæ olim conſoetodo adoersùs grauiter delinquẽtes,tametſi illos delicti pœniteret,qualis.225.c
Efficientium caoſarum defectum Deus ſupplere poteſt. 295.e
Eleemoſyna quomodo peccata porgare dicatur. 233.a
Eleemoſyna hominem non à corporali morte liberat, ſed à ſpirituali. 98.e.a
Elementum ignis non plos præſtat ad pœnas ſpirituales declarandas,quàm quodlibet aliod elementum. 288.a.b.2

Elementorum natura ad vniuerſi vtilitatem diſpoſita. 38.c.1.b
Elementum animi illud cenſendum eſt,in quod illum reſolui oportet. 147.e
Elementa cùm vita careant, vnde rebus vitam miniſtrent. 39.c.1.a
Elementa Deo velut Domino ac opifici parent. 25. col.2
Elementa inter ſe pugnantia ſolo Dei imperio concordiam ineunt. 25.c.2
Elementa in mixtis conciliantur. 38.c.1.c
Elementa in alterutra tranſeunt. 22.c.2
Elementorum viciſſitudines rerum generationis cauſæ. 22.c.2
Elementorum commiatio,ac diuerſitas Deum conditorem,& auctorem docent. 25.c.1
Elementorum naturæ inter ſe pugnantes. 38.c.1.b
Elementorum qui pugnam conciliat,ſotis, & ſeorſum eſt ab Elementis,Deus ſcilicet Opt.Max. 25.c.1
Elementorum diſcordia niſi à ſuprema virtute conciliari non potuit. 38.c.1.d
In Elementorum concordia maximè diuina virtus ac poteſtas elucet. 38.c.1.c.d
Elementorum diſſidentium concordia ſine Deo eſſe non poteſt. 25.c.1
Elyſius campus ab Homero ſedes beatorum aſſignatur. 175.c.2
Enos rationalis animæ vim, quæ hominem potiſſimùm efficit, in Scripturis denotat. 103.b
Entelechia corporis ex ſenſitiuo, ac vegetatiuo conſtituitur. 137.b
Ens neceſſarium cùm non ſit anima, an habuerit potentiam ad non eſſe. 151.c.2
Entis, & boni conuerſio à Philoſophis celebratur. 187.a
Entium genera multa ſunt, quorum quædam per ſe omnino immobilia, quædam partim mobilia, partim immobilia. 123.e
Epicteti de libera animæ facultate teſtimonium. 128.c
Epicurus rerum prouidentiam à Deo ſecluſit. 33. c.1.b
Epicureorum argumenta, quibus rerum prouidentiam impugnabant. 34.c.1.b
Epicureorum de ſummo bono voluptati aſſignato cum Cyrenaicis conſenſit opinio. 176.d.c.2
Eſſentia, præſentia, & potentia cunctis rebus adeſt Deus. Eſſentia præſtat omnibus quæ condidit eſſe; præſentia vitam; potentia motum, virtutem, ac operationem. 122.d.c.2. Idem licèt in Deo ſint, Deum tamen per ea quaſi diſtinctè operari concipimus. ibid.
Error ex cauſarum ignorantia plerunque oritur. 33. c.2.e
Eſſe eſt de intrinſeca natura Dei. 14.c.1
Eſſe, & eſſentia in anima quomodo differant. 134.è
Eſſe rerum quadruplex. 37.c.2.a
Eſſentiale gloriæ præmium Sanctis vſque ad diem iudicij non differtur. 236.c.2
Et ſæpè apud Hebræos pro copula cauſali *quia*, ſumitur. 141.e
Euchariſtiæ ſacramentum cur altare Domini in terra Ægypti erectum dicatur ab Iſaia. 4.c.1
Euchariſtia Sacramentum Eccleſiæ à Patribus nuncupatur. 4.c.1
Euthymius quid per vocem *Paradiſi* Loc. 23. intelligendum cenſeat. 234.b.c.2
Eutychianorum error perſtringitur, qui corpora alia lucida, alia ſubtiliſſima exiſtimant. 234.b
Examinatio operum non à Spiritu ſancto, ſed à Filio in iudicio eſt exercenda. 220.d.2
Exemplo confirmatur Dei vnius numen hominibus ſponte occurrere. 18.c.1
Exiſtentia animæ extra corpus quibus rationibus probetur. 101.a.b
Exiſtentiam ab eſſentia diſtinctam habent creaturæ, quòd in his exiſtentia ſit extra rationem,& quidditatem eſſentiæ. 134.c
Explicatio verborum Iſaiæ, *Leuate in excelſum oculos veſtros,&c.* 19.c.2
Explicatio verborum Pſal. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen,&c.* 18.c.2
Explicatio verborum Pauli ad Rom. 1. *ſicut non probauerunt Deum habere in notitia.* 18.c.2
Explicatio verborũ Pauli ad Rom.1.*Inuiſibilia Dei,&c.* 19.c.2
Exuſtio ſpirituum cùm ſit ſupernaturalis, ignis quoque ſupernaturalis virtute armatur, qua animas exurendi vim habeat. 295.c.d.2

F

FAbulas Cerberi tricipitis, Cocyti, Stygiæ paludis, Charontis cymbæ ſi damnare tantùm voluerunt Iouenalis, & Lucretius, non pœnarum veritatem, reprehendendi non ſunt. 268.d.e.2
Facinora potiùs, quàm mors metum incutiunt facinoroſis. 168.b
Facultates animæ ſunt aut organicæ, aut non organicæ. 165.b.c.d. Sublato corpore, actio adimitur organicis, quam per corpus, aut in corpore moliebantur. ibid. Non organicæ etiam quoad actum corrupto corpore remanent. ibid.e
Facultatum publicarum pro fide Purgatorij calculi. 227.c.d
Fatum Tullio nihil aliud fuit, quàm εἱμαρμένην, ordo, ſeriéſque cauſarum. 52.c.1.d
Fatum ex Stoicorum ſententia vel Deus, vel ipſa cauſarum connexio. 52.c.1.d.e
Fatum ex omnium antiquorum ſententia Diuinæ prouidentiæ legibus ſubiectum fuit. 52.c.2.b
Fatum iuxta Poëtarum placitum Parcis adſcribebatur. 52. c.1.b. Erat ineuitabile, & inexorabile. ibidem. Tam circa bona, quàm mala. ibid.c
Fatum, qui certam cauſarum complicationem cunctæ neceſſitatem ponunt, totam rerum naturam extinguunt. 53.c.1.d. Belluinum non humanum oculum gerunt. ibidem. ad humanum ſenſum, ac naturam potiùs reuocandi, quàm argumentis conuincendi. ibidem.
Fatum, quod omnia ineuitabili neceſſitati ſubijcit, Tullio intolerabile viſum fuit. 53.c.1.d. Ignauas, ac ſtultas argumentationes parit. ibidem. e. & c.2.a. Hominum vitam, leges, & commercia tollit. 53. c.2 a. Vitia,& virtutes vno ictu proſternit. ibid. b. Otium, ignauiam, ac omne flagitiorum genus in orbe nutrit. ibid.
Fatum ex Ptolemæo eſt virtus conſtellationum immobilis. 51.c.2.c
Fatum Atheiſtarum hominem libera voluntatis facultate ſpoliat. 53.c.1.d
Fatum non ponunt niſi fatui, & qui communi hominum ſenſu expoliantur, ex Auguſtino. 55.c.1.d
Fatum nullum eſſe, vbi natura domina eſt, exemplis illuſtratur. 54.c.1. d.e. Nullum in homine dominatur, ſi is libera, ac rationali ſuæ naturæ operatione potitur. ibidem.c. 2. a. Illud in homine conſtituere eſt potiorem hominis naturam euertere. ibid.d
Fatum ex ſententia Trimegiſti eſt Aſtrorum diſpoſitio corporibus dominans. 51.c.2.a
Fatum Atheiſtæ ex eo quod in Stoicorum ſententia reprobum fuit, compoſuerunt. 52.c.2.c. Illud conſtituunt in ſempiterna ac indeclinabili rerum ſerie,

quæ

quæ extra Deum, ac Diuinam prouidentiam cunctas hominum res ſuæ neceſſitati alligat. ibid. d. Duplici argumento illud probare cōtendunt. ibid.e
Fatum cum propria cuiuſlibet rei natura pugnat. 54.c.1.a.b. A propria ac naturali cuiuſlibet rei actione expellitur. 54.c.1.c. Si rebus naturales operationes inſunt, nullum eſt. ibid.d
Fatum iuxta Ariſtotelis ſententiam nihil eſt, præterquàm ipſe cauſarum ordo; & efficientia. 51.c.2.e. A natura non differt. 52.c.1.a
Fatum ex Platonis ſententia aut nihil eſt, aut eſt lex Dei immobilis, qua res humanas per ſecundas cauſas adminiſtrat. 51.c.2.d. Ab eodem diſtinguitur in fatum ſecundùm ſubſtantiam, & ſecundùm muneris functionem. ibid.d. vtrumque Dei Prouidentiæ ſubiectum eſſe docet. ibid.d
Fatum aſtronomicũ toto articulo 15. refellitur. 58.c.1.a
Fatum Aſtronomicum à D. Gregorio deridetur. 61.a. Illius natura inueſtigatur, ac refellitur. ibid. a.b. Quæ illud ſequantur incommoda. ibid. b. c. Illud pleraque impoſſibilia comitantur. ibid. d. e. Ipſius damna toti orbi pernicioſa enarrantur, quæ tandem eò tendunt, vt nullus omnino colatur, aut rogetur Deus ibid. b.c.1
Fati poſitione Atheiſtæ omnem contingentis naturam è medio tollunt. 53.c.1.b
Fati neceſſitas futurarum rerum prouidentiam, ac vim conſultandi hominibus adimit. 53.c.2.c
Fati nomē à Chriſtianis procul expelli debet. 55.c.1.d.e. Ordine cauſarum, aut conſtitutione ſyderum, quibus Dei voluntas ac prouidentia dominatur, imponi non debet. ibid.c.1.a
Fato nulla neceſſitas eſt tribuenda. 52.c.2.a
de Fato Senecæ & Apuleij Madaurenſis ſententiæ. 52.c.1.a.b
Febris tertiana in bili, quartana, in melancholia, non intermittens in ſanguine ſedem habent. 33.c.2.d
Febrium reditus, intenſiones, ac intermiſſiones vnde cauſentur. 33.c.2.d
Felicitatem duplicem dum ponunt Peripatetici, omnem felicitatem tollunt. 180.b
Feræ nobilium virorum oblectamenta. 46.c.2.d
Feræ ſcelerum, ac Diuinarum iniuriarum in orbe vindices. 46.c.2.e
Ferarum genus in orbe non otioſum. 46.b.c.2
Feræ inter diſtributiuæ iuſtitiæ inſtrumenta collocandæ. 46.c.2.e
Feſtucæ nomen apud Matthæum leuia, ac venialia peccata indicat. 208.b.2
Fides nulla, vbi multæ fides. 9.c.2
Fides ſola ad vitā æternā cōparandā nō ſufficit. 192.d
Fides eſt principiũ vitæ, finis eiuſdem charitas. 201.c.2
Fidei myſteria metaphoricè in Scripturis tradita non ſunt. 288.d
Fidei præmium eſt viſio in patria, quæ ſuccedit viſioni quæ eſt in via. 192.c
Fidem Purgatorij non inanem, neque nouam eſſe, antiquorum teſtimonia probant. 207.d.2
Finis eſt primus in intentione mouens hominem ad operandum. 183.c
Fines duos homini qui conſtituit, hominis naturam in fruſta diſſecat. 180.b
Finem hominis extremum vnum tantùm eſſe demonſtratur. 180.e
Finitũ ſimpliciter, & ſempiternũ inter ſe pugnāt. 28.c.1
Finita virtus non poteſt vlli rei tribuere primum eſſe, quod eſt à non eſſe. 28.c.2
Florum diſſimilitudo ex vna pluuia vnde fluat. 23.c.1
Fœcunditas eminens apud Platonem *ideæ* nomine ſignificatur. 185.b
Fœni, ſtipulæ, ac *lignorum* nomine denotantur leuiora peccata, quæ Chriſtianæ fidei fundamento innituntur. 219.d.2
Fons Garamanticus diebus friget, noctibus autem feruet. 278.b
Formæ ſimplici, ac immateriali mors nulla accidere poteſt. 150.b.2
Formæ in dies cur tot pereant, quæ ratio detur. 152.e
Formam corporis ſui eſſe animam conſpirat Scholaſticorum Theologorum conſenſus. 130.d. Vienenſis Concilij Catholica definitione cōprobatur. ibid.a.2
Formam, vel exemplar *idea* Platonis inſinuat. 185.b
Formæ contrariorum, dum ſunt in materia, inuicem ſeſe expellunt. 108.a.2
Formarum genus eſt duplex; alterum materialium, alterum immaterialium. 152.e
Formarum mutationem, ac multitudinem ſola materia recipere poteſt. 150.c.2
Formatio hominis ex verbis Moyſis fusè explicatur. 97.d.2. Perfectum fuiſſe hominem oſtenditur, cùm rationalis ac viuens anima illi indita fuit. ibid.
Formicæ in reponendo alimento prouidentia ex Deo manat. 23.c.2
Fortuna quid ſit apud Ariſtotelem. 43.c.2.b
Fortuna à natura & intellectu ab Ariſtotele excluditur. 43.c.1.b
Fortuna ex Ariſtotele ſine ordine, & regula, & rarò agit. 43.c.2.b
Fortuna ex Ariſtotele cauſa per accidens. 43.c.2.b. & 44.c.1.e
Fortuna rotæ volabili innixa à Poëtis depicta. 43.c.2.e
Fortuna ibi minima, vbi plurimus intellectus. 43.c.2.b
Fortuna ibi plurima, vbi minimus intellectus. 43.c.2.b
Fortuna & caſus in rebus non ſunt, cùm in proprias cauſas redeunt. 44.c.2.a
Fortuna à Gentilibus inter Deas relata. 44.c.2.b
Fortunæ nulla certa ſedes. 44.c.2.b
Fortuna ex craſſa Dei ignoratione orta. 44.c.2.e
Fortuna à Platone in aſtrorum actione ſita. 44.c.1.a
Fortuna ex rerum conſideratione expellitur. 43.c.2.d
Fortuna confuſionis dux. 43.c.2.d
Fortuna omnis euaneſcit, cùm ad vniuerſalem cauſam recurritur. 44.c.1.e
Fortuna vel ignota cauſa, vel obſcura Dei prouidentia antiquis fuit. 45.c.1.e
Fortuna ex rerum ignorantia ortum ducit. 44.c.2.e
Fortunam prudentia fugat. 44.c.2.e
Fortuna quæ videtur ignaris, ſapientibus prouidentia eſt. 45.c.1.e
Fortunæ ſi rerum adminiſtratio committeretur, breui tota rerum natura periret. 43.c.2.e
Fortunæ cur vniuerſi regimen committendum non ſit. 43.c.2.e
Fortunæ nomen ac appellatio procul à Catholicis arcenda. 45.c.2.a
Fortunæ nomen qui vſurpant, Chriſtianam diſciplinam ignorant, ex Baſilio. 45.c.2.a
Fortunæ nomen quàm malè frequenter in Chriſtianorum ore verſetur. 45.c.2.e
Fortunæ bona quæ vocentur à Philoſophis. 176.b.2
Fortunam Plato homini ſubiectā eſſe docuit. 44.c.1.b
Fortunam qua ratione nullam rebus dominari probetur. 44.c.1.a
Fortunam cæcam Plato nihil eſſe ſenſit. 44.c.1.b
Fortunam nihil eſſe exemplis illuſtratur. 45.c.1.a.b
Fortunam quid Proclus eſſe ſenſerit, cùm eam dæmonicam quandam poteſtatem eſſe dixit. 44.c.2.d
Fortuitum omne ac caſuale ex Auguſtino à rebus auferendum. 45.c.2.e
Fortuitus effectus nullus, ſi ad Dei prouidentiam velut ad vniuerſalem cauſam referatur. 44.c.1.d
Fratricellorum hæreſis de animabus beatorum refellitur. 233.a.2
Fugam ignis, ac deteſtationem in anima qui ſupernaturalem

Digitized by Google

turalem ponunt, falluntur. 293.d.2
Futurum ſæculum, ac vniuerſale Iudicium non ſunt idem. 218.b.2. In eo animæ ſuis corporibus exutæ, iudicium expectant, corporum reſurrectionem præſtolantur. ibid. Alterius vitæ ſtatum inſinuat. ibid.
Futurum tempus quare adhibeatur Pſal. 48. cùm de improborum pœnis agitur. 278.c.2
Futura ſenes quandoque præuident, & quare. 251.b

G

GALENI aſſertio de anima improbatur, quæ temperamentum primarum qualitatum eſſe dicit, ac cum ipſis immutari. 124.e
Gallia Atheiſtis referta. 10.c.2
Gallina interdum oua vel vento, vel puluere concepta parit. 23.c.2
Gehennæ nomine primùm Hebræi vſi ſunt ad locum damnatorum ſignificandum. 274.c.2. Locus eſt prope Ieruſalem, in quo ſacrificati Moloch exurebantur. ibid.
Generatio, & corruptio fiunt ex contrariis in contraria. 149.c.2
Geniculatio pium Dei cultum iudicat, non tamen ſemper ei coniuncta eſt. 223.e
Genus nomine à Philoſopho quid inſinnetur. 133.a.2. ab hoc vocabulo ductum argumentum contra animæ immortalitatem diluitur. ibid.
Germania Atheiſtis plena. 11.e.1
Gloria cœleſtis in Scripturis vbique regnum cœlorum nuncupatur. 234.e
Gloriæ lumen quid vocent Theologi. 186.a
Gloſſa ſecundaria duplicem locum in gehenna conſtituit. 229.c
Gnoſticorum, & Albigenſium error de nullis impiorum apud inferos pœnis neque poſt, neque ante diem Iudicij exploditur. 272.c.d
Golem Hebræorum pro temporaria quadam diuturnitate nonnunquam vſurpatum. 776.e.2
Gotterij animas Sanctorum ante extremi Iudicij diem cœleſtem gloriam non obtinere docuerunt. 233.a.2
Gratia per Sacramentum collata culpæ mortalis impedimentum tollit. 241.d.2
Gratiæ infuſio in iuſtificatione hominis non ſequitur ſolum actum fidei à charitate ſeiunctum, neque ſolum actum charitatis à fide ſecluſum; ſed vtrumque ſimul. 201.c.2
Græci cur ἄνθρωπον ab ἀναθρεῖν dictum cenſeant. 103.d
Græci interpretes LXX. lectionem ſuis editionibus maximè obſcurarunt. 280.a
Græcorum Patrum teſtimonia pro Purgatorio afferuntur. 225.d.e
Gregorius Nyſſenus quam differentiam inter ignem æternum, & noſtrum ſtatuat. 289.d.2
Gregorius Nyſſenus ignis inferni acerbiorem naturam, quàm huius noſtri, ex illius æternitate colligit. 277.c.2
Grues nocturnas vigilias viciſſim obeunt. 24.c.1
Grues certo agmine ac compoſito mouentur. 24.c.1
Gruum natura, motus, volatus Diuinam ſapientiam prædicant. 24.c.1
Gualteri in Anglia publica de Atheiſmo ſchola. 11.c.1

H

HABITVS ſcientiarum per ſe ſunt incorruptibiles. 155.d.e.2. Quatenus tamen qualitates ſunt animo inhærentes, interdum deperdi poſſunt. ibid.
Hæreſis de fidei ſufficientia ad ſalutem conſequendam aſtrueretur, ſi eſſentialis beatitudo in ſolo actu intellectus poneretur. 192.b
Hæreſes cum vera Religione exercent. 5.e.2
Hæreſes quare eſſe oporteat. ibid.
Hæreſes quare diutiùs in Eccleſia permaneant. 6.c.1
Hæreſes quas expugnet Catholica hæc aſſertio; anima eſt ſubſtantia ex nihilo à Deo condita. 128.d.2
Hæreſis Atheiſmi mater. 10.c.1
Hæretici corporum Reſurrectionem negarunt, quòd neque animæ vtilem, neque neceſſariam eſſe exiſtimarent. 260.c
Hæretici ſuas hæreſes diuinis Scripturarum teſtimoniis malè expoſitis muniunt. 6.c.2
Hæretici quinam mortuorum ſuffragia negarint. 227.b.2
Hæretici veram Religionem non rident. 5.c.2.
Hæretici quomodo Eccleſiæ proſint. ibid.
Hæreticorum commune eſt in multas ſemper opiniones diſcindi. 97.b
Harmoniam eſſe animam quo ſenſu Plato dixerit. 123.b.e.2. Eius verba, non ſenſum coarguit hac in re Ariſtoteles. ibid. Definitio quam tradit *lib.* 1. *de anima*, minùs rationalis animæ ſingularem naturam exponit. ibid.
Hebræi ſingulis annis in anniuerſario die obitus patris ieiunant, ac preces pro illius anima ad Deum fundunt. 230.a
Hebræi quid per *infernum ſuperiorem*, & *inferiorem* intelligant. 214.b.2
Hebræis quodnam ſit hominis etymon. 97.d
Heri diem creationis rerum apud Hebræos inſinuat. 285.a.2
Herillus, Calcedonius, & plerique Socratici beatitudinem ſcientiæ adſcripſerunt. 177.a
Heſiodus honores & opes velut fortunæ ludibria contempſit. 48.c.2
Heſiodus calamitates, & quæ fortunæ mala nuncupantur, velut Deorum munera venerabatur. 48.c.2
Heſiodus, & Proponides animam eſſe corpuſculum terreum exiſtimarunt. 104.c
Hieroclis dictum; *Finem humanæ vitæ eſſe Deum facere ex homine*, quo ſenſu accipiendum. 171.b.7
Hippocratis de peſtilentia, ac nonnullis aliis morbis iudicium, & admonitio. 47.2.c
Homo prauis cupiditatibus deditus, ferè in belluam conuertitur. 9.e.1
Homo non beatur actione naturali, ac neceſſaria. 191.e
Homo Dei ſimulachrum à Trimegiſto dictus. 20.c.1
Homo magnum miraculum. 92.c.2.e. In Dei naturam tranſit, ob animi cum Deo ſimilitudinem. ibid. Quodammodo eſt duplex, partim terrenus, partim diuinus. 93.c.1.a. mens in homine muro corporis circunſepta. ibid. b. Homo ex ſententia Trimegiſti tertius participatione Deus. ibid.
Homo liberum eſt animal ad quælibet vel eligenda, vel reſpuenda. 54.c.2.b. Ob hanc arbitrij libertatem ius in cætera animantia exercet. ibid. Fato non ſubiicitur, cùm vniuerſa ſibi ſubiiciat. ibid.
Homo ex mortali & immortali ſubſtantia conſtat. 26.c.2
Homo non ſecundùm corpus, ſed ſecundùm animam eſt imago Dei. 86.c.2.b.c
Homo in prolis generatione quo pacto ſe habeat. 40.c.1.d
Homo hominis conditor haud eſſe poteſt. 40.c.1.a
Homo vniuerſi epilogus. 36.c.2.e
Homo propter intelligibilia præſertim conditus. 40.e.1.b
Homo in præſtantiſſimo cœlorum opificio latentem Deum venerari debet. 26.c.1
Homo carnalis oculos pro mente gerit. 79.e.2.a. In eo tota ratio intelligendi, ex Auguſtino, eſt conſuetudo cernendi. ibid.
Homo cur plurium rerum indigentia laboret. 47.c.1.d

Homo

Homo Deum intelligendo, & amando meretur. 20.2.a.
Homo ratione, & conſilio cæterorum animantium ſibi bona vſurpat. 53.c.a.d
Homo cur mortalis potiùs, quàm immortalis à Deo fuerit conditus. 48.c.1.b.c.d
Homo inter cætera animantia ſolus ſapiens creatus fuit, vt omnia ſibi ſubiogaret. 49.c.2.a
Homo vniuerſi compendium. 26.c.a
Homo ad præſtantiſſima naturæ munera obeunda conditus. 18.c.2
Homo cur inter cætera animantia corpore erectus. 18. col. a
Homo, qui eſt imago Dei, quamuis ſit corporeus, non tamen Deus, qui eſt protypos, corpore conſtare debet. ibid. c. d. Quapropter refelluntur ij, qui ita arguunt. Homo qui eſt imago Dei, eſt corporeus, ergo Deus qui eſt exemplar, etiam corporeus eſſe debet. ibid. d. e
Homo poſt peccatum, animalium omnium miſerrimus. 47.c.2.a
Homo ad naturalem Dei cognitionem hauriendam eget rerum conditarum adminiculo. 25.c.1
Homo eſt Deo ſimilis immobilitate, velocitate, inuiſibilitate, incorporeitate, ſubtilitate, æternitate. 87. col. 1. e
Homo qua ratione triplex vniuerſum dici poſſit. 102.e
Homo omnium rerum principatum obtinet. 37. c. 2.c
Homo duplices oculos habet, corporis, & animi. 80. c. 1.a.b
Homo viuum Dei opus ad Dei viuentis notitiam compellit. 39.c.1.b
Homo Dei picturæ excellens. 39.c.a.b
Hominis intellectus ſenſibilia tranſcendit. 40.c.1.b
Hominis generatio naturæ tantùm, non intellectus opus. 40.c.1.d
Hominis excellentia quibus titulis in ſacris literis prædicetur. 103.d. Cur in eis ſæpius lutum & puluis vocetur. ibid.
Hominis animus non quolibet bono contentus eſt, ſed optimum ſemper, ac ſummum appetit. 95.c.1.e. & c. 2. a. b. Ipſius imperium in cætera animantia vnde oriatur. 96.c.1.a.d. Quàm latè ipſius dominatus ſe extendat, Tullij verbis explicatur. ibidem b. c. Quæ poſt corporis funera futura ſunt, proſpicit. ibid. d. e
Hominis animus quamlibet rerum metam ſemper excedit, & ad infinita ſe extendit, quod immortalis ipſius naturæ eſt ſignum. 55.c.a.d. Intellectus errorem ratione corrigit, cùm infinitatem in rebus finitis irrationabilem deprehendit. ibid.
Hominis in generatione parentes illud duntaxat efficiunt, quod Deus olim in efformatione corporis Adæ præſtitit. 115.c.2.d
Hominis origo non niſi à Deo. 27.c.1
Hominis conditor extra hominem quærendus. 40.c.1.a
Hominis etymon ab humo nonnullis improbatum. 102.e2
Hominis animus ſenſuum cupiditatibus afficitur. 64. col. a. d
Hominis eſt appetitus duplex, naturalis, & rationalis. 167. b.2
Hominis originem quæ comitantur, Deum illius principium eſſe declarant. 27.c.1
Hominis nuncupatione apud Eccleſiaſticum 3. cap. duntaxat exterior hominis figura, quæ ſe in corpore exhibet, inſinuatur. 167.a.b
Homini prouidentia propria eſt, & connaturalis. 53. c. 2. c. d
Homini idcirco bona data ſunt, vt iis frueretur; mala vt ea caueret. 49.c.2.b
Homini multipliciter conſiderato ſi liceret varios fines extremos proponere, non duo tantùm, ſed innumeri conſtituerentur. 180.d
Homini cur Deus oculos in ſublime elatos dederit. 18. col. 2.
Hominem alterius hominis formatorem non eſſe, quibus rationibus euincatur. 40.c.2.a
Hominem totum, ſcilicet corpus, & animam ſimul à Deo conditum fuiſſe demonſtratur. 120. c. 1. e
Hominum natiuitas omnium rerum indigentia ſepta. 47.c.1.c
Hominem qui propria, ac rationali anima ſpoliant, quot bona conuellant. 123.a
Hominem nondum primo natali die cur in nuda humo natura abiecerit. 53.c.2.d
Hominem Dei prouidentiam mortalem eſſe voluit. 48.c.1.d
Hominum induſtria, ac conſilium fatum expellit. 53. col. 2.d
Humani corporis contemplatio. 26.c.2
Humidum plantarum & herbarum principium. 21.e
Hyparchi de natura animæ ſententia quæ fuerit. 104.b
Hyppias aqueum eſſe corpus animã autumauit. 104.c

I

Iacob & Eſau exemplum, qui nihil omnino boni, aut mali egerant, cùm nondum nati eſſent, aduersùs Origeniſtas efficaciſſimum. 120.b.2
Iamblicus à verbo diuino viſibilem mundum conſtructum affirmat. 21.e.2
Idea in mente ab omnibus formis ſeparata nunquam Platoni fuit agnita. 185.d
Idea nomen quotupliciter à Platone vſurpetur. 185. a. b. c
Ideam boni ſummum bonum eſſe Plato cenſuit. 177.a
Ignis elementum inter aërem & aquam tanquam arbiter ſedet. 38.c.2.d
Ignis cur potiùs in diuinæ iuſtitiæ inſtrumentum ad impios plectendos à Deo aſſumatur, ratione non vacat. 288.b.2. Vehementiſſimam agendi vim ſortitus eſt. ibid. Horrorem, ac pœnam ingerit. ibid. Vnus tantùm numero damnatis, & dæmonibus ſtatuitur. 289.e. Veris modis, etſi miris damnatorum corpora, & animas excruciabit. ibid. a. a
Ignis inferni corporeus. 289.a. Corrumpendus cùm negatur, hoc adſtruit. ibid. Corruptio metaphorica non euincit contrarium. ibid.
Ignis apud Paulum 1. Corinth. 3. purgatorias flammas ex communi Patrum ſententia indicat. 220. a. Pro Spiritu ſancto ſumi ineptè Caluinus cõtendit. ibid. a.b.2. Diei iudicij coniunctus, vindictam præ ſe fert. ibid. d, 2
Ignis actiuitas tantùm poſita eſt in calefaciendo, ac exurendo. 291.e.2
Ignis ob maximam ſui tenuitatem cæteris elementis eſt præſtantior. 149.d
Imago Dei in homine non ſecundùm corpus, ſed ſecundùm animam perpendi debet. 86.c.2. b.e
Imago Dei in homine penes quid attendi debeat, variæ Patrum ſententiæ explicantur. 87.c.1.h.e
Imago ſine pictore, ſic mundus ſine creatore eſſe non poteſt. 10.e.2
Imago Dei, ad quam eſt conditus homo, incorpoream eſſe animam eius arguit. 98.b.2
Immeritis conferri beatitudinem Theologia negat. 191.b.a
Immortalitas manet & corpus, & animam poſt extremum iudicij diem. 147.c.2
Immortalitas Angelorum ita Dei potentiæ ſubijcitur, vt ab ea annihilari queat. ibid. b.a
Immortalitas animarum, & extra corpus exiſtentia aduersùs Anabapt. aſſerta. 100.a.b. & per totũ artic.

Immortalitas animæ quomodo ex libero arbitrio adſtruatur. 140.b.c.a
Immortalitatis appetitus à natura eſt hominibus inditus. 154.e. Quibus medijs nonnulli eam ſe aſſequi credant. ibid. Alij libros conſcribunt, alij ſtatuas erigunt, alij filios procreant. ibid.
Immortalitas non eſt ita inſeparabilis ab anima, vt eam penitus Deus delere non poſſit. 141.d. Cum Dei immortalitate non eſt comparanda, quæ per ſe neceſſaria eſt, & abſoluta. ibid.
Immutatio iuſtorum corporibus poſt Reſurrectionem qualis continget. 264.a.2
Immortale quodcunque eſt, per ſe ſubſiſtit, ac ſubſtantiale eſt. 125.e
Imperium rationis quid Tullius vocarit. 128.c.2. quid duas animi partes inter ſe colluctantes. ibid.
Impœnitentia finalis pro peccato in Spiritum ſanctum communi Theologorum ſententia ſumitur. 217.b.2
Impiorum animæ apud Inferos ſuperſtites modò ſupplicijs afficiuntur, licèt corpora ante diem iudicij non ſint reſurrectura. 101.a.2
Impiorum animæ poſt mortem digna apud inferos ſupplicia delictorum ferunt. 171.c.2
Impijs ab ipſa mundi conſtitutione ignis inferni paratus eſt, quemadmodum regnum cœleſte iuſtis. 289.b
Improborum animæ ſtatim ac à corpore ſolutæ ſunt, ad inferos detruduntur, ibique perpetuas ſcelerum pœnas luunt. 278.b.2
Incorporeitas animarum quibus rationibus probetur. 126.c.d. Corporeas eſſe cùm legimus apud Baſilium, Athanaſium, Ioannem Damaſcenum, Methodium, Hieronymum, quomodo ſit accipiendum. ibid.a.2
Infantes qui cum Baptiſmo decedunt, ad cœlum euolant, neque purgatorio igne indigent. 222.a.2
Infernus quo tempore impijs paratus ſit, inquirere curioſum eſt. 285.a.2. Id declarat Iſaias. ibid. Quo item ſitu, qua terræ plaga, an in ſuperficie, an in terræ profundo, apertè explicatur. ibid.b.2
Inferni nomine locus damnatorum propriè denotatur. 214.d. Locus etiam Purgatorij ampliori ſignificatu inſinuatur. ibid.
Inferni pœnas non eſſe æternas, ſed diuturnas, ac temporales, poſt quas improbi ſint ſaluandi, cuius hæreſis fuerit. 272.a.2
Inferni deſcriptionem quam tradit Plato, à Prophetis accepiſſe placet Clem. Alexand. 286.e.2
Infernum agnoſcit Lutherus eſſe aliquem damnatorum locum; ſed extra totum hunc mundum collocat. 282.d.2. Catholicos ridet, quòd locum eſſe ſubterraneum aſſerant. ibid.
Infernus eſſe in centro terræ, de fide certum non eſt, licèt ſit probabile. 286.c.2
Inferorum poëtica deſcriptio pœnas ſontibus pro grauitate delictorum diſtribuit. 107 a 2
Infinitas omnis in rebus finitis eſt irrationabilis, & temeraria. 55.c.1.b
Infinitum ſpatium inter eſſe, & non eſſe, rem, & nihil. 38.c.1.a
Ingenerabilia quæ ſunt, incorruptibilia exiſtunt. 151.e
Infinitum natura, quæ finita eſt, non patitur. 55.c.2.e
Ingenioſos cur melancholicos faciat Ariſtoteles. 163.e.2
Inchoatiuè, ac per modum principij beata Dei viſio ad beatitudinis eſſentiam pertinere dici poteſt. 195
Intellectus humanus ſupra ſenſibilia fertur. 40.c.1.b
Inſufflationis vocabulum in creatione hominis quid importet. 96.c
Intellectus ob ſeparatam illius à corpore operationem à vegetatiua ac ſenſitiua potentia diſtinguitur, ſicut perpetuum à corruptibili. 157.a.2
Intellectus quomodo ex corruptibilibus incorruptibilia generet. 158.a
Intellectus obiectum in communi eſt ſolum verum. 160.a.1
Intellectus præſtantior eſt voluntate. 193.b.c.1
Intellectus priùs quàm voluntas beatitudinem attingit. 196.c.d.1
Intellectus modò practicus eſt, modò ſpeculatiuus pro diuerſo operationum ſtatu. 191.b. Vterque a voluntate pendet. ibid.
Intellectus eò celeriùs cœleſtia contemplatur, quò longiùs à corporeis, ac terrenis rebus ſeiunctus eſt. 150.d.2
Intellectus non ſecundùm partem, ſed ſecundùm ſe totum intelligit. 207.d.1
Intellectus purior vt plurimùm in corpore valetudinario quid innuat. 151.a
Intellectum foris perperi non poſſe quomodo dicat Ariſtoteles. 135.e
Intellectum non pendere à corpore organicè, ſed obiectiuè cur dicat Pomponatius. 136.a
Intelligibilia a materia abſtrahunt. 107.b
Intellectionis ſubſtantiæ, & modi intelligendi diſtinctio. 165.e.2
Intellectiua ac rationis anima per *ſpiritum loquentem* à Chaldæo Paraphraſte denotata. 97 e.2
Interitus eſt compoſitorum, ſimplicium nullus. 151.e
Interpretatio metaphorica de igne inferni quibus argumentis confoditur. 289.a.b
Inuiſibilia multa ſunt, quæ tamen creduntur ab omnibus. 79.c.2.b. Qui ea eſſe non credunt, ob id quòd non videntur, neque ſibi ipſis animum, intellectum, mentem ineſſe credere debent. ibid.d
Inuiſibilia, ac intelligibilia ſenſibilibus nobiliora ſunt, & præſtantiora. 80.c.1.d
Ioannes Ieroſolymitanus Reſurrectionem quotidie in generatione filiorum fieri aſſeuerabat. 245.e.2
Ioannes XXII. ab errore Petrobruſianorum quomodo fuerit reuocatus. 233.d.e.2
Ioannes Theſſal. Epiſcopus quid per *corporeum* in ſua de animabus ſententia intellexerit in Concilio Niceno II. 326.e.2
Iracundiæ motus leue iudicium efflagitat, quo leuiori pœna mulctetur. 219.c. Cùm foras in perturbatum vocis ſonum erumpit, grauiorem pœnam exigit. ibid. Cùm iam palàm in contumelias ſe extendit, æterna pœna dignus eſt. ibid.
Irradiationem Dei qua ratione animam nuncupet Triſmegiſtus. 327.a.2
Irenæus piorum animas, poſtquam è corporibus diſceſſerunt, in inuiſibilem locum abire, & ibi vſque ad corporum Reſurrectionem commorari docens, hæreſi Armenorum non fauet. 233.b.2
Iudæi quæ ſibi Religionis ſymbola arrogent. 3.c.2
Iudæorum poſteriorum error fuit, eos ſolùm damnari, qui vel Dei fidem non amplecterentur, vel Circunciſionis legem non ſubirent: cæteros verò cuiuſque criminis conſcios Purgatorio adiudicari, ad tempus cruciandos. 229.d
Iudicium Dei duplex, vnum particulare in vniuſcuiuſque obitu: alterum poſt vniuerſalem corporum reſurrectionem. 218.e.2.219.a
Iudicium vniuerſale præcedit examinatio operum. 221.c.2
Iudicio ac ratione in agendo vtitur animus, quò fit, vt de agendis priùs conſulat, poſtea iudicet, deinde eligat. 159.d.2

Iumento

Iumentorum anima eſt in ſanguine, quatenus de potentia materiæ educitur. 167.a
Iuſtitia Chriſtiani per actum fidei, ſpei, & charitatis conſtituitur. 203.c.2
Iuſti ſeruidè ad Deum aſpirantes corpus loco carceris habent. 119.c.2.d
Iuſtitiam Dei vera æternitas comitatur. 277.b. Supplicium ab ea profectum æternum. ibid.
Iuſti imbecillitate, ac rerum inopia affligantur, vt tandem coronentur. 49.c.2.d
Iuſti in Scripturis vocantur, qui à peccatis mortalibus ſunt immunes, licèt non omnino à leuioribus culpis. 209.b.c.2
Iuſtorum corpora qui extremo orbis tempore iudicium præcedent, quomodo abſumenda. 253.a.2
Iuſtificatio medium eſt ad ſalutem. 203.e
Iuſtinus num ſenſerit ante Reſurrectionem iuſtis præmia non reddi. 233.b.2

K

KEuer, non *ſcheol*, in Scripturis pro ſepulchro vſurpatur. 214.a.b

L

LApidis Asberti proprium eſt, alieno igne ſic ardere, vt extingui non poſſit. 178.b
Latini Patres contra Aërianos pro Purgatorio ſæpius decertarunt. 225.e.2. Eorum teſtimonia pro hac fide proponuntur. 226.a.b.c.d.e
Latini Philoſophi quid de animæ immortalitate ſenſerint. 137.a.b.2
Latriæ cultus, qui per genuflexionem Deo exhibetur, an à pio cultu diuelli poſſit, dubium eſt. 223.d
Leo X. quid Philoſophiæ profeſſoribus quoad animæ immortalitatem iniunxerit. 147.e.d.a
Lepores & hyenæ ſexum per annos ſingulos commutant. 23.c.a
Lethali vulnere peccati ſauciata anima, tametſi corpus ſit ſuperſtes, emoritur. 100.c.a
Leucippus animam corpuſculum igneum eſſe putauit. 104.b
Leuan Iudæus in Lituania, ex Iudæo Chriſtianus, ex Chriſtiano Zuuinglianus, ex Zuuingliano Atheus. 11.c.a
Lex vetus abſolutè, & ſimpliciter lex peccati dici non potuit. 212.b 2
Libertas conſilij priſcis Philoſophis certa, ac indubitata fuit. 128.b
Liberi arbitrij actus eſt mixtus ex intellectu, & voluntate. 203.e
Liberi arbitrij Ethnicis non ignota fuit facultas. 128.e
Liberè agendi modus immortalibus tantùm ſubſtantiis congruit. 160.b
Liberi, qui ingenio ſimiles parentibus videntur, vnde id habeant. 163.d.2
Libertas animi ſublato iudicio corruit. 159.e.a
Libertinorum error, ſpiritum Dei in homine vices gerere affirmantium expugnatur. 121.c.2. Scripturæ loca quibus nitebantur, exponuntur. ibid. & 122.b.2
Libri Atheiſmi in Gallia curſitare viſi. 10.c.2
Limbus Patrum à Chriſto eſt ſublatus, & ſpoliatus. 245.d
Limbus puerorum nullius actualis culpæ reos tantùm recipit. 282.b.2
Lingua cur illiſa dentibus. 26.c.2
Linguarum conſenſus in ſignificatione tum vocis שאול, tum vocis ᾅδης ſubterraneum locum eſſe infernum probat. 286.a.b.2
Liturgia Matthæi, & Andreæ Purgatorij fidem adſtruit. 224.c.2
Locus ille Ioan. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum*, &c. quomodo à D. Auguſtino explicetur. 195.c.2
Locus c.8. ad Romanos; *Nihil ergo damnationis*, &c. à Caluini calumnia vindicatur. 212.c.d
Locum impiorum poſt mortem inferi deſignant, tenebræ ſtatum, pœnæ ſtatus miſeriæ. 180.c
Locorum diſtantia non intercipit dæmonibus, qui in aëre verſantur ignis inferni præſentiam. 299.a
Lorini animaduerſio in lib. Sapientiæ cap. 5. improbata. 179.e.2
Lucanus inter terræ, ac Lunæ meatus beatorum domicilium collocauit. 176.a
Lucifer ſummam Dei excellentiam appetit. 50.c.2.a. Plurimorum Angelorum mentes ſubuertit. ibid.
Lucretius, & Iuuenalis inter Poëtas inferni pœnas nullas eſſe ſenſerunt. 268.b.e.2
Lumen gloriæ animam diſponit ad inuiſibile Dei lumen contemplandum. 186.a
Luna belluis infert audaciam. 26.c.2
Lunæ natura hominibus haud cognita. 26 c.a
Lutherus, & Caluinus quomodo in inferno conſtituendo inter ſe differant. 282.d.2
Lutherus ab hæreſi Fraticellorum non diſſentit. 233.a.2
Lutherus infernum nihil aliud eſſe affirmat, quàm ipſum conſcientiæ remorſum. 272.e
Lutheranis, & Caluiniſtis animæ liberam facultatem adimentibus quid obiiciendum. 128.b
Lux velociùs, ac velut inſtantaneè ſeſe diffundit, quò minus craſſum in ſe poſſidet. 149.d

M

MAchiauelli libri ad Atheiſmum ducunt. 9.c.8
Machiauelliſtarum colophon omnem fidem habere ludibrio. 12.c.8
Magnæ matris Sacerdotes ſibi cur virilia amputarent. 178. e. Platonis item diſcipulus Xenocrates ad reprimendam libidinem ſibi virilia exuſſit. ibidem. Sacerdotes Ægyptij idem etiam priùs præſtiterunt. ibid.
Mala ac peccata ideo permittuntur, vt ipſorum aſpectu ac comparatione virtutes magis reſplendeant. 50. c.1.b. Dei prouidentiam commendant, cùm ea ad bonorum ordinem cogit. 50. col. 1. b. Dei ſapientiam illuſtrant, cùm illa ad electorum triumphum ordinat. ibid.c
Mala propterea homini data ſunt, vt illius ſapientiam exerceant. 49.c.2.b
Mala partim ad electorum coronas, partim ad reproborum pœnas à Deo ordinantur. 51.c.1.c
Mala permittuntur, vt bonis præmia de iure debeantur, & malis iuſtè ſupplicia decernantur. 51.c.1.c
Mala homini data ſunt, vt ea caueret, bona vt iis frueretur. 49.c.2.b
Mala, ac peccata ab Auguſtino nigro colori comparata, quæ tametſi ſibi ſordeſcant, picturæ tamen vniuerſi ornamentum præſtant. 51.c.1.a
Mala ac peccata in clementiæ ſignum à Deo permittuntur, vt in electorum vtilitatem transferantur. 50. c.1.c. Electis non vulgaria adiumenta ſunt, vt in virtutibus proficiant. ibidem.d. Ob ea electi humiliores & doctiores fiunt. ibid.d
Mala multis de cauſis Deus in orbe graſſari permittit. 49.c.2.a.b
Mala non permitteret Deus, niſi de malis etiam benefaceret. 49.c.2.c
Mala ad vniuerſi pulchritudinem ſpectant, vt rerum

antitheſes, quæ orationis elegantiam pariunt; aut ſonorum ac vocum diuerſitas, vnde ſuauis concentus erumpit. 49.c.2.e
Malorum mortem extimuiſſe Chriſtum, non ſuam propriam nonnulli è Patribus ſentiunt. 267.c.2
Malorum permiſſio Dei potentiam propterea extollit, quòd nõ tã bonis, quàm malis bene vtitur. 49.c.2.o
Mali hoc ipſo, quòd contra Dei voluntatem faciunt, de ipſis fit voluntas eius. 71.c.2.e
Mali, dum contra Dei voluntatẽ peccant, Dei voluntatem non expugnant. 71.c.2 e. Illos Deus non vult peccare, at peccantes vult condemnare. ibid. & 72. col. 1.a
Mali cur robore, & opibus polleant. 49.c.1.d
Manichæi animarum duntaxat, non corporum Reſurrectionem expectabant. 246.b
Manichæorum hæreſis vnde nata. 8.2
Manichæorum hæreſis duo rerũ principia ſtatuit. 8.c.2
Marcion ſalutem ſolam animarum, non corporum fore credidit. 243.a.2
Marcus Varro octo ſupra ducentas, & octoginta de hominis fine opiniones collegit. 176.a.2
Marci Liturgia defunctis ſuffragia impendenda docet. 224.c.2
Mare non exuberat, licèt plurimos vndique fluuios illabentes accipiat. 24.c.2
Maris procellæ diuinæ virtutis ac prouidentiæ teſtes. 46.c.2.d
Maris procellæ diuinæ iræ timorem animo incutiunt. 46.c.2.e
Maris procellæ homines ad Dei laudem excitant. 47.c.1.a
Maris fluctus tota terra altiores. 46.c.2.d
Maris vortices erumpentes à Dei prouidentia velut oſtiis concluſi. 46.c.2.e
Maris iram ſola Dei vis coërcere poteſt. 24.c.2
Maris fluctus Dei præcepto litori alligantur. 24.c.2
Materia prima ingenerabilis & incorruptibilis. 30.col.2
Materia prima à Chryſippo turpis, malefica, Deóque rebellis dicta, & quare. 22.c.1
Materia prima quomodo ingenerabilis. 31.c.1
Materiæ, ac formæ compoſitio rebus interitum ac diſſolutionem infert. 134.a.2
Materialium formarum natura quæ ſit. 152.e. Earum interitus vnde manet. ibid.a.2
Martis ſyderi Aſtronomi cædes, temeritates, ſeditiones, omnem violentiam aſcribunt. 64.c.1.a
Medis, quæ ad beatitudinem ducunt, non poſſunt eſſe eius ſedes. 179.a.b.2
Medicus Aſtrologiæ imperitus tanquam cæcus, qui baculo viam examinat, ex Hippocratis ſententia. 63.c.1.c
Melos inſula ob Atheiſmum ab Athenienſibus deleta. 8.c.1
Membra humana, quoties Deo attribuuntur, metaphoricè explicãda ſunt. 86.c.1.a. Huiuſmodi membra quid ſignificent, Patrum teſtimoniis explicatur. ibid.b.c.d.e. His membris varias Dei operationes inſinuari communis eſt Patrum opinio. ibid.e. De horum membrorum ſignificatione habetur doctrina Concilij Foroiulienſis. ibid.c.2.a
Membrorum diuerſitas quorſum in humano corpore. 27.c.1
Memoriæ, ſcientiæ, intelligentiæ, artis, cogitationis vis in anima à Philoſophis animaduerſa immortalitatem eius perſuaſit. 146.c
Memoriæ vis ineſt in animo, qua præterita velut immortalia efficit. 159.e. Quorundam exẽpla, quibus ſumma eius facultas ac fœlicitas fuit. ibid.
Mens quæ tres illas ſuperiores animę vires complectitur, intellectiuam, memoratiuam, & volitiuam, non eſt ab omni dolore immunis. 164.b.2. Pœnas in corpore, & extra corpus ſuſtinet. ibid.
Mens cùm intelligat infinita ſucceſſiuè, ipſa etiam temporis duratione eſt infinita. 157.b.2
Mens humana ſui auctoris, & principis admonetur. 18.c.1
Mens in homine tanquam muro corporis ſepta. 95.c.1.b. In diuinam ſimilitudinem tranſit. ibid. b.c. Cum Deo immortali agnationem habet, à quo & ortum accepit. ibid.c
Mentis perfectio in eo ſita eſt, vt plenam à ſenſibilibus abſtractionem poſſideat. 150.d.2
Mentis ratio, & arbitrij poteſtas animas immortales demonſtrant. 150.b
Menſes tantùm duodecim animas in Purgatorio purgari, non eſt certum, neque vlli cognitum. 228.d
Menſuram æternitas, æternitatem menſura repellit. 21.c.2
Mercurius Trimegiſtus vetuſtiſſimus ſcriptor. 20.c.1
Mercurius Trimegiſtus Moyſi contemporaneus. 20.col.1
Mercurius Trimegiſtus alter inter Ægyptios Moyſes. 20.c.1
Mercurius Trimegiſtus diſtinctè rerum creationem deſcripſit. 20.c.2
Mercurius Trimegiſtus omnium Philoſophorum vetuſtiſſimus originem animæ è cœlo deducit. 104.d.2
Mercurius Trimegiſtus Ægyptiorum ſapientiæ fuit veluti parens. 170.a
Mercurius Trimegiſtus iiſdem quibus Iob verbis vſus, ad Dei prouidentiam declarandam. 20.c.2
Mercurius Trimegiſtus plurima fidei conſentanea ſcripſit. 20.c.2
Mercurij Trimegiſti pro rerum creatione, ac prouitia ratio illuſtris. 20.c.2
Mercurij Trimegiſti pro mundi creatione præclara ſimilitudo. 20.c.2
Meritum totum eſſentiale an in fide reponendum. 192.b
Meriti comes eſt præmium, quod liberam hominis poteſtatem exigit. 291.a.2
Meſſalianorum hæreſis vnde proſeminata. 129.c.2
Metemphychoſis Pythagorica à Gnoſticis, & Albigenſibus probata. 121.b. Nouas animas à Deo non creari aſſerebant, ſed de corpore in corpus tranſmigrare. ibid.
Milo Crotonienſis fortitudinem eſſe ſummum bonum exiſtimauit. 176.c.2
Miniſtri Geneuenſis conſilium de Atheiſmo docendo. 10.c.2
Mira quæ hominis originem comitantur, Deum illius auctorem docent. 27.c.1
Modus rei non variat ſubſtantiam. 165.c.2
Montes quorſum in orbe Deus condiderit. 46.c.2.a
Montes in orbe terrarum, ſicut naſus, ſupercilia, & coſtæ in humano corpore. 46.c.1.c
Montes vniuerſi elegantiæ & ornamenta. 46.c.1.c
Montes qui in orbe velut pernicioſos accuſat, in Libyæ, aut Boëtiæ planities relegandus. 46.c.2.b
Montes diuinæ picturæ ornamenta. 46.c.1.d
Montium in orbe quanta vtilitas. 46.c.2.a
Montium, ac planitiei varietas non caſui, aut fortunæ, ſed Dei conditoris arti adiudicanda. 46.c.1.d.e
Monſtra ipſa animata, emendata tamen, ac correcta natura reſurrectura Auguſtinus affirmat. 259.c
Morbi cauſa nonnunquam eſt ipſa Dei vindicta. 47.c.2.c
Morborum cauſas non ratio, ſed vſus temporum miniſtrat. 47.c.1.c
Morborum ſemina non à fortuna, ſed à natura. 47.col.2.a

Morborum

Digitized by Google

Morborum multitudo, ac varietas hominem ſuæ imbecillitatis admonet. 47.c.2.b
Morborum cauſa non ſemper à natura, ſed interdum à Deo. 47.c.2.c
Mori animam ſuperſtite corpore, quomodo ſit intelligendum. 100.c.2
Mors quamuis plurima bona extinguat, plurimis quoque locum parat. 48.c.1.a
Mors res omnes ad ſua principia redire cogit. 47. col.2.d
Mors quod ab vno aufert, alteri tribuit. 47.c.2.e
Mors quia corruptio rerum, perpetua eſt naturæ propagatio. 48.c.1.a
Mors diuinæ prouidentiæ opus. 47.c.2.d
Mors ſecunda ex inferorum tormentis, velut morbis erumpit. 278.c.2
Mors ab aliis fugit, aliis inſperatò obuenit. 48.c.1.a
Mors nobiliſſimum animal naturæ malis exuit. 47. col.2.e
Mors nobiliores animos ad optimum finem perducit. 46.c.2.d
Mors ſecunda, vel ſpiritualis animæ naturam non deſtruit: ſed eam illi vitam adimit, quæ ex diuinæ gratiæ præſentia in eam emanat. 142.c.2
Mors à Dei prouidentia minimè excludenda. 47. col.2.d
Mors finem calamitatibus imponit. 47. c.2.d
Mortis fugam Chriſtum ſimulaſſe qui affirment. 167.d.2
Mortem metuentes animarum immortalitatem prædicant. 168.b.2
Mortem Diuina prouidentia ad totius vniuerſi bonum diſpenſat. 48.c.1.b
Mortalia peccata appellantur, quæ omnino à Deo ſeparant, & ad æternam mortem ducunt. 209.a
Mortuorum exequias à Petro commendatas refert Clemens eius diſcipulus, vtque pro iis fierent orationes, & eleemoſynæ. 224.d.2
Mortuorum nomine in Pſal. 113. Chryſoſtomus peccatores intelligit, qui licèt viuant vita naturæ, cùm tamen à gratia exciderint, morte peccati mortui ſunt. 279.d. Corpora mortuorum quæ in ſepulcris iacent, alij interpretantur. 279.ibid.a.2
Motor primus ex Ariſtotele per intellectum, ac voluntatem agit. 28.c.2
Motor primus ſecundùm Ariſtotelem neceſſariò ſemper mouet. 28.c.2
Motus nullus poteſt eſſe ſine cauſa. 53.c.2.e
Motus perpetuus eſt, vbi primus motor reperitur. 156. c. Eo ſublato, omnis alius motus tollitur, neq; quicquam in rerum natura mouetur. ibid.
Motus omnes à primo, ac maximo motu gubernantur. 33.c.1.d
Motus omnis tempore menſuratur. 28 c.2
Mulæ generandi cupido ineſſe nequit, quæ à natura generare prohibetur. 254.b.2
Mundus abſque creatore eſt velut magiſtratus abſque iudice. 35.c.2.e
Mundus carcer eſt, à quo iuſti petunt abſolui. 219. col.2.e
Mundus ſine Deo moderatore citharæ diſſonanti comparatus. 36.c.2.b
Mundus citharæ à Nazianzeno comparatus. 36. col.2.d
Mundus ante ſacras literas Dei teſtimonium. 25.c.2
Mundus ſi æternus ponatur, omnium virtutum ſtructura perit. 35.c.1.c
Mundus ab Ariſtotele æternus aſſeritur. 27.c.2
Mundus Diuinæ maieſtatis inſigne. 27.c.1
Mundus ſine Deo ſtare non poteſt. 36.c.1.d
Mundus inferior ita ſuperiori eſt contiguus ex Ariſtotele, vt inde omnis huius virtus gubernetur. 63.c.1.e
Mundus naui comparatur, in qua Deus eſt nauta. 51. col.1.d
Mundus quo iure in Dei poſſeſſionem cedat 32. col.1
Mundus quomodo à Deo dependeat, inter Ariſtotelicos controuerſia. 31.c.2
Mundus quare caſu, ac fortuitò ad Deum dirigi non poſſit. 32.c.1
Mundus nulla corporali locutione à Deo efformatus fuit. 113.c.2.b
Mundus à Deo non ab æterno, ſed in tempore creatus. 29.c.2
Mundus ſine opifice ſicut ſtatua ſine fabro eſſe non potuit. 20.c.2
Mundus aqueis vaporibus alitur iuxta Homerum. 21.c
Mundi ſeries immobilem illius factorem declarat. 20.c.2
Mundi conſtitutio ſine conditore eſſe non poteſt. 20.c.2
Mundi æternitas Plotino falsò à Proclo aſcripta. 21.c.2
Mundi æternitas Platoni à Proclo, & Simplicio falsò aſcripta. 21.c.2
Mundi artificium ipſo tacente Deum opificem clamat. 27.c.1
Mundi æternitas ex Ariſtotelis principiis deſtruitur. 32.c.1
Mundi æternitate via omnibus ſceleribus aperitur. 35.c.2.b
Mundi opificium immenſus codex in quo Deus addiſcitur. 15.c.2
Mundi æternitas, eſt impietas æterna. 35.c.2.b
Mundi æternitatem quæ incommoda ſequantur. 35. col.1.c
Mundi creatio fuit actio Dei tranſiens. 29.c.2
Mundum in Dei poteſtate eſſe quomodo probetur. 32.col.1
Mundum à Deo fabrefactum rationibus aſtruitur. 22.c.2
Mundum æternum qui aſtruunt, ipſum Deum eſſe ſentiunt. 36.c.1.a
Mundum quià Deo velut cauſa dependere affirmant, creatum aſſerunt. 32.c.2
Mundum propter ſolos ſapientes conditum eſſe, præclara antiquorum eſt ſententia. 80.c.1.b
Mundum qui factum negant, Dei prouidentiam tollunt. 35.c.2.d
Mundos tres eſſe ſapientiores ex antiquis quos cenſuerint. 102.d
Muſtella per aurem generat. 23.c.2
Mutatio nulla niſi in tempore. 30.c.1
Myſterium Trinitatis per ideam boni vtrumque, & veritatem, & mentem ex ſe proferentem apud Platonem poteſt intelligi. 186.b
Myſterium Diuinæ Trinitatis, & vnitatis eſt ineffabile. 295.d. Incarnationis, vbi nulla proportione infinita finitis copulantur. ibid. d. Baptiſmi, in quo corpore aqua abluto, anima à ſordibus expiatur. ibidem.

N

NARCISCI fabulâ ſummum bonum in pulcritudine conſtitutum Orpheus innuit. 276. col.2
Narium munus quod ſit. 26.c.2
Natalis quidam in Lotharingia ex Caluiniano Atheus. 11.c.2
Natura nulli tribuere poteſt eſſe à ſeipſo. 28.c.2
Natura animæ à corpore ſeparatæ ita ſpiritalis, & libera à corpore non eſt, vt nihil ab Angelorum ſpiritali natura diſtet. 296.c.d

Natura ſemper per aliquam formam operatur. 261.e
Natura ſemper ad melius tendit. 33.c.2.e
Natura non damnanda tametſi morbos pariat. 47. col.2.b
Natura cur tot morborum genera pariat. 47.c.2.a
Natura infinitum tempus repellit. 27.c.2
Natura à voluntate ſemota in idem ſemper nititur. 60.c.1.b
Natura cur infinitum refugiat. 27.c.2
Natura humana in Chriſto non fuit deſtituta proprio naturæ appetitu. 167.d.2
Natura rerum cur non poſſit eſſe ſempiterna. 28.c.2
Natura contra Atheiſtas pugnat. 17.c.2
Naturæ aliquid ſuperuacaneum impingere nefas eſt. 154.a.2
Naturæ lumen ad Dei cognitionem ſolum non ſufficit. 15.c.2
Naturæ vox in conſenſu omnium gentium ſpectanda. 159.a.2
Naturæ anticipatione Deum cognoſci, eſt naturali diſcurſu apprehendi. 17.c.1
Naturæ humanæ tum compoſitio, tum corruptio omnium morborum fons & origo. 47.c.2.a
Naturæ quæ præter intentionem accidunt, ſine Dei ſapientia non fiunt. 33.c.1.e
Naturæ ordo in nonnullis animalibus, non ſine Dei prouidentia mutatus. 23.c.2
Naturæ ordo harmoniæ comparatur. 41.c.1.e
Naturæ bonum excellentiſſimum eſt, eſſe ſemper. 154.b
Naturæ vox Dei maieſtatem prædicat. 19.c.2
Naturam qui excluſa mente dicit, nomen inane dicit. 33.c.1.d
Niceni Concilij decreta totus orbis ſumma reuerentia proſequutus eſt. 257.b.2
Nicolaus de Calabria quid de Gondeſaluo Hæretico aſſeruerit. 277.a.2
Notio, ac ſimilitudo quædam animo concepta idea vocatur. 185.b
Notum Dei eſt, quod naturali ingenio de Deo ſciri poteſt. 17.c.1
Nubes è mari vim aquarum quotidie hauriunt. 24. col.2

O

OBIECTVM voluntatis à natura conſtitutum eſt ipſum commune bonum. 159.e.2
Obiectorum inueſtigatio ad intellectum, non ad voluntatem pertinet. 194.c
Oculus voluntatis eſt intellectus. 194.d
Oleum quare cæteris liquoribus ſupereminet. 149.e
Opera perfecta ſunt aurum, argentum, lapides pretioſi, quibus pretioſam animæ domum conſtruimus. 219.d.2. Horum examinatio à filio facienda. 220.d.2
Opera perfecta iuſtorum ignis Purgatorij probatione quoad purgationem non egent. 221.e
Operatio ſequitur naturam formæ, & qualis ea ſit, indicat. 157.a
Operatio perfectior perfectiorem naturam declarat. 150.d.2
Opes, ac diuitiæ cùm per ſe non expetantur, ſummum bonum eſſe non poſſunt. 177.b.e
Omnia appetunt ſummum bonum naturale. 17.c.1
Omnia appetere ſummum bonum, quomodo intelligatur. 17.c.1
Omnis actio, & paſſio fit per contactum. 195.a
Oraculum Delphicum, quod ſui cognitionem inquirendam admonebat, cur magni apud ſapientes æſtimetur. 102.b.e
Oraculum Delphicum γνῶθι σεαυτὸν explicatur. 94. col.1.a.b
Orbis totius in rerum omnium Deo opifice aſſerendo conſenſus. 22.c.1
Orbis cœleſtis, quem beati incolunt, metaphoricè à Platone deſcriptus. 172.b.2
Orbis nulla pars inhabitabilis. 47.c.1.b
Orbis Mercurij ab orbe Veneris iuxta Aſtronomos connnectur. 107.c.2
Orbi Lunæ fabuloſè multa tribuit Plutarchus. 174. d.e.2
Orbes à ſeipſis non mouentur, cùm non ſint animati. 39.c.1.e
Orbes cœleſtes licèt contrariis motibus ferantur, in diuerſitate tamen ordinem ſeruant. 26.c.1
Ordo vniuerſi ſine diuino numine eſſe non poteſt. 36.c.2.e
Ordo vniuerſi fortunam ab vniuerſo expellit. 43. col.2.d
Ordo beatitudinis quomodo à Theologis deſcribatur. 195.c.d
Ordo rerum aliquem illius authorem eſſe indicat. 37. col.2.a
Ordo rerum in vniuerſo, quibus gradibus diſtinguatur. 37.c.1.c.d
Ordo vniuerſi citharæ, ac teſtudinis ſono comparatur. 36.c.2.a
Ordo rerum Dei ſapientiam declarat. 36.c.2.a
Ordo rerum Deum indicat. 20.c.2
Ordo, ſtatus, ac viciſſitudo rerum vim vnam ſupremámque potentiam docet. 25.c.2
Ordo rerum neceſſitatem expellit. 33.c.2.e
Ordo reſurrectionis non exiſtimandus eſt temporis, ſed dignitatis. 255.a
Ordo rerum mundi æternitatem fugat 21.c.2
Ordo in ventorum mutationibus præfixus ſummum aliquod principium indicat. 22.c.2
Ordinis rerum quatuor gradus, eſſe, vita, ſenſus, & intelligentia. 37.c.1.c
Origenes de venialibus peccatis agens, minuta, vel minima appellat. 210.c.d
Origenis error de animarum peccato antè in cœlo commiſſo, quàm in varia corpora detruderentur, tanquam in carceres, nullo fundamento nititur. 110.c. Ex cùius præcepti tranſgreſſione delictum commiſerint quæritur. ibid. Quare illud Scriptura non commemoret, cùm Luciferi, ac malorum Angelorum peccata non taceat. ibid.
Origenis teſtimonium pro igne inferni corporeo, non metaphorico. 289.a.b.2
Origeniſtæ corpora non eadem numero, ſed ſpecie tantùm reſurrectura docebant. 246.b. In ſexu virili omnes reſurrecturos etiam aſſerebant. ibid.e
Origo hominis è terra multis Scripturæ teſtimoniis probata. 97.e
Orpheus quid Iouis nomine intellexerit. 21.c
Orpheus piè de ſummo Deo ſenſit. 21.c
Orpheus Græcæ Theologiæ pater. 20.c.2
Orphei de rerum creatione teſtimonium. 21.c.1

P

PAGANI ſuperſtitioſè ſuper mortuorum ſepulcra cibos ſtatuebant, quaſi mortui corporalibus adhuc alimentis egerent, ac veſcerentur. 216.c
Pagnini ſententia de ſignificatione vocis שש refutatur. 214.a
Palmæ in manibus beatorum ſymbola ſunt beatitudinis qua fruuntur. 258.a.b
Parabola creditoris, ac debitoris differentiam peccatorum mortalium, & venialium aduerſus Hæreticos demonſtrat. 210.d.e
Paradiſi vox à Chaldæo פרדס deducta quid ſignificet. 234.c.2. Gloriam Dei indicat. 235.e
Paſſiuus intellectus cùm ab Ariſtotele vocatur corruptibilis,

ptibilis.vel de appetitu,vel de cogitatiua vi eſt intelligendum. 155.e
Paſtores impij quomodo animas interficiant. 142.e.a
Patres qui corpoream animam eſſe dixerunt,quo ſenſu ſint intelligendi.226.a.2. Hæreticos hoc loquendi modo decipiebant, qui rationalem animam diuinitatis portionem eſſe arbitrabantur. ibid.
Patres ante Chriſti aduentum in Limbo clauſi nullum dolorem patiebantur. 224.e
Patrum ſententia de Dei cognitione hominibus inſita. 10. e. a
D. Pauli locus 1. ad Timoth. *Qui ſolus habet immortalitatem*; quomodo exponendus. 141.e
D. Pauli locus 6. ad Rom. *peccati ſtipendia mors*, à Caluino doloſè contra peccatorum differantiam adducitur. 211.b.2
Pauo volucris inſolens, curioſa, & ſtudioſa formæ. 24.c. 1.
Pauonis natura explicatur. 24.c.1
Peccatum in Spiritum ſanctum à Theologis quale exiſtimetur. 217.b.2
Peccatum originale quo argumento à Pelagianis impetitum fuerit.117.c.1. b. Eiuſdem argumenti falſitas detegitur, & argumentum diſſoluitur. 118. col.2.a
Peccatum originale non ex copulæ libidine, neque ex fœditate ab Adæ carne in noſtra relicta, neque ex macula ex Adæ anima in noſtram animam profecta à nobis contrahi,declaratur. 117.c.1.c. Originale peccatum non à ſolo corpore, aut à ſola anima, ſed à toto homine contrahi exemplis illuſtratur. 118. c.1.b.c.d
Peccatum mortale eſſe infernum quinam ſenſerint. 272.e
Peccati culpa cùm obiectiuè infinita eſſet, infinitam etiam ſatisfactionem exigebat. 251.d
Peccata venialia Theologi nuncupant,quæ tametſi in ſe inordinatum habeant;ab vltimo tamen fine non auertunt, neque à Deo ſeparant. 209. a. Eccleſiæ oratione, ac ſuffragiis facile à Deo condonantur. ibidem.
Peccata, ac vitia ſub Dei decreto non cadunt,quia eorum nulla cauſa in Deo præceſſit. 75.e. 1.a
Peccata ad liberum hominis arbitrium declarandum valent. 49.c.2.b
Peccata quæ aliquando ſancti perpetrarunt, in Eccleſiæ vtilitatem cedunt. 51.c.1.a
Paccata quatenus à libera hominis voluntate manant, caſum, ac fatum confodiunt. 49.c.2.c
Peccatorum mortalium, ac venialium diſtinctio ex Platone colligitur. 206.c.d. a
de Peccatorum venialium,& mortalium diſtinctione. 208.209.210.per totum art.
Peccatorum expiato poſt hanc vitam ex morali Philoſophia probatur. 139. d.e
Peccans perpetuam impunitatem ſperare non debet. 49.c.1.d
Peccatores ad Deum conuerſi ſunt Diuinæ prouidentiæ, ac gloriæ corona. 51.c.1.a.b
Peccatores morum feritate Leonibus, ac Pardis comparantur. 51.c.1.b
Pecudum magis, quàm hominum eſt in voluptate felicitatem locare. 178.d.a
Perfectio ſumma beatitudinis in diuina vnitate conſiſtit.273.c. Plotini hac de re ſententia cum Euangelica doctrina conſentit. ibid.
Perfecti hominis vita, qua ad cœlum pergitur,eſt meditatio mortis. 172.a.2
Pelagianorum argumentum, quo peccatum originale oppugnabant. 117. col. 1. b. Pelagiani argumenti falſitas aperitur, ac argumentum diluitur. 118. col.1.a
Periander Corinthius ſummum hominis bonum in fortunæ bonis repoſuit. 176.c.2
Peripatetici ſummum bonum in proba actione ex virtute manante collocarunt. 177.a
Peripatetici doctrinam de reſurrectione ſuis placitis aduerſantem improbarunt,quòd Philoſophię contrariam animaduerterent, ac cum ſua fati neceſſitate, cùmque fortuna & caſu pugnare viderent. 245.d.2
Perpetuitatem pœnarum, quæ damnatis infliguntur, tribus exemplis Auguſtinus illuſtrat. 278.b
Perſarum Magi, ac Sacerdotes Ægyptij quare à mero, & carnibus abſtinerent. 160.d
Perſecutiones Tyrannorum Eccleſiæ martyres,ac confeſſores dederunt. 50.c.2.e
Petri liturgia pro animabus defunctorum. 124. b. c.2
Petrobruſiani Deum à nemine ante iudicium videri per eſſentiam aſſerebant. 233.e
Phauorini dictum; *Nihil in terris magnum præter hominem, nihil magnum in homine præter mentem & animum*, quò ſpectet. 102.a.2
Philo Platonem à mundi æternitate liberat. 21.c.2
Philo cum Platone à veritate Catholica aberrauit, quòd corporis formationem Angelis tribuerit. 105.e
Philoſophia vera nuſquam fidei repugnat. 148. e. a
Philoſophiam veram eam tantùm exiſtimabat Socrates, quæ ab omnibus cupiditatibus animum temperaret. 171.c.2
Philoſophi ex rerum contemplatione Deum cognouerunt. 15.c.1
Philoſophi vetuſtiſſimi ſolo naturæ lumine fieri animæ immortalitatem agnouerunt, & docuerunt. 137.d.e. Contrarium aſſerentes decreto Leonis X. in Concilio Lateranenſi damnantur. ibid.
Philoſophi antiquiores Gentilitio errori de Deorum pluralitate non fauerunt,neque animas in Deorum numerum aſciri arbitrati ſunt. 171.a.b.2
Philoſophi mundum intellectum quem appellent, quem cœleſtem, quem ſublunarem. 102.d
Philoſophi quo medio Deum immortalem eſſe concludant. 149.a.2
Philoſophi, qui ſatum animarum, atque originem à ſenſibus inueſtigarunt, infimo loco, ac numero ſunt habiti. 104.c.2
Philoſophi priſci cur tot tantiſque encomiis hominem exornarint. 102.b.c
Philoſophorum in rerum creatione aſſerenda conſenſus. 21.c.2
Philoſophorum error de æternitate mundi carpitur. 245.d.e.2
Philoſophorum ſectæ omnes in vnam Dei naturam conſenſerunt. 78.c.2.b
Philoſophorum priſcorum Religio quanta fuerit. 78. c.1.e.& c.2.a
Philoſophorum antiquorum conſenſus in vno rerum principio conſtituendo. 20.c.1
Philoſophorum ſententiæ de ſummo bono conſtituendo, tribus claſſibus continentur. 176.c.2
Philoſophis eſt conſuetum non nomina, ſed rem explicare. 186.e
Pietas omnis ab orbe fugatur cùm rerum primæua origo negatur. 35.c.2.a
Piorum,& impiorum corpora qua ratione in reſurrectione different. 264. a.2
Piſcium contemplatio Dei opificium oſtendit. 24. col.2
Plantis diuerſa virtus ineſt illis à Deo indita. 39.c.1.b
Plinius hæreſi Reſurrectionem neganti aſſenſit. 243.a.2
Plato Diuinæ prouidentiæ aſſertor, ac defenſor. 41. col.2.c

Plato

Plato nomen *idea* triplici modo vſurpat. 383.b
Plato per ideam boni lumen creari in loco viſibili, quid mouat, 186. a.b. Creatum gloriæ lumen attigiſſe veriſimile non eſt. ibid.
Plato à calumnia Procli,ac Simplicij à Plutarcho vindicatus. 21.c.a
Plato mundi creationis aſſertor. 21.c.a
Plato, ac cæteri inſigniores Philoſophi loca inſalubria domandi corporis gratiâ eligebant. 140.d
Plato,quid per minores Deos,quos cum ſummo Deo ſtatuit,velit innuere, explicatur. 87.c.a.d.e.& 88.a
Plato mundum per ſe corruptibilem aſſeruit, per potentiam Dei incorruptibilem. 34.c.1.b
Plato cæcam fortunam nullam rebus dominari ſenſit. 44.e.1.b
Plato qua ratione dixerit tempus eſſe imaginem æternitatis. 34 c.2.b
Plato mundum intelligibilem in idea æterna collocauit. 35.c.1.a
Platonis tempore iam lege ſancitum erat, vt anima immortalis, ac diuino iudicio ſiſtenda crederetur. 133.a. Errauit in eo quòd credidit nec plures, nec pauciores eſſe animas, quàm quæ hactenus creatæ ſunt. ibid. a. 2. Illius erroris origo ab altero errore fluxit, quo perpetuam rerum generationem aſſeruit. ibid.
Platonicæ, ſeu Tullianæ fabulæ defunctorum animas circa ſepulchra volutari diſſeminabant. 182.a.2
Plotinus de fine hominis opiniones ſeu enumerat. 176.a.2
Plotinus Dei prouidentiam cum Imperatoria maieſtate comparat. 41.e.2.c
Plotino quæ ratio perſuaſerit animos eſſe immortales. 158.e
Plotino falsò à Proclo mundi æternitas aſcripta. 21, col.2
Plutarchi ratio aduersùs Chryſippum pro mundi creatione. 21.c.1
Polonia Atheiſtarum ferax. 11.c.2
Politici huius temporis potiùs Athei, quàm politici nuncupandi. 9.c.a
Politicorum huius temporis nimia licentia. 9.c.a
Pomponatius impingens Ariſtoteli animæ mortalitatem, quibus locis vtatur. 136. a. b. a. Obiectioni reſpondetur. ibid.
Pœna damni, & pœna ſenſus apud inferos damnatorum animæ cruciantur. 199.b
Pœnarum damnatorum inæqualitas aduersùs eos probatur, qui per alligationem tantùm animas cruciari ab igne contendunt. 292.a
Pœnarum inferni æternitatem D.Hieronymus ex cap. 30. Iſaiæ optimè colligit. 278.a
Pœnitentia, ac perfecta coram Sacerdote confeſſione nullum non peccatum expiari valet. 217.a.b.a
Pœnitentia peccati non tam à ſenſu, quàm ab animo, & mente proficiſcitur. 164.c.a
Poëtæ licèt multa fabuloſa miſcuerint in inferorum deſcriptione, in eo tamen rectè ſenſerunt, quòd loca ſubterranea eſſe docuerunt, 186.c.a
Poëtarum conſenſus in Dei natura prædicanda. 78. col. a.b
Poſitiua eſt pœna inferni, non priuatiua. 292.c.d.a
Potentia materialis non poteſt inter ſingulare, & vniuerſale differentiam ſtatuere, illa inter ſe comparare, diuidere, ac definire. 108.d
Potentia rationalis non agit niſi propter finem. 193.e.a
Potentia eſt duplex in corporalibus ſubſtantiis; vna quidem ad eſſe, altera ad non eſſe. 151.b.a
Potentia ad non eſſe manat ex materia, quæ eſt mobilis ad omnes formas, 151.d.a
Potentiis omnibus commune eſt ab aliquo obiecto moueri. 193.d.a
Practicus intellectus ſingularia verſans, vtitur ſimulachris ſenſibilium. 166.d.a
Practicus intellectus ad actum voluntatis ordinatus ſummum bonum conſequitur. 191.e.2
Prædeſtinatio, ac illius media ſub Dei decreto comprehenduntur. 73.c.1 b
Præexiſtentia animarum fabulę inſtar à Methodio exiſtimatur.220.d.2.luſum appellat Nazianzenus.ibid.
Præmij capax non eſt niſi libera potentia. 191.a.2
Præſcientia diuina rebus nullam neceſſitatem infert. 75. c.1. b. Id Scripturarum oraculis ac rationibus illuſtratur. ibidem. c. d. e. & c.2. per totam, & 76. Voluntatem humanam non tollit, ſed ſtatuit, dum voluntate homines peccaturos præſcit. ibid. e. Libertatem in vtramque partem homini non adimit, cùm voluntatem integram relinquit, ac liberam præſcit. ibidem. e.a.a. b.c. Si ea rebus præſcitis neceſſitatem imponeret, futuras quoque Dei actiones neceſſitati ſubiiceret. ibidem. d.e. & 76. c.1.a. Neminem peccare cogit, quamuis peccaturum præſciat. 76.c.1.c.d
Præſcientiam Dei eſſe certam,& infallibilem Scripturarum teſtimoniis demonſtratur. 74. c.2.a. Hoc ipſum rationibus confirmatur. ibid. b.c.d.e. Idem Patrum auctoritatibus aſſeritur. ibidem. e. & 75. c.1.a. Idipſum negare ex Auguſtino eſt aperiſſima inſania.74. c.2. b. Dubiam præſcientiam Deo affingere, eſt potiorem illius excellentiam conuellere. ibid.c.d
Præſcientia Dei eſt cauſa rerum,vt habet coniunctam voluntatem. 77.c.a.b
Præterito tempore cur vtatur Dauid Pſalm. 48. *Sicut oues in inferno poſiti ſunt.* 278.c
Præteritorum peccatorum, non futurorum ſupplicia punitionem notant. 232.c.d.a
Principium eſt de eſſentia,ac intrinſecum illi,cuius eſt principium. 195.c.a
Principium mouendi ſibi innatū habet anima. 123.a.2
Principium vitæ eſt anima, nec aliunde viuendi initium habet. 150.d.a
Principio carentia, aut finitæ naturæ terminos excedentia animus comprehendere non valet. 354.d.a
Principia communia ſunt per ſe nobis nota. 13.c.2
Principia rerum ab Ariſtotele conſtituta mundi æternitatem euellunt. 32.c.1
Priuatio viſionis Dei obiectiuè maior, aut minor eſſe non poteſt, ſubiectiuè tamen in aliquibus poteſt. 292. c. Maculæ peccatorum reſpondet, & mente tantùm participatur. ibid. Quò maior eſt in anima peccatorum macula, ac perfectior Dei cognitio, eò & priuationis pœna eſt acerbior.ibid.d. In pœna poſitiua ſenſus id locum habent non poteſt. ibid.
Probatio operum eſt duplex, per purgationem,& manifeſtationem. 222.a.2
Proborum, & improborum ſtatus poſt mortem à Triſmegiſto explicatur. 170.b.c.d.e
Proborum duo genera diſtinguuntur. 205.d.e
Proclus à Ioanne Philopono ob mundi æternitatem impugnatus. 34.c.2.e
Proclus falsò Platonem pro mundi æternitate citat, 34.c.1.b
Procli argumentatio pro mundi æternitate inepta. 34. c.1.a
Promethei vultur, Belidum vrnæ, Ixionis rota, &c. licèt fabuloſa ſint, demonſtrant tamen ex diuinæ iuſtitiæ lege ſingulis vitiis propria reſpondere ſupplicia. 271.b
Propagatione ſola homines aſſequi ſempiternitatem dum dicit Ariſtoteles, non ſpectat animæ immortalitatem, ſed quandam familiarum perpetuitatem. 135.c.a

Prophetarum teſtimonia de igne æterno Patres non metaphoricè tractant. 289.b.2

Propoſitio nobis nota quæ ſit ſecundùm D. Thomam, & Scotum. 14.c.1

Propoſitio, ex eo quòd res eſt, aut non eſt, dicitur eſſe vera, vel falſa, de præſenti, aut præterito tempore id intelligendum eſt, non autem de futuro. 57.c.2.e

Propoſitio per ſe nota duplicem ad nos reſpectum habet. 13.c.2

Propoſitio illa. Omne quod eſt, quandiu eſt, neceſſe eſt eſſe, quo pacto intelligenda ſit. 56.c.2.a

Propoſitionis per ſe notæ à propoſitione nobis per ſe non nota diſcrimen ſecundùm D. Thomam. 13.c.2

Propoſitiones in materia contingenti, quæ futurum tempus exprimunt, non ita ſunt veræ, quin poſſint eſſe falſæ: neque ita falſæ, quin poſſint eſſe veræ. 57.c.2.b

Propoſitiones quædam in materia neceſſaria, quædam in contingenti. 57.c.2.a

Propoſitiones ſeu enunciationes contingentes, quæ fortuitas cauſas habent, non ſemper neceſſariò veræ fuerunt, aut falſæ, cùm aliter ſe habere potuerint. 57.c.1.d

Prouidentia in arborum ſemine, radice, cortice, foliis latet. 42.c.1.c.d

Prouidentia quid bruta animantia doceat. 42.c.2.a

Prouidentia generationis appetitum animantibus tribuit. 42.c.1.e

Prouidentia rebus omnibus proprias naturas, motus ac propenſiones miniſtrat. 41.c.2.b.e

Prouidentia res omnes ad proprios fines ducit. 42.c.2.e

Prouidentia in orbe ſicut ſanitas in animali. 42.c.1.a

Prouidentia amica Deo. 42.c.1.a

Prouidentia ars vniuerſi ex Tullio. 42.c.1.b

Prouidentia in mundo ſicut nauta in nauigio. 42.c.1.b

Prouidentia à rebus ſecluſa, rerum adminiſtratio perit. 42.c.1.b

Prouidentia naturæ mens. 42.c.1.d

Prouidentia rerum inter ſe differentium ad proprios fines eſt ordinatio. 46.c.1.b

Prouidentia quid ſit iuxta D. Thomam & Boetium. 46.c.1.b

Prouidentia à Plotino cum imperatoria maieſtate comparata. 41.c.2.e

Prouidentia rebus indita Deum eſſe declarat ex Triſmegiſto. 41.c.2.b

Prouidentia ſapientibus eſt, quam ignari fortunam vocant. 45.c.1.e

Prouidentia rationibus perſuadetur. 45.c.1.d

Prouidentia Diuina vniuerſalia, & ſingularia amplectitur. 41.c.2.b

Prouidentiæ vniuerſa rerum euenta ſubiacent. 45.c.2.b

Prouidentiæ exempla nonnulla attinguntur. 42.c.1.e

Prouidentiam negantibus non ratione, ſed virga opus eſt. 43.c.1.e

Prouidentiam non eſſe eorum, quæ ſunt in nobis, cùm Nyſſenus ait, quomodo intelligendus. 73.c.1.d

Prudentij teſtimonium de inferno corporeo. 283.c.2. 284.a

Pulchritudo corporis magis ſpectatores, quàm poſſidentem oblectat. 178.c.d.2

Pulmonis mollities fouet cordis vigorem. 26.c.2

Punctum lucidum cur appelletur anima à quibuſdam Philoſophis. 104.d

Purgatorium ex Rabbinis probatur. 213.a.b.c.d.e.2

Purgatorium antiquiſſima naturæ voce cognitum. 205.c.2

Purgatorij veritas potiſſimùm ex diſtinctione venialium, ac mortalium peccatorum adſtruitur. 207.c.2

Purgatorius ignis eſt, per quem ij qui ligna, fœnum, ſtipulam fidei ſuperædificarunt, ſalui eſſe poſſunt. 221.c.2

Pythagoræ ſophiſtæ liber publicè ab Athenienſibus combuſtus, in quo dubitabatur; an Deus eſſet. 13.c.1.& 17.c.2

Pythagorici Philoſophi qua ratione libidinem domarent. 160.d

Pythagorici, ac Platonici tranſmigrationem animarum docent, ne animarum multitudinem fateri cogantur. 130.a. Eam impugnant Peripatetici omnes. ibid.b. Iudæis olim in pretio fuit, qui credebant animas patrum labi rurſus in filios. ibid. Reſponderunt Chriſto diſcipuli ex eorum ſententia, alios dicere eum eſſe Ioannem Baptiſtam, alios Heliam, alios verò Hieremiam, aut vnum ex Prophetis. ibid.

Q

Q*Vadrantis* nomine plerique è Patribus vniuerſum pœnæ poſt mortem exoluendæ debitum intelligunt. 217.a.b. *Carcerem* exponunt, ipſum Purgatorij locum. ibid. *Tortorem*, ignem purgatorium. ibid. *Iudicem*, Chriſtum. ibid. *Aduerſarium*, Dei legem. ibid. *Viam*, huius vitæ curſum. ibid. *Conſenſum*, legis obſeruantiam, vel pœnitentiam. ibid.

Qualitate aliquid purius eſſe animam quidam arbitrati ſint. 104.d

Qualitates contrariæ, quæ ſe mutuò expellunt, non idcirco ſunt immortales. 153.c

R

RAbbinorum teſtimonia pro Purgatorio multa, & illuſtria citantur. 228.b.c.d.e

Raptis à corporeis ſenſibus pœnarum loca ſæpe demonſtrata ſunt. 284.a

Ratio exuta virtute peſſima. 35.c.2.a

Ratio naturalis Dei cognitionem abundè ſubminiſtrat. 16.c.2

Ratio diuinum quiddam in homine eſt. 127.d.2

Rationalis anima ex ſemine cum corpore non procreatur; ſed à Deo infunditur. 99.c.d

Rationalis appetitus effecta inter ipſos Ethnicos quæ fuerint. 168.b

Receptum omne recipientis modo accommodandum. 156.b

Rectus corporis humani ſtatus ad cœlùm vergens demonſtrat nihil eſſe homini cum terra, ac cæteris animantibus commune. 158.c.2

Reditus animarum ad animam vniuerſi, ex Pythagoræ ſententia, quomodo à Steucho ab errore vindicetur. 131.a

Religio vera Deum auctorem habet. 6.c.1

Religio vera nunquam ſuis ſymbolis deſtituta; quibus à ſectis diſcerneretur. 5.c.2

Religio vera ſua ſymbola habet, quibus ab Hæreticorum ſectis diſcernitur. 5.c.2

Religio vera eſt demonſtrabilis per ſymbola, velut per proprietates ab ea inſeparabiles. 4.c.2

Religionem quidam ex Chriſtiana, Iudaica, Mahometica, Lutherana, Caluiniana mixtam propoſuit. 12.c.1.

Religionum, ac ſectarum antiquarum varietas creditæ diuinitatis eſt teſtimonium. 78.c.2.b.c

Remiſſio culpæ ſemper remiſſionem pœnæ comitatur. 218.b

Reparatio ſecundùm ſubſtantiam, & reparatio ſecundùm accidens quomodo differant. 261.d

Reprobis poſt vniuerſale Iudicium ignis tantùm æternus relinquendus. 221.c.2

Reſolutio phyſica ſi ad nihilum pertingeret, breui rerum naturæ perirent. 151.d

Reſurrectio Chriſti eſt cauſa tum exemplaris, tum efficiens vniuerſalis Reſurrectionis omniũ. 249 d.2

Reſurrectio carnis præcipuè inter fidei ſymbola colitur.

tat. 147.b.d
Reſurrectionis fides Eccleſiæ totius conſenſu comprobata. 255.c.256. per totum art.
Reſurrectionem duplicē quomodo ex Baptiſmo adipiſcimur. 251.b.c.a
Res quælibet eſt in potentia ad non eſſe proprium, cùm omnibus ſubiter materia ad omnes formas indifferens. 151.c.2
Res intellecta, & intellectus intelligens vnum fiunt. 156.b
Res nulla habet neceſſarium eſſe, ſed tantùm contingens. 56.c.2.b
Res omnes inuicem ſubordinatæ ac colligatæ. 39.c.1.e
Res quomodo à ſe eſſe non poſſint. 39.c.1.d
Res à ſe eſſe, quibus rationibus impugnetur. 39.c.1.d.e
Res conditæ Dei maieſtatem prædicant. 16.c.2
Res tantùm habere de Diuinitate, quantùm habent de æternitate, quomodo ſit intelligendum. 154.c
Res omnes antegreſſis vel externis, vel internis cauſis fiunt. i. vel à natura, vel à voluntate. 56.c.2.d.e
Res omnes quodam perfectionis genere inter ſe diſtractæ. 48.c.1.c
Rerum viſibilium contemplatio de Deo certiores reddit. 19.c.2
Rerum ordo Deum velut digito demonſtrat. 20.c.2
Rerum duo genera, ſenſibilium & intelligibilium. 80.c.1.c.d
Rerum duplex datur corruptio; quædam in qua nihil corrupti remanet; altera, in qua non totum, ſed aliquid tantùm eſſe deperditur. 260.d.e.d
Rerum priuationes formis omnibus priores. 37.c.2.d
Rerum vniuerſitas Diuinæ maieſtatis inſtrumentum. 36.c.2.b
Rerum reparatio per generationem. 32.c.2
in Rerum creatione Diuina vis ac potentia elucet. 36.c.1.e
Rerum principia ab Ariſtotele conſtituta mundi æternitatem deſtruunt. 31.c.1
Rerum admirabili adminiſtratione gentes Barbaræ ad Dei cognitionem adductæ. 41.c.1.a.b
Rerum vniuerſitas Diuinæ cognitionis apertus codex. 19.c.2
Rerum multiplicatio inſtar Moyſis à Trimegiſto tradita. 20.c.1
Rerū perfectio propria in vnaquaque ſpecie. 38.c.2.e
Rerum neceſſitas cum ordine pugnat. 33.c.2.b
Rerum harmonia ab vno Deo gubernatore fluit. 39.c.2.a
Rerum creatio Diuinam omnipotentiam teſtatur. 36.c.1.e
Rerum ſubordinatio ad vnum hominem reſpicit. 39.c.1.e

S

SAcerdotes olim ex inſignioribus Philoſophis electi, ac in ſummo honore habiti. 78.c.2.e
Sacerdotium Chriſti altari comparatum ab Iſaia. 4.c.1
Sacramentum Euchariſtiæ Altare Domini dictum ab Iſaia. 4.c.1
Sacramento Euchariſtico accidentia non inhærent corpori Chriſti, & tamen corpus Chriſti ſub iis continetur. 295.a
Sadducæorum error reſurrectionem mortuorum negantium confoditur. 99.c.2
Sæculum duplex eſt, in quo peccata remitti poſſunt, præſens & futurum. 217. a. 2. In præſenti ſæculo pœnitentia peccata delentur. ibid. In futuro per expurgationem ignis purgatorij. ibid.
Sal Agrigentinus in igne fluit, & in aqua crepitat. 278.b
Salis loco quinam animam ponant. 97.c
Sanctorum gloriam in diem vſque iudicij differri Bernardus an ſentiat. 233.c.2
Sanctorum ſtolæ, quo ſenſu dicantur Agni ſanguine dealbatæ. 238.c.d
Sanctorum animas non in Paradiſum, à quo Adam eiectus eſt, ſed in ſinum Abrahæ deportari Iudæi credunt. 214.c.d.2
Sanctorum peccata in Eccleſiæ vtilitatem ceſſerunt. 50.c.2.e
Sanctos ante thronum Dei ſtare, eſt per clarum Diuinitatis aſpectum Dei maieſtatem intueri. 237.c.2
Sanguis iecoris ope miniſtratur. 27.c.1
Sanguis velut fluuius totam humani corporis terram rigat. 26.c.2
Sapientis dictum Prouerb.24. *Septies in die cadet iuſtus, & reſurget*, de quo peccatorum genere intelligendum. 208.d.a
Sapientum in aſſignando ſummo bono quantùm inter ſe ſententia diſſenſerint. 177.a.b
Sapientiæ ratio in diſcernendis bonis, & malis ſita eſt. 49.c.2.a
Sapientiæ opus eſt bona appetere ad vtilitatem, mala reiicere ad ſalutem. 49.c.2.b
Sardanapali Epitaphium eius ſepulchro inſculptum, quodnam ſit. 162.c.2
Satisfactionem pœnæ qua ratione Caluinus oppugnet. 231.b.c. Duplex ſtatuitur, culpæ, & pœnæ. ibid. Vtramque quare non ſuſtulit Chriſtus. ibid.d
Saturni ſydus Aſtronomis perfidum, pertinax, dolos, proditiones, malignitates moliens. 64.c.1.a
Saturni Sacerdotes ſeſe excarnificabant. 178.e
Scarabęi ex fimo boum progeniti. 23.c.a
Scheol apud Hebræos ſignificatio. 214.a
Scientiam ex præexiſtente cognitione fieri, & intelligentem neceſſariò phantaſmata ſpeculari, quo ſenſu Ariſtoteles tradat. 166.a.2
Scientiarum principia, quæ ſunt æternæ veritatis, ab intellectu generantur. 158.a
Scorpius ex ocimo aliquando exortus. 25.c.2
Scoti rationes, quibus felicitatem in actu voluntatis reponit, exprimuntur. 189.b.c.d
Scoti & D. Thomæ controuerſia, an Deum eſſe ſit per ſe notum, conciliatur. 14.c.2
Scriptura ſacra, quæ fidei neceſſaria ſunt, non tropicè, ſed manifeſtè tradit. 287.e. 2. Obſcuris manifeſta ſubnectit, & quæ ſub ænigmate dixerat, aperta voce profert. 288 a
Scriptura ſacra pleraque ſub cortice literæ abſcondit, in quibus latentia myſteria potiùs, quàm ipſa litera attendenda ſunt. 85.c.2
Scriptura quæ loca ſuſcipiendis animalibus idonea commemoret. 281.a.b.c.2
Scripturæ cùm damnatis corporeas pœnas adſcribunt, ab hæreticorum metaphoris eas vindicant. 296.b.2
Scripturæ vera Religione poſteriores. 6.c.1
Scripturæ veritas quomodo defendatur, cùm beatis animabus pleraque deſerit, que corporis ſenſuum oblectamentis reſpondere ſolent. 296.a.b.a
Scripturarum authoritatem non ſatis tuentur, qui dicunt animas damnatorum ab igne inferni ſola detentione torqueri. 290.c.2
Scripturarum interpreti quæ potiſſimùm ratio ineunda. 297.b
Scriptorum profanorum primus eſt Mercurius Trimegiſtus. 206.a
Sectæ omnes veræ Religionis faciem oſtentant. 3.c.2
Seminum admirabilis germinandi modus. 23.c.1
Seminum germinatio Dei ſapientiſſimi opus. 23.c.1
Seneca de animorum beatitudine Chriſtianæ veritati conſentaneè potiùs, quàm Philoſophicæ ſentit. 175.b.c
Seneca quid de nimia fœlicitate ſentiendum velit. 48.c.2.b

Seneca quid calamitates eſſe ſenſerit. 48.c.2.b
Senibus ratio, ac mentis vigor eò magis illoſtratur, quò magis animus corporeis ſeoſibus deſtitutus ad diuinorum contemplationem ſe transfert. 151.b
Senſus pœnam Theologi qualem ioterpreterentur. 299.a.b.2. Ab animabus ſentitur ſiue io ſenſitiua, ſiue in intellectiua, aut memoratiua parte ſit. ibid. Vnicum tantùm bonom ab anima aufert. ibid.
Seoſus ipſe de Deo fert teſtimonium. 19.c.1
Seoſus pœnarum in damnatis noo differunt niſi ſecundùm quid. 291.b.2
Senſibus ſubiecta ſine phantaſmate non poteſt animus percipere. 166.e
Senſitiua, ac vegetatiua animæ rationalis pars quodammodo com corpore oritur, & occidit. 137.c.2. Oritur cùm corpus informat; occidit cùm informare deſinit. ibid.
Senſitiua vis, qoam priùs io ſenſibus exercebat, animæ etiam poſt diſſolutionem remanet. 293.a.2
Separatio animæ à materia magis illius operationem, ac conſequenter eſſe perficit. 150.d.2
Sepulturæ officij dū memioerūt Patres, ſemper preces, ac ſoffragia pro mortuis adhibenda adiongūt. 227.e
Sexus varietatem nullam in cœlo futuram Origeniſtarom, ac Armeootom error fuit. 246.c
Sibyllini verſus à Clemente Romano pro corporum Reſurrectione citantur. 244.c.d.2
Simeon quomodo probat Purgatorium. 213.e
Similitudo, & æqualitas idem oon ſunt. 298.d. Similitudo ad qualitatem, æqualitas ad qoantitatem pertinet. ibid.
Similitudo in operatione arguit ſimilitodinem in ſubſtantia. 155.e.2
Similitudo patrum, & filiorum tantùm in corpore, non in animo exiſtit. 163.d.2
Simon Magus Reſurrectiooem iam eſſe factam exiſtimauit. 243.e
Simplicia non diſſolui; ſed tantùm compoſita docent Philoſophi. 150.d.2
Simplicius mundi æternitatis aſſertor. 34.c.2.e
Simplicij argumentum pro mundi æternitate vanum. 34.c.2.d
Simulachrum diuinæ immortalitatis, animæ immortalitas eo agnoſcitur, quòd ab ea velut à prototypo fouetur, ac cooſeruatur. 141.c.2
Sinus Abrahæ feliciſſimum vitæ geous deſignat. 143.c
Sitenij ſententia de radice contingentiæ confutatur. 72.c.2.c.d.e & 73.c.1.a.b.e
Sixtus Pōtifex quo argumēto Purgatoriū probet. 219.b
Sixtus Senenſis Oogenem ab errore de temporalitate pœnarum damnatorum liberat. 227.d
Socrates de vita beata, beatiſque quid ſenſerit. 177.c.2
Sol iogentis Gigantis inſtar cœli plagas percurrit. 26.c.1
Sol Creatoris maieſtatem vbique circunfert. 26.c.1
Sol Heliotropij, & Scorpioni flores ab ortu ad occaſum ſecum vertit. 61.c.2.d
Solis, Lunæ, ſyderum creatio à Trimegiſto deſcripta. 20.e.1
Solis calor ad hominum vtilitatem à Deo temperatus. 26.c.1
Solis curſus, vtilitas, ac perpetua vertigo ad eum, qoi Solis opifex eſt, referri debent. 26.c.1
Soli anima quomodo comparetor, vita diei, mors nocti. 146.d.a
Sol cùm anni tempora diſcernit, Dei ſapientiam rebus dominantem oſtendit. 26.c.1
Solem cùm vides, illius auctorem conſidera. 26.e.1
Spatium ac profunditas cùm inferno conueoiant, metaphoricus & ſpiritualis eſſe non poteſt. 285.c.2
Species iotelligibiles rerum recipit animus, quas abſtrahit à materia. 155.e.2. Incorrupubiles ſuot, quia eſſe ſpirituale, & incorporeum in animo ſibi comparant. 156.a
Speculatiuos intellectus præciſo voluntatis actu, ac imperio, naturaliter ac oeceſſariò operatur. 191.c
Spiracolum de quo dicitur Geneſ.2. *Et inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*, pro diuioo ſpiritu vſurpari non debet, quaſi is in homine viuat. 113.c.1.d. Halitum, ac flatum duntaxat ſignificare ex ipſa Hebraica voce declaratur, quę eſt נשמה à נשם quod eſt, *Anhelare*. ibid.
Spiraculum ſeu halitus Dei, qoo hominis anima condita fuit, quid ſignificet, declaratur. 113.c.2.a.b.c.d. Noo fuiſſe corporis vel oris halitum probatur. ibid. col.1.e.& 2.b.c. Eo præſtantiſſima animæ rationalis conditio annuitur. ibid.e
Spiritus acceptio quæ ſit in illo Geneſ.6. *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum.* 121.d.2
Spiritus ſancti ignis eſt ad perfectionem, non ad caſtigationem. 221.a
Spiritus non deſioit eſſe ſpiritus, ſi qualitatem ſenſibilem recipiat. 294.b.2
Spiritui ſancto nuſquam in Scripturis tam particulare coiuſque iudicium, quàm omoiom vniuerſale adſcribitur. 220.e.2
Statua ſine artifice, ita mundus ſine Deo opifice eſſe non potuit. 20.c.2
Stipendium peccati venialis eſt infirmitas tantummodò, noo mors. 211.e.2. Puſtulis, ac ſcabiei ab Auguſtino comparatur. 212.a
Stolæ albæ animarum gloriam inſinuant. 237.e
Stoici animæ immortalitatem oon docuerunt. 131.d. Poſt corpora tamen multis ſæculis permanere dixeront, tandem poſtea extingui. ibid.a.a
Stoici, & Epicurei cùm nulla ratione probare poſſeot, à priuatione ad habitom aliqoaodo regreſſum fieri, corporom Reſurrectionem damnarunt. 243.e.2
Stoici ſummum bonum ia virtutibus poſuerunt. 177.a
Stoicorum doctrinam de paritate peccatorum Hieroaymus impugnat. 210.a.2
Subiecti immaterialitas viam diuinæ omnipotentiæ noo præcludit. 294.c.2
Subſtantiam eſſe animam negaotes, ſed vim duotaxat vitæ quæ ex ſpiritu arteriæ, aut pulmonis agitatione ducitur, eſſe aſſerentes, intellectiuæ, ac rationalis animæ naturam omnem deſtruont. 97.b.e
Subſtaotiam animæ eſſe incorpoream vnde colligatur. 98.a.2
Subſtantiæ corporeæ duplici potentia conſtant. 151.b.2
Subſtantias aliquas abſtractas, & à corpore ſeparatas dari Philoſophorum teſtimoniis demoſtratur. 88. per totum art.
Suffragiorum pro defunctis inſtitutum ab Apoſtolis manauit. 224.d.2
Summum delictum eſt Deom nolle agnoſcere. 18.c.1
Supplicia omnia damnatis io malum cedunt, ita vt ſi fieri poſſet iis peiores efficereotur. 292.a.2
Suprà & infrà corporei loci differentiæ. 285.a
Sydera malefica qui ſtatuunt, ipſarum malignitatis cauſas in ſuum tranſmittūt factorem. 59.c.2.e. Nullam fatalem virtutem à natura acceperunt. 60.c.1.a. Earum virtutem ab icto puncti pendere Aſtrologi fingunt. ibid.d
Sydera ex mutua coniunctione, vel diſiunctione agunt ex ſententia Aſtronomorum. 59.c.1.c
Sydera ex Philoſophorum ſententia tantùm agunt per lucem, & motum. 62.c.2.b
Sydera in ſublunaria tantùm corpora influere nonnullis rationibus demonſtratur. 62.c.1.c.d
Syderum influxus an dentur, Philoſophorum, & Aſtronomorum altercatio. 62.c.2.a
Syderom influxus Philoſophi præſertim antiquiores nullos eſſe putant. 62.c.2.a
Syderum influxus à Philoſophorum cenſura vindica-

nit 63.2. Eundem Ariſtoteles in medicinis ſumendis adhibet. ibid. b. Is & ab Hippocrate traditur obſeruandus ad morborum euaſionem. ibid.
Syderum vis ſi naturalis eſſet, eodem modo ſemper ſe haberet ad omnia. 60. c. 1. b. & c. 2. b. eam ab ictu puncti non pendere euincit D. Gregorius exemplo Eſau & Iacob. ibidem c. 2. a. eadem ex diuerſo rerum euentu refellitur. ibidem b. c. id quoque Auguſtinus præclarè feminis exemplo expungit. ibidem c. d
Syderũ conditori fatum minimè adſcribendũ eſt, quo vel ad bona, vel ad mala inuiti trahamur. 59. c. 2. e
Syderum fatalitatem Ambroſius variis argumentis refellit. 59. col. 2. d
Syderibus præter lucem, & motum, ſingulares influxus ineſſe cenſet Auguſtinus, ac plerique Theologi. 62. c. 2. b. c. Eoſdem probant multę rerum experientiæ. ibidem d. e
Syderibus cùm propria in hæc inferiora actio non competat, nullum quoque fatum ineſt. 59. c. 2. b
Symbola veræ Religionis quid ſint. 4. col. 1
Symbolorum alia extrinſeca, alia intrinſeca. 4. c. 2

T

TAlpæ ex terra carnem ſumunt. 23. c. 2
Talpę videndi appetitus eſſe non poteſt, quæ à natura habet, vt non videat. 154. b. a
Tantalea ſitis inexplebilis cupiditatis ſymbolum. 177. e
Tellus aratris diſſipata nunquam minor, aut deterior. 23. c. 1
Tempus ex æternitatis vtero ſimul cum mundo genitum. 35. c. 1. e
Tempus tempori additum perpetuitatem, non æternitatem temporis indicat. 28. c. 2
Tempus aut poſt cœlum, aut cum cœlo natum. 28. c. 2
Tempus nullum extra mundum. 30. c. 1
Tempus quare ſempiternum eſſe non poſſit. 28. c. 2
Tempus æternum aſſerere, eſt contradictoria de eodem affirmare. 28. c. a
Tempus præteritum licèt irreuocabile ſit, ab animo tamen reuocatur. 149. d. 2
Tẽpus menſura motus ſecũdũ prius, & poſterius. 28. c. 2
Temporis definitio. 149. c. 2
Temporis infinitas cauſarũ infinitatẽ comitatur. 27. c. 2
Temporis initium eſt primum inſtans. 29. c. 1
Terra vna cur tot diuerſas ſubſtantias gignat. 28. c. 2
Terra eſt centrum cœli, iuxta Aſtronomos. 287. b
Terra admirabile Dei opificium. 23. c. 1
Terra per ſe fixa & immobilis. 23. c. 1
Terræ ſpecies varia, & multiplex Diuinum opificium oſtendit. 23. c. 1
Terræ ſtabilitas, ac varia illius forma Deum opificem declarat. 23. c. 1
Terræ ingens pondus ſola Dei voluntate, non alio regitur. 23. c. 1
Terræ ſuperficies non mortuorum, ſed viuorum locus eſt. 282. a. 2
Terram ſuper aquas immotam conſiſtere diuinæ virtutis opus. 25. c. 1
Tertulliani argumenta, quibus Hæreticorum rationes proſternit, qui ante corpus animam damnatorum in inferis non torqueri ſibi perſuadent. 281. c. d. e. a
Tertullianus animam aſſerens tenui corpore conſtare, arguitur. 125. e. a
Tertulliani exemplum de ſenſu Diuinitatis omnibus indito. 18. c. 1
Thales Mileſius vnus ex Gręciæ ſapientibus. 21. e
Thales Mileſius Ionicæ Philoſophiæ pater. 21. e
Thales Deum mentem eſſe docuit, cuncta ex aqua effingentem. 21. e
Thales aquam cur rerum principium ſtatuerit. 21. c
Theologi quatuor dotibus, quibus Beatorum corpora exornantur, concludunt. 267. e
Theologi quot modis Deum cunctis rebus ineſſe doceant. 121. d. 2
Theologorũ de ſummo bono variæ ſentẽtiæ. 187. d. e. 2
Theologis, & Philoſophis placet duplicem hominis partem ex loco Moyſis Geneſ. 2. contemplandam proponere. 140. a. 2
Theophraſti de mundo à Deo condito ſententia. 32. c. 2
Theſes Anabaptiſtarum Cracouiæ impreſſæ immortalitatem animarum negant. 140. a
Thomas quibus rationibus in actu intellectus beatitudinem collocet. 188. c. d
Thnetopſychitæ animas hominum inſtar pecudum vnà cum corporibus interire affirmarunt. 139. d. 2. Arabicis quibuſdam in hac hæreſi ſucceſſerunt. ibid. Hermannus Kiſuuich eam apud Holandos ſuſcitauit; & Lutherus apud Germanos. ibid.
Tobiæ locum cap. 4. *Panem tuum, & vinum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue*, Auguſtinus de fundendis ad Deum pro defunctis precibus exponit. 216. a. 2
Tophet quid ſit. 285. c. d. Pro inferno quare ſumatur. ibid. *Gehenna* etiam nomen cur acceperit. ibid.
Trabis nomine in Euangelio peccata mortalia deſignantur. 108. b. 2
Transformationis gratia ex perfecta Dei charitate oritur. 171. b. a. Ex ſimilitudine eam oriri placet Philoſophis. ibid.
Trimegiſtus cur hominem γηγενῆ appellarit. 97. d
Trimegiſtus ex rerum ordine docet Deum agnoſcere. 41. c. 2. a
Trimegiſtus ex humani corporis ſtructura Deum opificem colligit. 39. c. 2. e
Trimegiſti pulchra humani corporis deſcriptio. 39. c. 2
Trimegiſti pia laudis ad Deum effuſio. 40. c. 2. d
Trinitatis myſterium à Platone inſinuatum. 186. b
Triplex ſubſtantiale præmium Sanctis collatum vnde colligamus. 238. d. e
Triumphantium poſt tergum admonitio; *Reſpice poſt te, hominem te eſſe memento*, cum admonitione Eccleſiæ, cùm in capite ieiunij fidelium capita cinere aſpergens, ait: *Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuerteris*; bellè conſonat. 97. a. 2
Tullij teſtimoniũ de Dei notitia omnibus inſita. 18. c. 1
Tullij ratio de Dei notitia ex rerum contemplatione haurienda. 19. c. 2
Tullium quæ ratio mouerit, vt animam immortalem eſſe ſibi perſuaderet. 155. b
Turcæ in ſuorum funere lautum Sacerdotibus conuiuium inſtruunt, vbi dictis priùs pro anima defuncti precibus, epulantur. 230. c

V

VAllis filiorum Ennon excelſum habebat, in quo Moloch Iudæi filios immolabant. 285. e
Vegetatiua, ac ſenſitiua facultas animę ſecundùm quid interit. 165. b
Vegetatiua, ac ſenſitiua anima in plantis, ac brutis intereunt, eò quòd cum elementis coniunctæ ſint, & ab eis oriantur. 105. b. 2
Venialium peccatorum aſſertio vnde probetur. 208. b
Ventorum flans plurima orbi bona peperit. 47. c. 1. a
Ventorum ſpecies enumerantur. 22. c. 2
Ventorum ſpecies quonam quæque ordine dominentur. 22. c. a
Ventorum mutationibus præfixus ordo ſupremum auctorem indicat. 22. c. 2
Vermis, & ignis diſtinctio in inferno, metaphoram omnem excludunt. 289. a
Verus Scripturæ ſenſus agnoſcitur, qui Hæreticorum ſenſui eſt oppoſitus. 297. b
Verbum otioſum cùm culpa non vacet, ad ſui ſolutionem pœnam exigit. 219. b
Veſpæ ex equineis carnibus genitæ. 23. c. 2
Viperæ ex cineribus oriuntur. 23. c. 2
B. Virgo an naturâ peccare potuerit, cùm naturam

Digitized by Google

peccato obnoxiam haberet. 141.a.2
Viſibilium contemplatio Deum eſſe monet. 19.c.2
Viſio Dei totius beatitudinis eſt origo, quæ beatitudinem in totã animã introducit.195.a.2. Eã inter ſubſtantialia præmia Theologi connumerant. ibid.b.2
Viſio tanquam præmium ſuccedit fidei merito. 191.c
Viſio animæ per lumen gloriæ contingit. 186.a
Viſionis quæ eſt in via,& viſionis quæ eſt in patria diſtinctio. 191.c.d
Virtus Dei non eſt neganda propterea quòd ineffabilis hominibus videatur. 295.d
Virtus diſperſa magis minuitur. 149.e
Virtus per mala probatur,& conſtat. 49.c.1.c
Virtus finita non poteſt tribuere primum eſſe, quod ſequitur non eſſe. 28.c.2
Virtus finita agendo primum eſſe ſupponit. 28.c.2
Virtus finita nulli rei tribuere poteſt, quòd ſit à ſeipſa. 28.c.2
Virtutes morales in appetitu verſantur. 109.c.1.a
Virtutũ moraliũ ex effectibus earũ definitiones. ibid.a
Virtutibus tam ſpeculatiuis, quàm morabilibus nihil ineſt corporeum. ibid b
Virtutes tam ſpeculatiuæ, quàm morales (cùm inter ſe indiuiſibiliter ſe habeant) ſunt omnino indiuiſibiles. ibid.e
Virtutes eſſe indiuiſibiles,ex eo quòd intellectus infinita definire non poteſt,probatur. ibidem.e
Virtutum ſubiectum eſſe animam,quæ ſunt formæ indiuiſibiles,aduersùs Atheiſtas quid efficiat. 108.d.2
Virtutum duo ſunt genera; quædam in intellectu,quæ ſpeculatiuæ dicuntur; aliæ in appetitu,quæ morales vocantur. 108.c.2.109.a
Vita æterna ſtatus beatitudinis nuncupatur. 143.c
Vita cùm per ſe ſit anima, aut eſſentia ſemper viuens, ſemper eſt immortalis. 153.a.2
Vita æterna,quoties in Scripturis memoratur,eſſentialem beatitudinem denotat. 195.c.2
Vitæ bene actæ iucunda eſt in hora mortis recordatio. 168.a.2
Vitam beatam omnibus ſæculis poſt hanc vitam prædicauêre Philoſophi. 170.a
Vitia,ac cupiditates belluinum animũ efficiunt. 16.c.1
Vitiis inquinatam animam quidam deprehendentes, immortalem non cenſuerunt. 134.b.2
Viuentium mater cur terra dicatur. 103.a
Viuentium ſacrificia,orationes,& ieiunia defunctis nihil prodeſſe primùm Arriani docuerunt.205.a.Eius hæreſis ſucceſſores enumerantur. ibid.
Vniuerſum quatuor rerũ ordinibus cõtinetur. 37.c.1.b
Vniuerſum vrbs ingens in qua Deus Gubernator ſedet. 41.c.1.d
Vniuerſales prout ſunt ſpecies intelligibiles, eatenus incorruptibiles exiſtunt. 156.b.c
Vniuerſitas rerum immenſum quoddam Diuinæ ſapientiæ inſtrumentum. 36.c.2.b
Vniuerſitas rerum liber in quo Deus addiſcitur. 19.c.2
Vniuerſitas rerum Dei liber eſt omnium oculis explicatus. 78.c.1.a
Vnumquodque naturale agens intra ſphæram ſui generis tantùm agit,neque vltra præſcriptos terminos quicquam operari poteſt. 107.a
Volucrum natura multiplex, ac varia Deum conditorem prædicat. 24.c.1
Voluntas diuina cœli inſtar agit.73.c 2.d.quędam potentia, alia ſuauitate regit, omnibus tamen dominatur. ibid. b. c. quopacto liberis hominum actionibus præſideat, explicatur. ibidem.d.e.Eidem glorioſius eſt liberas res ſuaniter ad ſe attrahere,quàm cæteras poteſtate ſibi ſubiicere. ibidem. e.& 74. c.1.a. Humanas voluntates cur ſibi ſubiectas eſſe voluerit,declaratur. ibidem 74.c.1.b
Voluntas Dei, tametſi efficax, nullam rebus contingentiam,aut hominibus libertatem adimit. 71. c.1. c.d. & 72. c. 1.a. b. Cùm abſoluta eſt, ſemper impletur.ibidem d.Illius decreta ſunt,quæcunque cõtingenter,ac efficienter fiunt.ibidem e.& c.2.a.Hominum peccata non decernit,quia non ex efficiente,ſed deficiente cauſa fluunt.ibidem. Illius prædefinitio ad omnia ſe extendit, quæ illius efficientia attingit. ibid.a. b. Liberas hominum actiones miro modo ſibi ſubiicit.ibidem b.c.Per creaturæ voluntatem,qua fit,quod Creator non vult, implet ipſa, quod vult. ibid.c. Præter eius voluntatem non fit, quod contra Dei voluntatem mali faciunt. ibid.d
Voluntas humana Diuinæ prouidentiæ legi eſt ſubiecta.74. c.1.c.Sua inobedientia, qua contra Dei voluntatem nititur,eidem prorſus ſubiicitur.ibid.c.d. Diuinam voluntatem quo pacto ſemper impleat, exemplis illuſtratur. ibid.d.e
Voluntas ad ignotum bonum non fertur. 194.b
Voluntatis actus tantùm ſunt velle, & nolle, non videre,aut cognoſcere. 194.c
Voluntas à cæteris potentiis diſtat,quòd ad omnia obiecta libera ſit. 194.a
Voluntas humana adeò libera eſt,vt neque à Deo cogi poſſit. 72.c.1.b
Voluntas ſui actus perfectionem magis,quàm intellectus appetit. 196.d.2
Voluntas,& intellectus ferè in omnibus ſe habent ſicut excedentia,& exceſſa. 197.a
Voluntas Diuina totius contingentiæ eſt radix ex ſententia D.Thomæ.72.c.1.e.Rebus non tantùm eſſe, ſed etiam modum eſſendi decernit.ibid.Efficit effectum contingentem, quia contingentem cauſam illi tribuit. ibid. c.2.a. Ioſephum magnum in Ægypto fore decreuit contingenter. ibid.
Voluntatis natura in patria non eſt alia, quàm priùs fuit in via. 194.d.2.195.b
Voluntatis non eſt obiecta inueſtigare;ſed oblata tantùm aut amplecti,aut reſpuere. 194.c
Voluntatis diuinæ decretum cum rerum contingentia,ac hominis libertate non pugnare exemplo demonſtratur. 73.c.1.c.& col.2.a.b.c
Voluntatis diuinæ cum rerũ contingentia, ac humana libertate concordia, arduũ eſt fidei Chriſtianæ myſterium.72.c.1. e. Theologorũ ſententiæ circa hanc concordiã recenſentur.ibid.d.e.& c. 2. per totũ. art.
Voluntatis primum, ac proprium obiectum eſt ipſum ſummum bonum in vniuerſaliſſima ſui ratione ſumptum. 193.a
Voluntatis intima, atque eſſentialis perfectio eſt charitas. 192.c.a
Voluntate,non natura mouet ſe animus ad agendum, ac propterea liberè agit. 159.d.2
Voluptates,& animi vitia Dei notitiam obruũt. 18.c.2
Voragines ſubterraneæ ex terræ motibus, vel fluminum curſu. 185.e
Vox illa D.Pauli, *deſideriũ habẽs diſſolui,& eſſe cum Chriſto*,ex penetralibus appetitus rationalis erupit. 168.a
Vox Archangeli quomodo vox Chriſti à Ioanne dicatur. 254.b.a

X

XEnocrates numerum dicens eſſe animam ſe ipſum mouentem, non intellexit materialem illum numerum quo Arithmetici, ac mercatores vtuntur. 123.c
Xenocrates, vt incendia libidinis extingueret, ſibi virilia exuſſit. 160.d
Xenophanes ex aqua,& terra commiſtam animam eſſe opinatus eſt. 104.c
Xenodochia à Turcis quare inſtituta. 230.c

Z

Zenonis dictum facetum,quo fatum irriſit. 54. c.2. d.e

INDEX
RERVM ET VERBORVM,
QVÆ IN SECVNDO DEMONSTRATIONVM SYMBOLORVM CONTRA Iudæos libro continentur.

In quo prior numerus ad paginam remittit, litera locum denotat: vbi cum litera numerus additur, columnam ſecundam indicat.

A

Aaronicvm Sacerdotium qua ratione Sacerdotium Meſſiæ figuraret. 73.a

Abraham iuramentum à ſeruo exigens, cur manum femori imponi popoſcit. 177.b

Abraham vidit Domini diem intellectu, & fide. 177.a

Abraham myſtico ſenſu eſt nubes illa lucida quæ prima die creata eſt, ex qua Sol fuit formatus. 176.d.2. Religionis primus author fuit. ibid. Primus cum quo Dei Angeli familiariſſimè ſunt verſati. ibid.

Abrahæ quid impingant Hebræi dum quærunt quæ ſint illa munera, quæ diſtribuit filus concubinarum. 199.b.e

Abrahæ ſtirpis duodecim fuêre tribus, ex totidem Iacob Patriarchæ filiis exortæ. 148.d.a

Abſtracta nomina quare Deo potiùs, quàm concreta adſcribantur. 69.d.a

Actus intellectus natura prior eſt, poſterior verò actus voluntatis. 16.b.a

Adam cùm primùm à Deo creatus eſt, admirabili rerum omnium naturalium cognitione inſtructiſſimus fuit. 5.d.e

ab Adam vſque ad diluuium Hebræi quot annos numerent. 176.a.b.a

Adam ex deliciarum horto quare ſtatim poſt peccatum fuerit eiectus. 7.d

Adæ nuditas pateſacta oſtendit vniuerſa gratiæ dona in eundem lapſum eſſe inuoluta. ibid.

Adæ peccatum non tam obiectiuè, quàm etiam extenſiuè fuit infinitum. 59.a.2

Aduentus Meſſiæ eò ſpectabat, vt Euangelium annuntiaret, & diuinæ beneuolentiæ tempora, ſimul & vindictæ hominibus promulgaret. 158.b.c.a

Aduentus Meſſiæ duplici de cauſa fuit neceſſarius. 63.d

Ægyptiorum trina illa acclamatio, qua Deum rerum omnium principium, quem tenebram appellabant, proſequebantur, quò ſpectaret. 87.a

Ægyptiorum ſimulachra Chriſto naſcente omnia corruerunt. 125.c

Agnus animal manſuetiſſimum, olim ſacrificiis dicatus, innocentiæ ſymbolum eſt. 68. e. Humanam Meſſiæ naturam indicat, non tantùm à culpa alienam: ſed & pro hominum culpa Deo ſacrificandam. ibid.

Agni immaculati merita hominibus condonata, veſtes pelliceæ, quibus Adam, & Eua fuêre contecti, myſticè deſignarunt. 56.b

Agrippa in Iudæa regnãte ſurrexit quidam Ægyptius, qui ſe Meſſiam profitebatur. 173.a

Ambroſius Arrianos confutat negantes verba illa ad Filium dirigi, *Faciamus hominem ad imaginem noſtram.* 90.b.c. Iudæos etiam ea Angelis tribuentes. ibid.

Amelij illuſtris Platonici doctrina de myſterio Trinitatis terminorum tantùm vſurpatione à Catholica diſſidet. 82.e

Angelo *Pele* nomen aliquando tributum, quando Dei perſonam gereret. 41.a

Angeli Dei cooperatores dicuntur, quòd ad finem operis à Deo propoſiti aſſequendum, miniſterium ſuum exhibent. 91.b. e.2. Eorum miniſterio ad ſalutem hominum à ſe intentam vtitur. ibid.

Angeli ad rerum creationem cum Deo non concurrerunt. 89.c.d.2

Angeli, & intelligentiæ, quæ ratione, & intellectu pollent, quarto creaturarum ordini aſcribuntur. 77.b

Angelorum, & hominum beatitudo ad diuinæ potiùs bonitatis teſtimonium declarandum pertinet, quàm quòd ex ea aliquam ſibi beatitudinem acquirat. 99.d.e.a

Angelorum alij ſunt ſuperiores, alij inferiores, qui ab illis ſapientiam, & intelligentiam accipiunt, dum eos ſupernis illuſtrationibus imbuunt. 83.d

Anima, quæ tota procreatur à Deo, atque in ea prioritate naturæ, qua corpus antecedit, ab omni proſſus infectione, ac peccati labe immunis eſt, aliquam labem, aut maculam corpori inurere nequit. 16.b

Anima intellectiua, quam Græci *νοῦν* appellant, voce Hebræa *niſchmath* potiſſimùm deſignatur: ſenſitiua verò, qua edimus, mouemur, & alia vitæ munera exercemus, voce *nephes.* 47.a.2

Animæ & corporis mortem homini Deus ſimul comminatus eſt. 6.e.7.e.2

ex Annali Hebræorum computatione demonſtratur Ieſum Chriſtum in quarto millenario natũ. 176.a.2

Annorum numerum à vaticinio Iſaiæ vſque ad Meſſiæ aduentum in voce *lemarbe* includi vnde nonnulli exiſtiment. 135.c.a

Annorum hebdomades in magnis duntaxat, ac grauiſſimis rebus locum habere ſolent. 120.c

Antiquiores Hebræi duplicem in lege intelligentiam conſtituunt, *dabar caton,* & *dabar gadol.* 104.b

Antiochus ſimul ac in Dei maieſtatem iniurius eſſe cœpit, & contra Dei leges Iudæos agere compulit, mox à vermibus corroſus, & miſerè inter dolores extinctus eſt. 172.e

Antonino Conſuli Romano expoſitionem illius loci Prouerb. 30. *Viam viri in adoleſcentula;* poſtulanti Rab. Haccados quid reſponderit. 66.a.b.c

Aquæ fons Romæ in oleum mutatus, per totum diem quo Chriſtus natus eſt, in Tyberim fluxit. 145.c

Arca, Propitiatorium, & Cherubim ſingulare Templi

Salomonici ornamentum. 122.a.2
Argumentum Iudæorum, quo ab indignitate poſſibilitatem Incarnationis oppugnāt, diſſoluitur. 18.a.b
Argumentum Hebræorum, quo contendunt probare Chriſtum verum Meſſiam non fuiſſe, ob id quòd à Synagoga agnitus, atque exceptus non fuerit, diluitur. 189.d.2
Armeniæ maioris termini montes Caſpij. 138. b. 2. In illis fabulantur Iudæi Meſſiam expectare Dei mandatum, quo tempore illinc ad Iſraëlitici populi liberationem egredi debeat. ibid.
Aſſumpſionis opus ad omnes Trinitatis perſonas indiuiſè pertinet. 74.b
Aſtronomorum calculo quinquies milleſimum quingenteſimum, ac ſeptuageſimum quartum orbis annum attigimus. 136. b. Ex Hebræorum ſupputatione fluxerunt ab orbe condito 5248. anni. ibid.c
Athronges ouium paſtor libertatem populo Hebraico pollicebatur. 173.a
Attributa vnius naturæ propter ſuppoſiti vnitatem alteri naturæ communicari poſſunt. 27.d.a
Auguſtus Cæſar Romam ingrediens repentè liquido cælo circulum in Iridis ſpeciem Solem ambiiſſe aſpexit paulo ante Meſſiæ natiuitatem. 124.d.2
Auri, ac cæterorum munerum oblatio, quæ Reges Orientis Chriſto nato obtulêre, eò ſpectabat, vt Meſſiam ſummum eſſe orbis Monarcham agnoſcerent. 154.a
Authoritas, & imperium primæ perſonæ Trinitatis tribuitur, non quidem abſolutè, ſed attributiuè. 84.c.a
Authores Paraphraſis Chaldaicæ quinam fuerint. 50.d.2

B

BAbylonicæ captiuitatis tempore ſceptrum de domo Iuda planè non fuit ablatum. 113.d
Barbara ſiqua eſt adhuc natio, ad quam Chriſti nomen non peruenerit, ea tandem ad ipſius etiam gremium accurret. 140.e
Barcozbas ſe Chriſtum profeſſus eſt, eique maior pars Rabbinorum aſſentiri viſa eſt. 173.b
Baſilius Iudæum Chriſtum agnoſcentem cum tota familia baptizat. 180.2
Beatitudo diuina extra ſe non integrè, & perfectè creaturis communicata fuit. 99.e.2
Bethida, Naara, & *Haghalma* quomodo apud Hebræos differant. 38.c
Boni nomine commune fuit priſcis Philoſophis primam Trinitatis perſonam; *Mentis*, ſecundam, *Animæ*, tertiam nuncupare. 81.e.2.82.a
Boni natura ea eſt, vt ſemper extra ſeipſum fluat, ac ſe aliis communicet. 98.d
Brachij nomine in Scripturis verbum Dei intelligitur, tanquam virtus Dei rerum omnium operatrix. 75.b
Bruta, atque animalia, quæ præter eſſe, vitam, & ſenſum acceperunt, in tertio creaturarum ordine numerantur. 77.b
Bariah ſcetorah cur myſticum Legis ſenſum veteres Hebræi appellent. 104.c

C

CAbalam quid vocitent Hebræi. 104.d.2
Cabaliſtæ ex literis nominis יהוה quid colligant. 96.b.2
Cabaliſtica via quomodo ex literis ſuis, quarum ſingulæ numeri vice funguntur, exquirant Hebræi tempus aduentus Meſſiæ. 136.c.d.e
Caietani expoſitio ad locum illum, *pluit Dominus à Domino*. 92.c.2
Calcidius non eſt accuſandus quòd Patrem ſummum, ac ineffabilem Deum rerum originem dixerit, à quo cęteris omnibus quę ſunt, ſubſtantia miniſtratur. 84.e
Catholici nonnulli Doctores ſex millenaria duntaxat mundi durationi aſſignant. 176. b. Quibus rationibus nitantur. ibid.
Catholici qua ſupputatione vtantur ab Adam vſque ad Chriſti natiuitatem. 176.b.c.2
Cauſæ ſecundæ non magis in eo quòd ſunt, quàm in eo quòd cauſæ ſunt, à prima cauſa pendent. 99.d.e
Chaldæorum Imperium ſub Nino Beli filio inchoatum, ſub Balthazare deſijt. 117.c.a
Chaldæus Paraphraſtes publicè in Synagogis exponitur. 57.a
Chariſmatum plenitudo ſoli Meſſiæ propria. 158.d
Chriſtus cur Dei primogenitus vocetur in multis fratribus. 76.c
Chriſtus aſpectantibus pluſquàm quingentis viris in cœlum aſcendit. 171.b.2
Chriſtus re ipſa vocatus fuit Emmanuel, nuncupatione autem Ieſus. 69.a. Ratio redditur cur Ieſus nuncupatus ſit, non Emanuel. ibid.
Chriſtus ea ratione verus Meſſias agnitus, quòd à Synagoga non fuerit receptus. 188.b.a
Chriſti aduentus duplex; in carne humilis; alter ad Iudicium Regia maieſtate ſplendens. 191.b.a
Chriſti generationem æternam deſignant verba illa Pſal. 109. *Ante Luciferum genuite*. 36.c
Chriſti duplex natiuitas per *egreſſum*, & *accenſionem* diſtinctè explicatur. 31.e.a
de Chriſti Sacerdotio. 73.a.b.c
Chriſtianos Iudæorum Rabbini à ſe poſſe interfici ſine peccato aſſeuerant. 197.a.a
Circuncìſio cur in Hebræo populo tantùm inſtituta. 133.b
Circuncìſio primò, & per ſe ob culpæ originalis remedium non eſt inſtituta. 129.b.a
Circuncìſio cur tantùm in genitali membro, non in aliis membris perficeretur. 129.d
Circuncìſio primum fuit externum fidei ſignum à Deo inſtitutum. 129.a
Cœli nomine Pſaltes Pſal. 33. ſub cœlo contenta complectitur. 94.a
Commentum Iudæorum de concurſu Angelorum in rerum creatione à Baſilio refellitur. 89.e. a. 90.a.b
Comminatio Dei, *morte morieris*, quo ſenſu exponenda. 6.a.b.a
Compoſitio nulla datur in vnione hypoſtatica. 26.c.d. Scholaſticorum nonnulli quam dicunt compoſitionem, ea nec propria, nec vera eſt, ex qua Diuinæ naturæ ſimplicitatem minui contingat. ibid.e
Communicatio, quæ cum naturarum multiplicatione fit, qualis in creaturis reperitur, Deo noſtro congruit. 100.b
Concilium Sanhedrim omnia quæ ad Religionem, legiſque controuerſias pertinebant, decernebat. 113. d. 2. Vſque ad Chriſtum integrum permanſit. ibid.
Concilium Spalenſe teſtimonium Iſaiæ cap. 45. de duplici natura Meſſiæ explicat. 67.c.a
Concilij Chalcedonenſis pronuntiatum de naturarum vnione in vnica Verbi perſona. 28.e
Conſubſtantialitas Filij cum Patre, & Spiritu ſancto vnde colligatur. 72.a.2
Conſtantinus Romanus Imperator, orbiſque Monarcha ſuſcepto Baptiſmo diuinitùs à lepra mundatus, mox ſeipſum, ac Romanum Imperium Chriſto ſubiecit, ac ſummum Pontificem, velut Chriſti Vicarium venerari cœpit. 117.e.a
Cōtagium originis per corpus in animam minimè deriuatur, neque contrà per animam in corpus transfunditur. 16.a

Corpus ſecundùm ſe ſumptum nec peccat, nec peccati capax exiſtit, antequam rationali anima perficiatur. 16.a

Corpus trinam habet dimenſionem, qua vnum conſtituitur. 102.d

Corpus & anima ſimul, nõn ſeorſim peccati originalis labem contrahunt. 16.b

Corporis nuditatem quo pacto poſt lapſum tantùm agnouiſſe dicantur primi parentes. 5.a

Creaturarum ordo quadruplex ita à Deo in principio conſtitutus eſt, vt primus ſimplici eſſe conſtet: ſecundus vitam ac vegetationem habentia complectatur: tertius eorum ſit quæ ſenſum, atque animationem ſibi vendicant: quartus ea contineat, quæ intellectu, ac ratione prædita ſunt. 77.a.b

Culpæ triplex infinitas in homine diſtinguitur. 21.d.2

Cyrus, & Darius poſt ſeptuaginta annos Iudæos patriæ reſtituunt. 178.c

Cyro *Iuſti* nomen non conuenit, qui cultor idolorum ſemper fuit. 43.a

D

DAMNATIONIS æternæ pœna per deletionem è populo denotatur. 56.b.2

Damaſcenus qua ratione diuinam, & humanam naturam in *Meſſia* nomine incluſam colligat. 73.a.2

Danielis hebdomades ex Iudæorum ſententia vix ſecundam euerſionem templi attingunt. 152.c.2

Decretum Dei de homine lapſo reparando ante omne tempus fuit. 16.a.2

Deus tribus digitis molem terræ appendiſſe dicitur, vt diuina Trinitas indicetur, quæ indiuiſibiliter diuiſa, & diuiſibiliter indiuiſè orbem condidit. 102.b.2

Deus ipſe, & non alius cur Adæ, & vxori eius pelliceas tunicas parauit. 56.c

Deus quare hominem poſt cætera omnia crearit. 19.d

Deus non alia ratione Deus appellatur, niſi quia Deitatis natura, quæ in Deo altiſſimè elucet, Deum ipſum nominat. 69.e

Dei nomina omnia ab effectibus deriuata, præter vnum *Iehouah*. 48.e

Dei propria menſura eſt æternitas. 45.a

Dei ſpiritum, qui Synagogæ aderat, in Simeone iuſto magni Hillelis diſcipulo defuiſſe Thamuldiſtæ conſentiunt. 158.a.2

Dei, & Angelorum imago vna eſſe non poteſt, quandoquidem infinitis gradibus natura inter ſe diſtant. 89.d.a

Dei verbum non tantùm eſt intellectiuum; ſed etiam operatiuum rerum. 74.d.2

Dei promiſſiones in aduentu Meſſiæ complendæ, eos tantùm ſpectabant, qui Meſſiam recepturi eſſent, eique obtemperaturi, ſiue ex Iudæis, ſiue ex Gentibus. 141.b.c.2

Deum, non Angelum, aut hominem redimendi genus humanum munus ſuſcepiſſe myſticè per verba Moyſis; *Fecit quoque Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas*; inſinuatur. 56.d

Deo nihil indignum adſcribitur ex vnione hypoſtatica, tametſi propter eam Deus homo dicatur. 28.e

Deo nihil eſt impoſſibile niſi quod maieſtatem ipſius minuit. 99.e

Deorum pluralitatem ſtatuere priſcis Philoſophis propoſitum non fuit, cùm vnicam ſubſtantiam tantùm eſſe agnouerint. 82.e. Tres mentes, tres Reges, tres Opifices dum ponunt; omnes ipſum eſſe participare affirmant. ibid.

Deorum nuncupatione, quam priſci vſurpabant ne à vulgo diſcerperentur, Angelos intelligebant, quos in intellectos, & intelligentes diſtinguebant. 83.c

Deitas licèt tribus perſonis communicetur, ipſa tamen vna, ſimplex, ac indiuidua manet; nec in perſonas diſpertitur; ſed prorſus ſibi ipſi coniuncta, & indiuiſibilis, tota apud omnes reſidet. 83.b.2

Deliria Iudæorum refelluntur, quibus inquiunt Meſſiam ad tempus latere; quadringentis quidem annis in profundis Oceani, octingentis apud filios Chore, octuaginta ad fores Romanas. 138.a.2

Delphica Sibylla tempore Boos apud Hebræos, ac Lapitharum, & Centaurorum belli tempeſtate in Theſſalia floruit. 152.a.b.2

Denarius numerus omnium numerorum ſummus eſt, omnis ſiquidem numerus denarij, vel partium eius eſt repetitio. 175.d.a

Dependens, & independens diuina natura propter aſſumptæ carnis ſacramentum dici nullo modo poteſt. 27.b.c.2. Propter naturarum diuerſitatem, quas vnica verbi ſubſiſtentia complectitur, ſiquis dicat, nullam implicat contradictionem. ibid.

Diaboli caput, quod à femine mulieris conterendum dicitur, myſticè eſt intelligendum. 55.b.2

Dies quartus quo formatus eſt Sol, qua ratione temporum plenitudo dicatur. 175.d.a

Dies Sabbathi in diem Dominicum ex Apoſtolorum inſtitutione commutatus. 193.b

Dierum hebdomades, non annorum, paſſim in rebus communibus vſurpantur. 120.c

Dion quæ prodigia accidiſſe cùm Chriſtus natus eſt, recenſeat. 125.c

Diſtantia infinita, quæ eſt inter Deum, & naturam humanam non potuit impedire, quominùs Deus humanam naturam ſibi ſubſtantialiter vnire potuerit. 35.b

Diuerſitas rerum, quæ de vno Chriſto prædicatur, non ab vna ipſius perſona manat; ſed à diuerſarum naturarum coniunctione in vno Verbi ſuppoſito, ac mutua idiomatum vtriuſque naturæ communicatione oritur. 27.c.2

Diuinitatis ac maieſtatis Meſſiæ radij quo pacto hominibus temperati. 177.a.a

Diuina natura non ita vna ſtatuenda eſt, vt omnino infœcunda, ac ſolitaria ſit, ſed cum vnitate, etiam admittenda perſonarum fœcunditas, ac diſtinctio. 10.e

Diuina Verbi perſona per myſterium Incarnationis nullum genus, ac differentiam ſuſcepit, neque accidentium capax vllo modo facta eſt. 27.b.2

Diuinum eſt ſignum, in quo diuina aliqua virtus oſtenditur. 39.b

Doctores Hebræi, nec non Catholici, quibus cum Gentibus res erat præcipua, cur illam obſeruationem Scripturæ in vocibus *Bara Elohim*, prætermiſerint. 88.d.e

Doctores Hebræi *figmentum malum, fomitem*, ac *peccatum originale* pro eodem vſurpant. 21.d.e. Septem etiam aliis nominibus nuncupant. ibid.

Doctores nonnulli ex Emoraim, & Gaon Meſſiæ aduentus terminos elapſos affirmant. 121.c

Duo diſparata ſimul vniri ſimpliciter non eſt impoſſibile. 35.a.2

Duos Seraphim apud Iſaiam nonnulli duo teſtamenta interpretantur, quæ in Trinitatis fidem conſpirant. 93.a.2

Durationi orbis quod tempus ab Hebræis præſcribatur. 176.b

E

EFFVGIVM Iudæorum, quo ſibi confingunt Meſſiam ob ſua ipſorum ſcelera non veniſſe, eliditur.

Digitized by Google

eliditur. 136.a.2
Eglon Rex Moab ſecunda captiuitate populum Iudaicum oppreſſit. 178.a
Electorum quies ſeptimo orbis millenario iuxta nonnullos futura. 176.b
Elohim ex veterum Hebræorũ ſententia ſemper multitudinis numero fungitur. 88.c.d.2
Emmanuëlis etymon. 68.c.2
Emmanuel diuinam ſimul & humanã Meſſię naturam exprimit. 39.c.2. de huius nominis interpretatione nulla inter Chriſtianos, & Iudæos eſt controuerſia. ibid. Subſtantiuum tantùm eſt, non appellatiuum nomen. ibid.
Enſes commutandi in vomeres, & lanceæ in falces tempore Meſſiæ quo ſenſu intelligantur. 41.d.e
Errore vario circa Meſſiæ acceptionem Hebræi quidam recentiores ducuntur. 119.a.2
Eſdras vetus Teſtamentum à Chaldæis exuſtum diuino ſpiritu reparauit. 160.b
Eſſentia diuina in tribus perſonis eſt indiuiſa. 93.e.2
Eſſentia incarnati Verbi à ſua exiſtentia non differt, ſi perſonam ſpectes. 27.b.2
Eutyches refutatur quòd diuinam, & humanam naturam ita poſt vnionem in Chriſto mixtas, ac confuſas fuiſſe ſenſerit, vt ex his vna tantùm natura conflaretur. 28.c.d
Exempla quædam quibus increata illa Trinitas, & vnitas demonſtratur. 102.a.b.c.2
Explicatio loci Apocalyp. cap. 5. *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem.* 72.c
Expoſitio Rab. Haccados ad Prouerb. 30. à calumniis iuniorum Iudæorum vindicatur. 66.d.e

F

FAbula cõficta à Iudæis de recta nominis יהוה pronunciatione. 157.c.2
Familiæ Dauid cur apud Iſaiam ſignum tantùm, non etiam aliis fuerit promiſſum. 37.c.2
Faſciculus mirrhæ, quem ſponſa prædicat in Cantico Canticorum, qualis intelligendus. 155.c.2
Figmentum Iudæorum de ſeptem ante mundum creatum conditis vanum, & futile. 45.a.b
Filij perſona indicatur illis verbis, *quaſi vnus ex nobis*, cuius ſcientiam Adam appetierat. 91.c
Filiis permittunt Iudæorum Rabbini parentes verberare, dummodò non appareat vulnus, neque ſanguis effluxerit: tunc enim eos ſolùm delicti reos ſentiunt, cùm ſanguinem fundunt. 198.a.2
Flacciani hæretici cum Subſtantiariis exploduntur, qui peccatum originis ſubſtantiam eſſe volunt, nõ qualitatem, aut relationem, vel aliquid eiuſmodi, atque eo totam hominis naturam ſecundùm ſubſtantiam corruptam eſſe docent. 15.b.2
Flumina quænam ex Caſpiis montibus fluant. 115.a

G

GAllus quidam Clericus damnatus in Concilio Remenſi, eò quòd doceret vnam perſonam Trinitatis ſine altera non poſſe aſſumere humanam naturam. 34.e
Generatio, ac productio per modum mentis ac intellectus ad filium ſpectat. 82.e.2
Gentium primitias Chriſto obtulerunt Reges Æthiopiæ. 155.a
Gentiles manſueti, & pauperes dicti, qui neque legem habebant, neque Prophetas, & magna penuria rerum cœleſtium laborabant. 158.b.2
Gentium omnium concurſus ad Meſſiam non ſimul, ac eodem tempore futurus, ſed ſucceſſiuè. 140.d
Geometrica proportio inter ea non requiritur, quæ ſubſtantialiter vniuntur. 34.d.2
Gholam tunc propriè æternum inſinuat, cùm his iungitur, quæ ad Deum pertinent. 134.e. Cùm his rebus additur, quæ humana denotant, temporariam tantùm durationem innuit. ibid.a.2
Gratia eſt qualitas creata, quam in homine ſimul creari, & infundi opus eſt, vt ea iuſtus fiat. 58.c.2
Gratia Dei homines formaliter iuſtificantur. 58.e
Græci ſapientiam ab Ægyptiis didicerunt. 87.e
Græcorum Imperium ſub Alexandro exortum, à Cæſare Auguſto fuit deletum. 117.d.2

H

HAbitudinis ſeu ordinis proportio eſt inter Deum, & naturam humanam, quamuis nulla ſit proportio Geometrica. 34.c.2
Halma etymon. 38.d.2
He apud Hebræos eſſe, aut vita exponitur, quo ſecunda Filij perſona exprimitur, in qua velut in omniũ ideatorum idea vniuerſa vitam diuinam, & eſſe habent. 95.c.2
He, in יהוה tantummodò duplicatur, quia ita decretũ erat, vt Filij perſona duntaxat, non Pater, aut Spiritus ſanctus humanam carnem per temporalem natiuitatem aſſumeret. 96.a
Hebdomades dierum, & hebdomades annorum in Scripturis tantùm reperiuntur. 120.b
Hebdomadum Danielis diuerſa ſupputatio expenditur. 120.e
Hebdomadarum Danielis accurata examinatio. 153.c.
Hebræi ſeptimum diem ad Sabbathum potiùs, quàm ad alium diem retulerunt, non ex diuina inſtitutione, ſed ex maiorum traditione; ex nonnullorum ſententia. 192.d.2
Hebræi cùm neutro genere careant, maſculinum pro neutro vſurpant. 15.c
Hebræi veteres ex literis nominis *Iehouah*, diuinam atque humanam Meſſiæ naturam colligunt. 52.b.e
Hebræi Doctores peccatum originale ab Adam in omnes illius poſteros transfuſum agnouerunt. 11.c.d.2
Hebræis omnibus in confeſſo eſt Meſſiam ex ſemine Dauid procreandum. 44.a.2. Iis quæ illius humanitatem inſinuant facilè conſentiunt, cùm hominem tantùm eſſe ſibi perſuadeant. ibid.
Hebræorum lex tria præceptorum genera continet. quædam ſunt moralia, quædam cæremonialia: quædam iudicialia. 134.b.e
Hebræorum obiectio aduerſùs vnionem hypoſtaticã à vitio mutationis, diluitur. 29.a.b
Herodes quo ſupplicij genere affectus ob diuinum ſibi affectatum honorem. 172.a.2
Herodes Aſcalonita primus alienigena poſt Hircanũ in Iudæa regnauit 144.c.2. Anno circiter trigeſimo primo eius Regni Chriſtus natus eſt. ibid.
Herodes vt omnem Hebræorum poteſtatem deleret, Sanhedrim trucidari iuſſit. 135.d
Herodis magnificentia in ſecundo templo exornando nunquam ad prioris amplitudinem acceſſit. 122.a.2
D. Hieronymi tempore puncta Hebraica in ſacras literas inuehi cœperunt. 68.a. eorum fuit obſeruator exactiſſimus. ibid.
Homo quidem Dei ſimilitudo eſt, at imperfecta, ac deficiens. 98.a.2. Vnde id colligatur. ibid.b.e
Homo peccauit, diuinam ſcientiam, quæ Filij propria eſt, ſibi arrogare volens. 77.c.2
Homo à Verbo conditus eſt non ſolùm tanquam ab exemplari cauſa; ſed etiam tanquam ab efficienti. 74.d.2

Digitized by Google

Homo tunc rectus dicitur, cùm nulla ſpiritus obliquitate incuruatur, atque à Deo auertitur. 5.c.a
Homo non eſſet homo niſi humana natura quæ in homine ſubſiſtit, illud ei nomen tribueret. 69.d
Homo cùm Dei Verbo conditus ſit, æquũ fuit lapſum à Verbo reſtaurari. 74.d
Homo quodammodo trinus eſt, quandoquidem memoria, intellectu, & voluntate præditus eſt. 100. c. 2. Potentiarũ tamen trinitas cum naturæ vnitate nõ confundenda. 101.a
Homo quare à Philoſophis μικρόκοσμος appelletur. 77.b
Homo dum ſe corporis affectibus ſubiecit, ideo ſimilis iumentis dicitur. 7.d
Hominem non ad Patris, ſed ad Verbi imaginem formatum eſſe nonnulli è Patribus aſſerunt. 86.b.c.a
Homines in peccato naſci ideo dictum non eſt, quia peccatum ſit miſceri coniugibus. 10.b
Homines licèt in Scripturis interdum dij appellentur, nonquam tamen abſolutè id nomen illis tribuitur, niſi ſub aliqua circunſtantia. 41.c
Hoſtiæ conſecratæ diuerſis in locis è Iudæorum manibus ereptę, eorumque graues vindictæ. 181.a.b.c.d.a

I

IAbim Rea Chanaam tertiò captiuum duxit Iſraël. 178.a
Iacob Eſau fugiens tres lapides ſuo capiti ſuppoſuit, quos manè in vnum coaluiſſe ex Hebræorum ſententia inuenit. 102.c.2
Ideam, & exemplar rerum omnium Verbum fuiſſe nonnulli Patres ſenſerunt. 74.b.2
Idiomatum communicatio in Chriſto, efficit vt quæ homini propria ſunt, Deo tribuantur, & contrà quæ Dei ſunt, homini communicentur. 47.c.2
Idolorum cultus nullus hoc tempore viget inter Hebræos. 178.d
Iehouah nomen ita Hebræis eſt venerandum, vt illud nunquam legant, ſed pro illo *Adonai*. 47.a
Ieremias cùm Iudam in aduentu Meſſiæ ſaluandum eſſe affirmat, id de Iudæo populo adhuc præuaricatore, & Meſſiæ legibus rebelli non eſt intelligendum. 141.a
Ieremias tempore tranſmigrationis Arcam, Propitiatorium, ac cætera templi ornamenta in ſpelunca abdidit, quæ nunquam deinde Iudæis viſa fuerunt. 121.d.2
Ieſus Sacerdos magnus veſte ſordida, ac ſanguine reſperſa indutus, verè Chriſti typus. 73.e
Ignis qui perpetuus ante altare aſſeruabatur, vi pluuiarum nunquam potuit extingui, neque eius fumus, qui inſtar columnæ ſuper ignem ſurſum attollebatur, vento impediri vllo modo valebat, dum ſtabat templum Salomonicum. 123.b
Imago Dei in natura hominis effigiata quid indicet. 18.c.2.
Imperij Chriſti æternitatem, Meſſiæque regnum inexpugnabile indicat *mem* clauſa in voce *lemarbe*. 110.a.2
Impoſſibilitatis cauſa quã Iudæi oſtendunt quominùs propria vnius naturæ perſona, alteram quoque naturam terminare poſſit, non ex parte rei, ſed ex imbecillitate creati agentis oritur. 27.e
Inane tempus veteres Rabbini vocarunt totum illud ſpatiũ, in quo nulla præterquàm lex naturæ viguit. 176.d
Incarnatio Verbi ex æterno Dei conſilio, ac decreto via hominibus ſola relicta eſt, quæ ſalutem ſibi cõpararent, atque mortis æternæ ſupplicium euaderent. 28.d.2
Incarnationis myſterium quibus exemplis declaretur. 74 b.e
Incarnationis myſterium antiquis Hebræorum magiſtris non ignotum. 65.b.2
in Incarnationis opere non diuina perſona; ſed humana tantùm natura mutationi fuit obnoxia. 29.a
Incarnationem fieri non potuiſſe niſi in perſona Verbi, tanquam falſum damnatum eſt in Concilio Rhemenſi. 54.d
Incommutabilitas perſonæ, quæ ex definitione perſonæ à Iudęis obiicitur, nihil aliud efficit quàm perſonam in aliqua natura ſubſiſtentem, tam ſingularem efficere, vt ea de pluribus numero differentibus prædicari non poſſit. 27.d
Incruentum ſacrificij genus apud Chriſtianos in Miſſa offertur. 73.e
Ineffabile Dei nomen ſi à Salomone exciſum fuit in lapide, vnde Iudæis veriſimile eſt eius virtute nulla illum edidiſſe miracula. 157. a. 2. ſi lapis ille inter templi lapides cõmiſcebatur, quid de eo factũ ibid.
Inferni nomine Geneſ. 37. non intelligendus eſt locus damnatorum, ſed Limbus Patrum. 12.e.2
Intimatoris, atque inhabitatoris munus Spiritui ſancto tribuitur. 84.d.e.2
Inuerſam Venerem Iudæi impiè tuentur. 198.b
Ioannem Baptiſtam Hebræi magnum Rabbi Iohanam appellant. 188.e
Iob Hebræus non fuit, nec circumciſionis legem, aut cætera præcepta ceremonialia, vel iudicialia obſeruaſſe legitur. 131.c
Iod in nomine Iehouah principium interpretãtur Hebræi, quod primam Patris perſonam indicat. 95.b.2
Ioſephi Iudæi præclarum pro ſignis à Chriſto in Iudæa patratis teſtimonium. 157.a.b
Ioſue Prophetam fuiſſe, aut aliquo Prophetiæ dono claruiſſe nuſquã Scriptura ſacra cõmemorat. 156.d.a
Iudas Gaulonites, & Iudas alter filius Ezechiæ nomẽ Meſſiæ ſibi aſſumpſerunt. 173.a
Iudæi iuniores exiſtimant ſolos illos, qui Meſſiæ ſæculo, quem expectant, erunt ſuperſtites, nominis Iehouah virtutes, ac proprietates agnituros. 48.b.2. Cur excommunicent, & anathematizent eos, qui illius arcana declarare audent. ibid.
Iudæi ſentientes ſeptem tantùm in Dei mente creationem mundi præceſſiſſe, inìquè de Dei ſapientia, & præſcientia opinantur, cui res omnes ab æterno præſentes fuerunt. 45.b
Iudæi ſummam Dei potentiam non inficias eũt. 25.a.2
Iudæorũ nonnulli iam Chriſti fidem receperunt, aliìque ſub finem mundi ſunt recepturi. 190.c.2
Iudæorum obiectioni aduerſùs vnionem hypoſtaticã reſpondetur. 190.b
Iudæorum Regnum, ac Rempublicam vltra montes Caſpios à Deo ſarta tecta ſeruari: neque huc tranſmeare poſſe ob Sabatinum fluuium, qui iter intercipit, diéque tantùm Sabbathi ſedatur, ac tutum tranſmeantibus iter præſtat, ridiculum eſt Hebræorum commentum. 114.e.2
Iudæorum figmentum ad locum Iſaiæ cap. 16. quo ſermonem haberi contendunt de centum millibus agnorum, quæ Rex Moabitarum Regi Iſraël pro tributo pendere ſoleret, ridandum potiùs, quàm refellendum. 67.e.x
Iudæis olim mos erat, quoties pro parta victoria Deo gratias referre vellent, choros inſtituere, in quibus Principes incederent; deinde cantores, inter quos pſallebant virgines, nec in earum cœtu admittebatur vlla mulier, quæ eſſet cognita viro. 39.a
Iudæis maximum eſt argumentum Meſſiam iam veniſſe, cùm nullos amplius Prophetas inter ſe ſurrexiſſe cernant. 58.a.2
Iudaicæ Religionis impietates, & ineptiæ aliquot enumerantur. 187.b. per totum articul.
Iudices cùm in plurali numero Dij appellantur, eos non natura, ſed nuncupatione Deos eſſe demonſtratur. 41.d

Iudices Sanhedrim in omnibus captiuitatibus incolumes vſque ad Chriſtum peruenerunt. 135.c

Iuniores Hebræi refutantur, qui contendunt ex illa voce quæ eſt apud Moyſem, *Faciamus*, Deum tunc Angelorum cœleſtem familiam conſuluiſſe. 89.c.2

Iuramenta ab antiquis non femori, ſed capiti impoſita manu fieri ſolebant. 277.b

Iuſtitia virtutum omnium cumulum complectitur. 141.a

Iuſtitiæ originalis donum in qua fuit conditus Adam, ex quibus appareat. 6.d

Iuſtitiæ propriæ communicatio aut fit ſecundùm ſubſtantiam, aut ſecundùm meritum. 59.e

Iuſti abſoluta appellatio ad Deum pertinet, qui eſſentialiter iuſtus eſt. 31.d,2

L

LÆtitiæ oleum quodnam à Pſalte appelletur. 158.d.e. Chaldæus ad Meſſiam refert. ibid.

Lapides, mineralia, & cætera mixta inanimata in primo creaturarum ordine recenſentur. 77.b

Lectio Hebraica Geneſ. 3. *Ipſum conteret caput tuum*, examinatur. 55.a.b.c.d

Lex vetus quoad cæremonialia aliquando fuit abroganda. 127.d. Habuit ſe ad inſtar accidentis, quod adeſſe, & abeſſe poteſt. ibid.d.a

Lex quatuor potiſſimùm de cauſis lata eſt hominibus. 131.c. Per eam eſt cognitio peccati. ibid. d. A patrandis ſceleribus deterret. ibid. Imbecillitatis ſuæ hominem admonet. ibid. Meſſiæ promiſſiones in fideles diffundendas ſignat. ibid.e

Lex duplex à Deo lata, in Sinai altera, quam *Torah ſcebichetab* Hebræi vocant; altera, quam *Torah ſcie-beal pe*. 104.b.a

Lex vetus temporaria fuit, quippe quæ ad Chriſtum Meſſiam tantùm duceret: at lex Chriſti æterna eſt, ac perpetuò duratura. 162.d

Lex non bona dicitur, quòd ea homines ex ſe, & perfectè iuſtificare non poſſet. 131.e.2

Legi naturæ per Moyſis legem nihil additum, quoad moralem eius ſtatum; cùm ad ampliorem tantùm eius declarationem data fuerit. 131.a.b

Legem, pœnitentiam, geheunam, domum ſanctuarij, thronum gloriæ, hortum voluptatis, & nomen Meſſiæ ante mundum à Deo condita fuiſſe Iudæi fabulantur. 45.a.b

Leones geminos catenis vinctos in templi foribus obuios fieri iis, qui ex lapide nomen tettagammaton rectè pronunciare didiciſſent, quorum horribili rugitu ita perterrefacti diſcedebant, vt ſtatim nominis prolationem obliuiſcerentur, commentum eſt Iudæorum. 157.d

Linguas confundere ſolius Dei opus eſt, ſicut illius proprium eſt linguas inſtruere. 91.b.2

Litera ſola legis ad illius intelligentiam non ſufficit. 105.a. Eius perfectior ſenſus ſub cortice latet. ibid.

Literæ tres diſtinctæ ab inuicem, in nomine *Iehouah* comprehenſæ declarant totam perſonarum Trinitatem proprietatibus ab inuicem diſtinctam, vnica tantùm natura, ac eſſentia contineri. 95.d.a

Literæ corticem tantùm ſpectant Hebræi quoad legis intelligentiam, vnde duplex eorum naſcitur error. 103.a

Literarum trinitas inter ſe in nomine יהוה coniuncta, vt vnam duntaxat vocem efficiat, totam perſonarum Trinitatem ita inter ſe colligatam oſtendũt, vt totus Pater in Filio, totus Filius in Patre, & totus Spiritus ſanctus in Patre, & Filio, vnam duntaxat Deitatis naturam, atque ſubſtantiam præſtent. 96.b

Locus habet tergeminam poſitionis differentiã. 102.c

Locum Ezechielis cap. 44. Catholici Patres fere omnes de perpetua Deiparæ Virginis integritate iuxta ſpiritualem ſenſum exponunt. 64.c.2.65.a

Locum 3. Geneſ. *maledicta terra in opere tuo*; quomodo Hieronymus exponat. 8.b

Luciferi nomen Pſalm. 109. ſymbolum eſt durationis temporariæ, & ſæculorum. 37.d

Luciferi caſu Angelicæ ſedes ſuis ſeſſoribus deſtitutæ, electis animabus fuerunt complendæ. 176.a

Lutheranos, ac Caluinianos anathematizat Synodus Tridentina, qui peccatum originale ipſum fomitem, ac concupiſcentiam eſſe clamitant, quæ in renatis per Baptiſmum adhuc manet, licèt fidelibus non imputetur. 15.b.a

M

MAcula nulla in panibus propoſitionum vnquam viſa fuit. 123.a

Magiſtratus vterque Iudæorum temporalis, & ſpiritualis quo tempore deletus, & penitus extinctus fuerit. 113.e.2

Mala, quibus quotidie humanum genus affligitur, teſtimonia quædam ſunt, Adæ culpam in omnes homines eſſe transfuſam. 15.e

Manſuetorum, & pauperum nomine humiles deſignantur ex Patrum ſententia. 158.b

Martyribus Chriſti ſæpe accidit, vt flammarum vis eorum corpora non attigerit. 180.e

Maſculus quadraginta dierum quare ſub lege purificandus ad altare offerri iuberetur. 9.d.a

Mediatoris munus cur potiùs Meſſiæ conueniat. 78.d

Meſopotamiæ Rex Chuſan primam Iudæorum captiuitatem excitauit. 178.a

Meſſias, cui reparandi hominis munus à Deo commiſſum eſt, Deus ſimul & homo eſſe debuit. 67.a

Meſſias, licèt eandem naturam hominis cum cæteris aſſumpſerit, cur communem hominum culpam non contraxerit. 64.d

Meſſias Gentium expectatio dicitur, quòd illæ ſua obedientia, ac ſubiectione, qua Meſſiæ adhærere, illique fide ſubiici debebant, ipſius benedictiones expectarent. 153.c.2

Meſſias diuina vnctione vnctus fuit, cùm illius diuinitas, quæ priùs ignota erat, toti orbi manifeſta eſſe cœpit, & cuncti agnitam adorauerunt. 71.e.2

Meſsias miracula ob id tantùm præſtitit, vt ex iis verus Dei filius probaretur. 157.b

Meſſias à Patre ab æterno fuit clarificatus, tum etiam cùm illius diuinitas vbique diffuſa, ab omnibus adorari cœpit. 72.d

Meſsiæ Sacerdotium tametſi æternum ſit, ad humanam tantùm ipſius naturam pertinet. 73.d

Meſsiæ aduentus ad originale peccatum delendum potiſsimùm fuit ordinatus. 56.c.d.2

Meſsiæ aduentus veteribus Hebræis non fuiſſe incognitum tempus vnde conſtet. 134.e.

Meſsiæ nomen qui ſibi falsò inter Iudæos aſcripſerunt, recenſentur, qui omnes breuiſsimo temporis ſpatio perierunt, nec radices agere potuerunt. 173.a.b

Meſsiæ æterna generatio quomodo Pſalmo 109. illis verbis, *ex vtero ante Luciferum*, &c. declaretur. 5.c.d

Meſsiæ aduentum quare adhuc expectent Iudæi. 103.a.2

Meſsiæ promiſsio ante legem Circunciſionis Abrahæ facta eſt. 129.e

Meſsiæ nomina varia, & multiplicia, partim ex Scripturis, partim ex Hebræorum traditione decerpta, vnam tamen Dei naturam, ſecundùm varios illius perfectionis gradus explicant. 46.b.2.48.b

Meſſiæ generationem æternam, nulli temporum mutationi, aut initio ſubiectam declarant Scripturæ per aduerbium *Hodie*. 50.a

Meſſiæ Imperium ferreis tibiis adumbratum à Daniele

le antiqui Hebræi intellexerunt. 116.b.c
Meſſiæ datum ab Angelo nomen impoſitionis, à Propheta nomen naturæ. 69.a.2
Meſſiæ etymon. 73.a.1
Meſſiæ egreſſus ex Bethlehem eius humanitatem declarat; egreſſus verò à diebus æternitatis, eius diuinitatem. 44.d.e.2
Meſſiam non in orbis iuuentute, aut virilitate, ſed in ipſius ſenecta, ac ingraueſcente iam illius ætate venturum fuiſſe vnde colligatur. 139.a.2
Meſſiam veniſſe ex vaticinio Iacob Patriarchæ iam completo facilè poteſt agnoſci. 114.c.a
Meſſiam de ſtirpe Abrahæ naſciturum fuiſſe Iudæis vnde conſtare poſſit. 148.b.a
Meſſiam corporum tantùm, non animarum Redemptorem Iudæi falsò ſibi fingunt. 61.d.a
Midras Theillim Eccleſ. locum cap. 4. *Funiculus triplex difficilè rumpitur*, de tribus perſonis in myſterio Trinitatis contentis exponit. 94.c
Midras Coheler cuncta ſigna præcedentia pro nihilo habenda eſſe prædicat, ſi cum ſignis futuri Meſſiæ comparentur. 156c
Millenario quarto mundi naſciturum Meſſiam ex Danielis vaticinio colligitur. 175.a.2
Mineruæ templo apud Ægyptios inſcripta triplex illa verborum ſeptenio; *Ego ſum omne quod fuit, omne quod eſt, quod futurum eſt*, Trinitatis myſterium innuebat. 87.b
Miraculum in filio Iudæi cuiuſdam à patre in fornacem ardentem coniecto. 180.c.d
Miracula cùm omnem creatæ naturæ virtutem excedant, nullius neque hominis, neque Angeli, neque dæmonis virtute, præterquàm Dei, fieri poſſunt. 157.c.a
Mitti qua ratione Filio competat. 42.b.2. Penes Patrem mittendi authoritas reſidet, à quo totam cum generatione diuinitatis naturam accepit. ibid.
Modus ſubſtantialis vnius naturæ, quòd alteri communicari non poſſit; in perſonis creatis, quæ finitæ ſunt, locum tantùm habet. 27.e
Modus, quo Verbum à Patre ab æterno genitum eſt, ſplendoris inſtar eſt, quandoquidem æterna illa generatione totum gloriæ, ac diuinitatis ſplendorem accepit. 32.b.c
Monadem paternam Zoroaſter quid appellarit. 83.a.2
Monarchia Romana, à Daniele ſub ferrei regni metaphora deſcripta, iam non ſtat ſub Romano Pontifice incolumis. 218.a.2
Motus ſeu mutatio eſt entis in potentia. 29.c
Moyſis lex cùm vni duntaxat Hebræo populo data eſſet, haud vltra Palæſtinæ terminos olim ſeſe extendit. 162.c
Moyſis factum, cùm priores legis tabulas, quas digito Dei conſcriptas acceperat, ad radicem montis confregit, ſecundis tantùm integris ſeruatis, quò ſpectet. 128.d.2
Moyſis lex tria præceptorum genera continet; quædam moralia, alia ceremonialia, alia iudicialia. 191.c.d.a. Moralia digito Dei in lapideis tabulis fuerunt exarata. ibid.
Moyſi glorioſius fuit vna virgæ extenſione innumeras Pharaonis acies, quàm eaſdem bello, ac plurima ſuorum cæde ſuperare. 191.d
Moyſes in ipſo Scripturæ exordio cur nomen plurale *Elohim* cum verbo ſingulari *Bara* copularit. 88.c
Moyſis ætate Mercurius Triſmegiſtus in Ægypto floruit. 87.d
Moyſis ſimilis legiſlator Dauid non fuit, licèt Propheta illuſtris. 159.d.2
Mulier ſacrificiorum nidore in primo templo à fœtus abortu præſeruabatur. 123.2
Mulieris ſemine in Scripturis Meſſiam denotari veterum Hebræorum eſt ſententia. 55.c
Mundus, & quicquid in eo conditum eſt, bonitatis diuinæ veſtigium eſt, non ſimilitudo. 98.a.a
Munus Meſſiæ citra diuinæ æqualitatis præiudicium non alteri perſonæ, quàm Dei filio competere demonſtratur. 73.e.2. per totum art.
Mutatione punctorum, cùm aliquod teſtimonium de Meſſiæ diuinitate in Scripturis occurrit, proprium eſt Iudæis corrumpere. 68.a
Mutatio duo requirit, vt vera, ac propria eſſe poſſit. 29.b
Muſca nonquam in macello prioris templi viſa fuit. 123.a
Myſterium Meſſiæ ab exordio mundi inchoatum demonſtratur. 56.a.b
Myſticus ſenſus in lege, ac Prophetarum verbis obſcuritatem parit, non litera. 105.d
Myſterium Trinitatis tantæ molis eſt, vt veteres Scripturæ nunquam niſi fortè impropriè, illud attingant. 88.a.2

N

NAbuchodonoſor ſeptima captiuitate Iudæos per 70. annos durè afflixit. 178.b.c
Nabuchodonoſoris viſio Daniel. 2. quatuor orbis Imperia ſignificauit. 116.a
Natiuitas Chriſti per virgulti aſcenſionem apud Prophetas indicatur. 31.b.2
Natura humana à perſonalitate Verbi quo pacto potuerit dependere. 35.a
Natura humana cùm perſonata fuit à Verbo, eam incommunicabilitatem adepta eſt, qua non ſolùm ſingularis; ſed etiam per ſe indiuidua ſubſiſtens efficeretur. 27.e
Naturæ diuinæ fœcunditas à Dei bonitate manat, quæ etſi vna, ac ſimpliciſſima ſit, ſalua tamen, ac ſarta tecta ſui vnitate ſeipſam alteri communicare valet. 99.d
Naturæ ſtatus homines cùm nullis legibus ſacrificiorum tenerentur, quo pacto ſacrificia obtulerint. 150.c.a
Naturæ terminus, ſeu modus ſubſtantialis eſt perſona. 27.a. Si plures naturas terminet, id cum eius eſſentia non pugnat. ibid.b
Niſchmath, & *nephes* quod diſcrimen nonnulli afferant. 47.a.2
Nomen quod ad futuros effectus prænuntiandos imponitur, plerumque non ad ipſius rei naturam, vel naturæ proprietates inſinuandas; ſed ad illis actus præſignificandos imponitur. 69.e
Nomen *Iehouah* apud Hebræos habetur ineffabile ob altiſſimum Trinitatis myſterium, ac Filij Dei Incarnationem, quæ nomen illud continebat. 48.e. De hoc Dei nomine tria quæ fuerunt prænontiata in veteri Teſtamento, quæ ſint. ibid.a.2
Nomina abſtracta in Scripturis nulli præterquàm Deo tribuuntur. 119.d.a
in Nomine *Iehouah* geminum ה repetitum, Filium æterna generatione à Patre genitum, temporali rurſus generatione orbi manifeſtandum demonſtrat. 95.e.2
Nomina concreta, & abſtracta in Deo identificantur. 26.d.a
Nominum impoſitio perfectiſsimam Adami rerum omnium naturalium ſcientiam declarat. 5.a.a
Nubes fuerunt veteris legis figuræ, Meſsia grauidæ. 67.a.2
Nubeculæ, ex qua prima lux in orbem irrupit, quomodo Abraham comparetur. 176.e.2
Nuditas corporis ante peccatum pudori cur non eſſet

primis

primus parentibus. 4.b.a

Numenij Pythagorici de Trinitatis myſterio ſumma admiratione dictum dignum. 85.d.e

Numerus quaternarius inter numeros perfectiſſimus, tum quòd inter omnes primus quadratus ſit, per quem cæteri quadrati exiſtunt: tum quòd ſenarium in ſuis partibus includat, qui numerus inter primos perfectos numeratur. 157.b.c.a

O

OBSERVATIONIS Sabbathi quænam ratio adducatur. 191.d. Meſſiæ quietem in ſepulchro præſignauit, vel animarum requiem in ſinu Abrahæ. ibid.

Occaſionem caſus à Filio Dei, qui eſt ſapientia, quomodo primi parentes nacti fuerint. 77.c.a

Oleum ſub veteri Teſtamento ad vnctionem rerum ſacratum accommodatum. 158.c

Oleaſter quomodo verba Geneſ. 19. *pluit Dominus à Domino*, interpretanda cenſeat. 91.c.a

Opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa, ex Theologorum conſenſu. 74.a.a

in Oppidis antiquæ Franciæ circa annum Domini. 1298. quæ Iudæis contigerint, quòd Sacramenta corporis, & ſanguinis Christi, furto ablata, ludibrio haberent. 180.c.a

Optio trium Dauidi data, vltionem in impios à tota Trinitate manare docet. 102.b.a

Orbis mutatio, Chriſtianæ Religionis virtute peracta, adeò fuit mirabilis, vt cum prima illius creatione conferri poſſit. 175.c.d

Orbis tria tempora numerantur. 139. e. Primum fuit illius natiuitatis, cùm primùm à Deo conditus fuit. ibid. Secundum incrementi. ibid. Tertium ſenectæ, ac decrementi. ibid.a.a

Ordinis ſeu habitudinis proportio eſt inter obiectum, & potentiam, inter agens, & patiens, inter effectum, & cauſam. 34.c.a

Originale peccatum quomodo diaboli caput dicatur. 55.b.c.a

Originale peccatum vnum fuit, & multa. 10.a

Originale peccatum veram, atque intrinſecam peccati rationem habet, & vnicuique proprium ineſt. 15. d. a. Non contrahitur per morbidam aliquam qualitatem genitorum corporibus inhærentem, quę animam hac contagione inficiat. ibid.

Originale ſolum peccatum finem in Baptiſmo accipit, cæteris actualibus culpis poſt Baptiſmum in hominum mentibus denuò pullulantibus. 58.a

Origenes qua ratione myſterium Trinitatis ex Scripturæ exordio colligat. 88.d.e.a

Orpheus Græcæ Theologiæ pater antiquiſſimus. 85.d. a. Ab eo Pythagoræi diuinorum myſteria didicerunt. ibid.

P

PAcis templum Romæ quo tempore funditus fuit euerſum. 115.c

Pacem ſummam in Meſſiæ aduentu, ac in toto illius Imperio futuram quibus verbis Prophetæ deſcribant. 140. b. a. Terrena non eſt, ac temporaria, quam Iudæi expectant. ibid.e.a

Pariſiis Iudæus quidam à muliercula conſecratam hoſtiam in Paſchate accipit. 180.b.c

Paruuli nati, & filij dari diſtinctio apud Iſaiam, duplicem Meſſiæ naturam in vno ſuppoſito vnitam inſinuat. 40.b.a. Filium datum eſſe nobis, non natum cur Propheta dixerit. ibid.c

Patrem in Scripturis per antonomaſiam Deum appellari familiare eſt. 88.c.a

Patres ante Chriſti aduentum, tametſi iuſti eſſent, quare gloriæ hæreditatem conſequi non potuerint. 131.a.b.

Patres quomodo locum illum Iſaiæ exponant. *Et egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini.* 155.a.a

Patrum ſimilitudines quibus vſi ſunt ad ſanctiſſimam Triadem declarandam, diuinam naturã imperfectè tantùm adumbrant, cùm plures accidentium ſint, pleræque etiam non realem; ſed rationis duntaxat diſtinctionem indicent, 101.a.a

Patriarchæ nullam diem Sabbathi obſeruarunt. 192. c.a

Peccatum originale vnum fuit propagatione; multa origine, & cauſatione. 10.a

Peccatum originale per actum generationis à patribus in filios traducitur. 119.d

Peccatum originale non eſt formaliter ſingularis illa diuinæ legis præuaricatio, qua Adam formaliter peccauit. 15.c.a

Peccatum Euæ, ſi ſola peccaſſet, qua ratione nihil infectionis in genus humanum transfundere potuiſſet. 64.c

Peccatum Adæ perſonale ſi cunctorum originale foret, qui ex Adamo naſcerentur, extrinſeca tantùm denominatione peccatores eſſent, nec aliquod veri nominis peccatum ſingulare contraherent. 15. c. d.a

Peccati originalis definitio ex communiori Theologorum ſententia. 16.e

Pelagiani confutantur, qui Adæ peccatum non propagatione, ſed imitatione tantùm nocere profeſſi ſunt. 15.e

Perſarum, ac Medorum Imperium ſub Dario cœptum, ſub Alexandro finem accepit. 117.d.a

Perſona Verbi ritè principium nuncupatur, cùm rerum omnium creatio ipſi adſcribatur. 89.a

Perſona Patris, aut Spiritus ſancti æquè potuit humanam naturam hypoſtaticè aſſumere. 34.a.a

Perſonæ definitio. 27.a

Perſona nomen cùm priſcis eſſet ignotum, licèt nomine errauerint, Trinitatis tamen veritatem mente conceptam, vt potuerunt, expreſsêre. 84.a

Perſonæ in Deitate ab inuicem diſtinctæ ſunt, indiſtincta Deitas, vna exiſtente natura Dei. 100.e

Perſonarum numerus non repugnat naturæ vnitati in myſterio Trinitatis, neque naturæ vnitas perſonarum multitudinem repellit. 98.a

Perſonalitas nec eſt de humanæ naturæ eſſentia, nec per eam definitur humana natura. 30.a.a

Perſonalitatem realiter ab ipſa natura ſaniores Theologi diſtinguunt. 30.e

Pharaonis pincernæ tres propagines vitis, quas ſuper caput ſuum excreſcere per ſomnum aſpexit, quid denotent. 101.c.a

Pherecidis dictum; Deum ſcilicet in amorem conuerſum fuiſſe, cùm mundum condere vellet, vnde ortum habuerit. 86.c.d

Philiſtim ſextam excitarunt captiuitatem, quæ quadraginta annorum fuit. 178.b

Philoſophi antiqui, qui ſubobſcurè aliquid de Trinitatis myſterio attigerunt, ex maiorum traditione, qui non longè à Patriarchis abfuerunt, id acceperunt. 79.a.a. Vel ex Moyſis libris hauſerunt, veluti Platonici. ibid b.a

Philoſophorum eſt liberis verbis loqui, nec in rebus difficillimis aurium offenſionem mutuere. 82.b

Philo Iudæus inter Platonicos Philoſophos inſignis. 86.d. Gentilitium errorem de Deorum pluralitate licèt eius verba in teſtimonio allato ad Trinitatis veritatem contra Iudæos aſſerendam, nonnihil redoleant,

doleant, ſaniùs tamen accepta eam præclarè probant. ibid.a.2

Photinianæ hæreſis damnatio in Concilio Syrmienſi conclamata. 93.a

Plato cur Solem dixerit eſſe viſibilem Filium Dei. 177.d

Platonici ex ſuis principiis Trinitatis myſterium agnouerunt. 81.a

Plantæ, arbores, & quæ vegetandi vim habent, ſecundum creaturarum ordinem ingrediuntur. 77.b

Plotino ignoſcendum, dum generationem Spiritui ſancto tribuit, atque eum à Filio tantùm generari tradit. 82.b

Pluralitate Deorum in Scriptura ſignificatur multitudo perſonarum. 90.d.2

Pontifex ſummus in die propitiationis morbi, aut alterius calamitatis caſu nunquam fuit imperitus primi templi tempore. 123.a

Porta Sanctuarij ter clauſa dicitur, quia mater Meſſiæ ter Virgo appellatur. 65.b

Poteſtas temporalis in Hebræo populo permanſit vſque ad Herodem Aſcalonitam. 113.c.2

Præcepta ceremonialia, & iudicialia Decalogi velut quædam appendices erant, & ad illius ſubſtantiam minimè pertinebant; ſed ad Meſſiæ tantummodò promiſſionem ſpectabant. 191.c.2

Prærogatiuæ Abrahami multæ enumerantur. 176.d.2

Primi parentes ante vetiti pomi eſum ſe nudos eſſe non ignorabant. 5.a

Primogenitus Dei verè fuit Iſraël, cùm primus in fide, primus in benedictionibus, primus in donis fuerit. 177.c.2

Principij nomine Geneſ.1. quid intelligatur. 50.d

Principiorum trium nomine Platonici trinam perſonarum Trinitatis diſtinctionem ſignificarunt. 85.d

Procopij Gazæi refutatio aduerſus errorem aſſerentium Angelos concurriſſe cum Deo in rerum creatione. 89.d.2

Productio orbis cum eius renouatione virtuti diuinæ tributa. 175.d

Productionis modus, quo Theologi ad myſteriũ Trinitatis inſinuandum vtuntur, Philoſophis priſcis etiam non ignotus. 85.c.a

Pronuntiationem nominis *Iehouah* quomodo Chriſtum fuiſſe aſſecutum fabulentur Hebræi. 157.e. rugitum leonum quomodo non extimuiſſe narrent. ibid.

à Promiſſis, & iuramentis qua cautela ſe liberent Iudæi, ac ſuæ conſcientiæ prouideant. 198.c.2

Prophetæ apud Iudæos tandiu futuri erant, quoad Meſſias ipſe veniret. 58.e

Propheta Iſaias non tam Propheta fuit, quàm Meſſiæ Euangeliſta. 162.b.a

Prophetæ nunquam vaticinati ſunt niſi per ſomnium, aut viſionem. 105.e.2

Prophetæ multis ænigmatibus inuolutum Trinitatis myſterium olim tradiderunt, ne Iudæi ad idololatriam procliues eo nomine offenderentur. 87.c.d.2

Prophetarum, Patriarcharum, atque electorum animæ vſque ad Meſſiæ aduentum, poſt obitum ad inferna deſcendebant, atque ibi detinebantur. 12.e 2

Prophetis ſolemne eſt præteritum pro futuro vſurpare, & quare. 40.a.2

Prophetas olim Deus ad populi Iudaici captiui ſolatium mittebat, qui moleſtias aliqua ſpe liberationis ſubleuarent. 178.e

Prophetia Danielis cap. 9. poſt euerſionem ſecundi templi impleri debuit. 57.d.e

Propoſitio Geometrica numerum, vel proportionem partium reſpicit. 34.c.2

Proprietas in diuinis perſonis à Theologis agnoſcitur, ac cum perſona proprietas ipſa identificata traditur. 96.d.2

Pſalmum 109. malitioſè detorquent Iudæi ad Regem Ezechiam, cùm Meſſiæ myſteria contineat. 35.c

Pudor ex peccati cognitione potiſſimùm oritur. 4.c.a

Puncta Hebraica annis circiter 476. poſt Chriſti aduentum in ſacra Biblia inuecta ſunt. 41.d.2. Quinam fuerint eorum inuentores. ibid.e

Punctorum mutatione corrupta ſunt à Iudæis loca veteris teſtamenti, quæ nimis apertè Meſſiæ diuinitatem declarare cernerent. 36.d.e.a

Pythagoras montem Carmelum incoluit, vt inde diuina colligeret. 87.a.2

Pythagorei cum Catholicis in Trinitatis dogmate fuêre concordes. 85.c.2

Q

QVARTA captiuitas Iudæorum à Madianitis ſeptem annorum ſpatio ſuſcitata. 178.a.b

Quaternarius numerus omnium numerorum eſt plenitudo. 175.c.2

R

RAA. Ioſue ſe vidiſſe affirmat Meſſiam ſua vlcera inter pauperes alligantem, quem per orbem miſerum, atque abiectum, ignotum vagari Rabbini ſomniant. 138.b.a

Rab. Moyſes Hadarſan vnde peccatum originale colligit. 12. c. d. 2. Figmentum malum appellat. ibid. e

Rab. Moyſes Hadarſan 70. Sanhedrim vſque ad Meſſiæ aduentum permanſuros cenſuit. 135.c

Rab. Haccados vnde colligat Meſſiæ matrẽ perpetuò fore Virginem. 64.b.2. Eiuſdem reſponſio ad Antoninum Conſulem Romanum de diuiſione *Iod* in duo *He*. ibid.c.a

Rab. Haccados Magiſter ſanctus à Iudæis appellatus, quòd diuina myſteria excellentiſſimè docuerit. 97.c

Rab. Haccados ante Chriſtum circa Iudæ Machabæi tempora claruit, & Meſſiæ diuinitatem palàm profeſſus eſt. 51.e.2

Rab. Abraham Auenazra de culpa originali locum Pſalmi 150. *Ecce in peccato*, &c. exponit. 10.c

Rab. Ionatham Benuziel Trinitatis præclarus aſſertor contra iuniores Hebræos. 96.d

Rab. Ioſeph Albo myſterij Trinitatis hoſtis infenſiſſimus. 97.c.2. Contradictionem ponit tria re diſtincta vnum numero eſſe, atque vnum numero tria eſſe poſſe. ibid.

Rab. Samuël epiſtola ad Rab. Iſaac Iudæos Chriſtum agnoſcere cogere poſſet. 179.a

Rab. Auenazra timens è Sygnagoga expelli, quòd Meſſiam Deum appellaſſet, coactus eſt ea, quæ dixerat, Ezechiæ Regi accommodare. 40.e

Rab. Simeon Beniohai quid per mundos ſuperiores, & inferiores incorporatos intellexerit. 33.a

Rab. Salomon inſignis eſt corruptor locorum, quæ Meſſiæ diuinitatem probant. 40.e

Rab. Salomon quot annos ab euerſione primi templi ad ſecundi vſque excidium enumeret. 120.c.2

Rabbini veteres per attributa tres perſonas Trinitatis explicuêre. 96.e.2

Rabbini in Thalmud ſcribunt eum tanto nomine eſſe indignum, qui non oderit hoſtem ſuum vſque ad mortem, & qui vindictam aduerſùs eum non quæſierit. 197.c

Rabbinorum teſtimoniis confirmatur animas Patrum ante Meſſiæ aduentum in Limbum deſcendiſſe ob originale peccatum. 13.a.b.c.2

Radij

Radij & cryſtalli exemplo vnio hypoſtatica confirmatur. 29.e.2
Rectitudo hominis à gratia proficiſcitur, qua fit, vt inferiores animæ vires rationi ſubditæ ſint : ratio verò Deo ſubiiciatur. 5.c.a
Redemptionis opus oon fuit ſimpliciter, & abſolutè neceſſarium. 16.d.a
Regis Meſſiæ ſolium ac imperium ſunt corda fidelium, in quibus per fidem, & charitatem ſedere debuit. 141.b
Regnum Iodæorum apud Babylonem hodie vigere falſum eſt, licèt ibi eorum copioſior multitudo, quàm alibi reperiatur. 115.b.c
Relatio quæ in diuinis totius diſtinctionis fons eſt, & origo, ratio eſt, qua Filij perſona à perſona Patris, ac Spiritus ſancti diſtinguitur. 74.a
Res verè tunc mutatur, cùm aliquid recens acquirit, quo antea abſolutè,& ſimpliciter carebat. 29.e.2
Rerum creationem, earumque renouationem quibus verbis Pſalmiſta inſinuet. 175.d
Romæ tres Soles exorti extremo anno Iolij Cæſaris, qui paulatim in vnum orbem coïerunt. 124.d.1
Romanorum Imperium ſub triginta nouem Imperatoribus paulatim defluens, extremum excidium in magno Conſtantino perpeſſum eſt. 117.d.2
Romanorum bella paulò poſt Chriſti obitum cum Iudæis exorta, templúmque exciſum. 190.a
Ros cùm Meſſias appellatur, id diuinam illius naturam exprimit, quæ à cœlorum ſublimitate ad nos manauit. 67.e
Ros metaphoricè acceptus deſignat ſuauitatem, hilaritatem, & dulcedinem. 37.b

S

SAbbathi obſeruantia noua Chriſti lege abrogari potuerit, cùm ad Decalogi præcepta ſpectet. 191.c. Partim ad moralem, partim ad cæremonialem legis partem nonnulli referunt. ibid.
Sabbathi nomine nonnullis videtur non aliquem præcisè diem definiri, ſed eum duntaxat, quem ſanctificare ex hominum inſtitutione contingit. 191.a.2
Sabinus fluuius ex monte Apennino oritur, & Samnites populos alluit. 115.a
Sacramenta legalia quare per ſe gratiam conferre, ac iuſtificare nullo modo valebant. 131.c.a
Sacerdotium Meſſiæ ſecundùm ordinem Melchiſedech, declarat illud non temporale, ſed æternum futurum. 73.a
Sacrificiorum carnes io templo Salomonis oblatorum nunquam malè olebant. 223.a
Sacrificia in fide venturi Meſſiæ in lege oblata, qua ratione actualem culpam delere poterant. 129.c.2
Sacrificia omnia Aaronica ſuo ſacrificio Chriſtus antiquauit, quod duntaxat æternum permanſit. 73.b
Sadai nomen ex mundi vaſtatione in diluuio facta, Hebræi Deo tribuerunt. 46.d.2
Sanhedrin plurimi qui in Babyloniam deſcenderunt, ex Regis conſenſu Iudæos ibi iudicauerunt. 113. e. Penes eos tota iudiciaria poteſtas populi Iudæi reſidebat. ibid.
Salomon adulteræ Sygnagogæ viam, ac perfidiam quare tanta admiratione proſequitur, vt eam ſe minimè capere poſſe contendat. 66.d.2
Salomonici templi gloria in quibus potiſſimùm ſita fuerit. 122.b
Salomonem lapidi in templo aſſeruato nomen tetragammaton inſculpſiſſe, quod fas quidem omnibus eſſet legere, nulli autem reſcribere, fabuloſè memorant Iudæi. 157.d
Saluatoris Bullientis nomine templum Pariſiis quare ædificatum. 180.b.a
Samuël quomodo mortuus propheraſſe dicatur. 14.e
Samuëlem verè Saüli apparuiſſe non obſcurè Patres fatentur. 14. b. Dæmoniacum ſpectrum tantummodò illi obiectum fuiſſe, falſum eſt. ibid.b
Scriptura nunquam ſine myſterio vtitur numero multitudinis cùm de Deo ſermo eſt. 89.b.a
Scripturæ quo ſenſu hominem à Deo rectum conditum eſſe affirmant. 5.d.a
Scripturæ cùm aliquem Sanctorum ad patres ſuos appoſitum dicunt, ad Limbum Patrum deſcendiſſe denotant. 13.d
Sedechiæ tempore ſermo de ædificando ſecundo templo ab Iſaiæ ore eſt egreſſus. 113.c
Sennacherib vix in Deum blaſphemas voces protulit, mox ſeueriſſima Dei vltio ſecuta eſt, qua centum octuaginta quinque millium bellatorum agmina deleta ſunt. 172.c
Seraphim trina acclamatione, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus*, tres perſonas in diuinis adorandas inſinuabant. 87.a
Serpens nunquam morſu, aut veneno vlli nocuit in vrbe Ieruſalem ſtante priori templo. 123.b
Serpentem reptile animal non alloquitur Deus iudicium ferens Geneſ. 3. ſed ſerpentis nomine dæmonem, qui callida perſuaſione mulierem ad peccatum pellexerat. 54. d. 1. Cauſa duplex propter quam dæmon ſerpens appellatur. ibid.e.2
Sex creationis dies omnium eorum vaticinium fuiſſe, quæ in ſex orbis millenariis gerenda erant, Iudæorum peritiſſimi exiſtimant. 176.b
Sibylla Perſica quæ ante Alexandrum Magnum floruit, de Meſſiæ ortu vaticinata eſt. 152.a.2
Sibyllini verſus Auguſtum docuerunt, puerum illum quem in vlnis Virginem geſtare conſpexerat, maiorem ſe eſſe, atque ſolum adorandum. 125.a
Signum fœderis cur Circunciſio à Deo vocetur. 129.e
Signum nullum vnquam à Deo datum eſt, quod naturæ ipſi inſolitum non fuerit. 39.b
Signa viginti quatuor potiſſima, quibus Chriſtum verum eſſe Meſſiam demonſtratur. 148.a.2
Signa Ægyptiaca velut accidentia reſpectu ſubſtantiæ fuiſſe Thalmud affirmat, ſi conferantur cum ſignis Meſſiæ. 156.c.2
Silo nihil præter Meſſiam ſignificare quomodo euincatur. 114.c
Simulachrorum cultus Chriſti Religione penitus euerſus. 175.a
Simplicitas diuina io ineffabili Incarnationis myſterio aſſeritur. 26.a.2
Similitudines ex rebus creatis petitæ Trinitatem, & vnitatem diuinam quodammodo inſinuant. 102.b
Singulare pro plurali, & contrà plurale pro ſingulari in Scripturis ſæpe legitur. 10.a.2
Sol ex nube illa lucida, quæ prima die creata fuit, formatus eſt. 176.d.2
Solis productio vſque ad quartum diem à Deo dilata. 171.b.c. Nonnulli ad myſterium referunt. ibid.
Solis tres ignei radij, quibus tripliciter montes exuri, atque excoqui narrat Eccleſiaſticus, quò ſpectent. 102.e.a
Solem licet inuiſibilis Filij Dei imaginem, ac typum appellare. 177.e
Solitudinem perfecta beatitudo expellit, quæ ſocios beatitudinis exigit, quibus delectetur. 99.d.2
Spiritum ſanctum dum animam mundi, ac ſpiritum vocauit Plato, à fide non diſſenſit. 81.a.2
Spiritum qui olim Salomonem ſapientia imbuit, Deum fuiſſe nemo ignorat. 65.c.2
Sponſæ vterum liliis vndique vallatum quo ſenſu Salomon affirmet. 65.c
Status orbis primus ob id erat imperfectus, quòd rudi quadam ignorantia duceretur : nec niſi confuſè in futurorum bonorum cognitione verſaretur. 151.e

Digitized by Google

Status innocentiæ concupiſcentiam ignorauit. 5.b
Stella quæ Magos ab Oriente Ieroſolymam duxit, nunquam antea viſa fuerat. 125.a
Subſtantia mentalis cur à Theodoro Platonico Philoſopho ſecunda Trinitatis perſona vocetur. 82.c.2
Suffridus Miſnenſis quale miraculum accidiſſe narret Rutlingem perfidis Iudæis. 180.c.2
Supputationes temporum quas de Chriſti aduentu tradidêre Hebræi, licèt non parum à veritate aberrent, oſtendunt tamen omnes Meſſiæ periodos ab ipſis præſcriptas iam elapſas eſſe. 136.b
Synagoga magna ea appellatur, quæ fuit Eſdræ temporibus. 104.c.2
Sygnagogæ Iudaicæ perfidia, via mulieris adulteræ quomodo dici poſſit. 66. c. a. Tum adultera eſſe cœpit, cùm à Meſſia receſſit, quem ſponſum Deus illi deſtinauerat. ibid.d.a
Synagogæ veteris conſtans ac perpetua fides erat, electorum animas non alia ratione apud Limbum detineri, quàm ob Adæ peccatum. 13.c.2
Sygnagogam agnoſcere Meſſiam, eumque recipere non fuit neceſſe, cùm Scripturarum teſtimonia ad illum conſtituendum abundè ſufficerent. 188.a.2
Syriacam, & Chaldaicam linguam quo tempore Hebræi in Palæſtinam intulerint. 50.d.2

T

TAbernaculum teſtimonij, & Arca teſtamenti, menſaque cum vaſis ſuis oleo vncta ab Aarone. 158.b. Aaron item cum filiis ſuis iuſſu Dei à Moyſe. ibid.
Tabernaculum teſtimonij perpetuo vndique velo opertum quid ſignificaret. 88.a
Targum Chaldaicum inter Hebræos grauiſſimæ ſemper fuit authoritatis. 50.c.2. Statim poſt captiuitatem Babylonicam fuit confectum. ibid.d.2
Templum Ieroſolymitanum ſecundum exuſtum ſub Tito ac Veſpaſiano poſt ſecundũ obſidionis annum, & octo menſes. 153.b
Templi ſtructura apud Ezechielem, vniuerſa trium menſura fuiſſe dimenſa qoid innueret. 101.b.a
Templi ſecundi gloria maior fuiſſe exiſtimatur à Rab. Salomone, quòd diutiùs permanſerit. 122.d
Tempus ex præterito, præſenti, & futuro coaleſcit. 102.c
Tempus Meſſiæ nouiſſimum tempus in Scripturis ſæpe appellatur. 139.d
Tempus venturi Meſſiæ inueſtigare volentes Iudæi primam literam א & vltimam ת copulant cum ם, quam Meſſiæ literam eſſe volunt; ex quibus conſurgit numerus 605. annorum, ex quo ab Iſaia ם illa clauſa prolata fuit. 136.e
Tempus hebdomadarum Danielis non extenditur vſque ad ſecundi templi deſtructionem, ſed tantummodò vſque ad Meſſiæ aduentum. 120.c.2
Temporis plenitudo ea fuit, cùm vniuerſa Prophetarum oracula, quæ de Meſſia, aut verbis expreſſa, aut figuris velata erant, plenam eius Natiuitate veritatem ſunt aſſecuta. 176.a
Temporis prioritas in Trinitate non eſt; ſed originis. 80.a
Temporalis Chriſti natiuitatis modus per lampadem denotatur. 32.c
Terra, & aqua ſigna aduentus Meſſiæ multa dederunt. 125.b
Terræ elementum non intelligitur apud Iſa. in illis verbis; *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem*; ſed B. Virgo Meſſiæ mater. 67.b.2
Tertias perſonas apud Hebræos ſumi ſæpe imperſonaliter, ſeu paſſiuè, probatur. 42.a
Teſtimonium aduentatæ veritatis fuit, quòd Chriſtus legis partes accidentales ſuſtulit. 192.c
Teſtimonium Rab. Moyſis Hadarſan pro Meſſiæ miraculis, & ſignis ad verba illa Pſalmi. *Signa noſtra non vidimus, iam non eſt Propheta, & nos non cognoſcet amplius.* 16.d.2
Tetragrammaton nomen tantam vim habere docent Hebræi, vt ſiquis illud perfectè pronuntiare nouerit, illius virtute magna ſigna patrare poſſit. 157.c.d
Thalmud venerantur Hebræi velut ſacros Bibliorum libros. 53.c
Thalmodiſtæ quale myſterium in voce *lemarbe* per ם finale ſcripta obſeruent. 41.b.c
Thalmudiſtica illa traditio; Deum idcirco à latere Aquilonis partem imperfectam dimiſiſſe; vt ſi quiſpiam ſe Deum eſſe diceret, imperfectionem illam impleret; atque eo pacto diuinitas eius agnoſceretur, vnde ortum habuerit. 51.a.2
Thalmudiſtæ in temporum ſupputatione, quam ſibi inter vtriuſque templi deſtructionem præfigunt, nonnihil exceſſerunt. 120.d.c.2
Thalmudiſtæ priſci tradunt Moyſem à Deo, & legem, & legis expoſitionē in mōte Sinai accepiſſe. 104.c.2
Theologi veterum fuêre Poëtæ. 85.d.2
Theologorum ſchola quo ſenſu Patrē totius Deitatis fontem eſſe doceat. 84.d
Theudas ſub Cuſpio Fado Meſſiam ſe eſſe cæteris perſuadebat. 173.b
D. Thomas in quo primi hominis rectitudinem poſitam cenſeat. 5.c.a
Thomas quas cauſas afferat cur Circunciſio in genitali membro, non aliis perfici iuberetur. 129.d
Tres literæ in nomine יהוה cum vltimo *he* coniunctæ, non ſparſim, aut diuiſim reperiuntur, vt perſonarum Trinitatem ſemper cum Meſſia fuiſſe coniunctam, neque vnquam ab eo ſeparatam innoteſcat. 96.a.2
Tribum Iuda cur hodierni Iudæi Regiam appellent. 63.a
Tribus Iuda, & tribus Leui ita erant permixtæ, vt Machabæi ex tribu Iuda cenſerentur, præſertim cùm ex materno genere ab illa proficiſcerentur. 113.c.d
Trimegiſtus cur hoc nomine appellatus. 79.c.2. Ante Pharaonis tempora ſapientia floruit. ibid. Perſonarum in diuinis Trinitatem quibus verbis prodat. ibid.c.d.2
Trinitas perſonarum affirmatur, naturæ negatur: identitas naturæ aſſeueratur, perſonarum verò reiicitur in Deitate. 100.c.d.a
Trinitas de vnitate, & è conuerſo vnitas de Trinitate varia ſuppoſitione dici poteſt. 101.c
Trinitas quædam elucet in omnibus natura conſtantibus. 102.d
Trinitatis auguſtiſſimæ myſterium Rab. Simeon Beniohai quomodo exprimat. 65.a.b.a
Trinitatis ſacroſanctæ myſterium tam longè humanum ſenſum ſuperat, vt illud nemo vnquam, aut naturæ lumine, aut ratione, verbo, vel ſcripto prodita aſſequi potuerit. 79.a.2
Tunicæ pelliceæ quare poſt peccatum primis parentibus à Deo paratæ ſint. 55.d.e.a
Turcarum imperio, & Perſarum ſubiecti ſunt Medi, ſeu Parthi, inter quos Caſpij montes aſſurgunt. 115.a

V

VATES & Angelus quoad nominis Meſſiæ impoſitionem quomodo non diſcrepent. 69.d
Vaticinum Iacob de ſceptro Iuda duplicem magiſtratum reſpicit. 113.a.a. Vnde id probetur. ibid.
Vau Hebræum copulæ loco apponitur dictionibus, & virtutem ſignificat, quod tertiam Spiritus ſancti perſonam declarat, quæ cùm diuina quadam Patris, & Filij copula ſit, & nexus ab iis indiuiſè procedens,

cedens, tum etiam altiſſimi virtus appellatur. 95.c.d.a
Verbum diuinum non æquè in humana, atque in diuina natura ſubſiſtit; ſiquidem in diuina natura tanquam proprium, ac intrinſecum ipſius ſuppoſitum ſubſiſtit. 26. d. a. In humana natura tantùm per vnionem ſubſiſtit, tanquam ipſius naturæ terminus, ac complementum ab extrinſeco adueniens. ibid.
Verbum diuinum cùm humanam naturam ſibi aſſumit non ab ea dependet; ſed potiùs ipſam labentem ſua perſonalitate ſuſtentat. 26.c.d
Verbum quo pacto ſingularis hominum creator dici poſſit, explicatur. 74.b.2
Verbum diuinum ſola relatione rationis, non reali, erga humanam naturam ſibi hypoſtaticè vnitam relatum fuit. 29.b.a
Verbum Dei cùm ſit rerum operatiuum, à noſtro differt, quod tantùm eſt intellectiuum. 75. a. Ideo frequenter brachium appellatur. ibid.
in Verbi Incarnatione egit Deus non ſecundùm præſtitutas à ſe leges, ſed abſoluta ſua potentia. 27.e
Verbi diuini Incarnationem quo ſenſu totius vniuerſi eleuationem S. Thomas appellet. 77.a.a
Verboſi ac loquaces Adam, & Eua quare appellentur. 11.e.2
Veritatem miraculorum Dei quomodo etiam fabula Iudæorum confirmet. 157.b.e.2
Veſtes pelliceæ Adamo, & Euæ ex mactata oue confectæ myſterium Meſſiæ præſignificabant. 56.b
Veteris legis, ac circumciſionis abrogatio, vnum fuit, ac præcipuum Meſſiæ aduentus ſignum. 177.c
Vetus lex timoris fuit, noua amoris; illa carnis, hæc ſpiritus. 162.d.e
Via mulieris adulteræ ex antiquorum Hebræorum ſententia, eſt præuaricatio Adæ, qui meretricis inſtar culpæ ſuæ excuſationem texuit. 66.a.b.a
Vindicta triplici mulier flagellatur, cùm Deus in eam tanquam in peccati principium, ac fomitem ſententiam tulit. 8.a.a
Vineæ Engaddi quando præter tempus floruerint. 125.b
B. Virgo terra arens ab Iſaia vocatur, quòd ea nullo virili ſemine irrigata Meſſiam germinarit. 31.c.a
B. Virgo priùs conſenſum ſuum Deo aperire, ac illius voci obtemperare debuit, quàm Meſſiam Saluatorem vtero ſuſciperet, ac tandem orbi pareret. 67.d.2
Virginem geſtantem in vlnis filium in cœlo vbi conſpexit Auguſtus, importuno populi ſtudio, qui illi diuinum honorem deferre volebat, omnino reſtitit. 125.a
Virorum trium ſpecie Deus Abrahæ apparuit, vt Trinitatis myſterium inſinuaret. 92.e
Vis ratiocinandi animo hominis inſita explicat eum conditum eſſe, vt ſummum bonum intelligat, intelligendo amet, amando poſſideat, poſſidendo fruatur. 18.d.a
Vitium priùs eſt in anima, quàm in carne. 15. d.e.2. Non transfunditur in homines quòd homo cum libidine generetur. ibid.
Vnctio duplex ex Scripturis habetur. 71.d.a
Vnctio Meſſiæ, qua à Deo Spiritus ſancti virtute fuit vnctus, excellentiſſimi ipſius muneris functionem declarat. 158.b.c
Vnio diuinæ, & humanæ naturæ in perſona Verbi, non efficit vt Deus cum humana natura compoſitus dici queat. 26.d.e
Vnio tantùm eſt proportionabilium. 34.b.2
Vnionem cum natura humana etſi formaliter diuinum Verbum non ſemper habuerit, eam tamen eminenter ſemper habuit. 29.e.a
in Vnione hypoſtatica Verbum humanæ naturæ forma non eſt: nec humana natura Verbi materia eſt, aut illi tanquam materia formæ vnitur. 26.b.c.a
Vnitate naturæ retenta Deus ſeipſum perſonis communicat per perfectiſſimum communicationis genus, quod ipſius potentiæ ſubeſt. 100.b
Vnitatem Dei Moyſes qui toties inculcat, cùm de formatione hominis agit, qua ratione ad numerum multitudinis eam referat. 89.a.a
Vnum, ens, & potentiam Platonici Trinitatis perſonas nominarunt. 85.a.b.2
Vnus comparatus multitudini, diſtinctionem indicat, multi verò vni oppoſiti, multitudinem inſinuant in loco Geneſ.3. *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis.* 90.c.a
in Voce *Elohim* perſonarum diſtinctio elucet. *Faciamus*, indiuiſum trium perſonarum opus in hominis formatione denotat. *Ad imaginem*, eſſentiæ vnitatem pandit. 90.b.c.2
Volumen Thalmudicum fabulis, blaſphemiis, atque ſcommatibus refertum. 189.c.a
Voluptates hominibus execrandas cùm diuina lex proponat, quomodo tot populorum animis reluctante hominum natura inſeri potuerit. 175.b
Vrim, & Thummin, quæ in pectorali Pontificis affulgebant, nihil aliud erāt ex ſententia Rab. Salomonis præter ipſum nomen Dei tetragrammaton. 122.b.2. Eorum aſpectu Sacerdotes occulta cernebant, ac populo renunciabant. ibid.
Vterus in Scripturis ſæpiùs pro diuinæ ſubſtantiæ arcano, ac Deitate vſurpatur. 37.c

Z

Zoroaſter inter Chaldæos Abrahamo contemporaneus fuit. 80. a. a. Trimegiſto eſt vetuſtior. ibid. Myſterium Trinitatis indicaſſe creditur. ibid.
Zuinglius originale peccatum morbum quidem eſſe; ſed non culpam aſſerit; nec damnationem hominibus afferre, donec ipſi propria voluntate legem Dei reſpuant. 15.a.2

Finis Indicum.

ANT 1742553

IX
G
20

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google